SANCTI AURELII

AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI OPERUM

TOMVS TERTIVS.

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM
castigatus denuo ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos, Belgicos &c.
necnon ad editiones antiquiores & castigatiores.

OPERA ET STUDIO MONACHORUM
Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri.

PARS SECVNDA.

Complectens Exegetica in Novum Testamentum.



PARISIIS,
Excudebat FRANCISCUS MUGUET Regis & illustrissimi Archiepiscopi
Parisiensis typographus.

MDCLXXX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

CONTENTA IN TERTII TOMI PARTE SECUNDA.

	Pag.
De consensu Evangelistarum libri IV.	1
De Sermone Domini in monte libri II.	165
Quæstionum Evangeliorum libri II.	237
Quæstionum septemdecim in Evangelium secundùm Matthæum liber I.	277
In Iohannis Evangelium Tractatus CXXIV.	289
In epistolam Iohannis ad Parthos Tractatus X.	825
Expositio quorumdam propositionum ex Epistola ad Romanos, liber I.	903
Epistolæ ad Romanos inchoata Expositio, liber I.	925
Expositio Epistolæ ad Galatas, liber I.	941

ERRATA

In Textu.

Pag. 116. *linea* 2. fui, *lege* fui.
147. *l.* 60. sis idoneus, *leg.* sis.
606. *l.* 4. *textus interpungendus sic*; Quis est mercenarius, qui videt lupum venientem, & fugit? Qui sua quærit *&c.*

In Notis.

Pag. 9. *Not. b.* ad Heber, *leg.* ab.
159. *Not. n. post* vitans, *adde* quod item verbum in Epistolam Johan. Tract. 3. n. 2. sic adhibetur, Mariæ contactum vitavit.

In Margine.

Pag. 290. annum 412. *leg.* annum 416.
676. *juxta lin.* 40. *scribe*, Ambrosius in Luc. cap. 22.

Prætereà consule Syllabum in voluminis fine pag. 979.

ADMONITIO
IN LIBROS DE EVANGELISTARUM CONSENSU.

Hoc in opere S. Augustinus Evangelium à Paganorum calumniis defendendum suscipit. Ei quidem statim ab ipsa promulgatione multum apud populos omnes auctoritatis ac fidei cùm patrata divinitus tot miracula, tum corporeæ speciei illapsus, ut illud suo numine sanciret, Spiritus sanctus conciliarat: sed non defuere, à quibus impugnaretur. Primùm enim tormentorum atque suppliciorum vim, qua dirè in primos Christianos sævitum, sustinuit: deinde immanitates illas excepit doctrinæ pariter atque historiæ, quam afflatu divino sacri quatuor scriptores de eo texuerant, criminatio. utrumque incassum. Enimverò, quemadmodum primis suis conatibus nihil aliud consecuti sunt Evangelicæ veritatis adversarii, nisi ut illa certior exploratiorque redderetur, divino Spiritu Martyribus, qui eam suo sanguine assererent, vires suggerente: sic idem ille Spiritus præstantissimorum virorum mentes ardore succendit, quo refutatis multa cum eruditionis laude Idololatrarum calumniis, majorem ei firmitudinem ac dignitatem compararent. Porrò illud in primis crimini dabatur, inter se neutiquam consentire sacros historicos: Hoc enim solent, *ait Augustinus*, quasi palmare suæ vanitatis objicere, quòd ipsi Evangelistæ inter scipsos dissentiant. *Ethnicis quod ad certos locos succinebant Manichæi, quos, ut videre licet in libris contra Faustum, Evangeliis additos fuisse calumniabantur. Atqui Augustino non satis fuit ea conciliare, de quibus litem movebant isti hæretici, contra quos potissimùm Vetus Testamentum defendebat: verùm, ut Novi quoque Testamenti propugnator merito jure audiret, quatuor Evangelistarum, tam in gestis recensendis, quam in ordine ipso narrationis summam concordiam demonstrare est aggressus.* Lib. 1. c. 7.

Fieri sanè non potuit, quin ei lucubratio hæc magno staret. Hinc illam in Tractatu 112. *in Johan.* laboriosas litteras vocat, *ac versus in Tract.* 117. *res ibi esse* operosissimè disputatas *dicit. Scilicet destitutus erat iis adjumentis, quibus instructi fuere, quotquot postea in idem illud argumentum desudarunt, qui tamen ipsi vestigiis ejus insistentes, vix quidquam alicujus momenti invenere, quod ille non dixisset. Hoc opus libris de Trinitate, quos jam inchoarat, intermissis, confecit labore continuo, ex* 2. Retract. 16. *nec porrò ante anni* 399. *exitum; cùm in lib.* 1. *c.* 27. *testetur idola tum temporis legum ab imperatoribus latarum auctoritate confringi. Expressam enim legem hac de re nullam habemus iis superiorem, quæ anno* 399. *promulgatæ, atque executioni demandatæ * in Africa fuerunt: quibus nondum constitutis evertendi simulacra, nisi ex eorum, quorum erant, consensu, jus penes se haud quaquam esse * fatebatur Augustinus.* * De Civit. Dei l. 18. c. 54. * Ser. 6. de verb. Dom. c. 11.

Librum 1. *insumit iis revincendis, qui cùm Christum viri longè sapientissimi loco haberent, aut veriùs, habere simularent, Evangelio fidem derogabant, eo scilicet prætextu, quòd non ab ipso Christo scriptum esset, sed ab ejus discipulis, quos ei divinitatem affinxisse dicebant, neque ab illo accepisse doctrinam, quam de deorum abdicando cultu ipsi prædicarunt. In lib.* 2. *Matthæum Evangelistam usque ad cœnæ narrationem ex ordine considerat, cumque eo collatis Marco, Luca & Johanne, demonstrat perpetuam inter eos reperiri consensionem. Liber* 3. *est de eorumdem quatuor Evangelistarum à cœnæ narratione ad Evangelii finem concordia. Quartus denique de iis quæ peculiaria sunt Marco, Lucæ & Johanni. Opus in Corbeiensi codice ante* 900. *vel* 1000. *annos exarato inscribitur,* Aurelii Augustini Episcopi de concordia Evangelistarum: *sic & in aliis plerisque MSS. In iis omnibus autem libri quique, primo exceptо, dividuntur in capitula, quorum lemmata in librorum fronte præfixa sunt, qualia isthic subjicimus.*

LIBRI SECUNDI CAPITULA.

I. Quare usque ad Joseph generatores Christi commemorentur, cùm de illius femine Christus non sit natus, sed de Virgine Maria.
II. Quomodo sit Christus filius David, cùm ex Joseph filii David concubitu non sit natus.
III. Quare alios progenetatores Christi Matthæus enumerat, alios Lucas.
IV. Quare quadraginta generationes, excepto ipso Christo, inveniuntur apud Matthæum, cùm quatuordecim triplicet.
V. Quomodo Matthæi ordini congruat ordo Lucæ in his quæ de conceptu & de infantia vel pueritia Christi alius præermittit, alius commemorat.
VI. De ordine prædicationis Johannis Baptistæ inter omnes quatuor.
VII. De duobus Herodibus.
VIII. Quomodo Matthæus dicat, timuisse Joseph ire cum infante Christo in Jerusalem propter Archelaüm, & non timuisse ire in Galilæam ubi erat Thetrarcha Herodes frater ejus.
IX. Quomodo dicat Matthæus, ideo isse in Galilæam Joseph cum infante Christo, quia timuit Archelaüm pro suo patre regnantem in Jerusalem; cùm Lucas dicat ideo isse in Galilæam, quia ibi erat Nazareth civitas eorum.
X. Quomodo Lucas dicit, *Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die sollemni Paschæ* cum illo puero; cùm dicat Matthæus, quòd metu Archelai timuerint illuc ire ab Ægypto redeuntes.
XI. Quomodo potuerint completis diebus purgationis matris Christi, sicut Lucas dicit, adscendere cum illo in Templum ad peragenda sollemnia, si secundùm Matthæum jam Herodi per magos notum erat eum natum, pro quo, cùm eum quæreret, tot occidit infantes.
XII. De verbis Johannis inter omnes quatuor.
XIII. De baptizato Jesu.
XIV. De verbis vocis quæ facta est de cælo super baptizatum.
XV. Quomodo secundùm Johannem Evangelistam dicat Johannes Baptista, *Ego non noveram eum*; cùm secundùm alios inveniatur quòd jam noverat eum.
XVI. De tentato Jesu.
XVII. De vocatione Discipulorum piscantium.
XVIII. De tempore secessionis ejus in Galilæam.
XIX. De illo sermone prolixo, quem secundùm Matthæum habuit in monte.
XX. Quomodo dicat Matthæus, Centurionem ad eum accessisse pro puero suo; cùm Lucas dicat quòd amicos ad eum miserit.
XXI. De Socru Petri quo ordine narratum sit.
XXII. De ordine rerum, quas post hoc narrant, utrùm nil inter se dissentiant Matthæus, Marcus & Lucas.
XXIII. De illo qui ait Domino, *Sequar te quocumque ieris*, & aliis quæ juxta sunt, quo ordine narrentur à Matthæo & Luca.
XXIV. De transfretatione ejus, ubi dormivit in navicula, & de expulsis dæmoniis, quos permisit in porcos, quomodo ea quæ gesta vel dicta sunt, conveniant inter Matthæum, Marcum & Lucam.
XXV. De paralytico cui dixit *Dimittuntur tibi peccata*, & *Tolle grabatum tuum*, maximè utrùm locus ubi hoc factum est, conveniat inter Matthæum & Marcum; quia Matthæus dicit in civitate sua, Marcus autem in Capharnaum.
XXVI. De vocatione quoque Matthæi, utrùm Marco & Lucæ qui dicunt Levin Alphæi, idem Matthæus congruat.
XXVII. De convivio ubi objectum est ei quòd cum peccatoribus manducaret, & quòd non jejunarent Discipuli ejus, quòd videtur alius alios dicere à quibus objectum sit, & de verbis eorum, responsisque Domini, utrùm Matthæus, Marcus & Lucas congruant.
XXVIII. De filia Archisynagogi resuscitata, & muliere quæ tetigit fimbriam vestimenti ejus, utrùm ordo quo dicta sunt nihil cuiquam eorum adversetur à quibus dicta sunt; & maximè de verbis Archisynagogi, quibus rogavit Dominum.
De duobus cæcis & muto dæmonio quæ solus Matthæus dicit. XXIX
Ubi turbarum misertus misit Discipulos suos, dans eis potestatem sanitatum præstandarum, & eis multa mandavit, ordinans quemadmodum viverent, ubi quærendum est quomodo Matthæus Marco & Lucæ congruat, maximè de virga quam secundùm Matthæum dicit non ferendam, secundùm Marcum autem solam ferendam; & de habitu calceamentorum atque vestium. XXX
Ubi Johannes Baptista misit ad Dominum de carcere Discipulos suos, quid Matthæus & Lucas dicunt. XXXI
Ubi exprobravit civitatibus quòd non egerint pœnitentiam, quod & Lucas dicit: ubi quærendum est quemadmodum illi Matthæus ipso ordine congruat. XXXII
Ubi vocat ad tollendum jugum & farcinam suam, quemadmodum Matthæus à Luca non discrepet in narrandi ordine. XXXIII
Ubi discipuli spicas vellentes manducaverunt, quemadmodum inter se congruant Matthæus, Marcus & Lucas in narrandi ordine. XXXIV
De illo qui manum aridam cùm haberet, sabbato curatus est, quemadmodum narratio Matthæi concordet cum Marco & Luca, vel rerum ordine, vel Domini & Judæorum verbis. XXXV
Considerandum utrùm ab isto cujus arida manus sanata est, ita digrediantur hi tres Evangelistæ ut in nullo sibi adversentur ipso narrationis ordine. XXXVI
De muto & cæco qui dæmonium habebat, quomodo Matthæus, Lucas que consentiant. XXXVII
Ubi ei dictum est quod in Beelzebut ejicit dæmonia, quidquid ex ipsa occasione locutus est de blasphemia adversùs Spiritum sanctum, & de duabus arboribus, utrùm in nullo Matthæus à duobus aliis, maximè à Luca, dissentiat. XXXVIII
Quod respondit petentibus signum, de Jona propheta & de Niniviis, & de Regina Austri, & de Spiritu immundo, qui cùm exierit ab homine, redit, & invenit domum mundatam, quomodo Matthæus Lucæ congruat. XXXIX
Ubi ei nuntiata est mater & fratres ejus, utrùm à Marco & Luca ordo ipse non discrepet. XL
Quòd ex navicula turbis locutus est, de illo cujus in seminando aliud cecidit in via &c. & de illo cui superseminata sunt zizania, & de grano sinapis, & de fermento; & quòd in domo locutus est, de thesauro abscondito in agro, & de margarita, & de sagena missa in mare, & de proferente de thesauro nova & vetera, quomodo Marco, & Lucæ Matthæus consentiat, vel in his quæ cum illo dixerunt, vel narrationis ordine. XLI
Quòd venit in patriam suam, & mirabantur doctrinam, cùm genus ejus contemnerent, quomodo consentiat Marco & Lucæ Matthæus, maximè utrùm narrandi ordo nihil alteri adversetur. XLII
Quemadmodum inter se conveniant Matthæus, Marcus & Lucas de verbis Herodis, cùm audisset de mirabilibus Domini, vel de ipso narrationis ordine. XLIII
De Johanne incluso, vel etiam occiso, quo ordine ab his tribus narretur. XLIV
Ad miraculum de quinque panibus quo ordine ab omnibus, & quemadmodum verum sit. XLV
In ipso de quinque panibus miraculo quemadmodum inter se omnes quatuor conveniant. XLVI
Quòd ambulavit super aquas, quomodo qui hoc dixerunt inter se conveniant; & quomodo ab illo loco digrediantur, ubi turbas de quinque panibus pavit. XLVII
Quomodo Matthæus & Marcus Johanni non adversentur in eo quod XLVIII

ab eis tribus narratur quid postea quàm transfetarunt factum sit.

XLIX. De muliere Chananea quæ dixit, *Et canes edunt de micis cadentibus de mensa dominorum suorum*, quomodo inter se Matth. Lucasq. consentiant.

L. Cùm de septem panibus pavit turbas, utrùm inter se Matthæus Marcusque conveniant.

LI. Quod dicit Matthæus inde cum venisse in fines Magedan, quomodo congruat Marco: & in eo quod petentibus signum respondit iterum de Jona.

LII. De fermento Pharisæorum, quomodo cum Marco conveniat, vel re vel ordine.

LIII. Cùm interrogavit Discipulos, quem illum dicerent homines, utrùm nihil inter se repugnent Matthæus, Marcus & Lucas, rebus aut ordine.

LIV. Ubi prænuntiavit Discipulis passionem suam, quæ sit inter Matthæum, Marcum & Lucam convenientia.

LV. Ubi subjungunt iidem tres, quomodo præceperit Dominus ut post eum qui voluerit veniat, quàm secum concordent.

LVI. Quòd se Dominus tribus Discipulis in monte ostendit cum Moyse & Elia, quomodo inter se congruant tres isti ordine & rebus, & maximè propter numerum dierum, quia Matthæus & Marcus dicunt post sex dies factum, quod Lucas post octo.

LVII. Ubi de adventu Eliæ locutus est eis, quæ sit convenientia inter Matthæum & Marcum.

LVIII. De illo qui ei obtulit filium suum, quem Discipuli sanare non potuerunt, quemadmodum tres isti consentiant etiam ordine narrationis.

LIX. Ubi de passione sua cùm eis dixisset, contristati sunt, quod tres ipsi eodem ordine commemorant.

LX. Ubi de ore piscis solvit tributum, quod Matthæus solus dicit.

LXI. De puero parvulo quem proposuit imitandum, de scandalis mundi, de membris corporis scandalizantibus, de Angelis parvulorum qui vident faciem Patris, de una ove ex ovibus centum, de fratre corripiendo in secreto, de solvendis ligandisque peccatis, de concordia duorum & congregatione trium, de dimittendis peccatis usque septuagies-septies, de servo cui dimissum est multum debitum, & ipse parvum non dimisit conservo, Matthæus quemadmodum ceteris non repugnat.

LXII. Quando interrogatus est, utrùm liceat dimittere uxorem, quemadmodum inter se consentiant Matthæus & Marcus, maximè de ipsis interrogationibus vel Domini vel Judæorum atque responsis, in quibus videntur aliquantulùm variare.

LXIII. De parvulis quibus manus imposuit, de divite cui dixit, *Vende omnia tua*; de vinea quò conducti sunt operarii per horas diversas, quemadmodum Matthæus duobus aliis non repugnet.

LXIV. Ubi secretò duodecim Discipulis de passione sua prædixit, & Mater filiorum Zebedei cum filiis suis petiit, ut unus eorum ad dexteram ejus, alter ad sinistram sederet, quomodo non repugnet Matthæus aliis duobus.

LXV. De cæcis Jericho inluminatis, quemadmodum non adversetur Matthæus vel Marco, vel Lucæ.

LXVI. De asinæ pullo, quomodo Matthæus ceteris congruat, qui solum pullum commemorat.

LXVII. De expulsis Templo vendentibus & ementibus, quemadmodum tres isti non repugnent Johanni qui hoc idem longè alibi dicit.

LXVIII. De arefacta arbore ficulnea, & quæ juxtà narrata sunt, quomodo non repugnet Matthæus ceteris, & maximè Marco de ordine narrationis.

LXIX. Cùm Dominum interrogaverunt Judæi, in qua potestate ista faceret, quomodo inter se consentiant isti tres.

LXX. De duobus quibus imperavit pater ut irent in vineam, & de vinea quæ locata est aliis agricolis, quomodo non adversetur Matthæus illis duobus, cum quibus eumdem ordinem tenet, & maximè in hac parabola quam omnes tres dicunt de vinea locata, propter responsionem eorum quibus dicebatur, ubi aliquantùm videtur variare.

LXXI. De nuptiis filii Regis, ad quas turbæ invitatæ sunt, quem Matthæus ordinem tenuerit, propter Lucam qui tale quiddam alibi dicit.

LXXII. De nummo Cæsari reddendo cujus habeat imaginem, & de muliere quæ septem fratribus nupserat, quemadmodum tres isti concordent.

LXXIII. De illo cui commendata sunt duo præcepta dilectionis Dei & proximi, qui ordo sit narrantium Matthæi & Marci, ne à Luca discrepare videantur.

LXXIV. Quòd Judæi interrogantur de Christo, cujus eis filius videatur, utrùm non repugnet Matthæus aliis duobus; quia secundùm istum dicitur *Quid vobis videtur de Christo, cujus est filius*: Cui responderunt, *David*: secundùm illos autem, *Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David*.

LXXV. De Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi, & dicentibus quæ non faciunt, ceterisque in eosdem Pharisæos à Domino dictis, utrùm sermo Matthæi congruat aliis duobus, & maximè Lucæ, qui non hoc ordine, sed alibi similem commemorat.

LXXVI. Cùm prænuntiavit Templi eversionem, quomodo aliis duobus narrandi ordine congruat.

LXXVII. De sermone quem habuit in monte Oliveti, quærentibus Discipulis quando erit consummatio, quemadmodum tres isti inter se congruant.

LXXVIII. Quod commemorant Matthæus & Marcus ante biduum futuræ Paschæ, & postea dicunt quòd in Bethania fuit, quomodo non repugnet Johanni, qui cum ipsis narrat hoc idem quod factum est in Bethania, & dicit, *Ante sex dies Paschæ*.

LXXIX. De cœna in Bethania, ubi mulier unguento pretioso Dominum perfudit, quomodo inter se congruant Matt. Marc. & Johannes, & quomodo Lucæ non adversentur tale aliquid alio tempore commemoranti.

Ubi mittit discipulos ut præparent ei manducare Pascha, quomodo inter se congruant Matthæus, Marcus & Lucas. LXXX.

Libri tertii Capitula.

De cœna Domini & de expresso traditore ejus, quemadmodum inter se quatuor conveniant. I.

De prædicta negatione Petri, quemadmodum ostendantur nihil inter se repugnare. II.

De his quæ dicta sunt à Domino donec exiret de domo ubi cœnaverant, quemadmodum nihil discrepare monstrentur. III.

De his quæ gesta sunt in illo prædio vel horto, quò ex illa domo post cœnam venerunt, quomodo trium, id est Matthæi, Marci & Lucæ consonantia demonstretur, quoniam Johannes de hoc tacet. IV.

De his quæ in ejus adprehensione facta & dicta omnes commemorant, quomodo inter se nihil appareat dissentire. V.

De his quæ gesta sunt cùm duceretur Dominus ad domum principis Sacerdotum, & quæ in ipsa domo cùm nocte perductus esset, & maximè de Petri negatione, quemadmodum inter se omnes congruant. VI.

De his quæ manè gesta sunt, priùs quàm Pilato traderetur, quomodo Evangelistæ inter se non discrepent; & de testimonio Jeremiæ quod Matthæus propter Domini pretium interposuit, cùm hoc in ejusdem prophetæ Scriptura non inveniatur. VII.

De his quæ apud Pilatum gesta sunt, quomodo inter se nihil dissentiant. VIII.

De inlusione qua inlusus est à cohorte Pilati, quomodo non dissonent tres qui hoc dicunt Matthæus, Marcus & Johannes. IX.

Quomodo non repugnet quod Matthæus, Marcus & Lucas angariatum dicunt, qui portaret ejus crucem; cùm Johannes dicat, quòd eam Jesus ipse portaverit. X.

De potu quem dederunt ei priùs quàm commemorata esset ejus crucifixio, quomodo conveniat inter Matthæum & Marcum. XI.

De divisione vestimentorum ejus, quomodo inter se omnes conveniant. XII.

De hora dominicæ passionis, quemadmodum non inter se dissentiant Marcus & Johannes, propter tertiam & sextam. XIII.

De duobus latronibus cum illo crucifixis, quomodo omnes concordent. XIV.

De his qui Domino insultaverunt, quomodo inter se consonent Matthæus, Marcus & Lucas. XV.

De latronum insultatione, quomodo non repugnent Matthæus & Marcus Lucæ, qui dixit unum eorum insultasse, alium credidisse. XVI.

De potu aceti, quomodo inter se omnes consentiant. XVII.

De vocibus Domini quas continuò moriturus emisit, quomodo non repugnent Matthæus & Marcus Lucæ, & ipsi tres Johanni. XVIII.

De scissione veli quomodo non dissentiant Matthæus & Marcus à Luca quo ordine factum sit. XIX.

De admiratione Centurionis & eorum qui cum illo erant, quomodo inter se consentiant Matthæus, Marcus, & Lucas. XX.

De mulieribus quæ ibi stabant, quomodo Matthæus, Marcus & Lucas, qui dixerunt eas longè stetisse, non repugnent Johanni, qui nominavit unam earum juxta crucem stetisse. XXI.

De Joseph qui corpus Domini petivit à Pilato, quomodo omnes consentiant, & quomodo à seipso Johannes non dissentiat. XXII.

De sepultura ejus, quomodo tres à Johanne non dissentiant. XXIII.

De his quæ circa tempus resurrectionis Domini facta sunt, quemadmodum omnes non inter se dissentiant. XXIV.

In eo quòd se postea discipulis manifestavit, quomodo sibi omnes Evangelistæ non adversentur conlatis testimoniis & de apostolo Paulo, & de Actibus apostolorum. XXV.

Libri quarti Capitula.

In Evangelio Marci exceptis his quæ cum Matthæo dixit, quomodo nulla repugnantia demonstretur ab initio usque ad illud ubi ait, *Et ingrediuntur Capharnaum, & statim sabbatis docebat eos*: quod cum Luca dicit. I.

De homine à quo spiritus immundus ejectus est convexans eum, quomodo Lucæ qui hoc cum eo dixit, non repugnet. II.

De nomine Petri, quomodo etiam atque etiam commendetur, non repugnare Johanni, qui dixit quando hoc nomen accepit. III.

Quod dixit, *Quantò magis eis præcipiebat ut tacerent, tantò magis plus dicebant*, quomodo non repugnet præscientiæ ipsius, quæ in Evangelio commendatur. IV.

De quo suggessit Johannes, quòd in nomine ejus ejiceret dæmonia non sociatus discipulis, & dixit *Nolite prohibere eos, qui enim contra vos non est, pro vobis est*: quomodo non repugnet illi sententiæ ubi ait, *Qui non est mecum, adversus me est*. V.

Quod in occasione hujus qui in nomine Christi ejiciebat dæmonia, quamvis cum discipulis non sequeretur, Marcus ampliùs quàm Lucas Dominum dixisse narravit, quomodo ostendatur ad hoc ipsum pertinere quod illum in nomine suo virtutem facientem vetuit prohiberi. VI.

Hinc usque ad cænam Domini unde omnia omnium considerari cœperunt, nullam de Marco quæstionem esse tractatam. VII.

De Lucæ Evangelio, quomodo principium ejus congruat principio libri Actuum apostolorum. VIII.

Quomodo ostendatur, quod de piscibus captis Lucas commemoravit non pertinere ad illud quod videtur simile Johannes narrasse post Domini resurrectionem, atque inde jam usque ad cænam Domini, unde omnium omnia usque in finem considerata sunt, nullam etiam ex Evangelio Lucæ tractatam esse quæstionem. IX.

De Johanne Evangelista, quid à ceteris tribus distet. X.

LIB. II. RETRACTAT. CAPUT XVI.

PER eosdem annos, quibus paulatim libros de Trinitate dictabam, scripsi & alios labore continuo, interponens eos illorum temporibus, in quibus sunt libri quatuor *de Consensu Evangelistarum*, propter eos qui tamquam dissentientibus calumniantur. Quorum primùs liber adversùs illos conscriptus est, qui tamquam maximè sapientem Christum vel honorant vel honorare se fingunt: & ideo nolunt Evangelio credere, quia non ab ipso illa conscripta sunt, sed ab ejus discipulis, quos existimant ei divinitatem, qua crederetur Deus, errore tribuisse. In quo libro quod dixi, *ex* (cap. 14.) *Abraham cœpisse gentem Hebræorum*, est quidem & hoc credibile, ut *Hebræi* velut *Abrahæi*, dicti esse videantur: sed ex illo veriùs intelliguntur appellati, qui vocabatur Heber, tamquam Heberei, de qua re in lib. sexto-decimo de civitate Dei satis disserui. In secundo cùm agerem de duobus pa- (cap. 3.) tribus Joseph, *ab altero dixi genitum, ab altero adoptatum*. Sed dicendum fuit, alteri adoptatum. Defuncto enim, quod magis credendum est, secun- (cap. 4.) dùm Legem fuerat adoptatus; quoniam qui eum genuit, ejus matrem, fratris defuncti conjugem duxerat. Item ubi dixi, *Lucas verò ad ipsum David per Nathan adscendit, per quem Prophetam Deus peccatum illius expiavit*; per cujus nominis Prophetam, dicere debui, ne putaretur idem fuisse homo cùm alter fuerit, quamvis & ipse hoc vocaretur. Hoc opus sic incipit: *Inter omnes divinas auctoritates.*

INDEX
IN SECUNDAM PARTEM TERTII TOMI OPERUM S. AUGUSTINI.

A

ABELIS sacrificium cur Deo acceptum, 860. g
ABRAHAM incarnationem Domini novit, 588. b. Vidit Verbum in sinu Patris, *ibid.* c. fuit propheta, *ibid.* f. Quare servum suum jurare fecit sub femore suo, *ibid.* e. Abrahæ filii nos, imitando ejus fidem, 367. c
Acceptio personarum, 520. b
ACYNDINUS præfectus & consul, 186. d
Actuum Apostolorum liber omni anno in Ecclesia recitatus, 337. g. Huic libro nolunt credere Manichæi, 194. c
Adam unus homo, & totum genus humanum, 373. c. In nomine Adam, quatuor orbis terrarum partes demonstrantur, 366. c 373. f. & quadragenarius-senarius numerus invenitur, 374. a. Adami lapsus caussa, 492. f. Adam superbiâ cecidit, 880. d. & avaritiâ, quippe cui Deus sufficere non potuit, *ibidem.* Adam vicit in Job, 851. g. Victus in paradiso, vicit in stercore, 852. a. Adam, homo qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, 255. c
Adoptans dici potest genuisse non carne, sed caritate, quem filium sibi adoptaverit, 29. c
Adoptandi consuetudo antiqua in populo Dei, 28. c
Adoptio filiorum Dei quæ, 199. d. Adoptio & glorificatio hominis non ex meritis ipsius, sed ex gratia Dei, 206. e. Dei misericordia & benevolentia homines adoptando, 302. c. Adoptio credentium jam facta spiritu, non corpore, 913. g
Adorare. Homo fit similis ei quem adorat, 367. b
Adventus Christi primus & secundus quid differant, 510. a. *Vide*, Christus.
Adversarii & nocentes tolerandi ut phrenetici, parvuli & infirmi, 190. f
Adversitates. Mala sæculi tolerant recti corde, 510. b. *Vide*, Afflictiones.
Adulterium est amare aliquem hominem pro Christo, 395 d. An mulier marito permittente alteri viro possit misceri, & vicissim, 186. c. historia de hac re, *ibid.* d
Ædificantium duo sunt genera, aut super arenam, aut super petram, 348. a
Ægyptii cur ranis & muscis domiti sunt, 881. a. Ægyptiorum submersio, abolitio peccatorum, 598. c. Dies Ægyptiaci, 963. d
Ægis scutum Jovis, 14. a. Unde sic nominatur, *ibid.*
Æmulatio & invidia quid differant, 973. f
Æsopi fabulas versibus prosecutus est Socrates, 7. b
Ætates sex mundi, 410. a 362. f. per sex hydrias significantur, 363. a
Æternitas quærenda, 512. d. Vera æternitas est, ubi temporis nihil est, 477. f. In cælo est æternitas & veritas: in terra duo ista, quod ortum est, & fides, 26. a
Affectiones nostræ motus animorum sunt, 606. c. Affectus humani, quasi pedes sunt, 657. a
Afflictiones. Quibusdam parcitur in hoc mundo, ut abundantiùs torqueantur in altero: quibusdam hic non parcitur, ut ibi parcatur, 467. c. *Vide*, Tribulationes.
Agri nomine castella, municipia & coloniæ vocari solent, 141. d
Alimentorum sumendorum regulæ, 253. c
Alogiare, est epulis indulgere, ita ut à ratione devietur, 328. d
Altare spiritaliter, fidem accipere debemus, 176 b
Altercandi studium damnatur, 235. f
Amen, vox Hebræa, 571. g. Quare non est interpretata, *ibid.* Quid significet, *ibid.*
Amore trahitur animus, 495. c. Qui amat non laborat, 614. d
Amor gemitus columbæ, 330. c. Amor Dei minuit amorem creaturæ, & è contra, 529. c. 569. e. Amor mundi si habitet, non est quà intret amor Dei, 839. g. Si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times, 889. d. *Vide*, Caritas, Dilectio.
Amare aliquem hominem pro Christo adulterium est, 395. d. Amari cupiebat Augustinus, non in se, sed in Christo, 330. c. Amare non sic debemus homines, quomodo gulosi turdos, 879. f
Amamus homines in quibus est aliqua scintilla caritatis, & è contra, 312. a. b. Animus plus amatur quàm corpus, etiam in alio homine, 526. c. Non opus est ùt qui amat excitetur ad opem amico ferendam, 621 b
Amat Deus suum, etiam in vitiosis, vel sanatione beneficium, vel damnatione judicium, 778. d. Novit Deus in unoquoque nostrûm & odisse quod fecimus, & amare quod fecit. *ibid.*
Angeli, Latinè nuntii, 484. f. Angelorum perfecta justitia, 851. c. Angeli opera sunt Christi, 688. b. Verbo vitæ, tamquam pane suo cibantur, 827. a
Angelis hominem præponere, quia pro eo Christus mortuus est, quid est aliud quàm de impietate velle gloriari, 778 g. Membra Christi ad Angelorum æqualitatem divinæ gratiæ largitate perducta sunt, 778. f. 779. b
Angeli tanto minùs quàm nos peccare debuerunt, quanto meliores nobis fuerunt, 779. b. Cur angelis reparandis Deus nihil gratiæ contulit? 779. a. quia nullo suadente, sponte lapsi sunt, 956. b. Tanto damnabilior judicata est angelorum culpa, quanto sublimior erat eorum natura, 779. b
Anima pro vita, 219. g. pro toto homine ponitur, 613. a. Animam ponere, mori est, 612. c. Animam odisse quid, 637. b. e. Animam perdit qui amat, quomodo, 637 a
Anima quomodo regitur à sensibus, quomodo ab intellectu, 414. a. Anima delectatur lenitis, vel contristatur offensis corporis sensibus, 474. d. Non movetur pedibus, sed affectibus, 614. f. Cùm cœperit esse capax rationis aut à sapiente mente regitur, aut ab errore, 414. d
Animus terrenorum cupiditate sordescit, 218. a. Animæ oculus mens, 540. b
Animæ humanæ excellentia, 354. a. Anima media inter Deum & corpus, 474. g. Animus melior est quàm omnia corpora, 454. e Animâ nihil potentius, nihil sublimius, 475. a. Anima est vita quædam, 441. e est vita corporis, 476 a. 610. c. Animæ vita Deus, 443. a. 476. a. 610. e. Animæ anima fides, 625. c. Anima sine caritate mortua est, 364 b. Anima immortalis, 610. d. sed mutabilis, 441. f. g. 454. f. quodammodo mortalis, quia mutabilis, 477. d. quia mutabilis est, non propriè est, 564. a. Anima fit bona, casta, pia &c. participatione bonitatis, castitatis, pietatis quæ in Deo est, 564 c. Anima humana non vegetatur non beatificatur, non illuminatur, nisi ab ipsa substantia Dei, 474. c. Animæ beatitudo ex Deo solo, *ibid.* d. *& seq* Animus in hac vita famem patitur, 210. e. cibo præceptorum reficiendus est, *ibid.* f.
Anima foras exiit à Deo propter superbiam, 491. c. 492. f. Anima vires tantò consumit citiùs, quantò cum deserit à quo datæ sunt, 259. c. Anima iniqua, terra dicitur, 171. c Ut mors carnis differatur, omnes sedulò laborant: ut mors animæ evitetur, vix aliqui curant, 619 d
Animæ resurrectio, 444. c. &c. 445 a. *& seq.* Resurrectio animarum fit per substantiam Patris & Filii æternam: resurrectio corporum per dispensationem humanitatis Christi temporalem, 480. b. 481. b
Animæ & corporis consortium, 474. d. Anima humana quodammodo condit putores, 354. b. Corporis decus animus, animi decus Deus, 526. c
Anima continuò post mortem requie fruitur si digna est: sed vita æterna cum Angelis in fine datur, 623. c. Animarum receptiones diversæ, 623. d
Anima cujusvis pecoris quàm admirabilis, 353 g
ANNAS & Caïphas Pontifices alternos annos agere solebant, 788. c. d
Antichristus priùs veniet, & tunc veniet dies judicii, 844. d
Antichristi multi in Ecclesia, 844. e. f. g scilicet qui ore profitentur Christum, & moribus dissentiunt à Christo, 847. d. e
Apathia. Animus hominis desperatiùs ægrotat, quando & doloris amiserit sensum, 665. c
Apollinaristæ Christum non animam rationalem, sed quasi belluinam adsumsisse sentiebant, 475. d. 611 a. b
Apostata sal infatuatum, 258. e
APOSTOLI, Latinè missi appellantur, 650. d. Apostoli cælorum nomine significati, 20. c. Apostoli boves, 371. b. Apostoli duodecim, duodecim horæ diei, 622. f. Apostoli non de mundo, 557. b. Antè Christi mortem nondum erant martyrio maturi, 673. f. In passione ipsum relinquentes fidem amiserunt, 757. f. Antè ejus resurrectionem humana magis quàm divina sapiebant, 756. a
Aquæ in Scripturis significationes diversæ, 423. e. 869. e. Aqua viva, quæ, 411. a
Aquilæ pulli quomodo probantur, 546. g
Arbitrium. Non sic liberum arbitrium defendendum est ut adjutorium Dei non putetur necessarium, 647. a
Arca Noë figura crucis, 365. e. & Ecclesiæ, 338. f
ARII hæresis, Filium Dei esse creaturam, 496. a. Arius non intravit per ostium in ovile, 596. b
ARIANI dicebant aliud esse Patrem aliud esse Filium, 611. c negabant Filium esse æqualem Patri, 552. f. 587. e. 663. c. 685. d. Et Spiritum-sanctum Filio, 663. e. f. Refelluntur, *ibid.* & 431. d. 451. a. 452. a. 669. c. Ariani minùs intelligentes quàm Judæi, 617. c. Patrem invisibilem dicebant, Filium vero visibilem, 648. e. Ariana hæresis Augustini tempore penè exstincta, similis cadaveri putrescenti, aut homini animam agenti, 568. a
Arrogantia non ita caveatur, ut veritas relinquatur, 588. a. Cùm omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii & eloquentiæ multò molestissima, 661. b
Artium professores unde sic appellantur, 661. a
ASAPH interpretatur synagoga, 261. f
Avaritia, catena pedum, 897. a
Avarus cum labore amat quod amat, sine labore amatur Deus, 895. g. Laborat, ut habeat unde impleat arcam, perdat securitatem, 896. a.
AUGUSTINUS Apostoli mentem de electione gratiæ primò non erat assecutus, 901. *Retr.* aliquando credidit fidem donum Dei non esse, *ibidem.* Augustini modestia, 465. a. Evangelium gestat in manibus inter concionandum, 504. f. Ejus opus contra Faustum, 5. d
Aurum adquisisti, perdidisti somnum, 896. a
Auxilium Dei, *Vide*, Gratia.
Azimorum diebus contaminatio Judæis erat in alienigenæ habitaculum intrare, 789. d

B

BAPTISMUS, sacramentum nativitatis, sacramentum magnum, divinum, sanctum, ineffabile, 839. e. significatur per mare rubrum, 598. b. Post baptismum homo mundus est totus, 656. g. 657. b. 658. a. Baptismus à nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum recipiat Salvatorem, 630. b. sine caritate nihil prodest, 336. a

INDEX IN SECUNDAM PARTEM TERTII TOMI.

Baptismus necessarius etiam perfectè viventibus, 591. f. Impugnantur qui locum constituunt, ubi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, 678. d
Baptismus non pendet à bonitate vel malitia ministri, 327. d. minister malus, canalis lapideus, 327. f. Baptismi sanctitas non impar, propter impares ministros, 333. d. In quæstione de baptismo, errarunt multi in Ecclesia, 328. a. Baptismus non potest repeti, 378. c. 384. a
Baptizabat Jesus & non baptizabat, quomodo, 408. c. d. Aliud est baptizare per potestatem, aliud baptizare per ministerium, 322. f. & seq. Baptizandi potestas in neminem transit à Domino, ministerium transit in omnes sive bonos sive malos, 325. a. 332. f. 342. c. Baptizati ab hominibus sua quærentibus & mundum diligentibus quasi ancillæ filii, 385. c. Qui per baptismum nascitur de Ecclesia catholica, tamquam de Sara nascitur: qui nascitur de hæresi, tamquam de ancilla, sed ex semine Abraham, 378. c
Barabbas culicis nomine intelligi tur, 246. a
Barnabas cum Paulo psallens in vinculis, 788. b
Beatitudo in sola visione Dei est certa & perpetua, 217. f Beatitudo an statim post hanc vitam compareturan in fine sæculi tantùm, magna quæstio est, 265. c. *Vide*, Vita æterna.
Beatitudines octo sunt veluti gradus ad perfectionem, 168 c. Comparantur cum septiformi operatione Spiritus-sancti, 169. a. & seq. Beatitudo nostra in hac vita intrinsecùs est, 170. d
Beneficium qui præstat, fœneratur, 195. d Beneficii tribuendi duo genera, *ibidem*. Beneficiendum est hominibus propter salutem ipsorum æternam, 217. c
Benevolentia qua homo vult consulere proximo, fons & fluvius, 526. f
Blasphemare. Rari inveniuntur jam qui Christum linguâ blasphemant, multi qui vitâ, 507 a
Bona hujus sæculi dantur & hominibus malis, ne magni pendantur à bonis, 519. c. Bona obsunt, & mala prosunt, sicut fuerint quibus dantur, 668. c. Bonum quod appetendum, regnum Dei est & justitia ejus, 220. g
Boni cùm adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum commixtione, 282. c
Bonum operandum est in laudem illius, à quo habes ut bonum agas Abs te habes malè agere, à Deo habes bene agere, 878. c
Boves intelliguntur, qui nobis Scripturas sanctas dispensaverunt, 371. b

C

Cæcus corde est omnis iniquus & omnis impius, 297. b
Cæli nomen animas sanctas spiritaliter significat, 188. g. Cælum & terra in Dominica precatione, quasi vir & fœmina convenienter intelligitur, 209. f. Regnum cælorum variis nominibus exprimitur, 169. f
Cæsar ad deos immortales sublatus à Romanis, 14. e
Caïn filius Diaboli, 861. a
Caïphas & Annas ambo pontifices alternos annos agere solebant, 788. c. d
Capharnaum caput civitatum Galilææ, 57. e
Caritas commendatur, 363. f. 875. b. c. Caritas est lux, 486. f. panis, 217. a. oleum, 319 b. est latitudo mandati, 897. c. nota discipulorum Christi, 675. d Caritas gratis constat, 876. e. donum est Spiritûs, 906. d. Ex caritate tamquam ex capite exoriuntur cetera bona, 714. c. Ubi dilectio est, ibi necessariò fides & spes, 708. d. Ubi caritas non est non potest esse justitia. 170. f. Ubi caritas est, quid est quod possit deesse? ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? 708 c. Cum caritate omnia habentur; sine illa nihil prodest, quidquid haberi potest, 529. b. Sine caritate nihil est homo, quidquid aliud habuerit, 343. a. Caritas si desit, frustra habentur cetera; si adsit rectè habentur omnia, 363 g. Quisque etiam ipse habet, cùm amat in altero quod ipse non habet, 678. d Ut cupiditas nihil sine angustia, ita nihil cum angustia caritas tenet, 262 c. Caritas vincit carnis concupiscentias, 901. *Retr.* Transfert de morte ad vitam, 861. d. Caritas sola exstinguit delicta, 830. d. Caritas ad intelligentiam veritatis ducit, 735. c. 736. b. Servi eramus cupiditatis, liberati servi efficimur caritatis, 574. b. Caritas, exactor dulcis, 885. f. In via caritatis qua ratione Christus ambulavit, 832. e
Caritate & Deum diligimus, & invicem diligimus, 714. c Binario numero in Scripturis, bipertita caritas commendatur, 425. c. Duo præcepta caritatis significata per biduum, quod Jesus mansit in Samaria & Galilæa, 418. a. 419. b. Caritatis duo præcepta semper cogitanda, semper meditanda, &c. 426. c. Pro caritate patienter debemus etiam mundi odia sustinere, 714. f. Vetus Testamentum ad timorem pertinet, Novum ad caritatem, 912. b
Caritatis fraternæ commendatio, 858. a. b. &c. Cur hanc ferè solam Johannes Apost. commendet, 879. b. Fraternam caritatem oppugnare, est peccatum in Spiritum-sanctum, 198. a. Caritatis fervor ex multis unum conflat, 895. f Caritas de multis cordibus hominum facit cor unum, 432. a. Caritas non tantùm præsentes, sed & toto orbe dispersos fratres complectitur, 868. c. Mater caritas quomodo unitatem scindi dolet, 838. c. Caritas intus non intermittatur, caritatis officia pro tempore exhibeantur, 879. a. b. Caritas cædit, blanditur iniquitas, 875. d. Caritas sævit more columbino, non corvino, 877. a. Caritas Pauli & Stephani commendatur, 858. c. f
Caritatis fons Spiritus-sanctus, principium unitatis in Deo, 563. a
Caro, pro uxore, 305. a
Caro humana, sponsa Christi, 354. g. Carnis mortalis assumtio cur peccatum dicitur, 911 b.
Caro Christi & sanguis, cibus & potus, 499. 500. & seq. Carnem & sanguinem Christi non satis est in sacramento tantùm edere, 506. f
Catechumeni inuncti, 590. b. His baptismus est necessarius, ut illuminentur, 590. c. Cur iis non prodantur sacramenta fidelium, 735 a
Catholici boni, 280. d. Catholici mali, 279. f
Centurionis humilitas, 421 a. ipse & Regulus inter se comparantur, *ibid.*
Christianus fratris nomine intellectus, 197. c. Christiani boni tota vita, sanctum desiderium est, 851. d. Christianorum vita in hoc mundo similis arboribus, quæ per hyemem videntur mortuæ, 311. c. Christianus crimen habere non debet, 575. b. Christiani mali injuriam Christo faciunt, 631. d. Christianorum ex modo nascendi quatuor genera, 379 d. Uncti nunc omnes Christiani, 268. c. Plus pertinet ad hominem quod Christianus est, quàm quod homo, quare, 325. f. Christiani fratres Christi & filii, 693 c
Christus à chrismate dictus, 331. a Christus sacramenti nomen, 846. a. Christus Angelus & Dominus Angelorum, 484. d. Baptismum Dei, 260. d. Christus camelli nomine intelligitur, 173. b. Christus doctrina Patris, 514. a. Finis noster, finis perficiens non interficiens, 653. g. Christus fons & lumen vitæ, 535. g. Granum mortificandum & multiplicandum, 637. a. Lapis angularis, 702 c. 919. a. Lapis offensionis omnibus malis, 846. c. Lapis præcisus de monte sine manibus, 133. g. 366. c. Lapis unctus, 352. a. Christus Leo, 603. c. 609 d. Lumen illuminans, 650. f. Lux inextinguibilis, 469 e Lux mundi, 534. c. Margarita, pro qua omnia vendenda sunt, 282 c. Magister in cælo non hominum tantùm, sed Angelorum, 386. d. Medicus noster, 305. b. 893. g Christus murus adversùs insidias inimici, 344. d. Christus ostium, 602. c. 608. d. 609. d. Ostiarius, 603. a. d. Ovis, 603. b. 609. d. Panis verus, 490. d 494. d. Panis & potus, 499. a. Qui esurit panem Christum, esurit justitiam, 49. b. Christus Paracletus, 692. d. Pastor, 602. c. 608. d. Pax nostra, 697. c. Petra, 603 c. 609. d. Principium, 500. b. Propheta & Dominus prophetarum, 484. d. Rex & sacerdos, 4. a. d 481. c. quo titulo rex Israël, 635. c. Christus sapientia Dei, ubique præsens, 540. f. Christus sacrificium & sacerdos, 573. a. Templum & altare, 145. g. Via veritas & vita, 468. c 681. d. Christus manens apud Patrem veritas & vita sinduen- se carnem factus est via, 537. g. Via qua imus, 713. f. Vita æterna, 497. c. 683. c. Christus ut homo est vitis, agricola secundùm divinitatem, 702. b. Christus quare se vitem dixit, discipulos verò palmites, 704. a. Christus vitis, ovis, leo, agnus, petra, lapis angularis dicitur per similitudinem, 702. c. Nomen quod Christo convenit secundùm proprietatem, Verbum in principio, 603. d. 609. f
Christus figuratus in Isaac, 365. f. in Noë & in arca, 865. c. per Lazarum significatus, 265. f. Gallinæ comparatur, 246. c. 409. c. Christus filius David, 615. a. b & sic meritò appellaretur, etiamsi Maria ex David nullam originem duceret, 28. c. Patria Christi, populus Judæorum, 420. b. 421. c Et nos ipsi, *ibid.* g
Christus Deus de Deo, lumen de lumine, 521. f. Christus est Deus anima rationalis & caro, 700. a. Christus Verbum & homo, 611 a. In Christo gemina substantia, divina & humana: utrumque non duo, sed unus est Christus, 699. g. Unus est Christus Deus & homo, 611. a. 612. g. 700. a
Christus Deus & homo una persona, 503. c. 682. d. Filius Dei & filius hominis una persona, 445. d. Christus filius hominis erat in cælo, etiam quando in terra loquebatur, 503. c. Christus numquam à Verbo separatus, 682. c. e. Anima Christi numquam separata à Verbo, 611. c. f. Christus dictus etiam sola caro, & anima sola, 612. g. 613. c. 699. c. 700. a
Christus prædestinatus, 763. d. Quisquis Dei Filium prædestinatum negat, hunc eumdem filium hominis negat, *ibid.* c. Quod in unitatem personæ Unigeniti assumtus est homo, gratiæ est, non naturæ, 692. c. Ad personam unigeniti Filii Dei per gratiam pertinet natura humana, 707. a. Christus sic homo factus est, ut non desiterit esse Deus, 507. e
Christus ut homo, Redemtor, Mediator, Caput Ecclesiæ, &c. 676. c. Christi mediatoris gratia commendatur, 706. b f. Mediatio Christi necessaria fuit, 26. b. Christus mediator Dei & hominum in quantum homo, 706. g Christi humanitas, via ad divinitatem, 579. f. Per Christum imus ad Christum & ad Patrem. 681. f. Christus per carnem sibi & nobis via fuit, qua rediremus, 682. c. Caro Christi nubes, qua lumen mundi temperetur, non obscuretur, 535. f. Verbum Incarnatum, collyrium, 537. c. 541. c In carne cur Deus non agnitus, 852. c. Propter Verbum, Patri cara est Verbi caro, 778. a. Christi caro ex genere regum & sacerdotum propagata, 28. d
Christi prophetati veritas de Judæorum codicibus probatur, 10. c. Testimonia Prophetarum de Christo, 539. c. 541. f. 542. a. & seq.
Christi duæ nativitates, 387. b. 330. g. Christus non quæreret quem fecerat, nisi fieret ipse quod fecerat, 507. c. Quo die, quo consule Christus natus est, constabat tempore Augustini, 479. g. Christi missio, ejus exinanitio, 501. d. Christus vadit latendo, venit apparendo, manet regendo, 680. f. Christus in hunc mundum ad nuptias venit, 354. c. Christus cur non antè veneriit, 521. a. Christi adventus quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitiabilis factus est, 718. b. Venit contemnendus & honorandus, confitendus & negandus, &c. 541. d. Christi adventus primus & secundus, 243. g. 313 a 510. a. 555. a. Venit primò salvare, postea judicare, 545. c. 546. c. Venit ut post vitam fidei, conferret vitam æternam, 601. g. Venit ut resurgant animæ ab iniquitate, corpora à corruptione, 475. e Christus latuit ut infirmitati præberet exemplum, 507. f. 508. a. Exemplum Angelis & hominibus factus est, 25. c. Christi exemplum non sufficeret nisi Spiritus-sanctus mitteretur, 725. c. Christus adtulit veritatem ut Doctor, mansuetudinem ut liberator, justitiam ut cognitor, 531. c. & seq. 532 a
Christus exemplum magnum humilitatis nobis præbuit, 326. b. Humilitas Christi, 298. f. 560. c. 655. c. Christi humilitas explicari non potest, nedum ejus divinitas, 309. f. Signum ejus est humilitas ejus: noluit stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam, 304. e. Christus humilitate altitudinem præcedere voluit, 509. c. Ita humiliavit semetipsum, ut minor videri non potuerit, 760. b. In Christum humilem qui non offendit, non formidabit excelsum, 846. c. Humilia quæ de Christo narrantur, ad carnem ejus pertinent; sublimia ab Divinitatem, 544. b. Christi pedes discipulorum lavantis, humilitas quanta, 655. b. Quotidie lavat pedes nobis, 657. a. 658. b. 662. a. Christus majora opera dignatus est facere per discipulos quàm per se, 687. b
Christi oratio, discipulorum est ædificatio, 759. b. Ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem, 759. a. Oravit pro omnibus quos redemit, sive tunc viventes, sive postea futuros, 772. c. 774. c
Christus Deum se esse probat, 677. f. Hoc agit dictis & factis ut Deus & homo credatur, 507. c. Christi facta, etiam sunt signa, 619. d. & genera sunt locutionum, 486. c. Cùm se abscondit, infirmitati nostræ consuluit, non suæ potestati derogavit, 643. g
Christus quare voluit baptizari, 317. f. & seq. 321. c, & seq. 324. a. Quare neminem baptizavit, 322. f. Ipse baptizat omnes, quos ministri ejus baptizant, 322. f. & seq.
Christus turbatus est, quia voluit, 626. c. In illius potestate erat sic vel sic afflici, vel non affici, *ibid.* Propinquante horâ passionis, potestate turbatus est, 664. f. 666. a. In eo turbatur nostra infirmitas, *ibid.* g. Pro nobis turbatus est, *ibid.* & 665. a. g. 666. a. Quantum bonum de participatione divinitatis Christi sperare debemus, cujus nos & perturbatio tranquillat, & infirmitas firmat? 665. g. Ejus perturbatio, cùm Judas exiturus erat, quid significet, 666. c. Christi fortitudo te creavit, infirmitas Christi te recreavit, 409. b. In te transtulit membra sua & eorum affectum suscepit, 639. c. & seq. 666. b
Christus patienter utebatur proditore, 654. g. 655. a. Christus se ipsum tradidit, 669. d. Christus se tradidit Judæis, ut faceret de nescientibus voluntatem suam, 784. g. Auctor calicis passionis suæ, ipse est qui bibit, 785. d. Traditus fuit à Patre, à seipso, à Juda, quo discrimine, 874. g. & seq.
Christus percutientem se punire noluit ut nos patientiam doceret, 787. g. 788. a. Cur Christus percutienti maxillam alteram non præbuit, 787. g. 788 a
Christus non debuit mori, nisi quando opportunum fuit, 319. d. Hora Christi, tempus Christi quomodo debet accipi, 554. c. Passus est quod & quando voluit pati, 375. c. 617. b 640. b. mortuus est quando voluit, 522. a. c, 553. f. 554. c. 555. c, 612. c. & quia voluit, 554. c. 609. g. In Christi morte quis ponit animam, & quam animam, 610. f. Verbum in Christi morte animam non posuit, 611. c. Nec anima seipsa posuit, *ibid.* g. Caro ipsa quomodo posuit animam, 612. a. Quomodo ipse Christus posuit, *ibid.* g
Christus noluit descendere de cruce quia patientiam docebat, 554. g. & seq. 305. d. De cruce descendere differebat, ut de sepulcro resurgeret, 386. d. In cruce distulit potentiam, publicavit misericordiam, 546. b. *Vide*, Crux. Christi sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est, 724. a
Christus mortuus est, cùm caro mortua est, 682. d. Christi mors, mortem occidit, 388. f. in Christo æternitas, & simul mortis humilitas, 643. c. Christi passio, exaltatio ejus, 643. b. & purgatio nostra est, 655. e
Christi resurrectio, clarificatio Patris & Filii, 760. b. Christi resurrectio nos circumcidit, 518. f. Christus post resurrectionem, esuriendi ac sitiendi egestatem non habebat, 672. e
Christus quomodo vadit parare mansiones, quæ jam erant in domo Patris, 679. d & seq.
Christus unus adscendit in cælum quomodo, 387 d. Caput in cælum adscensurum, commendavit membra in terra, & discessit, 899. c. Christi in cælum adscendentis novissima verba quanti fieri debeant, 900. b. Vestigia pedum Christi in monte Oliveti, 609. a
Christus ut homo accepit potestatem judicium faciendi, 470. d. Christus ut homo, homines judicabit, 445. f. 446. a. In Christo judicante forma servi videbitur, occulta erit forma Dei, 446. a. Christus modò tacet judicio, sed non tacet præcepto, 313. c
Christus per fidem tenetur, 630. f. Habes Christum in præsenti per fidem, in præsenti per signum, in præsenti per baptismatis sacramentum, in præsenti per altaris cibum & potum, 633. f. Credere in Christum est manducare panem vivum, 494. d 489. e. Manducare corpus Domini & bibere ejus sanguinem, hoc est manere in illo, 501. a. 502. b. 504 a. Non eranstit quisque in corpus Christi, nisi carnalibus exspoliatus fuerit indumentis, 241. c
Christus in membris suis, 507. f. Christus loquitur de cælo, quando ejus membra calcantur in terra, 899. c. Christus & membra ejus unus est Christus, 387. d. & seq. Non solùm Christiani, sed Christus facti sumus, 459. f. & seq. Christus totus, in corpore & in capite, 507. g. Adjuncta ejus carni Ecclesia, fit Christus totus caput & corpus, 827. f. Christus nihil nisi Deum in nobis dilexit, 675. b
Christus solus sine peccato, 573. c. 574. c. 710. a. Nemo hîc sic natus est, ut Christo medico non egeat, 349. c
Christi ad Adamum comparatio, 308. f. 365. c
Christum nihil aliud quàm hominem fuisse, quamvis excellentissimæ sapientiæ, Pagani dicebant, 6. g. 7 a. 25. a. 27. a. Fingebant editos esse ab eo libros de magicis, 8. a. eosque inscriptos Petro & Paulo, 8. b. & seq. Pagani à diis suis prohibiti sunt Christum blasphemare, 18. d. Hæreticorum error de Christo triplex generibus terminatur, 248. d. 547. c. Marcionitæ dicunt Deum annuntiatum in veteri Testamento non esse Patrem Christi, 587. f. Christum esse solem istum visibilem Manichæi putarunt, 534. d. Christum non adsumsisse animam rationalem dogmatizarunt Apollinaristæ, 611. a. c. Quidam existimaverunt, quòd natura humana suscepta à verbo, per clarificationem converteretur in Deum; seu potiùs, quòd homo periret in Deo, 762. g. Christum alii Deum tantummodo fuisse dixerunt, alii hominem tantùm: fides utrumque confitetur, 544. c
Cicero eloquentiam suam laudando, arrogantiam non timet, 661. b
Ciceronis dictum de Roscio histrione, 24. d
Cilicium ad peccati significationem pertinet, 32. f
Circumcisio carnalis spiritalem significat, 518. d. Circumcisionis ritus post Christum superfluus, non perniciosus, nisi ei qui in hoc poneret spem salutis, 948. f. 967. c. & seq.
Civitas Romana, pro regno Romano, 57. d
Clytemnestra, 128. c
Cogitatio quasi obtutus animæ, 478. c. De cogitationibus alienis judicari non debet, 720. d
Cognitio & confideratio sui, 532. c. Deus scit in nobis etiam id quod ipsi nescimus, 527. c. A cognitione sui ad cognitionem Dei transeundum, 435. d
Cognitio aliquando sumitur pro fide, aliquando pro visione, 777. a. b. Tantò magis vivere tendimus, quantò magis in Dei cognitione proficimus, 761. c. Cognitio Dei per negationes, 477. b
Cognoscere aliquem propriè dicimur, quando ejus mores & vita non latet, 720. a
Collyria ad visum mentis sanandum, quæ, 436. d
Columbæ natura & indoles, 278. a. 332. b
Communio alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, 209. g. & seq. 500. d. In paribus Orientalibus plurimi non quotidie cœnæ Dominicæ communicant, 210. b. Dispositio ad communionem, 498. c. d. 709. b
Concors qui corda, consors qui sortem jungit, 698. d. In patria, summa erit lætitia, perfecta concordia, 349. c
Concupiscentia omnis mala rectè fornicatio vocatur, 180. c. d
Concupiscentia carnalis fluvio comparatur, 236. c. Concupiscentia ex prohibitione ardentior facta est, 905. c. 907. c. 908. g. A concupiscentiæ dominatu non liberat, nisi gratia, 901. *Retr.* Concupiscentia carnis ad quatuor hominum gradus consideratur, 904. g Concupiscentiæ motibus in hac vita sancti non carent, 901. *Retr.* Concupiscentias carnis vincit caritas, *ibid.* Concupiscentias sequendo, vires eis adduntur, 576. c
Confessio ponitur interdum in laude Dei, 278. b. Confessio malorum operum est initium bonorum operum, 389. f. 851. d. Confessio Ante omnia, deinde dilectio, 830. c. Peccator qui confitetur, procedit de tenebris ad lucem, 468. d. Confessio hominis, humilitas hominis: miseratio Dei, altitudo Dei, 402. a. Confiteatur homo quod est, ut ab illo curetur qui semper est quod est, 830. a
Conjugati fructum tricesimum referunt, 242. d. Conjuges an sibi debent occultare bona opera sua, 203. c. An conjugum alter eleemosynam facere possit altero nesciente, *ibid.* d
Conjugium permanet, etiam servatâ pari consensu continentiâ, 27. d. Conjugium in quo continentia servatur, longè excellentissimum, 183. c. Conjugia beatiora sunt, quæ continentiam inter se pari consensu servare potuerint, 182. a. Maritus vel molestissimos defectus, qui fornicationis crimen non habent, in conjuge toleret, 189. b
Connubia non sunt nisi ubimors est, 274. b
Conscientia venter interioris hominis, 526. f. conscientia mala non fugit se ipsam, 572. b
Consensio. Non in ipso desiderio pravo, sed in nostra consensione peccamus, 905. d
Consuetudo mala genus mortis immanc, 620. d. Mala consuetudo lapis sepulcri, in quo jacet peccator, 468 c. Consuetudinis peccata difficilè solvuntur, 628. b. Consuetudines vitiosæ quomodo vincuntur, 189. d
Consors dicitur qui sortem, concors qui corda jungit, 698. d
Consummatio cum fide non stat, 777. c
Consummationis & consumtionis discrimen, 896. c
Conversio de gratia Dei est, 648. a. Avertendo nos ad peccatum, illuminationem amittimus convertendo nos ad Deum, percipimus illuminationem, 457. f. Augustinæ hominis ad Deum conversi, & lætitiâ spiritali non recreati, 256. f
Conversio gentium figuratur, 249. d
Cor mundum est cor simplex, 167. c. Cor simplex & mundum, 231. f. Non habet simplex; id est mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes & illum solum intuetur, qui conscientiæ solus inspector est, 201. c. Virginitatem cordis violat seductio linguæ, 397. b. Cor tamquam oculus, quo videtur Deus, 200. g. Oculus cordis ad videndum Deum requiritur, 406. f. 422. c. 433. c. In corde est imago Dei, 435. c. Cordis tempestas quomodo sedatur, 626. g. 627. a. Voluptas cordis, 495. d. e
Corpus, pro toto homine ponitur, 613. a. Corpus non vegetatur nisi per animam, 474. g. Corporum salus erit in resurrectione mortuorum, 422. g. Corpus peccati evacuare, quid est, 908. a
Corporis Christi sacramentum, 499. c. & seq. Corpus Christi manducare, & sanguinem ejus bibere, quid sit, 501. a. 504. a. & seq. Corporis Christi sumtio quotidiana, & alicubi non quotidiana, 209. g. 210. b. 500. d
Corpori Christi per fidem copulamur, per intellectum vivificamur, 504. c
Corporis & sanguinis Dominici oblatio, 260. g
Correctio non negligenda, cùm fieri potest vel consilio, vel auctoritate, vel potestate, 941. f Reprehendendi officium quo animo suscipiendum, & implendum, 193. d. e. f. 194. f. 226. d. & seq. 974. f. Facilius est videre, quid in alio corrigas atque corrigere, quàm videre quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi, 949. d
Correctionem morum suorum differre periculosum, 533. b. c
Crastinus. Præceptum non cogitandi de crastino, ut intelligendum, 669. f
Creatoris opera quàm admirabilia, 353. c
Creaturæ omnes in Dei Verbo, 553. g. & seq. Creaturæ quæcumque in Deo vita sunt, 296. a. quomodo, *ibid.* Creatura antequam fieret, vita erat in Sapientia Dei, 305. c. Creaturæ omnes testimonium perhibuere Christo, 306. d. Creata quomodo amanda, 841. b. & seq.
Credere, est ad Deum accedere, 614. f. Credere in Deum quid, 515. d. Credere in Christum quid, 647. c. Non credimus in Apostolum, vel in hominem, quare, 650. d. Creditur quod non capitur, 547. f. Creditur ut intelligatur, *ibid.* Difficilia non credunturnisi capiuntur nisi donante Deo, 681. a. Credere datur nobis à Patre, 504. f. Ut credamus, misericordiâ Dei vocamur; & credentibus præstatur, ut bene operemur, 901. *Retr.* Credere & velle quomodo nostrum est, 901. *Retr.* Qui nimium viribus suis tribunt, non possunt credere in Christum, 647. c. & seq.
Crimen est peccatum grave, 574. f. 575. a
Crux genus mortis pessimum, 545. f. Crux modò in pœnis reorum non est apud Romanos, 546. a
Crux non ad parentiæ documentum, sed ad patientiæ exemplum à Christo susceptæ est, 305. d. Portans crucem fuam Jesus, grande spectaculum, 797. c. Crux Christi tribunal fuit, 525. c. Crucis lignum appellatur vita, 296. a. Duo ligna crucis per geminam percussionem pœnæ significata, 499. a. Crux Christi allegoricè, 801. b. In cruce Domini crucifixio veteris hominis designatur, 907. g. Crucifixi fumus & resurreximus in Christo, 903. a. A cruce non recedendum, & ipsa ad patriam perducet, 298. d. Melius est non videre mente id quod est, & à Christi cruce non recedere, quàm videre illud mente & Christi crucem contemnere, 298. c
Crux tamquam tropæum in frontibus fidelium, 304. c. 546. a. 585. f. 649 a 797. f. Crux in fronte catechumenorum, 376. d. Crux Christi, signum Christi: quod signum nisi adhibeatur, nihil rite perficitur in celebratione Sacramentorum, 801. c. Crux Christi, navis qua transeamus mare hujus sæculi, 298. d. 299. c
Cultus multorum deorum & falsorum, fornicatio, 579. b. Hæc est religio Christiana, ut unus colatur Deus, quia non facit animam beatam nisi unus Deus, 474. f. Homo fit similis eî quem adorat, 367. b
Cumænum carmen, 926. a
Cupiditas, animi progressio; timor animi fuga, &c. 606. c
Cupiditas in malis flagitiosisque dicitur, 231. a. Cupiditas culpabilis est non ex objecto suo, sed ex inordinatione sua, 689. b. Cupiditas carnis expulsa per pœnitentiam, aliquando avi-

INDEX IN SECUNDAM PARTEM TERTII TOMI.

diùs redit, 242. c
Curiositas dicitur desiderium oculorum, 842. b. Curiositas inanis rerum difficilium vel inutilium plerumque separat à Deo, nisi vincat caritas quæ ad spiritualia invitat, 915. c

D

DÆMONAS ἀγαθοὺς invitandos, & κακοὺς placandos monent Romani, 11. c
DANIELEM supra se Leones agnoverunt, 881. a
Dare. Id profectò dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest, 195. c
DAVID figuravit sacerdotis personam, quando panes propositionis manducavit, 4. c. homo in veteri Testamento, sed non homo de veteri Testamento, 969. b
Debitum dimittendum volenti litigare ne reddat, 211. c
Defunctis quibusdam nullum misericordiæ auxilium præberi potest, 265. a. Operatio misericordiæ in defunctos, 264. f. Oratio pro defunctis, 709. c
Denarius numerus beatitudinis perfectionem significat, 251. g. & legem, 345. g. 346 a
Desiderium, sinus cordis est, 569. d. Sanctum desiderium est tota boni Christiani vita, 853. d. Desiderium Deus extendit differendo, desiderando extendit animum, extendendo facit capacem, 833. c. Desiderii prohibiti fructus dulcior, 909. b. Desideriis pravis quando non captivamur, 910. c. e. Non in desiderio pravo, sed in consensione peccamus, 905. d
DEUS solus propriè est, 559. c. Dei excellentia, 292. f. Dei natura qualis, 735. d. Deus quid, 439. d. Deus Spiritus est secundùm Platonicos, secundùm Stoicos est corpus. 14 a. Dei vita, ipse Deus, 441. f. Vita Dei est immutabilis, 441. f. Deo hoc est esse quod posse, 450. e. Deus quomodo cogitandus, 876. g. Omnia possunt dici de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo, 393. d. Deus cognoscitur cognoscendo quid non sit Deus, 477. b. Opinio Gentium de Deo nostro, 13. d. Deus perturbationibus non subjacet, 904. c. In Deo solum præsens invenitur, 559. f
Deus ubique totus, 524. b. 536. c. Deus quomodo erat in mundo, 301. d. 306. d. Deus ubique præsens est, non locorum spatiis, sed majestatis potentiâ, 207. d. Deus quibusdam non est præsens, 300 f. Possunt miseri esse ubi Deus est; sed beati soli sunt cum illo, 781. b. Secretum Dei in quod intrat servus Dei, quale, 490. g. 492. b. Deus in sanctis & justis, 207. b.
Dei nomen gentibus, antequam in Christum crederent, non potuit omnino esse ignotum, 765. f. Hæc est vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi, *ibid.* Dei quædam est manifestatio interior, quam impii non noverunt, 695. d. Nomen Dei quomodo sanctificatur, 208. a. Crescit Deus, quomodo 402. c
Deum Israël esse Deum verum convincitur, 12. b. 17. b. Contra Deum Hebræorum nihil à Paganorum vatibus prædictum, 12. g. Deum Israël qui rejiciunt, non omnes deos colunt, nec eum colunt qui alios colunt, 16. d Deus Israël nec Jovis, nec Saturnus est, 18. f. Deus Hebræorum solus colendus, quare, 13 b. Deum unumquemque sic coli oportere, quomodo se ipse colendum præceperit, dixit Socrates, 12. a
Deus quare voluit appellari Deus Abraham, Isaac & Jacob, 379. a. 384. b. Deus non vocatus est à Judæis Pater, sed Dominus, 206. b. Aliud est cùm tibi commendatur Deus quia Deus est, aliud quia Pater est, 439. c. Deus Pater Christi & hominum, quomodo. 457. b. Quòd Deus à nobis exigit, ut Pater noster sit, misericordiæ est, 207. a. Ut Deus Pater noster sit, nullo sumtu, sed sola bona voluntate comparari potest, 207. a
Deus alio modo verax quàm homo, 564. d. Deus requiescit & usque modò operatur, 428. d. Quomodo fecit Deus quæ futura sunt, 679. c
Deus hominem fecit, hominis vitia non fecit, 848. a. Dominum quidquid non laudat, non fecit Dominus, *ibid.* b
Deus loquitur vel in ipsa cogitatione, vel per creaturam corporalem, 213. e. Deus illis intus loquitur, qui ei locum præbent, 850. d
Deus bene utitur malis operibus iniquorum, 505. f. 506. a. Et bonus homo, *ibid.*
Deus videre dicitur, quando miseretur, 627. d. Dei misericordia & severitas, 219. d. Deus præparat voluntatem, 901. *Retr.*
Deus terra quam mites hereditabunt, 167. a. Deus quomodo hereditas hominum, 302. e. Deus est homini, panis, aqua, lumen &c. 393. d. Deus lux nostra matutina, 426. f. Lux superior qua mens illuminatur, Deus, 413. b
Deus in hac vita semper quærendus, 670. c. Deus quærendus est inveniendus, quærendus est & inventus, *ibid.* b. Post mortem non efficiemur capaciores Dei inveniendi, *ibid.* d. Deum non tangit homo, nisi animum transierit, 453. g. Non motu corporis sed voluntate cordis acceditur ad Deum, 495. a. Deus quomodo sapiendus, 454. a. Deus fit homini totum horum quæ diligit homo, 393. c
Deus, si non ab illo homo faciat casum, numquam ab homine ipse facit occasum, 536. d
Deus petitur à se ipso, qui promittit seipsum, 536. g. Deus non ad præmium diligendus est, 312. d
Deus testis & judex, 549. f. Deus testes habere voluit homines, ut & homines habeant testem Deum, 827. c
Dii falsi alios coli secum non prohibent, 16. f. Deos Paganorum homines fuisse Cicero confitetur, 14. d. & Leon sacerdos Ægyptius declarat, 15. a. De Saturno & Jove quid nugati sint Pagani, 13. f
Dextera significat id quod carius est, 191. b. 193. a
Diabolus inde unde & ceteri Angeli, 580. c. Diabolus princeps mundi, quo sensu, 641. d. 701. c. per peccatum princeps est hujus mundi, 732. d. Diabolus divinæ providentiæ procurator & actor, 961. g. homicida ab initio, 580. e. *& seq.* pater mendacii, 581. d. lupus, 605. e. leo & draco, 368. b. hostis exercitatus, 851. f. Diabolus annon ante Christi adventum ejectus est de cordibus justorum, 641. f. Etsi ejectus foras non regnet, tamen tentare non cessat, 642. b. Non cessat persequi, sive apertè, sive insidiis, 368. a. Diabolus nihil facit nisi missus aut permissus, 344. d. Diabolus cogendi potentiam non habebat, sed persuadendi versutiam, 388. a. Diabolus intrat in cor immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum, 101. d. Diabolum habere patrem Manichæi putaverunt, 581. c. Imitatores Diaboli, filii Diaboli, 855. d. e. 866. f. Diabolo qui locum non præbent, deo locum præbent, 850. e. Diabolus, qui nobiscum pugnat, cur non expugnet, 839. d
DIANAM virtutem interpretantur Pagani, 17. a
Dies in Genesi incipit à lumine & finit ad tenebras, nunc è contra, quare, 242. b
Dilectio qua Deus diligit est incomprehensibilis, immutabilis, æterna, 778. a. Non est alia caussa Patri diligendi membra Filii, nisi quia diligit Filium, 777. g. Miro & divino modo quando oderat nos Deus, diligebat, 778. c. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit, 755. d. Displicentes amati sumus, ut esset in nobis unde placeremus, 755 d. Universa in suis generibus ordinata ordinatissimè diligit Deus, 778. e
Dilectio quomodo Deus est, 874 a. Dilectio est mors nostra sæculo & vita cum Deo, 674. g. Dilectio fidei opus, 893. e
Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios Diaboli, 860. c. Dilectio fructus noster, 713. f. 714. b. nunc est in desiderio, nondum in saturitate, 713. f. Dilectio mandatum Christi, per quam peccata solvuntur, 857. e. Præceptum dilectionis quare mandatum novum & mandatum Christi dicitur, 708. a. b. 674. b. *& seq.* Talis est quisque, qualis ejus dilectio est, 843. c. Dilige, & quod vis fac, 875. e. Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio, 694. d. Qui se propter habendum Deum diligunt ipsi se diligunt, 708. f
Dilectio Dei prior est ordine præcipiendi, dilectio proximi prior ordine faciendi, 426. d. Præceptum de diligendo proximo importat præceptum de diligendo Deo, & vicissim, 675. a. 708. d. Dilectionem proximi donat nobis Deus, 675. c. Diligendo proximum, iter agitur ad Deum, 427. b. Dilectio qua invicem diligimus, imitari debet dilectionem, qua Christus dilexit nos, 674. c. *& seq.* Dilectionis plenitudo, ponere animam pro fratribus, 708. g. *& seq.* Dilectione proximi purgatur oculus ad videndum Deum, 426. d
Dilectio inimici perfectio misericordiæ, 196. a. Dilectio perfecta, dilectio inimici, 885. c. Præcepto de diligendis inimicis, nihil in Scripturis contrarium, 196. c. *Vide.* Amor, caritas.
Discipulum Christi esse, est turrim ædificare, & contra regem fortiorem dimicare, 258. d. Renuntiandum est omnibus, ut discipulus Christi quis efficiatur, 258. d. Discipuli Domini, magis fratres ejus erant, 369. a. Quomodo discipuli opera majora quàm Christus fecerunt, 686. d. *& seq.*
Divitiæ nonnisi iniquis est pecunia, 263. d. Divitiæ, emplastra, 257. f. Divitiæ alienæ vocari debent, 263. e. Divitiæ non amandæ, sed iis tantùm utendum, 569. e. Divitiarum sarcina impedit ne homo Christum sequatur, 537. b. Dives, hydropi comparatur & mulieri incurvatæ, de quibus in Evangelio, 258. a. Divites & nobiles adversùs pauperes & ignobiles superbire non debent, quare, 207. a
Doctores, dicti montes, &c. 289. d. Homo doctor, exterior cultor arboris, 496. f. Aures verborum sonus percutit, Magister intus est, 849. e. Christum intus magistrum habemus, 449. e. Cathedram in cælo habet, qui corda docet, 849. f. Doctores mali, spinæ botrum ferentes, 604 f. Qui non facit quæ docet alios, si aliquando utilis est, non ipse facit, sed Deus, 233. b. Homo post judicium non per hominem docebitur, sed omnes erunt docibiles Deo, 208. d
Doctrinæ sæculares, siliquæ quibus porci pascuntur, 259. d
Dogmata sunt placita sectarum, 242. f
Dolus est cùm aliud agitur, & aliud fingitur, 349. f. Dolum pro dolore multi imperitiores Latinitatis ponebant, 349. f
Donorum divisio est, & concordia unum corpus facit, 406. a
DONATUS Bagaiensis pseudomartyr Donatistarum, 383. b
DONATI falsum miraculum, 398. g
DONATISTÆ significantur per corvum, qui non reversus est ad arcam, 338. f. g. Donatistæ quo modo exierunt ab Ecclesia, 846. c. Negabant Ecclesiam diffusam esse per universam terram, 314. c. Donatistæ nolentes communicare omnibus gentibus, urgentur, 366 b. Donatistæ dicunt Christum ad duas linguas remansisse, 838. b. Dicebant baptismum non tollere peccatum nisi daretur à ministro sancto, 317. a. c. 326. c. 327. d. arguuntur quod rebaptizent, 316. a. Objectiones Donatistarum cur rebaptizent, solvuntur, 335. 336. &c. Donatistæ dicebant se potestate baptizare, non ministerio, 325. b. Item urgentur, 396. 397. 398
Donatistæ ut ad unitatem redeant monentur, 338 339. 340. Donatistæ Judæis ipsis pejores, 837. d. e. Donatistarum persecutio in Ecclesiam gravior quàm Imperatorum, 325. d. 326. b. 381. g. Donatistæ immeritò queruntur se persecutionem pati, 382. c. Donatistæ cur à Catholicis quæruntur, 339. f. 351. c. Donatistarum multi multa pauperibus tribuebant, & parati erant ad suscipiendam mortem, 864. a. Donatistarum bona opera, falsa & vana, 340. a. Donatistarum pseudomartyres, 340. c. 383. b
Dubitationis verbum aliquando increpativè dicitur, 551. c
Duodenarius numerus consecratus, 506. d

E

ECCLESIA, ex vocatione appellata, 925. d. Est tabernaculum Dei, 20. f. Arca Noë, 338. f. Ecclesia catholica ovile Christi, 596. c. Christus ostium Ecclesiæ, *ibid.* & 601. c. Ecclesia Virgo appellata est, 396. a. Ecclesiæ omnes gradus, una virgo est, 397. a. Ecclesia appellatur tamquam sterilis, quæ non pariebat, 21. c. Ecclesiæ cum vite comparatio, 837. b. c. Ecclesia quare appellatur fulgur, 246. e. Mulier patiens fluxum sanguinis, typus Ecclesiæ venturæ de Gentibus, 524. c. Ecclesia respectivè ad tempus præsens & futurum figuratur per Martham & Mariam, 256. c
Ecclesia formata est de Christo, sicut Eva de Adamo, 365. b. Ecclesia de latere Christi, 409. f. Ecclesia carni Christi adjungitur, & fit Christus totus, Caput & Corpus, 827. f. Ecclesia Christi soror de sanguine ejus, proxima de accessu, columba de spiritu, perfecta de sermone, 659. d. Ecclesia Mater est, & ubera ejus duo Testamenta, 843. f. Ecclesia sibi est & mater & filii, 243. e. In Ecclesiam intratur per humilitatem, 596. d. e. In Ecclesiam quem ob finem intrandum. 857. f. Ecclesiæ nuptiæ celebrantur,

celebrantur, 857. f. 836. f Quonam modo Ecclesia timeat inquinare pedes, dum pergit ad Christum, 657. f. *& seq* Unitas Ecclesiæ commendatur, 336. e. *& seq.* 387. f. Linguis omnium gentium loquimur in Ecclesiæ unitate, 528. c. In Ecclesia tria hominum genera, 270. c. In Ecclesia boni & mali, 335. e. Ad Ecclesiam non pertinent mali, 335 d 337. e. Ecclesia turbatur separatione schismaticorum & hæreticorum, 666. c. d. Christus ad Ecclesiam remisit examen eorum quæ ad doctrinam pertinent, 268. f. *& seq.* Ad reges sæculi Christianos pertinet, ut pacatam velint Ecclesiam, 382. d. Etiam sæviendo adversùs inimicos Ecclesiæ *ibid.* e. Ecclesiam loculos habituram significavit Dominus, cùm ipse loculos habuit, 633 b. 669. f. Qui sua quærunt in Ecclesia, non quæ Jesu Christi, oves, boves & columbas vendunt, 370. d. Ecclesia post ultimam persecutionem etiam quibusdam tribulationibus purganda est, 243. c. Ecclesiastica bona jure humano possidentur, 340. g
Electio gratiæ ineffabilis, 713. a. Non supponit meritum, *ibid.* c. 715. c. Electionis caussa, dilectio, 695. b. Electio gratiæ qualis esset, primò non invenerat Augustinus, 901. *Retr.* Electorum tantùm est vocatio secundùm propositum Dei, 901. *Retr.* Electi in laude dicuntur, 505. e
Eleemosyna commendatur, 862. b. c. d. &c. Eleemosyna exordium caritatis, 863. c. Eleemosynam erogans ex caritate duos pascit, eum nempe qui panem esurit, & eum qui justitiam, 882. e. Eleemosyna quomodo facienda, 202. g. 203. 204.
ELIAS cur ad viduam mittitur, 859. c. Hoc erit Elias ad secundum adventum, quod Johannes ad primum, 314. f
Emendatio non differenda, 533. b
Encænia festivitas dedicationis templi, 614. d
Error, adulter animæ, 414. d
Eruditos & peritos Legis non ponebat Christus inter discipulos suos, 349. b
Esse verè, est semper eodem modo esse, 558. c. Res quælibet, si mutabilis est, non verè est, 559. d. 564. a
Evacuare corpus peccati, quid? 908. a
Evangeliorum auctoritas, 1. a. Exemplaribus Græcis Evangeliorum major fides habenda, 191. a. Evangelium, vinum quod servatum est in nuptiis, 361. b. Evangelium sic audire oportet quasi præsentem Dominum, 516. g. Evangelium ponitur ad caput cùm dolet, 346. f. Ponendum est ad cor ut sanetur à peccatis, *ibid.* g
Evangelistæ quatuor, quia sunt quatuor partes orbis terræ, 3. c. Evangelistæ quatuor in quatuor animalibus Apocalypseos intelliguntur, 546. d. e. Quatuor animalia ex Apocalypsi de quatuor Evangelistis alii aliis aptiùs intellexerunt, 5. e. Evangelistæ quo ordine scripserunt, 3. c. Quod Evangelistæ scripserunt, à Christo scriptum censeri debet, 26. d. Eorum consensus de partitione vestimentorum Christi, 799. d. Evangelizare qui cupiunt, relinquant hydriam suam, 416. f
Eucharistia, 598. d. Mensa corporis & sanguinis Domini, 607. e. Discrimen inter Eucharistiam & cibum temporalem, 500. b. Eucharistia non conceditur, nisi iis qui baptismum susceperunt, 377. a. Sacramentum Eucharistiæ qua dispositione suscipiendum, 498. b. c. d. Eucharistia corde manducanda, 499. b. Eucharistia sacramentum pietatis, signum unitatis, 499. e. Concordia & unio effectus sacramenti corporis Christi, 499. f. 500. c. d. g. In Eucharistia habet fidelis ubi vivat, habet unde vivat, 499. e. Eucharistia bonos vivificat, malos mortificat, 633. a. Eucharistiam nesciunt Catechumeni, 377. c
EUHEMERUS 14. c. Ab Ennio in Latinam linguam conversus est, *ibid.* Saturnum, Jovem, Neptunum & Plutonem, homines fuisse prodit, *ibid.* b
EUNOMIANI, 699. e
Excæcatio quomodo à Deo est, nec injustè, 646. b. c. 649. b. Excæcat Deus deserendo, 646. b. Excæcatio aliquando utilis, 283. c. Excæcatio plurimis Judæorum profuit, 648. b. Excæcatio Judæorum ex superbia, 647. d. 648. a. 649. b. Cur alius excæcetur, alius illuminetur, judicio divino relinquendum, 646. d
Excommunicatio, 633. e. Excommunicatio peccatoris, 606. a. Separatio falsorum fratrum ante tempus messis sine perturbatione Ecclesiæ non potest fieri, 666. c
Exhortatio nihil prodest, nisi revelet ille qui intus est, 496. f
Exorbitare est extra orbitam fieri, 612. f
Expalmaretur, 873. b.
Exspirare, extra spiritum fieri, 612. e
Exsulare, extra solum fieri, 612. e

F

FALLACIA malè utitur linguâ, 505. f Fama bona, odor bonus, 631. d. Fama bona aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, 631. f. *& seq.* Rumor hominum ventis comparatur, 236. c
FAUSTINUS episcopus donatista, 340. e
Febri & pallori fana fecerunt Romani, 11. e
Felicitas malorum non invidenda, 492 d. Felicitas bonorum, habere Deum in conscientia, 492. e. Felicitas rerum humanarum an deminuta sit per Christiana tempora, 24. b. Malus ideo felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur, 510. d
Feminam Job cur Diabolus servavit, 866. g. Per feminas cur viris resurrectio Christi nuntiata est, 844. a
Festa quomodo observanda, 311. a
Festivitas sanguinis mulieris cujusdam, 343. e
Fides, 631. c. Fides est credere quod non vides, 568. f. Hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur, 700. e. Fides humilitatem habet, 568. c. Fidei firmitas in eo est, quia omnia, quæ evenerunt in Christo, prædicta sunt, 836. a. Fides per piscem significatur, 257. b. Fides ex Dei dono, 515. d. e. contrà quàm sensit initio Augustinus, 901. *Retr.* Fides opus Dei, 489. f. non ex meritis, 307. d. Fides nostra sic est in libero arbitrio, ut divino egeat adjutorio, 647. b Impossibilitas fidei & conversionis quæ, & unde, 647. f. *& seq.* Fidei merito præcedenti quomodo tribuitur misericordia, 901. *Retr.* Fides inchoat meritum, quomodo intelligatur, 901. *Retr.* Fides, vita, 467. e. 601. f. 625. d. 680. d. Fides resurrectio peccatoris, 468. c. Fides collyrium, 537. d. 538. b. cordis virginitas & castitas, 355. d. 356. b. c. e. 357. e. Fides gradus est pietatis, 465. d Fides vera quæ per dilectionem operatur, 515. e. Fides sine caritate, mors est, 468. a. Ante fidem nihil est boni operis, 713. d. Fidem qui non habent, pejores quàm dæmones, 894. f. Fides cum dilectione, Christiani; sine dilectione, fides dæmonis, 894. e. Fidei opus, dilectio, 893. e. Per fidem impleta sunt, quæ per legem impleri non poterant, 905. g. Fidei oblivio, somnus Christi in corde, 627. a
Fides præparat sanctos regno Dei, 680. d. 681. b. Fidei fructus, intellectus, 465. d. Per fidem pervenitur ad intellectum, 614. c. Fidei merces, visio Dei, 569. b. Merces fidei desinienda est visio rerum quæ creditæ sperabantur, 781. e. Fidei merces salus animarum, 712. c. Credendo tendimus ad videndum, 777. d. Fides est præsentis vitæ, species futuræ, 694. b. Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas, ex Platone, 26. a. Per rerum temporalium fidem, pervenit homo ad æternarum veritatem, 26. a Fidei mysteria quomodo populo tradenda, 249. d
Fides Christi, quæ, 647. e. Fides de Christo, Christus est in corde, 626. f. Nullus justorum etiam antiquorum à damnatione totius massæ perditionis salvus esse potuit, nisi per fidem in Christum, 773. b. Fides antiquorum justorum eadem cum nostra, 597. f
Fide verè acceditur ad Jesum, 53. c. Fides gentium, glorificatio Christi, 636. f. Hominem piè fidelem, cum Christo esse per fidem, non est dubitandum, 781. c. In fidelibus quatuor consideranda prædestinatio, vocatio, justificatio & glorificatio, 500. d. Comparatio fidelium, infidelium vituperatio est, 731. d
Filium Dei Deum esse probatur, 621. c. Filius licèt missus à Patre, non tamen minor est Patre, 464. b. Filio Dei hoc est esse, quod nosse, 567. d. Filio Dei hoc est esse Filium, quod videre Patrem, 457. f. 458. c. Scientia Filii, visio Filii, idem quod Filius, 458. c. Quidquid Deus Pater Deo Filio dedit, gignendo dedit, 767. f. Filius sic missus est ut non recesserit à Patre, 567. f. Filius Patri simillimus, 684. c. Filium Dei unigenitum ante Incarnationem visibilem fuisse per errorem dixerunt Ariani, 310. e. Qui Filii æqualitatem cum Patre negarunt, de Ecclesia projecti sunt, 547. c. 548. f. Filius Dei semper immutatus, 457. g. 458. c. Filius sine Patre non facit, quæ se promisit facere, 690. c. Quidquid facit Filius non facit sine Patre & vicissim, 451. g. Filius similiter facit eadem quæ facit Pater, *toto Tractatu*, 18. 19. 20. Filius Dei, Magister, defensor, interpellator & dator, 456. b. Filius Dei manus est & brachium Patris, 616. f. 644. c. Amor Patris erga Filium qualis, 406. b. *Vide*, Verbum.
Flagitia & facinora, 904. a
FLORA mater, 24. c. Turpitudo ludorum Floræ, *ibid.*
Forma futuri dictus Adam, sed à contrario, 906. g
Fornicatio cujus caussâ uxor repudiari permittitur, quatenus intelligenda, 183. e
Fortitudo Christiana ex fame & siti justitiæ oritur, 189. d
Frater, consanguineus de quolibet cognationis gradu dicitur, 285. d. 368. e. 508. e
Fraternitatem nos amare quomodo probemus, 838. d
Fructus è quibus arbor dignoscitur, 233. d
Fuga in hyeme & sabbato, quid, 94. g
Fugere in persecutione licet, 605. f. fugere à Deo si vis, ad ipsum fuge: ad ipsum fuge confitendo, non ab ipso latendo; latêre enim non potes, sed confiteri potes, 864. f. Futura in Dei Sapientia caussas habent efficientes, 759. b

G

GAJUSEIUS, 340. c
Galilæa interpretatur revelatio, 150. d
Galilæi non credentes, figura populi Judaïci, 420. d
Gaudium plenum, non carnale, sed spiritale gaudium est, 753. f. Gaudium plenum in ipsa societate, in ipsa caritate, in ipsa unitate, 828. e. Gaudium sempiternum nonnisi in Deo, 400. d. Gaudium divitum hujus sæculi, gaudium phreneticorum, 342. b. Gaudium non est nisi bonorum, 234. a. 235. a
Gemit bene qui suspirat in patriam, non qui premitur ærumnis, 330. f. Gemere dicitur Spiritus, quod nos gemere faciat, 914. d
Genethliaci redarguuntur, 358. f. seductores sunt, 359. b
Gentes, canes ulcera Lazari lingentes, 266. a. Gentes quomodo ad Christum conversæ, 524. e. 525. a.
Gibbada mons, 835. c
Gloria, frequens de aliquo fama cum laude, 761. d. Gloria sua non quærenda est, sed gloria Dei, 516. c. Qui gloriam humanam quærunt, in Christum non credunt, 509. a. Ubi perfecta cognitio, ibi summa glorificatio, 761. e
Gloriari citra arrogantiam aliquando licet, quandonam, 661. c
Gradus hominis quatuor, ante legem, sub lege, sub Gratia, in pace, 904. g
Græci per litteras numerant, 374. a
Gratia sic dicitur, quia gratis datur, 307. e. f. Gratia generaliter & specialiter sumitur, 923. *Retr.* Gratia jam non est gratia, si præcessisse contendimus merita, 713. c. si eam merita ulla præcedunt, 901. *Retr.* Gratia prævenit nos, 706. a. 713. b. Gratia ineffabilis, qua nos elegit Deus, 713 a Hanc gratiam primò non invenerat Augustinus, 901. *Retr.* Quæ confert gratia, 905. c. Gratia prima quam peccator accipit, quænam, 307. d. Sola gratia aufert peccatum, 905. b. 907. f. A concupiscentiæ dominatu non liberat nisi gratia Dei, 901. *Retr.* Gratiæ necessitas, 305. a 309. d. 647. a. *& seq.* 704. *& seq.* 705. f Sanctificati indigent auxilio gratiæ Dei, ut fiant sanctiores, 770. f. Non invenit quod exigat Deus, nisi donaverit quod inveniat, 515. c. A Deo quidquid boni est donatur, 711. g. A Deo donatur ut sciatur, à quo bonum omne donetur, 712. a. Gratiæ commendatio, 494. c. Gratiæ divinæ vim & dulcedinem non intelligit, nisi qui amat, &c. 495. f. Gratia efficit ut non tantùm velimus rectè facere, sed etiam possimus, 905. f. Auxilium Dei non sic est extollendum, ut liberum arbitrium negetur, 647. a. Gratia quomodo abundavit, 907. a. Gratia quam præstitit nobis Christus, gaudium ejus est in nobis, & gaudium nostrum, 707. d. Gratia à Christo ut Deus & homo est, 704. f. Gratia & veritas res est novi Testamenti, 304. c. Gratia Dei gratuita, oleum lucernarum, 473. a. Gratia data pro gratia, quænam, 307. c. *& seq.* Gratia spiritalis intelligitur dilectio Dei & proximi, 903. b
Gratia humilitatis & passionis Christi, quanta, 309. e f. Gratia & prædestinatio Christi. *Vide*, Christus.

H

HÆRESES natæ ex Scripturis non bene intellectis, 430. d

INDEX IN SECUNDAM PARTEM.

Hæretici fures & latrones, 596. a. Hæretici plerumque se pauciate commendant, 232. c. Persecutio adversùs Hæreticos & Schismaticos, non dici debet pertecutio, 382. c Ubi sana fides non est, non potest esse justitia, 170. f
Halleluia, 877. e
Herba semper viva, 615. f
Hoc, vox aliquando correpta, aliquando producta, 792. c
Homo, in quo factus sit ad imaginem Dei, 880. c. Vita hominum media est inter Angelorum & pecorum, 434. a. Rectus homo ubi spiritus imperat, caro servit, 303. c. Hominis natura est bona, sed vitiata est per voluntatem malam, 580. b. 582. c. *& seq.* Homo à se ipso malus, à Deo & per Deum bonus, 582. f. 583. c. De suo sataras est, de Dei beatus est, 622. d. c. Homo periclat superbiam deceptoris secutus, 655. f. Omnes homines cæci à nativitate, 589. c. Homo per Verbum incarnatum factus est talis qualis capit Deum, 406. f. Homines ad Adam, filii hominum ad Christum pertinent, 518. a. Homo ad quid innovatur, 519. g. Hominis gradus quatuor ante legem, sub lege, sub gratia, in pace, 904. g. Vita hominis triplex. ante legem, sub lege, sub gratia, 970. g. *& seq.* Homo si bene cogitat, in Deo est: & si bene vivit Deus in illo est, 618 a. Homo non est pius, castus, verax & c. nisi pietate, castitate, veritate quæ in Deo est, 564. c. Homines servi Dei ex oleo misericordiæ illius, non ex viribus suis, 473. a. Homo quomodo suus & non suus, 514. b. Homines esse non debemus, quomodo, 290. d. Homo ab humanis in divina dirigitur cum voluntati humanæ voluntas divina præponitur, 640. c. Homo vermis, & tamen in cælo collocatur, 294. f. Aliud est esse hominis, aliud posse ipsius, 450. c. Humanum genus arbor fici, 247. a
Homicida est, qui fratrem odio habet, 861. c. & qui fratri mala persuadet, 580. g
Hora novissima, id est tempus novissimum, 844. c
Hosanna vox obsecrantis, 635. a
Hospitalitas. Apud pleroſque consuetudo est, ut laventur pedes hospitum, 661. f
Humilis sit membrum Christi, 492. a. 493. d. De tumentibus potest perire, de pusillis nihil perit, 493. d
Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium, 760. a. Tota humilitas hominis ut cognoscat se, 491. g. Perfectio in humilitate fundatur, 568 f. Superbia facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei, 492. a. Humilitas Christi imitanda, 491. f. 493. b. Tanta est humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas, 655. e. 661. e. Primum & magnum munus Spiritûs, humilitas & mansuetudo, 970. d
Hypocrita quis, 202. d

I

Jactantia multos liberales, immo & Martyres facit, 863. e. f. Jactantia potest esse etiam in ipsis sordibus luctuosis, 216. c
Idololatria per Christi nomen & Christianorum fidem, juxta prophetias eversa, 18. d. Apostolorum contra idololatriam doctrina vindicatur ex prophetiis, 23. a. *& seq.* Idololatræ urgentur, 18. c. *& seq.* Idolorum rejectio prædicta, 19. a
Jechonias interpretatur præparatio Dei, 31. f
Jejunium magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus sæculi, 424. c. Jejunium Christianum, quod, 255. b. Jejunium qua intentione observandum, 216. c. *& seq.* Jejunium aut in tribulatione est, aut in gaudio, 255. a. Jejunia, orationes, eleemosynæ ad vestitum ovium pertinent, 233. d
Jesus fortis & infirmus, 409. a. Jesus vix quæritur propter Jesum, 488. d. *Vide*, Christus
Ignoro idem aliquando, ac non approbo, 909. g. Melius est nescire quàm errare, 455 f
Illuminatio per fidem est, & illuminatio per speciem, 854. f
Illusio, magna persecutio, 381. b
Impii mundi nomine nuncupati, 723. d. Impios justificare majoris est misericordiæ quàm justos creare, 688. b
Impossibilitas conversionis & fidei, quæ & unde, 647 f. *& seq.*
Impossibile. Non posse aliquando ponitur pro nolle, 645. d
Improbitas omnis ex imbecillitate animi venit, 190. g.
Incantatores præcantationibus suis miscent Christi nomen, 344. b
Incarnatio Christi, missio Christi, 547. g. 548. a. 579. c. Incarnationis gratia omnium maxima, 707. a. Incarnatio Christi omnium miraculorum præstantissimum, 422 d. Incarnatio Verbi, nuptiæ, 245. c. Incarnatio, lutum quo sanata est cæcitas generis humani, 589. g. 590. c. Incarnatio Verbi collyrium oculis cordis nostri, 303. c. 306. f
Incredulitas & infidelitas mors, 625. d. Sicut quod Dominus seipsum negare non potest laus est voluntatis divinæ; ita quod Judæi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ, 647. d
Indigentia rerum terrenarum sollicitat animam, 911. g. Indigentia dominorum ac servorum mutua, 885. b
Infantes appellantur recèns baptizati, 829. g. Infantia regenerationis, nova vita, 829. g. Infelicitatis suæ cognitio non parvus est ad beatitudinem accessus, 180. c
Infideles, aqua sunt; Christiani vinum, 354. d
Infidelitas mors, 467. c. Infidelitas inchoat pœnæ meritum, 901 *Retr.*
Infirmitates aliorum ferendæ, eisque opitulandum, 189. c. *& seq.* 190 f. 192. f 193. c. In infirmitatibus nihil quærendum præter auxilium Dei, 347. c
Inimici dilectio, dilectio perfecta, 883. c Inimicum qui diligit, fratrem diligit, 882. g. Quo animo diligendus inimicus, 879. f. *& seq.* 882. g *& seq.*
Iniqui malè utuntur bonis operibus Dei, 505. f. 506. a. Iniqui, tenebræ, 306. b
Iniquitas malè viventium modò toleranda est, 509. c
Injuriarum triplex genus, 193. b 194 g. Injuria quæ restitui potest vel ad pecuniam vel ad operam pertinet. 194. f. Injuriæ patientissimè tolerandæ, 189. g. *& seq.*
Innocens. Nihil innocentius eo qui in virtute perfectus est, 190. g
Intellectus, vir animæ, 412. c. Intellectus est aliquid animæ, 413 a
Intelligentia munus Dei est, 567. a. Mores perducunt ad intelligentiam, 433. g. Per fidem, pervenitur ad intellectum, 504. d. 505. d. 515. a. *& seq.*
Intentio, lumen est, 218 d. 254 f. Non quid quisque faciat, sed quo animo faciat considerandum, 218. d
Interficit, qui offert interficiendum, 789. c
Interjectiones magis affectum indicant, quàm rem aliquam significant, 635. b
Invidia peccatum Diaboli, 860. f. Invidia impedit ne quisque habeat quod alter habet, 128. g. Quisque etiam habet, cùm amat in altero quod ipse non habet, 678. d. Invidus est, qui optat melior esse quàm alius, 881. d. Invidia & æmulatio quo differant, 973. g
Invocare. Quis propriè Dominum invocat, 234. g
Job concessus est Diabolo tentandus, ut eo probato esset ille cruciandus, 867. a. Job exercitatus contra Diabolum, 851. g. quare tentatus & probatus, 574. c
Johannes Baptista mons, 299. f. Erat lux, sed non vera lux, 300. a. Johannes bapt. lumen & non lumen, 400. c. lucerna quam paravit Deus Christo suo, 472. c. erat lucerna, 539. b. g. lumen illuminatum, 539. g. 540 a. Johannes Bapt. testimonium perhibuit Christo, & Christus Johanni, 539. b. c. Quomodo testimonium perhibuit de lumine, 300. c. Quare testimonium Christo perhibuit, 541. d. 542. d. Johannes Elias & non Elias, 314 c. Johannis bapt. humilitas, 394. c. 396. c. 400. d. 539. c.
Johannes Evangelista, aquila, 407. c. meritò aquilæ comparatus, 543. c. 546. g. 564. f. Sublimiùs quàm alii de Divinitate Domini locutus est, 543. f. De pectore Domini doctrinam suam hausit, 291. g. 544. a. quare super pectus Domini discumbebat, 448. d. Secretum divinitatis de pectore Domini uberiùs & quodammodo familiariùs bibit, 5. b Johannes divinitatem Domini exprimendam curavit, 4. f. Hinc longè à tribus aliis superiùs fertur, *ibid.* in Evangelistis quatuor eminentissimus, 39. c. Johannes circa virtutem contemplativam, alii Evangelistæ circa activam versantur, 5. d. Johannes Evangelista creaturas omnes transcendit ut ad Verbum perveniret, 290. f. 616. e. Quæ Johannes Evang. dixit de Filio Dei, parvulorum mentes excitare possunt, grandiusculas verò exercere & pascere, 430. b. Johannis scopus in scribendo Evangelio, 287. 288. *præfat. ad Tractatus in Johan.* Johannis Evangelistæ humilitas, 830. c. Johannes sa
Discipulum, quem diligebat Jesus, appellare solet, 786. a. Johannes Evangelista, mons, 298. f. Johannis Epistola prima ad Parthos scripta est, 266. c. Quis fuerit discipulus ille qui Christum sequebatur cum Petro cùm ductus est ad Annam, non temere affirmandum est, quia tacetur, 786. a. Solet ic Johannes ita significare, & addere, Quem diligebat Jesus, *ibid.* fortassis Johannes ille est discipulus, *ibid.*
Joseph Pfontomphanech appellatus est à Pharaone, 411. a
Joseph vir Mariæ duos patres habere potuit, 28. c. 29. a. *& seq.* 250. c. Pater Christi rectè appellatur, 27. c. *& seq.* Joseph, testis partûs Virginis, 521. d
Jovem velut animam mundi hujus esse volunt recentiores Platonici, 15. c. Jovem Judæorum Deum putavit Varro, 13. d Romani nihil superius solent colere, quàm Jovem, 13. c
Ira Dei apud Apostolum, idem quod vindicta, 904. b
Irasci fratri suo, quid, 163. 164.
Isaias Deum vidit non sicuti est, 648. c
Israel eductus ex Ægypto, homo per baptismum liberatus à peccato, 511. c. Israëlitæ quare in idololatriam lapsi sunt, 311. d
Judæ Epistola inter Scripturas canonicas, 694. g
Judas traditor, explorator pastoris, insidiator Salvatoris, venditor redemtoris, 654 f. lupus ovina pelle contectus, & inter oves alto patris familias consilio toleratus, 784. b. Judas filius perditionis dictus est, perditioni prædestinatus, 770. a. Non est electus ad beatitudinem, 663. a. Non tunc perversus factus est, quando à Judæis corruptus Dominum tradidit, 632. c. Corpus Christi malè malus accepit, 498. c. 668. a. Manducavit panem Domini contra Dominum, pœnam manducavit, 663. b. Post panem Christi malè sumtum, diabolus in Judam intravit, ut sibi jam traditum plenius possideret, 668. f. Buccella qua Dominus Judam designare voluit, non erat corpus Domini, 669. a. De Judæ traditione, 669. c. d. 874. g. &c. Judas ita malum tradendo faciebat, ut de illo tradito bonum fieret quod nesciebat, 654. g. 506. b Judas non laudabilis utilitate traditionis Christi, sed scelcris voluntate damnabilis, 785. g. Judas corpus malorum significat, 633. d
Judæi quare Amorrhæi & Cerhæi appellantur, 580. d. Judæi filii diaboli imitando, non nascendo, 580. c. Filii Abrahæ carnis origine, non vitæ similitudine, 578. a. 582. c. Judæi naturâ ex Deo, vitio non ex Deo, 582. b. f. Non intellexerunt, qua dispensatione Lex data esset, 907. d. Judæorum regnum, templum, sacerdotium & unctio mystica, prænunciando Christo deputata sunt, 9. f. Judæi Filium Dei in forma servi contemnentes, perstringuntur, 464. a. Judæi à veritate Christo turbati, 517. b. Inexcusabiles quod in Christum non credidcrunt, 719. c. Non poterant credere, quia nolebant, 646. a. 647. d. Judæorum infidelitas, peccatum fuit, 645. a. Judæorum infidelitatem prædixit Deus, non fecit, 645. c. Quodnam peccatum Judæi non habuissent, si non venisset Christus, 718. b. 721. c. Judæi in peccato quo Christum occiderunt, aliorum occultorum peccatorum meritis exæcæati sunt, 9. f. Judæorum cæcitas, 313. g. 789. c. *& seq.* ipsorum crudelitas, 790. a. b. c. Plus peccarunt Dominum dæmoniacum appellando, quàm cum occidendo, 517. b. Judæis solùm præsentiam suam corporalem exhibuit Dominus, 609. a. Electi erant nonnulli ex Judæis, qui Christum persequebantur, 567 d. In reprobo populo Judæorum quidam electi, 636. a
Judæos subjugari à Romanis cur Deus passus est, 9. c. Judæis victis, Deus eorum se non esse victum ostendit, idolorum eversione & Gentium omnium conversione, 10. a. Judæi sine ulla unctione regis sacerdotisque remanserunt, 10. d. Judæi servi etiam principum terræ, 571. b. Judæi per terras dispersi, facti sunt testes veritatis Christianæ, 18. a. Judæi & gentiles per divitem & Lazarum significati, 264. b. Judæis contaminatio erat in alienigenæ habitaculum intrare diebus azymorum, 789. c
Judicium duplex, alterum damnationis, alterum discretionis, 63. c. 585. c. 594. f. 641. a. 466. c. Judicium discretionis fit in hac vita, 641. b. Judicium pro pœna dictum, 466. c. 467. b. Judicium mundi quomodo nunc sit, 641. a. Judicium ultimum quomodo peragetur, 447. a. Pater non apparebit in judicio ultimo, 446. a. 462. c. Pater judicat & non judicat secundùm diversum judicium, 585. b. Judicaturus sic venit Christus quomodo venerat judicandus, 853. a. Filius veniet in forma humana ad judicandum, 462. c. *& seq.* 470. b. In judicio impii videbunt Filium Dei in carne, ad supplicium, non ad præmium, 695. d. 696. b. Filius hominis clarificabitur in separatione bonorum à malis, 671. b. 672. c. Homines variè judicabuntur, 651 c. Judicii diem qui cœpit credere, cœpit timere, 886. c
Judicio non contendendum, 192. b
Judicia Dei quam inscrutabilia, 641. a 646 d. Judicia Dei in parria revelabuntur, 646. f
Judicium temerarium, 225. d. Quinam temere judicant de incertis, 226. c Non judicandum de occultis hominum, 720. d. Judicare de aliorum factis quatenus prohibitum, 224. c. de quibus nobis Judicare liceat, aut non liceat, 922. c. Judicare personaliter, 520. b
Juno solum aërem tenere perhibetur, 20. b
Jurare per oculos olim usitatum, 540 b. Juratio quænam licita, 187. b. *& seq.* 946. b. *& seq.*
Justè vivere, ipsa est via nostra, 540. b
Justi appellantur cæli, 207. c. f. Justi opera sunt Christi, 687. f. 688. a. Justus qua ratione homo dicatur esse sicut Deus, 855. a
Justificatio peccatoris, 389. c. An majus sit creare justos, quàm justificare impios, 688. b
Justitiæ divinæ constantia, 930. d. Judex Justus est Deus etiam ignoscendo peccatis, 930. a
Justitia Dei & justitia hominis, 494. b. Justitia cibus animarum, 393. a. Justitia nostra per fidem est, non per speciem, 854. f. Justitia ex fide, unguentum pisticum, 631. b. Justitia in quo consistat, 213. b. c. Justitiæ nostræ initium, confessio peccatorum, 851. d. Ea est humanæ justitiæ disciplina, non in se amare nisi quod Dei est, & odisse quod proprium est, &c. 930. b. c. Nemo in hac vita sic mundus, ut non sit magis magisque mundandus, 703. a Justitia quandonam perficietur, 851. c. Satietas justitiæ in æterna vita, 496. d. Justitia perfecta non est, nisi in Angelis, & vix in Angelis, si Deo comparentur, 851. c
Jusum, susum, 878. c. 879. c

L

Lac nostrum Christus humilis: cibus noster idem Christus æqualis Patri, 843. g
Lætitia, animi diffusio, 616. c. Lætitia sæculi vanitas, 341. g
Latronis cum Christo crucifixi conversio, 558. b. Latro in cruce tunc credidit quando in ipsis doctoribus fides defecit, 773. f
Laurentii martyris fortitudo, 507. a. Unde, *ibid.* b. Ejus martyrium crudele, *ibid.* b
Laus humana utilis est laudantibus, cùm Deum, non hominem in bona vita sua honorant, 201. b. Laudes hominum intueri non debet, qui rectè agit, 201. b. 202. a. *& seq.* 203. c. Rectè vivere & nolle laudari, quid est aliud quàm inimicum esse rebus humanis, 201. a. Laus propria non quærenda, sed Dei, 897. b. Laudare se citra arrogantiam aliquando licet, 661. c
Lector. Pueri in Lectorum gradu, 8. b
Leon sacerdos Ægyptius deorum originem prodit, 14. g
Lazarus interpretatur adjutus, 264. b. Lazarus quamvis esset figura peccatoris, multùm à Domino amabatur, 621. c
Lex generaliter & specialiter accipitur, 923. *Retr.* Lex ab Apostolo non improbatur, 904. c. Lex quomodo intelligenda, 904. c. Lex quomodo bona est, 905. b. Lex quomodo nocet, 905. b. Lex lapis super montium positus, 627. f. Legis infirmitas, 309. d. Lex data est ad ostendendum quàm artis vinculis constringerentur, qui de suis viribus præsumebant, 907. c. Per Legem non sunt ablata peccata, 906. c. Contra Legem peccantibus prævaricationis crimen accessit, 905. c. 907. c. Peccare in Lege quid, 719. a. Lex peccatores convincebat, non absolvebat, 423. d. Facit reos homines sub lege constitutos, 304. g. Reus sub lege est, justus cum lege, 627. f. Sub lege est, qui legem non implet, 304. g. Legis violatæ rei, quomodo sanentur, 305. a Aliud est perire sine Lege, aliud judicari per Legem, 718 g
Lex unde non potest impleri, 308. f. Lex impleri non potest, nisi à spiritalibus, 901. *Retr.* Legem nemo implet, nisi quem adjuverit gratia, 494. c. Preces fundere debet, & ad misericordiam fugere, qui legem implere non potest, 346. b. quæ per Legem impleri non poterant, per sidem impleta sunt, 905. g. ante legem & sub lege concupiscentia quomodo dominata est, 904 g. Lex temporalia promittebat, 490. a. Sub lege homines carnalia bona appetentes legis justitiam non amabant, 911. a
Lex præcipiebat Judæis ne malefactoribus parcerent, 789. f. Legi veteri Manichæi adversantur, 904. c
Lex peccati, quæ, 910. c. c. 971. b
Lia interpretatur laborans, 5. d. Figura est vitæ activæ, *ibid.*
Liberum arbitrium perfectè fuit in primo homine, 905. f. Liberum arbitrium ab Apostolo non auferrur, 910. a. Liberum arbitrium qua ratione Augustinus adhuc presbyter explicavit, 916. b. Liberum arbitrium in nobis ante gratiam non est ut non peccemus, sed tantùm ut peccare nolimus, 905. f. Liberum arbitrium non sic defendendum, ut adjutorium Dei non putetur necessarium, 647. a
Libertas plena in æternitate, 575. b. 576. f. Libera voluntas, quæ, 574. c. Libertas prima est carere peccatis, 574. d. 575. a. Libertas timorem excludit, 575. d
Lignum ubi erant fixa membra Christi morientis, etiam Cathedra fuit Magistri docentis, 802. b
Lingua pro sono qui linguâ promitur, 803. d. Linguæ omnes creaturæ ostendebantur, ubi jam omnes linguæ sonabant, 838. a. Hebraïca, Punica, & Syra lingua, sunt cognatæ, 416. d
Litigare an liceat, 211. c
Loquitur Deus in nobis sine sono, 567. b
Loca spiritalia spiritaliter cogitare difficile est, 782. b. Locus Christi, ipse Pater est, locus Patris, Filius; locus noster ipsi sunt, & nos locus Dei sumus, 782. a
Lucas circa sacerdotalem Domini stirpem occupatur, 3. g. Lucæ vitulus adsignatus est quare, 546. f
Lucanus Judæorum Deum incertum posuit, 20. d
Lumen aliud illuminans, aliud illuminatum, 400. a. 540. a. Luce oculi pascuntur, 393. a. Lux hominum, lux mentium, 306. a. Lux justitiæ oculis cordis videtur, 540. g

M

Machabæos ignis non agnovit, qui tres pueros agnovit, 881. b
Machæra linguæ major, quàm ferri, 900. d
Magdalena peccatrix an fuerit soror Lazari dubitatur, 620. f. Magdalena ideo sanitatem recepit, quia agrotæ sibi visa est, 350 c
Malchus interpretatur regnaturus, 785. b. Solus Johannes hujus nomen expressit, *ibid.* a. Et solus Lucas quòd Dominus ejus auriculam sanaverit, *ibid.* Auris pro Domino amputata & à Domino sanata, auditum amputatâ vetustate renovatum significat, 785. b
Mali pereunt aut conversione ad justitiam, aut amissa potestate adversùs bonos, 271. g. Malos tolerandos esse Dominus docuit, Judam tolerando, 631. f. 633. b
Malum non est à Deo, 580. b. Malorum quæ à creaturis patimur causla est peccatum, 295. d. Mala temporalia sunt ad eruditionem nostram, 344. c. Mala prosunt, bona obsunt, sicut fuerint quibus datur, 668. c. Deus de malis bona facit, vel ea sanando per misericordiam, vel ordinando per judicium, 778. c
Mammona divitiæ interpretantur, 263. d. Mammona apud Hebræos divitias, apud Punicos lucrum significat, 219. a. Patitur durum & pernicioſum dominum quisquis mammonæ servit, 219. b
Manducare cibum qui non perit, credere est, 489. c
Manichæi, 734. f. Horum error de duabus naturis, 232. c. 580. a. 581. c. Legi veteri adversantur, 904. c. Dicunt Deum annuntiarum in veteri Testamento non esse Patrem Christi, 587. f. Manichæi dicentes Christum non natum esse de Maria Virgine refelluntur, 355. c. Sensum dolendi & gemendi esse in plantis & lapidibus opinati sunt, 912. g. Manichæorum impudicitia notatur, 736. a
Manna Christum significabat, 490. c. Umbra erat sacramenti Eucharistiæ, 499. b. Panem cœlestem, manna & altare Dei significarunt, 498. f. Quomodo mortui sunt qui manna manducaverunt, 498. a
Mansiones multæ in regno Dei, 678. b. Quomodo Christus eas præparare vadit quæ jam sunt, 679. d. *& seq.* 681. b. Desiderium dilectionis præparatio est mansionis, 680. a
Mansuetudo & humilitas primum & magnum munus est Spiritûs, 970. d
Manus pro potestate, 616. f. Pro homine quo utitur aleæ ad faciendum quod vult, *ibid.* g. Pro opere hominis & scriptura, 617. a. Manus dextra dilectum adjutorem in bonis operibus significat, 181. c
Marcellus pseudo-martyr Donatistarum, 383. b
Marcus pedissequus & breviator Matthæi, 3. f. 4. c. Hominis facies ipsi adtribuitur, 546. f
Maria inde felix, quia verbum Dei custodit, 369. b. Mariæ uterus, thalamus Christi sponsi, 355. a. Mariæ uterus nec antea nec postea quidquam mortale concepit, 508. f. Mariæ integritatem non amisit, 368. f
Martyres, Latinè testes, 827. b Martyres testes Christi, 727. b. 728. f. Cùm passi sunt, ipse unus Christus passus est, 607. d. Martyres longè differenter passionem Domini imitantur, 248 d. Fructum centesimum referunt, 242. d. Quomodo vindicantur, 199. a. Pro martyribus non oratur, 709. c. Christus in passionibus servorum suorum clarificatur, 640. d. Innumerabilis societas sanctorum Martyrum in regnum cœlorum fortiter & violenter intravit pro Christi confessione, quod ille olim non potuit qui claves regni ejus accepit, 786. c. f
Martyrium & alia bona opera sine caritate nihil prosunt, 340. a
Mathematicorum codices incensi, 357. d
Matthæus narrandam suscepit Incarnationem Domini secundùm stirpem regiam, 3. f. & generationem ejus secundùm carnem, 27. c. Matthæus & Lucas humanitatem Christi maximè commendarunt, 4. d. Matthæus dicitur Hebræo scripsisse eloquio, 3. c. 84. c. ceteri Græco, 3. c. Matthæo Leo adsignatus est, 546. c
Maximianus Donatista, 371. a
Media, 128. c
Mediatoris mysterium antiquis per prophetiam, nobis per Evangelium prædicatur, 16. c. Per mediatorem cur angeli non erigantur, 779. a. 956. b
Membra omnia propter corporis unitatem sibi invicem serviunt, 435. a. Membrorum unitas caritate concordat, 528. c. In illa unusquisque possidet quod alter possidet, 528. g. Caritas facit nos membra Christi, 504. a
Memoria quo pacto excitatur, 478. d
Mendacii genus non est unum, 845. f. Fictiones in verbis & in factis non semper mendacia, sed aliquando figuræ, 274. d. Diabolus homines possidet, quando mendacium eos possidet, 355. c. Mendax, qui aliud loquitur, aliud agit, 847. c
Mensa potentis, 607. c. 709. b
Mercedem si vellet Deus reddere, pœnam redderet, 906. b. Mercedis promissæ memoria perseverantem facit in opere, 848. f
Mercenarius pastor quis, 604. a. 606. a. Mercenarius est qui peccantem non liberè audet arguere, 606. a. Mercenariorum opera Ecclesiæ necessaria, 604. d. e
Meritum fides inchoat, quomodo intelligendum, 901. *Retr.*
Messe pro ungue Punicè dicitur, 416. c
Messis & messores Christi, 417. c
Metreta nomen mensuræ, 363. c
Ministri Ecclesiæ non deserant munus Ecclesiasticum populorum peccatis commoti, 250. a. Ministri Ecclesiæ ad temporalia attendere non debent, 222. c. Non faciunt contra præceptum qui procurant necessaria, 223. b. Ministros Christi qui blasphemant; Christo resistunt, 847. f. g
Mirabiliarii, 398. g
Miracula Deus quotidie facit quæ homines non miratur, 353. b. Insuetata quædam servavit, quæ faceret ut dormientes homines excitaret, 353. c. Miracula quotidiana Dei, non facilitate, sed assiduitate hominibus vilescunt, 360. d. 481. c. quæ fiunt præter usitatum ordinem naturæ, ideo movent quia rara sunt, 481. f. Miracula habent linguam suam, 482. b. Miracula Christi & opera verba sunt. Miracula quædam fecit Christus, quæ nemo alius fecit: quædam alii fecerunt, quæ Christus non fecit, 721. g. *& seq.* In miraculis Christus salutem animarum magis consuluit quàm salutem corporum, 422 f. Omnia quæ fecit Dominus Jesus, non solùm valent ad excitanda corda nostra miraculis, sed etiam ad ædificanda in doctrina fidei, 360. c. Miracula fidem firmant,

INDEX IN SECUNDAM PARTEM

624. a. Miracula ad intelligendum Deum de visibilibus mentem humanam admonent, 481. c. 482. a
Miracula non sunt signa sapientiæ, 235. b. Miracula qui facit præter unitatem, nihil est, 399. a
Misericordia quomodo præcedenti merito fidei tribuitur, 901. *Retr.* Misericordia fidei quidem datur, sed data est etiam ut esset fidelis, 901. *Retr.* Misericordiâ Dei & vocamur ut credamus, & credentibus præstatur, ut bene operemur, 901. *Retr.* Misericordia præcessit, judicium sequetur, 545 d. Misericordiæ sacrificium veniam obtinet peccatorum, 346. c. Consilium miserias evadendi est misericordem esse, 216. b. Misericordiæ officia mali implere non possunt, 242. c
Misericors nemo potest esse sine dilectione, 917. b
Miris & misericors quo differunt, 189. c
Moneta Dei summa, 569. b
Monitus saluberrimi ad gratiam pertinent, 697. c
Mors carni peccati debita, 911. b. Mortis quadruplex genus, 624. c. Mortis genus triplex, 620. b. Mors duplex altera temporalis, æterna altera, 586. d. Mortem æternam hominis occidit mors temporalis Christi, 309. c. Mortem carnis omnes refugiunt, de morte animæ pauci curant, 619. c. Mors temporalis non timenda, 586. c. *& seq.* Mori nolle fidelibus non consilium est ut proficiant, sed indicium quòd parum profecerint, 286. d. Moriuntur quidam cum patientia, perfecti cum patientia vivunt, 887. b. Qui morte imminente turbantur, intueantur Christum ipsum eadem de caussa turbatum, 665 f. Mors æquo animo ferenda, 309. b. Mors sibi non est inferenda, 637. c. eligenda potiùs quàm peccatum, 637. c. 639. g. Mori in peccato, summum malum, 557. c. Animæ mors, Dei amissio, 610. c. Mors spiritalis quæ, 440. c. *& seq.* Mori sæculo quid, 674. f. Mortua peccato quomodo anima dicitur, 908. c. Mors in deterius & in melius, 477. d
Mors in Christo non pœna peccati fuit, sed munus misericordiæ, 309. b. dignationis fuit, non debiti, 911. b. Mors Domini quid effecerit, 911. b
Mortuus sive bonus sive malus dormit, 613. b. Tres mortui quos Dominus resuscitavit tria peccatorum genera ostendunt, 620. b
Mortuum erat peccatum, pro non apparebat, 909. a. d
Moyses figura Christi, 598. b. Cum Moyse loquebatur Angelus portans typum Domini, 310. d. Moysi libri quinque panibus hordeaceis significantur, 483. c. Moyses non videbat Deum sicuti est, 648. d
Mulieris nomen etiam puellis tributum, 61. g
Mundus an habeat animam, magna & abdita quæstio, 15. g. Mundus comparatur cum eremo ubi erraverunt Israëlitæ, 512. a. 871. g. Quantum accedit finis mundi, crescunt errores, &c. 486. f.
Mundi varia significata, 301. g. 306. d. 692. e. 701. c 731. c. 768. a. 841. c. 852. c. 861. b. c. Mundus fidelis omnes credentes, 775. g. Mundus in bonis & malis appellatur, 642. d. Mundus duplex, damnatus & salvatus, 715 a. Mundus alius damnationi prædestinatus, alius per fidem in Christum reconciliandus, 775. c. 782. f. Pro isto rogavit Christus, non pro alio, 775. c. Mundus damnatus Christum merito non cognovit: mundus autem reconciliatus cum non merito, sed gratiâ cognovit, 782. f. Mundus non pugnando, sed patiendo à Christo victus, 794. a. Mundus quomodo vilescit, sive promittens, sive terrens, 849. c. Mundum qui diligunt, in eis remanent sacramenta ad damnationem, non firmamenta ad salutem, 840. c. Mundus quomodo quod suum est diligit & odit, 717. b. c. Quomodo mundus se diligit, 713. c. Quomodo eum debemus diligere, *ibid.* Generatione de mundo sumus, regeneratione de mundo liberamur, 766. b. 770. d. De mundo esse quid, 557. a. Christus de mundo numquam fuit, quia de Spiritu-sancto natus est, 770. c. Christus mundum de mundo liberavit, 779. f
Murmur grande peccatum, 498. c
Musicas non esse à Deo quidam dixit: exinde à Manichæo hominem etiam non esse à Deo compulsus est dicere, 295. b
Mutuatur omnis qui accipit, etiam si non ipse soluturus est, 195. d

N

NARRATIO quatenus variæ sine mendacio, 44 d
NATHANAEL non ex numero Apostolorum, 349. a
Nativitates hominis duæ, 378. c. 855. f. Nemo nascitur ex aqua & Spiritu, nisi volens, 843. e. Nemo nascitur ex Spiritu, nisi humilis fuerit, 386. a
Necessaria deesse servis suis aliquando Deus permittit, 224. b
Necessitudines temporales quare odiendæ, 182. b. Hæ non sunt in regno cælorum, *ibid.* d
Negare se esse Christianum, est Christum negare, 786. c. Quanta vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum, 676. d Negatio non tantùm linguâ est, sed & factis, 847. c
Nobilitas & secundùm Deum, & secundùm hoc sæculum, 191. b
Nomen nihil prodest, ubi res non est, 852. b
Novenarius numerus, imperfectus, 269. c
Novi hominis instauratio in cruce Domini designatur, 907. g
Nox in qua nemo potest operari, quæ, 591. a
Numerus vicesimus-quintus quid significat, 487. c
Nuptiæ celebrantur propter filios habendos, 355. b. Nuptias Deus fecit, 360. f. g. Ad nuptias Dominus venit, ut conjugalis castitas firmaretur, & ostenderetur sacramentum nuptiarum, 361. a

O

OBDURATIO quomodoà Deo est, nec injustè, 646. b. c. Obdurat Deus deserendo, 646. b. Cur alius obduretur, alius non obduretur, judicio divino relinquendum, 646. d
Oblivio Dei, regio longinqua, 259. d
Octavæ regeneratorum, 170. b
Oculus duplex interior & exterior, 392. a. Oculus significat id quod vehementer diligitur, 180. f. significat amicum, 181. b. Oculus cordis, 231. c
Odium. Unde homines amamus, aut odio habemus, 312. a. b. 720. c. Gratis odit qui nullum ex odio commodum quærit, aut incommodum fugit, 723. a
Olivæ fructus caritatem significat, 339. b
Olympus mons, 835. b
Onera alia sunt participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris, 63. c
Opera bona non ex nobis, sed ex Deo, 705. f. 706. a Opera bona & à libero arbitrio, & ab adjutorio Dei simul, 647. a. Non ex operibus, sed misericordiâ Dei & vocamur, ut credamus, & credentibus præstatur, ut bene operemur, 901. *Retr.* Operum bonorum initium, est confessio operum malorum, 389. f. De bonis operibus non in se gloriandum, 711. f. Opera sine fide Christi, quæ videntur bona, an bona & utilia, 489. f. 595. d. Nullus ante gratiam fidei de bonis operibus glorietur, 969. c. Opera Legis quædam post fidem superflua, quædam ante fidem nulla sunt, 969. f. Opera nostra tunc sunt munda, cùm fine caritatis fiunt, 218. c. Opera bona exercentur in abstinentia ab illicitis cupiditatibus, 425. b. Opera bona nihil prosunt iis, qui sunt extra Ecclesiam, 398. b. Opera mala laudantes, canes lingentes ulcera Lazari, 264. c. Opera Legis bipertita, 911. f. Servilia opera quæ, 519. c
Oratio Dominica exponitur, 207. g. Dominicæ orationis præfatiuncula, 206. a. Oratio quare verbis tradita, 205. d. In Oratione dominica tria ad vitam æternam, quatuor ad temporalem pertinent, 214. c. f. Petitiones orationis Dominicæ, cum septem donis Spiritus-sancti & beatitudinibus Evangelicis componuntur, 215. c
Oratione quid opus sit ad Deum, 205. c. Quomodo orandum, 204. g. 368. c. De loco & modo orationis, 411. c. Ad orationem stantes cur conversuntur ad Orientem, 207. d. Orandum est ut non faciat Deus quod non bene petimus, 690. c Non accipiunt homines quod petunt quia malè petunt, 688. f. Deus forè aliquid dare differt, sed neminem esurientem relinquit, 449. f. Deus si non dat ad horam, exercet quærentem, non contemnit petentem, 449. f. Quædam non negantur, sed ut congruo dentur tempore differuntur, 753. c. Malè usurus homo eo quod vult accipere, Deo potiùs miserante non accipit, 688. f. 689. f. 698. a. Non petimus in nomine salvatoris, quodcumque petimus adversùs utilitatem salutis, 689. f. Differtur tantùm quod in nomine salvatoris petimus, non negatur, 690. c. Petitur in nomine Salvatoris quod pertinet ad rationem salutis, 713. g. In nomine Christi nihil petit, qui de Christo sentit quod non est sentiendum, vel qui petit aliquid ad salutem non pertinens, 713. d. f. 754. a. Quæ mala sunt, non sunt postulanda à Deo, 689. a. Metuendum est ne Deus nobis noxia quæ posset non dare propitius, det iratus, 688. f. Non parva est tentatio, si contrà tuam fit caussam tua postulatio, 690. c. Fides in Christum, ratio impetrandi, 244. g. Qui manent in Christo, accipiunt quod petunt, 705. a. b. Exaudiuntur omnes sancti pro seipsis, non pro aliis, 753. e. Orent pro se invicem omnia membra, caput pro omnibus interpellet, 831. c. Orare pro quibusdam frarribus non nobis præcipitur, 197. b. 198. c. Orare pro inimico suo si didiceris, ambulas in viam Domini, 832. c. Orare contra quemquam non licet, 198. c. Preces improborum quomodo exaudiuntur, 867. c. Preces dæmonum exaudiræ, 867. a. Originali peccato obnoxii nascuntur omnes, 518. c. Nasci ex Adam necessitatis est ex damnatione: nasci per Christum, voluntatis & gratiæ, 309. a
Orphani Latinè pupilli, 693. b
Otium sanctum illud est, quod percipiendæ sapientiæ impenditur, 659. a. Otium sanctum quandonam relinquendum ut prædicetur Christus, 659. c
Oves Christi & non oves, quinam, 615. d. Oves Christi, prædestinati, 599. f. g. De Christi ovibus, nulla perit, 616. a. Non solùm pastor, sed etiam oves intrare per ostium, 601. c. Ingredi & egredi per Christum quid, 601. d. *& seq.* Non omnes qui vocem Christi audierunt, oves erant, 598 f. An oves Christi erant, qui errabant, & vocem alienorum audiebant, 599. a. *& seq.* Oves Christi ante ejus adventum vocem ipsius audierunt, non alienorum, 598. e. Bona vita ovium consolatur labores pastorum, 436. f. Christus ad Judæos dicebat non esse eos ex ovibus suis, quia eos videbat ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos, 615. e

P

PÆNITENTIA qualis ea, cui Deus ignoscit, 197. g. Qui jam baptizati peccaverunt, curari per pœnitentiam dicuntur, non renovari, 738. a
Pagani fures & latrones, 595. f. Eorum doctrina de virtutibus & vitiis noxia, *ibid.* Pagani oraculis suis Christum laudare compulsi, 10. g. Ipsum volunt nihil sensisse contra deos suos, sed eos magico ritu coluisse, 25. a
Pallori & febri fana fecerunt Romani, 11. c
Panis. In multiplicatione panum, omnipotentia Domini quasi fons panis erat, 362. c. Miraculum quinque panum, allegoricè quid significet, 488. c. Panis cælestis esuriem interioris hominis quærit, 494. a
Parabolæ Domini secundùm similitudinem & dissimilitudinem intelligendæ, 271. b
Paracletus consolator vel advocatus interpretatur, 692. d. 728. d
Patientia discenda est à potentia Christi, 583. c. Patientiæ præcepta non ostentatione corporis, sed præparatione cordis implenda, 788. a. Christianus ad omnia patienda præparatus esse debet, 191. b. *& seq.*
Paralyticus allegoricè, 250. c. Anima bonis operationibus dissoluta quomodo Christum quærat, *ibid.*
Parentes & propinqui quare odio habendi, 182. b. Malos filios, ne de his erubescant, etiam parentes abdicare solent, 965. d
Parvuli peccato originis compediti sunt, 572. c
Pascha Hebræum nomen, non Græcum, 653. b. Transitum significat, *ibid.* c. Pascha Judæorum umbra veri Paschatis, 630. a. 653. c. Verum Pascha, Christi immolatio, 653 d. Cùm Christus transiit ad Patrem, spes membris in capite data est quòd essent secutura, 653. d. Fideles transeunt de mundo, infideles cum mundo, 653. f
Pascua vera, in altera vita, 602. a. 615. f
Pastor in Ecclesia unus, 604. d. 605. c. Pastoris vox, in qua solæ oves Christum audiunt, non alienum, 600. c. Pastori jubetur ut animam ponat pro ovibus suis, 607. c. Pastores cùm animam pro ovibus suis posuerunt, ipse unus Christus posuit, 607. d. Vox pastoris in qua solæ oves Christum audiunt, non alienum, 600. c
Passio, affectus. *Vide*, Perturbatio.
Passio Christi per aquam turbatam piscinæ significatur, 423. f. Passioni Christi simile est cælum roseum vespere, 243. g. *Vide*, Christus. Quod te permiserit pati Deus, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis, 344. c
PATER quomodo æternus æternum generat Filium, 452. c. Quomodo loquatur Filio, 476. f. 567. d. Patrem inter & Filium magna caritas, 405. a. Pater non est incarnatus, 548. a. Patrem majorem se Christus appellavit ex forma servi, 699. b. c. 700. d. Pater quomodo non judicat quemquam sed omne judicium dedit Filio, 550. b. *Vide*, Trinitas.
Pater-familias episcopale officium in domo sua debet implere, 638. f. g
Patriæ cælestis laus, 520. a. In patria erit gaudium sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube, 511. a. Patria superna desideranda, 543. b. 569. c. Patria est vita Christi, via mors Christi, 509. d
PAULUS idem est ac modicus, 878. g. Pauli gratus in Deum animus, 878. c. Ejus Caritas prædicatur, 865. c. Paulus & Barnabas psallentes in vinculis, 788. b. Paulus jam Apostolus artem didicit, unde viveret, 811. b. In se ipso Stephanum martyrem vindicabat, quomodo, 199. b. Gloriam suam non quæsivit, 371. c. Judæos ac gentes gratiæ vinculo in Christo connectit, 921. c
Pauperes pedes Domini, 631. c. Pauperes spiritu intelliguntur humiles & timentes Deum, 166. d
Pax in Scripturis & concordia, 440. a. Pax hominis vera quæ, 167. f. Pax mundi differt à pace Christi, 698. c. Pax duplex Christi, altera in hoc mundo, altera in futuro, 697. d. Pax hujus mundi non est plena, 698. a. Pax in hac vita non reperitur, 138. c. Pax perfecta non erit, nisi post corporis immutationem, 905. d. Pax perfecta bonam voluntatem sequitur, 905. f. Pax inter nos præcipitur nobis, 538. b. Propter pacem totum agitur quod Christiani sumus, 758. c. Pax omnis piæ nostræ intentionis actionisque finis, 758. d. propter eam credimus, speramus, diligimus, sacramentis imbuimur, *ibid.* Pax nos in pressuris consolatur, & à pressuris omnibus liberat, *ibid.* Pax sanat æmulationem, 973. g
Peccatum est Legis transgressio, 32. c. Peccatum cur dicitur assumtio carnis mortalis, 911. b. Peccatum, non intelligendo, sicut tenebræ non videndo, dignoscitur, 910. a. In peccato tenebræ & frigus, 469. c. 813. d. Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant, 294. d. Peccatum mors animæ, 620. c. Peccati servitus miserabilis, 572. a. Tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione & consensione, 179. c. Tria hæc similia sunt his quæ in tentatione primi parentis acciderunt, *ibid.* c. Peccamus non in desiderio pravo, sed in consensione, 905. d. Sponte peccavit homo, sed non sponte damnatus est, 913. d. Gradus in peccatis & in reatu, 174. g. Peccati genus triplex, 620. b. Peccati tres differentiæ, 180. b. tamquam tres mortes, *ibid.* Peccatorum quatuor genera, 624. c. Peccata grandia & peccata minuta, 190. c. Peccata sunt aliqua in Christianis, quæ inimicorum persecutione graviora sunt, 197. b. Peccatum ad mortem, 163. 164. Peccati ad mortem tanta labes est, ut deprecandi humiliratem subire non sinat, 197. f. Peccatum ad mortem, 197. c. Pro peccante peccato ad mortem, non orandum, *ibid.*
Peccata sine quibus hîc non vivitur, pedum lotione significantur, 657. a. *& seq.* 662. a. Nemo sine peccato in hac vita, 574. d. Sine omni peccato esse non nisi in resurrectione sperandum est, 972. b. Sine peccato non vivit homo in rebus humanis, 657. a. c. 658. a. Arguitur nemo nisi de peccato, 731. b. Peccata levia non potest homo non habere, quamdiu carnem portat, 830. c. Peccasse se qui negat, Deum facit mendacem, dum se vult facere veracem, 830. f. Peccatum fragilitatis si irrepserit, quid faciendum? 831. a. Peccatum minuitur in vita proficientium, consumitur in vita perfectorum, 574. g. Peccata levia multa, faciunt unum grande, 830. c. Minuta plura peccata si negligantur occidunt, 390. d. Peccata levia si contemnis, quando appendis; expavesce quando numeras, 820. c. Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus: usitata verò sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur, 963. f. Peccati gravitas turbare nos debet, 626. c. Peccatorum farcina quàm citò deponenda, 375. a. Peccata malæ consuetudinis difficilè solvuntur, 628. b. Peccatorum confessiones ulcera, 264. d. Peccatum irremissibile nullum est, præter perseverantiam in nequitia, cum desperatione indulgentiæ Dei, 939 d. Peccatum nullum est quod pœnitenti & veniam deprecanti per Ecclesiam non dimittatur, 252. c. Nullum est peccatum de quo venia non debeat sperari, 523. f. 558. a. 565. d. 574. a. 620. f. Peccato quodam non admisso, solvuntur cetera; admisso, confirmantur cetera, 858. a. Peccata per Legem ablata non sunt, 906. c. Peccata non aufert nisi gratia fidei, quæ per caritatem operatur, 942. b. Peccatum non deputabatur, id est non apparebat, 906. c. Peccatum per gratiam solam auferrur, 905. b. Ut peccato moriamur, gratiæ opus, 907. f. De peccato solus liberare potest qui sine peccato venit, 572. c. Peccata tolluntur, dum mors Christi adcenditur, 388. d. f. g. Peccati corpus evacuare, quid, 908. a. Peccato potest anima mortua esse quamvis quasi adhuc vivat peccatum, 908. c. Quando morietur peccatum, *ibid.* f. Mori potiùs eligendum est quàm peccare, 637. c. 639. g. Ut non peccemus liberum arbitrium non est in nobis ante gratiam; sed tantùm ut peccare nolimus, 905. f. Peccando quisque animam suam diabolo vendit pretio voluptatis, 909. f. Qui peccarunt accepto baptismate, non possunt iterum eodem sacramento purgari, 937. c. Tales per pœnitentiam curari dicuntur, non renovari, 738. a. Peccata ignorantiæ etiam possunt esse in baptizatis, 915. g. Peccatum non regnet in Christiano, 576. a. Peccatum quomodo non regnat in nostro mortali corpore, 908. c. Peccatum in nobis non regnabit, si desideriis quibusdam non obedierimus, 905. d. Peccati regnum evertitur duobus modis, 199. a. Aliud est non peccare, aliud non habere peccatum, 972. b. Peccata sua homini displicent, cùm ei Deus lucet, 389. g. Peccata adduntur peccatis, cùm peccata quæ facta sunt, cooperiuntur aliis peccatis, 370. b. Peccata, quæ occultè fiunt, dulciora, 909. c. Quomodo viri sancti nonnulla peccata morte puniernnt, 193 g. Dominus peccata non puniendo, non favet peccatis, 532. f
Peccare in Spiritum-sanctum quid, 198. a. 933. a. *& seq.* Peccat in Spiritum-sanctum, qui desperans, vel contemnens prædicationem gratiæ & pacis, detrectat agere pœnitentiam, & in finem usque perdurat, 933. b. 940. b. Delicta invicem nobis donare debemus, & pro his invicem orare, 662. c. &c. Nihil sic probat spiritalem vitum, quàm peccati alieni tractatio, 974. f. Peccatum, sacrificium pro peccato, 573. b
Peccator terra appellatur, 207. c. Peccator scabellum pedum Dei, 189 a. Peccatoris descriptio, ubi de ejus conversione, 254. a. Peccatores cæci sunt corde, 297. b. Quid agere debent ut curentur, *ibid.* c. Peccator in peccatis suis restem sibi texit, 370 b. Peccatores sic amant mansuetudinem in Domino, ut timeant veritatem, 532. g. Peccator priùs cognoscitur & quæritur à Deo, quàm Deum cognoscat & quærat, 351. c. Peccatores exaudit Deus, 593. f. Peccator quomodo sanetur, 255. f. Peccator ut resurgat imitari debet Christum resuscitantem Lazarum, 626 c, *& seq.* Peccator fremere debet, cùm reum se agnoscit, 626. c. Peccator non sibi parcat, 390. a. Peccator etsi confiteatur, adhuc reus est, nisi ministri solverint, 628. c. Lazari suscitatio allegoricè exponitur de suscitatione peccatoris, 468. c. Peccatores quoslibet qui negarunt ad pœnitentiam admittendos, ab Ecclesia excommunicati sunt; 935. c
Pecorum vita quæ, 434. a
Peculatus furtum de re publica, 632. g
Pecuniæ aliquid an liceat servare, cùm Dominus jusserit non cogitare de crastino, 669. f
Pedes hospitum lavandi consuetudo est apud plerosque, 661. f. Laudanda hæc consuetudo, *ibid.* g. Pedes hospitum lavat qui humilis est corde, *ibid.* Explicantur allegoricè quæ gessit Christus lavando pedes discipulorum, 655. c. Pedes inquinantur etiam cùm ad Christum per terram venitur, 657. g. 658. c. d
PELAGIANI præcipitatores liberi arbitrii, 704. c. Pelagianorum sententia de loco ubi maneant beati innocentes qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, 678. d. Pelagiana hæresis, 901. *Retr.*
Perditos homines quasi nescit Dominus, 627. c
Peregrinum in mundo quis se intelligit, 511. g
Perfectio boni est consumtio & finis mali, 576. d. Qui tendit ad perfectionem, conari debet ut in proficiente concupiscentia minuatur, 576. c. Perfectio dilectionis est, & inimicos diligere, & ad hoc diligere ut sint fratres, 832. b
Perire Deo dicitur quisquis ab illa beatitudine quam dat sanctis suis, per supplicium separatur, 719. c. Perfectio sit & toleratur propter justitiam, & propter iniquitatem, 716 c. *& seq.* 717. b. In perfectione fugere licet in alium locum, 408. b. Persecutiones non mutant viri apostolici, 171. c. *& seq.*
Persecutores diligendi, 191. g
Perseverare usque in finem, hoc est ovium vocem pastoris audientium, 600. c
Personarum acceptio, 520. b
Perturbationes animorum quatuor, timor & tristitia, amor & lætitia, 665. c. Has in sapientem cadere immeritò Stoïci negant, *ibid.* b. Possunt eas in se excitare Christiani, *ibid.* Perturbationibus Deus non subjacet, 904. c
Perventores quinam dicuntur, 53. c
Petitio, inquisitio, pulsatio quid, 229. g
PETRUS non à se, sed à Domino beatus, 612. c. Petro quare nomen mutatum est, 347. f. Petrus corpus Ecclesiæ & bonos in Ecclesia significat, 633. d. Unitatis personam gerens pro omnibus Christum confessus est, & ab eo claves accepit, 800. g. Qui Deo placet simul & hominibus, non utique placet hominibus, 944. f
PLATO nobilissimus discipulorum Socratis, 7. b
Pœnam Deus redderet, si vellet mercedem reddere, 906. b. Pœnæ meritum inchoat infidelitas & impietas ut per ipsam pœnam homines malè operentur, 901. *Retr.*
PŒNI & Chananæi iidem sunt, 932. c
PONTII Donatistæ falsum miraculum, 398. g
Populi duo, fidelium & infidelium, prædestinatorum & reproborum, 404. b
PORPHYRIUS Siculus, 10. g
Possessiones omnes jure humano possidentur, 340. c. Possessiones à Donatistis meritò auferri, *ibid.* g. *& seq.*
Potestatibus terrenis quatenus nos subjici necesse est, 920. d. 921. b
Præcepta minora data sunt Judæis, majora Chri-

INDEX IN SECUNDAM PARTEM

stianis, quare, 166. a. Præcepta divina meditari & operari, panis noster quotidianus, 210. c. Præceptorum observatio, signum mansionis in dilectione Christi, 706 c Præcepta Christi non ostentatione corporis, sed animi præparatione facienda, 788. a
Prædestinatio æterna & immobilis, 679. c. 707. c. 776. b. Hinc Christi gaudium de nobis ab æternitate, 707. d Qui certis & immutabilibus caussis omnia futura prædestinavit, quidquid facturus est fecit, 761. g. 762. c. 764. d
Prædestinatus negari Christus non potest, 763. d. e. *Vide*, Christus.
Prædestinati oves Christi, 599. f. g. Aliquando errant, & foris sunt, 600. a. Sed si prædestinati sunt, ad tempus errant, in æternum non pereunt, *ibid.* d. Lupus, fur, & Latro non perdunt nisi ad interitum prædestinatos, 615. g. Christo dati non sunt, quibus vitam non dabit æternam, quamvis & ipsorum potestas ei data sit, 779. g
Prædestinata ad salutem, 642. g
Prædestinari ad damnationem & ad sempiternum interitum, 615. c. g. 770. a. 775. c. 782. f
Prædicatores, Angeli adscendentes & descendentes, 352. b. Verba proferunt, Deus dat verborum intelligentiam, 567. a. Prædicatores verbi Dei, unde solatium habent quando appellantur seductores, 513. c. Horum periculum, ne superbiant, 658. e. Tutiùs veritas auditur quàm prædicatur, *ibid.* Prædicatores si reprehenduntur perturbantur, si laudantur inflantur, 660. b. Prædicatio verbi divini cum timore suscipienda, 658. e. f. Non tamen cùm necesse est omittenda otii sancti caussâ, 659. c. nec metu peccandi, *ibid.* g. 660. a. b. Prædicandi Christi caussâ aliquando otium sanctum relinquendum, 659. c. *& seq.* Nec metuenda levia peccata, 659. g. 660. a. b
Præparat Deus voluntatem, 901. *Retr.*
Præscientia Dei non cogit ad peccandum, 645. c
Præsentator quis existimandus, 950. b
Preces. Juris forensis est, ut qui in Precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetravit, 346. d
Preces sanctorum semper exaudiuntur ad salutem, non semper ad voluntatem, 866. c. d. &c. 867. b. d. *Vide*, Oratio.
Priapum fecunditatis Deum interpretantur Pagani, 17. a
Primianus Donatista, 371. a
Primitiæ vini libatæ simulacris, 912. b
Primogenitus ex mortuis Christus, 915. a
Principium esse, an soli Filio Dei conveniat, 561. a
Processio Verbi, 579. c
Prodigia unde dicta, 420. a
Prohibitione concupiscentia ardentior facta est, 905. c. 907. c. 908. g
Promissio Dei, fundamentum fidei nostræ, 537. c. Promissa carnalia facta sunt in vetere Testamento, spiritalia siunt in Novo, 311. c. *& seq.*
Prophetiæ spiritus etiam per malos homines futura prædicit, 629. a
Prophetia de Christo non sesuit omnibus temporibus superioribus, 361. c. Prophetia omnis de Christo, ad omnes gentes pertinebat, 364. d. *& seq.* Propheta in qua Christus non intelligitur, aqua est, 361. c. e. 362. c. Prophetia de Christo impleta, 21. a. *& seq.*
Prophetæ, lucernæ, 473. b. Prophetæ boves, 371. b. Prophetæ non fuerunt fures & latrones, 595. d. Prophetæ & vates quomodo futura prædixerunt, 16. d. Prophetæ figurâ imprecantis solent futura prædicere, sicut figurâ præteriti temporis ea quæ ventura erant sæpe cecinerunt, 196. g. Libri Prophetici Christo non intellecto insipidi & fatui, 361. d
Propolarii, 370. g
Proverbia sunt animali homini quæcumque dicta sapientiæ de intorporea immutabilique substantia, 754. f
Providentia. Nulla creatura est, quæ non, velit nolit, divinæ providentiæ serviat, 961. f. Deus liberam voluntatem rationali creaturæ suæ non negavit; & tamen potestatem, qua etiam injustos justè ordinat, sibi retinuit, 962. c. Dæmones divinæ providentiæ procuratores & actores, 961. g
Providentia carnis quando non culpanda, 921. f
Proximum diligere non potest qui Deum non diligit, 970. b. De dilectione Dei possunt mentiri homines quia rariores tentationes eam probant; non ita de dilectione proximi, 970. a
Prudentiæ definitio, 911. c. Prudentia spiritus in quo posita sit, 911. c. Prudentia carnalis, quæ, 911. c
Psalmus ab uno cantatus, 371. d. 387. f Et à pluribus, 387. f. Psalmus vigesimus primus, omni anno novissima hebdomada legitur, 397. g
Puteus & fons in quo differunt, 408. f
Pythagora nihil clarius in virtute contemplativa tunc habuit Græcia, 7. a. Is nec de se, nec de ulla re aliquid scripsit, *ibid.*

Q

Quadragenarius numerus, perfectus & sacratus, 424. a. Sacramentum est laboriosæ hujus vitæ, 30. f. *& seq.* Quomodo, 31. b
Quærere Deum & ad laudem & ad damnationem pertinet, 630. d. Quærentium Dominum genus duplex, 555. f. Hoc est Christum malè quærere, in peccato suo mori, 556. a
Quæstionem qui non videt, non intelligit solutionem, 513. g. Omnis quæstio nisi intentum fecerit proposita, non delectabit exposita, 439. a
Quinarius numerus imperfectus, senarius vero perfectus, 487. d

R

Racha quid, 174. c. Vox indignantis, 635. c.
Rachel interpretatur visum principium, 5. d. Figura est vitæ contemplativæ, 5. d.
Reconciliati Deo sumus, non sicut reconciliatur inimicus inimico, quasi Deus incipiat amare quos oderat, 778. b
Recti corde qui, 492. c. d. 510. b
Regnum Dei, regnum cœlorum adhuc ædificatur, 680. c
Regnum Christi est in hoc mundo, sed non de hoc mundo, 792. a
Regna terrena quibus voluerit Deus, & quamdiu voluerit, vel finendo, vel donando distribuit, 9. c
Remissio peccatorum, ubi Ecclesia est, 900. f
Reprobi secundùm aliud sunt ex fidelibus, & secundùm aliud non sunt, 666. f. g. *Vide*, Prædestinati.
Requies Dei ab operibus suis, 448. g. 449. a. Quare à Scriptura commemoratur, 449. b
Requiem sperare non debemus nisi post bona opera, 449. a. Requies continuò post mortem, 623. c
Referipum, 346. d
Resistere. Nihil nobis resistit non resistentibus D.o, 905. c
Resurrectio spiritalis quæ, 440. c. *& seq.* 441. a
Resurrectio animarum & corporum, finis prædicationis & dispensationis Christi, 475. c. d
Resurrectio corporum promittitur, 248. a.
Resurrectio carnis à quibusdam negata est, 444. b. Contra illos adstruitur, 445. b. 446. d. 470. f. Resurgent omnes homines simul, 623. c. In Resurrectione mortuorum corpus erit spiritale, 901. *Retr.* Post resurrectionem gaudium bonorum amplius erit, & malorum tormenta graviora, 623. d
Resurrectio Christi, ejus clarificatio, 671. f. g
Resurrectionem suam & nostram diverso tempore futuram Christus indicat, 693. f. In Resurrectione Domini designatur novi hominis instauratio, 907. g. Resurreximus in Christo, in quo crucifixi fuerannus, 903. a. Resurgentium aliorum Christus est princeps, 928. d. Christus resuscitavit quosdam, ut ad resurrectionem generalem præpararemur, 619. c
Revixit, pro apparere cœpit, 909 b. d
Rogatus, 371. a
Roma primordia, facinorosorum asylum, Romuli fratricidium, 9. c
Romani Deum Hebræorum non receperunt, quia se solum coli voluerit, 11. f. Romani Deos gentium quas subjugabant, colendos percipiare solebant, 9. a. Quare Deum Judæorum recipere noluerunt, *ibid.* Urgentur, 11. c. Romani pallori & febri fana fecerunt, 11 c. ἀλεξικάκους dæmonas invitandos, & κηλῆδας dæmonas placandos monent, *ibid.* Romanorum fata Sibylla cecinit, 12. d
Romulum ad Deos immortales benevolentiâ famâque sustulerunt Romani, 14. d
Roscius histrio, 24. d

S

Sabbati sacramentum, 448. f. Sabbatum spiritaliter observandum præcipitur, 311. a. Illud serviliter observabant Judæi, *ibid.* & 448. f. Sabbatum spirituale, 592. c. Sabbatum per misericordiam, & judicium, & fidem insinuabatur à Christo, 246. b
Sabellius non intravit per ostium in ovile, 596. b. Ejus hæresis, 515. f
Sabelliani, 611. b. 565. c. 568. a. 684. c. 685. d. 734. f. Sabellianorum seu Patripassianorum error, 548. a. e. 552. f. Sabelliani Filium à Patre non distinguunt, 685. d. Sabelliani confundentes Filium cum Patre urgentur, 644. f
Sacerdotes summi plures erant per ambitiones & contentiones inter Judæos, 629. b
Sacramentum, visibile verbum, 703. c. Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum, *ibid.* Aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti, 498. c. Sacramentum & virtus Sacramenti quandoque separantur, 868 f. Sacramentum non intellectum piè terret animam; intellectum autem gaudium pium parit, 952. b Sacramenta de latere Christi profluxerunt, 409. f. Cur Catechumenis Sacramenta fidelium non prodantur, 735. a. Sacramenta in eis, qui mundum diligunt, remanent ad damnationem, non instrumenta ad salutem, 840. c. Spiritaliter nascimur verbo & Sacramento, 385. f
Sacrificia carnalia data sunt Judæis, ne in idola defluerent, 369. c
Sacrificia in torcularibus gentes faciebant, 922. b
Sæculi hujus mare nemo potest transire, nisi cruce Christi portatus, 298. d
Salus Angelorum hominum & pecorum à Deo, 534. f. *& c.* 535. a. Salus hominum propria quæ, 537. g. Salus hominis duplex, 535. b. Arguuntur qui curam salutis aliorum sumere nolunt, 272. d. Salus carnis cùm reparatur, mors non aufertur sed differtur, 517. c. Salus corporis à Deo petenda quomodo, 346. g. Salus corporalis à Domino est, per quemlibet detur, 517. d. e
Salus Punico idiomate, Tria, 931. d
Salutatione cur Epistola ad Hebræos caret, 931. e
Samaritana, forma Ecclesiæ, 410. c. Fidem Samaritanæ sitiebat Jesus, 417. b
Samaritanus interpretatur custos, 583. c. Christus verus Samaritanus, 583. c
Samaritani credentes in Christum non visis signis, figura Gentium, 420. d
Sanguinem Christianorum pretiosum fecit Christus, 607. c
Sancta obesse possunt, 336. f
Sanctificari in veritate est sanctificari in Christo, 770. g
Sanctificationes veteris Testamenti, umbræ fuerunt veræ sanctitatis, 770. g
Sancti lumina illuminata, 651. a. ligna imputribilia, 338. c. sunt templum Dei, domus Dei, regnum Dei, 679. g. 680. a. Non carent in hac vita concupiscentiæ motibus, 901. *Retr.* Sancti in cælo diversâ gloriâ fulgent, 678. b
Sanitas multis obest, 347. a
Sapientiæ Dei participatione fit sapiens quæcumque anima fit verè sapiens, 15. g. 16. a. 25. d. Sapientiæ secreta turbant eos qui perverso sunt corde, exercent eos qui recto sunt corde, 448. c. In Dei sapientia omnia sunt, 205. d. Ut via sapientiæ inveniatur, mundo & simplici oculo opus est, 235. c
Sara sterilis, 966. a. Abraham propagandæ prolis operam ad Agar ancillæ fecunditatem ab uxoris Saræ sterilitate transtulerat, 966. c
Satietas æterna quæ, 490. f
Saturnus Latinè sic dictus, quasi saturetur annis, 15. c. Secundùm recentiores Platonicos velut à satietate intellectûs sic Saturnus appellatur, *ibid.* c. Græcè κρόνος vocatur, *ibid.* Quare falcem tenet, *ibid.* b. & simulacrum ejus cooperto capite fingitur, *ibid.* Saturnum inter fidera maleficum deum constituerunt Mathematici, 16. b. Saturnus Hebræorum Deus putatus, quare, 11. d
Sauli, & Pauli quæ diversitas, 878. f
Sol. Qui scandalizantur in Christo, tamquam à sole uruntur; qui in Ecclesia, tamquam à luna, 833. f
Scenopegia festum tabernaculorum, 508. d. 511. e. 525. c Festum Scenopegiæ, mysterium Christi, 520. c
Scientia cum caritate utilis, 503. c
Schismata unde nascantur, 831. d. Hæreses & schismata significantur per filios Cethuræ, 965. g. Hæretici & schismatici de matre adolescentula & de Patre sene nati sine repromissione, 966. c. de libera nati, sed secundùm carnem, testimonio pronuntiatus est, 7. a. 12. a. Circa virtutem activam versatus est, 7. a. Æsopi fabulas paucilis versibus prosecutus est, *ibid.* b. Nihil scribere voluit, *ibid.*
Sol solius diei vel etiam universi cælestis caloris præpositus, 20. b
Solitudo necessaria menti nostræ ad videndum Deum, 427. f
Sortilegi, ad sortilegos & præcantatores non recurrendum in morbis, 344. g
Spectacula Christianorum, 344. a
Sperando & desperando homines perficiantur quomodo, 533. d. Quomodo sperantibus & desperantibus consulit Deus, *ibid.* f
Spes nostra in promissione Dei fundatur, 537. c. Spes per ovum significatur, 257. b
Spiritale non semper in laude ponitur, 654. e
Spiritalis, sedes Dei dicitur, 188. g. Spirituales non sunt sub lege, sed cum lege, 909. f. Spirituales gratia facit, 901. *Retr.* Spiritalis est, qui nec capitur temporalibus bonis, nec terretur temporalibus malis, 909. f
Spiritus-sanctus donum Dei, 410. g. Digitus Dei, 67. c. Pignus sponsæ Christi, 354. f. 517. d. Spiritus-sanctus designatus nomine gratiæ & pacis, 931. g. nomine societatis, 932. a. Spiritus-sanctus ostiarius, 603. c. Spiritus-sanctus Patri & Filio consubstantialis & coæternus, 690. g. Utrùm & à Filio procedat, 746. f. *& seq.* Spiritus-sanctus intelligitur nominato Patre & Filio, 363. c. Spiritus-sanctum esse negarunt Sabelliani, Deum esse inficiati sunt Ariani: corruptibilem esse ac missum tantùm post trecentos annos fabulari sunt Manichæi: Cataphryges adventum ejus in Apostolos negabant, sed Prophetas in Phrygia elegisse fabulabantur: denique sacramenta ejus Donatistæ exsufflabant, 935. a
Spiritus-sanctus in columbæ specie venit, 876. g. Quare in specie columbæ super Christum apparuit, & in igne super discipulos, 331. b. Quare in linguis dispertitis apparuit, 334. d. Spiritus ad mensuram datur hominibus, non Filio Dei, 405. f. 692. b. d. Spiritum-sanctum Christus bis manifestè dedit discipulis, 691. f. g. Quomodo Spiritum-sanctum acceperi erant discipuli, quem jam habebant, 691. a. *& seq.* Quomodo non erat datus ante Christi resurrectionem, 527. f. 529. d. 671. g. An Spiritus-sanctus ante Christi adscensionem non fuerat datus antiquis justis, 642. a. Spiritus-sanctus per manuum impositionem etiam nunc accipitur, 868. c. Spiritum-sanctum mundus accipere non potest quare, 692. c. Spiritum-sanctum quisque tantum habet, quantum Ecclesiam diligit, 528. f
Spiritum-sanctum scire non possumus nisi sit in nobis, 692. g. Spiritus-sanctus adsertor ac dux libertatis, 974. d. Sine Spiritu-sancto, nec Christum diligere, nec mandata ejus servare possumus, 691. a. 692. a. Vox spiritus, quæ, 385. f. Spiritus-sanctus quosnam facit gemere, 330. c. Gemere dicitur, quòd nos gemere faciat, 914. d. A timore mortis vindicat, 912. f. De peccato in Spiritum-sanctum, 933. a. In Spiritum-sanctum peccat, qui desperans, vel contemnens prædicationem pacis & gratiæ, detrectat agere pœnitentiam, & in finem usque perdurat, 933. b
Spiritu qui non ducuntur, sequitur ut carne ducantur, 971. c
Spiritus, pro marito, 303. b
Sponsa Christi quæ, 354. f. g. *& seq.*
Squalor & habitus incultus in professione Christianitatis, jactantiæ caussâ esse potest, 216. e
Stephanus simplex & fervens, 331. d. Amabat à quibus occidebatur, quia & pro ipsis moriebatur, 858. e
Stigmata, quæ dicantur, 979. b
Suggestiones quomodo cogitationibus humanis misceantur, ignorat homo, 654 c. Suggestiones aliæ bonæ sunt, aliæ malæ, 654. c. f. Suggestio dæmonis spiritaliter sit, 654. d
Superbia caput omnium malorum, 491. c. f. Vitia diabolica superbia & invidentia, 162. a. Superbia exstinguit caritatem. 830. d. Superbiæ & caritatis eadem extrinsecùs effecta, 881. g. Superbia caussa exacerbationis Judæorum, 647. d. 648. a. 649. b. Superbiam nostram domat Deus per vilissimam creaturam, 295. c. Superbiam nostram Christus humilitate sua curat, 491 c
Superbus blanditur, sævit amor, 882. d. Superbi per nonaginta novem oves in deserto relictas, & per novem drachmas, significantur, 258. e. Superbi non sanantur à Christo, 350. b. Superbum quemcumque diabolus fecerit, vincit, Superflua eroganda pauperibus, 631. c. Capillis superflua significantur, 631. c. Superfluum est quod nec prodest, nec nocet, 952. f
Superstitio pluviæ comparatur, 236. c
Suspiciones, tentatio humana, 720. d
Susum, Jusum, 878. c. Susum me honoras, Jusum me calcas, 899. c
Synagoga ex congregatione appellata est, 925. d

T

Tabernaculum Christi caro ejus, Ecclesia ejus, 848. c. Tabernaculum suum in Christus in sole posuit, id est carnem suam in manifestatione hujus lucis ostendit, 817. c
Tempus. In omni motu creaturæ præteritum & futurum invenitur, non verò præsens, 559. f. Superstitiosa temporum observatio tempore Augustini multùm usitata, 964. c. d. e. Quàm sit animæ periculosa, *ibid.*
Temporalia bona in aliis invidere mercenariorum est, 312. d
Tenebræ non nisi lucis comparatione sentiuntur, 909. g. Tenebræ quenam timendæ, 739. a. Tenebræ ad veterem hominem, lux ad novum pertinet, 832. g
Tentatio duplex, altera seductionis sive deceptionis, altera probationis, 63. b. 584. c. Tentatio duplex, aut in spe adipiscendi commodum temporale, aut in terrore amittendi, 234. c. Tentationes duæ, in prosperis & in adversis, 390. c. Tentationes ex rebus calamitosis non valent in nos, si non valent tentationes ex lætis, 215. g. Timoris tentatio trina, 248. e
Tentatione vacare impossibile est in hac vita, 214. c. Aliud est tentari, aliud in tentationem induci, 212. b. 214. a. Quomodo Deus in tentationem inducit, 212. a. Tentat Deus non ut sciat, sed ut scire faciat, 212. c. 584. d. Tentationes per Satanam quare, & quomodo siunt, 213. f. Tentatio humana quæ, 213. g
Tentationi quomodo non ceditur, 214. b. In tentatione quid agendum, 368. b. 640. b. c. Tentationibus qua ratione Christus restitit, 842. c. &c. 843. a. &c. Quomodo nobis resistendum, *ibidem.* In tentatione apparet, qualis sit homo, 604. d
Ternarius numerus perfectionem justitiæ significat, 192. f
Terræ nomen designat peccatrices animas, 188. g. Terrenarum rerum indigentia sollicitat animam, 911. g. Quomodo terrenis uti debeant Sapientiæ filii, 253. c. *& c.*
Testamentum Vetus hordeo comparatum, 483. c. Vetus Testamentum etiam ipsum Lex Christi, 976. d. Testamentum Vetus ad timorem pertinet, 912. b. & ad veterem hominem, 519. f. Carnalia promittebat, 519. c. f. Testamentum novum pertinet ad caritatem, 912. b
Testes Dei, Martyres, 827. c. d. Testes Deus habere voluit homines, ut & homines habeant testem Deum, *ibid.*
Testis noster ille sit, quo judice coronamur, 864. g
Thalamus sponsi, uterus virginis, 827. e
Theatra, caveæ turpitudinum & publicæ professiones flagitiorum, 24 c
Thomas tetigit hominem, & confessus est Deum, 828. b. Thomam apostolum in quemdam à quo palmâ percussus esset, vindicasse ferunt Manichæorum libri, 194. d
Timor, animi fuga, 606. c. Timoris duplex genus, 711 c. Timor servilis & timor castus, 384. c. Timoris casti & non casti discrimen, 889. a. *& seq* Timor pœnæ ducit ad amorem justitiæ, 575. d. Timor quasi locum præparat caritati, 888. b. Timor medicamentum, caritas sanitas, 888. g. Timor sanctus, crux de qua Dominus dicit, Tolle crucem tuam, 974. b. Timore sancto crucifigi optat Propheta, 972. b Timorem utilem Deus inserit, 830. g. Timoris Dei amica vulnera, 888. e. Qui propterea non occidit, ne & ipse occidatur non impleri præceptum justitiæ, 969. a
Torcular. In Torcularibus sacrificia gentes faciebant, 222. b
Tradidit apud Paulum, idem ac dimisit, 905 d
Trahi ad Christum quis censendus, 495. d. g. Pater trahit, dum docendo delectat, 496. g. Voluptate trahimur ad Christum, 495. d. Trahere est opus gratiæ, 494. e. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli judicare, si non vis errare, *ibid.* Qui non trahitur, oret ut trahatur, *ibid.* An qui trahitur invitus veniat, 494. f. 495. a
Transeuntibus non hærendum, 370. c

TERTII TOMI.

INDEX IN SECUNDAM PARTEM.

Tria Punicè, Salus Latinè, 932. d
Tribulationes. Per disciplinam reguntur boni, mali verò comminuuntur, 30. f. Consolatio in tribulatione & tentatione quæ, 368. a
Tribus Israël quomodo duodecim fuerunt exceptæ tribu Levi, 28. f
Tricesimus numerus quid significat, 487. d
Triduum Dominicæ sepulturæ quomodo intelligitur, 241. f. 135. c
TRINITAS, unus Deus, 561. c. 562. c. Tertius Trinitatis una est substantia, 723. b. Trinitatis una voluntas, una potestas, una majestas, 472. a. Trinitatis personæ inseparabiles, 729. g. 731. a. Opera inseparabilia, 449. c. g. 451. g. 452 c. 453. a. 731. a. 738. d. 776. f. Trinitatem panis nomine Salvator designavit. 932. g. Trinitatis intelligentia consolatur vitæ præsentis labores, 156. d. In Trinitate forma humana, nisi ut ad Verbi Incarnationem pertinet, non est cogitanda, 566. a. Trinitas in sanctis tamquam in templo manet, 696. e
Trinitatis unitatem utcumque exprimunt fideles, quorum erat cor unum & anima una, 562. c. Qui Trinitatis Personas negarunt, de Ecclesia projecti sunt, 547. c. 548. c. In Trinitate est perpetua stabilitas veritatis, 549. d. Pater & Filius & Spiritus-sanctus inseparabiliter sibi cohærent, 455. d. Quomodo Pater, Filius, & Spiritus-sanctus ad nos veniunt, & nos ad eos, 696. a. Filius coæternus Patri & æqualis, 616. b. 431. a. Quomodo mandatum accepit à Patre, 623. g. Qui non honorificat Filium ut æqualem Patri, non honorificat Patrem, 419 c. Quomodo Pater in Filio, & Filius in Patre, 618. a. Filius Dei se Deum esse probat, 617. f. Patrem nemo novit nisi per Filium, 608. a. Filius Dei hoc omne est quod habet, 616. c. Quomodo Pater demonstrat Filio quæ ipse facit, 456. d. 475. c. Quomodo eum sanctificavit, 617. g. Patrem invisibilem dicebant Ariani, Filium visibilem, 648. c
Tristitia, animi contractio, 606. c
Tunica Christi de super texta caritatem significat & unitatem, 397. c. 800. c

V

VANITATI subjecta est omnis creatura, id est homo, 913. a. Vanitati subjecti non sunt Angeli, 912. g
VARRO doctior ceteris inter Paganos, 13. d
Ubera Matris Ecclesiæ duo Testamenta, 843. f
VERBUM Dei quale, 292 d. 293. a. Ejus natura est esse & immutabile esse, 298. a. Verbum Dei, consilium Dei, 293. b. Verbum, fons & lux, 393. b Verbum Dei ante omnes creaturas, 507. a. In verbo dixit ineffabiliter omnia Pater, 767. f. Verbum divinum cum verbo humano comparatur 403. Verbi humani natura non potest comprehendi, quantò minùs divini, 551. g. 552. a. Verbum humanum sic transit ad alterum, ut remaneat in corde, 551. g. Per Verbum Dei omnia sunt facta, 293. c. 294. c. *& seq.* Ipsum Dei Verbum non est factum, *ibid.* f. In Verbo audire & videre &c. idem est quod esse, 435 c. *& seq.*
Verbum carnem accepit, non verò in carnem mutatum est, 5. a. Verbum carnem induens, sinum Patris non deseruit, 541. a. b. Verbum induens se carnem, factum est nobis via, 538. a. Verbum Dei ad nos venit, ut esset quà ad patriam rediremus, 298. c. 299. d. Verbum ex homine nasci voluit, ut homo ex Deo nasceretur, 303. c. Cùm Verbum non erubuit nasci de homine, non erubescant homines nasci de Deo, 306. f. Christo secundùm id quod pro nobis factus est, hærendum est, ut perveniatur ad eum, secundùm id quod est, 298 d. Per Verbum incarnatum, perveniendum est ad Verbum increatum, 256. f. 392. c. Verbo vitæ tamquam pane suo Angeli cibantur, 827. a. Verbum, panis Angelorum; Verbum caro factum, panis hominum, 392. f. Verbum quia homo non poterat manducare; caro factum est, ut posset homo fugere, 294. g. Verbum cibus est, ad quem capiendum non omnes validi sunt, 294. c. Per Verbum non refici intur, qui malè de Verbo sentiunt, 294. a. Verbum caro factum est, quam videre possemus, ut sanaretur in nobis, unde Verbum videremus, 817. b. Verbum quomodo manibus tractatur, 826. c Verbum, quod caro factum est, ut manibus tractaretur, cœpit esse caro ex virgine Maria; sed non tunc cœpit Verbum, *ibidem.* Verbi factum, verbum nobis est, 482. b
Verbum Dei, semen quod spargitur in cordibus, 304. c. Verbum Dei audire non sufficit, ut vivatur, sed obaudiendum est, 441. c. Verbum accipere, est illud intelligere, atque tenere, 767. a. Quid agendum, cùm sermo Dei non capitur, 449. f. Verba Christi manifesta pascunt, obscura exercent, 506. c. Verba Christi manent in nobis, quando facimus quæ præcepit, &c. 705. c. Verbum Dei omnia perversa corda perturbat, sicut pia corda exercet, 451. b. Homines ab hominibus audiunt, tamen quòd intelligunt intus datur, 496. c. Verbum Dei non abscondendum timore carnalium incommodorum, 253. f. Fames, indigentia verbi veritatis, 259. d
Verborum notiones considerandæ non verba, 933. c. Verba opera sunt, 685. c
Veritas lumen mentis nostræ, 540. b. Quid quid verum est in ratiocinatione, lumini veritatis tribuendum, 213. b. Veritas panis est, 570. e. Immutabilis est, *ibid.* Veritas panis est in hac vita, potus erit in altera, 215 a. Veritas verè est, 559. c. In ea nec præteritum, nec futurum invenitur, 559. f. Veritas omnis ex Deo, 541. c. 320. d. Quidquid veritatis reperitur in homine, non est ab homine, sed à Deo, 945. c. Veritatem omnem in hac vita non potest homo cognoscere, 735. f. 736. c. Quomodo tamen scire dicitur, *ibid.*
Veritatem oderunt mali, 721. b. c. Veritas divina oppugnatoribus & contemtoribus non passim aperienda, 227. g. Veritas non occultanda, cùm interfint aliqui ejus capaces, 228. f. Verum occultare licet aliquando citra mendacium, 228 c. Falsum dicere nihil licet; aliquando autem aliquid veri tacere utile est, 946. f Verum dicere non pœnitet, sed cautè dicatur, 505. b. Mortem propter veritatem alii fortiter, alii æquanimiter, alii libenter obeunt, 280. g. Veritas sine sono intus mentibus loquitur, 652. g. Veritas tutiùs auditur quàm prædicatur, 658. c. Veritas quomodo potest audiri 653. a. Veritas propter seipsam diligenda est, non propter eum à quo annuntiatur, 944. d
Veritas Christus, 845. f
Vestis Domini quadripartita quadripartitam significavit Ecclesiam, 800. c
Vestem nuptialem non habet, qui quærit gloriam suam, non Christi, 366. a
Veteris hominis crucifixio in cruce domini designatur, 907. g
Via angusta paucorum est, 956. c
Via porrecta est ad peregrinos, 893. g
Vincere eum qui vincere solet, si habitet in re qui vinci non potest, 851 f
Vindicta quæ ad correctionem valet, non vetatur, 193. d. Vindictæ officia possunt implere boni bono animo, 242. c. vindictæ corporales quo animo factæ à viris sanctis, 193. g. Vindicari se quomodo electi Dei deprecentur, 271. f. Vindicta facilè modum excedit, 190. a. Vindictæ solatium quæri solet in illo quod restitui non potest, 193. c. Adversùs vindictas temporales, quæ sunt in veteri Testamento, sæviebant Manichæi, 194. c
Vini primitiæ simulacris libatæ, 922. b
Viri est imperare, feminæ obtemperare, 303. b
Virga. Reguntur etiam boni in virga ferrea, 30 c
Virgilius ab Augustino laudatus, 926. b
Virgines, honorabilius membrum Christi, 197. a. Fructum sexagesimum referunt, 242. d. Virginitatem voventium amplior in Ecclesia gradus, 361. a. Virginitatem voventes non sunt sine nuptiis, 361. a
Virginitas mentis, fides, spes, caritas, 397. a. In sola caritate custodia castitatis, 973. b
Virtutes quibus anima, ornatur, ex Deo sunt, 564. c
Virtutes duæ, una activa, altera contemplativa, 5 b
Virtus aut vitium ratio propter quam diligimus aut odio habemus, 720. c
Visus mentis eo modo curandus est quo visus corporis 436. a. b
Visio merces fidei, 694. c. Visio Dei, post hanc vitam, 536. c. Visio Dei sicuti est, in altera vita, 648. d. in patria superna, 543. b. A visione Verbi quænam avocant, 434 b. Visione Verbi perfruuntur Angeli, ab illa pecora aversantur. Qui desiderat, inter utrumque medius est, 434. c
Visus per quatuor alios sensus nominari solet, 809. b
Vita præsens, nox, 536. c. 542. c. Vita præsens tempus operandi salutem, 591. f. Vitæ huic congruit, flere & gemere, 536. f. Vita præsens tempus misericordiæ; post mortem tempus judicii, 651. c. Vitæ necessaria quo animo sumenda, 221 a. Cogitatio rerum necessariarum ad vitam oculum sordidat & cor duplicat, 217. d. 219. c. In hac vita multa nobis prospera videntur, quæ adversa sunt; & adversa, quæ sunt prospera, 915. b
Vita hominis ante legem, sub lege, sub gratia, 971. g. Vita & mors spiritalis, 465. f. 467. f. g. spiritalis quæ, 440. c. *& seq.*
Vitæ activæ & contemplativæ proprietates, 5. b
Vita bona de Deo in nobis est non de nobis, 469. b. Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est, 853. d Vitæ bonæ odor aliis est in vitam, aliis in mortem, 631. f. *& seq.* Vita bona & honesta, si non est ex fide, inutilis est, 595. d. Cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere, 595. c. Vita prodiga, quæ, 259. c. Vita temporalis est in fide, vita æterna erit in specie, 601. f. g
Vitæ æternæ laus, 530. a. Vita æterna denarius quem singuli accipient, 678. b. In vita æterna, diversa erit gloria pro diversitate meritorum, 678. b. Quod habebunt singuli commune erit omnibus, *ibid.* c. Invidia non erit, *ibid.* d. In vita æterna nec fastidium, nec fames erit, 312. c. In altera vita satiabitur in bonis desiderium justorum, 674. f. Vera vita est vita æterna, 466. a. Vita æterna est videre Deum in forma Dei, 463. d. Vita æterna fructus Eucharistiæ, 500. a. Vita æterna in requie ante resurrectionem, 500. c. Vita æterna semper animo sibi proponenda, 529. d. Post vitam æternam continuò suspirandum, 374. d. Ad vitam æternam quanto desiderio Prophera suspirabat, 311. f. Vitam æternam quantum homines negligant præ vita temporali, 619. f. Vitam æternam simul accepturi sunt homines, 623. c. Vita æterna gratia est pro gratia, redditur tamen tamquam debita, 308. a. *& seq.*
Vitis lignum nullis agricolarum usibus prodest, 704. g
Vivere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere, divina sunt munera, 259. b
Unctio spiritalis, unctio visibilis, 845. c. Unctionis Sacramentum, unctio invisibilis Spiritus-sanctus, 849. c. Unctio quomodo docet nos de omnibus, 849. d. e
Undenario numero peccatum figuratur, 32. f. Undenarius numerus transgressionem significat, 251. g
Unguere caput ad lætitiam pertinet, 217. a
Unguentum pisticum, justitia ex fide, 631. b
Unigenitus & primogenitus in quo differunt, 914. g
Unio inter fideles commendatur ex unione inter membra Christi, 529. a
Unitas amanda est, 504. c. Unitatem scindi quomodo mater caritas dolet, 838. c. Unitatem hæretici pro honore suo dividunt, 871. b
Vocatio secundùm propositum Dei, non est omnium, qui vocantur; sed tantùm electorum, 901. *Retr.* Multi vocati non veniunt, nemo venit nisi vocatus, 914. f. Vocamur misericordiâ Dei, ut credamus; & credentibus præstatur, ut bene operemur, 901. *Retr.*
Voluntas propriè non est nisi in bonis, 231. a. Voluntatem Deus præparat, 901. *Retr.* Cùm præcesserit bona voluntas nostra quæ vocantem sequitur, perficietur in nobis voluntas Dei, 208. f. Ut in justis & peccatoribus in spiritu & carne perficiatur oramus, 209. a. Velle & credere quomodo nostrum est, 901. *Retr.* Cùm voluntas divina humanæ præponitur homo ab humanis in divina dirigitur, 640. c. Cremen tum in voluntate est, ubi nativitas in voluntate est: nemo ex aquâ & spiritu nascitur, nisi volens; ergo si vult, crescit; si vult, decrescit, 843. c. Voluntatem bonam pax perfecta sequitur, 905. f
Voluptas sæculi aqua in puteo, 411. g. Voluptatis pretio, animam peccando quisque diabolo vendit, 909. f. Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est, 972. f. Uterus virginis, sponsi thalamus fuit, 827. e

X

XYSTI Martyris festum, 507. d

Z

ZELO domûs Dei flagrare omnes debemus, quomodo, 372. a. *& seq.*
Zizania ab inimico seminata quinam, 278. g. *& seq.*

SCRIPTURÆ

SCRIPTURÆ TESTIMONIA
EXPLICATA IN PEREGRINIS LOCIS.

GEN. I. 26. *Habeat potestatem piscium maris,* 880. c
24. *Et erunt duo in carne una,* 827. c
VIII. 6. & 7. *Dimisit corvum, qui egrediebatur & non revertebatur,* 331. a. 339. a
XXI. 9. *Cùmque vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac,* 381. b
XXI. 10. *Ejice ancillam & filium ejus,* 385. a
XXII. 18. *Quia benedicentur in te omnes gentes,* 913 a
XXIV. 2. & 3. *Pone manum tuam sub femore meo, & jura per Deum cæli,* 588. c
XXV. 1. *Abraham verò aliam duxit uxorem nomine Cethuram,* 965. d. e. &c.
XXVIII. 11. *Tulit de lapidibus,* &c. *& supponens capiti,* 352. a
12. *Angelos quoque Dei adscendentes,* &c. ibidem.
EXOD. III. 6. *Ego sum Deus Abraham Deus Isaac Deus Jacob,* 378. c
14. *Ego sum qui sum,* 558. d
NUM. XX. 11. *Percutiens virgâ bis filicem,* 499. a
DEUT. XIII. 3. *Tentat vos Dominus Deus vester,* 584. b. 914. d
XIX. 15. *In ore duorum vel trium testium,* &c. 549. c. 787. c
XXI. 23. *Maledictus omnis, qui in ligno pependerit,* 907. g
XXIX. 29. *Quæ occulta sunt, Deo; quæ autem palàm sunt, vobis & filiis vestris,* 922. c
XXXIV. 6. *Non cognovit homo sepulcrum ejus,* 819. f
IV. REG. II. 9. *Spiritus qui est in te, duplo sit in me,* 692. b
PSALM. II. 6. *Ego autem constitutus sum super sion montem sanctum ejus,* 792. a. 798. d
III. 6. *Ego dormivi & somnum cepi,* 610. a
V. 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem,* 778. c
VII. 8. *Et propter hanc in altum regredere,* 486. b
XI. 3. *In corde & corde locuti sunt,* 349. g
XII. 4. *Illumina oculos meos, ne quando obdormiam in morte,* 897 f
XV. 2. *Dixi Domino, Deus meus es tu,* 885. b
XVIII. 2. *Cæli enarrant gloriam Dei,* &c. 20. f. & seq.
3. *Dies diei eructat verbum,* 670. a
6. *In sole posuit tabernaculum suum,* 827. d. & 838. c
7. *A summo cælo egressio ejus,* 260. b
10. *Timor Domini castus permanens in sæculum,* 584. c
13. *Delicta quis intelligit,* 910. a
XXIV. 10. *Universa via Domini misericordia & veritas,* 824. b
XXVI 9. *Adjutor meus esto,* 854. d
XXXI. 9. *Nolite fieri sicut equus & mulus,* 880. f
XXXIII. 3. *In Domino laudabitur anima mea,* 897. b
6. *Accedite ad eum & illuminamini,* 785. d. 829. a
XXXIV. 12. *Retribuebant mihi mala pro bonis,* 789. e
27. *Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus,* 371. c
XXXV. 7. *Judicia tua abyssus multa,* 641. b
Ibid. *Homines & jumenta salvos facies,* &c. 534. f
XXXVII. 10. *Ante te est omne desiderium meum,* 536. f
XXXIX. 6. *Annuntiavi, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum,* 813. a
XL. 10. *Qui manducat panem meum,* &c. 662. g
XLI. 5. *Hæc memoratus sum, & effudi super me animam meam,* 454. c. 474. a
XLII. 1. *Judica me Deus, & discerne,* &c. 641. a
XLIV. 3. *Speciosus formâ,* &c. 891. e
5. *Intende, & prosperè procede,* &c. 787. f
XLIX. 3. *Deus manifestus veniet,* &c. 313. b
L. 10. *Auditui meo dabis gaudium,* 493. a
LIV. 23. *Jacta in Dominum curam tuam,* 479. e
LV. 5. *In Deo laudabo sermonem,* &c. 897. c
LVI. 5. *Filii hominum, dentes eorum arma,* &c. 580. g. 790. a
8. *Paratum cor meum Deus,* &c. 788. b
LIX. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis,* 914. c
LXVIII. 5. *Quæ non rapui tunc exsolvebam,* 702. a
22. *Et in siti meâ potaverunt me aceto,* 803. b
23. *Fiat mensa eorum in laqueum,* 196. d
LXXI. 3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam,* 289. d
LXXII. 3. *Zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens,* 492. d
27. *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te,* 892. f
28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est,* 896. g
LXXV. 2. *Notus in Judæa Deus,* 765. c
3. *Factus est in pace locus ejus,* 782. a
LXXVII. 25. *Panem Angelorum manducavit homo,* 827. a
XCIII. 14. *Non derelinquet Dominus plebem suam, quoadusque justitia,* &c. 509. f
C. 1. *Misericordiam & judicium cantabo,* 545. d
CVII. 6. *Exaltare super cælos Deus,* &c. 636. g
CVIII. 9. *Fiant filii ejus pupilli,* 196. d
CXVIII. 85. *Narraverunt mihi injusti delectationes,* &c. 896. b. 898. a
96. *Omnis consummationis vidi finem,* 896. c. 897. c
Ibid. *Latum mandatum tuum valde,* 899 a
120. *Confige clavis à timore tuo carnes meas,* 974. b
165 *Pax multa diligentibus legem tuam,* 725. e. 834. d
CXIX. 4. *Sagitta potentis acutæ cum Carbonibus desolatoriis,* 920. c
CXX. 1. *Levavi oculos meos in montes,* &c. 291. c
6. *Per diem sol non uret te,* &c. 833. f. & seq.
CXXXI. 17. *Paravi lucernam Christo meo, inimicos ejus induam confusione,* 472. c. 539. c
CXXXVIII. 7. *Quò ibo à spiritu tuo,* &c. 864. c
CXLIII. 4. *Homo vanitati similis factus est,* &c. 913. c
CXLVI. 7. *Incipite Domino in confessione,* 851. d
PROV. IX. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem,* 948. b
17. *Panes occultos libenter edite,* &c. 909. c
XXIII. 1. 2. 3. 4. 5. *Si sederis cœnare ad mensam,* &c. 607. c. 709. a. 710. a
ECCLE. I. 2. *Vanitas vanitantium, & omnia vanitas,* &c. 913. c
VII. 17. *Noli esse justus multùm,* 731. c
CANT. I. 2. *Unguentum effusum nomen tuum,* 631. c
v. 2. *Aperi mihi soror mea, &c. quia caput meum repletum est rore,* 659. b. c
Ibid. *Ego dormio, & cor meum vigilat,* 659. a
3. *Exui me tunicâ meâ,* &c. 659. c
Ibid. *Lavi pedes meos,* &c. 657. c. 658. b. 660. a
VI. 8. *Una est columba mea,* 324. f. 332. f. 335. a
VII. 6. *Caritas in deliciis tuis,* 675. f. sec. LXX.
SAP. XI. 25. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti,* 778 d
ECCLI. I. 16. *Initium sapientiæ timor Domini,* 886. f. 888. b. & seq.
II. 14. *Væ duplici corde,* 345. a
X. 10. *Quoniam in vita sua projecit intima sua,* 491. d
XVIII. 6. *Cùm consummaverit homo, tunc incipit,* 670. c
ISAI. II. 2. *Erit in novissimis diebus manifestus mons,* &c. 835. b
5. *Et nunc tu domus Jacob,* &c. 19. c
X. 22. *Quoniam reliquia salva fient,* 919. a
XI. 2. &c. *Requiescet in eo Spiritus Dei, spiritus sapientiæ & intellectus,* &c. 813. c
LIII. 1. *Et brachium Domini cui revelatum est,* 616. g
7. *Sicut agnus coram tondente fuit sine voce,* &c. 794. f
11. *Peccata nostra portavit,* 908. a
LIV. 1. *Multi filii deserta,* &c. 965. c
LXI. 10. *Sicut sponso imposuit mihi mitram,* &c. 817. f
EZECH. XIV. 14. *Etsi fuerint tres viri isti..... Noe Daniel & Job,* 270. f
XVI. 3. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa,* 580. d
DAN. II. 34. *Donec abscissus est lapis de monte sine manibus,* 313. g. 366. c. 834. f. 846. b
OSEE. II. 14. *Vocabo non plebem meam, plebem meam,* &c. 919. a
MATTH. III. 7. *Generatio viperarum,* &c. 578. f
8. & 9. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ,* &c. 957. c
v. 16. *Luceant opera vestra coram hominibus,* &c. 946. c
17. *Non veni Legem solvere, sed implere,* 911. c. 969. d
19. *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis,* &c. 814. d
20. *Dico enim vobis, nisi abundaverit,* &c. 814. f
25. *Concorda cum adversario tuo citò,* &c. 600. f
39. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam,* &c. 787. g
44. *Diligite inimicos vestros,* 883. d. 887. f
45. *Solem suum oriri facit super bonos & malos,* &c. 200. a
46. *Si diligitis eos qui vos diligunt,* 879. d
VI. 1. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus,* &c. 864. c. 878. b
12. *Dimitte nobis debita nostra.* 642. c
13. *Ne nos inferas in tentationem,* 642. c. 690. c
33. *Quærite primùm regnum Dei,* &c. 811. c
VII. 23. *Non novi vos,* 627 d
VIII. 10. *Non inveni tantam fidem in Israël,* &c. 421. c
13. *Vade, & sicut credidisti fiat tibi,* 243. c
24. *Et ecce motus magnus factus est in mari,* 626. f
IX. 12. *Non est opus sanis medicus,* 350. b. 883. b
13. *Non veni vocare justos,* &c. 951. b
XI. 11. *Qui autem minor est in regno cælorum, major est illo,* 391 b
29. *Tollite jugum meum, & discite à me,* &c. 949. d
XIII 47. *Simile est regnum cælorum sagenæ,* &c. 814. c
XIV. 19. *Acceptis quinque panibus,* &c. 362. c
XV. 24. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël,* 608. g. 960. g
26. *Non est bonum panem filiorum mittere canibus,* &c. 932. f
XVI. 16. &c. *Tu es Christus Filius Dei vivi,* 489. b. 800. g
17. *Beatus es Simon Bar-Jona,* &c. 622. c
19. *Tibi dabo claves regni cælorum,* 800. g. 822. d. 824. c
24. *Tollat crucem suam, & sequatur me,* 974. b
XVII. 1. *Et post dies sex assumit,* &c. 242. a
XVIII. 16. *In ore duorum vel trium testium,* 244. f
22. *Usque septuagies septies,* 251. d
XX. 9. *Acceperunt singulos denarios.* 678. b
22. *Potestis bibere calicem,* &c. 509. d
XXI. 23. *Die nobis in qua potestate ista facis,* 539. c
XXII. 11. *Et vidit hominem non vestitum veste nuptiali,* 370. c. 365. g
XXIV. 20. *Orate autem ut non fiat fuga vestra,* 94 g
13. *Ligate illi manus & pedes,* 591. c
14. *Multi vocati, pauci verò electi,* 914. c
21. *Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt,* &c. 569. c. 920. f. 959. a
40. *In his duobus præceptis tota Lex pendet,* &c. 898 a
42. *Quid vobis videtur de Christo?* &c. 915. g
XXIII. 3. *Quæ dicunt facite,* &c. 814. f
8 *Unus est magister, vester,* 849. f
XXV. 34. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum,* 680. c
XXVI. 39. *Transeat à me calix iste,* 818. c
39. *Non quod ego volo, sed quod tu,* 780. b
XXVII. 35. *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes,* 799. c

xxviii. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* 333. g
Marci. i. 24. *Scimus qui sis, Filius Dei,* 867. c. 894. a
x. 33. & 34. *Ecce adscendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur, &c.* 790. c
xiv. 36. *Abba Pater,* 107. a. 960. d
xv. 24. *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem, &c.* 799. c
25. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum,* 796. c. f
Lucæ. i. 13. *Exaudita est oratio tua, ecce, &c.* 249. a
17. *In spiritu & virtute Eliæ,* 315. a
ii. 14. *Gloria in excelsis, &c.* 208. f. 905. f
iii. 2. *Sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, &c.* 788. c
23. *Ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, &c.* 250. c 251 d
v. 4. *Laxate retia vestra in capturam,* 812. b
ix. 28. *Factum est autem post hæc verba ferè dies octo,* 242. a
54. *Domine vis dicimus ut ignis descendat,* 194. a
x. 34. *Infudit vinum & oleum, &c.* 577. a
xii. 47. *Servus ignorans voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis vapulabit paucæ, &c.* 936. c
xv. 4. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c.* 885. d
31. *Tu semper mecum es & omnia mea tua sunt,* 768. b
xix. 6. *Et excepit illum, &c.* 859. a
xx. 18. *Qui ceciderit super lapidem istum, &c.* 314. b
36. *Æquales enim Angelis sunt,* 779. a. b. c
xxii. 52. *Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, &c.* 790. b
xxiii. 34. *Pater ignosce illis,* 832. c. c. 883. c
Ibid *Dividentes verò vestimenta ejus, &c.* 799. d. & seq.
43. *Hodie mecum eris in paradiso,* 780. g
xxiv. 21. *Nos sperabamus quòd ipse fuerat redemturus Israël,* 757. f. 785. f
46. & 47. *Oportebat pati Christum, &c.* 836. c. 837. a. b. c. 898. g. 900. f. g
Johan. i. 10. *Et mundus per eum factus est, &c.* 732. c. 861. c
iii. 14. *Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo, &c.* 954. g
vi. 27. *Operamini escam quæ non corrumpitur,* 210. c
vii. 39. *Spiritus autem nondum erat datus,* 641. g
viii. 58. *Ante Abraham ego sum,* 838. g. 839. a
xi. 44. *Et statim prodiit qui mortuus fuerat,* 468. c
xii. 39. *Propterea non poterant credere, &c.* 283. c
xiii. 34. *Mandatum novum do vobis,* 896. c
xiv. 6. *Ego sum via, veritas & vita,* 392. d. 468. e. 537. c. 893. g
xiv. 26. *Ille vos docebit omnia,* 758. e
xv. 19. *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret,* 727. c
22. *Si non venissem peccatum non haberent,* 865. f
xvii. 16. *De mundo non estis, &c.* 792. a
xviii. 9. *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam,* 786. f
xix. 37. *Videbunt in quem confixerunt,* 853. b
xx. 17. *Noli me tangere,* 495. b. 843. g
25. *Non credam, nisi, &c.* 828. a
xxi. 17. *Petre amas me, pasce oves meas,* 607. f. 859. d. 861. f
Act. i. 11. *Quid statis adspicientes in cælum,* 266. b
6. *Si in tempore hoc restitues regnum Israël,* 485. g
xxiii. 3. *Percutiet te Deus, paries dealbate, &c.* 191 d
Rom. i. 4. *Qui prædestinatus est Filius Dei, &c.* 763. f
iii. 19. *Et reus fiat omnis mundus Deo,* 957. d
iv. 2. *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum,* 953. f
v. 5. *Miser ego homo, quis me liberabit, &c.* 901. Retr.
v. 8. *Cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est,* 778. c
20. *Lex subintravit ut abundaret delictum,* 308. c. 905. b
vi. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus,* 905. d. 972. a
vii. 14. *Scimus, quia lex spiritalis est, ego autem carnalis,* 901. Retr.
24. *Miser ego homo, quis me liberabit, &c.* 901. Retr.
25. *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati,* 908. b
viii. 3. *Ut de peccato condemnaret peccatum,* 954. c
7. *Prudentia carnis inimica in Deum,* 970. f
10. & 11. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, &c.* 905. e
15. *In quo clamamus, Abba, Pater,* 960. c
24. *Spe enim salvi facti sumus,* 884. f
26. *Ipse Spiritus interpellat &c.* 867. e
28. *Qui secundùm propositum vocati sunt,* 914. c. 793. a
ix. 13. *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui,* 901. Retr.
16. *Non est volentis, neque currentis, &c.* 901. Retr.
18. *Cujus vult, miseretur, &c.* 901. Retr.
28. *Verbum enim consummans & brevians faciet Dominus super terram,* 919. d
x. 4. *Finis enim Legis Christus est, ad justitiam omni credenti,* 896. f
xi. 5. *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt,* 901. Retr.
13. *Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus,* 641. b
32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem,* 957. c
xii. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes,* 753. a
xiii. 8. *Qui enim diligit alterum legem implevit,* 969. g
10. *Plenitudo legis caritas,* 860. d. 896. c. 911. c. 969. d
I. Cor. i. 13. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est,* 838. c
ii. 9. *Nec in cor hominis adscendit,* 290. b
15. *Spiritalis omnia judicat, &c.* 188. g
iii. 15. *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem,* 243. c
vii. 4. 6. 10. 11. 12. 14. 25. *His qui sunt in conjugio, &c.* 183. f. & seq.
7. *Vellem omnes homines esse sicut me ipsum,* 881. f
20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat,* 948. f
ix. 13. 15. 16. 17. *Nescitis quoniam qui in templo operantur, &c.* 221. c
x. 1. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt,* 498. f. 598. b
13. *Tentatio non vos apprehendat nisi humana,* 720. d
33. *Sicut & ego omnibus per omnia placeo, &c.* 945. a
xi. 27. *Non dijudicans corpus Domini,* 668. e
xii. 3. *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu,* 234. c
Ibid. *Nemo dicit Dominus Jesus, nisi in Spiritu-Sancto,* 940. d
6. *Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus,* 901. Retr.
xiii. 3. *Si distribuero omnia ... caritatem autem non habuero &c.* 882. c
xv. 31. *Quotidie morior per gloriam vestram,* 187. c. 946. b
II. Cor. iii. 6. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat,* 813. b
v. 16. *Etsi noveramus secundùm carnem Christum, &c.* 729. e
21. *Qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit,* 573. b
vi. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile,* 921. f
xi. 20. *Toleratis enim si quis vos in servitutem redigit, &c.* 191, a
xii. 7. *Propter quod ter Dominum rogavi. &c.* 866. e
xiii. 4. *Nam etsi moremus est, ex infirmitate, &c.* 918. a
Galat. i. 7. *Nisi sunt aliqui conturbantes vos,* 952. c
iii. 16. *In semine tuo benedicentur omnes gentes,* 334. b
v. 6. *Fides quæ per dilectionem operatur,* 893. c. 894. f
vi. 2. *Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis Legem Christi,* 896. e
3. *Qui se putat aliquid esse, cùm nihil sit,* 753. g
8. *Quoniam qui seminat in carne, &c.* 922. a
Ephes. i. 4. *Sicut elegit nos in ipso, &c.* 763. b
ii. 3. *Fuimus & nos naturâ filii iræ,* 407. c
iii. 18. *Quæ sit latitudo & longitudo, & altitudo, & profundum,* 801. b
31. *Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est,* 364. f
iv. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, &c.* 460. a
v. 8. *Fuistis aliquando tenebræ,* 833. c
vi. 6. *Non ad oculum servientes quasi hominibus placentes,* 921. d
23. *Caritas cum fide à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo,* 901. Retr.
Philip. i. 23. *Desiderium habens dissolvi, &c.* 858. f. 887. c
ii. 9. &c. *Propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* 759. e
21. *Quæ sua sunt quærunt, &c.* 817. b
iii. 6. *Secundùm justitiam quæ in lege est,* 953. g
13. *In ea quæ ante sunt extentus,* 853. f
Coloss. i. 18. *Primogenitus ex mortuis,* 915. a. 928. d
24. *Adimpleo ea quæ desunt pressuarum Christi in carne meâ,* 771. e
iii. 3. &c. *Mortui enim estis, & vita vestra, &c.* 674. g. 782. d
5. *Mortificate membra vestra, &c.* 886. f
II. Thess. i. 5. *In exemplum justi judicii Dei,* 930. g
I. Tim. i. 5. *Finis autem præcepti est caritas, &c.* 896. e
9. *Nam Justo lex posita non est,* 950. f
ii. 5. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus,* 956. a
v. 6. *Vivens mortua est,* 610. f
8. *Si quis autem suis & maximè domesticis non providet, &c.* 802. b
II. Tim. i. 8. & 9. *Conlabora Evangelio secundùm virtutem Dei salvos nos facientis & vocantis vocatione sua sancta, &c.* 793. a
ii. 24. *Servum autem Domini litigare non oportet,* 975. a
iii. 2. *Erunt homines seipsos amantes,* 817. c
iv. 2. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, &c.* 975. b
Tit. i. 16. *Confitentur se nosse Deum, &c.* 847. d. 940. d
Hebr. vi. 1. & 2. *Ideoque remittentes initii Christi verbum: &c.* 938. b
x. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis postquam accepimus, &c.* 536. d. 937. c
xii. 6. *Flagellat autem omnem filium, quem recipit,* 930. c
Jac. i 13. *Deus neminem tentat, &c.* 584. b
I. Petr. iv. 8. *Caritas cooperit multitudinem peccatorum,* 830. d
15. &c. *Nemo autem vestrùm patiatur quasi homicidâ, aut fur, &c.* 930. f
I. Johan. iv. 18. *Perfecta caritas foras mittit timorem,* 584. c
19. *Nos diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* 755. c
v. 16. *Si quis scit peccare fratrem suum peccatum non ad mortem, &c.* 197. b

SANCTI AUGUSTINI
EPISTOLÆ AD MAXIMUM
HACTENUS INEDITÆ FRAGMENTUM

In Primasii super Apocalypsim commentariis repertum, lib. 2. ad hæc verba:
Hos septem quin etiam gradus ..... idem doctor amplissimus Augustinus multis memorat: ad [a] *Maximum denique scribens dicit sic:*

PRÆCEPTIS Dei, quæ ut bene agamus accepimus, vitam tuam moresque conformes, à religioso timore incipiens. *Initium enim sapientiæ timor Domini:* ubi frangitur & debilitatur humana superbia. Deinde ut pietate mansuetus & mitis, etiam quæ nondum intelligis, & quæ imperitis videntur absurda sibique contraria in Scripturis sanctis, non oblucteris animosa contentione; nec superimponas sensum tuum sensibus divinorum librorum; sed cedas potiùs, atque intellectum mitis differas, quàm secretum immitis accuses. Tertiò, cùm tibi ad cognitionem tui aperiri cœperit infirmitas humana, & scieris ubi jaceas, quàm pœnalia vincula mortalitatis de Adam propagatus tecum trahas, & quàm longè peregrineris à Domino; atque perviderit aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, & captivum te ducentem in lege peccati, quæ est in membris tuis, exclames, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ut te lugentem consoletur, liberationem ipsam pollicens gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Quartò jam desidera te implere justitiam multò vehementiùs atque ferventiùs, quàm à nequissimis hominibus voluptates carnis desiderari solent; nisi quòd in spe adjutorii divini est in isto appetitu tranquillus ardor, & flamma securior. In isto autem quarto vitæ gradu orationibus instanter incumbitur, ut esurientibus & sitientibus saturitas justitiæ concedatur; ut non solùm onerosum non sit, verùm etiam delectet abstinere à voluptate omnis corruptionis, sive suæ, sive alterius, vel obluctando: quod ut facilè divinitus tribuatur, quintus adjungitur, consilium exhibendæ misericordiæ, ut in eo quod potes adjuves inopem; quia in eo quod nondum potes, ab Omnipotente adjuvari cupis. Munus autem misericordiæ geminum est, cùm vindicta donatur, & cùm humanitas exhibetur. Quæ duo breviter Dominus ita complexus est: *Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis.* Hoc autem opus etiam ad mundationem cordis valet, ut quantum in hac vita licet, incommutabilem Dei substantiam purâ intelligentiâ cernere valeamus. Tenetur enim aliquid adversùs nos, quod relaxandum est, ut acies nostra erumpat in lucem: unde ipse Dominus, *Verùm date*, inquit, *eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quapropter sexta consequitur cordis ipsa mundatio. Ut autem in lucem veram rectus & purus dirigatur adspectus, neque illa quæ bene atque laudabiliter facimus, neque illa quæ acutè sagaciterque dispicimus, ad finem placendi hominibus, vel subveniendi necessitatibus corporis referenda sunt. Gratis enim se vult Deus coli: quia neque quidquam est propter quod ipse appetendus sit. Cùm ad istam intelligentiæ puritatem bonæ vitæ gradibus venerimus, sive tardiùs, sive celeriùs, tunc dicere audeamus, valere nos aliquantùm mente contingere summæ atque ineffabilis Trinitatis unitatem: ubi summa pax erit; quia ultrà quod exspectetur non est, cùm reformati ad sui generis imaginem filii Dei ex hominibus facti, paterna incommutabilitate perfruuntur. Primò enim, *Beati pauperes spiritu:* ubi timor Dei est. Deinde, *Beati mites:* ubi pietas docilis. Tertiò, *Beati lugentes:* ubi scientia propriæ infirmitatis. Quartò, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam:* ubi fortitudo conandi domitas habere libidines. Quintò, *Beati misericordes quoniam ipsorum miserebitur:* ubi consilium est adjuvandi, ut adjuvari merearis. Tunc ad sextum pervenitur gradum, in quo dicitur, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* ubi purus intellectus & habilis ad intelligendum quantulacumque ex parte Trinitatem cernere non potest, nisi & laudem humanam non appetamus, quamvis laudanda faciamus. Proinde septimo gradu pervenimus ad pacis illius tranquillitatem, quam dare non potest mundus. Nam etiam illis virtutibus quatuor, quas memorabili pridem industriâ Philosophi quoque indagare potuerunt, id est prudentiæ, fortitudini, temperantiæ, atque justitiæ, si ad perfectum religionis cultum tria hæc jungentes addamus, id est, fidem, spem & caritatem, septenarium profectò numerum invenimus. Rectè enim hæc tria non omittuntur, sine quibus nec Deum colere, nec ei quemquam novimus posse placere.

Psal. 110. 10.

Rom. 7. 24.

Luca 11. 41.

Matth. 5. 3. &c.

Luca 6. 37. & 38.

[a] Dubitare vix licet, quin hic ipse sit Maximus medicus Thenitanus, qui cùm Arianam hæresim ejurasset, recepit epistolam nunc ordine 170. Alypii & Augustini nomine scriptam ad roborandum illum in Trinitatis fide. Hinc nimirum fieri putamus, ut hic Trinitatem semel & iterum commemoret Augustinus; cùm id minimè postulet res ipsa quæ tractatur. Confer istud fragmentum ad lib. 2. de Doctrina Christiana c. 7. & ad lib. 1. de Sermone Domini in monte c. 3.

LOCA QUÆDAM IN SECUNDO TOMO
auctoritate meliorum codicum, aut eruditorum Virorum judicio castiganda & illustranda.

Pag. 4. lin. 55. *in hæc verba*, extrema sphæræ, *scribe ad marg.* Intellige partes in cælesti sphæra polis viciniores.
10. l. 35. priùs nostra cogitatio. *fortè legendum*, non priùs nostra cogitatio. *Vel paulò suprà loco*, Nam etiam nos, *leg. cum veteri codice Corbeiensi*, Non etiam nos.
14. l. 39. priùs miror. *fortè*, priùs non miror.
16. l. 29. quam tibi, non sibi, *fortè*, quam tamen non sivi.
26. l. 14. & 15. *textus sic interpungendus*, Certè diligis me? Certè..... voluisti?
27. l. 57. consiliorum gravitate. *fortè*, conciliorum.
35. l. 16. *in hæc verba*, Eusebii venerabilis episcopi Constantinopolitani, *scribe ad marg.* Immo episcopi Cæsariensis.
Ibid. l. 28. indices caritatis, *leg.* indice.
74. l. 26. aut Elias eo tempore. *fortè*, aut Elias non eo tempore.
128. l. 57. *scribe Romano character*, & resurreximus cum illo.
1, 1. *Not. a.* Ambrosius. *adde*, vel quisquis est auctor.
136. l. 57. corpora receptâ. *leg.* corpora recepta.
139. l. 49. *include parenthosi*, (unde..... observatur.)
173. l. 13. Evangelio illius comprobato, *scribe Italico charactere*.
199. *ad marg.* Ambros. *adde*, vel quisquis est auctor.
217. l. 29. defendenda res est. *fortè*, defendenda res non est.
229. l. 12. dum Sidrach. *leg.* Deum Sidrach.
256. l. 42. nimiam festinationem scheda fecit. *Fortè*, nimia festinatio schedam fecit.
305. l. 40. modò judicamur *fortè*, modò judicamus.
328. l. 3. timeantur annonæ. *fortè*, timeatur annonæ.
363. l. 55. *in hæc verba*, ponere os spirituale ad fontem vitæ prudenter dixisti, *scribe ad marg.* lib. 9. Confess. c. 3. n. 6.
622. l. 4. exaudire dignetur. *leg. cum omnibus editis & plerisque MSS.* exaudire dignatur. *Et ad marg. scribe*, MSS. al. DIGNETUR; unus è Vat. DIGNABITUR.
763. *Not. b.* Hic latinitate donavit homilias. *adde*, aliquot.



SANCTI AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE CONSENSU EVANGELISTARUM LIBRI QUATUOR. *

* Scripti versùs Christi annum 400.

LIBER PRIMUS.

Dicto breviter de Evangelistarum auctoritate, numero, ordine ac varia scribendi ratione Augustinus, priùs quàm de eorumdem consensu agat, illis hoc libro occurrit qui vel moventur cur Christus ipse nihil scripserit, vel fingunt scriptos ab ipso fuisse libros de magicis; quique adversùs Evangelicam doctrinam jactitant Christi discipulos non tantum magistro suo amplius tribuisse quàm re vera erat, dicendo illum Deum; sed etiam deorum cultum prohibendo, non hoc docuisse quod ab ipso didicissent. Contra quos doctrinam Apostolorum ex Prophetarum eloquiis vindicat, ostendens Deum Israël solum colendum esse, qui solus à Romanis quòd deos alios coli secum vetaret, antè non receptus, jam demum Romanum imperium suo nomini subjugavit, atque apud omnes gentes, uti per suos Prophetas futurum promiserat, idola comminuit per Evangelij prædicationem.

CAPUT I. Evangeliorum auctoritas.

a



INTER omnes divinas auctoritates, quæ sanctis litteris continentur, Evangelium meritò excellit. Quod enim Lex & Prophetæ futurum prænuntiaverunt, hoc [a] redditum atque completum in Evangelio demonstratur. Cujus primi prædicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum ipsum & Salvatorem nostrum Jesum Christum etiam præsentem in carne viderunt. Qui non solùm ea quæ ex ore ejus audita vel ab illo sub oculis suis operata, dicta & facta meminerant; verùm etiam quæ priùs quàm illi per discipulatum adhæserant, in ejus nativitate, vel infantia, vel pueritia, divinitus gesta & digna memoriâ, sive ab ipso, sive à parentibus ejus, sive à quibuslibet aliis, certissimis indiciis & fidelissimis testimoniis requirere & cognoscere potuerunt, impositò sibi evangelizandi munere, generi humano annuntiare cura-

[a] MSS. quatuor, *revelatum*.

runt. Quorum quidam, hoc est Matthæus & Johannes, etiam scripta de illo, quæ scribenda visa sunt, libris singulis ediderunt.

2. Ac ne putaretur, quod adtinet ad percipiendum & prædicandum Evangelium, interesse aliquid utrùm illi annuntient, qui eumdem Dominum hîc in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an ij qui ex illis fideliter comperta crediderunt, divinâ providentiâ procuratum est per Spiritum-sanctum, ut quibusdam etiam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solùm annuntiandi, verùm etiam scribendi Evangelium tribueretur auctoritas. hi sunt Marcus & Lucas. Ceteri autem homines, qui de Domini vel Apostolorum actibus aliqua scribere conati vel ausi sunt, non tales suis temporibus exstiterunt, ut eis fidem haberet Ecclesia, atque in auctoritatem canonicam sanctorum librorum eorum scripta reciperet: nec solùm quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret; sed etiam quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, quæ catholica atque apostolica regula fidei & sana doctrina condemnat.

CAPUT II. Ordo Evangelistarum, & scribendi ratio.

3. ISTI igitur quatuor Evangelistæ universo terrarum orbe notissimi, & ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodammodo declararunt, hoc ordine scripsisse perhibentur. Primùm Matthæus, deinde Marcus, tertiò Lucas, ultimò Johannes. Unde alius eis fuit ordo cognoscendi atque prædicandi, alius autem scribendi. Ad cognoscendum quippe atque prædicandum, primi utique fuerunt qui secuti Dominum in carne præsentem, dicentem audierunt, facientemque viderunt; atque ex ejus ore ad evangelizandum missi sunt. Sed in conscribendo Evangelio, quod divinitus ordinatum esse credendum est, ex numero eorum quos ante passionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt, primum Matthæus, ultimum Johannes: ut reliqui duo qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tamquam filij amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere munirentur.

4. Horum sanè quatuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, ceteri Græco. Et quamvis singuli suum quemdam narrandi ordinem tenuisse videantur, non tamen unusquisque eorum velut alterius præcedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata prætermisisse quæ scripsisse alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, non superfluam cooperationem sui laboris adjunxit. Nam Matthæus suscepisse intelligitur incarnationem Domini secundùm stirpem regiam, & pleraque secundùm hominum præsentem vitam facta & dicta ejus. Marcus eum subsecutus, tamquam pedissequus & breviator ejus videtur. Cum solo quippe Johanne, nihil dixit; solus ipse, perpauca; cum solo Luca, pauciora; cum Matthæo verò, plurima; & multa penè totidem atque ipsis verbis, sive cum solo, sive cum ceteris consonante. Lucas autem circa sacerdotalem Domini stirpem atque personam magis occupatus apparet. Nam & ad ipsum David non regium stemma secutus adscendit, sed per eos qui reges non fuerunt, exiit ad Nathan filium David, qui nec ipse rex fuit. Non sicut Matthæus, qui per Salomonem regem descendens, ceteros etiam reges ex ordine persecutus est, servans in eis, de quo postea loquemur, mysticum numerum. *Luc. 3. 31.* *Matth. 1. 6.*

5. DOMINUS enim Jesus Christus unus verus rex & unus verus sacerdos, illud ad regendos nos, istud ad expiandos, has duas personas apud Patres singillatim commendatas suam figuram egisse declaravit, sive titulo illo qui cruci ejus superfixus erat, *Rex Judæorum*; unde arcano instinctu Pilatus respondit, *Quod scripsi scripsi*: prædictum quippe erat in Psalmis, *Ne corrumpas tituli inscriptionem*: sive quod ad personam sacerdotis adtinet, in eo quod nos offerre atque accipere docuit; unde [a] prophetiam de se præmisit dicentem, *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Multisque aliis documentis divinarum Scripturarum rex & sacerdos Christus apparet. Hinc & ipse David, cujus non frustra crebriùs filius dictus est, quàm filius Abrahæ, & quem communiter tenuerunt Matthæus & Lucas, ille à quo per Salomonem descenderet, iste ad quem per Nathan adscenderet, quamquam apertè rex fuit, figuravit tamen & sacerdotis personam, quando panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus. Huc accedit quòd solus etiam Lucas Mariam [b] commemorat ab Angelo manifestatam cognatam fuisse Elisabeth, quæ uxor erat Zachariæ sacerdotis. De quo idem scripsit, quòd eam de filiabus Aaron, hoc est de tribu sacerdotum habebat uxorem. CAPUT III. Matthæus cum Marco ad regiam, Lucas ad sacerdotalem Christi personam intentionem retulit. *Joan. 19. 21.* *Psal. 74. 1.* a *Psal. 109. 4.* *1. Reg. 21. 4.* *Matth. 12. 3.* *Luc. 1. 36.* b *Ibidem 5.*

6. Cùm ergo Matthæus circa regis, Lucas circa sacerdotis personam gereret intentionem, utrique humanitatem Christi maximè commendarunt. Secundùm hominem quippe Christus & rex & sacerdos effectus est, cui dedit Deus sedem David patris sui, ut regni ejus non esset finis, & esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Non autem habuit tamquam breviatorem conjunctum Lucas, sicut Marcum Matthæus. Et hoc fortasse non sine aliquo sacramento, quia regum est non esse sine [c] comitum obsequio: unde ille qui regiam personam Christi narrandam susceperat, habuit sibi tamquam comitem adjunctum, qui sua vestigia quodammodo sequeretur. Sacerdos autem quoniam in sancta sanctorum solus intrabat, propterea Lucas, cujus circa sacerdotium Christi erat intentio, non habuit tamquam socium subsequentem, qui suam narrationem quodammodo breviaret. *Ibidem 32.* *1. Tim. 2. 5.* c

7. TRES tamen isti Evangelistæ in his rebus maximè diversati sunt, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit: porrò autem Johannes ipsam maximè divinitatem Domini, qua Patri est æqualis, intendit, eamque præcipuè suo Evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, commendare curavit. Itaque longè à tribus istis superius fertur, ita ut hos videas quodammodo in terra cum Christo homine conversari; illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, & pervenisse ad liquidum cælum, unde acie mentis acutissimâ atque firmissimâ videret, in principio Verbum Deum apud Deum, per quem facta CAPUT IV. Johannes ipsius divinitatem exprimendam curavit. *Johan. 1. 1.*

[a] MSS. duo, *prophetam.*
[b] Sic editi Bad. & Er. suffragantibus MSS. omnibus. At Lov. *commemorant manifestè cognatam fuisse Elisabeth.*
[c] MSS. duo & editio Rat. id est quæ Augustini Ratisponensis studio recognita est, habent *sine comitatus obsequio.*

sunt omnia; & ipsum agnosceret carnem factum, ut habitaret in nobis: quòd acceperit carnem, non quòd fuerit mutatus in carnem. Nisi enim carnis assumtio servatâ incommutabili divinitate facta esset, non diceretur, *Ego & Pater unum sumus*: neque enim Pater & caro unum sunt. Et hoc de ipsius Domini testimonium solus idem Johannes commemoravit. &, *Qui me* [a] *vidit, vidit & Patrem.* &, *Ego in Patre, & Pater in me est.* &, *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* &, *Quæcumque Pater fecit, hæc eadem & Filius facit similiter.* & si qua alia sunt, quæ Christi divinitatem, in qua æqualis est Patri, rectè intelligentibus intiment, penè solus Johannes in Evangelio suo posuit: tamquam qui de pectore ipsius Domini, super quod discumbere in ejus convivio solitus erat, secretum divinitatis ejus uberiùs & quodammodo familiariùs biberit. *Joan. 10. 30.* *Joan. 14.* a *9. & 10.* a *Joan. 17. 22.* *Joan. 5. 19.* *Joan. 13. 23.*

CAPUT V. Virtutes duæ, circa contemplativam Johannes, circa activam Evangelistæ alij versantur.

8. PROINDE cùm duæ virtutes propositæ sint animæ humanæ, una activa, altera contemplativa; illa qua itur, ista qua pervenitur; illa qua laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum, ista qua vacatur & videtur Deus: illa est in præceptis exercendæ vitæ hujus temporalis, ista in doctrina vitæ illius sempiternæ. Ac per hoc illa operatur, ista requiescit: quia illa est in purgatione peccatorum, ista in [b] lumine purgatorum. Ac per hoc in hac vita mortali, illa est in opere bonæ conversationis: ista verò magis in fide, & apud perpaucos per speculum in ænigmate, & ex parte in aliqua visione incommutabilis veritatis. Hæ duæ virtutes in duabus uxoribus Jacob figuratæ intelliguntur. De quibus adversùs Faustum Manichæum pro modulo meo, quantum illi operi sufficere videbatur, disserui. Lia quippe interpretatur laborans, Rachel autem [c] visum principium. Ex quo intelligi datur, si diligenter advertas, tres Evangelistas temporalia facta Domini & dicta, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maximè valerent, copiosiùs persecutos, circa illam activam virtutem fuisse versatos; Johannem verò facta Domini multò pauciora narrantem, dicta verò ejus, ea præsertim quæ Trinitatis unitatem & vitæ æternæ felicitatem insinuarent, diligentiùs & uberiùs conscribentem, in virtute contemplativa commendanda, suam intentionem prædicationemque tenuisse. *Gen. 29. 23. & 28.* *Lib. 22. cap. 52.* b c

CAPUT VI. Quatuor animalia ex Apoca. ypsi de quatuor Evangelistis alij aliis apriùs intellexerunt.

9. UNDE mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid adtendisse illi, qui leonem in Matthæo, hominem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Johanne intellexerunt, quàm illi qui hominem Matthæo, aquilam Marco, leonem Johanni tribuerunt. De principiis enim librorum quamdam conjecturam capere voluerunt, non de tota intentione Evangelistarum, quæ magis fuerat perscrutanda. Multò enim congruentiùs ille, qui regiam Christi personam maximè commendavit, per leonem significatus accipitur: unde & in Apocalypsi cum ipsa tribu regia leo commemoratus est, ubi dictum est, *Vicit leo de tribu Juda.* Secundùm Matthæum enim & Magi narrantur venisse ab Oriente ad regem quærendum & adorandum, qui eis per stellam natus apparuit: & ipse rex Herodes regem formidat infantem, atque ut eum possit occidere, tot parvulos necat. Quòd autem per vitulum Lucas significatus sit, propter maximam victimam sacerdotis, neutri dubitaverunt. Ibi enim à sacerdote Zacharia incipit sermo narrantis: ibi cognatio Mariæ & Elisabeth commemoratur: ibi sacramenta primi sacerdotij in infante Christo impleta narrantur: & quæcumque alia possunt diligenter adverti, quibus appareat Lucas intentionem circa sacerdotis personam habuisse. Marcus ergo, qui neque stirpem regiam, neque sacerdotalem vel cognationem vel consecrationem narrare voluit, & tamen in eis versatus ostenditur quæ homo Christus operatus est, tantùm hominis figurâ in illis quatuor animalibus significatus videtur. Hæc autem animalia tria sive leo, sive homo, sive vitulus, in terra gradiuntur: unde isti tres Evangelistæ in his maximè occupati sunt, quæ Christus in carne operatus est, & quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At verò Johannes super nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur. *Luc. 1. 5. & 36.* *Luc. 2. 23.* *Marci 1.* *Tract. 36. in Johan.*

CAPUT VII. Causa suscepti operis de Evangelistarum consensu.

10. HAS Domini sanctas quadrigas, quibus per orbem vectus subigit populos leni suo jugo & sarcinæ levi, quidam vel impia vanitate vel imperita temeritate calumniis appetunt, ut eis veracis narrationis derogent fidem, per quos Christiana religio disseminata per mundum, tanta fertilitate provenit, ut homines infideles jam inter seipsos calumnias suas mussitare vix audeant, compressi fide gentium & omnium devotione populorum. Verumtamen quia nonnullos adhuc calumniosis disputationibus suis, vel retardant à fide ne credant, vel jam credentes, quantum potuerint, agitando perturbant; nonnulli autem fratres salva fide nosse desiderant quid talibus respondeant quæstionibus, vel ad profectum scientiæ suæ, vel ad illorum vaniloquia refellenda; inspirante atque adjuvante Domino Deo nostro, (quod utinam & ipsorum saluti profit,) hoc opere demonstrare suscepimus errorem vel temeritatem eorum, qui contra Evangelij quatuor libros, quos Evangelistæ quatuor singulos conscripserunt, satis argutas criminationes se proferre arbitrantur: quod ut fiat, quàm non sibi adversentur iidem scriptores quatuor, ostendendum est. Hoc enim solent quasi palmare suæ vanitatis objicere, quòd ipsi Evangelistæ inter seipsos dissentiant.

Occurritur iis qui dicunt Christum nihil scripsisse, discipulos verò ejus Deum illum prædicando, mēritos fuisse.

11. Sed illud priùs discutiendum est, quod solet nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere. Hoc enim dicunt illi vel maximè pagani, qui Dominum ipsum Jesum Christum culpare aut blasphemare non audent, eique tribuunt excellentissimam sapientiam, sed tamen tamquam homini: discipulos verò ejus dicunt magistro suo amplius tribuisse quàm erat, ut eum Filium Dei dicerent, & Verbum Dei per quod facta sunt omnia, & ipsum ac Deum Patrem unum esse: ac si qua similia sunt in apostolicis litteris, quibus eum cum Patre unum Deum colendum esse didicimus. Honorandum enim tamquam sapientissimum virum putant: colendum autem tamquam Deum negant.

12. Cùm ergo quærunt, quare ipse non scripserit, videntur parati fuisse hoc de illo credere; quod de se ipse scripsisset, non quod alij de illo pro

[a] Sic melioris notæ MSS. juxta Græcum, ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα. At editi, *Qui me videt, videt & Patrem.*
[b] Unus è Vaticanis MSS. *in illuminatione.*
[c] Editi excepto Rat. *visus principium.* At MSS. *visum principium*: sic etiam in lib. 22 cont. Faust. c. 52. legitur; additâ hacce interpretatione, *sive Verbum*, ait Augustinus, *ex quo videtur principium.*

suo arbitrio prædicassent. A quibus quæro, cur de quibusdam nobilissimis philosophis suis hoc crediderint, quod de illis eorum discipuli scriptum memoriæ reliquerunt, cùm de se ipsi nihil scripsissent? Nam Pythagoras, quo in illa contemplativa virtute nihil [a] tunc habuit Græcia clarius, non tantùm de se, sed nec de ulla re aliquid scripsisse perhibetur. Socrates autem, quem rursus in activa, qua mores informantur, omnibus prætulerunt, ita ut testimonio quoque dei sui Apollinis omnium sapientissimum pronuntiatum esse non taceant, Æsopi fabulas pauculis versibus persecutus est, verba & numeros suos adhibens rebus alterius, usque adeo nihil scribere voluit, ut hoc se coactum imperio sui dæmonis fecisse dixerit, sicut nobilissimus discipulorum ejus Plato commemorat: in quo tamen opere maluit alienas quàm suas exornare sententias. Quid igitur caussæ est, cur de istis hoc credant, quod de illis discipuli eorum litteris commendarunt, & de Christo nolint credere quod ejus de illo discipuli conscripserunt? præsertim cùm ab eo ceteros homines sapientiâ superatos esse fateantur, quamvis eum fateri Deum nolint. An verò illi, quos isto multò inferiores fuisse non dubitant, veraces de se discipulos facere potuerunt, & iste non potuit? Quod si absurdissimè dicitur, credant de illo quem sapientem fatentur, non quod ipsi volunt, sed quod apud eos legunt, qui ea quæ scripserunt, ab illo sapiente didicerunt.

CAPUT VIII. Si famâ narrante Christus creditur sapientissimus, cur majori famâ prædicante non credatur Deus.

13. DEINDE dicant, unde saltem quòd sapientissimus fuerit, nosse vel audire potuerunt? Si famâ disseminante, certior-ne de illo nuntia fama est, quàm discipuli ejus, quibus eum prædicantibus ipsa per totum mundum fama fragravit? Postremò famam præferant famæ, & ei famæ de illo credant quæ major est. Ea quippe fama, quæ de catholica Ecclesia, quam stupent toto orbe diffusam, mirabili claritate dispergitur, tenues istorum rumores incomparabiliter vincit: ea porrò fama tam magna, tam celebris, [b] ut eam timendo isti trepidas & tepidas contradictiunculas in sinu suo rodant, jam plus metuentes audiri, quàm volentes credi, Filium Dei unigenitum & Deum prædicat Christum, per quem facta sunt omnia: si ergo famam eligunt testem, cur non hanc eligunt, quæ tantâ claritate præfulget? si scripturam, cur non Evangelicam, quæ tantâ auctoritate præpollet? Nos certè hæc de diis eorum credimus, quæ habet & scriptura eorum antiquior, & fama celebrior. Quæ si adoranda sunt, cur ea rident in theatris? Si autem ridenda sunt, plus ridendum est cùm adorantur in templis. Restat ut ipsi velint testes esse de Christo, qui sibi auferunt meritum sciendi quid loquantur, loquendo quod nesciunt. Aut si aliquos libros se habere dicunt, quos eum scripsisse asserant, prodant eos nobis. Profectò enim utilissimi & saluberrimi sunt, quos, ut ipsi fatentur, vir sapientissimus scripsit. Si autem timent eos proferre, utique mali sunt: porrò si mali sunt, non eos sapientissimus scripsit: sapientissimum autem Christum fatentur: non ergo Christus tale aliquid scripsit.

CAPUT IX. Quidam fingunt

14. ITA verò isti desipiunt, ut illis libris, quos eum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama ubique percrebuit: quod existimando seipsos produnt quid diligant, & quid affectent. Quando quidem Christum propterea sapientissimum putant fuisse, quia nescio quæ illicita noverat, quæ non solùm disciplina Christiana, sed etiam ipsa terrenæ reipublicæ administratio jure condemnat. Et certè qui tales Christi libros se legisse affirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur? Christum scripsisse libros de magicis.

15. QUID quòd etiam divino judicio sic errant quidam eorum, qui talia Christum scripsisse vel credunt vel credi volunt, ut eosdem libros ad Petrum & Paulum dicant, tamquam epistolari titulo prænotatos. Et fieri potest, ut sive inimici nominis Christi, sive qui ejusmodi exsecrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus auctoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi & Apostolorum nomine scripserint: in qua fallacissima audacia sic excæcati sunt, ut etiam à pueris, qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum Christianas litteras norunt, meritò rideantur. CAPUT X. Eosdem libros Petro & Paulo inscriptos quidam delirant. Pueri in Lectorum gradu.

16. Cùm enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimùm scribere potuisse facilè crederetur, tamquam ad illos qui ei familiariùs adhæsissent, quibus illud quasi secretum dignè committeretur: & occurrit eis Petrus & Paulus, credo quòd pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent; quia merita Petri & Pauli etiam propter eumdem passionis diem [c] celebriùs sollemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Christum & Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt: nec mirum si à pingentibus fingentes decepti sunt. Toto enim tempore, quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus ejus, quem post passionem suam, post resurrectionem, post adscensionem, post missum de cælis Spiritum sanctum, post multorum Judæorum conversionem & mirabilem fidem, post lapidationem Stephani diaconi & martyris, cùm adhuc Saulus appellaretur, & eos qui in Christum crediderant, graviter persequeretur, de cælo vocavit, & suum discipulum atque apostolum fecit. Quomodo igitur potuit libros, quos antequam moreretur eum scripsisse putari volunt, ad discipulos, tamquam familiarissimos, Petrum & Paulum scribere, cùm Paulus nondum fuerit discipulus ejus? *Act. 9. 4.*

17. ILLUD quoque adtendant, qui magicis artibus tanta eum potuisse, & nomen suum ad populos in se convertendos arte ipsa consecrasse deliCAPUT XI. In eos qui somniant Christum magica arte populos ad se convertisse.

18. PROINDE illius Hebrææ gentis ad prophetandum Christum, sicut dixi, deputatæ nullus CAPUT XII. Judæorum

[a] Particula *tunc* deest in sex MSS.

[b] Editi Er. & Lov. *tam celebris est, ut eam timendo &c. quàm nolentes credi filium Dei unigenitum & Deum prædicari Christum* &c. dissentientibus MSS. propè omnibus & antiquiori editione Rat. quorum hîc lectionem restituimus.

[c] In tribus MSS. *celeberrimum sollemniter*. Apud Er. & Lov. *celebrius & sollemniter*, addito *&*, quod abest ab aliis codicibus.

Deus, illis subjugatis, ideo non fuit à Romanis receptus, quòd is juberet se solum coli simulacris deletis. [a]

alius deus erat, nisi Deus unus, Deus verus, qui fecit cælum & terram & omnia quæ in eis sunt: quo offenso sæpe suis hostibus subdebantur: nunc etiam pro gravissimo scelere occisi Christi, ex ipsa Jerosolima, quod erat regni eorum caput, penitus eradicati, & Romano imperio subjugati sunt. Solebant autem Romani deos gentium, quas subjugabant, [a] colendos propitiare, & eorum sacra suscipere. Hoc de Deo gentis Hebrææ, cùm eam vel oppugnaverunt vel vicerunt, facere noluerunt. Credo quòd videbant, si ejus Dei sacra reciperent, qui se solum, deletis etiam simulacris, coli juberet, dimittenda esse omnia quæ priùs colenda susceperant, quorum religionibus imperium suum crevisse arbitrabantur. In quo eos plurimùm fallacia dæmonum decipiebat: nam utique intelligere debebant, occulta Dei veri voluntate, penes quem rerum summa potestas est, sibi datum & auctum regnum, non illorum deorum favore: qui si aliquid in hac re potestatis habuissent, suos potiùs protexissent, ne à Romanis superarentur, aut ipsos eis Romanos edomitos subjugassent.

19. Neque enim possunt dicere pietatem ac mores suos à diis gentium, quas vicerunt, dilectos & electos. Numquam hoc dicent, si primordia sua recolant, facinorosorum asylum & Romuli fratricidium. Neque enim quando asylum constituerunt Remus & Romulus, ut quisquis cujusliber sceleris reus eò confugisset, inultum haberet commissum, præcepta pænitentiæ dederunt ad sanandas animas miserorum; ac non potiùs collectam timentium manum contra suas civitates, quarum leges timebant, mercede impunitatis armarunt: aut quando Romulus fratrem, qui nihil in eum mali perpetrarat, occidit, justitiam vindicandi, ac non principatum dominandi cogitavit. Ita-ne istos mores dilexerunt dij, hostes suarum civitatum favendo hostibus earum? Quin potiùs nec illas deferendo presserunt, nec ad istos transeundo eos aliquid adjuverunt; quia non habent in potestate regnum dare & auferre: sed Deus unus & verus hoc agit occulto judicio, non continuò beatos facturus, quibus terrenum regnum dederit; nec continuò miseros, quibus ademerit; sed beatos vel miseros propter aliud & aliunde faciens, temporalia regna atque terrena quibus voluerit, & quamdiu voluerit, secundùm prædestinatum ordinem sæculorum, vel sinendo vel donando distribuit.

CAPUT XIII. Judæos cur Deus passus est subjugari.

20. UNDE nec illud possunt dicere, Cur ergo Deus Hebræorum, quem summum & verum Deum dicitis, non solùm eis Romanos non subjugavit, sed nec ipsos Hebræos, ne à Romanis subjugaretur, adjuvit? Præcesserunt enim manifesta peccata eorum, propter quæ illis hoc eventurum Prophetæ tantò antè prædixerunt; & maximè quia impio furore Christum occiderunt, in quo peccato aliorum occultorum peccatorum meritis excæcati sunt: & quòd illius passio esset gentibus profutura, eadem prophetica contestatione prædictum est. Nec alia re magis claruit, illius gentis regnum & templum & sacerdotium & sacrificium & unctionem illam mysticam, quod χεῖσμα Græcè dicitur, unde Christi nomen elucet, & propter quam reges suos Christos ipsa gens appellabat, non fuisse nisi prænuntiando Christo deputata, quàm quòd occisi Christi resurrectio postea quàm cœpit credentibus gentibus prædicari, illa omnia cessaverunt, nescientibus Romanis per quorum victoriam, nescientibus Judæis per quorum subjugationem factum est, ut illa cessarent.

CAPUT XIV. Deus Hebræorum victis illis se victum non esse ostendit idolorum eversione & gentium omnium ad ipsius cultum cõversione. *Isai. 54. 5. Gen 28. 14.* [b]

21. REM sanè mirabilem non advertunt pauci Pagani, qui remanserunt, Deum Hebræorum offensum à victis, nec receptum à victoribus, nunc prædicari & coli ab omnibus gentibus. Ipse est enim Deus Israël, de quo tantò antè Propheta plebem Dei sic allocutus est, *Et qui eruit te, Deus Israël universæ terræ vocabitur.* Hoc factum est per nomen Christi venientis ad homines ex semine ipsius Israël, qui nepos fuit Abrahæ, à quo [b] gens cœpit Hebræorum: nam & ipsi Israël dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Hinc ostenditur Deus Israël, Deus unus qui fecit cælum & terram, & res humanas justè ac misericorditer curat, ita ut nec præcludat justitia misericordiam, nec impediat misericordia justitiam, quòd non ipse sit victus in Hebræo populo suo, quia regnum sacerdotiumque ejus Romanis expugnandum delendumque permisit: quandoquidem per Christi Evangelium veri regis & sacerdotis, quod illo regno & sacerdotio futurum præfiguravit, nunc ipse Deus Israël ubique delet idola gentium: quæ utique ne delerentur, recipere sacra ejus Romani noluerunt, sicut receperunt deorum aliarum gentium, quas vicerunt. Ita & regnum sacerdotiumque propheticæ gentis abstulit, quia jam qui per eam promittebatur, advenerat: & Romanum imperium, à quo gens illa victa est, per Christum regem suo nomini subjugavit, atque ad evertenda idola, propter quorum honorem sacra ejus recepta non erant, Christianæ fidei robore ac devotione convertit.

22. Puto quia hæc de se futura, ut per tot Prophetas, & per cujusdam etiam gentis regnum ac sacerdotium prænuntiarentur, non magicis artibus fecit Christus, antequam esset in hominibus natus. Nam & illius jam deleti regni populus ubique dispersus mirabili Dei providentiâ, quamvis sine ulla unctione regis sacerdotisque remanserit, in quo chrismate Christi nomen apparet, tenet tamen reliquias quarumdam observationum suarum: Romana autem sacra illa de idolorum cultu nec victus ac subjugatus accepit, ut libros propheticos ad testimonium gerat Christi, ac sic de inimicorum codicibus [c] probetur veritas prophetati Christi. Quid ergo miseri adhuc Christum malè laudando seipsos [d] indicant? Si aliqua magica sub ejus nomine scripta sunt, cùm vehementer his artibus Christi doctrina inimica sit; hinc potiùs intelligant quantum sit illud nomen, quo addito etiam illi qui contra ejus præcepta vivunt, suas nefarias artes honorare conantur. Sicut enim diversis hominum erroribus multi etiam varias hæreses adversùs veritatem sub ejus nomine condiderunt: ita sentiunt etiam inimici Christi, ad suadendum quod proferunt contra doctrinam Christi, nullum sibi esse pondus auctoritatis, si non habeat nomen Christi.

CAPUT XV. Pagani Christum laudare ecpulsi, in ejus discipulos contumelios.

23. QUID quòd isti vani Christi laudatores & Christianæ religionis obliqui obtrectatores propterea non audent blasphemare Christum, quia quidam philosophi eorum, sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodidit, consuluerunt deos suos quid de Christo responderent, illi autem oraculis suis Christum laudare compulsi sunt. Nec mirum, cùm

[a] MSS. quinque, *colendo propitiare*.

[b] Probabilius tamen est Hebræos dictos ad Heber, ex 2. Retract. 16.

[c] MSS. sex, *profertur veritas*.

[d] Editio Rat. & quinque MSS. *judicant*.

Luc. 4. 41. & in Evangelio legamus eum dæmones fuisse confessos: scriptum est autem in Prophetis nostris, *Psal.* 95. 5. *Quoniam dij gentium dæmonia.* Ac per hoc isti ne contra deorum suorum responsa conentur, continent blasphemias à Christo, & eas in discipulos ejus effundunt: mihi autem videtur, quòd illi dij gentium, quos philosophi Paganorum consulere potuerunt, etiam si de discipulis Christi interrogarentur, ipsos quoque laudare cogerentur.

CAPUT XVI. Apostoli de subvertendis idolis nihil à Christo vel à Prophetis diversum docuerunt.

24. VERUMTAMEN isti ita disputant, quòd hæc eversio templorum, & damnatio sacrificiorum, & confractio simulacrorum non per doctrinam Christi fiat, sed per discipulorum ejus quos aliud, quàm ab illo didicerunt, docuisse contendunt; ita volentes Christianam fidem, Christum honorantes laudantesque convellere: quia utique per discipulos Christi & facta & dicta Christi annuntiata sunt, quibus constat religio Christiana, adhuc istis jam paucissimis, nec jam oppugnantibus, sed tamen adhuc mussitantibus inimica. Sed si nolunt credere Christum talia docuisse, Prophetas legant, qui non solùm superstitiones idolorum everti præceperunt, verùm etiam Christianis temporibus hanc eversionem futuram prædixerunt. Qui si fefellerunt, cur tantâ manifestatione completur? si verum dixerunt, cur tantæ divinitati resistitur?

CAPUT XVII. In Romanos qui Deum Israël solum rejecerunt.

25. VERUMTAMEN diligentiùs ab istis quærendum est, quemnam putent esse Deum Israël, cur eum colendum non receperint, sicut aliarum gentium deos, quas Romanum subegit imperium; præsertim cùm eorum sententia sit, omnes deos colendos esse sapienti? Cur ergo à numero ceterorum iste rejectus est? Si plurimum valet, cur ab eis solus non colitur? si parum aut nihil valet, cur contritis eorum simulacris ab omnibus gentibus solus penè jam colitur? Numquam hujus quæstionis vinculo eximi poterunt, qui cùm majores & minores deos colant, quos deos putant, hunc Deum non colunt, qui prævaluit omnibus quos colunt. Si enim magnæ virtutis est, cur existimatus est improbandus? si parvæ nulliusve virtutis est, cur tantùm potuit improbatus? Si bonus est, cur à ceteris bonis solus separatur? si malus est, cur à tot bonis unus non superatur? Si verax est, cur ejus præcepta respuuntur? si mendax est, cur ejus prædicta complentur?

CAPUT XVIII. Hebræorum Deus à Romanis non receptus, quia se solum coli voluerit.

26. POSTREMO quod volunt de illo sentiant. Numquid Romani etiam malos deos colendos non putant, qui pallori & febri fana fecerunt? Qui & ἀγαθὸς dæmonas [a] invitandos, & κακὸς dæmonas placandos monent? Quodlibet ergo de illo existiment, cur eum solum sibi nec advocandum nec propitiandum esse duxerunt? Quis est Deus iste vel ita ignotus, ut in tam multis diis solus adhuc non inveniatur; aut ita notus, ut à tam multis hominibus jam solus colatur? Nihil ergo restat ut dicant cur hujus Dei sacra recipere noluerint, nisi quia solum se coli voluerit, illos autem deos gentium, quos isti jam colebant, coli prohibuerit. Sed hoc ipsum magis ab eis requirendum est, quemnam vel qualem putent esse istum Deum, qui noluerit coli deos alios, quibus isti templa & simulacra fecerunt; tantumque potuerit, ut plus valeret ejus voluntas ad eorum simulacra evertenda, quàm illorum ad ejus sacra non recipienda? Certè sententia illius eorum Philosophi proditur, quem sapientissimum omnium hominum etiam oraculo fuisse firmarunt. Socratis enim sententia est, unumquemque deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Proinde istis summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum; quia si alio modo eum colere vellent, quàm se colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent: si autem illo modo vellent, quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc respuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent; magis arbitrantes sibi obfuturam fuisse istorum iracundiam, quàm illius benevolentiam profuturam.

CAPUT XIX. Hunc esse verum Deum.

27. SED fuerit ista vana necessitas, & ridenda timiditas: nunc quærimus quid de isto Deo sentiant homines, quibus placet omnes deos colendos esse. Si enim iste colendus non est, quomodo coluntur omnes, cùm iste non colitur? si autem colendus est, non omnes colendi sunt: quia nisi solus colatur, iste non colitur. An fortè dicturi sunt istum non esse Deum, cùm illos deos dicant, qui, sicut nos credimus, nihil possunt, nisi quod illius judicio permittuntur; non ut alicui prosint, sed ut nec lædere valeant, nisi eos quos ita lædendos esse ille judicat, qui omnia potest? Sicut autem ipsi coguntur fateri, minora certè quàm ille potuerunt. Si enim dij sunt, quorum vates consulti ab hominibus, ut non dicam fefellerunt, proxima tamen privatis negotiis responderunt; quomodo non est Deus, cujus vates non solùm ea quæ ad tempus consulebantur congruè responderunt, verùm etiam unde non consulebantur de universo genere humano, atque omnibus gentibus ea tantò antè prædixerunt, quæ nunc & legimus & videmus? Si Deum dicunt, quo impleta Sibylla [b] fata cecinit Romanorum; quomodo non est Deus, qui & Romanos & omnes nationes in se unum Deum per Christi Evangelium credituras, & omnia patrum suorum simulacra eversuras, sicut prænuntiavit, exhibuit? Postremò si illos deos dicunt, qui numquam ausi sunt per vates suos contra istum Deum aliquid dicere; quomodo non est Deus, qui per vates suos istorum simulacra non solum everti jussit, verùm etiam in omnibus gentibus eversum iri prædixit ab eis, qui illis destitutis se unum colere juberentur, & jussi famularentur?

CAPUT XX. Contra Deum Hebræorum nihil à Paganorum vatibus prædictum reperitur.

28. AUT legant si possunt, vel aliquam Sibyllarum, vel quemlibet aliorum vatum suorum prædixisse hoc futurum, ut Deus Hebræorum Deus Israël ab omnibus gentibus coleretur; & quòd eum cultores aliorum deorum rectè antea respuissent; [c] futuras etiam litteras Prophetarum ejus in auctoritate ita sublimi, ut his obtemperans etiam imperium Romanorum juberet deleri simulacra; monuisse etiam ne talibus præceptis obtemperaretur: legant ista, si possunt, ex aliquibus libris vatum suorum. Omitto enim dicere, quòd ea quæ in illorum libris leguntur, pro nostra, hoc est, Christiana religione testimonium dicunt, quod à sanctis Angelis, & ab ipsis nostris Prophetis audire potuerunt: sicut & præsentem in carne Christum etiam dæmonia coacta sunt confiteri. Sed hæc omitto, quæ cùm proferimus, à nostris ficta esse contendunt: ipsi omnino, ipsi urgendi sunt, ut proferant à vatibus deorum suorum contra Deum Hebræorum aliquid prophetatum; sicut nos tot & tanta de libris

Marci 1. 34. *Luce* 4. 41.

a Editi, *imitandos*. At MSS. *invitandos*: quibus fayet quod subsequitur, *ut eum solum sibi nec advocandum* &c.

b In septem MSS. *facta*.

c Sex MSS. *futurum*..... *sublimari*.

Prophetarum nostrorum contra deos eorum & jussa observamus, & prædicta recitamus, & facta monstramus. Quæ illi jam perpauci qui remanserunt, malunt dolere completa, quàm illum Deum agnoscere, qui potuit prænuntiare complenda: cùm in suis diis falsis, quæ sunt vera dæmonia, nihil aliud pro magno appetant, quàm cùm aliquid eorum responsis sibi futurum esse didicerint.

CAPUT XXI. Hic solus Deus colendus, qui cùm alios coli prohibeat, coli non prohibetur ab aliis.

29. QUÆ cùm ita sint, cur non potiùs miseri intelligunt illum esse Deum verum, quem sic vident à suorum deorum societate sejunctum, ut quem Deum fateri coguntur, qui omnes deos colendos esse profitentur, cum ceteris colere non sinantur? Cùm ergo simul coli non possint, cur non ille eligitur, qui istos coli vetat, relictis istis qui illum coli non vetant? Aut si vetant, legatur. Quid enim magis populis eorum in templis eorum debuit recitari, ubi nihil umquam tale personuit? Et utique prohibitio tam multorum contra unum, quàm unius contra tam multos, notior & [a] potentior esse deberet. Nam si hujus Dei cultus est impius, inutiles sunt dij, qui homines ab impietate non prohibent: si verò pius est hujus cultus, quoniam in illo præcipitur ne isti colantur, impius est cultus eorum. Si autem tam diffidenter istum coli prohibent, ut plus [b] audiri timeant, quàm prohibere audeant; hoc ipso quis non sapiat, quis non sentiat, illum esse potiùs eligendum, qui istos coli tam publicè prohibet, qui eorum simulacra everti jussit, prædixit, evertit, quàm istos, quos ut ille non colatur, jussisse nescimus, prædixisse non legimus, valuisse aliquid non videmus? Rogo respondeant quis est Deus iste, qui omnes deos gentium sic persequitur, qui omnia eorum sacra sic prodit, sic exstinguit?

CAPUT XXII. Opinio gentium de Deo nostro.

30. QUID interrogem homines, qui evanuerunt cogitando quis iste sit? Alij dicunt, Saturnus est: credo propter sabbati sanctificationem, quia isti eum diem Saturno tribuerunt. Varro autem ipsorum, quo doctiorem apud se neminem inveniunt, Deum Judæorum Jovem putavit, nihil interesse censens quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur: credo illius summitate deterritus. Nam quia nihil superius solent colere Romani quàm Jovem, quod Capitolium eorum satis apertéque testatur, eumque regem omnium deorum arbitrantur; cùm animadverteret Judæos summum Deum colere, nihil aliud potuit suspicari quàm Jovem. Sed sive qui Saturnum, sive qui Jovem Deum Judæorum putant, dicant quando Saturnus prohibere ausus est coli alterum Deum; nec ipsum Jovem, qui eum regno expulisse perhibetur, patrem filius? Qui si tamquam potentior & victor placuit cultoribus suis, Saturnum victum expulsumque non colant. Sed neque istum coli Jovis prohibuit; & quem vincere potuit, deum tamen esse permisit.

CAPUT XXIII. De Jove & Saturno quid nugati sint Pagani.

31. ISTÆ, inquiunt, fabulæ sunt aut interpretandæ à sapientibus, aut ridendæ: nos autem Jovem colimus, de quo ait Maro, *Jovis omnia plena*, id est omnia vivificantem spiritum. Meritò ergo & Varro Jovem opinatus est coli à Judæis, quia dicit per Prophetam, *Cælum & terram ego impleo.* Quid illud quòd idem poëta dicit æthera, quomodo accipiunt? Sic enim ait,

Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther,
Conjugis in gremium lætæ descendit,

Ierem. 23. 24. *Georg.* 2. *v.* 324.

Ætherem quippe non spiritum, sed corpus esse dicunt sublime, quo cælum super aërem distenditur. An poëtæ conceditur nunc secundùm Platonicos, ut non corpus sed spiritus, nunc secundùm Stoïcos loqui, ut corpus sit Deus? Quid igitur in Capitolio colunt? Si spiritum, si denique ipsum cælum corporeum, quid illic facit scutum illud Jovis, quod appellant Ægida? Nempe origo nominis hujus ita redditur, quia Jovem à matre occultatum capra nutrivit: an & hoc poëtæ mentiuntur? Numquid & Capitolia Romanorum, opera sunt poëtarum? Quid sibi autem vult ista non poëtica, sed planè mimica varietas, deos secundùm philosophos in libris quærere, secundùm poëtas in templis adorare?

32. Sed numquid etiam ille Euhemerus poëta fuit, qui & ipsum Jovem & Saturnum patrem ejus, & Plutonem atque Neptunum fratres ejus, ita planissimè homines fuisse prodit, ut eorum cultores gratias magis poëtis agere debeant, quia non ad eos dehonestandos, sed potiùs ad exornandos multa finxerunt? quamvis & ipsum Euhemerum ab Ennio poëta in Latinam linguam esse conversum Cicero commemoret. Numquid & ipse Cicero poëta fuit, qui eum, cum quo in Tusculanis disputat, tamquam secretorum conscium admonet dicens, Si verò scrutari vetera, & ex eis quæ scriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner, ipsi illi majorum gentium dij qui habentur, hinc à nobis profecti in cælum reperientur. Quære quorum demonstrentur sepulcra in Græcia: reminiscere, quoniam es initiatus, quæ tradantur mysteriis: tum denique quàm hoc latè pateat intelliges. Hic certè istorum deos homines fuisse satis confitetur, in cælum autem perveniisse benevolè suspicatur: quamquam & hunc honorem opinionis ab hominibus eis esse delatum, non dubitavit publicè dicere, cùm de Romulo loqueretur. Qui hanc urbem, inquit, condidit, Romulum ad deos immortales benevolentiâ famâque sustulimus. Quid igitur mirum est, si hoc fecerunt antiquiores homines de Jove & Saturno & ceteris, quod Romani de Romulo, quod denique jam recentioribus temporibus etiam de Cæsare facere voluerunt? Quibus & Virgilius adulationem carminis addidit, dicens: *Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.* Videant ergo ne fortè historica veritas sepulcra falsorum deorum ostendat in terra: vanitas autem poëtica stellas eorum non figat, sed fingat in cælo. Neque enim revera stella illa Jovis est, aut illa Saturni: sed post eorum mortem sideribus ab initio mundi conditis hæc nomina imposuerunt homines, qui illos mortuos, quasi deos haberi voluerunt. De quibus quid tantum mali castitas, aut quid tantum boni voluptas commeruit, ut inter astra, quæ cum sole & luna circumeunt, Venus habeat stellam, & Minerva non habeat?

Lib. 1. de nat. deor. *Tuscul. 1.* *In Catilin. orat. 3.* *Eclog. 9. v. 47.*

33. Sed fuerit & Cicero Academicus incertior quàm poëtæ, qui sepulcra deorum commemorare ausus est, litterisque mandare: quamvis hoc non ex opinione propria præsumserit, sed ex ipsorum sacrorum traditione commemoraverit. Numquid & Varro vel tamquam poëta fingit, vel tamquam Academicus dubiè ponit, quod dicit talium deorum sacra ex cujusque eorum vita vel morte, qua inter homines vixerunt vel obierunt, esse composita? Numquid & Leon ille sacerdos Ægyptius,

a MSS. quinque, *potior*.

b Editi, *audere timeant*. Sed verius MSS. *audiri timeant*: scilicet Dæmones verebantur, ne Deus verus, si ejus cultum prohiberent, per eos ipsos innotesceret.

poëta vel Academicus fuit, qui Macedoni Alexandro, diversam quidem à Græcorum opinione istorum deorum originem, verumtamen ita prodit, ut eos homines fuisse declaret.

34. Sed quid ad nos? Dicant se Jovem, non hominem mortuum colere, nec homini mortuo Capitolium dedicasse, sed spiritui vivificanti omnia, quo mundus impletur, & scutum ejus in honorem nutricis ejus factum de pelle caprina, interpretentur ut volunt. Quid dicunt de Saturno? quem Saturnum colunt? Nonne ille est, qui primus ab Olympo venit,

Æneid. 8. v. 320. *Arma Iovis fugiens, & regnis exsul ademtis,*
Qui genus indocile & dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris?

Nonne ipsum ejus simulacrum, quod cooperto capite fingitur, quasi latentem indicat? Nonne ipse Italis ostendit agriculturam, quod falce demonstrat? Non, inquiunt: nam videris si fuit ille homo & rex quidam, de quo ista narrantur; nos tamen Saturnum interpretamur universum tempus, quod Græcum etiam vocabulum ejus ostendit: vocatur enim χρόνος, quod adspiratione addita, etiam temporis nomen est: unde & Latinè Saturnus appellatur, quasi saturetur annis. Quid jam cum istis agendum sit, nescio, qui conantes in melius interpretari nomina & simulacra deorum suorum, fatentur majorem deum suum & patrem ceterorum tempus esse? Quid enim aliud indicant, quàm omnes deos suos temporales esse, quorum patrem ipsum tempus constituunt?

35. Erubuerunt hinc philosophi eorum recentiores Platonici, qui jam Christianis temporibus fuerunt; & Saturnum aliter interpretari conati sunt, dicentes appellatum κεκόρευσθαι, velut à satietate intellectus, eo quòd Græcè satietas κόρος, intellectus autem sive mens νοῦς dicitur: cui videtur suffragari & Latinum nomen, quasi ex prima Latina parte & Græca posteriore compositum, ut diceretur Saturnus tamquam satur esset νοῦς. Viderunt enim quàm esset absurdum, si filius temporis Jupiter haberetur, quem deum æternum vel putabant vel putari volebant. At verò secundùm istam novellam interpretationem, quam veteres eorum si habuissent, mirum si Ciceronem Varronemque latuisset, Saturni filium Jovem dicunt, tamquam ab illa summa mente profluentem spiritum, quem volunt esse vel ut animam mundi hujus, omnia cælestia & terrena corpora implentem. Unde illud Maronis est,

Eclog. 3. v. 60. quod paulò antè commemoravi, *Iovis omnia plena.* Numquid non, si possent isti, sicut ipsam interpretationem, ita etiam superstitionem hominum commutarent, & aut nulla simulacra, aut certè Saturno potiùs quàm Jovi Capitolia constituerent? Neque enim ullam animam rationalem sapientem fieri disputant, nisi participatione summæ illius incommutabilisque sapientiæ; non solùm cujusquam hominis animam, sed ipsius etiam mundi, quam dicunt Jovem. Nos verò, esse quamdam summam Dei sapientiam, cujus participatione fit sapiens quæcumque anima fit verè sapiens, non tantùm concedimus, verùm etiam maximè prædicamus. Utrùm autem universa ista corporalis moles, quæ mundus appellatur, habeat quamdam animam, vel quasi animam suam, id est rationalem vitam, qua ita regatur sicut unumquodque animal, magna atque abdita quæstio est: nec affirmari debet ista opinio, nisi comperta quòd vera sit; nec refelli, nisi comperta quòd falsa sit. Quid autem hoc ad hominem, etiam si semper eum lateat? quando quidem nulla anima fit sapiens vel beata ex alia quacumque anima, sed ex illa sola summa atque incommutabili Dei sapientia.

36. Romani tamen, qui non Saturno, sed Jovi Capitolium condiderunt; vel aliæ nationes, quæ Jovem præcipuè supra ceteros deos colendum esse putaverunt, non hoc quod isti senserunt: qui secundùm istam suam novam opinionem, & summas [a] arces, si quidquam in his rebus potestatis habuissent, Saturno potiùs dedicarent; & Mathematicos vel Genethliacos maximè delerent, qui Saturnum, quem sapientum effectorem isti dicerent, maleficum deum inter alia sydera constituerunt. Quæ opinio tantum contra illos in animis humanis prævaluit, ut nec nominare illum velint, senem potiùs quàm Saturnum appellantes: tam timida superstitione, ut jam Carthaginenses penè vico suo nomen mutaverint, Vicum senis crebriùs, quàm Vicum Saturni appellantes.

CAPUT XXIV. Non omnes Deos colunt, qui Deum Israël rejiciunt; nec eum colunt, qui alios colunt.

37. NOTUM est ergo, quid colere convincantur, & quid [b] colorare conentur adoratores simulacrorum. Verùm & ab istis novitiis Saturni interpretatoribus requirendum est, quid de Deo sentiant Hebræorum. Etiam ipsis enim placuit omnes deos cum gentibus colere, cùm eos superbos puderet pro peccatorum suorum remissione humiliari sub Christo. Quid ergo sentiunt de Deo Israël? Quem si non colunt, non omnes deos colunt: si autem colunt, non colunt sicut se coli jussit, quia & alios colunt, quos coli ille prohibuit. Per eos enim vates ista prohibuit, per quos hæc ipsa quæ nunc à Christianis eorum simulacra patiuntur, futura prædixit. Sive enim Angeli ad illos prophetas missi sint, qui eis Deum omnium crearorem unum verum Deum, cui universa subjecta sunt, & per sensibilium rerum congruam speciem figuratè ostenderent, & quemadmodum se coli præciperet, indicarent; sive aliquorum in eis mentes per Spiritum sanctum ita sublimatæ sint, ut eo visu ea viderent, quo & ipsi Angeli vident: constat tamen eos illi Deo servisse, qui alios deos coli prohibuit: servisse autem fide pietatis in regno & sacerdotio reipublicæ suæ, & Christum venturum verum regem ac sacerdotem significantibus sacris.

CAPUT XXV. Dij falsi alios coli secum non prohibent.

38. PORRO autem in diis gentium, (quos isti dum colere volunt, illum qui cum istis coli non potest, colere nolunt,) dicant quid causæ est, ut nullus eorum inveniatur qui alterum coli prohibeat, cùm eos in diversis officiis muneribusque constituant, & rebus ad quemque propriè pertinentibus præsides esse velint? Si enim Jupiter non prohibet Saturnum coli, quia non est ille homo, qui illum hominem patrem de regno expulit, sed aut cæli corpus, aut spiritus implens cælum & terram; & ideo non potest prohibere coli mentem supernam, ex qua dicitur emanasse: si ea ratione nec Saturnus Jovem coli prohibet, quia non ab eo rebellante superatus est, sicut ille à Jove nescio quo, cujus arma fugiens venit in Italiam; sed favet prima mens animæ à se genitæ: saltem Vulcanus prohiberet coli Martem uxoris adulterum, Hercules Junonem persecutricem suam. Quæ ista inter eos est tam fœda consensio, ut nec Diana virgo casta

[a] Editi Er. & Lov. *artes*: dissentientibus MSS. & Rat.

[1] [b] Sic in MSS. At in editis, *colere*.

coli

coli prohibeat, non dicam Venerem, sed Priapum? Nam si unus homo & venator & agricola esse voluerit, servus erit amborum: quibus tamen vel vicina templa fabricare erubescit. Sed interpretentur Dianam virtutem quam volunt, interpretentur & Priapum [a] fecunditatis deum, ita sanè ut in fetandis feminis pudeat Junonem talem habere adjutorem. Dicant quod placet, interpretentur quod sapiunt; dum tamen omnia eorum argumenta perturbet Deus Israël. Qui cùm illos omnes coli prohibuerit, & à nullo eorum coli prohibitus sit, eorumque simulacris & sacris eversionem præceperit, prædixerit, fecerit; satis ostendit illos falsos atque fallaces, & se esse verum, ac veracem Deum.

Deum Israël esse Deum verum convincitur ex operibus ejus & prædictis & impletis.

39. Istos autem jam paucos deorum multorum falsorumque cultores, quis non miretur nolle obtemperare illi, de quo cùm ab eis quæritur, quisnam sit Deus, quodlibet opinando respondent, Deum tamen esse negare non audent? quia si negent, operibus ejus & prædictis atque completis facillimè convincuntur. Neque enim ea dico, quæ liberum sibi putant esse non credere, quia ipse in principio fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Neque illa nimis antiqua, quòd Enoch transtulit, quòd impios diluvio delevit, quòd Noë justum domumque ejus per lignum inde liberavit. Ab Abraham in hominibus facta ejus exordior. Huic enim facta est per angelicum oraculum manifesta promissio, quam nunc videmus impleri. Huic quippe dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes gentes:* ex cujus semine populus Israël, unde virgo Maria quæ peperit Christum, in quo benedici omnes gentes audeant jam negare si possunt. Hæc promissio facta est etiam ad Isaac filium Abraham. Hæc & ad Jacob nepotem Abrahæ, qui etiam Israël appellatus est, ex quo universus ille populus & propagatus & nominatus est, ut hujus populi Deus appellaretur Deus Israël: non quòd ipse non sit Deus omnium gentium, sive nescientium, sive jam scientium; sed quia in isto populo voluit manifestiùs apparere virtutem promissorum suorum. Ille enim populus primò in Ægypto multiplicatus, & de illa servitute per Moysen in multis signis portentisque liberatus, debellatis plurimis gentibus terram etiam promissionis accepit, in qua regnavit per reges suos de tribu Juda exortos. Qui Judas unus fuit ex duodecim filiis Israël nepotis Abrahæ; atque inde Judæi cognominati, multa ipso Deo adjuvante fecerunt, multa pro peccatis suis ipso flagellante perpessi sunt, donec veniret semen cui promissum est, in quo benedicerentur omnes gentes, & patrum suorum simulacra sponte confringerent.

Gen. 1. 1. Gen. 5. 24. Gen. 7. 10. Gen. 22. 18. Gen. 26. 4. Gen. 28. 14. Exodi 1. 7. &c.

CAPUT XXVI. Idololatria per Christi nomen & Christianorum fidem juxta prophetias eversa.

40. NEQUE enim temporibus Christianis, sed tantò antè prædictum est, quod per Christianos impletur. Ipsi Judæi qui remanserunt inimici nominis Christi, de quorum etiam futura perfidia in illis propheticis litteris tacitum non est, ipsi habent & legunt Prophetam dicentem, *Domine Deus meus & refugium meum in die malorum, ad te gentes venient ab extremo terræ, & dicent, Verè mendacia coluerunt patres nostri simulacra, & non est in illis utilitas.* Ecce nunc fit, ecce nunc gentes ab extremo terræ veniunt ad Christum ista dicentes, & simulacra frangentes. Et hoc enim magnum est, quod Deus præstitit Ecclesiæ suæ ubique diffusæ, ut gens Judæa meritò debellata & dispersa per terras, ne à nobis hæc composita putarentur, codices prophetiarum nostrarum ubique portaret; & inimica fidei nostræ, testis fieret veritatis nostræ. Quomodo ergo discipuli Christi docuerunt quod à Christo non didicerunt, sicut stulti despiendo jactitant, ut deorum gentilium & simulacrorum superstitio deleretur? Numquid & illas prophetias quæ nunc leguntur in codicibus inimicorum Christi, possunt dici finxisse discipuli Christi?

Jerem. 16. 19.

41. Quis enim hæc evertit, nisi Deus Israël? Ipsi enim populo dictum est per divinas voces factas ad Moysen, *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est. Non facies tibi idolum, neque cujusquam similitudinem, neque in cælo sursum, neque in terra deorsum.* Ut autem etiam evertat ista, ubi potestatem acceperit, sic ei præcipitur. *Non adorabis deos illorum, sed neque servies eis: non facies secundùm opera ipsorum, sed deponendo depones, & confringendo confringes simulacra eorum.* Quis autem dicat Christum atque Christianos non pertinere ad Israël, cùm Israël nepos fuerit Abrahæ, cui primò, & deinde Isaac filio ejus, & deinde ipsi Israël nepoti ejus dictum est, quod jam commemoravi, *In semine tuo benedicentur omnes gentes?* Quod fieri jam videmus in Christo, cùm inde exorta sit illa virgo, de qua Propheta populi Israël & Dei Israël cecinit, dicens, *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuël.* Interpretatur autem Emmanuël, Nobiscum Deus. Deus ergo Israël qui prohibuit alios deos coli, qui prohibuit idola fabricari, qui præcepit everti, qui per Prophetam prædixit gentes ab extremo terræ dicturas, *Verè mendacia coluerunt patres nostri simulacra, in quibus non est utilitas:* ipse per Christi nomen & Christianorum fidem istarum omnium superstitionum eversionem jussit, promisit, exhibuit. Frustra ergo miseri, quia blasphemare Christum etiam à diis suis, hoc est, à dæmonibus nomen Christi metuentibus prohibiti sunt, volunt ab eo doctrinam istam facere alienam, qua Christiani contra idola disputant, easque omnes falsas religiones ubi potuerint eradicant.

Exodi 23. 24. Deut. 6. 4. Exodi 20. 4. Deut. 5. 8. Isaiæ 7. 14. Matth. 1. 23.

CAPUT XXVII. Urget idololatrarum reliquias, ut demum serviant vero Deo idola ubique subvertenti.

42. DE Deo Israël respondeant, quem docere ista & jubere, non tantùm Christianorum, sed & Judæorum libri testantur: de ipso consulant deos suos, qui Christum blasphemari prohibuerunt: de Deo Israël, si audent, aliqua contumeliosa respondeant. Sed quos consulant, aut ubi jam consulant? libros suorum legant. Si Deum Israël Jovem putant, sicut Varro scripsit, (ut interim secundùm eorum opinionem loquar,) cur ergo Jovi non credunt idola esse delenda? Si Saturnum [b] putant, cur eum non colunt? Aut cur non sic colunt, quemadmodum se coli per eos vates præcepit, per quos ea quæ prædixit, implevit? Cur ei non credunt simulacra evertenda esse, & alios deos colendos non esse? Si nec [c] Jovis, nec Saturnus est: (quia si unus eorum esset, contra sacra Jovis & Saturni eorum tanta non diceret:) quis ergo est, qui propter deos alios solus ab istis non colitur, & eversis diis aliis, tam evidenter efficit ut solus colatur, humiliata omni superba altitudine, quæ se adversùs Christum erexerat pro idolis, persequens interficiensque Christianos? Nunc certè quærunt ubi se absondant, cùm sacrificare volunt; vel ubi

[a] Lov. *fœditatis*. Editi autem alij & nostri MSS *fecunditatis*.

[b] Er. & Lov. *Si Saturnum Deum putant*. Sed melius Rat. & MSS. *Si Saturnum putant*: subaudi, *Deum Israël*.

[c] Lov. *Jupiter*. Alij edit. & MSS. *Jovis*: pro nominandi casu, uti suprà n. 30.

deos ipsos suos [a] retrudant, ne à Christianis inveniantur atque frangantur. Unde hoc, nisi à timore legum atque regum, per quos Deus Israël suam exserit potestatem, jam subditos Christi nomini? sicut longè antè promisit, dicens per Prophetam,

Psal. 71. 11. *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi.*

CAPUT XXVIII. Prædicta idolorum rejectio.

43. NEMPE jam completur quod per Prophetam idemtidem canitur, quòd remissurus esset impiam plebem suam, (non quidem totam, quia multi & ex Israëlitis crediderunt in Christum, nam inde erant & Apostoli ejus,) & humiliaturus omnem superbum atque injuriosum, ut ipse solus exaltaretur, id est, solus altus & potens hominibus manifestaretur: donec projicerentur à credentibus idola, & à non credentibus absconderentur; cùm ejus timore terra confringitur, id est, terreni homines timore franguntur, timendo legem vel ipsius, vel eorum qui credentes in eum, gentibusque regnantes, talia sacrilegia prohiberent.

44. Hæc enim, quæ ut faciliùs intelligerentur, breviter prælocutus sum, Propheta sic dicit:

Isaiæ 2. 5. &c. *Et nunc tu domus Iacob, venite, & ambulemus in luce Domini. Remisit enim plebem suam domum Israël; quoniam repleta est, sicut ab initio, regio eorum augurijs, sicut alienigenarum, & filij multi alienigenæ nati sunt illis. Repleta est enim regio eorum argento & auro, nec erat numerus thesaurorum illorum. Et repleta est terra equis, nec erat numerus curruum illorum. Et repleta est terra abominationibus operum manuum ipsorum, & adoraverunt ea quæ fecerunt digiti eorum. Et inclinavit se homo, & humiliavit se vir, & non remittam illis. Et nunc intrate in petras, & abscondite vos in terra à facie timoris Domini, & à majestate virtutis ejus, cùm surrexerit confringere terram. Oculi enim Domini excelsi, homo autem humilis; & humiliabitur altitudo hominum, & exaltabitur Dominus solus in illa die. Dies enim Domini sabaoth supra omnem injuriosum & superbum, & supra omnem altum* b *& [b] humiliatum qui humiliabuntur; & supra omnem cedrum Libani excelsorum & elatorum, & supra omnem arborem Libani Basan, & super omnem montem, & super omnem collem altum, & super omnem navem maris, & super omne spectaculum navium decoris. Et humiliabitur, & cadet contumelia hominum, & exaltabitur Dominus solus in illa die. Et manibus fabricata omnia abscondent in speluncis, & in scissuris petrarum, & in cavernis terræ à facie timoris Domini, & à majestate virtutis ejus, cùm exsurrexerit confringere terram. Illa enim die projiciet homo abominationes aureas & argenteas, quæ fecerunt ut adorarent supervacaneæ & noxias; ut intrent in foramina solidæ petræ, & in scissuras petrarum, à facie timoris Domini, & à majestate virtutis ejus, cùm exsurrexerit comminuere terram.*

CAPUT XXIX. Deum Israël quidni colant pagani, si cum vel præpositum elementorum esse opinantur.

45. QUID dicunt de isto Deo sabaoth, quod interpretatur Deus virtutum vel exercituum; quia illi serviunt virtutes & exercitus Angelorum? Quid dicunt de isto Deo Israël, quia Deus est illius populi, de quo venit semen, in quo benedicerentur omnes gentes? Cur solum non colunt, qui omnes deos colendos esse contendunt? Cur ei non credunt, qui alios deos falsos & ostendit, & evertit? Audivi quemdam eorum dicere, se legisse apud nescio quem philosophum, quòd ex iis quæ Judæi in suis sacramentis agerent, intellexisset quem Deum colerent: Præpositum, inquit, istorum elementorum, quibus iste visibilis & corporeus mundus exstructus est: cùm in scripturis sanctis Prophetarum ejus apertè ostendatur, illum Deum colendum præceptum esse populo Israël, qui fecit cælum & terram, & à quo est omnis vera sapientia. Sed quid opus est hinc diutiùs disputare, cùm ad id quod ago sufficiat, quod illi qualibet præsumtione opinantur de illo Deo, quem Deum esse negare non possunt? Si enim præpositus est elementorum, quibus mundus iste consistit, cur non ipse potiùs colitur, quàm Neptunus, qui solius maris præpositus est? quàm denique Silvanus, qui solorum agrorum atque silvarum? quàm Sol, qui solius diei, vel etiam universi cælestis caloris? quàm Luna, quæ solius noctis, vel etiam humoris potestate præfulget? quàm Juno, quæ solum aërem tenere perhibetur? Certè enim isti partium præpositi, quicumque sunt, necesse est ut sub illo sint, qui omnium elementorum & universæ hujus molis præposituram gerit. At iste illos omnes coli prohibet: cur ergo isti contra præceptum majoris illorum, non solùm eos colere volunt, sed propter istos illum nolunt? Adhuc non inveniunt quid de isto Deo Israël constanter liquidóque pronuntient: nec umquam invenient, donec eum inveniant Deum solum verum, à quo creata sunt omnia.

CAPUT XXX. Deus Israël impletis prophetiis jam ubique innotuit.

46. PROINDE quidam Lucanus magnus eorum in carmine declamator, credo & ipse diu quærens, sive per suas cogitationes, sive per suorum libros, quisnam esset Judæorum Deus; & quia non piè quærebat, non inveniens; maluit tamen incertum Deum quem non inveniebat, quàm nullum Deum dicere, cujus tam magna documenta sentiebat. Ait enim, *Et dedita sacris Incerti Iudæa Dei.* Et nondum Deus iste sanctus & verus Deus Israël, nondum per Christi nomen tanta in omnibus gentibus fecerat, quanta usque in hodiernum diem post Lucani tempora consecuta sunt. Nunc verò quis tam durus non flectatur? quis tam [c] torpidus non ignescat, cùm impletur quod scriptum est, *quia non est qui se abscondat à calore ejus?* quando jam clarissima luce manifestantur quæ in eodem Psalmo, unde versiculum istum commemoravi, tantò antè prædicta sunt? Cælorum enim nomine Apostoli Christi significati sunt, quòd in eis Deus præsideret, ut Evangelium annuntiarent. Jam ergo cæli enarraverunt gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiavit firmamentum. Dies diei eructavit verbum, & nox nocti annuntiavit scientiam. Jam non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Jam in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Jam in sole, hoc est in manifestatione, posuit tabernaculum suum, quod est Ecclesia ipsius. Quia, ut hoc faceret, ipse, sicut ibi sequitur, tamquam sponsus processit de thalamo suo, id est, conjugatum Verbum carni humanæ processit de utero virginali. Jam exsultavit ut gigas, & cucurrit viam. Jam à summo cæli facta est egressio ejus, & recursus ejus usque ad summum cæli. Et ideo rectissimè sequitur versus, quem paulò antè

Lucanus lib. 2. sub finem.

Psal. 18 7. *Ibid. v. 2.* *v 3.* *v. 4.* *v. 5.* *v. 6.* *v. 7.*

[a] Rat. & Er. *recludant.*

[b] Legendum videtur, *& elatum*; cùm in Græco sit, μεγίστων. Paulò pòst in editis legebatur, *& supra omnem cedrum Libani excelsam & elatam*: at in MSS habetur, *excelsorum & elatorum*: juxta Lxx. ἐπὶ ὑψηλοὺς καὶ μετεώρους, qui sic prosequuntur, καὶ ἐπὶ πᾶν δένδρον βαλάνου Βασάν, *& super omnem arborem glandis Basan.* ubi Augustinus pro Βαλάνου, legit Ἀλλόνου. Hic denique post illa verba, *& super omnem collem altum*, omittitur vers. 15. *& super omnem turrim altam, & super omnem murum altum.*

[c] Er. & Lov. *tepidus.* Rat. & MSS. *torpidus.*

commemoravi, *Et non est qui se abscondat à calore ejus.* Et adhuc isti fragiles contradictiunculas garrientes eligunt isto igne, sicut stipula in cinerem verti, quàm sicut aurum à sorde purgari: cùm & deorum falsorum jam fallacia monumenta frustrata sint, & illius incerti Dei veracia promissa certa jam facta sint.

CAPUT XXXI. Prophetia de Christo impleta.

47. DESINANT ergo dicere mali laudatores Christi, qui nolunt esse Christiani, quòd Christus non docuerit deos eorum deseri, & simulacra confringi. Deus enim Israël, de quo prædictum est, quòd Deus universæ terræ vocabitur, & Deus universæ terræ jam vocatur, hoc per Prophetas futurum prædixit, hoc per Christum congruo tempore implevit. Certè enim si jam Deus Israël, Deus universæ terræ vocatur, necesse est ut fiat quod justum est, quando qui jussit, innotuit. Quia verò per Christum & in Christo innotuit, ut Ecclesia ejus per orbem diffunderetur, & per ipsam Deus Israël universæ terræ vocaretur, paulò superiùs apud eumdem Prophetam legant qui volunt: immo & à me commemoretur. Neque enim ita longum est, ut oporteat prætermitti. Dicuntur enim multa de præsentia & humilitate & passione Christi, & corpore ejus, cui caput est, id est de Ecclesia ejus, cùm appellatur tamquam sterilis quæ non pariebat. Per multos enim annos Ecclesia, quæ futura erat in omnibus gentibus in filiis suis, hoc est in sanctis suis, non apparuit, nondum Christo annuntiato per Evangelistas, eis quibus non est annuntiatus per Prophetas: & dicitur plures filios desertæ futuros, quàm ejus quæ habet virum; cujus viri nomine significata est Lex vel Rex, quem accepit primus populus Israël: nec acceperant gentes Legem eo tempore, quo Propheta loquebatur; neque Rex Christianorum apparuerat adhuc gentibus, ex quibus tamen gentibus longè fertilior & numerosior sanctorum multitudo provenit. Ita ergo dicit Isaias, incipiens ab [a] humilitate Christi, & se postea convertens ad alloquendam Ecclesiam usque ad eum versum quem commemoravimus, ubi ait:

Isai. 54. 5. *Et qui eruit te, ipse Deus Israël, universæ terræ vocabitur.* * *Ecce*, inquit, [b] *in intellectu erit puer meus, &* *Isai. 52. 13. &c.* *exaltabitur, & honorificabitur vehementer. Quomodo multi mirabuntur super te, sic tamen & inhonesta videbitur ab omnibus species tua, & honor tuus ab hominibus. Ita enim mirabuntur gentes multæ super eum, & continebunt reges os suum. Quoniam quibus non est nuntiatum de illo, videbunt; & qui non audierunt,* *Isai. 53. 1. &c.* *intelligent.* * *Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Nuntiavimus coram illo, ut puer, ut radix in terra sitienti: non est species illi, neque honor. Et vidimus illum, & non habuit speciem neque decorem: sed vultus ejus abjectus & deformis, positio ejus ab omnibus hominibus; homo in plaga, & qui sciat ferre infirmitates, propter quod & avertit se facies ejus, injuriata est, nec magni æstimata est. Hic infirmitates nostras portat, & pro nobis in doloribus est. Et nos existimavimus illum in doloribus esse, & in plaga & in pœna. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras. Eruditio pacis nostræ in eum, livore ejus sanati sumus. Omnes ut oves erravimus, & Dominus tradidit illum pro peccatis nostris. Et ipse quoniam malè tractatus est, non aperuit os: ut ovis ad immolandum ductus est, & ut agnus ante eum qui se tonderet fuit sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate sublatum est judicium ejus. Generationem ejus quis enarrabit? Quoniam tolletur de terra vita ejus: ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Dabo ergo malos propter sepulturam ejus, & divites propter mortem ejus; ob hoc quod iniquitatem non fecerit, nec dolum in ore suo. Dominus vult purgare illum de plaga. Si dederitis vos ob delicta vestra animam vestram, videbitis semen longissimæ vitæ. Et vult* B *Dominus auferre à doloribus animam ejus, ostendere illi lucem, & figurare per sensum, justificare justum bene servientem pluribus; & peccata illorum ipse sustinebit. Propterea ipse hereditabit complures, & fortium partietur spolia. Propter quod tradita est ad mortem anima ejus, & inter iniquos æstimata est: & ipse peccata multorum sustinuit, & propter iniquitates eorum traditus est.* * *Delectare sterilis quæ non paris, exsulta & Isai. 54. 2. &c. clama quæ non parturis; quia multi filij desertæ magis, quàm ejus quæ habet virum. Dixit enim Dominus, Dilata locum tabernaculi tui, &* [c] *aulas tuas* C *confige, non est quod parcas: porrige longius funiculos, & palos validos constitue. Etiam atque etiam in dexteram atque sinistram partem extende. Semen enim tuum hereditabit gentes, & civitates quæ desertæ erant, inhabitabis: non est quod metuas. Prævalebis enim, nec erubescas quòd detestabilis fueris. Confusionem enim in perpetuum oblivisceris, ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor: quoniam ego Dominus qui facio te, Dominus nomen ei: & qui eruit te, ipse Deus* D *Israël, universæ terræ vocabitur.*

48. Quid contra hanc evidentiam expressionemque rerum & prædictarum & impletarum dici potest? Si de Christi divinitate discipulos ejus putant esse mentitos, numquid de Christi passione dubitabunt? Resurrexisse non solent credere: at illa omnia ab hominibus humana perpessum etiam libenter credunt, quia hominem tantummodo credi volunt. Ille itaque sicut ovis ad immolandum ductus, ille inter iniquos deputatus, ille vulneratus propter peccata nostra: cujus livore sanati sumus, E cujus facies injuriata est, nec magni æstimata, palmis cæsa, & sputis illita, cujus deformis in cruce positio: ille ab iniquitatibus populi Israël ductus ad mortem: ille qui non habebat speciem neque decorem, quando colaphis percutiebatur, quando spinis coronabatur, quando pendens irridebatur: ille qui, sicut agnus coram tondente non habet vocem, sic non aperuit os suum, cùm ei diceretur ab insultantibus, *Prophetiza nobis Christe:* nempe jam exaltatus est, jam honorificatus est vehementer. F Nempe jam miratur gentes multæ super eum. Jam continuerunt reges os suum, quo adversùs Christianos leges sæviissimas promulgabant. Nempe quibus non est nuntiatum de illo, jam vident, & qui non audierunt jam intelligunt. Quoniam gentes quibus non annuntiaverunt Prophetæ, magis ipsæ vident quàm vera nuntiata sint per Prophetas. Et qui non audierunt ipsum Isaiam loquentem, jam in litteris ejus de quo ista fit locutus, intelligunt. Nam & in ipsa gente Judæorum quis credidit auditui Prophetarum, aut brachium Domini, quod est Christus ipse, qui per eos annuntiabatur, cui revelatum est? quando manibus suis ea scelera in Christo admittebant, quæ futura prædixerant Prophetæ quos

Marci 15. 28. *Luc. 22. 64.* *Matth. 26. 68.* *Johan. 19. 2.* *Matth. 26. 68.* *Rom. 15 21.* *Johan. 12. 38.* *Rom. 10. 16.*

[a] Sic editio Rat. suffragantibus MSS. At Er. & Lov. *ab humanitate.*

[b] MS. septem, *intellectum intelliget.*

[c] Er. & Lov. *caulas.* Rat. verò & MSS. propè omnes habent, *aulas*: quibus consentiunt codices non pauci in Epist. 105. n. 15. quo tamen loco post editionem Lov. legitur, *aulam.*

habebant? Nempe jam hereditate possidet multos, & fortium partitur spolia, cùm ea quæ diabolus & dæmones possidebant, per ecclesiarum suarum fabricas, & quoslibet necessarios usus, illis expulsis proditisque distribuit.

CAPUT XXXII. Apostolorum contra idololatriam doctrina vindicatur ex prophetiis.

49. QUID ergo ad hæc dicunt perversi laudatores Christi, & Christianorum obtrectatores? Numquid ut ista per Prophetas tantò antè prædicerentur, Christus magicis artibus fecit, aut discipuli ejus ista finxerunt? Numquid [a] ut delectetur Ecclesia diffusa per gentes quondam sterilis, nunc in pluribus filiis, quàm illa synagoga quæ Legem sive Regem tamquam virum acceperat: numquid ut sic dilatet locum tabernaculi sui omnes nationes & linguas occupans, ut longiùs quàm Romani imperij jura tenduntur, usque in Persas & Indos aliasque barbaras gentes funiculos porrigat: ut in dexteram per veros Christianos, & in sinistram per fictos Christianos in tam multis populis nomen ejus extendatur: ut semen ejus hereditet gentes, ut civitates quæ à vero Dei cultu & à vera religione desertæ fuerant, jam nunc inhabitet: ut non timuerit hominum minas & furias, quando in sanguine Martyrum tamquam honore purpureo vestiebatur, ut prævaleret tam multis tamque vehementibus & potentibus persecutoribus suis: ut non erubesceret quòd detestabilis fuerit, quando magnum erat crimen fieri vel esse Christianum: ut confusionem in perpetuum oblivisceatur, quia ubi abundaverat peccatum, superabundavit gratia: ut ignominiæ viduitatis suæ memor non sit, quia paululùm derelicta & opprobriis objecta, tam eminenti gloriâ refloresçit: numquid postremò ut Dominus qui fecit eam, & à dominatu diaboli & dæmonum eruit eam, ipse Deus Israël universæ terræ jam vocetur, discipuli Christi finxerunt, quod Prophetæ, quorum libri nunc in manibus inimicorum Christi habentur, tam longè antequam Christus filius hominis fieret, prædixerunt?

Rom. 5. 20.

50. Hinc ergo intelligant, quod ne tardissimis quidem atque [b] obtusissimis obscurum dubiumve relinquitur: hinc, inquam, intelligant Christi perversi laudatores & Christianæ religionis exsecratores, etiam Christi discipulos contra deos eorum ea didicisse atque docuisse, quæ doctrina continet Christi: quia Deus Israël, qui hæc omnia quæ isti colere volunt, abominanda atque evertenda in libris Prophetarum præcepisse invenitur, ipse Deus universæ terræ, sicut tantò antè promisit, per Christum & Christi Ecclesiam jam vocatur. Si enim Christum mirâ dementiâ suspicantur deos eorum coluisse, ac per hos eum tanta potuisse; numquid & Deus Israël deos eorum coluit, qui de se per omnes gentes colendo & de illis abominandis atque evertendis per Christum quod promisit implevit? Ubi sunt dij eorum? ubi vaticinia fanaticorum, & divinationes pythonum? ubi auguria, vel auspicia, vel haruspicia, vel oracula dæmonum? Cur non profertur ex istiusmodi antiquis libris admonitum aliquid & prædictum contra Christianam fidem, & contra Prophetarum nostrorum expressam jam in omnibus gentibus tam perspicuam veritatem? Offendimus, inquiunt, deos nostros, & deseruerunt nos: ideo adversùs nos Christiani prævaluerunt, & humanarum rerum felicitas [c] defessa ac deminuta dilabitur. Hoc sibi certè per Christianos fuisse eventurum, legant ex libris vatum suorum: sed ea legant, ubi si non Christus, quia eum deorum suorum volunt fuisse cultorem, saltem Deus Israël improbatus & detestatus sit, quem constat istorum eversorem. Sed numquam hoc proferent, nisi quod modò fortè confinxerint. Quod cùm protulerint apparebit, eo ipso certè, quòd tanta res tam ignota profertur, quæ utique debuit antequam hoc quod prædictum est, accidisset, in deorum templis [d] omnium gentium recitari, ut præstruerentur & præmonerentur qui nunc [e] volunt esse Christiani.

b

a

c

d

e

CAPUT XXXIII. In eos qui rerum humanarum felicitatem per Christiana tempora deminutam esse conqueruntur.

51. DEINDE quod de felicitatis rerum humanarum deminutione per Christiana tempora conqueruntur, si libros philosophorum suorum legant, ea reprehendentium, quæ nunc eis etiam recusantibus & murmurantibus subtrahuntur, tum verò magnam laudem reperient temporum Christianorum. Quid enim eis minuitur felicitatis, nisi quod pessimè luxurioséque abutebantur, in magnam Creatoris injuriam? Nisi fortè hinc sunt tempora mala, quia per omnes penè civitates cadunt theatra, caveæ turpitudinum & publicæ professiones [f] flagitiorum; cadunt & fora vel mœnia, in quibus dæmonia colebantur. Unde enim cadunt, nisi inopiâ rerum, quarum lascivo & sacrilego usu constructa sunt: Nonne Cicero eorum cùm Roscium quemdam laudaret histrionem, ita peritum dixit, ut solus esset dignus, qui in scenam deberet intrare; ita virum bonum, ut solus esset dignus, qui eò non deberet accedere? quid aliud apertissimè ostendens, nisi illam scenam esse tam turpem, ut tantò minùs ibi esse homo debeat, quantò fuerit magis vir bonus? & tamen dij eorum tali dedecore placabantur, quale à viris bonis removendum esse censebat. Est etiam hinc ejusdem ipsius Ciceronis aperta confessio, ubi ait, sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam. In quibus ludis tanta exhiberi turpitudo consuevit, ut in eorum comparatione ceteri honesti sint, à quibus tamen etiam ipsis agendis viri boni prohibentur. Quæ ista est Flora mater, qualis dea est, quam celebrior & habenis effusioribus laxata conciliat & propitiat turpitudo? Quantò jam honestiùs in scenam Roscius intrabat, quàm Cicero deam talem colebat? Si deminutâ rerum copiâ, quæ in hæc celebranda funduntur, dij gentium offenduntur, apparet quales sint qui talibus delectantur. Si autem ipsi irati ista minuunt, utiliùs irascuntur, quàm placantur. Quapropter aut philosophos suos arguant, qui talia in luxuriosis hominibus reprehenderunt; aut deos suos frangant, qui talia de suis cultoribus exegerunt: si tamen jam inveniunt vel quos frangant, vel quos abscondant: Christianorum verò temporibus defectum rerum secundarum quibus in turpia & noxia defluebant, blasphemando imputare desistant, ne magis nos unde ampliùs Christi potestas laudetur, admoneant.

Cic. orat. pro Roscio.

Cic. in Verrem act. 5.

Flora.

f

CAPUT XXXIV. Epilogus superiorũ.

52. MULTA hinc dicerem, nisi me jam librum istum concludere, atque ad propositam intentionem redire, suscepti operis necessitas cogeret. Cùm enim Evangelicas quæstiones, ubi videntur quibus-

[a] In priùs editis, *dilatetur*. At in MSS. *delectetur*: quo quidem alludit primùm Augustinus ad illud, *Delectare sterilis*; explicaturus postea aliud Prophetæ dictum, *Dilata locum tabernaculi tui*.

[b] In antiquis codicibus constanter scriptum est, *obtusissimis*.

[c] Lov. *depress*. Editi verò alij suffragantibus MSS. *defessa*.

[d] In editione Rat. additur, *auribus*.

[e] Sic Rat. & aliquot MSS. At Lov, & Er. *nolunt*.

[f] Editi habebant, *flagitiosorum*: pro quo MSS. *flagitiorum*.

dam quatuor Evangelistæ non inter se constare, A solvere aggrederer, ut potui expositis intentionibus singulorum, primò mihi discutiendum occurrit, quod nonnulli quærere solent, cur ipsius Christi nulla scripta proferamus. Ita enim volunt & ipsum credi, nescio quid aliud scripsisse quod diligunt, nihilque sensisse contra deos suos, sed eos potiùs magico ritu coluisse: & discipulos ejus non solùm de illo fuisse mentitos, dicendo illum Deum per quem facta sunt omnia, cùm aliud nihil quàm homo fuerit, quamvis excellentissimæ sapientiæ; verùm etiam de diis eorum non hoc docuisse, quod ab illo didicissent. Unde factum est, ut eos de Deo Israël potiùs urgeremus, qui per Ecclesiam Christianorum ab omnibus gentibus colitur, & istorum sacrilegas vanitates ubique jam evertit, sicut per Prophetas suos tantò antè prædixit, & per Christi nomen, in quo benedici omnes gentes promiserat, ea quæ prædixit, implevit. Ex quo intelligere debent, nec Christum aliud de diis eorum vel nosse vel docere potuisse, quàm Deus Israël C factus quod non erat. Ipse est nobis fides in rebus per Prophetas suos jussit atque prædixit, per quos ipsum Christum promisit & misit; in cujus nomine secundùm pollicitationem quam Patribus fecit, cùm benedicerentur omnes gentes, factum est ut & ipse Deus Israël, universæ terræ vocaretur: nec discipulos ejus à sui magistri doctrina deviasse, cùm deos gentium coli prohiberent, ne vel insensatis simulacris supplicaremus, vel societatem cum dæmoniis haberemus, vel creaturæ potiùs, quàm Creatori religionis obsequio servire- D mus.

Isa. 54. 5.

CAPUT XXXV. Mediatoris mysterium antiquis per prophetiam, nobis per Evangelium prædicatur.

53. QUAPROPTER cùm sit ipse Christus Sapientia Dei, per quem creata sunt omnia, cùmque nullæ mentes rationales sive Angelorum sive hominum, nisi participatione ipsius sapientes fiant, cui per Spiritum-sanctum, per quem caritas in cordibus nostris diffunditur, inhæremus, quæ Trinitas unus Deus est; consultum est divinâ providentiâ mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus & occidentibus occupata tenebatur, ut E eadem ipsa Dei Sapientia ad unitatem personæ suæ homine assumto, in quo temporaliter nasceretur, viveret, moreretur, resurgeret, congrua saluti nostræ dicendo & faciendo, patiendo & sustinendo, fieret & deorsum hominibus exemplum redeundi, & eis qui sursum sunt Angelis exemplum manendi. Nisi enim & in animæ rationalis natura temporaliter aliquid oriretur, id est, inciperet esse quod non erat, numquam ex vita pessima & stulta ad sapientem atque optimam perveniret. Ac per hoc, cùm F rebus æternis contemplantium veritas perfruatur, rebus autem ortis fides credentium debeatur, purgatur homo per rerum temporalium fidem, ut æternarum percipiat veritatem. Nam & quidam eorum nobilissimus philosophus Plato, in eo libro quem Timæum vocant, sic ait, Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. Duo illa sursum sunt, æternitas & veritas: duo ista deorsum, quod ortum est, & fides. Ut ergo ab imis ad summa revocemur, atque id quod ortum est recipiat æternitatem, per fidem venien- B dum est ad veritatem. Et quia omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquid medium reducuntur, & ab æterna justitia temporalis iniquitas nos alienabat: opus ergo erat media justitia temporali, quæ medietas, temporalis esset de imis, [a] justa de summis, atque ita se nec abrumpens à summis, & contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei & hominum dictus est, inter Deum immortalem & hominem mortalem Deus & homo, reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, ortis, qui est veritas in æternis.

Plato in Timæo.

a

1. Timoth. 2. 5.

54. Hoc magnum & inenarrabile sacramentum, hoc regnum & sacerdotium Antiquis per prophetiam revelabatur, posteris eorum per Evangelium prædicatur. Oportebat enim ut aliquando in omnibus gentibus redderetur, quod diu per unam gentem promittebatur. Proinde qui Prophetas ante descensionem suam præmisit, ipse & Apostolos post adscensionem suam misit. Omnibus autem discipulis suis per hominem quem assumsit, tamquam membris sui corporis caput est. Itaque cùm illi scripserunt, quæ ille ostendit & dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit: quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium & in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quàm si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Quamobrem illa potiùs jam videamus qualia sint, quæ putant Evangelistas sibimet scripsisse contraria, (quod parum intelligentibus videri potest,) ut his quæstionibus dissolutis, ex hoc quoque appareat, illius capitis membra, non solùm idem sentiendo, verùm etiam convenientia scribendo, in corporis ipsius unitate germanam servasse concordiam.

[a] Sic olim ferebat editio Rat. sed hanc germanam certè lectionem in posterioribus editionibus contra MSS. fidem mutaverant ad hunc modum: *quæ medietas temporalis esset de imis mixta & summis.*

LIBER SECUNDUS.

In quo Matthæi Evangelium usque ad cœnæ narrationem ex ordine pertractat Augustinus, cumque eo comparat alia Marci, Lucæ & Iohannis Evangelia, demonstrans perpetuam inter quatuor Evangelistas reperiri consensionem.

Prologus. 1. QUONIAM sermone non brevi, & admodum necessario, quem libro uno complexi sumus, refutavimus eorum vanitatem, qui discipulos Christi Evangelium conscribentes, ideo contemnendos putant, quia ipsius Christi quem licet non ut Deum, tamen ut hominem sapientiâ longè præ ceteris excellentem honorandum esse non dubitant, nulla scripta proferuntur à nobis; & eum talia scripsisse videri volunt, qualia perversi diligunt, non qualibus lectis & creditis à perversitate corrigi possunt: nunc jam videamus ea, quæ quatuor Evangelistæ de Christo scripserunt, quemadmodum sibi atque inter se congruant; ne quid ex hoc in fide Christiana offendiculi patiantur, qui curiosiores quàm capaciores sunt, quòd non utcumque perlectis, sed quasi diligentiùs perscrutatis Evangelicis libris, inconvenientia quædam & repugnantia se deprehendisse existimantes, magis ea contentiosè objectanda, quàm prudenter consideranda esse arbitrantur.

CAPUT I. Quare usque ad Joseph generationes Christi commemorantur, cùm de illius femine Christus non sit natus, sed de virgine Maria.

2. MATTHÆUS Evangelista sic orsus est: *Liber generationis Iesu Christi, filij David, filij Abraham.* Quo exordio suo satis ostendit, generationem Christi secundùm carnem se suscepisse narrandam. Secundùm hanc enim Christus filius hominis est, quod etiam se ipse sæpissimè * appellat, commendans nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Nam illa superna & æterna generatio, secundùm quam Filius Dei unigenitus est ante omnem creaturam, quia omnia per ipsum facta sunt, ita ineffabilis est, ut de illa dictum à Propheta intelligatur, Generationem ejus quis enarrabit? Exsequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat ut ob hoc eum à conjugio Mariæ separandum putaret, quòd non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu: præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quando quidem rectè pater esset etiam ejus, quem non ex sua conjuge procreatum, aliunde adoptasset.

Luca 3. 23. 3. Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Joseph, tamquam ex ejus omnino carne progenitus, sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait, *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph.* Qui tamen Lucas non ejus parentem solam Mariam, sed ambos parentes ejus appellare minimè dubitavit, ubi ait, *Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientiâ, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Ierusalem in die sollemni Paschæ.* Sed ne quisquam hîc parentes consanguineos potiùs Mariæ cum ipsa matre ejus intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse item Lucas superiùs dixit, *Et erat pater ejus & mater mirantes super iis quæ dicebantur de illo?* Cùm igitur ipse narret, non ex concubitu Joseph, sed ex Maria virgine natum Christum, unde eum patrem ejus appellat, nisi quia & virum Mariæ rectè intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugij; & ob hoc etiam Christi patrem multò conjunctiùs, qui ex ejus conjuge natus sit, quàm si esset aliunde adoptatus? Unde manifestum est illud, quod ait, *Vt putabatur filius Ioseph*, propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alij homines nascuntur, natum arbitrabantur. *Luca* 2. 40. *Ibidem* 33.

CAPUT II. Quomodo sit Christus filius David, cùm ex Joseph filij David concubitu non sit natus.

4. AC per hoc, etiam si demonstrare aliquis posset, Mariam ex David nullam consanguinitatis originem ducere, sat erat secundùm istam rationem accipere Christum filium David, qua ratione etiam Joseph pater ejus rectè appellatus est: quantò magis, cùm evidenter dicat apostolus Paulus, ex semine David secundùm carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare utique non debemus. Cujus feminæ quoniam nec sacerdotale genus tacetur, insinuante Luca, quòd cognata ejus esset Elisabeth, quam dicit de filiabus Aaron; firmissimè tenendum est, carnem Christi ex utroque genere propagatam, & regum scilicet & sacerdotum, in quibus personis apud illum populum Hebræorum etiam mystica unctio figurabatur, id est, chrisma, unde Christi nomen elucet, tantò antè etiam illa evidentissima significatione prænuntiatum. *Rom.* 1. 3. *Luca* 11. 36.

CAPUT III. Quare alios progeneratores Matthæus enumerat, alios Lucas.

5. QUOS autem movet, quòd alios progeneratores Matthæus enumerat, descendens à David usque ad Joseph, alios autem Lucas adscendens à Joseph usque ad David, facile est, ut advertant duos patres habere potuisse Joseph, unum à quo genitus, alterum [a] à quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent, quos non ipsi genuissent. Nam excepto quòd filia Pharaonis Moysen adoptaverat, (illa quippe alienigena fuit,) ipse Jacob nepotes suos ex Joseph natos, verbis manifestissimis adoptavit dicens, Nunc itaque filij tui duo, qui facti sunt tibi priùs quàm ad te venirem, mei sunt, Ephræm & Manasse: tamquam Ruben & Symeon erunt mihi. Natos autem si genueris postea, tibi erunt. Unde etiam factum est, ut duodecim tribus essent Israël, excepta tribu Levi, quæ templo serviebat; cum ea quippe tredecim fuerunt, cùm duodecim fuissent filij Jacob. Unde intelligitur Lucas *Matth.* 1. 6. *&c.* *Luca* 3. 23. *&c.* *Exod.* 2. 10. a *Gen.* 48. 5. " " " *Luca* 3. 23.

[a] In 2. Retract 16. mavult Aug. *alterum cui fuerit adoptatus*; quòd credibilius sit, defuncto fuisse secundùm Legem adoptatum. hinc aliquot itidem locos inferiùs emendabis.

patrem Joseph, non à quo genitus, sed à quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versùs commemoraret, donec exiret ad David. Cùm enim necesse sit utroque Evangelista vera narrante, & Matthæo scilicet & Luca, ut unus eorum ejus patris originem tenuerit qui genuerat, alter ejus qui adoptaverat Joseph, quem probabiliùs intelligimus adoptantis originem tenuisse, quàm eum qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narrabat? Commodiùs enim filius ejus dictus est, à quo fuerat adoptatus, quàm diceretur ab illo genitus, cujus carne non erat natus. Matthæus autem dicens, * *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob*, atque ita in hoc verbo quod est, *genuit*, perseverans donec in ultimo diceret, * *Iacob autem genuit Ioseph*: satis expressit ad eum patrem se perduxisse [a] ordinem generantium, à quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat. *Matth.* 1. v. 2. *v.* 16.

6. Quamquam si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus quàm ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurdè quisque dicitur non carne, sed caritate genuisse, quem filium sibi adoptaverit: aut verò etiam nos quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri, de natura atque substantia sua nos genuit, sicut unicum Filium, sed utique dilectione adoptavit. Quo verbo Apostolus sæpe uti non ob aliud intelligitur, nisi ad discernendum Unigenitum ante omnem creaturam, per quem facta sunt omnia, qui solus de substantia Patris natus est, secundùm æqualitatem divinitatis hoc omnino quod Pater: quem missum dicit ad suscipiendam carnem ex illo genere, quo & nos secundùm naturam nostram sumus, ut illo participante mortalitatem nostram per dilectionem, nos efficeret participes divinitatis suæ per adoptionem. Ita enim dicit, Cùm autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Et tamen dicimur etiam nati ex Deo, id est, accepta potestate ut filij ejus efficiamur, qui jam homines eramus: efficiamur autem per gratiam, non per naturam. Nam si per naturam filij essemus, numquam aliud fuissemus. Cùm enim dixisset Johannes, Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus: secutus ait, Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Ita quos dixit accepta potestate factos Dei filios, quod illa adoptio significat quam Paulus commemorat, eosdem dixit natos ex Deo. Atque ut apertiùs ostenderet qua gratiâ factum sit, Et Verbum, inquit, caro factum est, & habitavit in nobis: tamquam diceret, Quid mirum si filij Dei facti sunt cùm caro essent, propter quos unicus caro factus est cùm Verbum esset? Hac sanè magnâ distantiâ, quia nos effecti filij Dei mutamur in melius, ille autem Filius Dei cùm filius hominis factus esset, non est mutatus in deterius, sed assumsit quod erat inferius. Dicit & Jacobus, Voluntariè genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Ne scilicet in eo quod ait, genuit, hoc nos fieri putaremus quod ipse est, ideo principatum *Johan.* 1. 12. *&c.* *Ibidem* 14. *Jac.* 1. 18. *Gal.* 4. 4. & 5.

[a] Sic in MSS. At in editis, *originem*.

quemdam in creatura nobis hac adoptione concessum satis ostendit.

7. Non ergo alienum esset à veritate, etiamsi Lucas ab illo esse Joseph genitum diceret, à quo fuerat adoptatus. Etiam sic quippe genuit eum, non ut homo esset, sed ut filius esset: sicut nos genuit Deus, ut filij ejus simus, quos fecerat ut homines essemus. Unicum autem genuit, non solùm ut Filius esset, quod Pater non est; sed etiam ut Deus esset, quod & Pater est. Sed planè si hoc verbo etiam Lucas uteretur, omni modo esset ambiguum, quis eorum adoptantem, quis ex propria carne gignentem patrem commemorasset: quomodo etsi neuter eorum diceret, genuit, sed & iste eum filium illius, & ille illius diceret, nihilo minùs esset ambiguum, quis eorum illum de quo natus, quis illum à quo adoptatus erat commemorasset. Nunc verò cùm alter dicit, * *Iacob genuit Ioseph*; alter, * *Ioseph qui fuit filius Heli*: etiam ipsâ verborum differentiâ quid singuli suscepissent eleganter intimaverunt. Sed hoc facilè sanè, ut dixi, posset occurrere homini religioso, qui quodlibet aliud quærendum potiùs judicaret, quàm Evangelistam crederet esse mentitum; facilè, inquam, occurreret, ut videret quibus caussis unus homo duos patres habere potuerit. hoc & illis calumniosis occurreret, nisi litigare quàm considerare maluissent. *Matth.* 1. 16. *Luca* 3. 23.

CAPUT IV. Quare quadraginta generationes excepto ipso Christo inveniuntur apud Matthæum, cùm quatuordecim tripliceť.

8. ILLUD autem quod deinceps insinuandum est, re vera ut adverti & videri posset, lectorem adtentissimum & diligentissimum requirebat. Acutè quippe animadversum est, Matthæum, qui regiam in Christo instituerat insinuare personam, excepto ipso Christo, quadraginta homines in generationum serie nominasse. Numerus autem iste illud tempus significat, quo in hoc sæculo & in hac terra regi nos oportet à Christo secundùm disciplinam laboriosam, qua flagellat Deus, ut scriptum est, omnem filium quem recipit: de qua dicit Apostolus, per tribulationem oportere nos intrare in regnum Dei. Quam significat etiam illa virga ferrea, de qua in Psalmo legitur, Reges eos in virga ferrea: cùm superiùs dixisset, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Reguntur enim etiam boni in virga ferrea, de quibus dicitur, Tempus est ut judicium incipiat à domo Domini; & si initium à nobis, qualis finis erit eis, qui non credunt Dei Evangelio? Et si justus vix salvus erit, peccator & impius ubi parebunt? Ad quos pertinet quod sequitur, Tamquam vas figuli conteres eos. Reguntur enim boni per hanc disciplinam; mali verò comminuuntur, qui tamquam iidem ipsi commemorantur propter [b] una atque eadem sacramenta, quæ habent communia mali cum bonis. *Psal.* 2. 9. *Ibidem* 6. " 1. *Pet.* 4. " 17. *&* 18. " " *Psal.* 2. 9. b

9. Quia ergo numerus iste laborioſi hujus temporis sacramentum est, quo sub disciplina regis Christi adversùs diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quod quadraginta dierum jejunium, hoc est humiliationem animæ consecravit, & Lex & Prophetæ per Moysen & Eliam, qui quadragenis diebus jejunaverunt; & Evangelium per ipsius Domini jejunium, quibus diebus quadraginta etiam tentabatur à diabolo, quid aliud quàm per omne hujus sæculi tempus tentationem nostram in carne sua, quam de nostra mortalitate assumere digna- *Exod.* 34. 28. 3 *Reg.* 19. 8. *Matth.* 4. 1.

[b] MSS. duo Vaticani, ceteris refragantibus, *propter unam fidem.*

Act. 1. 3. tus est, præfigurans? Post resurrectionem quoque non ampliùs quàm dies quadraginta cum discipulis in hac terra esse voluit, huic eorum vitæ adhuc humanæ conversatione commixtus, & cum illis alimenta mortalium, quamvis jam non moriturus, accipiens: ut per ipsos quadraginta dies significaret, se occultâ præsentiâ quod promiserat impleturum, quando ait, Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi. Cur autem iste numerus hanc temporalem vitam terrenamque significet, illa interim caussa de proximo occurrit, quamvis sit alia fortasse secretior, quòd & tempora annorum quadripertitis vicibus currunt, & mundus ipse quatuor partibus terminatur, quas aliquando ventorum nomine Scriptura commemorat, ab *Zach.* 14. 4. Oriente & Occidente, Aquilone & Meridie. Quadraginta autem, quater habent decem. Porrò ipsa decem ab uno usque ad quatuor progrediente numero consummantur.

Matth. 28. 20.

10. Ad hunc igitur mundum, & ad istam terrenam mortalemque vitam hominum, ad nos regendos in tentatione laborantes, venientem regem Christum Matthæus suscipiens, exorsus est ab Abraham, & enumeravit quadraginta homines. Ab ipsâ enim gente Hebræorum, quæ à ceteris *Gen.* 12. 1. gentibus ut distingueretur, Deus de terra sua & de cognatione sua separavit Abraham, Christus venit in carne: ut & hoc ad eum distinctiùs prophetandum & prænuntiandum maximè pertineret, quod promittebatur ex qua esset gente venturus. Cùm enim quater denas generationes tribus distinxisset *Matth.* 1. 17. articulis, dicens, ab Abraham usque ad David generationes esse quatuordecim, & à David usque ad transmigrationem Babyloniæ alias quatuordecim, totidemque alias usque ad nativitatem Christi: non tamen eas duxit in summam ut diceret, Fiunt omnes quadraginta-duæ. Unus quippe in illis progeneratoribus bis numeratur, id est Jechonias, à quo facta est quædam in extraneas gentes deflexio, quando in Babyloniam transmigratum est. Ubi autem ordo à rectitudine flectitur, atque ut eat in diversum, tamquam angulum facit; illud quod in angulo est, bis numeratur, in fine scilicet prioris ordinis, & in capite ipsius deflexionis. Et hoc ipsum *Ephes.* 2. 11. jam præfigurabat Christum à circumcisione ad præputium, tamquam ab Jerusalem ad Babyloniam quodammodo migraturum, & hinc atque hinc utrisque in se credentibus tamquam lapidem angularem futurum. Hæc tunc in figura præparabat Deus rebus in veritate venturis. Nam & ipse Jechonias, ubi angulus iste præfiguratus est, interpretatur præparatio Dei. Sic ergo jam non quadraginta-duæ, quod faciunt ter quatuordecim, sed propter unum bis numeratum, quadraginta-una generationes fiunt, si & ipsum Christum annumeremus, qui huic regendæ vitæ nostræ temporali atque terrenæ, tamquam numero quadragenario regaliter præsidet.

11. Quem ad istam mortalitatem nobiscum participandam quia descendentem voluit significare *Matth.* 1. 2. Matthæus, ideo & ipsas generationes ab Abraham usque ad Joseph & usque ad ipsius Christi nativitatem, descendendo commemoravit ab initio Evan- *Luc.* 3. 23. gelij sui: Lucas autem non ab initio Evangelij sui, sed à baptismo Christi, generationes enarrat, nec descendendo, sed adscendendo, tamquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans: ubi eum vox de cælo declaravit; ubi testimonium Johannes ipsi perhibuit, dicens, *Ecce qui tollit peccata mundi.* Adscendendo autem transit & Abraham, & pervenit ad Deum, cui mundati & expiati reconciliamur. Meritò & adoptionis originem ipse suscepit, quia per adoptionem efficimur filij Dei, credendo in filium Dei. Per carnalem verò generationem Filius Dei potiùs propter nos filius hominis factus est. Satis autem demonstravit, non se ideo dixisse, Joseph filium Heli, quòd de illo genitus, sed quòd ab illo fuerat adoptatus; cùm & ipsum Adam filium Dei dixit, cùm sit factus à Deo, sed per gratiam quam postea peccando amisit, tamquam filius in paradiso constitutus sit. *Johan.* 1. 29.

12. Quapropter in generationibus Matthæi, significatur nostrorum susceptio peccatorum à Domino Christo: in generationibus autem Lucæ, significatur abolitio nostrorum peccatorum à Domino Christo. Ideo eas ille descendens enarrat, iste adscendens. Quod enim dicit Apostolus, Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati; hæc est susceptio peccatorum: quod autem addit, Ut de peccato damnaret peccatum in carne; hæc est expiatio peccatorum. Proinde Matthæus ab ipso David per Salomonem descendit, in cujus matre ille peccavit: Lucas verò ad ipsum David per Nathan adscendit; [a] per quem prophetam Deus peccatum illius expiavit. Ipse quoque numerus quem Lucas exsequitur, certissimè prorsus abolitionem indicat peccatorum. Quia enim Christi aliqua iniquitas, qui nullam habuit, non est utique conjuncta iniquitatibus hominum, quas in sua carne suscepit; ideo numerus penes Matthæum, excepto Christo, est quadragenarius. Quia verò justitiæ suæ Patrisque nos expiatos ab omni peccato purgatosque conjungit, ut fiat quod ait Apostolus, Qui *1. Cor.* 6. 17. autem adhæret Domino, unus spiritus est: ideo in eo numero qui est penes Lucam, & ipse Christus à quo incipit enumeratio, & Deus ad quem pervenit, connumerantur, & fit numerus septuagintaseptem, quo significatur omnium prorsus remissio & abolitio peccatorum. Quam etiam ipse Dominus per hujus numeri mysterium evidenter expressit, dicens remittendum esse peccanti, non solùm *Matth.* 18. 22. septies, sed etiam septuagies septies. *Rom.* 8. 3.

13. Nec frustra iste numerus ad peccatorum omnium pertinet mundationem, si diligentiùs inquiratur. Denarius quippe tamquam justitiæ numerus in decem præceptis Legis ostenditur. Porrò peccatum est Legis transgressio: & utique transgressio denarij numeri congruenter undenario figuratur: unde & vela cilicina jubentur in tabernaculo unde- *Exodi* 26. 7. cim fieri: quis autem dubitet ad peccati significationem cilicium pertinere? Ac per hoc quia universum tempus septenario dierum numero volvitur, convenienter undenario septies multiplicato ad numerum septuagesimum & septimum cuncta peccata perveniunt. In quo numero etiam fit plena remissio peccatorum, expiante nos carne sacerdotis nostri, à quo nunc iste numerus incipit; & reconciliante nos Deo, ad quem nunc iste numerus pervenit per Spiritum-sanctum, qui in columbæ specie in hoc baptismo, ubi numerus iste commemo- *Luc.* 3. 22. ratur, apparuit.

14. Post enumeratas generationes Matthæus ita sequitur: * *Christi autem generatio sic erat, Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent,* CAPUT V. Quomodo Matthæi ordini con-

[a] Leg. *per cujus nominis prophetam*: quia non idem homo fuit, sed alter ejusdem nominis, ex 2. Retract. 16.

gruat ordo Lucæ in his, quæ de conceptu & de infantia vel pueritia Christi alius prætermittit, alius commemorat. *Matth.* 1. 18. *Luc.* 1. 26. v. 27. v. 28 v. 29. a v. 30. v. 31. v. 32. v. 33. v. 34. v. 35. b *Matth.* 1. v. 18. v. 19. v. 20. v. 21. v. 22. *Isa.* 7. 14. *Matth.* 1. v. 23. c v. 24. v. 25. *Matth.* 2. v. 1. *Luc.* 2. 4. *Matth.* 2. v. 1. v. 2. v. 3. v. 12. *Luc.* 2. 7. &c.

convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu-sancto. Hoc quemadmodum factum sit, quod hic prætermisit, Lucas exposuit post commemoratum conceptum Johannis, ita narrans: * *In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,* * *ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen virginis Maria.* * *Et ingressus Angelus ad eam dixit, Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* * *Quæ cùm* [a] *vidisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* * *Et ait Angelus ei, Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum:* * *ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum:* * *hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum,* * *& regni ejus non erit finis.* * *Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* * *Et respondens Angelus, dixit ei, Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur* [b] *sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et cetera, quæ ad id quod nunc agitur non pertinent. Hoc ergo Matthæus commemoravit dicens de Maria, * *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto:* nec contrarium est quia Lucas exposuit id quod Matthæus prætermisit; cùm de Spiritu-sancto Mariam concepisse uterque testetur: sicut non est contrarium quia Matthæus deinceps connectit quod Lucas prætermittit. Sequitur enim, & dicit Matthæus: * *Joseph autem vir ejus cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* * *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens, Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu-sancto est.* * *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* * *Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem,* * *Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, &* [c] *vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* * *Exsurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini; & accepit conjugem suam:* * *& non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum; & vocavit nomen ejus Jesum.* * *Cùm ergo natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis,* & cetera.

15. De civitate Bethleem Matthæus Lucasque consentiunt: sed quomodo & qua caussâ ad eam venerint Joseph & Maria, Lucas exponit, Matthæus prætermittit. Contrà de Magis ab Oriente venientibus Lucas tacet, Matthæus dicit ita contexens, * *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam,* * *dicentes, Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* * *Audiens autem Herodes rex turbatus est:* & cetera, usque ad eum locum, ubi scriptum est de ipsis Magis, quòd * *responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverse sunt in regionem suam.* Hoc totum Lucas prætermittit, sicut Matthæus non narravit quòd Lucas narrat, in præsepi positum Dominum; & quòd pastoribus eum natum Angelus nuntiaverit; & quòd multitudo militiæ cælestis facta est cum Angelo laudantium Deum; & quòd venerunt pastores, & viderunt verum esse quod eis Angelus nuntiaverat; & quod die circumcisionis suæ nomen acceperit; & quæ post impletos dies purgationis Mariæ idem Lucas narrat, quòd adtulerint eum ad Jerusalem, & de Simeone vel Anna, quæ dixerint de illo in templo, postea quàm cognoverunt eum impleti Spiritu-sancto: omnia hæc tacet Matthæus.

16. Unde meritò quæritur, quando facta sint, sive quæ Matthæus prætermittit & Lucas dicit, sive quæ Lucas prætermittit & Matthæus dicit. Quando quidem Matthæus, regressis in regionem *Matth.* 2. 12. &c. suam Magis qui venerant ab Oriente, sequitur & narrat, Joseph ab Angelo admonitum ut cum infante in Ægyptum fugeret, ne ab Herode necaretur; deinde Herodem illo non invento, à bimatu & infrà pueros occidisse: defuncto autem Herode rediisse ab Ægypto, & audito quod Archelaüs in Judæa regnaret pro Herode patre suo, habitasse cum puero in Galilææ civitate Nazareth: quæ omnia Lucas tacet. Nec ideo contrarium videri potest, quòd vel hic dicit quæ ille prætermittit, vel ille commemorat quæ iste non dicit. Sed quæritur quando fieri potuerint quæ contexit Matthæus de profectione in Ægyptum atque inde regressione post Herodis mortem, ut jam in civitate Nazareth habitarent, quò eos Lucas, postea *Luc.* 2. 39. quàm perfecerunt in templo circa puerum omnia secundùm Legem Domini, reversos esse commemorat. Hîc proinde cognoscendum est quod deinceps ad cetera talia valeat, ne similiter moveant animumque conturbent, sic unumquemque Evangelistam contexere narrationem suam, ut tamquam nihil prætermittentis series digesta videatur: tacitis enim quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat adjungit, ut ipsa continuò sequi videantur: sed cùm alter ea dicit quæ alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum ubi ea potuerit, à quo prætermissa sunt, transilire, ut ea quæ dicere intenderat ita superioribus copularet, tamquam ipsa nullis interpositis sequerentur. Ac per hoc intelligitur Matthæus, *Matth.* 2. 12. ubi ait somnio admonitos Magos ne redirent ad Herodem, & per aliam viam regressos in regionem suam; illic prætermisisse quæ Lucas narravit *Luc.* 2. 22. &c. gesta circa Dominum in templo, & dicta à Simeone & Anna: ubi rursus Lucas prætermittens profectionem in Ægyptum, quam narrat Matthæus, tamquam continuam contexuit regressionem ad civitatem Nazareth.

17. Si quis autem velit unam narrationem ex omnibus, quæ de Christi nativitate & infantia vel pueritia in utriusque narratione ab alterutro seu dicuntur seu prætermittuntur, ordinare sic potest: * *Christi autem generatio sic erat:* * *Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & uxor illi de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth.* * *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* * *Et non erat illis filius, eo quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* * *Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur* *Matth.* 1. 18. *Luc.* 1. v. 5. v. 6. v. 7. v. 8.

[a] Editi hîc & infrà, *audisset*. At plerique & melioris notæ MSS. constanter habent, *vidisset*, juxta Græcum textum, *ἰδοῦσα*.

[b] In editis, *ex te sanctum*. Abest *ex te* à tribus Vaticanis MSS. & à Gallicanis plerisque, nec in Græco textu habetur.

[c] Editi, *vocabitur*. At MSS. *vocabunt*: excepto Audoënensi, qui habet, *vocabit*. Sic in Græcis exemplaribus variè legitur καλέσουσι & καλέσεις.

v. 9. in ordine vicis suæ ante Deum, * secundùm consuetudinem sacerdotij, sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum Domini: * & omnis multitudo populi
v. 10. erat orans foris horà incensi. * Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi: * & Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.
v. 11. * Ait autem ad illum Angelus, Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Iohannem: * & erit gaudium tibi, & exsultatio, & multi
v. 14. in nativitate ejus gaudebunt: * erit enim magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet; & Spiritu-
v. 15. sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: * & multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum:
v. 16. * & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat cordæ patrum in filios, & incredulos ad
v. 17. prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. * Et dixit Zacharias ad Angelum, Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, & uxor mea processit in
v. 18. diebus suis. * Et respondens Angelus dixit ei, Ego sum Gabriel qui adsto ante Deum, & missus sum loqui ad
v. 19. te, & hæc tibi evangelizare: * & ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo
v. 20. quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. * Et erat plebs exspectans Zachariam, & mirabantur quòd tardaret ipse in templo. * Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quòd visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, &
v. 23. permansit mutus. * Et factum est, ut impleti sunt dies of-
v. 24. ficij ejus, abiit in domum suam: * post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, & occultabat se mensibus
v. 25. quinque, dicens, * Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter ho-
v. 26. mines. * In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Naza-
v. 27. reth, * ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen virginis Maria.
v. 28. * Et ingressus Angelus ad eam dixit, Ave gratiâ ple-
v. 29. na, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. * Quæ cùm vidisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat
v. 30. qualis esset ista salutatio. * Et ait Angelus ei: Ne ti-
v. 31. meas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: * ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis no-
v. 32. men ejus Jesum: * hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem David
v. 33. patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum, * &
v. 34. regni ejus non erit finis. * Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non co-
v. 35. gnosco? * Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit
v. 36. tibi: ideoque & quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei: * & ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa
v. 37. concepit filium in senectute sua; & hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis: * quia non erit impossibile apud
v. 38. Deum omne verbum. * Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et
v. 39. discessit ab illa Angelus. * Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civi-
v. 40. tatem Iuda: * & intravit in domum Zachariæ, & sa-
v. 41. lutavit Elisabeth. * Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero
v. 42. ejus; & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: * & exclamavit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter
v. 43. mulieres, & benedictus fructus ventris tui: * & unde
v. 44. hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? * Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis,
A exsultavit in gaudio infans in utero meo: * & beata quæ v. 45.
credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi
à Domino. * Et ait Maria, Magnificat anima mea v. 46.
Dominum. * Et exsultavit spiritus meus in Deo salu- v. 47.
tari meo. * Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce v. 48.
enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. * Quia v. 49.
fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen
ejus. * Et misericordia ejus in progenies & progenies ti- v. 50.
mentibus eum. * Fecit potentiam in brachio suo, dis- v. 51.
persit superbos mente cordis sui. * Deposuit potentes de v. 52.
B sede, & exaltavit humiles. * Esurientes implevit bo- v. 53.
nis, & divites dimisit inanes. * Suscepit Israël puerum v. 54.
suum, memorari misericordiæ suæ. * Sicut locutus est ad v. 55.
patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula.
* Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tri- v. 56.
bus, & reversa est in domum suam: &. * inventa est in Matth. 1.
utero habens de Spiritu-sancto. * Ioseph autem vir ejus, v. 18.
cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occul- v. 19.
tè dimittere eam. * Hæc autem eo cogitante, ecce An- v. 20.
gelus Domini in somnis apparuit ei dicens, Ioseph fili
C David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam:
quod enim in ea natum est, de Spiritu-sancto est. * Pa- v. 21.
riet autem filium, & vocabis nomen ejus Iesum: ipse
enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.
* Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod v. 22.
dictum est à Domino per Prophetam dicentem, * Ecce Isa. 7. 14.
virgo in utero habebit & pariet filium, & vocabitur Matth. 1.
nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, No- v. 23.
biscum Deus. * Exsurgens autem Ioseph à somno, fecit v. 24.
sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem
D suam: * & non cognoscebat eam. * Elisabeth autem im- v. 25.
pletum est tempus pariendi, & peperit filium. * Et au- Luc. 1. v.
dierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Do- 57. v. 58.
minus misericordiam suam cum illa, & congratulaban-
tur ei. * Et factum est in die octavo, venerunt circum- v. 59.
cidere puerum, & vocabant eum nomine patris ejus
Zachariam. * Et respondens mater ejus, dixit, Ne- v. 60.
quaquam, sed vocabitur Iohannes. * Et dixerunt ad v. 61.
illam, Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc
nomine. * Innuebant autem patri ejus quem vellet vo- v. 62.
E cari eum. * Et postulans pugillarem scripsit, dicens, Io- v. 63.
hannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. * Aper- v. 64.
tum est autem illico os ejus & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum. * Et factus est timor super omnes v. 65.
vicinos eorum; & super omnia montana Iudææ divulgabantur omnia verba hæc. * Et posuerunt omnes qui v. 66.
audierant in corde suo, dicentes, [a] Quid putas puer a
iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. * Et v. 67.
Zacharias pater ejus impletus est Spiritu-sancto, &
prophetavit dicens, * Benedictus Dominus Deus Israël, v. 68.
F quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. * Et v. 69.
erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.
* Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, v. 70.
Prophetarum ejus, * Salutem ex inimicis nostris, & de v. 71.
manu omnium qui oderunt nos. * Ad faciendam miseri- v. 72.
cordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti
sui sancti. * Iusjurandum quod juravit ad Abraham v. 73.
patrem nostrum, daturum se nobis. * Ut sine timore de v. 74.
manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi, * In v. 75.
sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.
G * Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis v. 76.
enim ante faciem Domini parare vias ejus, * Ad dan- v. 77.
dam scientiam salutis plebi ejus in remissionem pecca-
torum eorum. * Per viscera misericordiæ Dei nostri, in v. 78.
quibus visitavit nos Oriens ex alto. * Illuminare iis qui v. 79.
in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos

a Unus è Colbertinis MSS. *Quis*. Alij codices *Quid*; & sic in antiquis Corb. Bibliis; nempe quia Græcè est τί neutro genere concordans cum voce παιδίον, quæ puerum significat.

v. 80. pedes nostros in viam pacis. * Puer autem crescebat, &
confortabatur spiritu; & erat in desertis usque in diem
Luc. 2. v. 1. ostensionis suæ ad Israël. * Factum est autem in die-
bus illis, exiit Edictum à Cæsare Augusto, ut descri-
v. 2. beretur universus orbis. * Hæc descriptio prima facta
v. 3. est [a] præside Syriæ Cyrino. * Et ibant omnes ut profi-
a terentur singuli in suam civitatem. * Adscendit autem
v. 4. & Ioseph à Galilæa de civitate Nazareth in Iudæam
civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quòd
v. 5. esset de domo & familia David, * ut profiteretur cum
v. 6. Maria desponsata sibi uxore prægnante. * Factum est B
v. 7. autem cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret: * &
peperit filium suum primogenitum, & pannis eum in-
volvit; & reclinavit eum in præsepio; quia non erat
v. 8. eis locus in diversorio. * Et pastores erant in eadem
regione vigilantes & custodientes vigilias noctis supra
v. 9. gregem suum: * & ecce Angelus Domini stetit juxta
illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt
v. 10. timore magno. * Et dixit illis Angelus, Nolite timere:
ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod
v. 11. erit omni populo; * quia natus est vobis hodie salva- C
v. 12. tor, qui est Christus Dominus, in civitate David. * Et
hoc vobis signum, Invenietis infantem pannis involu-
v. 13. tum, & positum in præsepio. * Et subitò facta est cum
Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum
v. 14. & dicentium, * Gloria in altissimis Deo, & in terra
v. 15. pax hominibus bonæ voluntatis. * Et factum est ut dis-
cesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur
ad invicem, Transeamus usque Bethleem, & videa-
mus hoc verbum quod factum est, quod Dominus osten-
v. 16. dit nobis. * Et venerunt festinantes, & invenerunt Ma- D
v. 17. riam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. * Vi-
dentes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat
v. 18. illis de puero hoc. * Et omnes qui audierunt mirati sunt,
v. 19. & de iis quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. * Ma-
ria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in
v. 20. corde suo. * Et reversi sunt pastores glorificantes & lau-
dantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant,
v. 21. sicut dictum est ad illos. * Et postquam consummati sunt
dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen
ejus Iesus, quod vocatum est ab Angelo priùs quàm in E
Matth. 2. utero conciperetur. Et * ecce Magi ab Oriente venerunt
v. 1. Ierosolymam, * dicentes, Vbi est qui natus est rex Iu-
v. 2. dæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, &
v. 3. venimus adorare eum. * Audiens autem Herodes rex
v. 4. turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. * Et con-
gregans omnes principes sacerdotum & Scribas populi,
v. 5. sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. * At illi di-
Malach. 5. 2. xerunt ei, In Bethleem Iudæ: sic enim scriptum est per
Matth. 2. Prophetam, * Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam
v. 6. minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux F
v. 7. qui regat populum meum Israël. * Tunc Herodes clam
vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ,
v. 8. quæ apparuit eis. * Et mittens eos in Bethleem dixit,
Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inveneritis renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.
v. 9. * Qui cùm audissent regem, abierunt: & ecce stella,
quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum
v. 10. veniens staret suprà ubi erat puer. * Videntes autem
v. 11. stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. * Et intran- G
tes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus: & procidentes adoraverunt eum; & apertis thesauris
suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.
v. 12. * Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Hero-

a In aliquot MSS. & editione Rat. *à præside*. Apud Er. & Lov. *sub præside*. Sed in pluribus & melioris notæ MSS. absque præpositione est, *præside*, id est præsidem agente, juxta Græc. ἡγεμονεύοντος.

b Editi, *redemtionem Israël*. At MSS. magno consensu ferunt, *redemtionem Jerusalem*: quibuscum etiam concordat vetustissimus Bibliorum codex Corbeiensis. Porrò in Græco textu est, λύτρωσιν δ' Ιερουσαλήμ, *redemtionem in Jerusalem*, additâ præpositione *in*, quæ propter (*m*) præcedentis litteræ concursum facilè exciderit librariorum incuriâ.

Luca 2. v. 22. Levit. 12. 6. Luca 2. v. 23. Exodi 13. 2. Luca 2. v. 24. Levit. 5. 7. & 12. 8. Luca 2. v. 25. v. 26. v. 27. v. 28. v. 29. v. 30. v. 31. v. 32. v. 33. v. 34. v. 35. Osee 11. 1. Matth. 2. v. 16. v. 17. Jer. 31. 15. Matth. 2. v. 18. v. 19. v. 20. v. 21. v. 22. v. 23. b Matth. 2. v. 13. v. 14. v. 15. v. 16. v. 17. v. 18. v. 19. v. 20. v. 21. Luca 2. v. 40. v. 41.

tes ejus per omnes annos in Ierusalem in die sollemni A
v. 42. *Paschæ.* * *Et cùm factus esset annorum duodecim, ad-*
scendentibus illis in Ierosolymam secundùm consuetudi-
v. 43. *nem diei festi,* * *consummatisque diebus cùm redirent,*
remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognoverunt
v. 44. *parentes ejus.* * *Existimantes autem illum esse in comita-*
tu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cogna-
v. 45. *tos & notos.* * *Et non invenientes, regressi sunt in Ieru-*
v. 46. *salem requirentes eum.* * *Et factum est post triduum in-*
venerunt illum in templo sedentem in medio doctorum,
v. 47. *audientem illos & interrogantem eos.* * *Stupebant au-* B
tem omnes qui audiebant eum, super prudentia & res-
v. 48. *ponsis ejus.* * *Et videntes admirati sunt. Et dixit mater*
ejus ad illum, Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater
v. 49. *tuus & ego dolentes quærebamus te.* * *Et ait ad illos,*
Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his
v. 50. *quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* * *Et ipsi non in-*
tellexerunt verbum, quod locutus est ad illos. * *Et des-*
v. 51. *cendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus*
a *illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc* [a] *in*
v. 52. *corde suo.* * *Et Iesus proficiebat sapientiâ & ætate &* C
gratiâ apud Deum & homines.

Caput VI. De ordine prædicationis Johan. Baptistæ inter omnes quatuor.

18. Jam hinc de prædicatione Johannis narrari incipit, quam omnes quatuor commemorant. Nam & Matthæus post illa verba, quæ ultima ejus posui, ubi commemoravit ex Propheta testimonium, * *Quoniam Nazaræus vocabitur*, sequitur & adjungit: * *In diebus autem illis venit Iohannes Baptista prædicans in deserto Iudææ*, &c. Matth. 2. v. 23. Matth. 3. v. 1. Et Marcus qui nihil de nativitate vel infantia vel pueritia Domini narravit, hinc Evangelij sumsit initium, id est, à D Johannis prædicatione. Marci 1. v. 1. Sic enim exorsus est: * *Initium Evangelij Iesu Christi filij Dei:* * *sicut scriptum est in Isaia propheta, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* v. 2. Isa. 40. 3. Malach. 3. 1. Marci 1. v. 3. * *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* v. 4. * *Fuit Iohannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum*, &c. Et Lucas post verba ubi ait, *Et Iesus proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines*, de Johannis prædicatione jam sequitur di- E cens: Luca 3. v. 1. * *Anno autem quinto-decimo imperij Tyberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetracha Ituræ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha,* v. 2. * *sub principibus sacerdotum Anna & Caïpha, factum est verbum Domini super Iohannem Zachariæ filium in deserto*, &c. Johannes quoque Apostolus in Evangelistis quatuor eminentissimus, postea quàm dixit de Verbo Dei, qui est ipse Filius ante omnia sæcula creaturæ, quia omnia F per ipsum facta sunt, intulit continuò de Johannis prædicatione ac testimonio dicens, Johan. 1. v. 6. * *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes.* Unde jam videndum est de ipso Johanne Baptista quatuor Evangelistarum narrationes, quemadmodum inter se non discordent: non ut hoc à nobis per omnia requiratur aut exigatur, quod modò fecimus de primordiis nati ex Maria Christi, quemadmodum inter se Matthæus Lucasque consentiant, ut ex utriusque narratione unam faceremus, demonstran- G tes tardioribus quemlibet eorum commemorando quod alter tacet, vel tacendo quod alter commemorat, non impedire intellectum veracis narrationis alterius: ut hoc exemplo, sive ut à me factum est, sive alio modo commodiùs fieri possit, videat unusquisque & in ceteris talibus locis fieri posse,

[a] Hic in editis addebatur, *conferens*; quod abest à MSS.

quod hîc factum esse perspexerit.

19. Jam ergo, ut dixi, videamus quatuor Evangelistarum de Baptista Johanne consensum. Matthæus ita sequitur, * *In diebus autem illis venit Iohannes Baptista prædicans in deserto Iudææ.* Matth. 3. v. 1. Marcus non dixit, *In diebus illis*; quia nullam seriem rerum antè præmiserat, in quarum rerum diebus intelligeretur dicere, si diceret, *In illis diebus*. Lucas autem per potestates terrenas signantiùs ipsa tempora expressit prædicationis vel baptismi Johannis di- B cens, Luca 3. v. 1. * *Anno autem quinto-decimo imperij Tyberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha,* v. 2. * *sub principibus sacerdotum Anna & Caïpha, factum est verbum Domini super Iohannem Zachariæ filium in deserto.* Nec tamen intelligere debemus hos dies, id est, hoc tempus harum potestatum significasse Matthæum cùm diceret, *In diebus illis*: sed in multo longioris temporis spatio vo- C luisse accipi, quod ait, *In diebus illis*. Mox enim ut narravit reversum de Ægypto Christum mortuo Herode; quod utique tempore infantiæ vel pueritiæ ejus factum est, ut possit constare quod Lucas Luca 2. 39. de illo cùm duodecim annorum esset gestum narravit in templo Jerusalem: cùm ergo infantem vel puerum ex Ægypto revocatum commemorasset Matthæus, continuò intulit, *In diebus autem illis venit Iohannes Baptista*, non utique tantummodo pueritiæ illius dies insinuans, sed omnes dies ab D ejus nativitate usque ad tempus, quo prædicare ac baptizare cœpit Johannes, quo jam tempore Christi juvenilis ætas invenitur; quia coævi erant ipse & Johannes, & triginta fermè annorum narratur fuisse cùm ab illo baptizatus esset.

Caput VII. De duobus Herodibus.

20. Sed planè de Herode solet movere nonnullos quod Lucas narravit, in diebus baptismi Johannis Herodem fuisse tetrarcham Galilææ, quando etiam Dominus juvenis baptizatus est; Luca 3. 1. Matthæus autem, mortuo Herode, dicit puerum Matth. 2. 19. E Jesum ab Ægypto remeasse: quod utrumque verum esse non potest, nisi duo fuisse intelligantur Herodes. Quod cùm fieri potuisse nemo nesciat, qua cæcitate insaniunt, qui procliviores sunt ad calumniandum Evangelicæ veritati, quàm paululùm consideratiores, ut duos homines eodem vocabulo appellatos intelligant? cujus rei exemplis plena sunt omnia. Nam iste posterior Herodes prioris Herodis filius fuisse perhibetur; sicut Archelaüs, quem Matthæus in Judææ regnum patri Ibidem 22. F mortuo successisse commemorat; sicut Philippus, quem fratrem tetrarchæ Herodis & ipsum Ituraæ tetrarcham Lucas insinuat. Rex enim fuit Herodes ille, qui quærebat animam pueri Christi: Herodes autem alius filius ejus, non rex, sed tetrarcha dictus est, quod nomen Græcum à parte regni quarta inditum resonat.

Caput VIII. Quomodo Matth. dicat timuisse Joseph ire cum infante Ch. in Jerusalem propter Archelaüm; & non, timuisse ire in Galilæam, ubi erat tetrarcha Herodes frater ejus.

21. Nisi fortè hinc rursus quispiam moveatur, cùm Matthæus dixerit ideo timuisse Joseph cum puero redeunte ire in Judæam, quia pro pa- G tre suo Herode Archelaüs filius ejus ibi regnabat; quomodo potuerit ire in Galilæam, ubi alius filius ejus Herodes tetrarcha erat, sicut Lucas testatur. Quasi verò ipsa sint tempora, quibus tunc puero timebatur, quæ nunc Lucas commemoravit, quæ usque adeo mutata erant, ut in ipsa Judæa non jam rex esset Archelaüs, sed Pontius Pilatus, qui

non rex Judæorum, sed præses erat: cujus tempo- A ribus agentes sub Tyberio Cæsare filij majoris Herodis, non regnum habebant, sed tetrarchiam. Quod utique nondum factum erat, quando Joseph timens Archelaüm in Judæa regnantem, se in Galilæam cum puero contulit, ubi & civitas ejus erat Nazareth. Matth. 2. 22. Luca 3. 1.

Caput IX. Alter scrupulus in eodem loco.

22. An fortè & hoc movet, quomodo dicat Matthæus, propterea cum puero Jesu parentes ejus isse in Galilæam, quia metu Archelaï in Judæam ire noluerunt; Matth. 2. 22. cùm propterea magis isse in B Galilæam videantur, quia civitas eorum erat Nazareth Galilææ, sicut Lucas non tacuit. Luca 2. 4. Sed intelligendum est, ubi Angelus in somnis in Ægypto dixit ad Joseph, Matth. 2. 13. *Surge & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israël*, sic intellectum esse primò à Joseph, ut putaret jussum se esse pergere in Judæam; ipsa enim primitus intelligi potuit terra Israël: porrò autem postea quàm comperit illic regnare filium Herodis Archelaüm, noluit objicere se illi periculo, cùm posset terra Israël C etiam sic intelligi, ut & Galilæa illic deputaretur, quia & ipsam populus Israël incolebat. Quamquam & alio modo solvi possit hæc quæstio, quia potuit videri parentibus Christi cum puero, de quo talia per angelica responsa cognoverant, non esse habitandum nisi in Jerusalem, ubi erat templum Domini; & propterea redeuntes ex Ægypto, illuc eos ituros fuisse, & illic habitaturos, nisi Archelaï præsentiâ terrerentur. Neque enim divinitus jubebantur ibi habitare, ut de Archelao quod timebant de- D berent contemnere.

Caput X. Quomodo Lucas dicit, ivisse parentes ejus per omnes annos in Jerusalem cum Ch. puero, si metu Archelaï illuc nolebant accedere sec. Matth.

23. An & hoc aliquis dicit, Quomodo ergo, sicut Lucas narrat, ibant parentes ejus per omnes annos pueritiæ Christi in Jerusalem, si Archelaï timore illuc prohibebantur accedere? Luca 2. 41. Hoc mihi dissolvere non esset difficile, nec si aliquis Evangelistarum expressisset, quamdiu ibi regnaret Archelaüs. Fieri enim poterat, ut per diem festum inter tam ingentem turbam latenter adscenderent, mox reversuri, ubi tamen aliis diebus habitare metue- E rent: ut nec sollemnitate prætermissa essent irreligiosi, nec continua mansione conspicui. Cùm verò etiam de regno Archelaï quàm fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iste quoque intellectus patet, ut quod Lucas dicit per omnes annos eos adscendere solitos in Jerusalem, tunc accipiamus factitatum, cùm jam non timeretur Archelaüs. Quod si Archelaï regnum aliquantò diuturnius ulla præter Evangelium prodit historia, cui fides habenda videatur; illud quod superiùs dixi suffecerit, quòd F ita timebant parentes pueri habitationem in Jerusalem, ut tamen propter Dei timorem festivitatem sollemnem non prætermitterent, in qua latêre facillimè possent: neque enim incredibile est captatis temporibus opportunis vel dierum vel horarum accedere homines ad ea loca, in quibus esse formidant.

Caput XI. Quomodo completis diebus purgationis matris Ch. adscenderunt cum illo in templum, si Herodes quærebat eum ut occideret.

24. Hinc etiam illa solvitur quæstio, si aliquem movet, cùm jam sollicitus esset ille major Herodes perculsus Magorum nuntio, quòd rex Ju- G dæorum natus fuisset, quomodo potuerint completis diebus purgationis matris ejus tutò cum illo adscendere in templum, ut fierent circa eum secundùm Legem Domini quæ Lucas commemorat. Quis enim non videat, etiam illum unum diem regem multis occupatum latêre potuisse? Si autem illud veri simile non videtur, quòd Herodes qui valde sollicitus exspectabat quid sibi Magi de puero renuntiarent, post tam multos dies se sensit illusum, Matth. 2. 3. Luca 2. 22. ut transacto tempore purgationis matris ejus, & peracta circa infantem sollemnitate primogenitorum in templo Jerusalem, post etiam profectionem eorum in Ægyptum, in mentem illi venerit quærere animam pueri, & necare tot parvulos: si hoc ergo movet, omitto dicere quot & quantis occupationibus regia cura distendi potuerit, & per plurimos dies ab illa intentione vel averti omnino, vel impediri. Neque enim enumerari possunt caussæ, quibus hoc potuerit accidere; quas tamen multas & magnas esse potuisse nemo ita rerum humanarum inexpertus est, ut aut neget, aut dubitet. Cujus enim cogitationi non occurrat, quàm multa alia terribiliora regi nuntiari potuerint seu vera seu falsa, ut qui regem infantem post aliquot annos sibi vel filiis suis adversaturum timuerat, aliquorum magis propinquantium periculorum terroribus agitatus, ab illa cura mentem abreptam in aliis proximè cavendis potiùs occuparet? Ut ergo hæc omittam, illud dico, postea quàm nihil Herodi Magi renuntiaverunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, postea quàm non invenerunt quem natum putaverant, erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso ab inquirendo ac persequendo puero quievisse. Cùm ergo post purgationem matris ejus in Jerusalem cum illo venissent, & ea gesta essent in templo, quæ à Luca narrantur, Luca 2. 22. &c. quia verba Simeonis & Annæ de illo prophetantium, cùm cœpissent ab eis qui audierant prædicari, ad pristinam intentionem revocatura erant animum regis, admonitus per somnium Joseph cum infante & matre ejus fugit in Ægyptum. Deinde vulgatis rebus, quæ in templo factæ dictæque fuerant, Herodes se à Magis sensit illusum; ac deinde ad Christi mortem cupiens pervenire, multos infantes, sicut Matthæus narrat, occidit. Matth. 2. 16.

Caput XII. De verbis Johannis inter omnes quatuor.

25. Matthæus verò de Johanne ita contexit: * *In diebus autem illis venit Iohannes Baptista prædicans in deserto Iudææ,* * *& dicens, Pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* * *Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem, Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Matth. 3. v. 1. v. 2. v. 3. Isa. 40. 3. Marci 1. 3. Luca 34. Marcus quoque & Lucas consentiunt hoc Isaïæ testimonium esse de Johanne. Nam plura verba etiam consequentia ex eodem Propheta Lucas commemoravit, cùm de Baptista Johanne narraret. Johannes autem Evangelista ipsum Johannem Baptistam de seipso idem testimonium Isaïæ protulisse commemorat: Johan. 1. 23. sicut nunc Matthæus dixit quædam Johannis verba, quæ alij non dixerunt: *Prædicans*, inquit, *in deserto Iudææ, & dicens, Pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*: hæc verba Johannis alij prætermiserunt. Jam verò quod sequitur Matthæus & adjungit, *Hic est enim qui dictus est per prophetam Isaiam dicentem, Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*, ambiguè positum est, nec elucet utrùm ex persona sua idem Matthæus hoc commemoraverit, an adhuc verba ejusdem Johannis secutus adjunxerit, ut totum hoc Johannes dixisse intelligatur, *Pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum, hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam*, & cetera. Neque enim hoc movere debet quia non ait, Ego sum enim, qui dictus sum per Isaiam prophetam: sed ait, *Hic est enim, qui dictus est.* Solet

quippe esse [a] talis locutio & ipsorum Evangelistarum Matthæi & Johannis. Nam & Matthæus dixit, Invenit hominem sedentem in telonio; nec dixit, Invenit me: & Johannes, Hic est, inquit, discipulus qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium ejus; non dixit, Ego sum, aut, Verum est testimonium meum. Dominus autem ipse sæpissimè dicit, Filius hominis, aut filius Dei; & non dicit, Ego: & Oportebat, inquit, Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die: non ait, Oportebat me pati. Potuit ergo & Johannes Baptista, cùm dixisset, *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum*, de seipso adjungere quæ sequuntur, *Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam*, &c. ut post verba ejus Matthæus ita narrationem contexat, *Ipse autem Johannes habebat vestimentum de pilis camelorum*, &c. Quod si ita est, non mirum si & interrogatus quid diceret de seipso, sicut narrat Johannes Evangelista, *Ego*, ait, *vox clamantis in deserto*; sicut jam dixerat, præcipiens ut agerent pœnitentiam. De vestitu ergo ejus & victu ita Matthæus sequitur, dicens, *Ipse autem Johannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ejus. Esca autem ejus erat locustæ & mel silvestre.* Hoc & Marcus dicit penè totidem verbis, ceteri autem duo tacent.

26. Sequitur ergo Matthæus, & dicit: * *Tunc exibat ad eum Jerosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, * & baptizabantur in Jordane ab eo, confitentes peccata sua. * Videns autem multos Pharisæorum & Saducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis, Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à futura ira: * Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. * Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* * *Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* * *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu-sancto & igni:* * *cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hæc omnia dicit & Lucas, eadem penè verba Johannis exprimens. Et ubi aliquid varium est in verbis, ab eadem tamen sententia non receditur: velut cùm dicit Matthæus Johannem dixisse, *Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham*: ille autem, *Et ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham.* Iste, *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam*: ille interpònit interrogationem turbarum, quid facerent, & eis respondentem Johannem de bonis operibus, tamquam de fructibus pœnitentiæ, quod Matthæus omisit: deinde in cordibus suis cogitantibus de illo, utrùm ipse esset Christus, eum dicit respondisse, *Ego quidem aquâ baptizo vos*: non dixit, in pœnitentiam. Deinde Matthæus, *Qui autem*, inquit, *post me venturus est, fortior me est*: ille verò, *Venit autem*, inquit, *fortior me.* Item Matthæus, *Cujus non sum*, inquit, *dignus calceamenta portare*: ille autem, *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Quod & Marcus dicit, cùm cetera taceat: nam post commemoratum habitum & victum ejus, secutus ait, * *Et prædicabat dicens, * Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.* * *Ego baptizavi vos aquâ, ille verò baptizabit vos Spiritu-sancto.* De calceamentis ergo hoc à Luca distat, quod addidit, *procumbens.* De baptismo autem hoc ab utroque, quia non dixit, *& igni*, sed tantùm, *in Spiritu-sancto.* Sicut enim Matthæus, ita & Lucas dixit, & eodem ordine, *Ipse vos baptizabit in Spiritu & igni:* [b] nisi quod Lucas non addidit, *sancto*, sicut Matthæus dixit, *in Spiritu-sancto & igni.* His tribus adtestatur Johannes Evangelista, cùm dicit, *Johannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens, Hic erat quem dixi, qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat.* Sic enim ostendit, tunc eum hoc dixisse, quando eum illi dixisse commemorant: repetisse autem, & commemorasse quod jam dixisset, cùm ait, *Hic erat quem dixi, qui post me venit.*

27. Si ergo quæritur, quæ verba potiùs Johannes Baptista dixerit, utrùm quæ Matthæus, an quæ Lucas eum dixisse commemorat, an quæ Marcus in ipsis paucis quæ illum dixisse posuit, tacens cetera; nullo modo hinc laborandum esse judicat, qui prudenter intelligit, ipsas sententias esse necessarias cognoscendæ veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatæ. Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium. Neque illud contrarium est, si alius dicit quod alius prætermittit. Ut enim quisque meminerat, & ut cuique cordi erat vel breviùs vel prolixiùs, eamdem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.

28. Et in hoc satis apparet quod ad rem maximè pertinet, quoniam veritas Evangelij, verbo Dei, quod supra omnem creaturam æternum atque incommutabile permanet, per creaturam temporalibus signis & linguis hominum dispensato, summum culmen auctoritatis obtinuit, non nos debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem quam audierunt vel viderunt reminiscentibus, non eodem modo atque eisdem verbis, eadem tamen res fuerit indicata; aut sive mutetur ordo verborum, sive alia pro aliis quæ tamen idem valeant verba proferantur; sive aliquid vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex aliis quæ dicuntur possit intelligi, minùs dicatur; sive aliorum quæ magis dicere statuit narrandorum gratiâ, ut congruus temporis modus sufficiat, aliquid sibi non totum explicandum, sed ex parte tangendum quisque suscipiat; sive ad illuminandam declarandamque sententiam, nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat, cui auctoritas narrandi concessa est; sive rem bene tenens non assequatur, quamvis id conetur, memoriter etiam verba quæ audivit ad integrum enuntiare. Quisquis autem dicit Evangelistis certè per Spiritus-sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero discreparent; non intelligit, quantò ampliùs Evangelistarum excellit auctoritas, tantò magis per eos fuisse firmandam ceterorum hominum vera loquentium securitatem: ut pluribus eamdem rem fortè narrantibus, nullo modo quisquam eorum de mendacio rectè arguatur, si ab altero ita discrepaverit, ut possit etiam Evangelistarum exemplo præcedente defendi. Cùm enim fas non sit, Evangelistarum

Narratio quatenus variat sine mendacio.

[a] Sic MSS. & Rat. At Er. & Lov. *esse quasi do aliis locutio.*

[b] Nunc tamen Lucas in Bibliis Græc. & Lat. habet additum *sancto.*

aliquem mentitum fuisse, vel existimare vel dicere; sic apparebit nec eum fuisse mentitum, cui recordanti tale aliquid acciderit, quale illis accidisse monstratur. Et quantò magis ad mores optimos pertinet cavere mendacium, tantò magis tam eminente auctoritate regi debebamus, ne putaremus esse mendacia, cùm sic inter se variari aliquorum narrationes inveniremus, ut inter Evangelistas variatæ sunt. Simul etiam, quod ad doctrinam fidelem maximè pertinet, intelligeremus, non tam verborum quàm rerum quærendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos qui non eadem locutione utuntur, cùm rebus sententiisque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus.

29. Quid ergo in his, quæ de narrationibus Evangelistarum collata proposui, putandum est esse contrarium? An quod alius dixit, *cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere?* Non enim verbis, aut verborum ordine, aut aliquo genere locutionis, sed etiam re ipsa videtur aliud esse calceamenta portare, aliud corrigiam calceamenti solvere. Meritò ergo quæri potest, quid Johannes dixerit non se dignum esse, utrùm calceamenta portare, an corrigiam calceamenti solvere. Si enim alterum horum dixit, ille verum videtur narrasse, qui hoc potuit narrare quod dixit: qui autem aliud, etsi non est mentitus, certè vel oblitus, aliud pro alio dixisse putabitur. Omnem autem falsitatem abesse ab Evangelistis decet, non solùm eam quæ mentiendo promitur, sed etiam eam quæ obliviscendo. Itaque si ad rem pertinet, aliquid aliud intelligere ex eo quod dictum est, *calceamenta portare*; & aliquid aliud ex eo quod dictum est, *corrigiam calceamenti solvere*: quid aliud accipiendum rectè existimaveris, nisi Johannem utrumque dixisse, sive aliud alio tempore, sive contextim. Potuit enim sic dicere: *Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, nec calceamenta portare*: ut unus Evangelistarum hinc aliud, alij verò aliud, omnes tamen verum narraverint. Si autem nihil intendit Johannes cùm de calceamentis Domini diceret, nisi excellentiam ejus & humilitatem suam; quodlibet horum dixerit, sive de solvenda corrigia calceamentorum, sive de portandis calceamentis, eamdem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis per calceamentorum commemorationem eamdem significationem humilitatis expressit, unde ab eadem voluntate non aberravit. Utilis igitur modus & memoriæ maximè commendandus, cùm de convenientia dicimus Evangelistarum, non esse mendacium, cùm quisque etiam dicens aliquid aliud quod etiam ille non dixit de quo aliquid narrat, voluntatem tamen ejus hanc explicat, quam etiam ille qui ejus verba commemorat. Ita enim salubriter discimus, nihil aliud esse quærendum, quàm quid velit ille qui loquitur.

CAPUT XIII. De baptizato Jesu.

30. SEQUITUR ergo Matthæus, & dicit: * *Tunc venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo.* * *Johannes autem prohibebat eum, dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* * *Respondens autem Jesus dixit ei, Sine modò: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.* Adtestantur & ceteri venisse Jesum ad Johannem. Baptizatum autem tres commemorant: sed tacent quod Matthæus ait, dixisse Domino Johannem, vel Johanni Dominum respondisse.

CAPUT XIV.

31. DEINDE sequitur Matthæus: * *Baptizatus autem confestim adscendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* * *Et ecce vox de cælis dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hoc & alij duo Marcus & Lucas similiter narrant: sed de verbis vocis, quæ de cælo facta est, variant locutionem, salvâ tamen sententiâ. Quod enim Matthæus ait dictum, *Hic est filius meus dilectus*, & alij duo dicunt, *Tu es filius meus dilectus*, ad eamdem sententiam explicandam valet, sicut superiùs tractatum est. Vox enim cælestis unum horum dixit, sed Evangelista ostendere voluit ad id valere quod dictum est, *Hic est filius meus*, ut illis potiùs qui audiebant indicaretur, quòd ipse esset Filius Dei; atque ita dictum referre voluit, *Tu es filius meus*, ac si diceretur illis, *Hic est filius meus.* Non enim Christo indicabatur quod sciebat: sed audiebant qui aderant, propter quos etiam ipsa vox facta est. Jam verò quod alius dicit, *in quo mihi complacui*; alius, *in te complacui*; alius, *in te complacuit mihi*: si quæris quid horum in illa voce sonuerit, quodlibet accipe, dummodo intelligas eos qui non eamdem locutionem retulerunt, eamdem retulisse sententiam. Quæ diversitas locutionum ad hoc etiam utilis est, ne uno modo dictum minùs intelligatur, & aliter quàm res se habet, interpretetur. Quod enim dictum est, *in quo mihi complacui*, si velit quis ita intelligere, ut Deus in filio sibi placuisse videatur; admonetur ex eo quod dictum est, *in te complacui.* Si rursus ex hoc uno intelligat quisque, in Filio Patrem placuisse hominibus; admonetur ex eo quod dictum est, *in te complacuit mihi.* Ex quo satis apparet, quilibet Evangelistarum cælestis vocis etiam verba tenuerit, alios ad eamdem sententiam familiariùs explicandam verba variasse: ut intelligatur hoc dictum esse ab omnibus, tamquam diceretur, In te placitum meum constitui, hoc est, per te gerere quod mihi placet. Illud verò quod nonnulli codices habent secundùm Lucam, hoc illa voce sonuisse quod in Psalmo scriptum est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: quamquam in antiquioribus codicibus Græcis non inveniri perhibeatur, tamen si aliquibus fide dignis exemplaribus confirmari possit, quid aliud quàm utrumque intelligendum est quolibet verborum ordine de cælo sonuisse?

De verbis vocis factæ de cælo super baptizatum.

CAPUT XV. Quomodo secundùm Johan. Evang. dicat Johannes Bapt. Ego non noveram, cùm sec. alios inveniatur quòd jam noverat.

32. QUOD autem secundùm Johannem de columba dicitur, non quando factum est narratur, sed verba Johannis Baptistæ referuntur commemorantis quid viderit. In quo quæritur, quemadmodum dictum sit, *Et ego non noveram eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu-sancto.* Si enim tunc eum cognovit, cùm columbam vidit descendentem super eum; quærendum est quomodo dixerit venienti ut baptizaretur, *Ego magis à te debeo baptizari*: hoc enim ei dixit antequam columba descenderet. Ex quo apparet, quamvis eum jam nosset: (nam etiam in utero matris exsultavit, cùm ad Elisabeth Maria venisset:) aliquid tamen in eo quod nondum noverat, columbæ descensione didicisse, quòd ipse scilicet baptizaret in Spiritu-sancto propria quadam & divina potestate: ut nullus homo qui accepisset à Deo baptismum, etiamsi aliquem baptizaret, posset dicere suum esse quod traderet, vel à se dari Spiritum-sanctum.

CAPUT XVI.

33. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Tunc Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à*

De tentato Jesu. *Matth.* 4. v. 1. v. 2. v. 3. v. 4. a *Deut.* 8. 3. *Matth.* 4. 11. *Luc.* 4. 2. *diabolo.* * *Et cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* * *Et accedens tentator dixit ei, Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* * *Qui respondens dixit, Scriptum est, Non in pane solo* a *vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, &c. usque ad id quod dictum est, * *Tunc reliquit eum diabolus; & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei.* Totum hoc similiter Lucas narrat, etsi non eodem ordine. Unde incertum est quid priùs factum sit, utrùm regna terræ priùs demonstrata sint ei, & postea in pinnam templi levatus sit: an hoc priùs, & illud postea. Nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit: & quòd aliis verbis easdem sententias Lucas explicat, non semper commendandum est, quàm nihil depereat veritati. *Marci* 1. 13. Marcus autem adtestatur quidem eum in deserto à diabolo esse tentatum quadraginta diebus & noctibus; sed tacet quid ei dictum sit, quidve responderit. Item quod Lucas prætermisit, iste non tacuit, quod Angeli ministrabant illi. Johannes verò totum istum locum prætermisit.

CAPUT XVII. De vocatione Apostolorum piscantium. *Marci* 1. 14. *Luc.* 4. 14. *Johan.* 1. 39. *&c.* 34. SEQUITUR narrans Matthæus: *Cùm autem audisset quòd Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam:* hoc & Marcus dicit, & Lucas, sed Lucas de Johanne tradito nihil hoc loco dicit. Johannes autem Evangelista priùs quàm iret Jesus in Galilæam, dicit Petrum & Andream mansisse cum illo uno die, & tunc Petro nomen impositum, cùm antea Simon vocaretur. Sequenti item die jam volentem exire in Galilæam, invenisse Philippum, & ei dixisse ut sequeretur eum. inde ventum est, ut *Johan.* 2. 1. etiam de Nathanaële narraret. Die autem tertio in Galilæa constitutum, fecisse illud in Cana de aquæ in vinum conversione miraculum. Quæ omnia ceteri Evangelistæ prætermiserunt, id contexentes narrationibus suis, quòd Jesus reversus in Galilæam sit: unde intelligitur fuisse interpositos aliquot dies, quibus illa de discipulis gesta sunt, quæ interponuntur à Johanne. Non est autem contrarium ei loco, *Matth.* 16. 18. ubi Matthæus narrat Dominum dixisse Petro, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Neque enim hoc nomen tunc accepisse intelligendus est, sed tunc potiùs, quando ei Johan- *Johan.* 1. 42. nes dictum esse commemorat, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus:* ut eum hoc nomine appellaret postea Dominus dicens, *Tu es Petrus.* Non enim ait, Tu vocaberis Petrus, sed *Tu es Petrus:* quòd ei jam dictum erat antea, *Tu vocaberis.*

35. Deinde contexit narrationem Matthæus, & *Matth.* 4. 13. dicit: *Et relicta civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim*, & cetera, quousque sermo terminetur, quem habuit in monte. In quo contextu narratio- *Marci* 1. 16. *&c.* nis adtestatur ei Marcus de discipulorum vocatione, Petri & Andreæ, & paulò pòst Jacobi & Johannis. Sed cùm Matthæus continuò conjungeret narrationem prolixi illius sermonis, quem in monte habuit, postea quàm multos curavit, & eum multæ turbæ secutæ sunt, Marcus interposuit alia, quia docebat eos in synagoga, & stupebant super doctrina ejus. Tunc ipse dixit, quod & Matthæus post il- *Matth.* 7. 29. *Marci* 1. 22. *&c.* lum prolixum sermonem, quia *erat docens eos quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.* Narravit etiam de homine, à quo expulsus est immundus spiritus; *Luc.* 4. 31. deinde de socru Petri. In his autem Lucas ei consentit: Matthæus verò de isto dæmonio nihil narravit; *Matth.* 8. 14. de socru autem Petri non tacuit, sed postea.

36. In hoc autem loco, quem nunc consideramus, idem Matthæus post vocationem discipulorum, quibus piscantibus jussit ut eum sequerentur, narrat eum circuisse Galilæam, docentem in synagogis, & prædicantem Evangelium, & sanantem omnem languorem; & collectis ad eum turbis, adscendisse in montem, & usum fuisse illo sermone prolixo. Dat ergo locum intelligendi, tunc facta esse quæ Marcus post electionem eorumdem discipulorum narrat, cùm circuiret Galilæam, & do- *Marci* 1. 16. *&c.* ceret in synagogis eorum: tunc etiam de socru Petri: sed eum postea commemorasse quod prætermiserat, quamvis non omnia prætermissa in narrationem revocaverit. *Matth.* 4. 23. *&c.*

37. Sanè potest movere, quomodo Johannes *Johan.* 1. 40. dicat, non in Galilæa, sed juxta Jordanem, primò *&c.* Andream secutum esse Dominum cum alio, cujus nomen tacetur, deinde Petrum ab illo nomen accepisse, tertiò Philippum vocatum ut eum sequeretur: ceteri autem tres Evangelistæ de piscatione vocatos eos dicant satis inter se convenienter, ma- *Matth.* 4. 18. ximè Matthæus & Marcus. Nam Lucas Andream *Marci* 1. 16. non nominat, qui tamen intelligitur in ea navi fuis- *Luc.* 5. 10. se secundùm Matthæi & Marci narrationem, qui *&c.* breviter hoc perstringunt, quemadmodum gestum sit: quod Lucas apertiùs explicavit, commemorans ibi etiam miraculum super captura piscium, & quòd ex ipsa navi Dominus priùs fuerit locutus ad turbas. Hoc etiam videtur distare, quòd tantùm Petro à Domino dictum commemorat, *Ex hoc jam homines eris capiens:* quod illi ambobus fratribus dictum esse narrarunt. Sed potuit utique priùs hoc Petro dici, cùm de capta ingenti multitudine piscium miraretur, quod Lucas insinuavit; & ambobus postea, quod illi duo commemoraverunt. Illud ergo quod de Johanne diximus, diligenter considerandum est: non enim parva repugnantia putari potest, cùm & locorum plurimum interfit, & temporis, & ipsius vocationis. Nam si juxta Jordanem antequam Jesus isset in Galilæam, ad testimonium Johannis Baptistæ secuti sunt eum duo, quorum erat unus Andreas, qui fratrem suum Simonem continuò adduxit ad Jesum, quando & nomen ut Petrus vocaretur accepit; quomodo ab aliis Evangelistis dicitur, quòd eos in Galilæa piscantes invenerit, atque ad discipulatum vocaverit? nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse tunc Dominum juxta Jordanem, ut ei jam inseparabiliter cohærèrent, sed tantùm cognovisse quis esset, eumque miratos ad propria remeasse.

38. Nam & in Cana Galilææ cùm fecisset de aqua vinum, dicit idem Johannes, quòd credidérint in eum discipuli ejus. Quod ita narrat: * *Et die* *Johan.* 2. *tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Jesu ibi.* * *Vocatus est autem & Jesus & discipuli* *v.* 1. *ejus ad nuptias.* Qui utique si tunc in eum credidérunt, sicut paulò pòst dicit, nondum erant discipuli cùm ad nuptias vocati sunt. Sed illo more locutionis hoc dictum est, quo loquimur, cùm dicimus apostolum Paulum in Tarso Ciliciæ natum. *Act.* 22. 3. neque enim tunc jam erat apostolus. Ita discipulos Christi invitatos ad nuptias cùm audimus, non jam discipulos, sed qui futuri erant discipuli intelligere debemus. Jam enim utique discipuli Christi erant, quando ista narrata atque conscripta sunt: & ideo sic de illis locutus est temporum præteritorum narrator.

a Edirio Rat. & unus è Colb. MSS. *vivet*, in futuro, juxta Græcum ζήσεται: favente Hebræo Deut. 8 3.

39. Quod

Johan. 2. 12. 39. Quod autem dicit idem Johannes, *Post hoc descendit Capharnaum ipse & mater ejus & fratres ejus & discipuli ejus; & ibi manserunt non multis diebus:* incertum est utrùm jam illi adhæserant, etiam Petrus & Andreas & filij Zebedæi. Matthæus enim primò narrat quòd venerit, & habitaverit in Capharnaum; & postea quòd eos de navibus piscantes vocaverit: iste autem, quòd cum illo Capharnaum venerint discipuli ejus. An fortè Matthæus quod prætermiserat récapitulavit? quia non ait ipse, Post hoc ambulans juxta mare Galilææ, vidit duos fratres; sed sine ulla consequentis temporis differentia, *Ambulans autem*, inquit, *juxta mare Galilææ, vidit duos fratres*, & cetera. Proinde fieri potest, ut postea navaverit, non quod postea factum erat, sed quod priùs prætermiserat, ut cum illo intelligantur venisse Capharnaum, quò Johannes dicit & ipsum & matrem & discipulos ejus venisse. An potiùs alij discipuli fuerunt? sicut eum jam Philippus sequebatur, quem sic vocaverat, ut diceret ei, *Johan.* 1. 43. *Sequere me.* Quo enim ordine vocati sint omnes duodecim Apostoli, in Evangelistarum narrationibus non apparet, quando quidem non tantùm ordo vocationis, sed nec ipsa vocatio commemorata est omnium, sed tantùm Philippi, & Petri, & Andreæ, & filiorum Zebedæi, & Matthæi publicani, qui etiam Levi vocabatur. Singillatim tamen ab eo nomen & primus & solus Petrus accepit. Nam filios Zebedæi non singillatim, sed simul ambos appellavit filios tonitrui.

Ibidem. *Matth.* 9. 9. *Marc.* 2. 14. *Luc.* 5. 10. *Johan.* 1. 41. *Marci* 3. 17.

40. Sanè animadvertendum est, quòd Scriptura Evangelica & Apostolica, non solos illos duodecim appellat discipulos ejus, sed omnes qui in eum credentes, magisterio ejus ad regnum cælorum erudiebantur. Ex quorum multitudine elegit duodecim, quos & Apostolos nominavit, sicut Lucas commemorat. Ipse quippe paulò pòst ait, *Et descendens cum illis stetit in loco campestri, & turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis* Non utique diceret turbam discipulorum, homines duodecim. Aliis quoque Scripturarum locis hoc evidenter apparet, discipulos ejus omnes appellatos qui ab eo discerent quod ad æternam vitam pertineret.

Luc. 6. *v.* 13. *&c.* *v.* 17.

41. Quæri autem potest, quomodo binos vocaverit de naviculis piscatores, primò Petrum & Andream; deinde progressus paululùm, alios duos filios Zebedæi, sicut narrant Matthæus & Marcus: cùm Lucas dicat ambas eorum naviculas impletas magnâ illâ capturâ piscium, socioque Petri commemoret Jacobum & Johannem filios Zebedæi vocatos ad adjuvandum, cùm retia extrahere plena non possent, simulque miratos tantam multitudinem piscium, quæ capta erat: & cùm Petro tantùm dixisset, *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens*; simul eum tamen subductis ad terram navibus secutos fuisse. Unde intelligendum est hoc primò esse factum quod Lucas insinuat: nec tunc eos à Domino vocatos, sed tantùm Petro fuisse prædictum, quòd homines esset capturus. Quod non ita dictum est, quasi jam pisces nunquam esset *Johan.* 21. 3. capturus: nam & post resurrectionem Domini legimus eos esse piscatos. Dictum est ergo, quòd deinceps capturus esset homines: non dictum est, quòd jam non esset capturus pisces. Unde datur locus intelligere eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea fieret quod Matthæus & Marcus narrant, quando eos binos vocavit, & ipse jussit ut eum sequerentur, primò duobus Petro & *Matth.* 4. 18. *&c.* *Marci* 1. 16. *&c.* 19. *Luc.* 5. 7. *&c.*

Andreæ, deinde aliis duobus filiis Zebedæi. Tunc enim non subductis ad terram navibus tamquam curâ redeundi, sed ita eum secuti sunt, tamquam vocantem ac jubentem ut eum sequerentur.

CAPUT XVIII. De tempore secessionis Jesus in Galilæam. 42. ILLUD etiam requirendum est, quomodo Johannes Evangelista antequam Johannes Baptista missus esset in carcerem, dicit Jesum isse in Galilæam. (Postea enim quàm commemoravit, quòd in Cana Galilææ fecit de aqua vinum, & descendit Capharnaum cum matre & discipulis, & ibi manserunt non multis diebus, dicit eum deinde adscendisse Jerosolymam propter Pascha; post hæc ve- *Johan.* 2. 23. nisse in Judæam terram & discipulos ejus, & illic *Johan.* 3. 22. demoratum cum eis & baptizantem: ubi secutus ait, * *Erat autem & Iohannes baptizans in Aenon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic: & adveniebant, & baptizabantur:* * *nondum enim missus erat in* *v.* 24. *carcerem Iohannes.*) Matthæus autem dicat, *Cùm autem audisset quòd Iohannes traditus esset, secessit in* *Matth.* 4. 12. *Galilæam.* Similiter & Marcus, *Postea quàm autem* *Marci* 1. 14. *traditus est*, inquit, *Iohannes, venit Iesus in Galilæam.* Lucas etiam nihil quidem dicit de tradito Johanne, sed tamen & ipse post baptismum & tentationem Christi dicit eum isse in Galilæam, sicut illi duo. Nam ita contexit narrationem suam: * *Et consum-* *Luc.* 4. *v.* 13. *mata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* * *Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Ga-* *v.* 14. *lilæam, & fama exiit per universam regionem de illo.* Unde intelligitur hos tres Evangelistas non Johanni Evangelistæ contraria narrasse, sed prætermisisse primum Domini adventum in Galilæam postea quàm baptizatus est, quando illic aquam convertit in vinum; tunc enim nondum erat traditus Johannes: eum verò adventum ejus in Galilæam connexuisse narrationibus suis, qui post Johannem traditum factus est: de quo ejus reditu in Galilæam ipse Johannes Evangelista sic loquitur: * *Vt ergo cogno-* *Johan.* 4. *v.* 1. *vit Iesus, quia audierunt Pharisæi quia Iesus plures discipulos facit & baptizat quàm Iohannes,* (* *quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli ejus,*) * *reli-* *v.* 2. *v.* 3. *quit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam.* Tunc ergo intelligimus jam fuisse traditum Johannem, Judæos verò audisse quòd plures discipulos faceret & baptizaret, quàm fecerat & baptizaverat Johannes.

CAPUT XIX. De sermone habito in monte: *Matth.* 5. 2. 43. JAM nunc de illo sermone prolixo, quem secundùm Matthæum in monte habuit Dominus, videamus utrùm ei ceteri Evangelistæ nihil adversari videantur. Marcus quippe non eum commemoravit omnino, nec aliquid ejus simile dixit, nisi quasdam sententias, non contextim, sed sparsim, quas Dominus locis aliis repetivit. Reliquit tamen locum in textu narrationis suæ, ubi intelligamus hunc dictum esse sermonem, sed ab eo prætermissum: *Et erat*, inquit, *prædicans in synagogis eorum*, *Marci* 1. 39. *& omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.* In hac prædicatione quam dicit eum habuisse in omni Galilæa, intelligitur etiam sermo iste habitus in monte, cujus commemorationem facit Matthæus. Namque idem Marcus ita sequitur, *Et venit ad eum leprosus* *ibidem* 40. *deprecans eum, & genu flexo dixit, Si vis, potes me* *mundare*, & cetera de hoc leproso mundato talia connectit, ut ipse intelligatur, quem Matthæus commemorat tunc esse mundatum, quando post illum sermonem Dominus de monte descendit. Sic enim ait Matthæus: * *Cùm autem descendisset de* *Matth.* 8. *v.* 1. *monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.* * *Et ecce leprosus* *v.* 2. *veniens adorabat eum, dicens, Domine si vis, potes me* *mundare*, & cetera.

Lucæ 4. 12. 44. Hujus leprosi etiam Lucas meminit, non A sanè hoc ordine, sed ut solent prætermissa recordari, vel posteriùs facta præoccupare, sicut divinitus suggerebantur, quæ antea cognita, postea recordando conscriberent. Verumtamen idem Lucas sermonem etiam ipse Domini prolixum narravit, ubi etiam sic exorsus est, ut in isto Matthæus. Hic *Matth. 5. 3.* enim dixit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum* *Lucæ 6. 20.* *est regnum cælorum:* & ille, *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Deinde multa quæ sequuntur etiam in Lucæ narratione similia sunt. Et ad extremum sermonis ipsa conclusio prorsus eadem reperitur, de homine prudente, qui ædificat super pe- *Ibidem 49. Matth. 7. 26.* tram, & de stulto qui ædificat super arenam: nisi quòd ibi flumen tantùm dicit illisum domui, non & pluviam & ventos, sicut Matthæus. Posset ergo facillimè credi, eumdem etiam ipse Domini interposuisse sermonem, aliquas autem prætermisisse sententias, quas Matthæus posuit: item alias posuisse, quas iste non dixit: quasdam etiam non iisdem verbis, custodita tamen veritatis integritate, C similiter explicasse.

45. Posset hoc, sicut dixi, facillimè credi, nisi *Matth. 5 1.* moveret quòd Matthæus in monte dicit hunc ha- *Lucæ 6. 17.* bitum esse sermonem à Domino sedente; Lucas autem in loco campestri à Domino stante. Hæc itaque diversitas facit videri, alium fuisse illum, alium istum. Quid enim prohiberet Christum alibi quædam repetere quæ jam antea dixerat, aut iterum quædam facere quæ antea jam fecerat? Non sanè istos duos sermones, quorum unum Matthæus, alterum Lucas inseruit, longâ temporis distantiâ separari, hinc probabiliter creditur, quòd & antè & postea quædam similia vel eadem ambo narrarunt, ut non absurdè sentiatur eorum narrationes hæc interponentium in eisdem locis & diebus esse *Matth. 4. v.* versatas. Nam Matthæus hoc ita dicit, * *Et secutæ* *25.* *sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, &* *Matth. 5. v.* *Ierosolymis, & Iudæa & de trans Iordanem.* * *Videns* *1.* *autem turbas ascendit in montem, & cùm sedisset ac-* *v. 2.* *cesserunt ad eum discipuli ejus.* * *Et aperiens os suum do-* E *v. 3.* *cebat eos dicens,* * *Beati pauperes spiritu, quoniam ip-* *sorum est regnum cælorum,* & cetera. Hîc potest videri multas turbas vitare voluisse, & ob hoc adscendisse in montem; tamquam secedendo à turbis, ut solis suis discipulis loqueretur. Cui rei videtur ad- *Lucæ 6. v.* testari etiam Lucas, ita narrans: * *Factum est autem* *12.* *in illis diebus, exiit in montem orare, & erat perno-* *v. 13.* *ctans in oratione Dei.* * *Et cùm dies factus esset, voca-* *vit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos* *v. 14.* *& Apostolos nominavit:* * *Simonem quem cognomina-* F *vit Petrum, & Andream fratrem ejus, Iacobum &* *v. 15.* *Iohannem, Philippum & Bartholomæum,* * *Mat-* *thæum & Thomam, Iacobum Alphæi & Simonem qui* *v. 16.* *vocatur Zelotes,* * *Iudam Iacobi & Iudam Scarioth,* *v. 17.* *qui fuit proditor.* * *Et descendens cum illis stetit in loco* *campestri, & turba discipulorum ejus, & multitudo* *copiosa plebis, ab omni Iudæa & Ierusalem & mariti-* *v. 18.* *ma & Tyri & Sidonis,* * *qui venerant ut audirent eum* *& sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à* *v. 19.* *spiritibus immundis, curabantur.* * *Et omnis turba quæ-* G *rebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sa-* *v. 20.* *nabat omnes.* * *Et ipse elevatis oculis in discipulos suos* *dicebat, Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei,* &c. Hîc potest intelligi cùm in monte duodecim discipulos elegit ex pluribus, quos Apostolos nominavit, quod Matthæus prætermisit, tunc illum habuisse sermonem, quem Matthæus interposuit, & Lucas tacuit, hoc est in monte: ac deinde cùm descendisset, in loco campestri habuisse alterum similem, de quo Matthæus tacet, Lucas non tacet: & utrumque sermonem eodem modo esse conclusum.

46. Quod autem Matthæus isto sermone terminato sequitur & dicit, *Et factum est, cùm consummas-* *Matth. 7.* *set Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super do-* *28.* *ctrina ejus*, potest videri discipulorum turbas dixisse, ex quibus illos duodecim elegerat. Quod verò mox ait, * *Cùm autem descendisset de monte, secutæ* *Matth. 8. v.* *sunt eum turbæ multæ:* * *& ecce leprosus veniens adora-* *1.* *bat eum*, potest intelligi post utrumque sermonem *v. 2.* factum fuisse, non solùm quem Matthæus, verùm etiam quem Lucas interponit. Neque enim apparet post descensionem de monte quantum temporis fuerit interpositum: sed hoc solum voluit significare Matthæus, post illam descensionem multas turbas fuisse cum Domino, quando leprosum mundavit, non quantum temporis interfuerit: præser- tim cùm eumdem leprosum Lucas jam in civitate *Lucæ 5. 12.* posito Domino dicat esse mundatum, quod Matthæus dicere non curavit.

47. Quamquam etiam illud possit occurrere, in aliqua excelsiore parte montis primò cum solis discipulis Dominum fuisse, quando ex eis illos duodecim elegit: deinde cum eis descendisse, non de monte, sed de ipsa montis celsitudine in campestrem locum, id est, in aliquam æqualitatem, quæ in latere montis erat, & multas turbas capere potebat; atque ibi stetisse donec ad eum turbæ congregarentur: ac postea cùm sedisset, accessisse propinquiùs discipulos ejus, atque ita illis ceterisque turbis præsentibus unum habuisse sermonem, quem Matthæus Lucasque narrarunt, diverso narrandi modo, sed eadem veritate rerum & sententiarum, quas ambo dixerunt. Jam enim prænuimus, quod & nullo prænonente unicuique sponte videndum fuit, si quis prætermittat aliquid quod alius dicat, non esse contrarium; nec si alius alio modo aliquid dicat, dum eadem rerum sententiarumque veritas explicetur: ut quod Matthæus ait, *Cùm au-* *Matth. 8. 1.* *tem descendisset de monte*, simul etiam de illo campestri loco qui in latere montis esse potuit, intelligatur. Deinde Matthæus de leproso mundato narrat, quod etiam Marcus & Lucas similiter. *Ibidem 2. Marci 1. 40. Lucæ 5. 12.*

CAPUT XX. De Centurionis accessu ad Jesum quo modo Matthæus Lucasque consentiant.

48. POST hæc Matthæus sequitur, & dicit: * *Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad illum* *Centurio, rogans eum,* * *& dicens, Domine, puer meus* *jacet in domo paralyticus, & malè torquetur,* & cetera, usque ad eum locum ubi ait, *Et sanatus est puer* *ex illa hora.* Hoc de puero Centurionis etiam Lucas commemorat: non, sicut iste, post leprosum mundatum, quem ille postea recordatus commemoravit, sed post finem illius prolixioris sermonis, quod ita conjungit: * *Cum autem implesset omnia* *verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum:* * *Cen-* *turionis autem cujusdam servus malè habens erat mo-* *riturus, qui illi erat pretiosus*, &c. usque in eum locum quo sanatus est. Hîc intelligendum est, cùm implesset quidem omnia verba sua in aures plebis, intrasse Christum Capharnaum, hoc est, quia non antequam hæc verba terminasset intravit: sed non esse expressum post quantum temporis intervallum cùm istos sermones terminasset intraverit Capharnaum. Ipso quippe intervallo leprosus ille mundatus est, quem loco suo Matthæus interponit, iste autem postea recordatur. *Matth. 8. v. 5. v. 8. Lucæ 7. v. 1. v. 2.*

49. Jam ergo videamus utrùm sibi de hoc servo A non expressit Matthæus. Non enim post quod narratur, post hoc etiam factum necesse est intelligatur. Nimirum tamen iste hoc recoluisse intelligitur, quod priùs omiserat. Nam id Marcus narrat ante- *Marci 1. 29.* quam illud de leproso mundato commemoret, *&c.* quod post sermonem in monte habitum, de quo ipse tacuit, videtur interposuisse. Itaque & Lucas *Lucæ 4. 38.* post hoc factum narrat de socru Petri, post quod & Marcus, ante sermonem etiam ipse, quem prolixum interposuit, qui potest idem videri quem dicit habitum in monte Matthæus. Quid autem interest B quis quo loco ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recolit, sive quod postea factum antè præoccupat: dum tamen non adversetur eadem vel alia narranti, nec sibi, nec alteri? Quia enim nullius in potestate est, quamvis optimè fideliterque res cognitas, quo quisque ordine recordetur; (quid enim priùs posteriúsve homini veniat in mentem, non est ut volumus, sed ut datur:) satis probabile est quòd unusquisque Evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea ipsa quæ narrabat ejus recordationi suggerere, in eis dumtaxat rebus, quarum ordo, sive ille, sive ille sit, nihil minuit auctoritati veritatique Evangelicæ.

52. Cur autem Spiritus-sanctus dividens propria *1. Cor. 12. 11.* unicuique prout vult, & ideo mentes quoque sanctorum propter libros in tanto auctoritatis culmine collocandos, in recolendo quæ scriberent sine dubio gubernans & regens, alium sic, alium verò sic narrationem suam ordinare permiserit, quisquis D piâ diligentiâ quæsiverit, divinitus adjutus poterit invenire. Hoc tamen non est hujus operis munus, quod nunc suscepimus, tantùm ut demonstremus Evangelistas, neque sibi neque inter se repugnare, quolibet ordine, vel eadem res, vel alias factorum dictorumque Christi unusquisque eorum potuerit voluerit ve narrare. Quapropter ubi ordo temporum non apparet, nihil nostra interesse debet, quem narrandi ordinem quilibet eorum tenuerit: ubi au- E tem apparet, si quid moverit quod sibi aut alteri repugnare videatur, utique considerandum & enodandum est.

Matth. 8. v. 5. *v. 6.* *Lucæ 7. v. 3.* *v. 4.* *v. 5.* *v. 6.* *v. 7.* Perventores. thæus enim dicit, * *Accessit ad eum Centurio, rogans* *eum,* * *& dicens, Puer meus jacet in domo paralyticus.* Cui videtur repugnare quod ait Lucas, * *Et cùm au-* *disset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans* *eum ut veniret, & salvaret servum ejus.* * *At illi cùm* *venissent ad Iesum rogabant eum sollicitè, dicentes ei,* *Quia dignus est, ut hoc illi præstes:* * *diligit enim gen-* *tem nostram, & synagogam ipse ædificavit nobis.* * *Ie-* *sus autem ibat cum illis: & cùm jam non longè esset à* *domo, misit ad eum Centurio amicos dicens, Domine* *noli vexari: non enim dignus sum ut sub tectum meum* *intres;* * *propter quod & meipsum non sum dignum ar-* *bitratus ut venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur* *puer meus.* Si enim hoc ita gestum est, quomodo erit verum quod Matthæus narrat, *Accessit ad eum* *quidam Centurio*, cùm ipse non accesserit, sed amicos miserit? nisi diligenter advertentes intelligamus Matthæum non omni modo deseruisse usitatum morem loquendi. Non solùm enim dicere solemus, C accessisse aliquem etiam antequam perveniat illuc, quò dicitur accessisse; unde etiam dicimus, Parum accessit, vel multum accessit, eò quò appetit pervenire: verùm etiam ipsam perventionem cujus adipiscendæ causa acceditur, dicimus plerumque factam, etsi eum ad quem pervenit, non videat ille, qui pervenit, cùm per amicum pervenit ad aliquem, cujus ei favor est necessarius. Quod ita tenuit consuetudo, ut jam etiam vulgò perventores appellentur, qui potentium quorumlibet tamquam D inaccessibiles animos, per convenientium personarum interpositionem, ambitiõnis arte pertingunt. Si ergo ipsa perventio usitatè dicitur per alios fieri, quantò magis accessus per alios fieri potest, qui plerumque infra perventionem remanet, quando potuerit quisque plurimum quidem accedere, sed tamen non potuerit pervenire? Non ergo absurdè Matthæus, etiam quod vulgò possit intelligi, per alios facto accessu Centurionis ad Dominum, compendio dicere voluit, *Accessit ad eum Centurio.*

50. Verumtamen non negligenter intuenda est etiam sancti Evangelistæ altitudo mysticæ locutio- *Psal. 33. 6.* nis, secundùm quam scriptum est in Psalmo, Accedite ad eum, & illuminamini. Proinde quia fidem Centurionis, qua verè acceditur ad Jesum, *Matth. 8. 10.* ipse ita laudavit ut diceret, *Non inveni tantam fidem* *in Israël;* ipsum potiùs accessisse ad Christum dicere voluit prudens Evangelista, quàm illos per quos verba sua miserat. Porrò autem Lucas ideo totum quemadmodum gestum esset aperuit, ut ex hoc intelligere cogeremur, quemadmodum eum accessisse dixerit alius qui mentiri non potuit. Sic enim & *Matth. 9.* illa mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, quam- *20.* vis simbriam vestimenti ejus tenuerit, magis tamen tetigit Dominum, quàm illæ turbæ à quibus premebatur. Ut enim hæc quo magis credidit, eo magis tetigit Dominum: ita & Centurio quo magis credidit, eo magis accessit ad Dominum. Jam cetera in hoc capitulo quæ alter dicit, & alter prætermittit, superfluò pertractantur; cùm ex illa re- G gula primitus commendata nihil inveniantur habere contrarium.

CAPUT XXI. De socru Petri quo ordine narratum sit.

51. SEQUITUR Matthæus & dicit: * *Et cùm* *venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum ejus ja-* *Matth. 8. v. 14. v. 15.* *centem & febricitantem:* * *& tetigit manum ejus, &* *dimisit eam febris, & surrexit & ministrabat eis.* Hoc quando factum sit, id est, post quid vel ante quid,

CAPUT XXII. De ordine rerum quæ postea narrantur, quomodo nihil dissentiant Evangelistæ.

53. SEQUITUR ergo Matthæus dicens, * *Ves-* *pere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia ha-* *bentes: & ejiciebat spiritus verbo, & omnes malè ha-* *bentes curavit:* * *ut adimpleretur quod dictum est per* *Isaiam prophetam dicentem, Ipse infirmitates nostras* *accepit, & ægrotationes portavit.* Hoc ad ejusdem diei tempus pertinere satis indicat, cùm conjungit, F *Vespere autem facto.* Sic & Marcus cum de ipsa so- cru Petri sanata dixisset, * *Et ministrabat eis*: hoc idem subjecit, * *Vespere autem facto cùm occidisset* *Matth. 8. v. 16. v. 17. Isa. 53. 4. Marci 1. v. 31. v. 32. v. 33. v. 34.* *sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæ-* *monia habentes:* * *& erat omnis civitas congregata ad* *januam:* * *& curavit multos qui vexabantur variis* *languoribus; & dæmonia multa ejiciebat; & non sine-* *bat ea loqui, quoniam sciebant eum.* * *Et diluculo val-* *de surgens egressus est, & abiit in desertum locum.* Videtur hîc ordinem tenuisse Marcus, ut post illud G quod dictum est, *Vespere autem facto*, deinde diceret, *Et diluculo valde surgens.* Quamvis nec illud necesse sit, ubi dicitur, *Vespere autem facto*, ejusdem diei vesperum accipere; nec ubi dicitur, *diluculo*, ejusdem noctis diluculum: tamen utcumque videri potest hîc rerum gestarum ordo servatus, propter digestum ordinem temporum. Lucas quoque cùm de socru Petri narrasset, non ait ipse, *Ves-* *Matth. 8. v. 35.*

pere autem facto: sed tamen quod idem significaret adjunxit, dicens, * *Cùm sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens curabat eos.* * *Exibant etiam dæmonia à multis clamantia & dicentia, Quia tu es Filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* * *Facta autem die, egressus ibat in desertum locum.* Et hîc videmus eumdem prorsùs ordinem temporum custoditum, quem comperimus apud Marcum. Matthæus autem qui videtur non ordine quo gestum est, sed quo prætermissum recolit, hoc de socru Petri commemorasse, postea quàm narravit quid ipso die, facto etiam vespere, gestum sit, jam non subjungit diluculum, sed ita narrat: *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.* Jam hoc aliud est, non illud quod Marcus & Lucas contexunt, qui post vesperum diluculum ponunt. Quod ergo hîc dictum est, *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum*, aliud eum recordatum interposuisse debemus accipere; quòd die quodam cùm vidisset Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.

Luc. 4. v. 40. — v. 41. — v. 42. — Matth. 8. 18.

CAPUT XXIII. De illo qui ait Domino, Sequar te &c. quo ordine ab Evangelistis narretur.

54. DEINDE quod subjungit, *Et accedens unus Scriba ait illi, Magister sequar te quocumque ieris*, usque ad illud ubi ait, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*: hoc similiter narrat & Lucas. Sed ille post plura, nec ipse sanè expresso ordine temporum, sed recordantis modo: utrùm quòd priùs omisit, an quòd posteriùs etiam factum quàm sunt ea quæ sequuntur, præoccupavit, incertum est. Ita enim dicit: *Factum est autem ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum, Sequar te quocumque ieris.* Et respondit ei prorsùs, eadem quæ Matthæus commemorat. Quod autem Matthæus dicit tunc istud gestum esse, quando jussit ut irent trans fretum, Lucas verò, ambulantibus illis in via, non est contrarium: quia in via utique ambularunt, ut venirent ad fretum. Et de illo qui petit primùm sepelire patrem suum, Matthæus & Lucas omnino consentiunt. Quod enim Matthæus primò ejusdem verba posuit hoc propter patrem suum petentis, & deinde Domini dicentis, *Sequere me*, Lucas autem primò Domini dicentis, *Sequere me*, & deinde illius hoc petentis, ad sententiam nihil interest. Commemoravit Lucas & alium dixisse, *Sequar te Domine, sed primùm permitte mihi renuntiare his* [a] *qui domi sunt*: de quo tacet Matthæus. Inde jam Lucas in aliud perrexit, non in illud quod ordine temporis sequebatur. *Post hæc autem*, inquit, *designavit Dominus & alios septuaginta-duos.* Post hæc quidem, manifestè; sed quanto temporis intervallo post hæc fecerit illud Dominus, non apparet. In ipso tamen intervallo fit quod deinceps Matthæus subjungit: nam idem Matthæus ordinem temporum adhuc tenet, ita narrans.

Matth. 8. 19 &c. — Luc. 9. 57. — Ibidem 61. a — Luc. 10. 1.

CAPUT XXIV. Quæ gesta seu dicta sunt, cùm Christus mare sedavit, & de dæmoniis permissis ire in porcos.

55. ET *adscendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus: & ecce motus magnus factus est in mari*: usque ad illud ubi ait, *Et venit in civitatem suam.* Ista duo facta continuatim quæ narrat Matthæus de tranquillato mari, postea quàm ventis imperavit Jesus à somno excitatus, & de illis qui habebant sævum dæmonium, ruptisque vinculis agebantur in desertum, similiter narrant Marcus & Lucas: verbis aliis dictæ sunt ab alio atque alio quædam sententiæ, non tamen aliæ; velut illud quod eum dicit dixisse Matthæus, *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Marcus ita dicit, *Quid timidi estis, nec dum habetis fidem?* id est, illam perfectam, velut granum sinapis. hoc ergo & ille ait, *modicæ fidei.* Lucas autem, *Ubi est fides vestra?* Et totum quidem dici potuit, *Quid timidi estis? Ubi est fides vestra? Modicæ fidei.* Unde aliud hic, aliud ille commemorat. Et illud quod excitantes eum dixerunt, Matthæus sic, *Domine salva nos, perimus*: Marcus, *Magister, non ad te pertinet quia perimus?* Lucas, *Præceptor perimus*: una eademque sententia est excitantium Dominum, volentiumque salvari: nec opus est quærere quid horum potiùs Christo dictum sit. Sive enim aliquid horum trium dixerint, sive alia verba quæ nullus Evangelistarum commemoravit, tantumdem tamen valentia ad eamdem sententiæ veritatem, quid ad rem interest? Quamquam & hoc fieri potuit, ut pluribus eum simul excitantibus, omnia hæc, aliud ab alio dicerentur. Item quòd sedata tempestate dixerunt secundùm Matthæum, *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Secundùm Marcum, *Quis putas est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?* Secundùm Lucam, *Quis putas hic est, quia & ventis imperat & mari, & obediunt ei?* quis non videat unam esse sententiam? Tantumdem enim prorsùs valet, *Quis putas est iste*, & *Qualis est hic*: & ubi non est dictum, *imperat*, utique consequenter intelligitur, quia imperanti obeditur.

Luc. 8. 22. &c. — Matth. 8. 27. — Marci 4. 40. — Luc. 8. 25.

56. Quod verò Matthæus duos dicit fuisse, qui legionem illam dæmonum patiebantur, quæ in porcos ire permissa est, Marcus autem & Lucas unum commemorant: intelligas unum eorum fuisse personæ alicujus clarioris & famosioris, quem regio illa maximè dolebat, & pro cujus salute plurimum satagebat. Hoc volentes significare duo Evangelistæ, solum commemorandum judicaverunt, de quo facti hujus fama latiùs præclariúsque fragraverat. Nec quòd verba dæmonum diversè ab Evangelistis dicta sunt, habet aliquid scrupuli; cùm vel ad unam redigi sententiam, vel omnia dicta possint intelligi. Nec quia pluraliter apud Matthæum, apud illos autem singulariter loquitur; cùm & ipsi narrent, quòd interrogatus quid vocaretur, legionem se esse respondit, eo quòd multa essent dæmonia. Nec quod Marcus dixit circa montem fuisse gregem porcorum, Lucas autem in monte, quidquam repugnat. Grex enim porcorum tam magnus fuit, ut aliquid ejus esset in monte, aliquid circa montem. Erant enim duo millia porcorum, sicut Marcus expressit.

Matth. 8. 28. — Marci 5. 2. — Luc. 8. 27. — Marci 5. 13.

CAPUT XXV. De paralytico qui oblatus fuit in grabato.

57. HINC ergo sequitur Matthæus, adhuc temporum ordinem servans, atque ita narrationem contexit: * *Et adscendens in naviculam transfretavit, & venit in civitatem suam.* * *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto*, &c. usque ad illud quod ait, * *Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* De hoc paralytico dixerunt etiam Marcus & Lucas. Quod ergo Matthæus dicit Dominum dixisse, *Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua*: Lucas autem non dixit *Fili*, sed *homo*: ad sententiam Domini expressiùs insinuandam valet; quia homini dimittebantur peccata, qui hoc ipso quòd homo erat, non posset dicere, Non peccavi: simul etiam ut ille, qui homini dimittebat, intelligeretur Deus. Marcus autem hoc dixit quod & Matthæus, sed non dixit, *Confide*. Potuit quidem

Matth. 9. — Marci 2. 1. — Matth. 9. v. 1. — Marci 2. 3. — Luc. 5. 18.

[a] Sic MSS. & editio Rat. quibus consentit Aug. Speculum & Corbeiensia Biblia. At Er. & Lov. habent, *iis quæ domi sunt.*

& ita dici: Confide homo, dimittuntur tibi peccata fili, aut, Confide fili, dimittuntur tibi peccata homo: aut quolibet verborum ordine congruenti.

58. Illud sanè potest movere, quod de isto paralytico Matthæus ita narrat: * *Et adscendens in naviculam transfretavit, & venit in civitatem suam:* * *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto:* Marcus autem non hoc in ejus civitate factum dicit, quæ utique Nazareth vocatur, sed in Capharnaum, quod ita narrat: * *Et iterum intravit in Capharnaum post dies:* * *& auditum est quòd in domo esset: & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam: & loquebatur eis verbum.* * *Et venerunt ferentes ad eum paralyticum, qui à quatuor portabatur.* * *Et cùm non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat, & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.* * *Cùm vidisset autem Jesus fidem illorum*, &c. Lucas autem non commemorat quo in loco factum sit, sed ita dicit: * *Et factum est in una dierum, & ipse sedebat docens: & erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ & Judææ & Jerusalem: & virtus erat Domini ad sanandos eos.* * *Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum:* * *& non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, adscenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt illum cum lecto in medium ante Jesum.* * *Quorum fidem ut vidit, dixit, Homo remittuntur tibi peccata tua* &c. Remanet igitur quæstio inter Marcum & Matthæum, quòd Matthæus ita scribit, tamquam in civitate Domini factum sit, Marcus autem in Capharnaum. Quæ difficilius solveretur, si Matthæus etiam Nazareth nominaret: nunc verò cùm potuerit ipsa Galilæa dici civitas Christi, quia in Galilæa erat Nazareth: sicut universum regnum in tot civitatibus constitutum, dicitur Romana civitas; cùmque in tot gentibus constituta civitas sit, de qua scriptum est, Gloriosissima dicta sunt de te civitas Dei; & cùm ipse prior populus Dei in tot civitatibus habitans, etiam una domus dictus sit domus Israël; quis dubitaverit in civitate sua hoc fecisse Jesum, cùm hoc fecerit in civitate Capharnaum civitate Galilææ, quò transfretando redierat de regione Gerasenorum, ut veniens in Galilæam, rectè diceretur venisse in civitatem suam, in quocumque oppido esset Galilææ? præsertim quia & ipsa Capharnaum ita excellebat in Galilæa, ut tamquam metropolis haberetur. Quòd si prorsus non liceret accipere civitatem Christi, vel ipsam Galilæam, in qua erat Nazareth, vel ipsam Capharnaum, quæ sicut caput Galilææ civitatibus eminebat; diceremus Matthæum prætermisisse, quæ gesta sunt, postea quàm venit Jesus in civitatem suam, donec veniret Capharnaum, & hoc adjunxisse de sanato paralytico: sicut in multis ita faciunt, prætermittentes media, tamquam hoc continuò sequatur, quod sine ulla prætermissionis suæ significatione subjungunt.

Luc. 5. v. 17. — v. 18. — v. 19. — v. 20. — Psal. 86 3. — Isa 5. 7. Jer. 3 20. Ezech. 3. 4. &c.

CAPUT XXVI. De Matthæi vocatione.

59. HINC ergo sequitur Matthæus, dicens: *Et cùm transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me: & surgens secutus est eum.* Hoc Marcus ita narrat, eumdem etiam ipse ordinem tenens post illius paralytici sanitatem: * *Et egressus est*, inquit, *ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos.* * *Et cùm præteriret, vidit* [a] *Levi Alphæi sedentem ad telonium, & ait illi, Sequere me. & surgens secutus est eum.* Nil hîc repugnat, ipse est enim Matthæus qui & Levi. Lucas etiam hoc post eumdem paralyticum sanatum ita subjungit: * *Et post hæc exiit, & vidit publicanum nomine Levi sedentem ad telonium, & ait illi, Sequere me.* * *Et relictis omnibus, surgens secutus est eum.* Hinc autem probabilius videtur quòd hæc prætermissa recordando Matthæus commemorat: quia utique ante illum sermonem habitum in monte, credendum est vocatum esse Matthæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat omnes duodecim ex plurimis discipulis electos, quos & Apostolos nominavit.

Marci 2. v. 1. — v. 2. — v. 3. — v. 4. — v. 5. — Luc. 5. v. 17. — v. 18. — v. 19. — v. 20. — Luc. 6. 13.

CAPUT XXVII. Convivium cani, & quæ illic objecta Christo, atque ab ipso responsa. Matth. 9. v. 10. v. 17.

60. SEQUITUR itaque Matthæus, & dicit: * *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Jesu & discipulis ejus*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.* Hîc Matthæus non expressit in cujus domo discumbebat Jesus cum publicanis & peccatoribus: unde posset videri non hoc ex ordine subjunxisse, sed quod alio tempore factum est recordatus interposuisse, nisi Marcus & Lucas qui hoc omnino similiter narrant, manifestarent in domo Levi, hoc est Matthæi, discubuisse Jesum, & dicta illa omnia quæ sequuntur. Ita enim Marcus hoc idem dicit, eumdem ordinem servans: *Et factum est, cùm accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Jesu.* Cùm ergo dicit, *in domo illius*; exprimit utique illum, de quo superiùs loquebatur, id est Levi. Sic & Lucas cùm dixisset, *Ait illi, Sequere me: & relictis omnibus surgens secutus est eum*: continuò subjecit, * *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua*; & *erat turba multa publicanorum & aliorum, qui cum illis erant discumbentes.* Manifestum est itaque in cujus domo ista gerebantur.

Marci 2. 15. — Luc. 5. v. 27. & 28. — v. 29.

61. Jam ipsa verba videamus, vel quæ Domino dicta, vel quæ ab illo responsa omnes isti tres Evangelistæ posuerunt. Matthæus, *Et videntes*, inquit, *Pharisæi, dicebant discipulis ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* Totidem penè verbis hoc ait & Marcus, *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester?* Prætermissum est ergo à Matthæo quod iste addidit, *& bibit.* Sed quid ad rem, cùm plena sit sententia, insinuans pariter convivantes? Lucas autem aliquantò differentiùs hoc videtur commemorasse: *Et murmurabant*, inquit, *Pharisæi & Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?* Non utique magistrum eorum [b] nolens illic intelligi; sed simul omnibus, & ipsi & discipulis ejus hoc objectum insinuans: non tamen ei dictum, sed illis, quod & de ipso & de illis acciperetur. Nam utique & ipse Lucas ita dicit Dominum respondisse, *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam*: quod non eis respondisset, nisi quod dixerant, *manducatis & bibitis*, ad ipsum maximè pertineret. Propterea etiam Matthæus & Marcus de illo discipulis ejus hoc objectum esse narrarunt, quia & cùm de discipulis dicebatur, magistro magis objiciebatur, quem sectando imitabantur. Una ergo sententia est, & tantò melius insinuata, quantò quibusdam verbis manente veritate, variata. Item quod Matthæus refert Dominum respondisse, * *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* * *Euntes au-*

Matth. 9. 11. — Marci 2. 16. — Luc. 5. 30. — Ibidem 32. — Matth. 9. v. 12. v. 13.

[a] In plerisque MSS. *Levin Alphæi.* Sic etiam in vet. Corb. Bibl. [b] Sic MSS. cum Er. At Rat. & Lov. *volens.* mendosè.

Osee 6. 6. *tem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.*
Marci 2. 17. Marcus quoque & Lucas eisdem penè verbis eamdem sententiam tenuerunt, nisi quòd ambo non interponunt illud ex Propheta testimonium, *Misericordiam volo, quàm sacrificium.* Lucas autem cùm
Luca 5. 32. dixisset, *Non veni vocare justos, sed peccatores*, addidit, *in pœnitentiam:* quod ad explanandam sententiam valet, ne quisquam peccatores ob hoc ipsum quòd peccatores sunt, diligi arbitretur à Christo: cùm & illa similitudo de ægrotis bene intimet B quid velit Deus vocando peccatores, tamquam medicus ægros, utique ut ab iniquitate tamquam ab ægritudine salvi fiant: quod fit per pœnitentiam.

Matth. 9. 14. 62. Item quod dicit Matthæus, *Tunc accesserunt ad eum discipuli Iohannis, dicentes, Quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter?* Marcus similiter in-
Marci 2. 18. tulit, dicens, *Et erant discipuli Iohannis & Pharisæi jejunantes; & veniunt, & dicunt illi, Cur discipuli Iohannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?* nisi quòd iste putari potest addidisse C Pharisæos, quòd simul cum discipulis Johannis hoc dixerint, cùm Matthæus tantùm discipulos Johannis hoc dixisse perhibeat. Sed verba ipsa quæ illos dixisse apud Marcum legitur, magis indicant alios hoc dixisse de aliis, id est convivas qui aderant venisse ad Jesum, quia jejunabant discipuli Johannis & Pharisæi, & hoc ei de illis dixisse: ut quod ait, *veniunt*, non de ipsis dixerit, de quibus interposuerat, *Et erant discipuli Iohannis & Pharisæi jejunantes:* sed cùm isti essent jejunantes, veniunt illi quos D hoc movet, & dicunt illi, *Cur discipuli Iohannis & Pharisæorum jejunant, tui autem non jejunant?* Quod Lucas evidentiùs expressit, ita hoc idem intimans, cùm dixisset, quid eis responderit Dominus de vo-
Luca 5. 33. catione peccatorum, tamquam ægrotorum: *At illi*, inquit, *dixerunt ad eum, Quare discipuli Iohannis jejunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum? tui autem edunt & bibunt?* Ergo & hic, sicut Marcus, alios de aliis hoc dixisse narravit. Unde ergo Matthæus, *Tunc accesserunt ad eum dis-* E *cipuli Iohannis dicentes, Quare nos & Pharisæi jejunamus?* nisi quia & ipsi aderant, & omnes certatim, ut quisque poterat, hoc objecerunt: quorum sententia diverso loquendi modo, sed tamen à veritate non alieno, à tribus Evangelistis insinuata est.

Matth. 9. 15. 63. Item illud de sponsi filiis, quia non jejunabunt quamdiu cum eis est sponsus, similiter interMarci 2. 19. posuerunt Matthæus & Marcus: nisi quòd Marcus filios nuptiarum appellavit, quos ille sponsi; quod ad rem nihil interest. Filios quippe nuptiarum non F tantùm sponsi, sed etiam sponsæ intelligimus. Eadem ergo est aperta sententia, non altera adversa.
Luca 5. 34. Lucas autem non ait, Numquid possunt filij sponsi jejunare: sed ait, *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare?* in quo & ipse ad aliud quiddam insinuandum, eamdem sententiam eleganter aperuit. Sic enim intelligitur, eosdem ipsos qui loquebantur fuisse facturos, ut lugentes jejunarent filij sponsi, quoniam ipsi essent sponsum occisuri. Quod autem dixit Matthæus lugere, hoc G
Matth. 9. 15. Marcus & Lucas jejunare: quia & ille postea, *tunc jejunabunt*, ait; non, tunc lugebunt. Verùm illo verbo significavit de tali jejunio Dominum locutum, quod pertinet ad humilitatem tribulationis: ut illud alterum, quod pertinet ad gaudium mentis in spiritalia suspensæ, atque ob hoc alienatæ quodammodo à corporalibus cibis, posterioribus A similitudinibus Dominus significasse intelligatur, de panno novo & de vino novo, id ostendens quòd *Ibidem 16. & 17.* animalibus atque carnalibus circa corpus occupatis, & obhoc veterem adhuc sensum trahentibus, hoc genus jejunij non congruat, quas similitudines & alij duo similiter explicarunt. Jam enim satis in promtu est, nihil esse contrarium, si quid alius dicit, quod alius prætermittit, seu verbi, seu rei; dum vel ab eadem sententia non recedatur, vel quæ fortè alia ponitur, alij non adversetur.

64. SEQUITUR deinde Matthæus adhuc tem- CAPUT XXVIII. De Jairi filia suscitata, & de hæmorrhoissa. porum ordinem servans: * *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum dicens, Filia mea modò defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam, & vivet*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Et surrexit puella:* * *& exiit fama hec in uni-* *Matth. 9. v. 18. v. 25. v. 26.*
versam terram illam. Dicunt hoc & alij duo, Marcus & Lucas; sed ab isto ordine jam recedunt. Alibi enim hoc recordantur atque inserunt, id est, eo loco ubi redit transfretando à regione Gerasenorum, post expulsa & in porcos permissa dæmonia. Nam hoc Marcus ita conjungit post illud apud Gerasenos factum: * *Et cùm transcendisset*, inquit, *Je-* *Marci 5. v. 21.*
sus in navi rursus trans fretum, convenit turba multa *v. 22.*
ad illum: & erat circa mare. * *Et venit quidam de archisynagogis, nomine Iairus, & videns eum procidit ad pedes ejus*, &c. Ac per hoc intelligendum est, hoc quidem de archisynagogi filia factum esse, cùm transcendisset Jesus in navi rursus trans fretum: sed quantò post, non apparet. Nisi enim fuisset intervallum, non esset quando fieret quod modò narravit Matthæus in convivio domus suæ: tamquam de alio quippe narravit, more Evangelistarum, quod de se ac domi suæ gestum erat: post quod factum nihil aliud continuò sequitur, quàm hoc de archisynagogi filia. Sic enim ipse contexit, ut ipse transitus apertè indicet hoc consequenter narrari, quod & consequenter factum est. Quando quidem cùm superiùs commemorasset, quæ de panno novo & de vino novo Jesus dixerit, continuò subjecit, *Hæc* *Matth. 9.*
illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit. Ac per *v. 18.*
hoc si hæc illo loquente accessit, nihil aliud factorum dictorumque ejus interpositum est. In narratione autem Marci, patet locus, ubi interponi alia potuerunt, sicut jam ostendimus. Similiter & Lucas, cùm post narratum apud Gerasenos miraculum transit ad narrandum de archisynagogi filia, non sic transit ut renitatur Matthæo, qui post illas de panno & vino similitudines hoc gestum esse demonstrat, dicendo, *Hæc illo loquente.* Iste quippe cùm terminasset quod apud Gerasenos factum narraverat, hoc modo transiit in aliud: * *Factum est* *Luca 8. v.*
autem, inquit, *cùm rediisset Iesus, excepit illum tur-* *40.*
ba: erant enim omnes exspectantes eum. * *Et ecce vir* *v. 41.*
cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat, & cecidit ad pedes Iesu, &c. Sic intelligitur, quòd turba quidem illa continuò exceperit Dominum, quippe quem rediturum exspectabat: quod verò adjunxit, *Et ecce vir cui nomen erat Iairus*, non continuò factum accipiendum est, sed priùs illud de convivio publicanorum, sicut narrat Matthæus: cui rei sic *Matth. 9.*
conjungit hoc, ut non possit aliud factum conse- *18.*
quenter intelligi.

65. In hac ergo narratione, quam nunc considerandam suscepimus, de illa quidem quæ fluxum sanguinis patiebatur, omnes isti tres Evangelistæ sine ulla quæstione concordant. Neque enim interest ad rei veritatem, quòd ab alio aliquid taci-

Marci 5. 30. tum, ab alio dicitur: nec quòd Marcus dicit, *Quis*
Luca 8. 45. *tetigit vestimenta mea?* & Lucas, *Quis me tetigit?* A etiam Paulus ipsum Christum ait factum ex mulie- *Gal. 4. 4.*
re. Hoc enim meliùs intelligimus, quàm ut illam duodecim annorum jam nuptam, vel virum expertam fuisse credamus.

69. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Et tran-* CAPUT XXIX. De duobus cæcis & muto dæmonio. *Matth. 9. v. 27. v. 34. Marci 10. 46.*
seunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes, & dicentes, Miserere nostri fili David, & cetera, usque ad illud ubi ait, * *Pharisæi autem dicebant, In* *Luca 18. 35.*
principe dæmoniorum ejicit dæmones. Hoc de duobus cæcis & de muto dæmonio, solus Matthæus ponit. Illi enim duo cæci, de quibus & alij narrant, non B sunt isti, sed tamen simile factum est: ita ut si ipse Matthæus non etiam illius facti meminisset, posset putari hoc, quod nunc narrat, dictum fuisse etiam ab aliis duobus. Quod commendare memoriæ diligenter debemus, esse quædam facta similia; quod *Matth. 20. 29.*
probatur, cùm idem ipse Evangelista utrumque commemorat: ut si quando talia singula apud singulos invenerimus, atque in eis contrarium, quod solvi non possit, occurrat nobis non hoc esse factum, sed aliud simile, vel similiter factum.

70. SANE deinceps non apparet ordo rerum CAPUT XXX. Missio discipulorum cum mandatis de virga & calceis &c. gestarum. Nam post hæc duo facta, de cæcis & muto dæmonio, ita sequitur: * *Et circumibat Iesus* *Matth. 9. v. 35.*
civitates omnes & castella, docens in synagogis eorum, *v. 36. v. 37.*
& prædicans Evangelium regni, & curans omnem lan- *v. 38.*
guorem, & omnem infirmitatem. * *Videns autem turbas, misertus est eis; quia erant vexati, & jacentes,*
sicut oves non habentes pastorem. * *Tunc dicit discipulis*
suis, Messis quidem multa, operarij autem pauci: * *ro-* a
gate ergo Dominum messis, ut a *ejiciat operarios in* *Matth. 10. v. 1.*
messem suam. * *Et convocatis duodecim discipulis suis,*
dedit illis potestatem spirituum immundorum, & cetera, usque ad illud ubi ait, * *Amen dico vobis non per-* *v. 42.*
det mercedem suam. In hoc toto loco, quem nunc commemoramus, multa monuit discipulos suos: sed utrùm eum ex ordine Matthæus subjunxerit, an ei ordo narrandi recordatio sua fuerit, sicut dictum est, non apparet. Hunc locum breviter videtur perstrinxisse Marcus, & eum sic ingressus est, di-
Luca 8. 50. cens: * *Et circumibat castella in circuitu docens:* * *Et* *Marci 6. v. 6. v. 7.*
convocavit duodecim, & cœpit eos mittere binos; &
dabat illis potestatem spirituum immundorum, & cetera, usque ad illud ubi ait, * *Excutite pulverem de* *v. 11.*
pedibus vestris, in testimonium illis. Sed antequam hoc narraret Marcus, priùs post resuscitatam filiam archisynagogi, illud narravit, ubi Dominum in pa- *Ibidem 1.*
tria sua mirabantur, unde illi esset tanta sapientia *& 2.*
& virtutes, cùm ejus cognationem nossent: quod Matthæus post admonitionem istam discipulorum, *Matth. 13. 54.*
& post alia multa commemorat. Itaque incertum F est, utrùm hoc quod agitur in ejus patria, Matthæus omissum revocaverit, an Marcus recordatum anticipaverit, quisnam eorum ordinem rei gestæ, & quis recordationis suæ tenuerit. Lucas autem continuò post resurrectionem filiæ Jairi, subjungit hunc locum de potestate & admonitione discipulorum, tam breviter sanè quàm Marcus: neque ipse ita, ut hoc sequi etiam in rerum gestarum ordine appareat. In nominibus ergo discipulorum, Lucas, qui eos alio loco nominat, cùm priùs eli- *Luca 6. 14.*
guntur in monte, à Matthæo non discrepat, nisi in nomine Judæ Jacobi, quem Matthæus Thaddæum *Matth. 10. 3.*
appellat; nonnulli autem codices habent b Leb- b
bæum. Quis autem umquam prohibuerit duobus vel tribus nominibus hominem unum vocari?

Matth. 9. 24. Marci 5. 42. Luca 8. 42. 68. Quod autem nonnulli codices habent secundùm Matthæum, *Non enim mortua est mulier, sed dormit*, cùm eam Marcus & Lucas duodecim annorum puellam fuisse testentur; intelligas Hebræo more locutum esse Matthæum. Nam & aliis Scripturarum locis hoc invenitur, non eas tantùm G quæ virum passæ fuerant, sed omnino feminas etiam intactas atque integras, mulieres appellari: sicut
Gen. 2. 22. de ipsa Eva scriptum est, Formavit eam in mulie-
Num. 31 18. rem: & illud in libro Numerorum, ubi jubentur custodiri mulieres, quæ nescierunt cubile masculi, id est virgines, ne interficiantur. qua locutione

a Eliti, *mittat.* MSS. verò, *ejiciat*; in Græco est, ἐκβάλῃ.
b In quinque MSS. *Lebdæum*: corruptè, ut patet ex Græco textu, qui Matth. 10. 3. habet, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, & *Lebbæus qui vocatur Thaddæus.*

Ibidem 10. *Luca* 9. 3. *Marci* 6. 8.

71. Solet item quæri, quomodo Matthæus & Lucas commemoraverint dixisse Dominum discipulis, ut nec virgam ferrent; cùm dicat Marcus, *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*: & sequatur etiam ipse, *non peram, non panem, neque in zona æs*: ut ostendat in eodem loco versari narrationem suam, in quo & illorum qui dixerunt nec virgam ferendam. Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundùm Marcum ferenda est: & sub alia illam quæ secundùm Matthæum & Lucam non est ferenda: sicut sub alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est, Deus neminem tentat; & sub alia de qua dictum est, Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum: illa seductionis est, hæc probationis. Sicut judicium aliter accipitur, de quo dictum est, Qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui malè fecerunt, in resurrectionem judicij: & aliter, de quo dictum est, Judica me Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta: illud enim judicium damnationis est, hoc discretionis.

Jac. 1. 13. *Deut.* 13. 3. *Johan.* 5. 29. *Psal.* 42. 1.

72. Et multa alia sunt verba, quæ non habent unam significationem, sed diversis locis congruenter posita, diverso modo intelliguntur, & aliquando cum expositione dicuntur: ut est illud, Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis. Hoc enim breviter clausâ sententiâ dici potuit, Nolite esse pueri, sed estote pueri. & illud, Si quis putat se sapientem esse in vobis in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. quid enim aliud dixit, quàm non sit sapiens, ut sit sapiens? Aliquando autem clausæ ita dicuntur, ut exerceant inquirentem: ut est quod ait ad Galatas,

1 *Cor.* 14. 20. 1 *Cor.* 3. 18.

Gal. 6. 2. &c.

» Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis
» legem Christi. Qui enim putat se esse aliquid, cùm
» nihil sit, seipsum seducit. Opus autem suum probet
» unusquisque, & tunc in semetipso habebit gloriam,
» & non in altero. Unusquisque enim proprium onus
» portabit. Nisi oneris nomen sub diversis significa-
tionibus acceperis, procul dubio putabis eumdem
sibi in loquendo esse contrarium, & hoc in una sententia tam vicinè positis verbis: qui cùm paulò antè diceret, Alter alterius onera portate; postea dixit, Unusquisque proprium onus portabit. Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris: illa cum fratribus sustentanda communicantur, hæc propria ab unoquoque portantur. Ita & virga intelligitur spiritaliter, de qua dicebat Apostolus, In virga veniam ad vos: & corporaliter, qua utimur sive ad equum, sive ad aliquid aliud opus fuerit: ut interim omittam & alias hujus nominis figuratas significationes.

1 *Cor.* 4. 21.

73. Utrumque ergo accipiendum est à Domino Apostolis dictum, & ut nec virgam ferrent, & ut nonnisi virgam ferrent. Cùm enim secundùm Matthæum diceret eis, * *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, * *non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*: continuò subjecit, *Dignus est enim operarius cibo suo*. Unde satis ostendit, cur eos hæc possidere ac ferre noluerit, non quo necessaria non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonstraret ab illis ipsis, quibus Evangelium credentibus annuntiarent, tamquam stipendia militantibus, tamquam fructum vineæ plantatoribus, tamquam lac gregis pastoribus.

Matth. 10. *v.* 9. *v.* 10.

1 *Cor.* 9. 7 &c.

» Unde Paulus dicit, Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Hinc enim loquebatur de iis quæ necessaria sunt prædicatoribus Evangelij: unde paulò pòst dicit, Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metemus? Si alij potestatis vestræ participant, non magis nos? sed non
» sumus usi hac potestate. Unde apparet hæc non ita
præcepisse Dominum tamquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quàm eis præbentibus quibus annuntiant Evangelium, alioquin contra hoc præceptum fecit idem Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam gravis esset: sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. Cùm autem à Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est: cùm autem potestas datur, licet cuique non uti, & tamquam de suo jure cedere. Hæc ergo Dominus loquens discipulis, id agebat, quod ipse Apostolus paulò pòst apertiùs ita explicat: Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt? qui altari deserviunt, altari compartiuntur? Sic & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego autem nullius horum usus sum. Cùm itaque dicit ita Dominum ordinasse, se autem usum non esse, utique ostendit utendi potestatem datam, non impositam serviendi necessitatem.

Ibidem 11. & 12. 1. *Thess.* 2. 9. *De opere monachorum c.* 6. 1. *Cor.* 9. 13. &c.

74. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere, illa Apostolis loquebatur, ut securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit, *nec virgam*, ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo, *Dignus est enim operarius cibo suo*, prorsus aperuit & illustravit, unde & quare hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significavit, cùm dixit, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm, Potuit enim etiam sic breviter dici, Nihil necessariorum vobiscum feratis, nec virgam, nisi virgam tantùm: ut illud quod dictum est, nec virgam, intelligatur, ne minimas quidem res; quod verò adjunctum est, nisi virgam tantùm, intelligatur, quia per potestatem à Domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur non deerunt. Utrumque ergo Dominus dixit, sed quia non utrumque unus Evangelista commemoravit, putatur ille qui virgam sub alia significatione positam tollendam dixit, ei qui virgam rursus aliud significantem non tollendam dixit, esse contrarius; sed jam ratione reddita non putetur.

Matth. 10. 10. *Marci* 6 9.

75. Sic & calceamenta cùm dicit Matthæus in via non esse portanda, curam prohibet, qua ideo portanda cogitantur, ne desint. Hoc & de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam quam esset indutus, aliam portandam putaret, sollicitus ne opus esset, cùm ex illa potestate posset accipere. Proinde Marcus dicendo calceari eos sandaliis vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, id est nec occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur. Et quod non portari vel haberi duas tunicas, sed expressiùs indui prohibet dicens, *Et ne induerentur duabus tunicis*, quid eos monet nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare?

Ibidem.

76. Ita Dominum omnia dixisse, nullo modo dubitandum est, partim propriè, partim figuratè: sed Evangelistas, alia istum, alia illum inseruisse scriptis suis; quædam verò eadem vel duos, vel tres eorum quoslibet, vel omnes quatuor posuisse: nec sic tamen omnia esse conscripta, quæ ab illo seu dicta seu facta sunt. Quisquis autem putat non potuisse Dominum in uno sermone quædam figuratè, quædam propriè ponere eloquia, cetera ejus inspiciat, videbit quàm hoc temere atque ineruditè arbitretur. Potest enim iste, (ut unum aliquid dicam quod animo interim occurrit,) quoniam monet, ut non sciat sinistra quod facit dextra, & ipsas eleemosynas, & quidquid illic aliud præcipit, figuratè accipiendum putare,

Matth. 6. 3.

77. Sanè rursus admoneo, quod oportet meminisse lectorem, ne tali admonitione fæpissimè indigeat, aliis atque aliis sermonum suorum locis Dominum multa iterasse, quæ alibi jam dixerat; ne fortè ipsorum locorum ordo cùm ex alio Evangelista non convenerit, alicui eorum hinc putet esse contrarium: cùm intelligere debeat iterum alibi dici, quod jam alibi dictum erat: nec tantùm de dictis, verùm etiam de factis observari debere. Nihil enim prohibet hoc idem iterum factum credere: calumniari autem Evangelio, dum non credit iterum factum, quod iterum fieri non potuisse nemo convincit, sacrilegæ vanitatis est.

CAPUT XXXI. Johannes è carcere mittens ad Christum. *Matth.* 11. *v.* 1. *v.* 2. *v.* 19. *Luca* 7. 18. &c.

78. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Et factum est, cùm consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum.* * *Johannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi, Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* &c. usque ad illud ubi ait, * *Et justificata est sapientia à filiis suis.* Hunc totum locum de Johanne Baptista, quòd miserit ad Jesum, & cujusmodi responsum acceperint illi quos misit, & quidquid post eorum abscessum de Johanne Dominus dixit, interponit & Lucas: non quidem ipso ordine, sed quis eorum recordationis suæ, quis rerum ipsarum hîc ordinem teneat, non apparet.

CAPUT XXXII. Christus exprobrans civitatibus impœnitentiam. *Matth.* 11. *v.* 20. *v.* 24. *Luca* 10. 12.

79. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Terræ Sodomorum remissius erit in die judicij, quàm tibi.* Etiam hoc commemorat Lucas, continuato cuidam sermoni Domini etiam hæc ex ipsius ore conjungens: unde magis videtur ipse hoc ordine illa commemorare, quo à Domino dicta sunt; Matthæus autem suæ recordationis ordinem tenuisse: aut si illud quod idem Matthæus ait, *Tunc cœpit exprobrare civitatibus*, sic accipiendum putatur, ut punctum ipsum temporis voluisse credatur exprimere in eo, quod dictum est, *Tunc*, non autem ipsum tempus aliquantò latius quo hæc multa gerebantur & dicebantur; quisquis hoc credit, credat etiam hoc esse bis dictum. Cùm enim & apud unum Evangelistam inveniantur quædam quæ bis dixerit Dominus; sicut apud eumdem Lucam de non tollenda pera in via & similiter ceteris, duobus locis dictum à Domino invenitur, quid mirum si & aliquid aliud bis dictum singillatim à singulis dicitur eodem ordine quo dictum est, & ideo diversus ordo apparet in singulis, quia & tunc quando & ille, & tunc quando iste commemorat, dictum est?

Luca 9. 3. & 10. 4.

CAPUT XXXIII. Christus invitans ad tollendum jugum & onus suum. *Matth.* 11. *v.* 25. *v.* 30. *Luca* 10. 22.

80. SEQUITUR Matthæus: * *In illo tempore respondens Jesus dixit, Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Hujus loci & Lucas meminit, sed ex parte. Non dicit enim ipse, *Venite ad me omnes qui laboratis*, & alia quæ sequuntur. Semel autem hoc dictum à Domino, sed Lucam non totum quod dictum est commemorasse, credibile est. Matthæus enim dicit, *In illo tempore respondens Jesus dixit*, postea quàm exprobravit civitatibus: Lucas autem post illam exprobrationem civitatum interponit quædam, non tamen multa; atque hoc ita subjungit, *In ipsa hora exsultavit Spiritu-sancto, & dixit.* Unde etiam si Matthæus non *In illo tempore* diceret, sed *In ipsa hora*, tam pauca interponit Lucas in medio, ut etiam eadem horâ dictum non absurdè videatur.

CAPUT XXXIV. Discipuli vellentes spicas. *Matth.* 12. *v.* 1. *v.* 8. *Marci* 2. 23. *Luca* 6. 1.

81. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *In illo tempore abiit Jesus sabbato per sata, discipuli autem ejus esurientes cæperunt vellere spicas, & manducare*, & cetera, usque ad illud ubi ait, * *Dominus est enim filius hominis etiam sabbati.* Hoc quoque sine ulla repugnantiæ quæstione commemoratur & à Marco & à Luca: sed illi non dicunt, *In illo tempore.* Unde fortassis magis Matthæus rei gestæ hîc ordinem tenuit, illi autem recordationis suæ: nisi latiùs accipiatur quod dictum est, *In illo tempore*, id est, quo hæc multa & diversa gerebantur.

CAPUT XXXV. De manu arida sabbato curata. *Matth.* 12. *v.* 9. *v.* 13. *Marci* 3. 1. *Luca* 6. 6.

82. SEQUITUR ergo Matthæus, ita narrans: * *Et cùm inde transisset, venit in synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam*, & cetera, usque ad illud ubi ait, * *Et restituta est sanitati sicut altera.* De isto sanato, qui manum habebat aridam, etiam Marcus & Lucas non tacent. Posset autem putari eo die factum & de spicis & de isto sanato, quoniam & sabbatum hîc commemoratur; nisi Lucas aperuisset alio sabbato factum esse de sanitate aridæ manus: proinde quod ait Matthæus, *Et cùm inde transisset, venit in synagogam eorum*, non quidem venit nisi cùm inde transisset, sed post quot dies in synagogam eorum venerit, postea quàm à segete illa transivit, an rectà continuóque illuc ierit, non expressum est. Ac per hoc locus datur narrationi Lucæ, qui dicit alio sabbato hujus manum sanatam. Sed potest movere, quomodo Matthæus dixerit, quòd ipsi interrogaverint Dominum, * *Si licet sabbato curare*, volentes invenire accusandi occasionem; ipse verò illis de ove proposuerit similitudinem, dicens, * *Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam:* * *quantò melior est homo ove? itaque licet sabbatis bene facere.* cùm Marcus & Lucas illos potiùs à Domino interrogatos esse perhibeant, *Licet sabbato bene facere, an malè; animam salvam facere, an perdere?* Itaque intelligendum est quòd illi priùs interrogaverint Dominum, *Si licet sabbato curare:* deinde quòd intelligens cogitationes eorum, aditum accusandi quærentium, constituerit in medio illum, quem fuerat sanaturus, & interrogaverit quæ Marcus & Lucas eum interrogasse commemorant: ac tunc illis tacentibus, proposuisse similitudinem de ove, & concluisse quòd liceat sabbato bene facere: postremò circumspectis eis cum ira, sicut Marcus dicit, contristatum super cæcitate cordis eorum, dixisse homini, *Extende manum tuam.*

Matth. 12. *v.* 10. *v.* 11. *v.* 12. *Marci* 3. 4. *Luca* 6. 9.

CAPUT XXXVI.

83. SEQUITUR Matthæus, ita contexens narrationem suam: * *Exeuntes autem Pharisæi con-*

De ordine rei gestæ post manus aridæ curationem. Matth. 12. v. 14. v. 15. v. 16 v. 17. Isaiæ 42. 1. Matth. 12. v. 21. Marci 3. 7.

silium faciebant adversùs eum, quomodo eum perderent. * *Iesus autem sciens, recessit inde; & secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes:* * *& præcepit eis ne manifestum eum facerent:* * *ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem*, & cetera, usque ad illud ubi ait, * *Et in nomine ejus gentes sperabunt.* Hoc solus iste commemorat, illi duo in alia perrexerunt. Ordinem sanè rei gestæ videtur Marcus aliquantulùm tenuisse, qui dicit Jesum cognita maligna adversùm se dispositione Judæorum, secessisse ad mare cum discipulis suis, & ad eum turbas confluxisse, & sanasse eum plurimos. Unde autem cœperit in aliud ire, non quod ordine sequeretur, vix apparet, utrùm ubi dicit convenisse ad eum turbas; potuit enim hoc jam & alio tempore: an ubi dicit, *adscendit in montem.* Quod & Lucas

Lucæ 6 12. videtur commemorare dicens, *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare.* dicendo enim, *in illis diebus*, satis ostendit non continuò factum.

CAPUT XXXVII. *De dæmoniaco muto & cæco. Matth. 12. 22. Lucæ 11. 14.*

84. MATTHÆUS ergo sequitur & dicit: *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus; & curavit eum, ita ut loqueretur & videret.* Hoc non isto ordine, sed postalia multa Lucas commemorat, & mutum dicit tantùm non etiam cæcum: sed non ex eo quòd aliquid tacet, de alio dicere putandus est: ea enim sequentia etiam ipse contexit quæ Matthæus.

CAPUT XXXVIII. *De loco ubi orchum est, in Beelzebub ejicit dæmonia. Matth. 12. v 23 v. 24. v. 25. v. 37.*

85. SEQUITUR Matthæus, dicens: *Et stupebant omnes turbæ, & dicebant. Numquid hic est filius David?* * *Pharisæi autem audientes dixerunt, Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* * *Jesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis, Omne regnum divisum contra se, desolabitur*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Marcus non ex occa-

Marci 3. 22. sione illius muti subjicit dictum de Jesu, quòd in Beelzebub ejiceret dæmonia; sed post alia quædam, quæ solus commemorat, hoc quoque subnectit, sive alio loco id recolens & adjungens, sive aliquid prætermittens, & deinde ad hunc ordinem

Lucæ 11 14. &c. rediens. Lucas autem penè totidem verbis hoc dicit quod Matthæus: & quòd digitum Dei appellat Spiritum Dei, ab eadem sententia non recedit; quin potiùs & aliquid docet, ut noverimus quemadmodum intelligamus ubicumque Scripturarum legerimus digitum Dei. In aliis autem, quæ non hîc dicunt Marcus & Lucas, nulla controversia est: nec in his quæ aliquantò aliter dicunt, quia eadem sententia est.

CAPUT XXXIX. *De loco ubi petitur signum à Domino. Matth. 12. v. 38. v. 45. Lucæ 11. 16.*

86. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis dicentes, Magister, volumus à te signum videre*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Sic erit & generationi huic pessimæ.* Hæc etiam Lucas narrat eo quidem loco, sed aliquantò dispari ordine. Nam illud quod petierunt signum à Domino de cælo, suprà commemoravit post illud de muto miraculum: & non ibi retulit, quid eis ad hoc Dominus respondisset; sed postea

Ibidem 29. cùm turbæ concurrissent, dicit hoc fuisse responsum eis, quos dat intelligi superiùs à se commemoratos, quòd de cælo signum quærebant: & hoc annectit postea quàm interposuit de muliere, quæ

Ibidem 27. dixit Domino, *Beatus venter que te portavit.* Hanc autem mulierem interponit, cùm de sermone Domini commemorasset, quòd spiritus immundus exiens ab homine, redit, & invenit mundatam domum. Post mulierem ergo illam, cùm diceret res-

Ibidem 29. ponsum esse turbis de signo, quod de cælo quærebant, interposita similitudine Jonæ prophetæ: deinde continuato sermone ipsius Domini, commemorat dictum de regina Austri, & de Ninivitis. Ita aliquid potiùs commemoravit, quod Matthæus tacuit, quàm aliquid prætermisit eorum, quæ hoc loco ille narravit. Quis autem non videat superfluò quæri, quo illa ordine Dominus dixerit; cùm & hoc discere debeamus per Evangelistarum excellentissimam auctoritatem, non esse mendacium, si quisquam non hoc ordine cujusquam sermonem digesserit, quo ille à quo processit, cùm ipsius ordinis nihil interfit ad rem, sive ita, sive ita sit. Et adhuc Lucas productiorem hunc Domini sermonem

Matth. 5. 1. &c. indicat, & in eo quædam commemorat, qualia Matthæus in sermone illo, qui est habitus in monte, quæ bis dicta intelligimus, & ibi scilicet, & hîc. Terminato autem isto sermone, in aliud pergit Lucas: in quo utrùm ordinem rerum gestarum servarit, incertum est. Ita enim connectit, *Et cùm lo-* *Lucæ 11. 37.* *queretur, rogavit eum quidam Pharisæus ut prandaret apud se.* Non autem ait, cùm hæc loqueretur, sed *cùm loqueretur.* Nam si dixisset, cùm hæc loqueretur, necessariò cogeret intelligere hoc ordine non tantùm à se fuisse narrata, verùm & à Domino gesta.

CAPUT XL. Christus interpellatus à matre &c. *Matth. 12. v. 46. v. 50.*

87. SEQUITUR ergo Matthæus, & dicit: * *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus & fratres stabant foris, quærentes loqui ei*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Hoc sine dubio consequenter gestum intelligere debemus. Præmisit enim, cùm ad hoc narrandum transiret, *Adhuc eo loquente ad turbas.* quid est autem, *Adhuc*, nisi illud quod loquebatur? Non enim dixit, Et eo loquente ad turbas, ecce mater ejus & fratres; sed, *Adhuc eo loquente.* quæ cùm dicit, cogit intelligi, hæc loquente, quæ superiùs indicabat. Nam & Marcus post illud quod de blasphemia Spiritus-sancti, quid Dominus dixerit retulit, *Et veniunt*, inquit, *mater ejus & fratres:* *Marci 3 31.* prætermissis quibusdam, quæ in eodem textu sermonis Domini & Matthæus prolixiùs Marco, & Lucas prolixiùs Matthæo posuerunt. Lucas autem non hujus rei gestæ ordinem tenuit, sed præoccupavit hoc, & recordatum antè narravit. Denique hoc sic interposuit, ut solutum appareat à nexu & superiorum & posteriorum. Post commemoratas enim quasdam parabolas Domini, ita hoc de matre & fratribus ejus recordatum interposuit: *Venerunt au-* *Lucæ 8. 19.* *tem ad illum*, inquit, *mater & fratres ejus: & non poterant ad eum adire præ turba.* non expressit quando ad eum venerint. Rursus cùm & hinc transit, ita loquitur: *Factum est autem*, inquit, *in una dierum,* *Ibidem 22.* *& ipse adscendit in naviculam, & discipuli ejus.* Et hîc utique cùm dicit, *Factum est in una dierum*, satis indicat, non necesse esse, ut hæc dies intelligatur, in qua hoc gestum est, vel illa quæ continuò sequitur. Nihil itaque habet repugnantiæ cum ceteris duobus quod Matthæus de matre & fratribus Domini narrat, neque in verbis Domini, neque in ipso ordine rerum gestarum.

CAPUT XLI. Sermo è navicula. *Matth. 13. v. 1. v. 2. v. 3.*

88. SEQUITUR Matthæus: * *In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare:* * *& congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam adscendens sederet: & omnis turba stabat in littore;* * *& locutus est eis multa in parabolis dicens*, & cetera, usque ad illud ubi ait, * *Ideo omnis Scriba doctus in regno cælorum similis est homini patri-familias, qui profert de* *v. 52.*

thesauro suo nova & vetera. Post illud quod narratum est de matre & fratribus Domini, hoc continuò gestum esse, & eum ordinem Matthæum etiam in narrando tenuisse, ea res insinuat, quia cùm illinc transiret, ita contexuit ut diceret, *In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare, & congregatæ sunt ad eum turbæ multæ.* Cùm enim dicit, *In illo die*, (nisi fortè dies more Scripturarum tempus significet,) satis indicat, aut hoc consequenter gestum, aut non multa interponi potuisse; maximè

Marci 4. 1. &c. Lucæ 8. 22. quia & Marcus eum ordinem tenet: Lucas autem post illud quod narrat de matre & fratribus Domini, in aliud transit, nec eo transitu connexionem aliquam facit, qua huic ordini repugnare videatur. Omnium ergo horum quæ Matthæus Dominum locutum esse narravit, quæ cum illo dixerunt Marcus & Lucas, non habent repugnantiæ quæstionem: quæ autem ipse solus dixit, multò magis sine controversia sunt: nec in ipso ordine, quamvis aliquantò diversum alius alium teneat, partim gestarum rerum, partim recordationis suæ, video quid vel cui quisque adversetur.

CAPUT XLII. Jesus docens in patria sua. *Matth. 13. v. 53. v. 54. v. 58. a*

89. SEQUITUR ergo Matthæus: * *Et factum est cùm consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde:* * *& veniens in patriam suam, docebat eos in* [a] *synagogis eorum*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* A superiore sermone parabolarum sic transit, ut non ostendat consequentis ordinis necessitatem: præsertim quia Marcus ab istis parabolis, non in

Marci 4 35. & 5. 1. Lucæ 8. 22. & 27. quod iste, sed in aliud tendens, in quod & Lucas, ita contexuit narrationem, ut credibilius ostendatur hoc esse potiùs consequenter gestum, quod ipsi duo continuanter adjungunt, de navi scilicet in qua dormiebat Jesus, & de illo miraculo expulsorum dæmoniorum apud Gerasenos, quæ duo Mat-

Matth. 8. 23. & 28. thæus jam superiùs recolens interposuit. Nunc ergo quæ in patria sua Dominus dixerit vel ei dicta sint, videamus utrùm cum aliis duobus Marco & Luca

Johan. 6. 42. &c. concordent. Nam Johannes longè in diversis & dissimilibus narrationis suæ locis vel dicta esse Domino talia, vel eum dixisse commemorat, qualia hoc loco tres ceteri meminerunt.

Marci 6. 1. &c. 90. Et Marcus quidem eadem propè commemorat hîc omnia quæ Matthæus, nisi quòd Dominum fabrum & Mariæ filium dicit à civibus suis dictum, non, sicut Matthæus, fabri filium. Nec mirandum est, cùm utrumque dici potuerit: eo enim

Lucæ 4. 16. &c. & fabrum credebant, quo fabri filium. Lucas autem eamdem rem gestam latiùs indicat, & plura ibi commemorat; nec longè post baptismum & tentationem ejus hoc inserit, sine dubio præoccupans quod multis rebus interpositis postea gestum est: unde quisque possit advertere, quod huic tam magnæ quæstioni, quam de consensu Evangelistarum enodandam Deo adjuvante suscepimus, plurimùm necessarium est, non nescientes aliquid eos prætermisisse, aut nescientes quemadmodum se ordo rerum gestarum haberet, alium potiùs ordinem suæ recordationis tenuisse: quod hinc evidentissimè intelligi potest, quia Lucas antequam aliquid narraret Dominum fecisse Capharnaum, præoccupavit hunc locum, quem nunc consideramus, ubi cives ejus & potentiam virtutis in eo stupebant, & ignobilitatem generis contemnebant. Nam hoc

Ibidem 23. cum dicit eis dixisse, *Vtique dicetis mihi, Medice cura teipsum: quanta audivimus facta in Caphar-* *naum, fac & hic in patria tua:* cùm secundùm ejusdem ipsius Lucæ narrationem nihil adhuc legatur fecisse Capharnaum. Quod quia longum non est, & facillimum est & pernecessarium, totum inserimus, unde ad hoc narrandum & quomodo venerit. Postea quàm baptizatum & tentatum Dominum indicavit, ita sequitur: * *Et consummata omni tenta-* *Ibid. v. 13.* *tione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* * *Et re-* *v. 14.* *gressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam: & fa-* *ma exiit per universam regionem de illo.* * *Et ipse doce-* *v. 15.* *bat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.* * *Et venit Nazareth ubi erat nutritus, & intravit se-* *v. 16.* *cundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere.* * *Et tradidus est illi liber prophetæ* *v. 17.* *Isaiæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scrip-* *Isa. 61. 1.* *tum erat,* * *Spiritus Domini super me, propter quod* *Lucæ 4. v.* *unxit me, evangelizare pauperibus misit me,* * *prædi-* *18. v. 19.* *care captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis.* * *Et cùm plicasset li-* *v. 20.* *brum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in syna-* *v. 21.* *goga oculi erant intendentes in eum.* * *Cœpit autem di-* *cere ad illos, quia hodie impleta est hæc scriptura in au-* *v. 22.* *ribus vestris.* * *Et omnes testimonium illi dabant, & mi-* *rabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ip-* *v. 23.* *sius, & dicebant, Nonne hic est filius Joseph?* * *Et ait illis, Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, Medice cura teipsum. Quanta audivimus facta in Caphar-* *naum, fac & hic in patria tua*, & cetera, donec peragat totum ipsum narrationis suæ locum. Quid ergo evidentius, quàm hoc eum scientem præoccupasse narrandum, cùm utique jam magna ab illo in Capharnaum facta fuisse & ipse noverit, & ipse commemoret, quæ se nondum narrasse utique scit? Neque enim tantum ab ejus baptismo progressus est, ut oblitus putetur nondum se aliquid commemorasse de iis, quæ in Capharnaum gesta fuerant: modò enim cœpit post baptismum aliquid narrare de Domino.

CAPUT XLIII. Herodis verba de Christo. *Matth. 14. v. 1. v. 2. Marci 6 14.*

91. SEQUITUR Matthæus: * *In illo tem-* *pore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu,* * *& ait* *pueris suis, Hic est Iohannes Baptista, ipse surrexit à* *mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.* Marcus hoc idem & eodem modo dicit, sed non eodem ordine. Nam postea quàm discipulos Dominus misit, dicens eis, ne quid in via ferrent, nisi virgam tantùm, terminato eo sermone, quantum ab illo commemoratum est, etiam hoc subjecit, nulla tamen facta necessitate, qua hoc etiam consequenter gestum esse intelligere cogeremur: sicut nec Matthæus; *In illo* enim *tempore* dixit, non In illo die vel hora: nisi quod Marcus non quòd Herodes dixerit, sed *Dicebant*, inquit, *quia Iohannes Baptista surrexit à mortuis:* Matthæus verò de ipso Herode, *Ait*, inquit, *pueris suis.* Lucas etiam eum narrandi ordinem, quem Marcus, tenens, nec ipse sanè etiam rerum gestarum eumdem ordinem fuisse credi cogens, ita hoc idem commemorat: * *Audivit autem*, inquit, *Herodes tetrarcha omnia* *Lucæ 9. v.* *quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eo quòd diceretur* * *à* *7. v. 8.* *quibusdam, quia Iohannes surrexit à mortuis; à quibusdam verò, quia Elias apparuit; ab aliis autem, quia propheta unus de antiquis surrexit.* * *Et ait He-* *v. 9.* *rodes, Iohannem ego decollavi, quis est autem iste, de quo ego audio talia? Et quærebat videre eum.* In his verbis Lucas quoque Marco adtestatur, ad hoc dumtaxat quòd alij dixerint, non Herodes, Jo-

[a] MSS. tres, *in synagogæ*: juxta Græcum textum.

hannem à mortuis surrexisse. Sed quia hæsitantem commemoravit Herodem, verbaque ejus ita posteà posuit dicentis, *Iohannem ego decollavi, quis est autem iste, de quo audio ego talia?* intelligendum est aut eum post hanc hæsitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, cùm ait pueris
Matth. 14. 2. suis, sicut Matthæus narrat, *Et ait pueris suis, Hic est Iohannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.* aut ita pronuntianda sunt hæc verba, ut hæsitantem adhuc indicent. Si enim diceret, Numquid-nam hic est, aut Numquid fortè hic est Johannes Baptista; non opus esset admonere aliquid de pronuntiatione, qua dubitans atque hæsitans intelligatur. Nunc quia illa verba desunt, utroque modo pronuntiari potest; ut aut confirmatum eum ex aliorum verbis, credentem dixisse accipiamus; aut adhuc, sicut Lucas commemorat, hæsitantem: præsertim quia & Marcus, qui superiùs dixerat, ab aliis fuisse dictum, quòd Johannes à mortuis resurrexit, in extremo tamen
Marci 6.16. ipsum Herodem dixisse non tacet, *Quem ego decollavi Iohannem, hic à mortuis resurrexit.* Quæ item verba duobus modis pronuntiari possunt, ut aut confirmantis, aut dubitantis intelligantur. Cùm autem Lucas postea quàm hoc commemoravit, in aliud transeat; duo isti, Matthæus & Marcus ex hac occasione narrant, quemadmodum sit ab Herode Johannes occisus.

CAPUT XLIV. Johannes quando missus in carcerem. *Matth.* 14. v. 3. v. 12. *Marci* 6. 17. *Luc.* 3. 19.

92. SEQUITUR ergo Matthæus, & dicit: * *Herodes enim tenuit Iohannem, & alligavit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui*, &c. usque ad eum locum ubi ait, * *Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus, & sepelierunt illud; & venientes nuntiaverunt Iesu.* Marcus hoc similiter narrat: Lucas autem non eodem ordine id recordatur, sed circa ipsum baptismum, quo Dominus baptizatus est. Unde hoc præoccupasse intelligitur & ipse ex occasione, ut ibi narraret, quod multò pòst factum est. Cùm enim commemorasset Johannis verba de Domino, quòd ventilabrum in manu ejus, & mundabit aream suam, frumenta recondet in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili: continuò subjecit, quod non continuò factum esse Johannes Evangelista apertissimè exponit, cùm commemorat, postea
Johan. 2. 1. quàm baptizatus esset Jesus, isse illum in Galilæam, quando fecit de aqua vinum; & inde post paucorum dierum in Capharnaum habitationem, rediisse
Ibidem 12. Johan. 3. 22. ad Judæam terram, & ibi baptizasse multos circa Jordanem, antequam missus esset Johannes in carcerem. Quis autem non putet, [a] qui minùs in his litteris eruditus est, tamquam post illa verba de ventilabro & de area mundata, continuò sit à Johanne offensus Herodes, & eum in carcerem miserit? Non autem hoc ordine ista narrata quo gesta sunt, & alibi jam probavimus, & hoc ipso loco
Luc. 3. 19. & 21. non quilibet alius, sed idem Lucas hoc probat. Si enim post verba illa continuò Johannes in carcerem missus est, quomodo post ipsam commemorationem Johannis in carcerem missi baptizatus est Jesus, secundùm ipsius Lucæ narrationem? Proinde manifestum est, ex occasione recordatum præoccupasse, & ante multa quæ priùs quàm Johanni hoc fieret, gesta narraturus erat, hoc præoccupatum in sua narratione præmisisse. Sed nec illi duo Matthæus & Marcus eo rerum ordine de Johanne in carcerem misso in sua narratione posuerunt, quo factum apparet etiam in eorum scriptis: nam & ipsi dixerunt, tradito Johanne Dominum isse in Galilæam, & post multa, quæ fecit in Galilæa, veniunt ad Herodis admonitionem vel hæsitationem, quòd Johannes, quem decollavit, à mortuis resurrexit; & ex hac occasione narrant omnia, quæ de Johanne contigerunt incluso & occiso.

Matth. 4. 12. *Marci* 1. 14. *Matth.* 14. 1. *Marci* 6. 14.

CAPUT XLV. Ad miraculũ de quinque panibus quæ ordine venerint Evangelistæ. *Matth.* 14. v. 13. v. 14.

93. SEQUITUR ergo Matthæus, cùm dixisset nuntiatum esse Christo, quòd Johannes occisus sit, & ita narrationem contexit: * *Quod cùm audisset*, inquit, *Iesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum. Et cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.* * *Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curavit languidos eorum.* Hoc continuò post Johannis passionem factum esse commemorat. Unde post hæc, facta sunt illa quæ primò narrata sunt, quibus motus Herodes dixit, *Iohannem ego decollavi.* Illa enim posteriora debent intelligi, quæ ad Herodem pertulit fama, ut moveretur, & hæsitaret quisnam iste esse posset, de quo audiret talia, cùm Johannem ipse occidisset. Marcus autem postea quàm passionem Johannis narravit, commemorat discipulos missos rediisse ad Jesum, & renuntiasse illi omnia, quæ egerant, & docuerant; & Dominum eis, (quod ipse solus commemorat,) dixisse ut requiescerent pusillùm in deserto, & adscendisse cum eis in navem, & isse: & turbas hoc videntes præveniisse eos illuc; quarum misertum Dominum docuisse multa; & horâ jam progrediente factum esse, ut de quinque panibus & duobus piscibus omnes qui aderant pascerentur. Quod miraculum omnes quatuor Evangelistæ commemoraverunt. Lucas etiam qui jam longè suprà de Johannis passione narraverat, ex occasione qua diximus, nunc postea quàm commemoravit illam Herodis hæsitationem de Domino quisnam esset, hoc continuò subjungit quod Marcus, id est rediisse ad illum Apostolos, & narrasse illi quæcumque fecerant: & assumtis eis secessisse in locum desertum, atque eò secutas turbas, & locutum esse de regno Dei, & eos qui curâ indigebant sanasse: atque inde etiam ipse die declinante commemorat miraculum de quinque panibus factum.

Matth. 4. *Marci* 1. 14. *Matth.* 14. 1. *Marci* 6. 14. *Luc.* 3. 20. *Luc.* 9. 10. *Ibidem* 12.

94. At verò Johannes, qui multum ab eis tribus Evangelistis eo distat, quia magis in sermonibus quos Dominus habuit immoratur, quàm in factis quæ mirabiliter fecit, postea quàm commemoravit eum relictâ Judæâ abiisse iterum in Galilæam, quod tunc intelligitur factum, cùm & alij Evangelistæ dicunt eum Johanne tradito isse in Galilæam; postea quàm ergo id commemoravit Johannes, in transitu ejus per Samariam multa quæ locutus est ex occasione illius Samaritanæ, quam invenit ad puteum, contexit narrationi suæ: & post duos dies dicit eum inde exisse in Galilæam, deinde venisse in Cana Galilææ, ubi fecerat de aqua vinum, & sanasse filium reguli cujusdam. Alia verò, quæ illum in Galilæa fecisse atque dixisse alij dixerunt, Johannes tacet: sed sanè quod illi tacuerunt, dicit adscendisse eum in die festo Jerosolymis, & fecisse ibi miraculum illud de homine, qui triginta-octo annos habebat in infirmitate, nec habebat hominem à quo in piscinam deponeretur, in qua variis valetudinibus affecti sanabantur; & ex hac occasione multa eum locutum fuisse commemorat. Post hæc eum dicit abiisse trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, & secutam multitudinem magnam:

Johan. 4. 3. *Ibidem* 5. *Ibidem* 43. *Ibidem* 46. *Johan.* 5. 1. *&c.* *Johan.* 6. 1. *&c.*

[a] Edidi, *nisi qui minùs* &c. Abest *nisi* à MSS. ut sit iste sensus, Quis autem, si minùs in his litteris eruditus est, non putet.

deinde abiisse in montem, & ibi sedisse cum discipulis suis, proximo Pascha die festo Judæorum: tum levatis oculis & visa multitudine maxima, pavisse eam de quinque panibus & duobus piscibus; quod & ceteri Evangelistæ dicunt. Ac per hoc prætermisisse illum, per quæ illi narrando ad hujus miraculi commemorationem venerunt, certum est: verumtamen tamquam ex alia narrationis via, cùm & illi tacuissent quæ iste dixisset, ad hoc miraculum de quinque panibus occurrerunt sibi & illi tres qui penè pariter ambulabant, & iste qui sermonum Domini alta confectans, per alia quæ illi tacuerunt circumvolavit quodammodo, & eis ad miraculum de quinque panibus pariter commemorandum, non multò pòst ab eis rursus in altiora revolaturus occurrit.

Matth. 14. *Marci* 6. 41. *Luc.* 9. 16.

CAPUT XLVI. In eodem miraculo consensus quatuor Evangelistarum. *Matth.* 14. v. 15. v. 16. v. 21.

95. SEQUITUR ergo Matthæus, & ad ipsum de quinque panibus factum narrationem suam ex ordine ita perducit: * *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes, Desertus est locus, & hora jam præteriit, dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas.* * *Iesus autem dixit eis, Non habent necesse ire, date illis vos manducare*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis.* Hoc ergo miraculum quod omnes quatuor Evangelistæ commemorant, & putantur inter se aliquid discrepare, considerandum atque tractandum est, ut ex hoc etiam ad cetera similia regulæ locutionum discantur, quibus tam diversis eadem tamen sententia retinetur, & eadem rerum veritas custoditur. Et inchoanda quidem est consideratio, non à Matthæo secundùm ordinem Evangelistarum, sed à Johanne potiùs, à quo ita expressa est ista narratio, ut etiam nomina discipulorum diceret, cum quibus de hac re locutus est Dominus. Ita
Johan. 6. v. 5. enim dicit: * *Cùm sublevasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Unde ememus panes ut manducent hi?*
v. 6. * *Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat*
v. 7. *quid esset facturus.* * *Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.*
v. 8. * *Dicit ei unus ex discipulis*
v. 9. *ejus, Andreas frater Simonis Petri,* * *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces,*
v. 10. *sed hæc quid sunt inter tantos?* * *Dixit ergo Iesus, Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco: discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.* * *Accepit ergo panes Iesus, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus quantum volebant.* * *Ut autem impleti sunt, dixit*
v. 12. *discipulis suis, Colligite quæ superaverunt fragmenta,*
v. 13. *ne pereant.* * *Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducaverant.*

96. Non hîc quæritur quod iste dixit, cujusmodi essent panes; hordeaceos enim fuisse non tacuit, quod ceteri tacuerunt: neque hoc quæritur, quod iste non dixit, fuisse ibi etiam præter quinque millia
Matth. 14. 21. virorum, mulieres & parvulos, quod dicit Matthæus. Et omnino jam certum esse debet, & regulariter teneri in talibus quæstionibus, neminem moveri oportere, cùm ab alio dicitur, quod ab alio prætermittitur. Sed quæritur quomodo ea quæ dixerunt, vera sint omnia, ne narrationem alterius narrans aliud alter excludat. Si enim Dominus, secundùm narrationem Johannis, prospectis turbis quæsivit à Philippo tentans eum, unde illis escæ darì possent; potest movere quomodo sit verum, quod alij narraverunt, priùs dixisse Domino discipulos, ut dimitteret turbas, quò possent sibi alimenta emere de proximis locis: quibus ille respondit secundùm Matthæum, *Non habent necesse ire, date eis vos manducare.* Cui etiam Marcus Lucasque consentiunt, tantùm hoc prætermittentes quod ait, *Non habent necesse ire.* Intelligitur ergo post hæc verba Dominum inspexisse multitudinem, & dixisse Philippo quod Johannes commemorat, isti autem prætermiserunt. Deinde quod Philippus apud Johannem respondit, hoc Marcus à discipulis responsum esse commemorat, volens intelligi hoc ex ore ceterorum Philippum respondisse: quamquam & pluralem numerum pro singulari usitatissimè ponere potuerunt. Quod ergo ait Philippus, *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*, hoc est dicere, quod ait Marcus, *Euntes ememus ducentis denariis panes, & dabimus eis manducare.* Quod autem commemorat idem Marcus dixisse Dominum, *Quot panes habetis?* prætermiserunt ceteri. Quod autem Andreas apud Johannem de quinque panibus & duobus piscibus suggessit, hoc ceteri pluralem numerum pro singulari ponentes, ex discipulorum persona retulerunt. Et Lucas quidem responsionem Philippi & & responsionem Andreæ in unam sententiam constrinxit: quod enim ait, *Non sunt nobis plus quàm quinque panes & duo pisces*, Andreæ retulit responsionem: quod verò adjunxit, *Nisi fortè nos eamus, & ememus in omnem hanc turbam escas*, videtur ad responsionem Philippi pertinere; nisi quòd de ducentis denariis tacuit: quamquam & in ipsius Andreæ sententia potest hoc intelligi. Cùm enim dixisset, *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordaceos, & duos pisces*: adjunxit etiam ipse, *Sed hæc quid sunt inter tantos?* hoc est dicere, *Nisi fortè nos eamus, & ememus in omnem hanc turbam escas.*

Marci 6. 37. *Luc.* 9. 13. *Ibidem* 16. *Johan.* 6. 7. *Marci* 6. 37. *Ibidem* 38. *Johan.* 6. 9.

97. Ex qua universa varietate verborum, rerum autem sententiarumque concordia, satis apparet, salubriter nos doceri, nihil quærendum in verbis nisi loquentium voluntatem: cui demonstrandæ invigilare debent omnes veridici narratores, cùm de homine, vel de Angelo, vel de Deo aliquid narrant; horum enim voluntas verbis promi potest, ne de ipsa inter se aliquid discrepent.

98. Sanè prætermittere non oportet hoc loco intentum & ad cetera, quæ talia fortè occurrerint, facere lectorem, quia Lucas dixit quinquagenos jussos esse discumbere, Marcus verò & quinquageno & centenos. Quod hîc ideo non movet, quia unus partem dixit, alter totum: qui enim etiam de centenis retulit, hoc retulit quod ille prætermisit. nihil itaque contrarium est. Verumtamen si alius de quinquagenis tantùm commemoraret, alius autem de centenis, valde videretur esse contrarium; nec facilè dignosceretur utrumque dictum esse, unum autem ab altero, alterum ab altero esse commemoratum: & tamen adtentiùs consideratum inveniri debuisse quis non fateatur? Hoc ideo dixi, quia exsistunt sæpe aliqua ejusmodi, quæ parum intendentibus & temere judicantibus contraria videantur, & non sint.

Luc. 9. 14. *Marci* 6. 40.

CAPUT XLVII. Jesus ambulans super aquas. *Matth.* 14. v. 23. v. 24. v. 25.

99. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Et dimissâ turbâ adscendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi:* * *navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus; erat enim contrarius ventus.* * *Quartâ autem vigiliâ noctis venit ad eos am-*

v. 26 bulans supra mare. * Et videntes eum supra mare ambulantem turbati sunt dicentes, Quia phantasma est,
v. 33. &c. usque ad illud ubi ait, * Venerunt & adoraverunt eum dicentes, Verè filius Dei es. Marcus quoque hoc idem post narratum de quinque panibus
Marci 6. v. 47. miraculum ita sequitur: * Et cùm sero esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra. * Et videns
v. 48. eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis, &c. similiter, nisi quòd de Petro super aquas ambulante nihil dixit. Hoc autem ne moveat præcavendum est, quod Marcus dixit de Domino, cùm ambularet super aquas, & volebat præterire eos. Quomodo enim hoc intelligere potuerunt, nisi quia in diversum ibat, eos volens tamquam alienos præterire, à quibus ita non agnoscebatur, ut phantasma putaretur? Quod ad mysticam significationem referri, quis usque adeo tardus est, ut nolit advertere? Sed tamen turbatis &
v. 50. exclamantibus subvenit, dicens, * Confidite, ego sum, nolite timere. Quomodo ergo eos volebat præterire, quos paventes ita confirmat, nisi quia illa voluntas prætereundi ad eliciendum illum clamorem valebat, cui subveniri oportebat?

100. Johannes etiam adhuc cum istis aliquantùm immoratur. Nam post narratum de quinque panibus miraculum, ipse quoque hoc de laborante navicula, & de ambulatione Domini super
Joan. 6. v. 15. aquas non tacet, ita contexens. * Jesus ergo cùm cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.
v. 16. * Ut autem serò factum est, descenderunt discipuli ejus
v. 17. ad mare: * & cùm adscendissent navem, venerunt trans mare in Capharnaum. Et tenebræ jam factæ erant, &
v. 18. non venerat ad eos Jesus. * Mare autem vento magno flante exsurgebat, &c. Nihil hîc contrarium videri potest, nisi quod Matthæus dimissis turbis eum dicit adscendisse in montem, ut illic solus oraret:
Joan. 6. 3. Johannes autem, [a] in monte fuisse, cùm eisdem
a turbis, quas de quinque panibus pavit. Sed cùm & ipse Johannes dicat post illud miraculum fugisse eum in montem, ne à turbis teneretur, quæ eum volebant regem facere; utique manifestum est, quòd de monte in planiora descenderant, quando illi panes turbis ministrati sunt. Et ideo non est contrarium quod adscendit rursus in montem, sicut & Matthæus & Johannes dicunt: nisi quòd Matthæus dicit, *adscendit*; Johannes autem, *fugit*: quod esset contrarium, si fugiens non adscenderet. Nec illud repugnat quod Matthæus dixit, *adscendit in montem solus orare*: Johannes autem, *Cùm cognovisset*, inquit, *quia venturi essent ut facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus*. Neque enim
Philip. 3. 21. caussæ orandi contraria est caussa fugiendi: quando quidem & hinc Dominus, transfigurans in se corpus humilitatis nostræ, ut conforme faceret corpori gloriæ suæ, id quoque docebat, hanc esse nobis magnam caussam orandi, quando est caussa fugiendi. Nec illud adversum est, quod Mat-
Matth. 14. 22. thæus priùs eum dixit jussisse discipulos adscendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, ac deinde dimissis turbis adscendisse in montem solum orare; Johannes verò priùs eum fugisse commemorat solum in montem, ac deinde, *Ut autem serò factum est*, inquit, *descenderunt discipuli ejus ad mare, & cùm adscendissent navem*, &c. Quis enim non videat hoc recapitulando Johannem postea dixisse factum à discipulis, quod jam Jesus jusserat antequam fugisset in montem; sicut solet in sermone ad aliquid prætermissum rediri quodammodo? Sed quia ipse reditus, ma ximè in brevitate ac puncto temporis factus, non commemoratur; putant plerumque qui audiunt, hoc etiam postea factum esse quod postea dicitur. Sic etiam quos dixerat adscendisse navem, & venisse trans mare in Capharnaum, dicit ad eos in mari laborantes venisse Dominum ambulantem super aquas: quod utique priùs in ipsa navigatione factum est, qua veniebant Capharnaum.

101. Lucas autem post narratum de quinque panibus miraculum pergit in aliud, & ab ordine isto digreditur. Neque enim aliquid de navicula illa commemorat, & de via Domini super aquas: sed cùm dixisset, *Et manducaverunt omnes, & satiurati sunt, & sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim*: deinde subjunxit, * *Et factum est, cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli, & interrogavit illos dicens, Quem me dicunt, esse turbæ?* jam deinceps aliud narrans, non quod illi tres, qui Dominum ambulantem super aquas venisse ad navigantes discipulos retulerunt. Nec ideo putari debet in illo monte, quò eum dixit Matthæus adscendisse, ut solus oraret, dixisse discipulis, *Quem me dicunt esse turbæ?* (Lucas enim videtur in hoc congruere Matthæo, quia dixit, *cùm solus esset orans*; cùm ille dixisset, *adscendit in montem solus orare*:) sed omnino alibi cùm solus oraret, & essent cum illo discipuli, hoc interrogavit. Solum quippe Lucas fuisse dixit, non sine discipulis, sicut Matthæus & Johannes, quando ab illo discesserunt, ut præcederent eum trans mare. Iste namque apertissimè adjunxit, *Erant cum illo & discipuli*. Proinde solum dixit, sine turbis, quæ cum illo non habitabant. Luc. 9. 17. v. 18.

102. Sequitur Matthæus, dicens: * *Et cùm transfretassent venerunt in terram Genesar.* * *Et cùm cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes:* * *& rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: & quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.* * *Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes,* * *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cùm panem manducant*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Hæc & Marcus commemorat sine aliqua repugnantiæ quæstione: quidquid enim diverso modo ab alio dicitur, ab eadem sententia non recedit. Johannes autem ab navicula, ad quam Dominus super mare ambulans venit, postea quàm exierunt in terram, more suo in sermonem Domini intentus, eum ex occasione panis multa præcipuéque divina locutum esse commemorat; postque ipsum sermonem rursus in aliud atque aliud ejus narratio sublimiter fertur. Nec tamen in eo quod ab istis digreditur, aliquid ordini istorum, illius in alia transitus adversatur. Quid enim prohibet intelligere & illos esse sanatos a Domino, de quibus narrant Matthæus & Marcus; & illis qui eum secuti sunt trans mare, hæc eum locutum esse, quæ prædicat Johannes? Quando quidem Capharnaum, quò dicuntur secundùm Johannem transfretasse, juxta stagnum est Genesar, ad quam ter-

Caput XLVIII. De iis quæ post transfretationem gesta narrantur.
Matth. 14. v. 34. v. 35. v. 36. Matth. 15. v. 1. v. 2. v. 20. Marci 7. 1. &c. Joan. 6. 26. &c.

[a] Sic in aliquot melioris notæ MSS. At in aliis MSS. duodecim habetur, *in monte fuisse, cùm eisdem turbas de quinque* &c. In editis autem Er. & Lov. *in montem fugisse, cùm eosdem turbas de quinque* &c.

ram secundùm Matthæum dicuntur exisse.

Caput XLIX. De muliere Chananæa.
103. Sequitur itaque Matthæus post illum sermonem Domini, ubi de non lotis manibus cum Pharisæis egit, atque ita conserit narrationem, ordinem, quantum ipse transitus indicat, rerum etiam
Matth. 15. v. 21. quæ consecutæ sunt servans: * *Et egressus*, inquit,
v. 22. *inde Jesus secessit in partes Tyri & Sidonis.* * *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamavit dicens ei, Miserere mei Domine, fili David; filia mea*
v. 23. *malè à dæmonio vexatur.* * *Qui non respondit ei ver-*
v. 28 *bum*, &c. usque ad illud ubi ait, * *O mulier, magna est fides tua, fiat sicut vis. Et sanata est filia ejus ex*
Marci 7. 25. &c. *illa hora.* Hoc de muliere Chananæa etiam Marcus commemorat, eumdem rerum gestarum ordinem servans, nec afferens aliquam repugnantiæ quæstionem, nisi quòd in domo dicit fuisse Dominum cùm ad illum venit eadem mulier pro filia sua rogans. Matthæus autem posset quidem facilè intelligi de domo tacuisse, eamdem tamen rem commemorasse: sed quoniam dicit discipulos Domino
Matth. 15. 23. ita suggessisse, *Dimitte illam, quoniam clamat post nos*; nihil videtur aliud significare, quàm post ambulantem Dominum mulierem illam deprecatorias voces emisisse. Quomodo ergo in domo, nisi quia intelligendum est dixisse quidem Marcum, quòd intraverit ubi erat Jesus, cùm eum prædixisset fuisse
Ibidem. in domo? Sed quia Matthæus ait, *Non respondit ei verbum*; dedit agnoscere, quod ambo tacuerunt, in eo silentio egressum fuisse Jesum de domo illa: atque ita cetera contexuntur, quæ jam in nullo discordant. Quod enim Marcus commemorat ei Dominum respondisse de pane filiorum non mittendo canibus, illis interpositis, dictum est, quæ Matthæus dicta non tacuit: id est, quia discipuli rogaverunt eum pro illa; & quia respondit non se esse missum nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël; & quia illa venit, id est, consecuta est, & adoravit
Ibidem 25. eum dicens, *Domine adjuva me*: tunc deinde dictum est quod Evangelistæ ambo commemorant.

Caput L. Miraculis de septem panibus.
Matth. 15. v. 29 v. 30. v. 31. v. 32. v. 38. Marci 8. 1. &c. Marci 7. 31.
104. Sequitur Matthæus ita narrans: * *Et cùm transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ, & adscendens in montem, sedebat ibi.* * *Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, claudos, cæcos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos:* * *ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes; & magnificabant Deum Israël.* * *Jesus autem convocatis discipulis suis dixit, Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, & non habent quod manducent*, &c. usque ad illud ubi ait: * *Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos & mulieres.* Hoc aliud miraculum de septem panibus & paucis piscículis etiam Marcus commemorat eodem penè ordine, nisi quia interponit quod nullus alius dicit, de surdo cui Dominus aures aperuit, spuens & dicens, *Effeta, quod est, adaperire.*

105. Hoc sanè non ab re fuerit admonere in hoc miraculo de septem panibus, quod duo Evangelistæ Matthæus Marcusque posuerunt, quia si aliquis
Matth. 14. 15. Marci 6. 35. Luc. 9. 12. Joan. 6. 5. eorum id dixisset, qui de illis quinque panibus non dixisset, contrarius ceteris putaretur. Quis enim non existimaret unum idemque factum esse; non autem integrè & veraciter, sive ab illo, sive ab aliis, sive ab omnibus fuisse narratum, sed aut illum pro quinque panibus septem dum falleretur commemorasse, aut illos pro septem quinque, aut utrosque mentitos, vel oblivione deceptos? Hoc & de duodecim cophinis, & de septem sportis opinaretur quasi contrarium. Hoc de quinque millibus & de quatuor millibus eorum qui pascerentur. Sed quia illi qui miraculum de septem panibus narraverunt, nec illud de quinque tacuerunt, neminem movet, & utrumque factum omnes intelligunt. Hoc ideo diximus, ut si cubi simile invenitur factum à Domino, quod in aliquo alteri Evangelistæ ita repugnare videatur, ut omnino solvi non possit, nihil aliud intelligatur quàm utrumque factum esse, & aliud ab alio commemoratum: sicut de centenis, & quinquagenis discumbentibus * commendavimus; * Supra n. 98.
quia si non etiam illud utrumque apud unum inveniremus, contraria singulos dixisse putaremus.

Caput LI. Jesus veniens in Magedan.
Matth. 15. 39. Matth. 16. 4. Matth. 12. 39.
106. Sequitur Matthæus, & dicit: *Et dimissa turbâ adscendit in naviculam, & venit in fines Magedan*, &c. usque ad illud ubi ait, *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* Hoc jam & alibi dixit idem Matthæus. Unde etiam atque etiam retinendum est, sæpius Dominum eadem dixisse, ut quod exsistente contrario solvi non potuerit, bis dictum intelligatur. Hunc sanè ordinem etiam Marcus tenens, post illud de septem panibus miraculum, hoc
Marci 8. 10. idem subjicit quod Matthæus, nisi quòd Dalmanutha, quod in quibusdam codicibus legitur, non dixit Matthæus, sed Magedan. Non autem dubitandum est eumdem locum esse sub utroque nomine. Nam plerique codices non habent etiam secundùm Marcum, nisi Magedan. Nec illud moveat, quod Marcus non dicit responsum esse quærentibus signum de cælo, idem quod Matthæus de Jona, sed ait Dominum respondisse, *Signum non dabitur ei.* Intelligendum est enim quale petebant, hoc est, de cælo: prætermisit autem dicere de Jona, quod Matthæus commemoravit.

Caput LII. Fermentum Pharisæorum.
Matth. 16. v. 5. v. 6. v. 12.
107. Sequitur Matthæus: * *Et relictis illis abiit. Et cùm venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.* * *Qui dixit illis, Intuemini, & cavete à fermento Pharisæorum & Saducæorum*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Saducæorum.* Hæc eadem etiam
Marci 8. 14. Marcus & eodem ordine digerit.

Caput LIII. Jesus in Cæsarea Philippi.
Matth. 16. v. 13. v. 14. v. 19. Marci 8. 27. Ibidem 22. Luc. 9. 18.
108. Sequitur Matthæus: * *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens, Quem* [a] *me dicunt homines esse filium hominis?* * *At illi dixerunt, alij Johannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Jeremiam, aut unum ex prophetis*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Hoc eodem penè ordine Marcus narrat, sed interposuit primò de cæco illuminato, quod solus ipse commemorat, de illo qui dixit Domino, *Video homines sicut arbores ambulantes.* Lucas autem post miraculum illud de quinque panibus hoc recordatur, atque inserit: cujus recordationis ordo, sicut suprà jam ostendimus, nihil repugnat ordini istorum. Sed potest illud movere, quòd Lucas Dominum interrogasse discipulos suos, quem illum dicerent homines, tunc dixit, cùm esset solus orans, & adessent etiam ipsi: porrò autem Marcus in via dicit illos
Marci 8. 27. hoc ab eodem interrogatos. Sed eum movet, qui numquam oravit in via.

109. Jam etiam dixisse me recolo, ne quis arbitretur quòd hîc Petrus nomen acceperit, ubi illi

[a] In editis excidebat, *me*; quod hic in optimæ notæ MSS. habetur, & in Græco.

Matth. 16. 18. ait, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Non enim accepit hoc nomen, nisi *Johan. 1. 42.* ubi Johannes commemorat ei dictum esse, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Unde nec *Marci 3. 16. &c.* illo loco, ubi Marcus duodecim discipulos nominatim commemorans, dixit appellatos Jacobum & Johannem filios tonitrui, arbitrandum est nomen accepisse Petrum, quia dixit illic quòd imposuerit ei nomen ut vocaretur Petrus: hoc enim recolendo dixit, non quòd tunc factum sit.

CAPUT LIV. *Matth. 16. v. 20. v. 21.*

110. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus.* * *Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus & Scribis*, &c. usque ad illud *v. 23.* ubi ait, * *Non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* *Marci 8. 30. &c.* Hæc eodem ordine subnectunt Marcus & Lucas: *Luca 9. 21. &c.* sed Lucas de Petro, quòd passioni Christi contradixerit, tacet.

CAPUT LV. Jesus ad se sequendum exhortans. *Matth. 16. v. 24. v. 27. Marci 8. 34. &c.*

111. SEQUITUR Matthæus: * *Tunc Iesus dixit discipulis suis, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Et tunc reddet unicuique secundùm opus ejus.* Hoc & Marcus subjungit eumdem ordinem servans: sed ipse non dicit de filio hominis venturo cum Angelis suis, ut reddat unicuique secundùm opus suum. Commemorat tamen etiam illud dixisse Dominum, *Ibidem 38.* *Qui enim me confusus fuerit, & mea verba, in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confundetur eum cùm venerit in gloria sua cum Angelis sanctis.* Quod intelligi potest ad eamdem sententiam pertinere, qua dixit Matthæus, ut reddat unicuique secundùm opus suum. *Luca 9. 23.* Lucas quoque eadem eodemque ordine annectit, non multùm diverso verborum modo, eadem tamen sententiarum veritate simillimus.

CAPUT LVI. De transfiguratione Domini. *Matth. 16. v 28 Matth. 17. v. 1. v. 9.*

112. SEQUITUR Matthæus: * *Amen dico vobis, sunt quidam de hìc stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.* * *Et post dies sex assumsit Iesus Petrum & Iacobum & Iohannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Hæc visio Domini in monte coram tribus discipulis, Petro, Jacobo & Johanne, ubi etiam de cælo illi testimonium Paternæ vocis perhibitum est, à tribus Evangelistis eodem ordine commemoratur, & ad easdem omnino sententias: sed cetera secundùm ea genera locutionum diversa, sine ulla sententiarum diversitate, quæ multis locis superiùs demonstravimus, videri à legentibus possunt.

113. *Marci 9. 1. Luca 9. 28.* Quòd autem Marcus post sex dies factum dicit, sicut Matthæus, Lucas autem post octo, non contemnendi sunt, si quos movet, sed ratione reddita instruendi. Dies enim quando enuntiamus dicentes, Post tot dies, aliquando non annumeramus eum in quo loquimur, & eum quo res ipsa futura est, quam prænuntiamus vel pollicemur, sed medios, post quos revera plenos atque integros illud futurum est. Hoc fecit Matthæus & Marcus, excepto eo die quo hæc loquebatur Jesus, & illo quo exhibuit memoratam in monte visionem, medios dies intuentes dixerunt, *Post sex dies*: quod ille annumeratis finalibus, id est primo atque ultimo, dixit, *Post octo dies*, eo loquendi modo, quo pars pro toto commemoratur.

114. Item quod Lucas ait de Moyse & Elia, *Luca 9. 33.* *Et factum est, dum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum, Præceptor, bonum est nos hìc esse*, & cetera, non debet putari contrarium ei, quod Matthæus Marcusque *Matth. 17. 4. Marci 9. 4.* ita conjunxerunt, Petrum hoc suggessisse, quasi adhuc Moyses & Elias cum Domino loquerentur. Non enim expresserunt, quod tunc; sed tacuerunt potiùs, quod iste addidit, illis discedentibus hoc Petrum de tribus tabernaculis faciendis Domino suggessisse. Addidit etiam Lucas, intrantibus illis in nubem, factam esse vocem de nube, quod illi non dixerunt, sed nec contradixerunt.

CAPUT LVII. De adventu Eliæ. *Matth. 17. v. 10. v. 11. v. 12.*

115. SEQUITUR Matthæus: * *Et interrogaverunt eum discipuli dicentes. Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire?* * *At ille respondens ait eis, Elias quidem venturus est, & restituet omnia:* * *dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt: sic & filius hominis passurus est ab eis.* * *Tunc intellexerunt discipuli, quia de Iohanne Baptista dixisset eis.* *v. 13.* Hoc idem Marcus, etiam hunc ordinem servans, commemoravit, *Marci 9. 10. &c.* & in nonnulla diversitate verborum, nusquam tamen ab ejusdem sententiæ veritate discessit: sed ipse non addidit, intellexisse discipulos, quòd Johannem Dominus significasset, dicendo quòd Elias jam venerit.

CAPUT LVIII. *Matth. 17. v. 14.*

116. SEQUITUR Matthæus, & dicit, *Et cùm venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutis ante eum dicens, Domine miserere filij mei, quia lunaticus est, & malè patitur*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* *v. 20.* Hoc & Marcus & Lucas eodem etiam ordine memorant, *Marci 9. 16. Luca 9. 37.* sine ulla repugnantiæ quæstione.

CAPUT LIX. *Matth. 17. v. 21. v. 22.*

117. SEQUITUR Matthæus, dicens: * *Conversantibus autem eis in Galilæa dixit illis Iesus, Filius hominis tradendus est in manus hominum:* * *& occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.* Hoc eodem ordine Marcus Lucasque commemorant. *Marci 9. 30. Luca 9. 44.*

CAPUT LX. *Matth. 17. v. 23. v. 24. v. 26.*

118. SEQUITUR Matthæus, dicens: * *Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei, Magister vester non solvit didrachma?* * *Ait, Etiam*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Invenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Hoc solus iste commemorat, quo interposito eumdem ordinem sequitur, in quo cum eo etiam Marcus & Lucas pariter ambulant.

CAPUT LXI. De loco, ubi parvulus proponitur imitandus. *Matth. 18. v. 1. v. 2. v. 3. v. 35.*

119. SEQUITUR ergo idem Matthæus, & dicit: * *In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, Quis putas major est in regno cælorum?* * *Et advocans Iesus parvulum, statuit eum in medio eorum,* * *& dixit, Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum:* usque ad illud ubi ait, * *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ex isto aliquantò prolixiore Domini sermone non omnia, sed quædam Marcus eumdem sequens ordinem posuit; *Marci 9. 33. &c.* quædam etiam ipse, quæ Matthæus non dicit, inseruit. Totus autem sermo quò usque eum considerandum suscepimus, à Petro solo interpellatur, quærente quoties fratri debeat ignosci. Talia enim Dominus loquebatur, ut satis eluceat, etiam hoc quod Petrus interrogavit, eique responsum est, ad eumdem pertinere sermonem. Lucas autem nisi illud de *Luca 9. 46. &c.* parvulo, quem constituit ante discipulos imitandum, cùm de sua magnitudine cogitarent, nihil hoc

hoc ordine servato commemorat. Si qua enim alia similiter dixit, quæ & in isto sermone sunt posita, alibi & ex aliis occasionibus dicta recoluit: *Johan. 20. 23.* sicut Johannes de remissione peccatorum, quòd tenebuntur si cui tenuerint, & dimittentur si cui dimiserint, post resurrectionem à Domino dictum commemorat, *Matth. 18. 18. Matth. 16. 19.* cùm Matthæus in hoc sermone Dominum hoc dixisse meminerit, quod & Petro antea dictum fuisse idem ipse testatur. Eadem itaque sæpe ac pluribus locis Jesum dixisse, necubi moveamur, si ordo dictorum quibusdam repugnare putabitur, sicut jam toties commendavimus, meminisse debemus, ne hoc semper admonere necesse sit.

CAPUT LXII. Jesus de repudio interrogatus à Pharisæis. *Matth. 19. v. 1. v. 2. v. 3. v. 12. Marci 10. 1. &c.*

120. SEQUITUR Matthæus, ita narrans: * *Et factum est, cùm consummasset Iesus sermones istos, migravit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem:* * *& secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.* * *Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes, Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex caussa*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Qui potest capere capiat.* Hoc & Marcus commemorat eumdem ordinem tenens. Sanè videndum est, ne repugnare videatur, quòd idem Marcus à Domino dicit interrogatos Pharisæos, quid eis Moyses præceperit, atque ita illos interroganti respondisse de permisso sibi libello repudij: cùm Matthæus dixerit verbis Domini, quibus ostenderat ex Lege Deum conjunxisse masculum & feminam, & propterea non eos debere ab homine separari, illos retulisse responsionem, *Matth. 19. 7.* *Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudij, & dimittere?* Quibus iterum ait, *Ibidem 8.* *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non sic fuit.* Nam & Marcus hanc Domini responsionem non tacet, sed postea quàm ei responderunt interroganti de libello repudij.

121. In quo ordine vel modo verborum hoc intelligere debemus, ad rei veritatem nihil interesse, utrùm Domino separationem prohibenti & sententiam suam de Lege firmanti, ipsi intulerint quæstionem de libello repudij per eumdem Moysen sibi permisso, per quem & illud scriptum est, *Gen. 2. 24.* quòd Deus conjunxerit masculum & feminam; an hoc idem illi de præcepto Moysi eos interroganti responderint. Nam & voluntas ejus ita se habebat, ut non eis redderet rationem, cur illud Moyses permiserit, nisi priùs ipsi hoc commemorassent; quæ voluntas ejus, eâ quam Marcus posuit, interrogatione significata est: & illorum voluntas ipsa erat, ut de auctoritate Moysi, quoniam mandavit dari libellum repudij, tamquam concluderent eum separationem sine dubio vetaturum, hoc enim dicturi etiam tentantes accesserant. Quæ voluntas eorum sic expressa est per Matthæum, ut non eos esse commemoraret interrogatos, sed ultrò intulisse de mandato Moysi, quo velut convincerent Dominum separationem conjugum prohibentem. Cùm ergo voluntas loquentium, cui debent verba servire, ab Evangelista utroque monstrata sit, nihil interest quàm diversus inter ambos fuerit narrandi modus, dum ab eadem veritate neuter abscederet.

122. Potest etiam hoc intelligi, quòd, sicut dicit Marcus, priùs eos de uxore dimittenda interrogantes Dominus vicissim interrogaret, quid eis præceperit Moyses: qui cùm respondissent, Moysen permisisse libellum repudij scribere, & dimittere; respondit eis de ipsa Lege per Moysen data, quomodo Deus instituerit conjugium masculi & feminæ, dicens ea quæ ponit Matthæus, id est, *Matth. 19. 4.* *Non legistis, quia qui fecit ab initio, masculum & feminam fecit eos*, & cetera. Quibus auditis illi id quod ei primò interroganti responderant, repetiverunt, dicentes, *Ibidem 7.* *Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudij, & dimittere?* Tunc Jesus caussam ostendit esse duritiam cordis ipsorum, quam Marcus brevitatis caussâ priùs ponit, tamquam illi priori, quam Matthæus intermisit, eorum responsioni redditam: nihil deperire judicans veritati, quocumque loco eisdem ipsis verbis quæ bis dixerant redderetur, quoniam ipsis verbis eam reddiderat Dominus.

CAPUT LXIII. De Matthæi contextu, ubi parvuli benedicendi offeruntur. *Matth. 19. 13.*

123. SEQUITUR Matthæus: *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret: Discipuli autem increpabant eos*, & cetera, usque ad illud ubi ait, *Multi enim sunt vocati, pauci autem electi.* Hunc cum Matthæo Marcus ordinem tenuit, sed de conductis operariis ad vineam solus Matthæus interponit: Lucas autem cùm commemorasset illud, *Matth. 20. 16. Marci 10. 13.* quod eis dixit quærentibus inter se quisnam major esset, adjunxit de illo quem viderant ejicientem dæmonia, cùm eum non sequeretur: inde jam digreditur ab istis duobus, *Luca 9. 46. &c.* ubi ait eum firmasse faciem suam ut iret in Jerusalem: ac post multa interposita occurrit eis rursus ad commemorandum *Luca 18. 18.* istum divitem, cui dicitur, *Vende omnia quæ habes*: quem nunc isti commemorant ex ordine quo pariter eunt. Nam ibi etiam Lucas de istis parvulis, antequam divitis faciat mentionem, quemadmodum & isti, non prætermittit. De illo ergo divite qui quærit, quid boni faciat ut vitam æternam consequatur, potest videri distare aliquid quod secundùm Matthæum dicitur, *Matth. 19. 17.* *Quid me interrogas de bono?* secundùm illos autem, *Marci 10. 18.* *Quid me dicis bonum?* Nam, *Quid me interrogas de bono*, ad illud magis referri potest, quod ait ille quærens, *Luca 18. 19.* *Quid boni faciam?* Ibi enim & bonum nominavit, & interrogatio est: *Magister* autem *bone*, nondum est interrogatio. Commodissimè ergo intelligitur utrumque dictum, *Quid dicis me bonum*; &, *interrogas me de bono?*

CAPUT LXIV. De petitione filiorum Zebedæi. *Matth. 20. v. 17. v. 18. v. 19.*

124. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Et adscendens Iesus Ierosolymam assumsit duodecim discipulos secretò, & ait illis,* * *Ecce adscendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & Scribis; & condemnabunt eum morte,* * *& tradent eum gentibus ad deludendum & flagellandum & crucifigendum; & tertia die resurget.* * *v. 20.* *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo*, &c. usque ad illud ubi ait, * *v. 28.* *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemtionem pro multis.* Hunc cum illo ordinem etiam Marcus tenet, *Marci 10. 35.* filios Zebedæi perhibens dixisse quod ab eis, non per eos ipsos, sed per matrem dictum esse Matthæus expressit, cùm illa eorum voluntatem adtulisset ad Dominum. Unde magis ipsos quàm illam dixisse quod dictum est, Marcus breviter intimavit. Denique & Dominus & secundùm Matthæum & secundùm *Matth. 20. 25. Marci 10. 36.* Marcum ipsis potiùs quàm matri respondit. Lucas autem postea quàm ex eodem ordine commemoravit, *Luca 18. 31.* quæ de passione & de resurrectione sua duodecim discipulis prædixerit, prætermittit ea quæ isti commemorant, post quæ interposita occurrunt ei ad Jericho. Quod autem dixerunt Matthæus & *Matth. 20. 25. Marci 10. 42.* Marcus de principibus gentium, qui dominantur subjectis, non ita futurum inter illos, sed eum qui

erit major etiam servum aliorum futurum : dicit tale
Luc. 22. 25. aliquid & Lucas, sed non eo loco ; & ordo ipse indicat, iterum esse eamdem sententiam à Domino dictam.

CAPUT LXV. De cæcis in Jericho illuminatis.

125. SEQUITUR Matthæus: * *Et egredientibus eis ab Iericho, secuta est eum turba multa.* * *Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Iesus transiret, & clamaverunt, dicentes, Domine miserere nostri fili David*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.* Hoc & Marcus commemorat, sed de uno cæco factum. Quæ B
*Matth. 20. v. 29. v. 30. v. 34. Marci 10. 46. * Supra cap. 24. n. 56.* ita solvitur quæstio, ut illa soluta * est de duobus, qui legionem dæmonum patiebantur in regione Gerasenorum. Nam duorum etiam cæcorum, quos modò interposuit, unum fuisse notissimum & in illa civitate famosissimum, ex hoc etiam satis apparet, quòd & nomen ejus & patris ejus Marcus com-
Marci 10. 46. memoravit : quod in tot superiùs sanatis à Domino non facilè occurrit, nisi cùm Jairum archisynagogum etiam nomine expressit, cujus filiam resuscitavit Jesus. In quo etiam magis iste sensus apparet, C
Marci 5. 22. quia & ille archisynagogus utique in loco isto nobilis fuit. Procul dubio itaque Bartimæus iste Timæi filius ex aliqua magna felicitate dejectus, notissimæ & famosissimæ miseriæ fuit, quòd non solùm cæcus, verùm etiam mendicus sedebat. Hinc est ergo quòd ipsum solum voluit commemorare Marcus, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quàm erat illius nota calamitas.

Luc. 18. 35. 126. Lucas verò quamvis omnino eodem modo factum, tamen in alio cæco intelligendus est D
Ibidem 29. par commemorare miraculum, & ejusdem miraculi parem modum. Ille quippe hoc factum dicit, cùm appropinquaret Jericho : at isti cùm egrederetur ab Jericho. Sed nomen civitatis & facti similitudo putari suadet semel esse factum : sed Evangelistas in hoc sibi adversari, quòd alius dicat, *Cùm appropinquaret Iericho*, alij, *Cùm egrederetur ab Iericho*, non sanè hoc persuadet, nisi eis qui proclivius credi volunt, mentiri Evangelium, quàm duo similia similiterque miracula fecisse Jesum. Quid E
** Supra cap. 46. n. 98* autem sit credibilius, & quid potiùs verum, & omnis fidelis filius Evangelij facillimè videt ; & omnis contentiosus saltem cùm admonitus fuerit, vel tacendo, vel etiamsi tacere noluerit, cogitando sibi ipse respondet.

CAPUT LXVI. Asina cum pullo adducta.

127. SEQUITUR Matthæus, & dicit : * *Et cùm appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis,* * *Ite in castellum quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam & pullum cum*
Matth. 21. v. 1. v. 2. v. 9. *ea*, &c. usque ad eum locum ubi ait, * *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis.*
Marci 11. 1. Luc. 19. 1. Hoc etiam Marcus narrat eodem ordine custodito. Lucas autem in Jericho immoratur, quædam commemorans quæ isti prætermiserunt, de Zachæo principe publicanorum, & quædam in para-
Ibidem 29. bolis dicta. Post hæc & ipse occurrit eis ad hujus pulli commemorationem, in quo sedit Jesus. Nec moveat quòd Matthæus asinam dicit & pullum, ceteri autem de asina tacent. Immo etiam recor- G
** Supra cap. 46. n. 98* danda est illa regula, quam de quinquagenis & centenis discumbentibus, cùm quinque panibus turbæ pascerentur, suprà * insinuavimus : qua insinuatâ, non deberet hoc jam permovere lectorem, nec si Matthæus ita de pullo tacuisset, quemadmodum illi de asina tacuerunt, ut maximè contrarium putaretur, quòd unus asinam dixit, alij pullum asinæ : quanto minùs moveri oportet, quia unus ita commemoravit asinam, de qua ceteri tacuerunt, ut tamen pullum non taceret, de quo illi dixerunt ? Ubi ergo utrumque factum potest intelligi, nulla repugnantia est, nec si alius aliud, & aliud alius commemoret : quanto minùs ubi alius unum, alius utrumque ?

128. Johannes quoque cùm taceat quemad- *Johan. 12. 14. &c.*
modum Dominus discipulos suos ad hæc animalia sibi adducenda miserit, interponit tamen breviter hoc de pullo, cum testimonio etiam Prophetæ, *Zach. 9. 9.* quod Matthæus adhibet. In quo etiam testimonio prophetico aliquantùm diversa Evangelistarum locutio ab ea quidem sententia non recedit : sed potest movere quòd hoc Matthæus sic adhibet, ut *Matth. 21. 5.* asinam dicat commemorasse Prophetam ; non autem ita se habet, vel quod Johannes interponit, vel codices ecclesiastici interpretationis usitatæ. Interpretatio usitata.
Cujus rei caussa illa mihi videtur, quòd Matthæus Hebraâ linguâ perhibetur Evangelium conscripsisse. Manifestum est autem interpretationem illam quæ dicitur Septuaginta, in nonnullis se aliter habere quàm inveniunt in Hebræo, qui eam linguam noverunt, & qui interpretati sunt singuli eosdem libros Hebræos. Hujus item distantiæ caussa Septuaginta quare ab Hebræo varient.
si quæratur, cur tanta auctoritas interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea veritate quæ in Hebræis codicibus invenitur ; nihil occurrere probabilius existimo, quàm illos Septuaginta eo spiritu interpretatos, quo & illa quæ interpretabantur dicta fuerant : quod ex ipsa eorum mirabili quæ prædicatur consensione firmatum est. Ergo & ipsi nonnulla in eloquio variando, & ab eadem voluntate Dei, cujus illa dicta erant, & cui verba servire debebant non recedendo, nihil aliud demonstrare voluerunt, quàm hoc ipsum quod nunc in Evangelistarum quatuor concordi quadam diversitate miramur, qua nobis ostenditur non esse mendacium, si quisquam ita diverso modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate cui consonandum & consentiendum est, non recedat. Quod nosse & moribus utile est, propter cavenda & judicanda mendacia ; & ipsi fidei, ne putemus quasi consecratis sonis, ita muniri veritatem, tamquam Deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic verba quæ propter illam sunt dicenda, commendet ; cùm potiùs ita res quæ [a] dicenda est, sermonibus per quos dicenda est, præferatur, ut istos omnino quærere non deberemus, si eam sine his nosse possemus, sicut F illam novit Deus, & in ipso Angeli ejus.

129. SEQUITUR Matthæus, & dicit : * *Et* CAPUT LXVII. Vendentes & ementes expulsi è templo.
cùm intrasset Ierosolymam, commota est universa civitas, dicens, Quis est hic ? Populi autem dicebant, * *Hic est Iesus propheta à Nazareth Galilææ.* * *Et intravit Iesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo*, & cetera, usque ad eum locum *Matth. 21. v. 10. v. 11. v. 12. v. 13.* ubi ait, * *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* *Marci 11. 15. Luc. 9. 45.*
Hoc de turbis vendentium ejectis è templo, omnes commemorant, sed Johannes longè diverso ordine. *Johan. 2. 3. &c.*
Nam post testimonium Baptistæ Johannis de Jesu, cùm eum commemorasset isse in Galilæam, quando aquam convertit in vinum, inde post commemorationem paucorum in Capharnaum dierum, dicit eum adscendisse in Jerosolymam, cùm esset Pascha Judæorum, & facto flagello de restículis expulisse de templo vendentes. Unde manifestum est,

[a] In duodecim MSS & editione Rat. *qua disconda est, sermonibus per quos disconda est.*

non semel, sed iterum hoc esse à Domino factum : A
sed illud primum commemoratum à Johanne, hoc ultimum à ceteris tribus.

CAPUT LXVIII. Ficus arefacta &c. contextus Evangelistarum varius.

130. SEQUITUR Matthæus : * *Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanavit eos.* * *Videntes autem principes sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo & dicentes, Hosanna filio David, indignati sunt ;* * *& dixerunt ei, Audis quid isti dicunt ? Iesus autem dicit eis, Utique : numquam legisti, Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem ?* * *Et relictis illis, abiit foras* B
Matth. 21. v. 14. v. 15. v. 16. Psal. 8 3. Matth. 21. v. 17. v. 18. v. 19. *extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit.* * *Manè autem revertens in civitatem esurivit :* * *& videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea, nisi folia tantùm : & ait illi, Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. & arefacta est*
v. 20. *continuò ficulnea.* * *Et videntes discipuli mirati sunt dicentes, Quomodo continuò aruit ?* * *Respondens autem*
v. 21. *Iesus, ait eis, Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle te, & jacta te in mare,* C
v. 22. *fiet :* * *& omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.*

Marci 11. 11. &c. 131. Hoc & Marcus consequenter dicit, sed non eumdem ordinem tenet. Primò enim quòd eum Matthæus in templum dixit intrasse, & ejecisse vendentes & ementes, non commemorat Marcus, sed circumspectis omnibus cùm jam vespera esset exisse dicit in Bethaniam cum duodecim ; & alia die cùm exirent à Bethania esuriisse, & arbori fici maledixisse : quod & Matthæus commemorat. D
Et subjungit idem Marcus, quòd venerit Jerosolymam, & cùm introisset in templum, ejecit vendentes & ementes, quasi altero die, non primo factum esset. Sed quia Matthæus ita connectit, *Et*
Matth. 21. 17. *relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam*, unde manè revertentem in civitatem arbori maledixisse commemorat ; probabiliùs creditur ipse potiùs tenuisse ordinem temporis de vendentibus & ementibus ejectis de templo. Cùm enim dicit, *Et relictis illis, abiit foras* ; quibus relictis intelligi poterit, nisi cum quibus superiùs loquebatur, indignantibus quòd pueri clamarent, *Hosanna filio David ?* Prætermisit ergo Marcus quod primo die factum est, cùm intravit in templum ; & recordatum interposuit, cùm dixisset quòd non invenerit aliquid in ficulnea præter folia, quòd secundo die factum est, sicut ambo testantur. Miratos autem esse discipulos quòd arbor aruerit, & eis Dominum respondisse de fide & de monte in mare transferendo, non ipso secundo die quo dixit arbori, *Iam non am-* F
plius in æternum quisquam ex te fructum manducet, sed tertio die dicit. Ipso quippe die secundo commemoravit idem Marcus de templo ejectos vendentes, quod primo die factum prætermiserat. Ipso ergo secundo die dicit factâ vesperâ egressum de civitate, & cùm manè transirent, vidisse discipulos ficum aridam factam à radicibus, & recordatum Petrum dixisse ei, *Rabbi, ecce ficus cui maledixisti aruit :* tunc eum de potentia fidei respondisse. Matthæus autem tamquam secundo die hoc totum fa- G
ctum sit, id est, & dictum arbori, *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum* ; & arefactam esse continuò ; & videntibus hoc discipulis atque mirantibus illud de virtute fidei fuisse responsum. Unde intelligitur, Marcum quidem secundo die commemorasse quod primo die factum prætermiserat, de templo scilicet ejectos vendentes & ementes :

Matthæus verò cùm commemorasset quod altero die factum est, de arbore maledicta quando manè revertebatur à Bethania in civitatem, prætermisit ea quæ Marcus commemoravit, venisse illum in civitatem, & vespere exiisse, & manè cùm transirent discipulos arborem aridam fuisse miratos ; & ei quod secundo die gestum erat, quo arbor maledicta est, adjunxit illud quod tertio die gestum est, ejus aridit atem miratos esse discipulos, & de potentia fidei à Domino audisse : sic ea conjungens, ut nisi ex Marci narratione cogamur intendere, ubi & quid Matthæus prætermiserit, non possit agnosci. Cùm ergo dixisset Matthæus, *Et relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. Manè autem revertens in civitatem esurivit : & videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea, nisi folia tantùm : & ait illi, Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. & arefacta est continuò ficulnea* : prætermissis ceteris ad eumdem diem pertinentibus, adjunxit statim, *Et videntes discipuli mirati sunt dicentes, Quomodo continuò aruit ?* quod alio die viderunt, alio die mirati sunt. Intelligitur autem non tunc aruisse quando viderunt, sed continuò cùm maledicta est. Neque enim arescentem, sed penitus arefactam viderunt, ac sic eam continuò in verbo Domini aruisse intellexerunt.

CAPUT LXIX. Christus à Judæis interrogatus in qua potestate hæc faceret.

132. SEQUITUR Matthæus, & dicit : * *Et cùm venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum & seniores populi, dicentes, In*
Matth. 21. v. 23. v. 24. *qua potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potestatem ?* * *Respondens Iesus dixit illis, Interrogabo vos*
v. 25. v. 27. *& ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc faciam.* * *Baptismus Iohannis unde erat*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Nec ego vobis dico in qua potestate hæc facio.* Hoc totum & alij duo Marcus & Lucas totidem penè verbis ex- *Marci 11. 27. Luc. 20. 1.*
plicaverunt : nec in ordine inter se videntur aliquid discrepare, nisi unde superiùs locutus sum, quòd prætermissis quibusdam Matthæus ad alterum diem pertinentibus ita contexit narrationem, ut nisi advertatur, possit putari ipsum in secundo die adhuc versari, Marcum autem in tertio. Lucas verò non quasi ex ordine dies persequens hoc subjunxit, sed cùm commemorasset ejectos de templo ementes & vendentes, prætermisit quòd exibat in Bethaniam, & regrediebatur in civitatem, & quod de ficulnea factum est, & quod mirantibus discipulis de fidei virtute responsum est : atque his prætermissis intulit dicens, * *Et erat docens, quotidie in templo.* *Luc. 19. v. 47.*
Principes autem sacerdotum & Scribæ & principes plebis quærebant illum perdere : * *& non inveniebant quid* *v. 48.*
facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum. * *Et factum est in una dierum docente illo* *Luc. 20. v. 1.*
populum in templo & evangelizante, conveherunt principes sacerdotum & Scribæ cum senioribus, * *& aiunt* *v. 2.*
dicentes ad illum, Dic nobis in qua potestate hæc facis ? &c. quæ etiam duo illi commemorant. Unde apparet, nihil eis etiam ipso ordine repugnare, quando id quod dicit factum in una dierum, ea dies intelligitur, in qua id gestum illi etiam retulerunt.

CAPUT LXX. De vinea aliis locanda.

133. SEQUITUR Matthæus : * *Quid autem vobis videtur ? Homo habebat duos filios, & accedens*
Matth. 21. v. 28. v. 29. *ad primum dixit, Fili, vade, hodie operare in vinea mea :* * *ille autem respondens, ait, Nolo : postea autem*
v. 30. *pœnitentiâ motus, abiit.* * *Accedens autem ad alterum dixit similiter : at ille respondens ait, Eo Domine : &*
v. 44. *non iit*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Et qui ceciderit*

super Lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. Marcus & Lucas non commemorant de duobus istis filiis, quibus imperatum est ut irent atque operarentur in vinea: sed quod post
Ibidem 33. hoc narrat Matthæus de vinea quæ locata est agricolis, qui persecuti sunt servos missos ad se, & po-
Marci 12. 1. Luc. 20. 9. stea dilectum filium occiderunt, & ejecerunt extra vineam, etiam illi ambo non tacent, eodem ordine custodito, id est, postea quàm de baptismo Johannis interrogati Judæi se nescire dixerunt, & respondit eis, *Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.*

134. Nullius ergo hîc repugnantiæ quæstio nascitur, nisi quòd Matthæus cùm dixisset, quòd Do-
Matth. 21. 40. minus interrogaverit Judæos, *Cùm venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* illos respondisse subjungit atque dixisse, *Malos malè perdet, & vineam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Quod Marcus non ab ipsis responsum esse
Ibidem 41. commemorat, sed Dominum hoc consequenter locutum post interrogationem suam, ipsum sibi
Marci 12. 9. quodammodo respondisse: ita enim dicit, *Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam aliis.* Sed facilè potest intelligi, vel illorum vocem ita subjunctam, ut non interponeretur, Illi dixerunt, aut Illi responderunt, sed tamen intelligeretur: aut ideo responsionem istam Domino potiùs adtributam, quia cùm verum dixerunt, etiam de illis hoc ipse respondit qui veritas est.

135. Sed illud magis movet, quòd Lucas non solùm eos hoc respondisse non dicit, hæc etiam verba ipse quoque sicut Marcus Domino adtribuens, verùm etiam contrariam retulisse responsionem, di-
Luc. 20. v. 15. v. 16. centes, *Absit.* Ita enim narrat: * *Quid ergo faciet illis dominus vineæ? * Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito dixerunt illi, Absit.* *v. 17.* * *Ille autem adspiciens eos ait, Quid est ergo hoc*
Psal. 117. 22. *quod scriptum est, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quomodo ergo secundùm Matthæum illi quibus hæc loquebatur dixerunt, *Malos malè perdet, & vineam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis;* cùm secundùm Lucam talibus verbis contradixerint dicentes, *Absit?* Et revera quod secutus Dominus ait de lapide reprobato ab ædificantibus, & facto in caput anguli, ita illatum est, ut hoc testimonio convincerentur illi parabolæ contradicentes. Nam & ipse Matthæus hoc sic commemorat dictum, tamquam contradicentibus, cùm ait,
Matth. 21. 42. *Numquam legistis in Scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quid est enim, *Numquam legistis*, nisi quia hoc responderant, quod esset contrarium? Hoc & Mar-
Marci 12. 10. cus significat, qui hæc ipsa verba ita refert, *Nec Scripturam hanc legistis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quæ sententia secundùm Lucam magis apparet loco suo dicta, post illorum contradictionem qua dixerunt, *Absit.* Tantumdem enim valet, sicut hoc etiam ipse ponit, *Quid est ergo hoc quod scriptum est, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Hanc enim sententiæ voluntatem intimat, sive *Numquam legistis*, sive *Nec hoc legistis*, sive *Quid est ergo hoc quod scriptum est.*

136. Restat ergo ut intelligamus in plebe quæ audiebat, quosdam respondisse quod Matthæus commemorat dicens, *Aunt illi, Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis:* quosdam verò illud quod Lucas non tacuit, hoc est, *Absit.* Iis ergo qui illud Domino responderant, illi alij responderunt, *Absit:* sed illorum responsio quibus isti retulerunt, *Absit*, propterea Domino tributa est & à Marco & à Luca, quia, sicut dixi, per eos veritas ipsa locuta est, sive per nescientes si mali erant, sicut per Caipham, qui nesciens quid dixe-
Johan. 11. 49. rit cùm esset pontifex prophetavit; sive per scientes ac jam intelligentes atque credentes. Ibi enim erat etiam illa multitudo, per quam jam erat impleta illa prophetia, cùm venienti magna celebri-
Psal. 117. 26. Matth. 21. 9. tate occurrentes acclamarent, *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

137. Nec moveat quòd idem Matthæus principes sacerdotum & seniores populi dixit accessisse ad Dominum, & quæsivisse in qua potestate hæc faceret, & quis ei dederit hanc potestatem; quando eos de baptismo Johannis vicissim interrogavit unde esset, de cælo an ex hominibus? quibus respondentibus quòd nescirent, ait, *Nec ego vobis di-*
Ibidem 23. v. 27. *co in qua potestate hæc facio.* Inde enim secutus est contextim loquendo, & ait, *Quid autem vobis vi-*
v. 28. *detur? Homo habebat duos filios*, &c. sine ulla cujusquam rei vel personæ interpositione, secundùm Matthæum sermo contexitur, usque ad hoc quod de locata agricolis vinea commemoratur. Potest enim putari omnia eum principibus sacerdotum & senioribus populi locutum fuisse, à quibus fuerat de sua potestate interrogatus. Qui utique si tentantes & inimici quæsierant, non in eis possunt intelligi qui crediderant, atque illud clarum ex Prophetæ testimonium Domino perhibuerant; qui etiam modò respondere potuissent, non nescientes, sed credentes, *Malos malè perdet, & vineam locabit aliis agricolis.* Hoc omnino movere non debet, ut ideo putemus non fuisse credentes in illa multitudine, quæ tunc Domini parabolas audiebat. Tacuit namque idem Matthæus brevitatis caussâ, quod Lucas non tacet, parabolam istam scilicet non ad eos solos dictam, qui de potestate interrogaverant, sed ad plebem. Sic enim ait, *Cœpit au-*
Luc. 20. 9. *tem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam*, &c. In hac ergo plebe intelligendum est etiam illos esse potuisse, qui sic eum audirent, quomodo qui dixerant, *Benedictus qui venit in nomine Domini:* & ipsos vel ex ipsis fuisse qui responderunt, *Malos malè perdet, & vineam locabit aliis agricolis.* Quorum responsionem non solùm propterea Domino tribuerunt Marcus & Lucas, quòd hoc ipse dixisset, quia veritas est, quæ etiam per malos atque nescientes sæpe loquitur, occulto quodam instinctu mentem hominis movens, non sanctitatis illius merito, sed jure propriæ potestatis: verùm etiam quia tales esse potuerunt, ut non frustra in ipso corpore Domini jam sicut membra deputarentur, ut meritò eorum vox illi tribueretur, cujus membra erant; quia jam baptizaverat plu-
Johan. 4. 1. res quàm Johannes, & habebat turbas discipulorum, sicut ipsi Evangelistæ sæpe testantur, & unde erant etiam illi quingenti fratres, quibus eum apo-
1. Cor. 15. 6. stolus Paulus post resurrectionem præsentatum esse commemorat: præsertim quia & secundùm eumdem Matthæum non ita dictum est, *Aiunt illi, Malos malè perdet*, ut in eo quod positum est, *illi*, pluralis numerus accipiendus sit, tamquam eorum fuerit ista responsio, qui eum de sua potestate dolosè interrogaverant; sed, *Aiunt illi*, dictum est, id est, illi ipsi Domino, singulari pronomine, non *Græc. unus*

plurali, quod in codicibus Græcis sine ullo scrupulo ambiguitatis apparet.

138. Est quidam sermo Domini apud Evangelistam Johannem, ubi hoc quod dico faciliùs
Johan. 8. v. 31. possit intelligi. * *Dicebat ergo*, inquit, *Jesus ad eos qui crediderunt ei Judæos, Si vos manseritis in sermo-*
v. 32. *ne meo, verè discipuli mei eritis:* * *& cognoscetis veri-*
v. 33. *tatem, & veritas liberabit vos.* * *Et responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis, Liberi eritis?* * *Respondit eis Jesus,*
v. 34. *Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum,*
v. 35. *servus est peccati:* * *servus autem non manet in domo in*
v. 36. *æternum; filius autem manet in æternum:* * *si ergo vos*
v. 37 *filius liberaverit, verè liberi eritis.* * *Scio quia filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.* Non utique illis diceret, *quæritis me interficere*, qui in eum jam crediderant, quibus dixerat, *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis:* sed quia hoc ad eos dixerat, qui jam in eum crediderant, ea verò multitudo præsens erat quæ plures habebat inimicos, etiam non exprimente Evangelista qui essent qui responderunt, ex hoc ipso quod responderunt, & quod deinde ab illo audire meruerunt, satis apparet quæ verba quibus sint tribuenda personis. Sicut ergo in hac multitudine secundùm Johannem erant qui jam crediderant in Jesum, erant etiam qui eum occidere quærebant: sic in illa de qua nunc loquimur, erant qui dolosè Dominum interrogaverant, in qua potestate illa faceret: erant etiam qui non dolosè, sed fideliter acclamaverant, *Benedictus qui*
venit in nomine Domini: ac per hoc erant qui dicerent, *Perdet illos, & vineam suam dabit aliis.* Quæ vox rectè etiam ipsius Domini fuisse intelligitur, sive propter veritatem [a] quæ ipse est, sive propter membrorum ejus cum suo capite unitatem. Erant etiam qui talia respondentibus dicerent, *Absit*, quia intelligebant in seipsos esse parabolam dictam.

CAPUT LXXI. Parabola de nuptiis Filij regis. *Matth. 21. v. 45. v. 46. Matth. 22. v. 1. v. 2. v. 3.* 139. SEQUITUR Matthæus: * *Et cùm audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quòd de ipsis diceret:* * *& quærentes eum tenere, timuerunt turbas; quoniam sicut Prophetam eum habebant.* * *Et respondens Jesus dixit iterum in parabolis eis, dicens,* * *Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo,* * *& misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant*
v. 14. *venire*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Parabolam istam de invitatis ad nuptias, solus Matthæus narrat: simile
Luc. 14. 16. quiddam etiam Lucas commemorat; sed non est hoc, sicut & ordo ipse indicat, quamvis & illud nonnullam hujus similitudinem gerat. Quod verò post illam parabolam de vinea & occiso filio pa-
Matth. 21. 45. tris-familias subnectit Matthæus, cognovisse Judæos quòd in eos totum dictum fuerit, & insidias
Marci 12. 12. Luc. 20. 19. cœpisse moliri, hoc etiam Marcus Lucasque testantur eumdem ordinem retinentes: sed inde ipsi pergunt in aliud, ex hoc subjungentes quod & Matthæus post istam, quam solus interposuit de nuptiis parabolam, ex ordine inseruit.

CAPUT LXXII. De tributo Cæsaris & de muliere septem virorum. *Matth. 22. v. 15. v. 16. v. 17.* 140. SEQUITUR ergo Matthæus: * *Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent eum in sermone:* * *& mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes, Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de ali-*
quo; non enim respicis personam hominum: * *dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dari Cæsari an non?*

[a] In MSS. non additur, *quæ ipse est.*

v. 33 *hæ mirabantur in doctrina ejus.* Hæc duo Domini responsa, unum de nummo propter tributum reddendum Cæsari, alterum de resurrectione propter illam mulierem quæ septem sibimet succedentibus fratribus nupserat, Marcus & Lucas similiter nar-
Marci 12. 13. & 18. Luca 20. 20. & 27. rant, nec in ordine aliquid discrepant. Post parabolam quippe illam de conductoribus vineæ, & de Judæis in quos dicta est, insidias præparantibus, quæ omnes tres commemoraverunt, prætermittunt hi duo Marcus & Lucas parabolam de invitatis ad nuptias, quam solus Matthæus interposuit: & cum illo jam sequuntur, narrantes hæc duo, de tributo Cæsaris, & de muliere septem singillatim virorum, eodem prorsus ordine, sine aliqua repugnantiæ quæstione.

CAPUT LXXIII. De mandato maximo. *Matth. 22. v. 34 v. 35. v. 36. v. 37.* 141. SEQUITUR ergo Matthæus, & dicit: * *Pharisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum;* * *& interrogavit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum,* * *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* * *Ait illi Jesus, Dili-*
v. 38. *ges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota*
v. 39. *anima tua, & in tota mente tua:* * *hoc est maximum & primum mandatum.* * *Secundum autem simile est*
v. 40. *huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* * *In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.*
Marci 12. 28. Hoc & Marcus commemorat, eumdem ordinem servans. Nec moveat quòd Matthæus dicit, tentantem fuisse illum à quo Dominus interrogatus
b est; [b] Marcus autem hoc tacet, & in fine ita conclu-
Ibidem 34 dit, quòd ei Dominus sapienter respondenti dixerit, *Non longè es à regno Dei.* Fieri enim potest, ut quamvis tentans accesserit, Domini tamen responsione correctus sit. Aut certè ipsam tentationem non accipiamus malam, tamquam decipere volentis inimicum; sed cautam potiùs, tamquam experiri amplius volentis ignotum. Neque enim frustra scriptum est, Qui facilè credit, levis corde est, &
Eccli. 19. 4. minorabitur.

142. Lucas autem non hoc ordine, sed longè
Luc. 10. 25. alibi tale aliquid interponit: utrùm autem hoc recordetur, an alius ille sit cum quo similiter de duobus istis præceptis Dominus egerit, prorsus incertum est: hinc autem etiam rectè videtur alius esse, non solùm propter ordinis multam differentiam, sed quia etiam ipse dicitur respondisse Domino interroganti, & in sua responsione commemorasse duo ista præcepta; & cùm ei dixisset Dominus,
Ibidem 28. *Hoc fac, & vives*, ut illud faceret quod magnum esse in Lege ipse responderat, secutus Evangelista
Ibidem 29. ait, *Ille autem volens se justificare dixit, Et quis est meus proximus?* Tunc Dominus narravit de illo qui descendebat ab Jerusalem in Jerico, & incidit in latrones. Unde quia & tentans prædictus est, & duo præcepta ipse respondit, & post admonitionem Domini, dicentis, *Hoc fac, & vives*, non bonus commendatur cùm dicitur de eo, *Ille autem volens se justificare*; iste autem quem pari ordine Matthæus Marcusque commemorant, tam bene commendatus est, ut ei diceret Dominus, *Non longè es à re-*
Ibidem 34 *gno Dei:* probabiliùs creditur hunc alium esse, non illum.

CAPUT LXXIV. Judæi interrogati quomodo Christus sit filius David. 143. SEQUITUR Matthæus: * *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus,* * *dicens, Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei, David.* * *Ait illis, Quomodo ergo David in spiritu*
Psal. 109. 1. *vocat eum Dominum dicens,* * *Dixit Dominus Domino*

[b] Editi, *Lucæ autem hoc tacet, & in fine Marcus ita* &c. mendosè.

*meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? * Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* * *Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Hoc consequenter & eodem ordine Marcus quoque commemorat. Lucas etiam, tantummodo de illo tacet, qui interrogavit Dominum, quod esset mandatum primum in Lege: hoc autem prætermisso, eumdem etiam ipse ordinem servat; & hoc de Christo, quomodo sit filius David, quæsisse à Judæis Dominum pariter narrat. Nec interest ad sententiam, quòd secundùm Matthæum, cùm interrogasset Jesus, quid eis videretur de Christo, cujus esset filius, illi responderunt, *David*, tum demum intulit, quomodo eum David diceret Dominum: secundùm illos autem duos, Marcum & Lucam, nec interrogati esse, nec respondisse inveniuntur. Intelligere enim debemus, post eorum responsionem sententiam ipsius Domini à duobus Evangelistis insinuatam, quomodo ab illo dicta sit, his audientibus quos volebat suo magisterio utiliter informare, & à Scribarum alienare doctrina: qui de Christo illud solum sapiebant, quòd secundùm carnem factus erat ex semine David, non eum autem intelligebant Deum, propter quod erat Dominus ipsius David. Ideo tamquam de illis errantibus Dominus ad istos sermonem faciens, quos volebat ab illorum errore liberari, secundùm hos duos Evangelistas commemoratur: ut quod illis dictum est, *Quomodo dicitis*, sicut Matthæus narrat, sic accipiatur, non tamquam ad illos, sed tamquam de illis ad eos potiùs dictum sit, quos volebat instruere.

Matth. 22. v. 41. v. 42. v. 43 v. 44. Psal. 109. 1. Matth. 22. v. 45. v. 46. Marci 12. 35. Luc. 20. 41.

CAPUT LXXV. De cavenda Pharisæorum hypocrisi. Matth. 23. v. 1. v. 2. v. 3. v. 39.

144. SEQUITUR Matthæus, ita narrationis ordinem tenens: * *Tunc Jesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos,* * *dicens, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi:* * *omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite; secundum verò opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Non me videbitis à modò donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Similem sermonem habuisse Dominum adversùs Pharisæos & Scribas Legisque doctores, Lucas quoque commemorat, sed in domo cujusdam Pharisæi, qui eum vocaverat ad convivium. Quod ut narraret, digressus erat à Matthæo, circa illum locum, ubi ambo commemoraverant quod dictum est à Domino, de signo Jonæ trium dierum & noctium, & de regina Austri, & de Ninivitis, & de spiritu immundo qui redit & invenit mundatam domum: post quem sermonem dicit Matthæus, *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei:* Lucas autem in eo sermone Domini, commemoratis etiam quibusdam quæ Matthæus dixisse Dominum prætermisit, ab ordine quem cum Matthæo tenuerat ita digreditur: * *Et cùm loqueretur*, inquit, *rogavit illum quidam Pharisæus ut prandaret apud se; & ingressus recubuit.* * *Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.* * *Et ait Dominus ad illum, Nunc vos Pharisæi quod de foris est calicis & catini mundatis.* Atque hinc jam cetera in eosdem Pharisæos & Scribas & Legis doctores talia dicit, qualia Matthæus hoc loco, quem nunc considerandum suscepimus. Quamquam ergo ita ista Matthæus commemoret, ut quamvis domum illius Pharisæi non nominet, non tamen locum exprimat ubi dicta sint, quo repugnet aliquid illi domui: tamen quia jam venerat Dominus in Jerusalem à Galilæa, & post ejus adventum ita superiora usque ad hunc sermonem contexuntur, ut probabiliter accipiantur in Jerusalem gesta, Lucas autem illud narrat, cùm adhuc Dominus iter ageret in Jerusalem; videntur mihi similes duo esse sermones, quorum ille alterum, alterum iste narravit.

Luc. 20. 41.

Matth. 12. 39. Luc. 11. 29.

Matth. 12. 46.

Luc. 11. v. 37. v. 38. v. 39.

145. Sanè considerandum est quomodo hîc dictum sit, *Non me videbitis à modò donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini:* cùm secundùm eumdem Matthæum jam hoc dixerint. Et Lucas enim dicit hoc esse responsum à Domino illis, qui eum monuerant ut inde iret, quoniam vellet eum Herodes occidere. Ibi etiam adversùs ipsam Jerusalem ea prorsus verba ab illo esse dicta commemorat, quæ hîc Matthæus. Sic enim narratur secundùm Lucam: * *Ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi, Exi, & vade hinc; quia Herodes vult te occidere.* * *Et ait illis, Ite, dicite vulpi illi, ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia consummor:* * *verumtamen oportet me hodie & cras & sequenti ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* * *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum avis nidum suum sub pennis, & noluisti?* * *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat cùm dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Narrationi quidem huic Lucæ non videtur adversari, quod turbæ dixerunt Domino veniente ad Jerusalem, *Benedictus qui venit in nomine Domini:* secundùm quippe Lucæ ordinem nondum illuc venerat, & nondum dictum erat. Sed quia non dicit quòd inde tunc abscesserit, ut non veniret nisi eo tempore, quo jam illud diceretur: (perseverat quippe in itinere suo, donec veniat Jerusalem, atque illud quod ait, *Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia consummor*, mysticè ab illo & figuratè dicta intelliguntur; neque enim eo die passus est, qui est ab hoc die tertius, cùm continuò dicat, *Oportet me hodie & cras & sequenti ambulare:*) cogit profectò etiam illud mysticè intelligi quod ait, *Non videbitis me donec veniat cùm dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini*, de illo suo adventu, quo in claritate venturus est, hoc significans, ut illud quod ait, *Ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia consummor*, referatur ad corpus ejus, quod est Ecclesia. Expelluntur enim dæmonia, cùm relictis paternis superstitionibus credunt in eum gentes: & perficiuntur sanitates, cùm secundùm ejus præcepta vivitur, postea quàm fuerit diabolo & huic sæculo renuntiatum, usque in finem resurrectionis, qua tamquam tertiâ consummabitur, hoc est ad plenitudinem angelicam per corporis etiam immortalitatem perficietur Ecclesia. Quapropter ordo iste Matthæi nequaquam putandus est in aliquid aliud esse digressus: sed Lucas magis intelligendus est, vel præoccupasse quæ gesta sunt in Jerusalem, & recordando interposuisse, antequam ejus narratio Dominum perduceret Jerusalem; aut eidem civitati jam propinquantem talia respondisse monentibus ut caveret Herodem, qualia Matthæus eum dicit etiam turbis locutum, cùm jam pervenisset in Jerusalem, atque illa omnia peracta essent quæ suprà narrata sunt.

Matth. 23. v. 39. Luc. 13. v. 31. v. 32. v. 33. v. 34. v. 35.

CAPUT LXXVI.

146. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Et*

Templi eversio prænuntiata. Matth. 24. v. 1. v. 2. Marci 13. 1.

egressus Jesus de templo ibat: Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. * *Ipse autem respondens dixit illis, Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur.* Marcus etiam commemorat hoc eodem penè ordine, post aliquantam digressionem, ad hoc factam, ut commemoraret de vidua, quæ misit duo minuta in gazophylacium, quod cum eo Lucas solus commemorat. Nam etiam secundùm Marcum, postea quàm illud Dominus egit cum Judæis, quomodo acciperent Christum filium David, ea narrantur quæ dicit de cavendis Pharisæis & hypocrisi eorum: quem locum Matthæus latissimè persecutus est, & plura ibi dicta narravit: atque ideo post eumdem locum quem breviter perstrinxit Marcus, & copiosè digessit Matthæus, nihil amplius Marcus intulit, sicut dixi, quàm de illa vidua pauperrima & uberrima: ac deinde subjunxit ea quibus Matthæo iterum cohæreret, dicens de templi futura eversione. Lucas quoque post illud de Christo, quomodo esset filius David, pauca de cavenda hypocrisi Pharisæorum commemorat. Inde sicut Marcus pergit ad viduam, quæ duo minuta in gazophylacium misit. Deinde subjungit de templi futura eversione, quod Matthæus & Marcus.

Marci 12. 41. Luc. 21. 1. Marci 12. 38. Luc. 20. 46. Luc. 21. 1.

CAPUT LXXVII. Sermo in monte Oliveti de sæculi consummatione. Matth. 24. v. 3. v. 4. v. 5. Matth. 25. v. 46.

147. SEQUITUR Matthæus dicens: * *Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes, Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* * *Et respondens Jesus, dixit eis, Videte ne quis vos seducat.* * *Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Nunc jam istum prolixum sermonem Domini secundùm tres Evangelistas, Matthæum, Marcum & Lucam consideremus. Eumdem quippe tenentes ordinem pariter ista contexunt. Dicunt quidem hîc etiam aliqua singuli propria, in quibus nulla est repugnantiæ metuenda suspicio: de his autem quæ pariter dicunt, necubi sibimet adversari putentur, videndum est. Neque enim dici potest, si aliquid tale occurrerit, aliud esse atque alibi à Domino similiter dictum, quando eodem loco rerum ac temporum, omnium trium versatur narratio. Sanè quòd earumdem sententiarum à Domino dictarum, non eumdem omnes ordinem servant, nihil ad rem pertinet vel intelligendam vel insinuandam, dum ea quæ ab illo dicta referuntur, non sibimet adversentur.

Marci 13. 4. Luc. 21. 7.

148. Quod ergo Matthæus ait, *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio:* etiam Marcus eodem ordine ita commemorat, *Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium:* non dixit, *& tunc veniet consummatio*; sed hoc significat quod ait, *primùm*, id est, *Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium:* quia illi de fine interrogaverant. Cùm ergo dicit, *Primùm oportet in omnes gentes prædicari Evangelium*, significat utique, *primùm*, antequam veniat consummatio.

Matth. 24. 14. Marci 13. 10.

149. Item quod Matthæus ait, *Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat:* hoc Marcus dicit ita, *Cùm autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit intelligat:* in qua mutatione verbi exposuit eamdem sententiam; ideo quippe ubi non debet, quia in loco sancto non debet. Lucas autem non ait, *Cùm autem videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto*; aut, *ubi non debet:* sed ait, *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus.* Unde erit ergo abominatio desolationis in loco sancto.

Matth. 24. 15. Dan. 9. 27. Marci 13. 14. Luc. 21. 20.

150. Quod autem ait Matthæus, * *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes;* * *& qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua;* * *& qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam:* totidem penè verbis hoc etiam Marcus commemorat. Lucas autem, *Tunc qui in Judæa sunt*, inquit, *fugiant in montes:* hoc sicut illi duo dixerunt, *Et qui super tectum, non descendat tollere aliquid de domo sua:* & quod iste dicit, *Et qui in medio ejus, discedant:* nisi fortè quia perturbatio magna erit tam magno instante periculo, illi quos inclusisset obsidio, quod significat dicendo, *qui in medio ejus*, in tecto erunt adroniti & volentes videre quid impendeat, vel quà evadendum sit. Sed quomodo ait, *discedant*, quando suprà dixit, *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem?* Nam illud quod sequitur, *Qui in regionibus, non intrent in eam*, videtur ad congruam pertinere admonitionem; & potest observari, ut qui extra sunt non in eam intrent: qui autem in medio sunt, quomodo discedant, ab exercitu jam civitate circumdata? An hoc est esse in medio ejus, quando jam ita periculum urgebit, ut temporaliter ad præsentem vitam tuendam non possit evadi; & quoniam tunc parata debet esse anima ac libera, nec carnalibus desideriis occupata & oppressa, hoc significat quod ab illis duobus dictum est, *in tecto* vel *super tectum:* ut quod iste ait, *discedant*, id est non jam hujus vitæ desiderio capiantur, sed in aliam vitam migrare parati sint; hoc illi duo dixerint, *non descendat tollere aliquid de domo*, id est nullo affectu inclinetur in carnem tamquam aliquid inde commodi percepturus: & quod iste ait, *Qui in regionibus, non intrent in eam*, id est, qui jam bono cordis proposito extra illam facti sunt, non eam rursus carnali cupiditate desiderent; hoc illi dixerint, *Et qui in agro est, non revertatur retrò tollere vestimentum suum*, tamquam iterum involvi curis quibus erat exutus.

Matth. 24. v. 20. Marci 13. v. 18. Marci 13. 14. &c.

151. Quod verò ait Matthæus, *Orate autem ut non fiat fuga vestra hyeme vel sabbato:* hinc Marcus partem dixit, partem tacuit; *Orate verò*, inquit, *ut hyeme non fiant.* Lucas autem hoc non dixit, sed tamen dixit aliquid solus, quo mihi videatur hanc ipsam, quæ ab istis obscurè posita est, illustrasse sententiam: ait enim, * *Advendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa:* * *tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem orbis terræ.* * *Vigilate itaque, omni tempore orantes ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt.* Hæc intelligitur fuga, quam Matthæus commemorat, quæ non debet fieri hyeme vel sabbato. Ad hyemem autem pertinent curæ hujus vitæ, quas Lucas apertè posuit: ad sabbatum verò crapula & ebrietas. Curæ quippe tristes sunt velut hyems: crapula verò & ebrietas, carnali lætitiâ luxuriâque cor submergit atque obruit: quod malum sabbati nomine propterea significatum est, quia hæc erat jam, sicuti & nunc est Judæorum

Luc. 21. v. 34. v. 35. v. 36.

Fuga in hyeme & sabbato quid.

pessima consuetudo, illo die deliciis affluere, dum spiritale sabbatum ignorant. Aut si aliquid aliud in illis secundùm Matthæum & Marcum verbis intelligendum est, aliquid aliud etiam Lucas dixerit, dum tamen nulla repugnantiæ quæstio moveatur. Neque enim nunc Evangelia exponenda suscepimus, sed à falsitatis vel fallaciæ calumniis defendenda. Alia verò quæ in hoc sermone Matthæus posuit communia cum Marco, nihil habent quæstionis: quæ autem cum Luca, non in hoc sermone Lucas ea posuit cujus huic ordo concordat; sed alibi talia vel recordatur, atque inserit præoccupando, ut priùs commemoret quæ postea à Domino dicta sunt: vel bis à Domino dicta facit intelligi, & nunc secundùm Matthæum, & tunc secundùm ipsum.

CAPUT LXXVIII. De die quo Dominus unguento perfusus fuit. *Matth.* 26. v. 1. v. 2. *Marci* 14. 1. *Luca* 22. 1.

152. SEQUITUR Matthæus: * *Et factum est, cùm consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis,* * *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Huic adtestantur alij duo, Marcus & Lucas, ab eodem ordine non recedentes. Neque hoc tamquam à Domino dictum insinuant; hoc enim intimare prætermiserunt: ex sua tamen persona & Marcus dicit, *Erat autem Pascha & azyma post biduum:* & Lucas, *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Sic ergo appropinquabat, ut esset post biduum, sicut alij duo apertiùs consonant. Johannes verò tribus quidem locis commemoravit ejusdem dici festi propinquitatem, cùm alia quædam duobus superioribus locis narraret: tertio autem loco apparet ejus narratio circa ipsa versari tempora, ubi hoc etiam illi tres intimant, id est impendentis jam Dominicæ passionis. *Johan.* cap. 11. 55. cap. 12. 1. & cap. 13. 1.

153. Sed hoc videri potest parum diligenter intuentibus esse contrarium, quod Matthæus & Marcus postea quàm dixerunt Pascha post biduum futurum, deinde commemoraverunt quòd erat Jesus in Bethania, ubi de unguento illo pretioso dicitur: Johannes autem ante sex dies Paschæ dicit Jesum venisse in Bethaniam, de unguento eadem narraturus. Quomodo ergo secundùm illos duos, post biduum futurum erat Pascha, cùm postea quàm id dixerunt, inveniantur cum Johanne in Bethania illud de unguento quod ipse narrantes, tunc autem ipse dicat post sex dies futurum Pascha? Sed qui ita moventur non intelligunt Matthæum & Marcum illud quod in Bethania de unguento factum erat recapitulando posuisse, non post illam de biduo prædicationem suam, sed antè jam factum cùm adhuc sex dies essent ad Pascha. Non enim quisquam eorum cùm dixisset, post biduum futurum Pascha, sic adjunxit de illo facto in Bethania, ut diceret, Post hæc cùm esset in Bethania: sed Matthæus quidem, *Cùm autem esset*, inquit, *Jesus in Bethania:* Marcus autem, *Cùm esset Bethaniæ.* quod utique intelligitur & antequam illa dicerentur, quæ ante biduum Paschæ dicta sunt. Sicut ergo ex Johannis narratione colligitur, ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam: ibi factum est illud convivium ubi de unguento pretioso fit commemoratio: inde venit Jerosolymam sedens super asellum: deinde postea geruntur ea, quæ narrant post hunc adventum ejus Jerosolymis gesta. Ex illo ergo die quo venit in Bethaniam atque illud de unguento factum est, usque ad diem quo ista omnia gesta atque dicta sunt, intelligimus, etiam Evangelistis non commemorantibus, consumtum fuisse quatriduum, ut occurreret dies quem ante biduum Paschæ duo definierunt. Lucas autem cùm ait, *Appropinquabat autem dies festus azymorum*, non expressit biduum: sed hanc propinquitatem, quam commemoravit, in ipso intervallo bidui debemus accipere. Johannes verò cùm dicit, *Proximum erat Pascha Judæorum*, non hoc biduum vult intelligi, sed sex dies ante Pascha. Proinde cùm quædam post hoc dictum commemorasset, tunc jam volens ostendere quàm proximum fuisse Pascha dixisset. * *Jesus ergo ante sex dies*, inquit, *Paschæ, venit in Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Jesus.* * *Fecerunt autem ei cœnam ibi.* Hoc illud est, quod commemorant recapitulantes Matthæus & Marcus, cùm jam dixissent post biduum futurum Pascha. Recapitulando ergo ad illum diem redeunt in Bethaniam, qui erat ante sex dies Paschæ, & narrant quod Johannes de cœna & unguento: unde venturus erat Jerosolymam, & peractis illic quæ narrata sunt, perventurus ad diem qui erat ante biduum Paschæ, unde isti digressi sunt, ut recapitulando commemorarent quod antè in Bethania de unguento gestum est: cujus rei peracta narratione, illuc iterum redeunt, unde digressi fuerant, id est, ut jam sermo Domini narretur, quem habuit ante biduum Paschæ. Nam si tollamus de medio quod gestum in Bethania digredientes ab ordine recolendo & recapitulando narrarunt, & ipsum ordinem contexamus, ita sermo dirigitur secundùm Matthæum dicente Domino, * *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* * *Tunc congregati sunt principes sacerdotum & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphæ,* * *& consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.* * *Dicebant autem, Non in die festo. ne fortè tumultus fieret in populo.* * *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas Scarioth, ad principes sacerdotum*, &c. Inter illud enim quod dictum est, *Ne tumultus fieret in populo*, & illud quod dictum est, *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas*, interpositum est illud de Bethania, quod recapitulando dixerunt: quo nos prætermisso contexuimus narrationem, ut insinuaremus non repugnare ordinem temporum. Secundùm Marcum autem, eodem Bethaniæ convivio, quod recapitulando & ipse interposuit, similiter prætermisso, ita se ordo narrationis tenet: * *Erat autem Pascha & azyma post biduum: & quærebant summi sacerdotes & Scribæ quomodo eum dolo tenerent, & occiderent.* * *Dicebant enim, Non in die festo. ne fortè tumultus fieret populi.* * *Et Judas Scariothes, unus ex duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum*, &c. Etiam hîc inter illud quod dictum est, *Ne fortè tumultus fieret populi*, & illud quod adjunximus, *Et Judas Scariothes unus ex duodecim*, positum est illud de Bethania, quod recapitulando dixerunt. Lucas sanè ipsam rem gestam in Bethania prætermisit. Hæc diximus propter sex dies ante Pascha, quos dixit Johannes, cùm in Bethania rem gestam narraret, & biduum ante Pascha, quod Matthæus & Marcus dixerunt, cùm post hoc à se dictum illud ipsum in Bethania quod Johannes commemorarent. *Luca* 22. 1. *Johan.* 12. 1. *Matth.* 26. 6. *Marci* 14. 3. *Johan.* 12. 1. *Marci* 14. v. 1. *Matth.* 26. v. 2. *Marci* 14. v. 10. *Matth.* 26. v. 3. v. 4. v. 5. *Marci* 14. v. 14.

CAPUT LXXIX. Mulier unguento perfundens caput & pedes Domini.

154. SEQUITUR ergo Matthæus ab eo loco, ubi finem feceramus considerandæ narrationis, & dicit: * *Tunc congregati sunt principes sacerdotum & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphæ,* * *& consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.* * *Dicebant autem, Non in die festo.* *Matth.* 26. v. 3. v. 4. v. 5.

v. 6 *festo. ne fortè tumultus fieret in populo.* * *Cùm autem esset Jesus in Bethania, in domo Simonis leprosi,* * *accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Nunc jam de muliere atque unguento pretioso quod in Bethania gestum est, consideremus. Lucas enim quamvis simile factum commemoret, nomenque conveniat ejus, apud quem convivabatur Dominus; nam & ipsum Simonem dicit: tamen quia non est contra naturam vel contra morem hominum, ut si potest unus homo habere nomina duo, multò magis possint & unum nomen habere homines duo; potiùs credibile est alium fuisse illum Simonem non leprosum, in cujus domo hoc in Bethania gerebatur. Nam nec Lucas in Bethania rem gestam dicit, quam narrat: & quamvis non commemoret civitatem aut castellum, ubi factum sit; tamen non videtur in eodem loco versari ejus narratio. Nihil itaque aliud intelligendum arbitror, nisi non quidem aliam fuisse mulierem, quæ peccatrix tunc accessit ad pedes Jesu, & osculata est, & lavit lacrymis, & tersit capillis, & unxit unguento: cui Dominus adhibita similitudine de duobus debitoribus, ait dimissa esse peccata multa, quoniam dilexit multùm: sed eamdem Mariam bis hoc fecisse, semel scilicet quod Lucas narravit, cùm primò accedens cum illa humilitate & lacrymis meruit peccatorum remissionem. Nam hoc & Johannes, quamvis non sicut Lucas quemadmodum factum esset narraverit, tamen ipsam Mariam commendans commemoravit, cùm jam de Lazaro resuscitando cœpisset loqui, antequam veniret in Bethaniam. Quod ita ibi narrat: * *Erat autem quidam*, inquit, *languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororis ejus.* * *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur.* Hoc dicens Johannes adtestatur Lucæ, qui hoc in domo Pharisæi cujusdam Simonis factum esse narravit. Jam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursus fecit, aliud est, quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narratur à tribus, Johanne scilicet, Matthæo & Marco.

Luca 7. 37. *Johan.* 12. v. 1. v. 2. *Johan.* 12. 1. *Matt.* 26. 6. *Marci* 14. 3.

155. Inter istos igitur tres, Matthæum, Marcum & Johannem, quemadmodum hoc conveniat adtendamus, de quibus non est dubium quòd eamdem rem narrent gestam in Bethania, ubi etiam discipuli, quod omnes tres commemorant, murmuraverunt adversùs mulierem tamquam de perditione pretiosissimi unguenti. Quod ergo Matthæus & Marcus caput Domini unguento illo perfusum dicunt, Johannes autem pedes, regulâ illâ ostenditur non esse contrarium, quam * demonstravimus, cùm de quinque panibus pasceret turbas. Ibi enim quia non defuit qui & quinquagenos & centenos discubuisse commemoraret, cùm alius quinquagenos dixerit, non potuit videri contrarium: potuisset autem si alius centenos tantùm posuisset, sicut alius quinquagenos, & tamen debuit inveniri utrumque factum esse. Quo exemplo informari nos oportuit, sicut illic admoni, etiam ubi singuli Evangelistæ singula commemorant, utrumque factum intelligere. Proinde & hîc non solùm caput, sed & pedes Domini accipiamus perfudisse mulierem. Nisi fortè quoniam Marcus facto alabastro perfusum caput commemorat, tam quisquam absurdus & calumniosus est, ut aliquid in vase fracto neget remanere potuisse, unde etiam pedes perfunderet. Sed cùm ille contenderit sic esse fractum, ut nihil ibi residui fieret, nitens adversùs veritatem Evangelij; quantò meliùs & religiosiùs contendit alius non esse ita fractum, ut totum effunderet, nitens pro veritate Evangelij? Ille autem calumniator si tam pertinaciter cæcus est, ut Evangelistarum concordiam de alabastro fracto frangere conetur, priùs accipiat perfusos pedes antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret, unde etiam caput perfunderetur, ubi fractura illa totum effunderet. A capite quippe nobis ordinatè consuli agnoscimus, sed ordinatè etiam nos à pedibus ad caput adscendimus. *Supra cap.* 46. n. 98. *Marci* 14. 3.

156. Cetera facti hujus nullam mihi videntur habere quæstionem. Quod enim alij dicunt discipulos murmurasse de unguenti effusione pretiosi, Johannes autem Judam commemorat, & ideo quia fur erat: manifestum puto esse discipulorum nomine eumdem Judam significatum, locutione illa quam de Philippo in quinque panibus * insinuavimus, plurali numero pro singulari usurpato. Potest etiam intelligi quòd & alij discipuli aut senserint hoc, aut dixerint, aut eis Juda dicente persuasum sit, atque omnium voluntatem Matthæus & Marcus etiam verbis expresserint; sed Judas propterea dixerit, quia fur erat, ceteri verò propter pauperum curam, Johannem autem de solo illo id commemorare voluisse, cujus ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam. *Matth.* 26. 8. *Marci* 14. 4. *Johan.* 12. 4. * *Supra cap.* 46. n. 96.

CAPUT LXXX. Discipuli missi ut præparent Pascha.

157. SEQUITUR Matthæus: * *Tunc abiit unus de duodecim qui dicitur Judas Scarioth, ad principes sacerdotum,* * *& ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* * *At illi constituerunt ei triginta argenteos*, &c. usque ad illud, ubi ait, * *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.* Nihil in hoc capitulo contrarium putari potest Marco & Lucæ, qui hoc idem similiter narrant. Quod enim dicit Matthæus, *Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei, Magister dicit, tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis*, eum significat quem Marcus & Lucas dicunt patrem-familiâs vel dominum domûs, in qua eis cœnaculum demonstratum est, ubi pararent Pascha: quod ergo interposuit Matthæus, *ad quemdam*, tamquam ex persona sua studio brevitatis illum compendio voluit insinuare. Si enim diceret dixisse Dominum, Ite in civitatem, & dicite ei, Magister dicit, tempus meum propè est, apud te facio Pascha: tamquam civitati dicendum esset, acciperetur. Ac per hoc non ex Domini, cujus mandatum narrabat, sed ex sua persona interposuit, ad quemdam jussisse Dominum ut irent, ne haberet necesse totum dicere, cùm hoc illi ad insinuandam jubentis sententiam sufficere videretur. Nam neminem sic loqui, ut dicat, Ite ad quemdam, quis nescit? Si enim diceret, Ite ad quemcumque, aut, ad quemlibet; posset esse integra locutio, sed non esset certus homo, ad quem mitterentur: cùm eum certum ostendant, quamvis tacito ejus nomine, Marcus & Lucas. Sciebat quippe Dominus ad quem mitteret. Et ut eum etiam illi, quos mittebat, invenire possent, præmonuit quod indicium sequerentur, de homine gestante aquæ lagenam vel amphoram, ut eum secuti ad domum, quam volebat, venirent. Cùm itaque non hîc posset dici, Ite ad quemlibet, quod integritas quidem locutionis admittit, sed hoc loco rei hujus quæ insinuabatur *Matth.* 26. v. 14. v. 15. v. 16. v. 19. *Marci* 14. 10. *Luca* 22. 3. *Matth.* 26. 18. *Hæc difficultas locum non habet in Græco ordre des différ. Gall. chez un tel.* *Marci* 14. 13. *Luca* 22. 10.

veritas non admittit: quantò minùs hîc dici potuit, Ite ad quemdam, quod omnino numquam recta locutione dici potest? Sed planè discipulos à Domino, non ad quemlibet, sed ad quemdam hominem, id est, ad certum aliquem missos esse manifestum est. Quod nobis ex persona sua rectè potuit Evangelista narrare, ut diceret, Misit eos ad quemdam, ut dicerent ei, Apud te facio Pascha. Potuit etiam sic, Misit eos ad quemdam dicens, Ite dicite ei, apud te facio Pascha. Ac per hoc cùm verba Domini posuisset dicentis, *Ite in civitatem*; interposuit ipse, *ad quemdam*: non quia hoc Dominus dixerit, sed ut ipse nobis insinuaret tacito nomine fuisse quemdam in civitate, ad quem Domini discipuli mittebantur, ut præpararent Pascha. Ac sic post hanc ex persona sua interpositionem duorum verborum, sequitur ordinem verborum Domini dicentis, *Et dicite ei, Magister dicit*. Jam enim si quæras, Cui? Rectè respondetur, Illi cuidam homini, ad quem misisse insinuavit Evangelista, cùm ex persona sua interposuisset, *ad quemdam*: minùs quidem usitata locutio, sed tamen sic intellecta integerrima est: aut si habet aliquid proprietatis Hebræa lingua, qua perhibetur scripsisse Matthæus, ut etiam totum ex persona Domini dictum locutionis integritate non careat, viderint qui noverunt. Sanè ita posset etiam Latinè dici, si diceretur, Ite in civitatem ad quemdam, quem vobis demonstraverit homo, qui vobis occurrerit lagenam aquæ portans: hoc modo jubenti sine ambiguitate posset obtemperari. Velut etiam si diceret, Ite in civitatem ad quemdam, qui manet illo aut illo loco, in tali vel tali domo; cum expressione loci & designatione domus; posset intelligi, posset fieri. His autem atque hujusmodi ceteris tacitis indiciis qui dicit, Ite ad quemdam & dicite ei, ideo non potest audiri, quia certum aliquem vult intelligi, cùm dicit, ad quemdam, & non exprimit quomodo dignoscatur. Quòd si ex persona Evangelistæ dictum illud interpositum acceperimus, erit quidem necessitate brevitatis subobscura locutio, sed tamen integra. Quòd verò Marcus lagenam dicit, quam Lucas amphoram; ille vasis genus, ille modum significavit: uterque tamen veritatem sententiæ custodivit. *Marci* 14. 13. *Lucæ* 22. 10.

158. Sequitur Matthæus: * *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis*: * *& edentibus illis dixit, Amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est.* * *Et contristati valde, cœperunt singuli dicere, Numquid ego sum Domine?* &c. usque ad illud ubi ait, * *Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit, Numquid ego sum Rabbi? Ait illi, Tu dixisti.* In his quæ consideranda nunc proposuimus, nihil afferunt quæstionis etiam ceteri Evangelistæ, qui talia commemorant. *Matth.* 26. *v.* 20. *v.* 21. *v.* 22. *v.* 25. *Marci* 14. 17. *Lucæ* 22. 14. *Johan.* 13. 21.

LIBER TERTIUS.

In quo Evangelistarum à cœnæ narratione ad Evangelij finem concordia, collato simul ordinéque digesto singulorum contextu, demonstratur.

Prologus. 1. JAM quoniam omnium quatuor narratio in eo versatur loco, in quo necesse est eos usque in finem pariter ambulare, nec multùm digredi ab invicem, sicubi fortè alius aliquid commemorat, quod alius prætermittit; videtur mihi expeditiùs nos demonstrare posse omnium Evangelistarum convenientiam, si ab hoc jam loco omnium omnia contexamus, & in unam
a narrationem [a] faciemque digeramus. Sic ergo arbitror commodiùs facilióque id quod suscepimus explicari, ut aggrediamur narrationem omnia
b commemorantes, cum [b] eorum Evangelistarum adtestatione, qui ex his omnibus quisque quod potuit aut quod voluit commemoravit: ut tamen ab omnibus hæc omnia dicerentur, quæ demonstrandum est in nullo sibi esse contraria.

CAPUT I. Cœna suprema & proditoris designatio. *Matth.* 26. 26. *Marci* 14. 22. *Lucæ* 22. 18. & 19.

2. HINC igitur incipiamus secundùm Matthæum: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Hæc & Marcus Lucasque commemorant. Quod enim Lucas de calice bis commemoravit, priùs antequam panem daret, deinde postea quàm panem dedit; illud quod superiùs dixit, præoccupavit ut solet; illud verò quod ordine suo posuit, non commemoraverat superiùs: utrumque autem conjunctum hanc sententiam facit, quæ & illorum est. Johannes autem de corpore & sanguine Domini hoc loco nihil dixit, sed planè alibi multò uberiùs [c] hinc Dominum locutum esse testatur. Nunc verò cùm Dominum à cœna surrexisse & pedes discipulorum lavisse commemorasset, reddita etiam ratione cur eis hoc fecerit, in qua Dominus adhuc clausè significaverat per testimonium Scripturæ, ab eo se tradi qui manducaret ejus panem; venit ad hunc locum, quem tres ceteri pariter insinuant: * *Cùm hæc dixisset*, inquit, *Jesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit, Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* * *Adspiciebant ergo*, sicut idem ipse Johannes subnectit, *ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Et contristati*, sicut Matthæus & Marcus dicunt, *cœperunt ei singillatim dicere, Numquid ego sum? At ipse respondens ait*, sicut Matthæus sequitur, *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Et sequitur idem Matthæus ita subnectens: *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* in his & Marcus hoc etiam ordine consonat. Deinde Matthæus subjungit: *Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit, Numquid ego sum Rabbi? Ait illi, Tu dixisti.* Etiam hîc non expressum est, utrùm ipse esset. Potest enim adhuc intelligi, tamquam, Non ego dixi: potuit etiam hoc sic dici à Juda, & à Domino responderi, ut non omnes adverterent. *Johan.* 6. 32. &c. c *Johan.* 13. 26. &c.

a Apud Rat. & Er. *seriemque.*
b Sic MSS. At editi Er. & Lov. *cum eorumdem Evangelistarum adtestatione quid ex his* &c.
c MSS. optimæ notæ Corbeiensis & Remigiensis, præter alios paucos, omittunt, *hinc Dominum locutum esse testatur*: at habent tamen cum ceteris verba illa, *sed planè alibi multò uberiùs.*

3. Deinde sequitur Matthæus & inserit mysterium corporis & sanguinis à Domino discipulis datum, sicut & Marcus & Lucas. Sed cùm tradidisset calicem, rursus de traditore suo locutus est, quod Lucas persequitur dicens, * *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*: * *& quidem filius hominis secundùm quod definitum est vadit; verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.* Hîc jam intelligendum est illud consequi, quod Johannes narrat, isti autem prætermiserunt; sicut Johannes quædam prætermisit, quæ illi dixerunt. Cùm ergo post traditum calicem dixisset Dominus, quod à Luca positum est, *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, &c. conjungitur illud secundùm Johannem: * *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus*: * *innuit ergo huic Simon Petrus, & dicit ei, Quis est de quo dicit?* * *Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei, Domine, quis est?* * *Respondit Jesus, Ille cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Scarioth.* * *Et post buccellam, tunc introiit in illum satanas.* *Luc.* 22. *v.* 21. *v.* 22. *Johan.* 13. *v.* 23. *v.* 24. *v.* 25. *v.* 26. *v.* 27.

4. Hîc videndum est, ne non solùm Lucæ, qui jam dixerat intrasse satanam in cor Judæ, quando pactus est tunc cum Judæis, ut eum acceptâ pecuniâ traderet, sed etiam sibi ipse Johannes repugnare videatur, qui jam dixerat superiùs, antequam istam buccellam acciperet, *Et cœnâ factâ cùm jam diabolus immisisset in cor ut traderet eum Judas.* Quomodo enim intrat in cor, nisi immittendo iniquas persuasiones [a] cogitationibus iniquorum? Sed nunc intelligere debemus à diabolo Judam plenius esse possessum: sicut contrà in bono, illi qui jam acceperant Spiritum-sanctum, quando eis post resurrectionem insufflavit dicens, Accipite Spiritum-sanctum, postea eum cùm desuper missus esset die Pentecostes, utique plenius acceperunt. Post buccellam ergo tunc introiit in eum satanas: * *Et*, sicut contextim Johannes ipse commemorat, *dicit ei Jesus, Quod facis, fac citiùs.* * *Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei.* * *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quia* [b] *dixit ei Jesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret.* * *Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiit continuò. Erat autem nox.* * *Cùm ergo exisset, dicit Jesus, Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo:* * *& si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum.* *Johan.* 13. *v.* 27. *v.* 28. *v.* 29. *v.* 30. *v.* 31. *v.* 32.

a *Johan.* 13. 2. &c.

CAPUT II. Prædictio negationis Petri. *Johan.* 13. *v.* 33. *v.* 34. *v.* 35. *v.* 36. *v.* 37. *v.* 38. *Matth.* 26. 34.

5. * FILIOLI, *adhuc modicùm vobiscum sum. Quæretis me, &, sicut dixi Judæis, quò ego vado vos non potestis venire: & vobis dico modò.* * *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* * *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* * *Dicit ei Simon Petrus, Domine quò vadis?* * *Respondit Jesus, Quò ego vado non potes me modò sequi, sequèris autem postea.* * *Dicit ei Petrus, Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.* * *Respondit Jesus, Animam tuam pro me pones? amen, amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges.* Hoc de prædicta negatione sua Petro non solus Johannes, ex cujus Evangelio modò ista interposui, sed & ceteri tres commemorant. Non sanè omnes ex una eademque occasione sermonis ad eam commemorandam veniunt: nam Matthæus & Marcus pari prorsus ordine & eodem narrationis suæ loco eam subnectunt ambo, postea quàm Dominus egressus est ex illa domo, ubi manducaverant Pascha: Lucas verò & Johannes, antequam inde esset egressus. Sed faciliè possemus intelligere, aut illos duos eam recapitulando posuisse, aut istos præoccupando; nisi magis moveret quòd tam diversa, non tantùm verba, sed etiam sententias Domini præmittunt, quibus permotus Petrus illam præsumtionem proferret, vel cum Domino vel pro Domino moriendi, ut magis cogant intelligi ter eum expressisse præsumtionem suam diversis locis sermonis Christi, & ter illi à Domino responsum quòd eum esset ante galli cantum ter negaturus. *Johan.* 13. *v.* 33. *v.* 34. *v.* 35. *v.* 36. *v.* 37. *v.* 38. *Marci* 14. 30. *Lucæ* 22. 34. *Johan.* 13. 38.

6. Neque enim incredibile est, aliquantùm disjunctis intervallis temporis Petrum commotum esse ad præsumendum, sicut ad negandum; vel ei Dominum aliquid ter similiter respondisse: quandoquidem etiam contextim, nullis aliis interpositis rebus aut verbis, post resurrectionem ter illum interrogaverit utrùm eum amet, & ei ter hoc idem respondenti etiam ipse mandatum de pascendis ovibus suis unum idemque ter præceperit. Hoc autem esse credibilius, quòd ter ostenderit præsumtionem suam Petrus, & de trina sua negatione ter à Domino audierit, ex ipsis Evangelistarum verbis, quæ à Domino dicta diversè ac diversa commemorant, sic probatur: Ecce meminerimus quod nunc interposui ex Evangelio Johannis, hoc certè dixerat, * *Filioli, adhuc modicùm vobiscum sum. Quæretis me, & , sicut dixi Judæis, quò ego vado vos non potestis venire: & vobis dico modò.* * *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* * *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* * *Dicit ei Simon Petrus, Domine, quò vadis?* Nempe hîc manifestum est, ex illis verbis motum esse Petrum ut diceret, *Domine, quò vadis*, quia dicentem audierat, *Quò ego vado vos non potestis venire.* Respondit Jesus eidem Petro: *Quò ego vado non potes me sequi modò, sequèris autem postea.* Tunc ille, * *Quare non possum*, inquit, *sequi te modò? animam meam pro te ponam.* Huic præsumtioni respondit Dominus futuram ejus negationem. Lucas autem cùm commemorasset dixisse Dominum, * *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: * ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos:* tunc subjecit Petrum respondisse, * *Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* * *Et ille dixit, Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me.* Quàm hoc aliud sit, aliud illud unde Petrus ad præsumendum permotus sit, quis non videat? At verò Matthæus, * *Et hymno dicto*, inquit, *exierunt in montem Oliveti.* * *Tunc dicit illis Jesus, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* * *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Sic prorsus & Marcus. [c] Quid habent etiam hæc verba vel sententiæ simile illis, vel quibus secundùm Johannem, vel quibus secundùm Lucam, Petrus retulit præsumtionem suam? Et hic ergo ita sequitur: * *Respondens autem Petrus, ait illi, Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.* *Marci* 14. 26. &c. c *Matth.* 26. *v.* 33.

a Sic MSS. Editi autem, *persuasiones cogitationum iniquarum.*
b MSS. propè omnes, *dixit*: duo è Vat. & Rat. *dixerit*. in Græc. Λέγει.
c Sic legendum cum MSS. & editione Rat. non autem uti apud Er. & Lov. *qui habet etiam hæc verba vel sententiam similem.*

v. 34. * *Ait illi Iesus, Amen dico tibi, quia in hac nocte an-*
v. 35. *tequam gallus cantet, ter me negabis.* * *Ait illi Petrus, Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.*

7. Hæc penè ipsis verbis etiam Marcus commemorat, nisi quòd non generaliter, sed distinctiùs, quemadmodum futurum esset, expressit dictum à Domino, *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priùs quàm bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus.* Cùm itaque omnes dicant, prædixisse Dominum quòd eum Petrus esset negaturus antequam gallus cantaret, non autem omnes dicant quoties gallus cantaret, Marcus hoc solus narravit expressiùs. Unde nonnullis videtur non congruere ceteris, quia parum adtendunt, & maximè eorum obnubilatur intentio, cùm adversùs Evangelium animo induuntur hostili. Tota enim Petri negatio, trina negatio est. In eadem namque permansit trepidatione animi, propositoque mendacij, donec admonitus quid ei prædictum sit, amaro fl. tu & cordis dolore sanaretur. Hæc autem tota, id est trina negatio, si post primum galli cantum inciperet, falsùm dixisse viderentur tres, quorum Matthæus dixit, *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Lucas autem, *Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Johannes autem, *Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges.* Diversis enim verbis & verborum ordine eamdem explicaverunt sententiam dixisse Dominum, quòd antequam gallus cantaret, ter eum Petrus esset negaturus. Rursùs si totam trinam negationem antè peregisset, quàm cantare gallus inciperet, superfluò dixisse Marcus deprehenderetur ex persona Domini, *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priùs quàm gallus bis vocem dederit, ter me negaturus es.* Quid enim adtinebat dicere, *priùs quàm bis*, quando, si ante primum galli cantum tota illa trina negatio compleretur, simul & ante secundum, & ante tertium, & ante omnes galli cantus ejusdem noctis completa inveniretur, quæ ante ipsum primum completa probaretur? Sed quia ante primum galli cantum cœpta est illa trina negatio, adtenderunt illi tres, non quando eam completurus

a esset Petrus, sed [a] quanta futura esset, & quando cœptura; id est, quia trina, & quia ante galli cantum: quamquam in animo ejus, & ante primum galli cantum tota possit intelligi. Quamvis enim verbis negantis ante primum cœpta, ante secundum autem galli cantum peracta sit tota illa trina negatio: tamen affectione animi & timore Petri

b ante primum tota [b] concepta est. Nec interest quantis morarum intervallis trina voce enuntiata sit, cùm cor ejus etiam ante primum galli cantum tota possederit, tam magna scilicet formidine imbibita, ut posset Dominum, non solùm semel, sed iterum & tertiò interrogatus negare, ut rectiùs diligentiúsque adtendentibus, [c] quomodo jam mœchatus est mulierem in corde suo qui eam viderit ad concupiscendum; sic Petrus quandocumque verbis ederet timorem, quem tam vehementem animo conceperat, ut perdurare posset usque ad tertiam Domini negationem, tota trina negatio ei tempori deputanda est, quando eum trinæ negationi sufficiens timor invasit: ex quo etiam si post primum galli cantum inciperent pulsato interrogationibus pectore verba illa negationis erumpere, nec sic absurdè atque mendaciter ante galli cantum ter negasse diceretur, quando ante galli cantum tantus timor obsederat mentem, qui [d] eum posset usque ad tertiam negationem perducere. Multò minùs igitur movere debet, quia trina negatio etiam trinis negantis vocibus ante galli cantum cœpta, etsi non ante primum galli cantum peracta est. Tamquam si alicui diceretur, Hac nocte antequàm gallus cantet, ad me scribes epistolam, in qua mihi ter conviciaberis: non utique si eam ante omnem galli cantum scribere inciperet, & post primum galli cantum finiret, ideo dicendum erat falsùm fuisse prædictum. Marcus ergo de ipsarum vocum intervallis planiùs elocutus est, qui dixit ex persona Domini, *Priùs quàm bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus.* Ita gestum esse apparebit, cùm ad eumdem locum narrationis Evangelicæ venerimus, ut etiam illic ostendatur Evangelistas sibi congruere.

8. Si autem quæruntur ipsa omnino verba, quæ Petro Dominus dixerit; neque inveniri possunt, & superfluò quæruntur; cùm sententia ejus, propter quam cognoscendam verba proferuntur, etiam in diversis Evangelistarum verbis possit esse notissima. Sive ergo diversis sermonum Domini locis commotus Petrus singillatim ter enuntiaverit præsumtionem suam, & ter ei Dominus suam negationem prædixerit, sicut probabiliùs indagatur; sive aliquo narrandi ordine possint omnium Evangelistarum commemorationes in unum redigi, quibus demonstretur semel Dominum prædixisse Petro præsumenti quòd eum negaturus esset; nulla hîc Evangelistarum repugnantia deprehendi poterit, sicut nulla est.

9. NUNC ergo quantum possumus, ipsum ex omnibus ordinem jam sequamur. Cùm itaque secundùm Johannem hoc Petro prædictum esset, sequitur idem Johannes, & conserit Domini sermonem, dicentis, *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite: in domo Patris mei, mansiones multæ sunt*, &c. Sermonis ejus præclara maximéque sublimia diu narrat, donec contextim veniat ad illum locum, ubi ait Dominus, * *Pater juste,* [c] *& mundus te non cognovit, ego autem te cognovi; & ij cognoverunt, quia tu me misisti:* * *& notum eis feci nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* Cùm autem * *fatta esset contentio inter eos, quis eorum videretur esse major*, sicut Lucas commemorat, * *dixit eis, Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur:* * *vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut* [f] *junior, & qui præcessor est, sicut ministrator.* * *Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrùm sum sicut qui ministrat:* * *vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* * *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum,* * *ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.* * *Ait autem Dominus Simoni,* sicut Lucas ipse subjungit, *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum:* * *ego autem rogavi pro*

CAPUT III. Quæ post cœnam dicta in cœnaculo.

Marci 14. 30. Matth. 26. 34. Luca 22. 34. Johan. 13. 38. Marci 14. 30. Matth. 5. 28. Johan. 17. v. 25. v. 26. Luca 22. v. 24. v. 25. v. 26. v. 27. v. 28. v. 29. v. 30. v. 31. v. 32.

a Lov. *quando futura.* Sed melius editi alij & MSS. *quanta.*
b Ita MSS. & Rat. At Er. & Lov *capta est.*
c In sex MSS. additum hîc est, *videtur.*
d In MSS. propè omnibus & Rat. *eam.*
e In editis omissa erat particula, &, quæ hîc in melioris notæ MSS. habetur, necnon in antiquis Corb. Bibliis & in textu Græco.
f Editi, *sicut minor.* At MSS. *sicut junior*: sic etiam antiq. Corb. Biblia & August. Speculum, juxta Græc. ὡς ὁ νεώτερος.

te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conver- A
v. 33. *sus, confirma fratres tuos.* * *Qui dixit ei, Domine,*
v. 34. *tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* * *Et ille dixit, Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus,*
v. 35. *donec ter abneges nosse me. Et dixit eis,* * *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid ali-*
v. 36. *quid defuit vobis?* * *At illi dixerunt, Nihil. Dixit ergo eis, Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam,*
v. 37. *& emat gladium.* * *Dico enim vobis, quoniam adhuc*
Isa. 53. 12. *hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, Et cum injustis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem* B
Luca 22. *habent.* * *At illi dixerunt, Domine ecce gladij duo hic.*
v. 38. *At ille dixit eis, Satis est.* * *Et hymno dicto,* sicut Mat-
Matth. 26. v. 30. *thæus Marcusque commemorant, exierunt in mon-*
v. 31. *tem Oliveti.* * *Tunc dicit illis Iesus, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim,*
Zach. 13. 7. Matth. 26. v. 32. *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* * *Postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.*
v. 33. * *Respondens autem Petrus, ait illi, Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.*
v. 34. * *Ait illi Iesus, Amen dico tibi, quia in hac nocte an-* C
v. 35. *tequam gallus cantet, ter me negabis.* * *Ait illi Petrus, Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Hæc secundùm Matthæum inseruimus: sed & Marci penè ipsa & totidem verba sunt, nisi quia distat illud quod de galli cantu jam suprà enodavimus.

CAPUT IV. Quæ in horto gesta. Matt. 26. 36. Marc. 14. 32. Luca 22. v. 39. v. 40.

10. CONTEXIT ergo narrationem Matthæus, & dicit: *Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani.* Hoc dicit & Marcus; hoc & Lucas non expressè nominato prædio, cùm ait, D
* *Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem*
* *Olivarum: secuti sunt autem illum & discipuli. Et cùm perveniisset ad locum dixit illis, Orate ne intretis in tentationem.* Iste locus est, cujus nomen illi dixerunt Gethsemani. Ibi fuisse intelligimus hortum, quem
Johan. 18. 1. commemorat Johannes, ita narrans: *Hæc cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis, trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse & discipuli ejus.* Deinde, secundùm Matthæum,
Matth. 26. v. 36. * *dixit discipulis, Sedete hîc, donec vadam illuc &* E
v. 37. *orem.* * *Et assumto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœ-*
v. 38. *pit contristari & mœstus esse.* * *Tunc ait illis, Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hîc & vigilate*
v. 39. *mecum.* * *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans & dicens, Mi pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut*
v. 40. *tu.* * *Et venit ad discipulos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro, Sic non potuistis unâ horâ vigilare me-*
v. 41. *cum?* * *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma.* F
v. 42. * *Iterum secundò abiit & oravit, dicens, Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi biham illum, fiat vo-*
v. 43. *luntas tua.* * *Et venit iterum, & invenit eos dormien-*
v. 44. *tes: erant enim oculi eorum gravati.* * *Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertiò, eumdem sermonem di-*
v. 45. *cens.* * *Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis, Dormite jam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.*
v. 46. * *Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet.*

Marci 14. 31. &c. 11. Hæc etiam Marcus, eoque prorsus modo G atque ordine conserit, aliquantò breviùs quasdam constringens sententias, & aliquid magis aperiens. Nam videtur hic sermo secundùm Matthæum tamquam sibi ipsi contrarius, quòd post tertiam orationem venit ad discipulos suos, & dicit illis, * *Dor-*
Matth. 26. v. 45. *mite jam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* * *Surgite,* v. 46. *eamus, ecce appropinquavit qui me tradet.* Quomodo enim suprà, *Dormite jam, & requiescite*, cùm connectat, *ecce appropinquavit hora*; & ideo dicat, *Surgite, eamus.* Qua velut repugnantiâ commoti qui legunt, conantur ita pronuntiare quod dictum est, *Dormite jam, & requiescite*, tamquam ab exprobrante, non à permittente sit dictum. Quod recte fieret, si esset necesse: cùm verò Marcus ita hoc commemoraverit, ut cùm dixisset, *Dormite* Marci 14. 41. *jam, & requiescite*, adjungeret, *sufficit*; & deinde inferret, *Venit hora, ecce tradetur filius hominis*: utique intelligitur post illud quod eis dictum est, *Dormite jam, & requiescite*, silуisse Dominum aliquantùm, ut hoc fieret quod permiserat; & tunc intulisse, *ecce appropinquavit hora.* Ideo post illa verba secundùm Marcum positum est, *sufficit*, id est, quod requievistis jam sufficit. Sed quia commemorata non est ipsa interpositio silentij Domini, propterea coartat intellectum, ut in illis verbis alia pronuntiatio requiratur.

12. Lucas autem prætermisit quoties oraverit: Luca 22. 41. &c. dixit sanè quod isti tacuerunt, & orantem ab Angelo confortatum, & prolixiùs orantis sudorem fuisse sanguineum, & guttas decurrentes in terram. Cùm ergo dicit, *Et cùm surrexisset ab oratione*, & Ibidem 45. *venisset ad discipulos suos*, non expressit quota oratione: nihilo tamen illis duobus repugnat Johan- Johan. 18. 1. nes verò postea quàm in hortum ingressum dicit cum discipulis suis, non commemorat quid illic egerit, donec ejus traditor cum Judæis ad eum comprehendendum veniret.

13. Tres igitur isti eamdem rem ita narraverunt, sicut etiam unus homo ter posset [a] cum aliquanta varietate, nulla tamen adversitate. Lucas enim quantum ab eis progressus, id est avulsus fuerit ut oraret, manifestiùs aperuit, dicens, *quantum jactus est lapidis.* Porrò autem Marcus primò ex verbis suis idem narravit rogasse Dominum, *ut si fieri* Marci 14. *posset, transiret ab eo illa hora*, id est passionis, quam 35. calicis nomine mox significavit. Deinde verba ipsa Domini sic enuntiavit. *Abba Pater, omnia tibi* Ibidem 36. *possibilia sunt, transfer calicem hunc à me.* Quibus verbis si adjungas quod illi duo dixerunt, & quod ipse etiam Marcus ex persona sua pariter suprà posuit, ita sententia manifestatur, *Pater, si fieri potest, omnia enim tibi possibilia sunt, transfer calicem istum à me:* ne quis eum putaret Patris minuisse potestatem, cùm ait, *si fieri potest:* non enim dixit, si facere potes; sed, *si fieri potest:* fieri autem potest quod ille voluerit. Sic itaque dictum est, *si fieri potest*, ac si diceretur, *si vis.* Manifestavit enim Marcus quo intellectu accipiendum sit, *si fieri potest*: quando ait, *omnia tibi possibilia sunt.* Et quod commemoraverunt eum dixisse, *Verùm non quod ego volo, sed quod tu*: (quod tantumdem valet, quantum si & ita dicatu., *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat:*) satis ostendit non ex impossibilitate, sed ex voluntate Patris dictum esse, *si fieri potest:* præsertim quia Lucas & hoc ipsum planiùs intimavit: non enim ait, *si fieri potest*; sed, *si vis.* Cui apertiori sententiæ apertiùs jungitur quod Marcus posuit, ut ita dicatur: *Si vis, omnia enim tibi possibilia sunt, transfer à me calicem istum.*

14. Quòd autem ipse Marcus, non solùm *Pater*, sed *Abba Pater* eum dixisse commemorat, hoc

a Hic in editis additum fuerat *loqui*: superfluò, cùm optimè subaudiatur, *narrare.*

est *Abba* Hebraïcè, quod est Latinè *Pater*. Et fortassè Dominus propter aliquod sacramentum utrumque dixerit, volens ostendere illam se tristitiam in personâ sui corporis, id est Ecclesiæ susce- *Ephes* 2.20. pisse, cui factus est angularis lapis, venienti ad eum partim ex Hebræis, ad quos pertinet quod ait *Abba*; partim ex gentibus, ad quas pertinet quod ait *Pater*. Etiam Paulus apostolus non prætermittens *Rom.* 8.15. hoc sacramentum, In quo clamamus, inquit, Ab- *Gal.* 4.6. ba Pater. Et iterum ait, Misit Deus Spiritum suum in corda vestra, clamantem Abba Pater. Oportuit enim ut bonus magister & verus salvator infirmioribus compatiens, in seipso demonstraret, non debere suos Martyres desperare, si qua fortè cordibus eorum irreperet sub tempus passionis ex humana fragilitate tristitia, cùm eam vincerent voluntati suæ præponendo voluntatem Dei, quia ille scit quid expediat quibus consulit. De qua tota re non nunc tempus est ut uberiùs disseratur: agitur enim modò de convenientia Evangelistarum, in quorum diversitate verborum salubriter discimus, non aliud in verbis ad audiendam veritatem, quàm sententiam loquentis esse requirendam. Hoc est enim *Pater*, quod *Abba Pater:* sed ad sacramentum intimandum, planius est *Abba Pater*; ad unitatem significandam, sufficit *Pater*. Et Dominum quidem *Abba Pater* dixisse credendum est: sed tamen non eluceret sententia, nisi aliis dicentibus *Pater*, demonstraretur sic esse illas duas Ecclesias ex Judæis & Græcis, ut etiam una sit. Ex illo ergo intellectu dictum est, *Abba Pater*, quo idem Do- *Johan.* 10. minus alibi ait, Habeo alias oves quæ non sunt de 16. hoc ovili: gentes utique significans, cùm haberet oves etiam in populo Israël. Sed quia secutus adjecit, Oportet me & eas adducere, ut sit unus grex & unus pastor: quantum valet ad Israëlitas & gentes, *Abba Pater*, tantum ad unum gregem, solum *Pater*.

CAPUT V. Apprehensio Jesu. *Mat.* 26.47. *Marc.* 14.43. a *Matth.* 26. v. 48. v. 49. *Luca* 22. 48. *Matth.* 26. 50. *Johan.* 18. v. 4. v. 5. v. 6. v. 7. v. 8. v. 9. *Johan.* 17. 12. *Luca* 22. v. 49. v. 50. *Johan.* 18. 10. *Luca* 22.51

15. ADHUC ergo * *ipso loquente*, sicut dicunt Matthæus & Marcus, *ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus,* E *a principibus sacerdotum & senioribus populi.* * *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens, Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* * *Et confestim accedens ad Jesum, dixit, Ave rabbi. Et osculatus est eum.* Dixitque illi primò, quod ait Lucas, *Juda osculo filium hominis tradis?* Deinde quod Matthæus, *Amice ad quid venisti?* Deinde dixit, quod Johannes commemorat, * *Quem quæritis?* * *Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus, Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum* F *ipsis:* * *ut ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* * *Iterum ergo eos interrogavit, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Jesum Nazarenum.* * *Respondit Jesus, Dixi vobis quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.* * *Ut impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex ipsis quemquam.*

16. * *Videntes autem*, sicut Lucas dicit, *ij qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei, Domine si percutimus in gladio?* * *Et percussit unus ex* G *ipsis*, quod omnes quatuor dicunt, *servum principis sacerdotum, & amputavit auriculam ejus*, sicut Lucas & Johannes dicunt, *dexteram*. Qui autem percussit, secundùm Johannem Petrus erat: quem percussit autem, Malchus vocabatur. Deinde quod Lucas dicit, *Respondens Jesus ait, Sinite usque huc:* & adjunxit quod Matthæus commemorat, * *Con-* *Matth.* 26. *verte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui* v. 52. *acceperint gladium, gladio peribunt.* * *An putas quia* v. 53. *non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* * *Quo-* v. 54. *modo ergo implebuntur Scripturæ? quia sic oportet fieri.* His verbis adjungi potest, quod illum eo loco dixisse Johannes commemorat, *Calicem quem dedit* *Johan.* 18. *mihi Pater, non vis bibam illum?* Tunc, sicut Lu- 11. cas dicit, tetigit auriculam illius qui percussus erat, *Luca* 22. 51. & sanavit eum.

17. Nec moveat quasi contrarium sit, quod Lucas dixit, interrogantibus discipulis si percuterent in gladio, Dominum respondisse, *Sinite usque huc:* quasi post illam percussionem ita dictum fuerit, ut placuerit ei usque huc factum, sed ampliùs fieri noluerit: cùm in verbis quæ Matthæus posuit, intelligatur potiùs totum factum, quo usus est gladio Petrus, Domino displicuisse. Illud enim verius est, quòd cùm eum interrogassent, dicentes, *Domine si percutimus in gladio?* tunc respondit, *Sinite usque huc*, id est, non vos moveat quod futurum est, permittendi sunt huc usque progredi, hoc est, ut me apprehendant, & impleantur quæ de me scripta sunt. Sed inter moras verborum interrogantium Dominum & illius respondentis, Petrus defensionis aviditate & majori pro Domino commotione percussit: sed non potuerunt etiam simul dici, quæ simul fieri potuerunt. Non enim diceret, *Respondens autem Jesus*, nisi illorum interrogationi responderet, non facto Petri. Nam de facto Petri quid judicaverit, Matthæus solus dixit. Ubi etiam non dixit Matthæus, Respondit Jesus Petro, Converte gladium tuum: sed dixit, *Tunc ait illi Jesus, Converte gladium tuum:* quod post factum apparet dixisse Dominum. Illud verò quod Lucas posuit, *Respondens autem Jesus ait, Sinite usque huc*, illis qui interrogaverant responsum esse accipiendum est: sed quia, ut diximus, inter verba interrogantium & respondentis Domini, facta est uno ictu percussio, hoc ordine judicavit esse narrandum, ut etiam inter verba interrogationis & responsionis eam insereret. Non est ergo contrarium hoc ei quod dixit Matthæus, *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, id est, qui usi fuerint gladio. Videri autem posset contrarium, si Dominus ex illa responsione, saltem usque ad unum, nec ipsum lethale vulnus, usum tamen gladij spontaneum approbasse demonstraretur. Quamquam etiam Petro dictum totum congruenter intelligi possit, ut sic connectatur & quod Lucas & quod Matthæus retulit, quemadmodum suprà commemoravi, *Sinite usque huc*, & *converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, &c. Quomodo autem sit intelligendum, *Sinite usque huc*, jam exposui: & si aliter meliùs potest, ita sit, dum tamen Evangelistarum veritas constet.

18. Postea sequitur Matthæus, & commemorat eum in illa hora dixisse turbis, *Tamquam ad la-* *Matth.* 26. *tronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me.* 55. *Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* Tunc addidit etiam verba, quæ Lucas posuit, *Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* *Luca* 22 53. * *Hoc autem totum factum est*, sicut Matthæus dicit, *Matth.* 26. *ut implerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli* 56. *omnes relicto eo fugerunt.* sicut & Marcus dicit. *Se-* *Marci* 14. *quebatur autem illum unus adolescens amictus sindone,* 50.

a Editi, *missi à principibus.* Abest vox, *missi*, à melioris notæ MSS. nec est in Græco.

Ibidem 51. & 52.

CAPUT VI. Quæ gesta apud pontifices. *Matth.* 26. 57. *Johan.* 18 13. *Marci* 14. 53. *Luca* 22. 54. *Matth.* 26. 58. *Marci* 14. 54. *Luca* 22. 54. & 55. *Johan.* 18. v. 15. v. 16. *Matth.* 26. v. 59. v. 60. *Marci* 14. 56. *Matth.* 26. v. 60.. v. 61. a *Marci* 14. 58. *Ibidem* 59. *Matth.* 26. v. 62. v. 63. v. 64. *Marci* 14. 62. *Matth.* 26. v. 65. v. 66. *Matth.* 26. v. 67. v. 68. *Marci* 14. 63. &c. *Luca* 22. 63. &c.

sicut idem Marcus commemorat, *& cùm tenuissent* A *eum, rejecta sindone nudus profugit ab eis.*

19. AT *illi tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ & seniores convenerant*, sicut Matthæus dicit. Sed primò ad Annam ductus est, socerum Caiphæ, sicut Johannes dicit. Marcus autem & Lucas nomen non dicunt pontificis. Ductus est autem ligatus, cùm adessent in illa turba tribunus & cohors & ministri Judæorum, sicut Johannes commemorat. *Petrus autem sequebatur eum à longè usque in atrium principis sacerdotum:* & B *ingressus intrò sedebat cum ministris, ut videret finem*, sicut dicit Matthæus. *Et calefaciebat se ad ignem*, sicut in eo loco narrationis dicit Marcus. Hoc & Lucas commemorat, quòd *Petrus sequebatur à longè: accenso autem igne in medio atrio, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.* Et Johannes dicit, quòd * *sequebatur Jesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille* alius *erat notus pontifici, & introiit cum Jesu in atrium pontificis,* sicut Johannes dicit. * *Petrus autem stabat ad ostium* C *foris*, secundùm eumdem Johannem. *Exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum*, sicut idem Johannes dicit. Sic enim factum est, ut intus esset & Petrus in atrio, sicut & alij dicunt.

20. * *Principes autem sacerdotum & omne concilium*, sicut Matthæus dicit, *quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent:* * *& non invenerunt, cùm multi falsi testes accessissent.* * *Convenientia* enim *testimonia non erant*, sicut Marcus dicit, D cùm eumdem locum commemoraret. * *Novissimè autem venerunt duo falsi testes*, sicut dicit Matthæus, * *& dixerunt, Hic dixit, Possum destruere templum* a *Dei, & post triduum* a *reædificare illud.* Alios etiam Marcus commemorat dixisse, * *Nos audivimus eum dicentem, Ego dissolvam templum hoc manu factum, & post triduum aliud non manu factum ædificabo:* & ideo *non erat conveniens testimonium illorum*, sicut idem Marcus ibidem dicit. * *Et surgens princeps sacer-* E *dotum, ait illi, Nihil respondes ad ea, quæ isti adversùm te testificantur?* * *Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi, Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* * *Dicit illi Jesus, Tu dixisti.* hæc Matthæus. Marcus autem eadem aliis verbis dicit, nisi quòd tacet quòd eum adjuraverit princeps sacerdotum: sed tantum valere ostendit, quod ei dicit Jesus, *Tu dixisti*, quantum si diceret, *Ego sum.* Sequitur enim, ut ait idem Marcus: * *Jesus autem dixit illi, Ego sum. Et videbitis filium hominis à dextris sedentem virtutis,* & F *venientem cum nubibus cæli.* Hoc dicit etiam Matthæus, sed non dicit respondisse Jesum, *Ego sum.* * *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?* quod Matthæus commemorat, & sequitur, *Ecce nunc audistis blasphemiam.* * *Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt, Reus est mortis.* Hoc etiam testatur & Marcus. Et sequitur Matthæus, * *Tunc exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt.* *Alij autem palmas in faciem ei dederunt,* * *dicentes,* G *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Hoc dicit & Marcus: commemorat etiam quòd ei faciem velaverunt. De his quoque Lucas adtestatur.

21. Hæc intelligitur passus Dominus usque ad manè in domo principis sacerdotum, quò priùs adductus est, ubi etiam Petrus tentatus est. Sed de Petri tentatione, quæ inter has Domini contumelias facta est, non eodem ordine omnes narrant: nam ipsas primò commemorant Matthæus & Mar- *Matth.* 26. cus, deinde Petri tentationem: Lucas verò expli- 69. *Marci* 14. cat priùs tentationem Petri, tum demum has Do- 66. *Luca* 22. 56. mini contumelias: Johannes autem incipit Petri *Johan.* 18. tentationem dicere, & interponit quædam de con- 17. & 25. tumeliis Domini, & adjungit quòd inde missus est ad Caipham pontificem; & inde recapitulat, ut explicet quam cœperat tentationem Petri in domo, quò primò adductus est, & redit ad ordinem, ubi ostendat quemadmodum ductus sit Dominus ad Caipham.

22. Sic ergo Matthæus sequitur: * *Petrus verò* *Matth.* 26. *sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla* v. 69. *dicens, Et tu cum Jesu Galilæo eras?* * *At ille negavit* v. 70. *coram omnibus dicens, Nescio quid dicis.* * *Exeunte* v. 71. *autem illo januam, vidit illum alia ancilla, & ait his qui erant ibi, Et hic erat cum Jesu Nazareno.* * *Et* v. 72. *iterum negavit cum juramento, quia non novi homi-* v. 73. *nem.* * *Et post pusillum accesserunt qui stabant, & di-* v. 74. *xerunt Petro, Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit.* * *Tunc cœpit detestari & ju-* *rare, quia non novisset hominem: & continuò gallus cantavit.* hæc dicit Matthæus. Intelligitur autem quòd postea quàm exiit foras, cùm jam semel negasset, gallus cantavit primus, quod Matthæus tacet, & Marcus dicit.

23. Non autem foris ante januam iterum negavit, sed cùm rediisset ad focum: quando autem redierit, non opus erat commemorare. Marcus ergo sic illud narrat: * *Et exiit foras ante atrium, & gal-* *Marci* 14. *lus cantavit.* * *Rursus autem cùm vidisset illum ancil-* v. 68. *la, cœpit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est.* v. 69. * *At ille iterum negavit.* Hæc verò ancilla non ea- v. 70. dem, sed alia est, sicut dicit Matthæus. Sanè hoc quoque intelligitur, quia in secunda negatione à duobus compellatus est, & ab ancilla scilicet, quam commemorant Matthæus & Marcus; & ab alio, quem commemorat Lucas. Sic enim hoc narrat Lu- E cas: * *Petrus verò sequebatur à longè.* * *Accenso autem* *Luca* 22. *igne in medio atrio, & circumsedentibus illis, erat Pe-* v. 54. v. 55. *trus in medio eorum.* * *Quem cùm vidisset ancilla quæ-* v. 56. *dam sedentem ad lumen, & cum fuisset intuita, dixit, Et hic cum illo erat.* * *At ille negavit eum, dicens, Mu-* v. 57. *lier non novi illum.* * *Et post pusillum alius videns eum,* v. 58. *dixit, Et tu de illis es?* Hoc ergo quod Lucas ait, *Et post pusillum*, jam egressus erat Petrus januam, & primus gallus cantaverat: jamque redierat, ut quemadmodum dicit Johannes, ad focum stans ite- F rum negaret. Johannes enim in prima negatione Petri, non solùm de primo galli cantu tacet, sicut ceteri, excepto Marco; sed etiam quòd sedentem ad ignem cognoverit ancilla, non commemorat. Hoc enim tantùm ait, *Dicit ergo Petro ancilla ostia-* *Johan.* 18. *ria, Numquid & tu de discipulis es hominis istius? Di-* 17. *cit ille, Non sum.* Deinde interponit quæ gesta sunt cum Jesu in eadem domo, quæ commemoranda arbitratus est, ita narrans: *Stabant autem servi &* mi- *Ibidem* 18. *nistri ad prunas, quia frigus erat; & calefaciebant se:* G *erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se.* Hîc ergo jam intelligitur exisse foras Petrum, & rediisse: primò enim sedebat ad ignem; postea jam rediens, stare cœperat.

24. Sed fortè ait aliquis, Nondum exierat, surrexerat autem exiturus. Hoc potest dicere, qui putat foris ante januam secundò interrogatum ne-

a Plerique DSS *ædificare:* juxta Græc. οἰκοδομῆσαι.

Ibidem v. 9. gasse. Videamus ergo Johannis sequentia : * *Pontifex ergo*, inquit, *interrogavit Jesum de discipulis suis,*
v. 20. *& de doctrina ejus.* * *Respondit ei Jesus, Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Judæi conveniunt, & in occulto*
v. 21. *locutus sum nihil :* * *quid me interrogas ? interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis : ecce ij sciunt quæ*
v. 22. *dixerim ego.* * *Hæc autem cùm dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens, Sic respondes*
v. 23. *pontifici ?* * *Respondit ei Jesus, Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me cæ-*
v. 24. *dis ?* * *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* Hîc sanè ostenditur quòd Annas pontifex erat : nondum enim missus erat ad Caipham, cùm jam illi diceretur, *Sic respondes pontifici ?* Et hos duos, Annam & Caipham pontifices, commemo-
Luc. 3. 2. rat etiam Lucas in initio Evangelij sui. His dictis Johannes redit ad quod cœperat de negatione Petri, id est, ad eamdem domum, ubi gesta sunt quæ narravit, & unde ad Caipham missus est Jesus, ad quem ab initio ducebatur, sicut dixit Matthæus. C Commemoravit autem ista Johannes quæ interposuit recapitulans de Petro, & ad eam narrationem rediens, ita dicit, ut compleat trinam negationem : *Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se : dixerunt ergo ei, Numquid & tu ex discipulis ejus es ? Negavit ille, & dixit, Non sum.* Hoc igitur loco invenimus, & non ante januam, sed ad focum stantem, secundò negasse Petrum : quod fieri non posset, nisi jam rediisset, postea quàm foras exierat. Neque enim jam exierat, & foris D eum vidit altera ancilla : sed cùm exierat, eum vidit, id est, cùm surgeret ut exiret, animadvertit eum, & dixit his qui erant ibi, id est, qui simul
Matth. 26. 71. erant ad ignem intus in atrio, *Et hic erat cum Jesu Nazareno.* Ille autem qui foras exierat, hoc audito, rediens juravit illis contrà nitentibus, *quia non*
Marci 14. 69. *novi hominem.* Nam & Marcus sic ait de eadem ancilla : *Et cœpit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est.* Dicebat enim non illi, sed his qui illo exeunte ibi remanserant, sic tamen ut ille audiret : unde E rediens, & rursus ad ignem stans, resistebat negando verbis eorum. Deinde in eo quod Johannes ait, *Dixerunt, Numquid & tu ex discipulis ejus es ?* quod redeunti & stanti dictum intelligimus, hoc quoque confirmatur, non illam tantùm alteram ancillam, quam commemorant in hac secunda negatione Matthæus & Marcus, sed & alium quem commemorat Lucas, cum Petro id egisse ; unde Johannes dicit, *Dixerunt ergo ei.* Quapropter sive postea quàm illo exeunte dixit ancilla his, qui se- F cum erant in atrio, *quia hic ex illis est*, hoc audito ille regressus est, ut se quasi purgaret negando : sive, quod est credibilius, non audivit quid de illo dictum fuerit, cùm foras exiret, & postea quàm re-
Luc. 22. 58. diit, dixerunt ei ancilla & ille alius, quem Lucas commemorat, *Numquid & tu ex discipulis ejus es ? & dixit, Non sum :* pertinaciùs insistente illo, de quo Lucas ait, atque dicente, *Et tu de illis es* ; cui Petrus ait, *O homo non sum.* Liquidò tamen colligitur, collatis de hac re omnibus Evangelistarum G testimoniis, non ante januam secundò Petrum negasse, sed intus in atrio ad ignem. Matthæum autem & Marcum, qui commemoraverunt exisse eum foras, regressum ejus brevitatis causâ tacuisse.

25. Nunc jam de tertia negatione inspiciamus A eorum congruentiam, quam Matthæum solum jam explicasse meminerimus. Sequitur ergo Marcus & *Marci 14.* dicit : * *Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant* *v. 70.* *Petro, Verè ex illis es, nam & Galilæus es.* * *Ille au-* *v. 71.* *tem cœpit anathematizare & jurare, quia nescio hominem istum quem dicitis.* * *Et statim iterum gallus can-* *v. 72.* *tavit.* Lucas autem ita secutus, hoc idem narrat : * *Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam* *Luc. 22.* *affirmabat, dicens, Verè & hic cum illo erat, nam* *v. 59.* *& Galilæus est.* * *Et ait Petrus, Homo, nescio quid* B *dicis. Et continuò adhuc illo loquente, cantavit gallus.* Johannes secutus de tertia Petri negatione, ita explicat : * *Dicit unus ex servis pontificis, cognatus ejus* *Johan. 18.* *cujus abscidit Petrus auriculam, Nonne ego te vidi in* *v. 26.* *horto cum illo ?* * *Iterum ergo negavit Petrus, & statim* *v. 27.* *gallus cantavit.* Quod igitur Matthæus & Marcus dicunt, *post pusillum*, quantum esset hoc temporis, manifestat Lucas dicendo, *Et intervallo facto quasi horæ unius :* de hoc autem intervallo tacet Johannes. Item quod Matthæus & Marcus non singulari, sed plurali numero enuntiant eos, qui cum Petro agebant, cùm Lucas unum dicat, Johannes quoque unum, eumque cognatum ejus, cujus abscidit Petrus auriculam ; facile est intelligere, aut pluralem numerum pro singulari, usitata locutione usurpasse Matthæum & Marcum ; aut quòd unus maximè tamquam sciens, & qui eum viderat, affirmabat, ceteri autem secuti ejus fidem, Petrum simul urgebant : unde duos Evangelistas compendio pluralem numerum posuisse ; alios autem duos eum solum significare voluisse, qui præcipuus in hoc erat. Jam verò illud quod Matthæus ipsi Petro dictum fuisse *Matth. 26.* asserit, *Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua ma-* *73.* *nifestum te facit* ; sicut Johannes eidem Petro dictum *Johan. 18.* asseverat, *Nonne ego te vidi in horto cum illo* ; Mar- *26.* cus autem [a] inter se illos de Petro locutos dicit, *Verè ex illis est, nam & Galilæus est* ; sicut & Lucas, *Marci 14.* non Petro, sed de Petro dicit, *Alius quidam affir-* *70.* *mabat dicens, Verè & hic cum illo erat, nam & Ga-* *Luc. 22.* *lilæus est :* aut sententiam intelligimus tenuisse eos, *59.* qui compellatum dicunt Petrum ; tantumdem enim valuit quod de illo coram illo dicebatur, quantum si illi diceretur : aut utroque modo actum, & alios illum alios alium modum commemorasse. Galli autem cantum post tertiam negationem secundum intelligimus, sicut Marcus expressit.

26. Sequitur ergo Matthæus, ita dicens : *Et re-* *Matth. 26.* *cordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat, Priùs quàm* *75.* *gallus cantet, ter me negabis : & egressus foras, flevit* *Marci 14.* *amarè.* Marcus autem ita dicit : *Recordatus est Pe-* *72.* *trus verbi quod dixerat ei Jesus, Priùs quàm gallus cantet bis, ter me negabis : & cœpit flere.* Lucas autem sic ait : * *Et conversus Dominus respexit Petrum :* *Luc. 22.* *& recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat,* *v. 61.* *Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis :* * *&* *v. 62.* *egressus foras Petrus flevit amarè.* Johannes de recordatione & fletu Petri tacet. Sanè in eo quod ait Lucas, quòd *conversus Dominus respexit Petrum* : quomodo accipiendum sit, diligentiùs considerandum est. Quamvis enim dicantur etiam interiora atria, tamen in exteriore atrio fuit Petrus inter servos, qui simul se ad ignem calefaciebant : non est autem credibile, quòd ibi audiebatur Dominus à Judæis, ut corporalis fieret illa respectio. Namque cùm dixisset Matthæus, * *Tunc exspuerunt in faciem* *Matth. 26.* *ejus, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in* *v. 67.*

[a] Fortè legendum, *Marcus autem in quibusdam codicibus inter se illos* &c. Nam paulò suprà non secus ac in sacris Bibliis habetur hunc ipsum Marci locum retulit Aug. in hæc verba, *dicebant Petro, Verè ex illis es* &c. quibus illa non de Petro inter se, sed ipsi Petro locuti narrantur.

faciem

v. 68 *faciem ei dederunt,* * *dicentes, Prophetiza nobis Christe,* A *à modò videbitis filium hominis sedentem à dextris vir-*
v. 69. *quis est qui te percussit ?* secutus est dicens, * *Petrus* *tutis,* [a] *& venientem in nubibus cœli,* jam lucescente a
verò sedebat foris in atrio : quod non diceret, nisi die gestum, quando Lucas dicit, *Et ut factus est dies:* *Luc.* 22.
illa cum Domino intus agerentur : & quantum colligitur in narratione Marci, non solùm in interioribus, sed etiam in superioribus domûs agebantur. atque ita narrat similia, & si quid etiam ipse commemorat quod illi tacuerunt. Nocte autem intelligimus per falsos testes actum esse cum Domino, quod breviter commemoraverunt Matthæus & *Matth. 26.* Marcus, Lucas tacuit, qui enarravit quæ circa *60.*
Marci 14. 66. Nam postea quàm Marcus talia narravit, secutus ait, *Et cùm esset Petrus in atrio deorsum.* Sicut ergo eo quod Matthæus ait, *Petrus verò sedebat foris in atrio*, ostendit quòd illa intus agerentur : sic eo quod dixit Marcus, *Et cùm esset Petrus in atrio deorsum*, ostendit non solùm in interioribus, sed etiam in superioribus gesta quæ dixerat. Quomodo ergo respexit Petrus Dominus facie corporali ? Quapropter mihi videtur illa respectio divinitus facta, ut ei veniret in mentem quoties jam negasset, & quid ei Dominus prædixisset, atque ita misericorditer Domino respiciente pæniteret eum, & salubriter fleret : sicut quotidie dicimus, Domine respice me : & C *Psal. 12. 4.* , Respexit eum Dominus, qui de aliquo periculo vel labore divinâ misericordiâ liberatus est : & sicut dictum est, Respice, & exaudi me ; & , Con-
Psal. 6. 5. vertere Domine, & libera animam meam : ita dictum arbitror, *Conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini.* Denique cùm frequentiùs soleant in narrationibus suis ponere Jesum quàm Dominum, modò Lucas Dominum posuit dicens, *Conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini :* Matthæus autem & Marcus, quia de ista respectione tacuerunt, non verbi Domini, sed verbi Jesu eum recordatum esse dixerunt : ut etiam ex hoc intelligamus illam respectionem à Jesu, non humanis oculis, sed divinitus factam.

CAPUT VII. Quæ manè apud Caipham. 27. SEQUITUR ergo Matthæus, & dicit: *Matth. 27. v. 1 v. 2.* * *Manè autem facto, consilium inierunt omnes principes* *sacerdotum & seniores populi adversùs Jesum, ut eum* *morti traderent :* * *& vinctum adduxerunt eum, & tra-* *didverunt Pontio Pilato præsidi.* Marcus similiter : *Et* *Marci 15. 1.* *confestim manè*, inquit, *consilium facientes summi sa-* *cerdotes cum senioribus & Scribis & universo concilio* E *vincientes Jesum duxerunt & tradiderunt Pilato.* Lucas autem postea quàm complevit narrando Petri negationem, recapitulavit quæ cum Domino gesta sunt, jam ut apparet, circa manè, atque ita contexuit narrationem : * *Et viri qui tenebant illum, il-* *Luc. 22.* *ludebant ei, cædentes,* * *& velaverunt eum, & per-* *v. 63.* *cutiebant faciem ejus, & interrogabant eum, dicentes,* *v. 64.* *Prophetiza, quis est qui te percussit ?* * *Et alia multa* *v. 65.* *blasphemantes dicebant in eum.* * *Et ut factus est dies,* *v. 66.* *convenerunt seniores plebis & principes sacerdotum &* F *Scribæ ; & duxerunt illum in concilium suum, dicentes,* *v. 67.* *Si tu es Christus, dic nobis.* * *Et ait illis, Si vobis di-* *v. 68.* *xero, non credetis mihi :* * *si autem & interrogavero,* *v. 69.* *non respondebitis mihi, neque dimittetis :* * *ex hoc au-* *tem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* *v. 70.* * *Dixerunt autem omnes, Tu ergo es filius Dei ? Qui* *v. 71.* *ait, Vos dicitis, quia ego sum.* * *At illi dixerunt, Quid* *adhuc desideramus testimonium ? Ipsi enim audivimus*
Luc. 23. v. 1. *de ore ejus.* * *Et surgens omnis multitudo eorum duxe-* *runt eum ad Pilatum.* Hæc omnia narravit Lucas, G
Matth. 26. 63. & 64. Marci 14. 61. & 62. ubi intelligitur quod etiam Matthæus & Marcus narraverunt, quòd interrogatus sit Dominus, utrùm ipse esset Filius Dei, & quòd dixerit, *Dico vobis,*

[a] Editi, *virtutis Dei.* Attamen vocem, *Dei*, hoc loco non videmus in MSS. nec eam in antiquis Corbeiensibus Bibliis repræsentat versio Vulgata seu Matth. 26. 64. seu Marci 14. 62. quibus locis abest etiam à textu Græco.

[b] In septem MSS. *perduxerunt.*

[c] Hujus lectionis difficultatem, ab exemplari scilicet profectam non sincero, quando quidem in sacris Bibliis non *ad Caiphan*, sed *à Caipha*, Græc. ἀπὸ τοῦ Καϊάφα legimus, expedire conatur iterum in Johan. Tract. 114.

[d] In sacris Bibliis, *à filiis Israël.*

ribus Evangelium considerarent, in antiquioribus Græcis ita se perhibent invenisse: & nulla fuit caussa cur adderetur hoc nomen, ut mendositas fieret: cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit utique caussa, ut hoc audax imperitia faceret, cùm turbaretur quæstione, quòd hoc testimonium apud Jeremiam non inveniretur.

30. Quid ergo intelligendum est, nisi hoc actum esse secretiore consilio providentiæ Dei, qua mentes Evangelistarum sunt gubernatæ? Potuit enim fieri, ut animo Matthæi Evangelium conscribentis pro Zacharia Jeremias occurreret, ut fieri solet, quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suæ, quæ sancto Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen Prophetæ, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit. Cur autem ita constituerit Dominus, prima illa caussa utilissima debet facillimè cogitari, etiam sic esse insinuatum, ita omnes sanctos Prophetas uno spiritu locutos mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit, quàm si omnium omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur: & ideo indubitanter accipi debere quæcumque per eos Spiritus-sanctus dixit, & singula esse omnium, & omnia singulorum. Cùm igitur, & quæ dicta sunt per Jeremiam tam sint Zachariæ quàm Jeremiæ, & quæ dicta sunt per Zachariam tam sint Jeremiæ quàm Zachariæ; quid opus erat ut emendaret Matthæus, cùm aliud pro alio sibi nomen occurrens à se scriptum relegisset; ac non potiùs sequens auctoritatem Spiritus-sancti, à quo mentem suam regi plus nobis ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus, ad informandos nos tantam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, ut non absurdè, immo congruentissimè etiam Jeremiæ deputaremus quod per Zachariam dictum reperiremus? Si enim hodie quisquam volens alicujus verba indicare, dicat nomen alterius à quo dicta [a] non sint, qui tamen sit amicissimus & familiaritate conjunctissimus illi cujus verba dicere voluit; & continuò recordatus alium pro alio se dixisse, ita se colligat atque corrigat, ut tamen dicat, Benedixi; quid aliud intuens nisi tantam inter ambos esse concordiam, inter illum scilicet cujus verba dicere voluit, & alium cujus ei nomen pro illius nomine occurrit, ut tale sit hoc istum dixisse, quale si ille dixisset? quanto magis hoc de Prophetis sanctis intelligendum & maximè commendandum fuit, ut omnium librorum tamquam unius unum librum acciperemus, in quo nulla rerum discrepantia crederetur, sicut nulla inveniretur, & in quo major esset constantia veritatis, quàm si omnia illa unus homo quamlibet doctissimus loqueretur? Quod ergo hinc argumentum sumere conantur vel infideles vel imperiti homines, quasi ad ostendendam dissonantiam sanctorum Evangelistarum, hoc potiùs debent assumere fideles & docti ad ostendendam unitatem sanctorum etiam Prophetarum.

31. Est & alia caussa, quæ mihi videtur alio tempore diligentiùs pertractanda, ne amplius sermonem protendamus, quàm hujus operis terminandi necessitas flagitat, cur hoc nomen Jeremiæ in testimonio Zachariæ sic manere permissum vel potiùs sancti Spiritus auctoritate præceptum sit.

A Est apud Jeremiam, quòd emerit agrum à filio fratris sui, & dederit ei argentum; non quidem sub hoc nomine pretij quod positum est apud Zachariam, triginta argenteis; verumtamen agri emtio non est apud Zachariam: quòd autem prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit Evangelista, quod modò de Domino completum est, ut hoc esset pretium ejus, manifestum est; sed ad hoc pertinere etiam illud de agro emto quod Jeremias dixit, hinc potuit mysticè significari, ut non hîc Zachariæ nomen poneretur, qui dixit triginta argenteis, sed Jeremiæ, qui dixit de agro emto; ut lecto Evangelio atque invento nomine Jeremiæ, lecto autem Jeremia & non invento testimonio de triginta argenteis, invento tamen agro emto, admoneatur lector utrumque conferre, & inde sensum enucleare prophetiæ, quomodo pertineat ad hoc quod in Domino impletum est. Nam illud quod subjecit huic testimonio Matthæus cùm ait, * *Quem appretiaverunt filij Israël, * & dederunt* *eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus,* nec apud Zachariam nec apud Jeremiam reperitur. Unde magis ex persona ipsius Evangelistæ accipiendum est eleganter & mysticè insertum, quia hoc ex Domini revelatione cognoverit, ad hanc rem quæ de Christi pretio facta est hujusmodi pertinere prophetiam. Liber quippe emti agri apud Jeremiam jubetur mitti in vas fictile, & emitur hîc de pretio Domini ager figuli, & hoc ad sepulturam peregrinorum, tamquam ad permansionem quietis eorum, qui in hoc sæculo peregrinantes consepeliuntur Christo per baptismum. Nam & illam emtionem agri hoc significare Jeremiæ dixit Dominus, quia erit permansio de captivitate liberatorum in illa terra. Hæc tamquam [b] delineanda arbitratus sum, cùm admonerem quid in his propheticis testimonis in unum redactis & Evangelicæ narrationi collatis, diligentiùs adtentiúsque requiratur. Hæc interposuit Matthæus de Juda traditore.

Jerem. 32. 9.

Matth. 27. v. 9. v. 10.

Jerem. 32. 14.

32. DEINDE sequitur, & dicit: * *Jesus autem stetit ante præsidem, & interrogavit eum præses, dicens, Tu es rex Judæorum? Dicit ei Jesus, Tu dicis.* * *Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit.* * *Tunc dicit illi Pilatus, Non audis quanta adversùm te dicunt testimonia?* * *Et non respondit ei ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.* * *Per diem autem sollemnem consueverat præses dimittere populo unum vinctum quem voluissent:* * *habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas:* * *congregatis ergo illis dixit Pilatus, Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* * *Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum.* * *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxor ejus dicens, Nihil tibi & justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* * *Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum verò perderent.* * *Respondens autem præses ait illis, Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam.* * *Dicit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* * *Dicunt omnes, Crucifigatur. Ait illis præses, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur.* * *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptâ aquâ lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis.* * *Et respondens universus populus, dixit, Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* * *Tunc dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.* hæc narravit Matthæus per Pilatum gesta de Domino.

CAPUT VIII. Quæ apud Pilatum gesta. *Matth. 27. v. 11. v. 12. v. 13. v. 14. v. 15. v. 16. v. 17. v. 18. v. 19. v. 20. v. 21. v. 22. v. 23. v. 24. v. 25.*

[a] In MSS. propè omnibus, *alterius à quo dicta sint.*

[b] In quatuor MSS. *tamquam delibanda.*

33. Marcus quoque penè iisdem verbis & rebus concinit. Verba autem Pilati, quibus respondit populo petenti ut sollemniter unus vinctus dimitteretur, ita refert: *Pilatus autem respondit eis, & dixit, Vultis dimittam vobis regem Judæorum?* Matthæus autem sic ait: *Congregatis ergo illis, dixit Pilatus, Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* Nulla quæstio est, quòd tacet ipsos petiisse ut aliquis eis dimitteretur: sed quæri potest quæ verba Pilatus dixerit, utrùm quæ à Matthæo, an quæ à Marco referuntur? Aliud enim videtur esse, *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* aliud, *Vultis dimittam vobis regem Judæorum?* Sed quia christos reges dicebant, & qui dixit illum an illum, manifestum est eum quæsisse an vellent sibi dimitti regem Judæorum, id est Christum; nihil interest sententiæ, quod hîc tacuit Marcus de Barabba, hoc solum volens dicere quod ad Dominum pertinebat; quandoquidem in eorum responsione satis & ipse ostendit, quem sibi dimitti voluerint: *Pontifices, inquit, concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis:* sequitur autem, & dicit, *Pilatus autem iterum respondens, ait illis, Quid ergo vultis faciam regi Judæorum?* Unde jam satis apparet, quòd id Marcus velit ostendere, dicendo *regem Judæorum*, quod Matthæus dicendo *Christum*. Non enim dicebantur christi reges, nisi Judæorum: namque in eo etiam loco Matthæus ait, *Dicit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* Ergo sequitur Marcus: *At illi iterum clamaverunt, Crucifige eum.* quod ille ait, *Dicunt omnes, Crucifigatur.* Et sequitur Marcus, *Pilatus verò dicebat eis, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, Crucifige eum.* Hoc Matthæus non dixit: sed quoniam dixit, *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret:* dixit etiam eum lavisse manus coram populo, ut innocentem se à sanguine justi significaret; quod item & Marcus & alij tacent: satis ostendit etiam Matthæus egisse præsidem cum populo, ut dimitteretur. Quod breviter significavit Marcus in eo, quod refert Pilatum dixisse, *Quid enim mali fecit?* Deinde sic etiam ipse concludit, quæ per Pilatum cum Domino gesta sunt: *Pilatus autem, inquit, volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.* hæc apud præsidem gesta narravit Marcus.

Marci 15. 9. Ibidem v. 11. v. 12. v. 13. v. 14. v. 15.

34. Lucas apud Pilatum gesta sic narrat: *Cœperunt autem accusare illum, dicentes, Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.* Hoc illi duo Evangelistæ non dixerunt, cùm tamen dicerent quòd eum accusabant. Ergo iste etiam ipsa crimina quæ falsa objecerunt, aperuit. Tacuit autem quod ei dixit Pilatus, *Non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant:* sed planè sequitur, & dicit quod etiam illi dixerunt, *Pilatus autem interrogavit eum, dicens, Tu es rex Judæorum? At ille respondens ait, Tu dicis.* Hoc autem Matthæus & Marcus commemoraverunt antequam dicerent compellatum Jesum, quòd eis accusantibus non responderet. Nihil autem interest veritatis, quo ordine Lucas ista retulerit: quemadmodum nihil interest si alius aliquid tacet, quod alius commemorat: quemadmodum in consequentibus dicit: * *Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas, Nihil invenio causæ in hoc homine.* * *At illi invalescebant, dicentes, Commovet populum docens per universam Judæam, & incipiens à Galilæa usque huc.* * *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset:* * *& ut cognovit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Jerosolymis erat in illis diebus.* * *Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audiret multa de illo; & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* * *Interrogabat autem illum multis sermonibus: at ipse illi nihil respondebat:* * *stabant etiam principes sacerdotum & Scribæ, constanter accusantes eum.* * *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.* * *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam anteà inimici erant ad invicem.* Hæc omnia, id est, quòd à Pilato ad Herodem Dominus missus est, & quæ ibi gesta sunt, Lucas solus indicat; etiamsi aliquid ibi ait simile, quod in aliis narrationum locis apud alios possit inveniri: ceteri autem ea tantùm dicere voluerunt quæ apud Pilatum gesta sunt, quousque Dominus crucifigendus traderetur. Rediens ergo Lucas ad ea quæ apud præsidem gerebantur, unde digressus erat, ut narraret quod apud Herodem actum est, ita sequitur: * *Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe,* * *dixit ad illos, Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam caussam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis.* Hîc intelligimus eum prætermisisse quemadmodum à Domino quæsierit, quid accusatoribus responderet. * *Sed neque Herodes,* inquit, *Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.* * *Emendatum ergo illum dimittam.* * *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum.* * *Exclamavit autem simul universa turba dicens, Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam:* * *qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate & homicidium missus in carcerem.* * *Iterum autem Pilatus locutus est ad illos, volens dimittere Jesum.* * *At illi succlamabant dicentes, Crucifige, crucifige eum.* * *Ille autem tertiò dixit ad illos, Quid enim mali fecit iste? nullam caussam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam.* * *At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur, & invalescebant voces eorum.* Matthæus huic conatui Pilati, quo sæpius cum eis egit, volens ut dimitteretur Jesus, paucissimis verbis satis adtestatus est, ubi ait, *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret:* quod non diceret nisi multùm ille nisus esset: quamvis tacuerit, quoties hoc efficere tentaverit, ut erueret Jesum furori eorum. Et Lucas itaque ita concludit quod actum est apud præsidem: * *Et Pilatus,* inquit, *adjudicavit fieri petitionem eorum.* * *Dimisit autem illis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Jesum verò tradidit voluntati eorum.*

Luc. 23. 2. Ibidem v. 3. Matth. 27. 24. Luc. 23. v. 24. v. 25.

35. Nunc eadem secundùm Johannem consideremus, id est, quæ per Pilatum facta sunt. * *Et ipse,* inquit, *non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha.* * *Exiit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc?* * *Responderunt & dixerunt ei, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Hoc videndum est, ne contrarium sit ei, quod Lu-

Johan. 18. v. 28. v. 29. v. 30.

cas dicit, certa in eum dicta esse crimina; & dicit
Luca 23. 2. quæ dicta sint, *Cæperunt autem*, inquit, *accusare illum, dicentes, Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.* Quod verò nunc secundùm Johannem commemoravi, videntur Judæi noluisse dicere crimina, cùm dixisset eis Pilatus, *Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc?* Responderunt enim, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum:* videlicet ut eorum auctoritatem secutus, quid ei objiceretur desineret quærere; sed ob hoc tantùm nocentem crederet, quòd sibi ab eis tradi meruisset. Ergo intelligere debemus, & hoc dictum esse, & illud quod Lucas commemoravit. Multa enim dicta, & multa responsa sunt, unde cuique eorum quantum visum est decerpsit, & in narratione sua posuit quod satis esse judicavit. Nam & ipse Johannes dicit quædam quæ objecta sunt, quæ suis locis videbimus. Itaque sequitur:
Johan. 18. v. 31. * *Dixit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi, Nobis non licet interficere quemquam.* v. 32. * *ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua esset morte* v. 33. *moriturus.* * *Introiit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Jesum, & dixit ei, Tu es rex Judæorum?* v. 34. * *Et respondit Jesus, A temetipso hoc dicis, an alij tibi*
Matth. 27. 11. Marci 15. 2. Luca 23. 3. *dixerunt de me?* Et hoc videretur non convenire illi quod ab aliis commemoratum est, *Respondit Jesus, Tu dicis:* nisi in consequentibus ostenderet & illud dictum esse. Unde ostendit ea quæ nunc dicit, à ceteris potiùs Evangelistis tacita quàm à Domino
Johan. 18. v. 35. dicta non esse. Adtende ergo cetera: * *Respondit*, inquit, *Pilatus, Numquid ego Judæus sum? Gens tua* v. 36. *& pontifices tradiderunt te mihi: Quid feci sti?* * *Respondit Jesus, Regnum meum non est de mundo hoc: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum* v. 37. *meum non est hinc.* * *Dixit itaque ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit Jesus, Tu dicis, quia rex sum ego.* Ecce quando ventum est ad id, quod alij Evangelistæ commemoraverunt. Sequitur ergo, item dicente adhuc Domino, quod ceteri tacuerunt, *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate,* v. 38. *audit vocem meam.* * *Dicit ei Pilatus, Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiit ad Judæos, &* v. 39. *dicit eis, Ego nullam invenio in eo causam.* * *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha:* v. 40. *vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum?* * *Clamaverunt rursum omnes, dicentes, Non hunc, sed Ba-*
Johan. 19. v. 1. *rabbam. erat autem Barabbas latro.* * *Tunc ergo ap-*
v. 2. *prehendit Pilatus Jesum, & flagellavit.* * *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, &*
v. 3. *veste purpurea circumdederunt eum:* * *& veniebant ad eum, & dicebant, Ave rex Judæorum; & dabant ei*
v. 4. *alapas.* * *Exiit iterum Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo nul-*
v. 5. *lam causam invenio.* * *Exiit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, & dicit eis, Ecce*
v. 6. *homo.* * *Cùm ergo vidissent eum pontifices & ministri,*
a *clamabant dicentes, Crucifige, crucifige.* a *Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non*
v. 7. *invenio in eo causam.* * *Responderunt ei Judæi, Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Hoc potest congruere ei, quod Lucas commemorat in accusatione Judæorum dicLuca 23. 2. tum, *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram,* ut adjungatur, *Quia Filium Dei se fecit.* Sequitur itaque Johannes, & dicit: * *Cùm ergo audisset Pila-*Johan. 19. v. 8. *tus hunc sermonem, magis timuit:* * *& ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Jesum, Unde es tu? Jesus* v. 9. *autem responsum non dedit ei.* * *Dicit ergo ei Pilatus,* v. 10. *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo cru-*v. 11. *cifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* * *Respondit Jesus, Non haberes potestatem adversùs me ullam,* B *nisi tibi datum esset desuper: propterea qui tradidit me*
Marci 15. v. 12. *tibi, majus peccatum habet.* * *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Huic potest congruere quod Lucas in eadem accusatione Judæorum ita narrat, cùm dixissent, *Invenimus eum subvertentem*Luca 23. 2. *gentem nostram;* adjecit, *& prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.* Ex quo solvitur illa quæstio, qua putari poterat Johannes C dixisse, nullum à Judæis Domino crimen objectum, quando responderunt & dixerunt ei. *Si non esset hic*Johan. 18. 30. *malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Sequitur ergo Johannes, & dicit: * *Pilatus ergo cùm audivisset*Johan. 19. v. 13. *hos sermones, adduxit foras Jesum, & sedit pro tribu-*v. 14. *nali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha.* * *Erat autem parasceve Paschæ hora quasi*v. 15. *sextæ, & dicit Judæis, Ecce rex vester.* * *Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pila-*v. 16. *tus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifi-*D *ces, Non habemus regem, nisi Cæsarem.* * *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.* hæc narravit Johannes per Pilatum gesta.

CAPUT IX. Illusio Domini apud Pilatum.

36. CONSEQUENS est jam, ut ipsam Domini passionem secundùm quatuor Evangelistarum testimonia videamus, quam Matthæus sic incipit: * *Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in præ-*Matth. 27. v. 27. *torium, congregaverunt ad eum universam cohortem;* v. 28. * *& exuentes eum, chlamydem coccineam circumdede-*v. 29. *runt ei;* * *& plectentes coronam de spinis, posuerunt su-*E *per caput ejus, & arundinem in dextera ejus: & genu flexo ante eum, illudebant, dicentes, Ave rex Judæorum.* Hoc Marcus in eodem loco narrationis ita dicit: * *Milites autem duxerunt eum intrò in atrium*Marci 15. v. 16. *prætorij, & convocant totam cohortem;* * *& induunt*v. 17. *eum purpuram, & imponunt ei plectentes spineam coronam:* * *& cœperunt salutare eum, Ave rex Judæorum:*v. 18. * *& percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant*v. 19. *eum; & ponentes genua, adorabant eum.* Intelligitur itaque quod Matthæus ait, *Chlamydem coccineam*F *circumdederunt ei*, hoc Marcum dixisse, *indutum purpuram.* Pro regia enim purpura, chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat: & est rubra quædam purpura cocco simillima. Potest etiam fieri, ut purpuram etiam Marcus commemoraverit, quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea. Lucas hoc prætermisit. Johannes autem antequam diceret, quòd eum Pilatus crucifigendum tradiderit, commemoravit hoc dicens, * *Tunc er-*Johan. 19. v. 1. *go apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit.* * *&*v. 2. *milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti*G *ejus, & veste purpurea circumdederunt eum:* * *&*v. 3. *veniebant ad eum, & dicebant, Ave rex Judæorum; & dabant ei alapas.* Unde apparet Matthæum & Marcum recapitulando istud commemorasse, non quòd

a In editis additur, *eum:* quæ vox à MSS. abest & à vetust. Corb. Bibliis, nec reperitur in Græco. Hanc itaque, & alias quasdam particulas, præsertim quòd eas repetitâ eadem sententiâ non constanter nec ubique haberent editi, antiquorum exemplarium auctoritate removimus.

tunc factum sit, cùm eum Pilatus jam crucifigen-A
Johan. 19. 2. dum tradidisset: Johannes enim apud Pilatum dicit hæc gesta satis evidenter, unde isti quod præterierant recoluerunt. Ad hoc pertinet etiam quod
Matth. 27. v. 30. consequenter dicit Matthæus, * *Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus:*
v. 31. * *& postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent.* Hoc quod exuerunt chlamydem, & induerunt eum vestimentis ejus, in fine factum intelligitur, cùm jam duceretur. Marcus hoc ita di-
Marci 15. 20. cit: *Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpuram, & induerunt eum vestimentis suis.*

CAPUT X. Simon Cyrenæus.

37. SEQUITUR ergo Matthæus: *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.* Mar-
Matth. 27. 32. Marc. 15 21. cus quoque, *Et educunt illum*, inquit, *ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri & Ruf, ut tolleret crucem ejus.* Hoc Lucas ita
Luca 23. 26. dicit: *Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* Johannes autem
Johan. 19. v. 16. sic narrat: * *Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt:*
v. 17. * *& bajulans sibi crucem exiit in eum qui dicitur Cal-*
v. 18. *variæ locum, Hebraicè Golgotha,* * *ubi eum crucifixerunt.* Unde intelligitur quòd ipse sibi portabat crucem, cùm exiret in locum memoratum. Simon autem ille in itinere angariatus est, de quo tres commemorant, cui postea data est crux portanda usque ad locum. Ita utrumque factum invenimus, primò id quod Johannes dixit, deinde quod ceteri tres.

CAPUT XI. Vinum myrrhatum.

38. SEQUITUR itaque Matthæus: *Et venerunt*, inquit, *in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.* de hoc loco apertissimè consentiunt. Deinde adjungit idem Matthæus: *Et dede-*
Matth. 27. 33. Ibidem 34. Marci 15. 23. *runt ei vinum bibere cum felle mixtum: & cùm gustasset, noluit bibere.* Hoc Marcus ita narrat: *Et dabant ei bibere vinum myrrhatum; & non accepit.* Hoc intelligendum est Matthæum dixisse, *cum felle mix-*E *tum:* fel quippe pro amaritudine posuit; myrrhatum enim vinum amarissimum est: quamquam fieri possit ut & fel & myrrha vinum amarissimum redderent. Quod ergo ait Marcus, *non accepit:* intelligitur, non accepit ut biberet. Gustavit autem, sicut Matthæus testis est: ut quod idem Matthæus ait, *noluit bibere*, hoc Marcus dixerit, *non accepit*; tacuerit autem quòd gustaverit.

CAPUT XII. Vestium partitio.

39. SEQUITUR Matthæus: * *Postquam au-*
Matth. 27. v. 35. v. 36. a Marci 15. 24. Luca 23. 34. *tem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sor-*F *tem mittentes:*a * *& sedentes servabant eum.* Hoc idem Marcus sic: *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis quis quid tolleret.* Hoc Lucas sic ait: *Dividentes verò vestimenta ejus, miserunt sortes, & stabat populus spectans.* Breviter à tribus dictum est: Johannes autem distinctiùs hoc
Johan. 19. v. 23. explicat quemadmodum gestum sit: * *Milites ergo,* inquit, *cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis de super*G
v. 24. *contexta per totum.* * *Dixerunt ergo ad invicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit: ut Scrip-*
Psal. 21. 19. *tura impleretur dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.*

CAPUT XIII. Hora passionis.

40. SEQUITUR Matthæus: *Et imposuerunt*
Matth. 27. 37. Marci 15. 25. *super caput ejus causam ipsius scriptam, Hic est Jesus rex Judæorum.* Marcus autem priùs quàm hoc dixisset, *Erat autem*, inquit, *hora tertia, & crucifixerunt eum:* hoc enim subjungit cùm de vestium divisione dixisset: quæ res diligentissimè consideranda est, ne magnum faciat errorem. Sunt enim qui arbitrentur horâ quidem tertiâ Dominum crucifixum; à sexta autem hora tenebras factas usque ad nonam, ut consumtæ intelligantur tres horæ ex
B quo crucifixus est, usque ad tenebras factas. Et
Johan. 19. 13. posset quidem hoc rectissimè intelligi, nisi Johannes diceret, horâ quasi sextâ Pilatum sedisse pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Sequitur enim, * *Erat autem*v. 14. *parasceve Paschæ hora quasi sexta, & dicit Judæis,*
v. 15. *Ecce rex vester.* * *Illi autem clamabant, Tolle, tolle,*
v. 16. *crucifige eum. Dixit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices, Non habemus regem*
C *nisi Cæsarem.* * *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.* Si igitur horâ quasi sextâ Pilato sedente pro tribunali traditus est crucifigendus Judæis, quomodo horâ tertiâ crucifixus est, sicut verba Marci non intelligentes quidam putaverunt?

41. Priùs enim qua horâ crucifigi potuerit videamus, deinde videbimus cur horâ tertiâ crucifixum dixerit Marcus. Hora erat quasi sexta cùm traditus est crucifigendus à Pilato sedente, ut dictum est, pro tribunali. Non enim jam plena sexta erat, sed quasi sexta, id est, peractâ quintâ aliD quid etiam de sexta esse cœperat. Numquam autem isti dicerent quinta & quadrans, aut quinta & triens, aut quinta & semis, aut aliquid hujusmodi. Habent enim istum morem Scripturæ, ut à parte totum ponant, maximè in temporibus: sicut de octo illis diebus, post quos eum dicunt adscendis-
Luca 9. 28. Matth. 17. 1. Marci 9. 2. se in montem, quorum medios intuentes Matthæus & Marcus dixerunt, Post dies sex. Præsertim quia tam moderatè idem Johannes locutus est, ut non diceret sexta, sed *quasi sexta:* quòd si ita non diceret, sed tantummodo sextam diceret, possemus nos ita intelligere, quemadmodum loqui solent Scripturæ, sicut dixi, à parte totum, ut peractâ quintâ & inchoatâ sextâ gererentur hæc quæ narrata sunt in crucifixione Domini nostri, donec complerâ sextâ illo pendente fierent tenebræ, quibus tres Evangelistæ adtestantur, Matthæus, Marcus
Matth. 27. 45. Marci 15. 33. Luca 23. 44. & Lucas.

42. Quæramus jam consequenter, cur dixerit Marcus, cùm commemorasset quòd crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortes
F super eis quis quid tolleret, & secutus adjunxerit, *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Jam cer-
Marci 15. 25. tè dixerat, *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus*: sic etiam ceteri adtestantur, quòd eo crucifixo vestimenta divisa sunt. Si ejus rei gestæ tempus voluit commemorare Marcus, sufficeret dicere, *Erat autem hora tertia*: ut quid adjunxit, *& crucifixerunt eum*, nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod quæsitum inveniretur, cùm Scriptura ipsa illis temporibus legeretur, quibus universæ Ecclesiæ notum erat qua horâ Dominus ligno suspensus sit, unde posset hujus vel error corrigi, vel mendacium refutari? Sed quia sciebat à militibus suspensum Dominum, non à Judæis,

a Hîc Augustinus silentio præterit verba illa versionis Vulgatæ, *ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem, Diviserunt sibi vestimenta mea* &c. quæ in antiquis libris non exstare, & secundùm Hieronymum de Matthæi textu non esse observavit jam pridem Nicolaus de Lira: habentur tamen in vetust. Corb. Bibliis.

Iohan. 19. 23. sicut Johannes apertissimè dicit, occultè ostendere voluit eos magis crucifixisse qui clamaverunt ut crucifigeretur, quàm illos qui ministerium principi suo secundùm suum officium præbuerunt. Intelligitur ergo fuisse hora tertia cùm clamaverunt Judæi ut Dominus crucifigeretur, & veracissimè demonstratur tunc eos crucifixisse quando clamaverunt: maximè quia nolebant videri se hoc fecisse, & propterea eum Pilato tradiderant, quod eorum verba satis indicant, secundùm Johannem. Cùm enim dixisset eis Pilatus, * *Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc?* * *Responderunt, & dixerunt ei, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* * *Dixit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi, Nobis non licet interficere quemquam.* Quod ergo maximè videri fecisse nolebant, hoc eos horâ fecisse tertiâ Marcus ostendit, verissimè judicans magis fuisse Domini necatricem linguam Judæorum, quàm militum manus.

Iohan. 18. *v.* 29. *v.* 30. *v.* 31.

43. Quisquis autem dixerit, non fuisse horam tertiam, cùm hoc Judæi primitus clamaverunt, insanissimè se ostendit inimicum Evangelij; nisi fortè aliter potuerit eamdem dissolvere quæstionem: non enim habet unde convincat non fuisse tunc horam tertiam; & ideo veridico Evangelistæ potiùs credendum quàm contentiosis suspicionibus hominum. Unde, inquis, probas horam tertiam fuisse? Respondeo, quia credo Evangelistis: quibus & tu si credis, ostende quemadmodum & horâ sextâ & horâ tertiâ potuerit Dominus crucifigi? De sexta enim ut fateamur, narratione Johannis urgemur: tertiam Marcus commemorat, quibus si uterque nostrûm credit, ostende tu aliter quemadmodum fieri utrumque potuerit, libentissimè adquiescam. Non enim sententiam meam, sed Evangelij diligo veritatem. Atque utinam etiam plures ab aliis inveniantur hujus exitus quæstionis: quod donec fiat, utere mecum isto si placet. Si enim nullus alius exitus potuerit inveniri, solus iste sufficiet: si autem potuerit, cùm demonstratus fuerit, eligemus. Tantùm non putes consequens esse, ut quilibet omnium quatuor Evangelistarum mentitus sit, aut in tanto & tam sancto culmine auctoritatis erraverit.

44. Si autem quis dixerit, se inde convincere non fuisse horam tertiam, cùm illud Judæi clamaverunt, quia postea quàm dixit idem Marcus, *Pilatus autem iterum respondens ait illis*, * *Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum?* * *At illi iterum clamaverunt, Crucifige eum:* non interponitur aliquid morarum ab eodem Marco in ejus narratione, & continuò ad id pervenitur, ut traderetur ad crucem Dominus à Pilato, quod Johannes horâ quasi sextâ factum esse commemorat. Intelligat qui hoc dicit, multa prætermissa esse, quæ in medio gesta sunt, cùm Pilatus ageret quærens quomodo eum à Judæis eriperet, & adversùs eorum insanissimam voluntatem quibuscumque modis potuit instantissimè niteretur. Matthæus enim ait, * *Dicit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus?* * *Dicunt omnes, Crucifigatur.* tunc fuisse dicimus horam tertiam. Quod autem Matthæus sequitur, & narrat, * *Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret:* & in conatibus Pilati ad eripiendum Dominum, & in tumultu Judæorum contrà nitentium, consumtum tempus duarum horarum intelligimus, & cœptam fuisse sextam, qua nondum terminatâ gesta sunt quæ ab eo tempore, quo Pilatus Dominum tradidit, usque ad tenebras factas narrantur. Quod autem Matthæus suprà commemorat, *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxor ejus dicens, Nihil tibi & justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum:* postea federat pro tribunali Pilatus, sed inter illa quæ priùs gesta narrabat, recordatus Matthæus quod de Pilati uxore dixit, voluit hoc ibi interponere, ut præstrueret qua maximè causâ Pilatus nec novissimè volebat eum tradere Judæis.

Marci 15. *v.* 12. *v.* 13. *Iohan.* 19. 14. *Matth.* 27. *v.* 22. *v.* 23. *v.* 24. *Ibidem v.* 19.

45. Lucas autem narrat, cùm dixisset Pilatus, * *Emendatum ergo illum dimittam*, exclamasse universam turbam, * *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam:* sed fortasse nondum dixerant, *Crucifige.* * *Iterum autem Pilatus*, secundùm eumdem Lucam, *locutus est ad illos volens dimittere Iesum:* * *at illi succlamabant dicentes, Crucifige, crucifige illum.* tunc intelligitur fuisse hora tertia. Quod ergo sequitur Lucas, & dicit, * *Ille autem tertiò dixit ad illos, Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo; corripiam ergo illum, & dimittam.* * *At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur; & invalescebant voces eorum:* satis etiam ipse significat magnum tumultum fuisse; & post quantum morarum illis tertiò dixerit, *Quid enim mali fecit*, licet intelligere quantum indagandæ veritati satis est: & postea quod ait, *Instabant vocibus magnis, & invalescebant voces eorum*, quis non videat ideo factum, quia videbant Pilatum nolle eis tradere Dominum? Et quia hoc magnopere nolebat, non utique in momento temporis cessit, sed vel duæ horæ & aliquid amplius in illa cunctatione transierunt.

Luca 23. *v.* 16. *v.* 18. *v.* 20. *v.* 21. *v.* 22. *v.* 23.

46. Johannem quoque interroga, & vide quanta fuerit Pilati illa cunctatio & recusatio tam fœdi ministerij: idem namque multò explicatiùs ea narrat, quamvis nec ipse utique dicat omnia, in quibus duæ horæ & de sexta aliquid præterfluxit. Tunc cùm flagellasset Jesum, & à militibus veste illusoria, multisque illusionibus malè tractari permisisset; (credo ut hoc modo saltem eorum furorem mitigaret, ne usque ad mortem sævire pertenderent,) *Exiit iterum Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio.* * *Exiit ergo Iesus portans spineam coronam & purpureum vestimentum. Et dicit eis, Ecce homo:* ut illâ velut ignominiosâ specie visâ placarentur. Sed adjungit, & dicit: * *Cùm ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabant dicentes, Crucifige, crucifige.* tunc horam tertiam fuisse dicimus. Adtende quæ sequantur: *Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non invenio in eo causam.* * *Responderunt ei Iudæi, Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori; quia Filium Dei se fecit.* * *Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit:* * *& ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum, Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei.* * *Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* * *Respondit Iesus, Non haberes potestatem adversùs me ullam, nisi tibi datum esset desuper: propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* * *Exinde Pilatus quærebat dimittere eum.* In hoc igitur quod quærebat Pilatus dimittere eum, quantum temporis putamus fuisse consumtum, quanta prætermissa quæ vel à Pilato dicebantur, vel à Judæis contradicebantur, quousque dicerent Judæi unde ille commoveretur, & cederet? Ita enim

Ibidem. sequitur: * *Iudæi autem clamabant dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis qui se regem*
v. 13. *facit, contradicit Cæsari.* * *Pilatus ergo cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem*
v. 14. *Gabbatha.* * *Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta.* Ab illa ergo voce Judæorum qua primò dixerunt, *Crucifige*, cùm esset hora tertia, usque ad hoc quo sedit pro tribunali, per medias moras cunctationis Pilati & tumultuantium Judæorum, duæ horæ præterierant, & peractâ quintâ jam de sexta
Ibidem. aliquid cœperat. * *Dicit* ergo *Iudæis, Ecce rex vester.*
v. 15. * *Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum.* Sed neque jam commotus Pilatus timore calumniæ facilè cedebat. Tunc enim uxor ejus ad eum misérat sedentem pro tribunali: quod præoccupavit
Matth. 27. 19. Matthæus, qui hoc solus commemoravit antequam ad eum locum narrationis veniret, ut ibi hoc poneret, ubi opportunum judicavit. Tentans itaque ad-
Iohan. 19. *v.* 15. huc Pilatus, ne quid proficeret, dixit eis: * *Regem vestrum crucifigam?* *Responderunt pontifices, Non ha-*
v. 16. *bemus regem nisi Cæsarem.* * *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.* Et dum pergit, & dicit crucifigitur cum duobus latronibus, dum vestes ejus dividuntur, & [a] in sortem illa tunica mittitur, atque inter hæc variis conviciis illuditur: (simul enim cùm illa gererentur, etiam convicia jaciebantur:) completa est hora sexta, & factæ sunt tenebræ, quas
Matth. 27. 45. *Marci* 15. 33. *Lucæ* 23. 44. Matthæus Marcus & Lucas commemorant.

47. Jam itaque corruat impia pertinacia, & credat Dominum Jesum Christum, & tertiâ horâ crucifixum linguâ Judæorum, & sextâ manibus militum: quia in tumultu Judæorum & Pilati æstibus, duæ atque amplius horæ præterierunt à voce qua dixerunt, *Crucifige.* Sed ipse Marcus, qui maximè brevitatis sectator est, breviter voluit intimare Pilati voluntatem & conatum pro Domini vita. Cùm
Marci 15. *v.* 13. & 14. enim dixisset, *At illi iterum clamaverunt, Crucifige eum:* ubi ostendit quòd jam clamaverant, cùm vellent sibi dimitti Barabbam: adjunxit, *Pilatus verò dicebat eis, Quid enim mali fecit?* Hoc modo breviter insinuavit quod diu gestum est. Memor tamen etiam ipse quid vellet intelligi, non ait, Pilatus verò dixit eis; sed ait, *Pilatus verò dicebat eis, Quid enim mali fecit?* Quia si diceret, dixit; quasi semel dictum intelligeremus: quia verò ait, *dicebat*; satis intimavit intelligentibus, multis modis & sæpe dictum esse, quousque inciperet hora sexta. Cogitemus ergo quàm breviter hoc dixerit Marcus in comparatione Matthæi, quàm breviter Matthæus in comparatione Lucæ, quàm breviter Lucas in comparatione Johannis, cùm tamen alia atque alia quisque commemoraret; quàm denique breviter ipse Johannes in comparatione rerum quæ gestæ sunt, & morarum cùm illa gererentur: & sine infania resistendi credamus duas horas, & quiddam in illo intervallo transire potuisse.

48. Quisquis autem dixerit, potuisse Marcum, si ita esset, eo tempore dicere fuisse horam tertiam, quo erat hora tertia, cùm vox Judæorum de crucifigendo Domino sonuisset, dicere etiam quòd eum tunc ipsi crucifixerint; nimis superbè leges narratoribus veritatis imponit. Sic enim potest dicere, si hæc ipse narraret, eo modo eodemque ordine ab omnibus debuisse narrari, quo ipse narravit. Dignetur ergo consilio Marci Evangelistæ superari consilium suum, qui eo loco id ponendum judica-

[a] MSS duo, *& sors in illam tunicam mittitur.*

vit, quo loco divina inspiratione suggestum est. Recordationes enim eorum ejus manu gubernatæ sunt, qui gubernat aquam, sicut scriptum est, qualiter illi placuerit. Fluitat enim humana memoria per varias cogitationes, nec in cujusquam potestate est quid & quando ei veniat in mentem. Cùm ergo illi sancti & veraces viri quasi fortuita recordationum suarum propter narrationis ordinem occultæ Dei potestati, cui nihil fortuitum est, commisissent, non oportet quemquam hominum dicere longè abjectum ab oculis Dei & longè peregrinantem, Hoc loco poni debuit, quod valde ignorat, cur eo loco Deus poni voluerit. Quia & si obvelatum est Evangelium nostrum, ait Apostolus, in iis qui pereunt obvelatum est. Et cùm dixisset, Aliis quidem *2. Cor.* 4. 3. sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem: subjecit statim, Et ad hæc quis idoneus? id est, quis idoneus intelligere quàm justè fiat. Quod *Iohan.* 9. 39. idem Dominus dicit, Ego veni, ut qui non videant, & qui videant cæci fiant. Ipsa est enim al- *Rom.* 11. 33. titudo divitiarum scientiæ & sapientiæ Dei, qua fit ex eadem massa, aliud vas in honorem, aliud in *Rom.* 9. 21. contumeliam: & dicitur carni & sanguini, O homo *Ibidem* 20. tu quis es, qui respondeas Deo? Quis ergo & in hac re cognoscit intellectum Domini, aut quis con- *Rom.* 11. 34. siliarius illi fuit, ubi sic gubernavit corda reminiscentium Evangelistarum, & in Ecclesiæ fastigio tanto auctoritatis culmine sublimavit, ut per hæc ipsa quæ in eis contraria videri possunt, multi excæcarentur, dignè traditi in concupiscentias cordis sui, & in reprobum sensum; & multi exercerentur ad elimandum pium intellectum secundùm occultam omnipotentis justitiam? Dicit enim Pro- *Psal.* 91. 6. pheta Domino, Nimis profundæ factæ sunt cogi- *&* 7. tationes tuæ, vir imprudens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.

49. Peto autem & admoneo eos, qui hæc legunt per nos adjuvante Domino elaborata, ut hujus sermonis quem hoc loco interponendum arbitratus sum, in omni simili quæstionum difficultate meminerint, ne sæpius eadem repetenda sint. Facilè autem videbit qui sine impietatis duritia voluerit adtendere, quàm opportuno loco Marcus hoc de tertia hora posuerit, ut ibi quisque recordetur qua horâ Judæi crucifixerint Dominum, qui volebant in Romanos vel principes vel milites transferre ipsum facinus, ubi factum ministrorum militum commemoratum est. Ait enim, *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis quis quid tolleret.* Qui hoc, [b] nisi milites, sicut Johannes *Marci* 15. 24. *Iohan.* 19. manifestat? Ergo ne quisquam cogitationem tanti 23 b criminis, aversus à Judæis, in milites illos converteret, *Erat autem*, inquit, *hora tertia, & crucifixerunt eum:* ut illi eum potiùs crucifixisse inveniantur, *Marci* 15. quos horâ tertiâ ut crucifigeretur clamare potuisse, 25. diligens inquisitor inveniet, cùm adverterit hoc quod à militibus factum est, horâ sextâ factum esse.

50. Quamquam non desint qui parasceves, quam Johannes commemoravit dicens, *Erat autem paras-* *Iohan.* 19. *ceve Paschæ, hora ferè sexta*, horam diei tertiam 14. velint intelligi, qua sedit Pilatus pro tribunali: ut eadem tertia completa videatur, quando crucifixus est; atque illo jam pendente in ligno, aliæ tres horæ peractæ sint, & reddiderit spiritum: ut ab ea hora qua defunctus est, id est diei sexta, tenebræ fierent usque ad nonam. Dicunt enim, die quidem illo quem dies sabbati sequebatur, parasceven fuisse

[b] In editis additur, *fecerunt:* quod abest à MSS.

Paschæ Judæorum, quòd ab eodem sabbato jam A inciperent azyma: sed tamen verum Pascha, quod jam in passione Domini gerebatur, non Judæorum, sed Christianorum, cœpisse præparari, id est, parasceven habere, ab hora noctis nona, in eo quod Dominus à Judæis occidendus præparabatur. Parasceve quippe interpretatur præparatio. Ab illa ergò nona noctis hora usque ad ejus crucifixionem occurrit hora parasceves sexta secundùm Johannem, & hora diei tertia secundùm Marcum: ut non Marcus horam illam recordatam recapitulan- B do commemoraverit, qua clamaverunt Judæi, *Crucifige, crucifige*; sed eam prorsus horam tertiam dixerit, qua Dominus est fixus in ligno. Quis fidelis non huic faveat solutioni quæstionis, si modò possit aliquis articulus conjici ab hora nona noctis, unde cœpisse parasceven Paschæ nostri, id est præparationem mortis Christi, congruenter intelligamus? Si enim dicamus eam cœpisse quando à Judæis apprehensus est Dominus; adhuc noctis primæ partes erant: si quando ad domum perductus est Soceri C Caiphæ, ubi & auditus est à principibus sacerdotum; adhuc gallus non cantaverat, quod ex Petri negatione colligimus, quæ cùm jam audiretur facta est: si autem quando Pilato traditus est; jam manè fuisse apertissimè scriptum est. Restat ergo ut intelligamus tunc cœpisse istam parasceven Paschæ, id est præparationem mortis Domini, quando responderunt omnes principes sacerdotum apud quos primò audiebatur, & dixerunt, *Reus est mortis*; *Matth.* 26. 66. *Marci* 14. 64. quod apud Matthæum & Marcum invenitur: ut D recapitulando intelligantur de Petri negatione postea dixisse quod antea factum erat. Non enim absurdè conjicitur, tempore eo, quando, ut dixi, reum mortis pronuntiaverunt, horam nonam noctis esse potuisse: ex qua hora usque ad horam qua sedit Pilatus pro tribunali, quasi hora sexta fuit, non diei, sed parasceves, id est præparationis immolationis Domini, quod verum Pascha est: ut plenâ sextâ ejusdem parasceves, quæ plena diei tertia occurrebat, Dominus suspenderetur in ligno. Si- E ve ergo hoc potiùs intelligendum eligatur, sive Marcus tertiam horam recoluerit, eamque maximè ad condemnationem Judæorum in Domini crucifixione commemorare voluerit, qua intelliguntur clamare potuisse ut crucifigeretur, ut ipsos potiùs crucifixisse acciperemus, quàm eos quorum manibus *Matth.* 8. 5. *Luc.* 7. 3. in ligno suspensus est; sicut ille Centurio magis accessit ad Dominum, quàm illi amici quos misit; procul dubio quæstio soluta est de hora Dominicæ passionis, quæ maximè solet & contentiosorum F concitare impudentiam, & infirmorum imperitiam perturbare.

CAPUT XIV. *Matth.* 27. 38. *Marci* 15. 27. *Luc.* 23. 33. *Johan.* 19. 18. 51. SEQUITUR Matthæus, & dicit: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris.* Et Marcus similiter & Lucas. Nec Johannes aliquam facit quæstionem, quamvis latrones eos non dixerit: ait enim, *Et cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum.* Esset autem contrarium, si cùm illi dixissent latrones, iste diceret innocentes. G

CAPUT XV. Insultatio Judæorum. *Matth.* 27. 39. v. 40. a *Marci* 15. 29. 52. SEQUITUR Matthæus, & dicit: * *Prætercuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, * & dicentes, a Qui destruis templum, & in tribus illud reædificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce.* Huic Marcus penè ad eadem verba consonat. Sequitur deinde Matthæus, & di-

a Elii, *Vah qui.* At Veteres MSS. & textus Græc. carent particulâ, *Vah.*

cit: * *Similiter & principes sacerdotum illudentes cum Scribis & senioribus dicebant,* * *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei:* * *confidit in Deum, liberet nunc eum si vult: dixit enim, quia Filius Dei sum.* Marcus & Lucas quamvis alia verba dicant, ad eamdem tamen sententiam concinunt, cùm alius prætermittit, quod alius commemorat. De principibus enim sacerdotum quòd insultaverint Domino crucifixo pariter non tacent; quamvis seniores tacuit Marcus: Lucas autem quia principes dixit, nec addidit sacerdotum, magis nomine generali omnes primates complexus est, ut ibi possint intelligi & Scribæ & seniores.

Matth. 27. v. 41. v. 42. v. 43. *Marci* 15. 31. *&c. Luc.* 23. 35.

CAPUT XVI. Latronum insultatio. *Matth.* 27. 44. *Marci* 15. 32. *Luc.* 23. 39. 53. SEQUITUR Matthæus, & dicit: *Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Nec Marcus discrepat, hoc idem dicens aliis verbis. Lucas autem potest putari repugnare, nisi genus locutionis satis usitatum non obliviscamur. Ait enim Lucas: * *Unus autem de iis qui pendebant latronibus blasphemabat eum dicens, Si tu es Christus, salvum fac temetipsum & nos.* Et sequitur idem ipse, atque ita contexit: * *Respondens autem alter, increpabat illum, dicens, Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es:* * *& nos quidem justè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit.* * *Et dicebat ad Iesum, Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum.* * *Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Quomodo ergo, sicut Matthæus dicit, *Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei:* vel sicut Marcus dicit, *Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei:* quandoquidem unus eorum conviciatus est, secundùm Lucæ testimonium, alter & compescuit eum, & in Dominum credidit? nisi intelligamus Matthæum & Marcum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse: sicut in epistola ad Hebræos legimus pluraliter dictum, Clauserunt ora leonum; cùm solus Daniel significari intelligatur: & pluraliter dictum, Secti sunt; cùm de solo Isaia tradatur. In Psalmo etiam quod dictum est, Adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, &c. pluralem numerum pro singulari positum, in Actibus Apostolorum exponitur: nam reges propter Herodem, principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium ejusdem Psalmi adhibuerunt. Sed quia & pagani solent calumniari Evangelio, videant quemadmodum locuti sint auctores eorum, Phædras, Medeas & Clytemnestras, cùm singulæ fuerint. Quid autem usitatius, verbi gratiâ, quàm ut dicat aliquis, Et rustici mihi insultant: etiam si unus insultet? Tunc enim esset contrarium quod Lucas de uno manifestavit, si illi dixissent ambos latrones conviciatos Domino; ita enim non posset sub numero plurali unus intelligi: cùm verò dictum est, *latrones*, vel *qui cum eo crucifixi erant*, nec additum est ambo; non solùm si ambo fecissent, posset hoc dici, sed etiam quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum significari.

Heb. 11. 33. *Ibidem* 37. *Psal.* 2. 2. *Act.* 4. 26.

CAPUT XVII. Potus acceti. *Matth.* 27. 45. *Marc.* 15. 33. *Luc.* 23. 44 *Matth.* 27. v. 46. 54. SEQUITUR Matthæus, & dicit: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.* Hoc & duo alij contestantur: addidit autem Lucas etiam unde factæ sint tenebræ, id est solem obscuratum. Sequitur Matthæus: * *Et circa horam nonam clamavit Iesus voce magna dicens, Eli, Eli Lama sabachthani: hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* A

Et velum templi scissum est medium: sed non eodem ordine. Volens enim miraculum miraculo adjungere, cùm dixisset, *Sol obscuratus est*, continuò subjungendum existimavit, *Et velum templi scissum est medium*: præoccupans videlicet quod exspirante Domino factum est, ut deinde recapitulans exsequeretur & de potu aceti, & de illa voce magna, & de ipsa morte, quæ ante scissionem veli post tenebras facta intelliguntur. Matthæus enim, qui cùm dixisset, *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum*, continuò subjecit, *Et ecce velum templi scissum est*; satis expressit tunc esse scissum, cùm Jesus emisisset spiritum. Si autem non addidisset, *Et ecce*, sed simpliciter dixisset, *Et velum templi scissum est*; incertum esset utrùm ipse & Marcus hoc recapitulando commemorassent, Lucas autem ordinem tenuisset; an Lucas recapitulasset quod illi ordine posuissent.

Luc. 23. 45. v. 47. *Marci* 15. v. 34. & 35. *Matth.* 27. 48. *Marci* 15. 36. *Matth.* 27. 49. *Luc.* 23. v. 36. v. 37. * *Superiori cap.* 16. *Johan.* 19. v. 28. v. 29. * *Quidam autem illic stantes & audientes dicebant, Eliam vocat iste.* Marcus penè ad eadem verba, ad eamdem tamen sententiam non penè, sed omnino consentit. Sequitur Matthæus: *Et continuò currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Sic & Marcus dicit: *Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei dicens, Sinite videamus si veniat Elias ad deponendum eum.* Quod quidem de Elia, non ipsum qui obtulit spongiam B cum aceto, sed ceteros dixisse Matthæus narravit: ait enim, *Ceteri verò dicebant, Sine videamus an veniat Elias liberans eum:* unde intelligimus & illum & ceteros hoc dixisse. Lucas autem antequam de latronis insultatione narraret, hoc de aceto ita commemoravit: * *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes illi,* * *& dicentes, Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.* Semel complecti voluit quod à militibus factum & dictum est. Ubi movere non debet, quòd non unum eorum dixit C acetum obtulisse: genus enim locutionis tenuit, de quo suprà * tractavimus, pluralem pro singulari ponens. Hoc autem de aceto etiam Johannes commemoravit, ubi ait: * *Postea sciens Iesus quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio.* * *Vas autem positum erat aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus.* Sed quod apud eumdem Johannem invenitur dixisse, *Sitio*, & quia vas ibi erat aceto plenum, non mirum est si ceteri tacuerunt. D

CAPUT XVIII. Extremæ voces Domini. *Matth.* 27. 50. *Marci* 15. 37. *Luc.* 23. 46. 55. SEQUITUR Matthæus: *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.* Marcus similiter: *Iesus autem emissa voce magna exspiravit.* Lucas autem quid ipsa voce magna dixerit, declaravit; dixit enim: *Et clamans voce magna Iesus ait, Pater in manus tuas commendo spiritum meum: & hæc dicens exspiravit.* Johannes verò sicut tacuit illam vocem primam, *Eli, Eli*, quam Matthæus & Marcus retulerunt; tacuit etiam istam quam Lucas solus indicavit, illi autem duo nomine vocis ma- E gnæ significaverunt, id est, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum:* quod cum voce magna dixisse & ipse Lucas similiter adtestatus est, ut intelligeremus hanc fuisse vocem magnam, quam Matthæus & Marcus commemoraverunt. Sed dixit Johannes quod nullus illorum trium, cum dixisse, *Consummatum est*, cùm acetum accepisset: *Johan.* 19. 30. quod eum ante ipsam vocem magnam dixisse intelligimus. Hæc sunt enim verba Johannis: *Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est;* F *& inclinato capite tradidit spiritum.* Inter illud quod ait, *Consummatum est*, & illud quod ait, *& inclinato capite tradidit spiritum*, emissa est illa vox magna quam tacuit iste, ceteri autem tres commemoraverunt. Hoc enim apparet esse ordinis, ut antè diceret, *Consummatum est*, cùm perfectum in illo esset quod de illo prophetatum erat, & tamquam ad hoc exspectaret, qui utique cùm vellet moreretur, deinde commendans tradidit spiritum. Sed quovis ordine quilibet arbitretur dici potuisse, hoc G magnopere cavendum est, ne cui videatur quisquam Evangelistarum alteri repugnare, si vel tacuit quod alius dixit, vel dixit quod alius tacuit.

CAPUT XIX. Velum scissum. *Matt.* 27. 51. *Marc.* 15. 38. 56. SEQUITUR Matthæus: *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum.* Et Marcus sic: *Et velum templi scissum est in duo, à sursum usque deorsum.* Lucas autem similiter hoc ait:

CAPUT XX. Centurio mirans. *Matth.* 27. v. 52. v. 53. *Luc.* 23. 47. *Marci* 15. 39. v. 54. *Luc.* 23. 47. *Matth.* 27. v. 54. 56. SEQUITUR Matthæus: * *Et terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt,* * *& exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Hæc quæ solus dixit, non est metuendum ne cuiquam cetererum repugnare videantur. Sequitur idem ipse: * *Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu & iis quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes, Verè Filius Dei erat iste.* Marcus sic: *Videns Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait, Verè homo hic Filius Dei erat.* Lucas sic: *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens, Verè hic homo justus erat.* Non est contrarium quod Matthæus viso terræ motu dicit admiratum Centurionem, & eos qui cum illo erant, cùm Lucas dicat hoc eum admiratum, quòd emissa illa voce exspirasset, ostendens quàm in potestate habuerit quando moreretur: in eo quippe quòd idem Matthæus non solùm dixit, *viso terræ motu*, sed etiam addidit, *& iis quæ facta erant*; integrum locum fuisse demonstravit Lucæ, ut diceret Centurionem ipsam Domini mortem fuisse miratum; quia & hæc inter illa est, quæ tunc mirabiliter facta erant. Quamquam & si Matthæus illud non addidisset, intelligendum erat, cùm multa miranda facta fuerint, & omnia Centurio & qui cum eo erant, mirari potuerint, liberum fuisse narrantibus quid quisque illum miratum commemorare voluisset: nec eos sibi repugnare, cùm alius illud, alius illud diceret fuisse miratum; quando omnia fuerat ille miratus. Quòd autem alius ait, Centurionem dixisse, *Verè Filius Dei erat iste*, alius autem, *Verè homo hic Filius Dei erat*; non movebit eum cui non exciderunt tam multa superiùs similiter dicta & exposita: ad unam quippe sententiam utraque verba concurrunt; nec quòd alius tacuit, *homo*, alius dixit, ullo modo contrarium est. Magis quòd Lucas non ait, Centurionem dixisse, *Filius Dei erat*, sed, *justus erat*: potest putari diversum: sed vel utrumque dictum à Centurione intelligere debemus, & aliud illos, aliud istum commemorasse; vel fortasse Lucam exprimere voluisse sententiam Centurionis, quomodo dixerit Jesum Filium Dei. Fortè enim non eum Unigenitum æqualem Patri Centurio intellexerat, sed ideo Filium Dei dixerat, quia justum credideratsicut multi justi dicti sunt filij Dei. Quod autem etiam ipse Lucas dixit, *Videns autem Centurio quod factum erat*, in eo genere inclusit omnia, quæ in illa

hora mirabiliter facta erant, tamquam unum mirabile factum commemorans, cujus quasi membra & partes erant omnia illa miracula. Jam verò quod Matthæus addidit, *eos qui cum Centurione erant*, alij autem hoc tacuerunt; cui non appareat ex notissima regula non esse contrarium, cùm alius dicit quod alius tacet? Et quod Matthæus dixit, *timuerunt valde*; Lucas autem non dixit timuit, sed *glorificavit Deum*; quis non eum intelligat timendo glorificasse?

CAPUT XXI. Mulieres adstantes cruci. *Matth.* 27. v. 55. & 56 *Marci* 15. v. 40.

58. SEQUITUR Matthæus: * *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei*, * *inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Marcus sic: * *Erant autem & mulieres de longè adspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris & Ioseph mater, &* v. 41. *Salome*, * *& cùm esset in Galilæa sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ quæ simul cum eo adscenderant Ierosolymam.* Inter hos nihil video quod contrarium possit putari: quid enim interest ad veritatem, quòd quasdam mulieres pariter, quasdam *Luca* 23. 48. singuli nominaverunt? Lucas quoque ita narrationem contexit: *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres quæ secutæ fuerant eum à Galilæa, hæc videntes.* Unde superioribus duobus de mulierum præsentia satis consentit, quamvis nullam earum nominatim exprimat: de turba etiam quæ simul aderat, & videntes quæ fiebant tundebant pectora sua, & revertebantur, consen- *Matth.* 27. 54. tit Matthæo, quamvis seorsum adnexuerit, *Centurio autem & qui cum eo erant*: quapropter tantummodo de notis ejus qui stabant à longè solus invenitur dixisse. Nam & Johannes commemoravit de præsentia feminarum antequam Dominus emisisset *Johan.* 19. v. 25. spiritum, ita narrans: * *Stabant autem juxta crucem Iesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ,* v. 26 *& Maria Magdalene:* * *cùm vidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem quem diligebat, dicit ma-* v. 27 *tri suæ, Mulier ecce filius tuus:* * *deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Quia in re nisi apertissimè Matthæus quoque & Marcus Mariam Magdalenen nominassent, possemus dicere, alias à longè, alias juxta crucem fuisse; nullus enim eorum præter Johannem matrem Domini commemoravit: nunc ergo quomodo intelligitur eadem Maria Magdalene, & à longè stetisse cum aliis mulieribus, sicut Matthæus & Marcus dicunt, & juxta crucem fuisse, sicut Johannes dicit; nisi quia in tanto intervallo erant, ut & juxtà dici possent, quia in conspectu ejus præstò aderant, & à longè in comparatione turbæ propinquiùs circumstantis cum Centurione & militibus. Possumus etiam intelligere, quòd illæ quæ simul aderant cum matre Domini, postquam eam discipulo commendavit, abire jam cœperant, ut à densitate turbæ se exuerent, & cetera quæ facta sunt longiùs intuerentur; ut ceteri Evangelistæ qui post mortem Domini eas commemoraverunt, jam longè stantes commemorarent.

CAPUT XXII. Joseph petit corpus Domini. *Matth.* 27. v. 57. & 58. *Marci* 15 v. 42.

59. SEQUITUR Matthæus: * *Cùm serò autem factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathia nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu*, * *hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu: tunc Pilatus justit reddi corpus.* Marcus sic: * *Et cùm jam serò esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum*, * *venit Ioseph ab Arimathia nobilis decurio*, v. 43. *qui & ipse erat exspectans regnum Dei; & audaciter introiit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu.* * *Pi-* v. 44. *latus autem mirabatur si jam obiisset: & accersito Centurione interrogavit eum si jam mortuus esset:* * *& cùm* v. 45. *cognovisset à Centurione, donavit corpus Ioseph.* Lucas sic: * *Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir* *Luca* 23. *bonus & justus*, * *hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathia civitate Iudææ, qui exspectabat & ipse regnum Dei;* * *hic accessit ad Pilatum,* v. 52. *& petiit corpus Iesu.* Johannes autem postea quàm narravit de cruribus fractis eorum, qui cum Domino crucifixi erant, & de latere Domini lanceâ percusso, quod totum solus dixit, subjungit consentiens ceteris, ita narrans: *Post hæc autem rogavit* *Johan.* 19. *Pilatum Ioseph ab Arimathia, eo quòd esset discipulus* v. 38. *Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, ut tolleret corpus Iesu: & permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu.* In hoc nihil exstat, in quo aliquis eorum alicui repugnare videatur. Sed aliquis forsitan quærat, quomodo à semetipso Johannes ipse non discrepet, contestans cum ceteris quòd Joseph petiverit corpus Jesu, & solus dicens quòd occultus fuisset discipulus Domini propter metum Judæorum: meritò enim movet, cur ille qui propter timorem occultus discipulus erat, ausus sit petere corpus ejus, quod nullus eorum qui eum palam sequebantur, auderet. Sed intelligendum est, istum fiduciâ dignitatis hoc fecisse, qua præditus poterat familiariter intrare ad Pilatum. In extremo autem illo officio funeri exhibendo minùs curasse de Judæis, quamvis soleret in Domino audiendo eorum inimicitias devitare.

CAPUT XXIII. Sepultura Domini. *Matth.* 27. v. 59. & 60. *Marci* 15. 46.

60. SEQUITUR Matthæus: * *Et accepto corpore, Ioseph involvit illud in sindone munda,* * *& posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra: & advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.* Marcus sic: *Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum involvit sindone, & posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti.* Lucas sic: *Et depositum* *Luca* 23. *involvit in sindone, & posuit eum in monumento exciso,* 53. *in quo nondum quisquam positus fuerat.* Ex his tribus nulla quæstio dissensionis oriri potest: Johannes autem sepulturam Domini, non à solo Joseph, sed à Nicodemo quoque curatam fuisse commemorat. Consequenter enim à Nicodemo incipiens, ita narrat: * *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ie-* *Johan.* 19. *sum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës* v. 39. *quasi libras centum.* Deinde sequitur adjungens ipsum Joseph, & dicit: * *Acceperunt ergo corpus Iesu, &* v. 40. *ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos Iudæis est sepelire.* * *Erat autem in loco ubi crucifixus est* v. 41. *hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat:* * *ibi ergo propter parasce-* v. 42. *ven Iudæorum, quia juxtà erat monumentum, posuerant Iesum.* Neque hîc aliquid repugnat rectè intelligentibus. Neque enim illi qui de Nicodemo tacuerunt, affirmaverunt à solo Joseph Dominum sepultum, quamvis solius commemorationem fecerint; aut quia illi una sindone à Joseph involutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi & alia lintea potuisse afferri à Nicodemo & superaddi, ut verum narraret Johannes, quòd non uno linteo, sed linteis involutus sit: quamvis & propter sudarium quod capiti adhibebatur, & institas quibus corpus totum alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi una sindon ibi fuit, verissimè dici

potuit, *ligaverunt eum linteis.* Lintea quippe generaliter dicuntur quæ lino texuntur.

CAPUT XXIV. Gesta circa tempus resurrectionis Domini. *Matt* 27.61. *Marci* 15. 47. *Matth.* 27. v. 62. v. 63.

61. SEQUITUR Matthæus: * *Erat autem ibi Maria Magdalene & altera Maria sedentes contra sepulcrum.* Quod Marcus ita dicit: *Maria autem Magdalene & Maria Ioseph adspiciebant ubi poneretur.* Unde nihil eos ex hoc dissentire manifestum est.

62. Sequitur Matthæus: * *Altera autem die quæ est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum,* * *dicentes, Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens, Post* v. 64. *tres dies resurgam:* * *jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium; ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis; &* v. 65. *erit novissimus error pejor priore.* * *Ait illis Pilatus,* v. 66 *Habetis custodiam, ite custodite sicut scitis.* * *Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum signantes lapidem cum custodibus.* Hoc solus Matthæus narrat, nullo aliorum narrante aliquid quod huic videatur esse contrarium.

Matth. 28. v. 1. a

63. Deinde sequitur idem Matthæus, & dicit: * *Vespere autem sabbati quæ lucescit in*[a] *primam sabbati, venit Maria Magdalene & altera Maria vi-* v. 2. *dere sepulcrum.* * *Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens* v. 3. *revolvit lapidem, & sedebat super eum.* * *Erat autem adspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix.* v. 4. * *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, &* v. 5. *facti sunt velut mortui.* * *Respondens autem Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos: scio enim quòd Ie-* v. 6. *sum qui crucifixus est, quæritis:* * *non est hic, surrexit enim sicut dixit: venite, & videte locum ubi positus erat* v. 7. *Dominus;* * *& citò euntes dicite discipulis ejus, quia* b *surrexit; & ecce*[b] *præcedit vos in Galilæam, ibi eum* *Marci* 16.1. *videbitis: ecce dixi vobis.* Huic Marcus consonat. &c. Sed potest movere, quomodo secundùm Matthæum Angelus super lapidem sedebat revolutum à monumento: Marcus enim introeuntes eas in monumentum dicit vidisse juvenem sedentem in dextris coopertum stolâ candidâ, & obstupuisse: nisi intelligamus aut Matthæum tacuisse de illo Angelo, quem intrantes viderunt; Marcum verò de illo tacuisse, quem foris viderunt sedentem super lapidem: ut duos viderint, & à duobus singillatim audierint quæ dixerunt Angeli de Jesu, priùs ab illo quem foris viderunt sedentem super lapidem, deinde ab illo quem viderunt intrantes in monumentum sedentem à dextris, quò ut intrarent, illius qui foris sedebat verbis exhortatæ sunt dicentis, *Venite, & videte locum ubi positus erat Dominus:* quò venientes, ut dictum est, & intrantes viderunt eum, de quo Matthæus tacet, Marcus autem loquitur, sedentem à dextris, à quo talia similiter audierunt. Aut certè intrantes in monumentum in aliqua septa maceriæ debemus accipere, qua communitum locum tunc fuisse credibile est in aliquo spatio ante petram, qua excisâ locus factus fuerat sepulturæ: ut ipsum viderint in eodem spatio sedentem à dextris, quem dicit Matthæus sedentem super lapidem, quem terræ motu ab ostio monumenti revolverat, id est à loco sepulcri, quod effossum erat in petra.

64. Item quæri potest, quemadmodum Marcus dicat, *At illæ exeuntes fugerunt de monumento,* *Marci* 16.8. *invaserat enim eas tremor & pavor; & nemini quid-* *quam dixerunt, timebant enim:* cùm dicat Matthæus, *Et exierunt citò de monumento cum timore & gaudio ma-* *Matth.* 28. 8. *gno, currentes nuntiare discipulis ejus:* nisi intelligamus ipsorum Angelorum nemini ausas fuisse aliquid dicere, id est, respondere ad ea quæ ab illis audierant, aut certè custodibus quos jacentes viderunt. Nam illud gaudium quod Matthæus commemorat, non repugnat timori de quo Marcus dicit: debuimus enim utrumque in illarum animo factum intelligere, etiamsi ipse Matthæus de timore non diceret: cùm verò & ipse dicat, *Exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno*, nihil ex hac re quæstionis remanere permittit.

65. De hora quoque ipsa, qua venerunt mulieres ad monumentum, non contemnenda exoritur quæstio. Cùm enim Matthæus dicat, *Vespere* *Matt.* 28. 1. *autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati, venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulcrum:* quid est quod dicit Marcus, *Et valde manè* *Marci* 16.2. *unâ sabbatorum veniunt ad monumentum oriente jam* *sole?* In quo quidem à ceteris duobus, id est, Luca *Luca* 24.1. & Johanne non discrepat. Quod enim dicit Lucas, *Johan.* 20. 1. *valde diluculo*; & Johannes, *manè cùm adhuc tenebræ essent:* hoc intelligitur Marcus dicere, *valde manè oriente jam sole*, id est cùm cælum ab orientis parte jam albesceret; quod non fit utique nisi solis orientis vicinitate: ejus enim est ille fulgor, qui nomine auroræ appellari solet. Ideo non repugnat illi qui ait, *cùm adhuc tenebræ essent.* Die quippe surgente, aliquæ reliquiæ tenebrarum tantò magis extenuantur, quantò magis oritur lux. Nec sic accipiendum est quod ait, *valde manè*, tamquam sol ipse videretur jam super terras: sed potiùs sicut dicere solemus eis, quibus volumus significare temperiùs aliquid faciendum. Cùm enim dixerimus manè, ne putent jam sole supra terram conspicuo nos dicere, ad hoc plerumque addimus Valde manè, ut illud quod etiam albescente vocatur, intelligant: quamquam & hoc usitatum sit, ut post galli cantum sæpe repetitum cùm conjectare homines cœperint diem jam propinquare; dicant, Jam manè est; & cùm post hoc verbum adtenderint, & jam oriente, id est jam de proximo adveniente in has partes sole, cælum rubescere vel albescere viderint, addant qui dicebant Manè est, & dicant Valde manè est. Quid autem interest dum sive illo sive isto modo nihil aliud intelligamus à Marco appellatum *manè*, nisi quod Lucas appellavit *diluculo*; & hoc *valde manè*, quod ille *valde diluculo*, & quod Johannes *manè cùm adhuc tenebræ essent? sole* autem *jam oriente*, id est ortu suo jam cælum illuminare incipiente. Quomodo ergo his tribus congruat Matthæus, qui nec diluculo, nec manè, sed *vespere* ait *sabbati quæ lucescit in primam sabbati*, adtentiùs indagandum est. A parte quippe prima noctis, quod est vesper, ipsam noctem voluit significare Matthæus, cujus noctis fine venerunt mulieres ad monumentum. Eâ verò causâ intelligitur eamdem noctem sic appellasse, quia jam à vespere licebat afferre aromata, transacto utique sabbato. Ergo quoniam sabbato impediebantur, ut non antè facerent, ab eo tempore nominavit noctem, ex quo eis licere cœpit ut facerent, quocùmque vellent tempore ejusdem noctis. Sic ita que dictum est, *vespere sabbati*, ac si diceretur, nocte

[a] Editi, *in prima.* At optimæ notæ MSS. Corbeiensis, Floriacensis &c. constanter habent, *in primam.* Textus Græcus, εἰς μίαν σαββάτων, *in unam sabbatorum.*

[b] Vulgata versio, *præcedet*: paulòque pòst, *ecce prædixi vobis.* At editi & MSS. codices hujus operis ferunt, *præcedit*: tum ex iis plerique MSS. *ecce dixi vobis*: juxta Græcum, προάγει, & εἶπον.

sabbati, id est nocte quæ sequitur diem sabbati: quod ipsa verba ejus satis indicant. Sic enim ait: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati*: quod fieri non potest, si tantummodo primam noctis particulam, id est solum initium noctis intellexerimus dicto vespere significatam: neque enim ipsum initium lucescit in primam sabbati, sed ipsa nox quæ luce incipit terminari. Nam terminus primæ partis noctis, secundæ partis initium est; lux autem terminus totius noctis est: unde non potest dici vesper lucescens in primam sabbati, nisi nomine vesperi nox ipsa intelligatur quam lux terminat. Et usitatus loquendi modus divinæ Scripturæ est à parte totum: à vespere ergo noctem significavit, cujus extremum est diluculum. Diluculo enim venerunt illæ mulieres ad monumentum; ac per hoc ea nocte venerunt, quæ significata est nomine vesperi. Tota enim significata est eo nomine, ut dixi; & ideo quacumque ejus noctis parte venissent, ea utique nocte venissent: cùm ergo venerunt parte ejus noctis extrema, ea procul dubio nocte venerunt. Vespere autem quæ lucescit in primam sabbati, non potest nisi tota ipsa nox intelligi: eo igitur vespere venerunt, quæ ipsa nocte venerunt: ipsa autem nocte venerunt, quæ noctis ipsius quamvis extrema parte venerunt.

66. Nam & ipsum triduum, quo Dominus mortuus est & resurrexit, nisi isto loquendi modo, quo à parte totum dici solet, rectè intelligi non potest. [a] *Ipse quippe ait, Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Computantur autem tempora, sive ex quo tradidit spiritum, sive ex quo sepultus est, & non occurrit ad liquidum; nisi medium diem, hoc est sabbatum totum diem accipiamus, id est cum sua nocte, illos autem qui eum in medio posuerunt, id est parasceven & primam sabbati, quem diem Dominicum dicimus, à parte totum intelligamus. Quid enim juvat quod quidam his angustiis coartati, & istum locutionis modum, id est à parte totum, in sanctarum Scripturarum solvendis quæstionibus plurimum valere nescientes, noctem voluerunt annumerare tres illas horas à sexta usque ad nonam quibus sol obscuratus est, & diem tres horas alias quibus iterum terris est redditus, id est à nona usque ad ejus occasum. Sequitur enim nox futuri sabbati, qua cum suo die computatâ, erunt jam duæ noctes & duo dies: porrò autem post sabbatum sequitur nox [b] primæ sabbati, id est illucescentis diei Dominici, in qua tunc Dominus resurrexit: erunt ergo duæ noctes & duo dies, & una nox, etiamsi tota posset intelligi, nec ostenderemus quòd illud diluculum pars ejus extrema sit: quapropter nec annumeratis illis sex horis, quarum tribus sol contenebratus est, & tribus eluxit, constabit ratio trium dierum & trium noctium. Restat ergo ut illo Scripturarum usitatissimo loquendi modo, quo à parte totum intelligitur, inveniamus [c] extremum diem tempus parasceves, quo crucifixus & sepultus est Dominus, & ex ipsa extrema parte totum diem cum sua nocte, qui jam peractus fuerat, accipiamus: medium verò, id est sabbati diem, non à parte, sed integrè totum: tertium rursus à parte sua prima, id est à nocte totum cum suo diurno tempore; ac sic erit triduum: quemadmodum illi octo dies post quos adscendit in montem, quorum medios integros adtendentes Matthæus & Marcus dixerunt, Post sex dies: quod Lucas dixit, Post octo dies. *Matth.* 17. 1. *Marci* 9. 1. *Luc.* 9. 28.

67. Nunc jam cetera videamus, quemadmodum Matthæo congruant. Lucas enim apertissimè duos Angelos dicit visos fuisse à mulieribus, quæ venerunt ad monumentum, quorum singulos intellexeramus commemoratos à duobus, unum à Matthæo, id est illum qui extra monumentum sedebat in lapide; alterum à Marco, id est illum qui intra monumentum sedebat à dextris. Sed Lucas ita narrat: * *Et dies erat parasceves, & sabbatum illucescebat.* * *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum ipso venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus,* * *& revertentes paraverunt aromata & unguenta: & sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum:* * *unà autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata;* * *& invenerunt lapidem revolutum à monumento;* * *& ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu:* * *& factum est dum mente consternatæ essent de isto, & ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti:* * *cùm timerent autem & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas, Quid quæritis viventem cum mortuis?* * *non est hîc, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset,* * *dicens, Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.* * *Et recordatæ sunt verborum ejus,* * *& regressæ à monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus.* Quomodo ergo singuli visi sunt sedentes, unus secundùm Matthæum foris super lapidem; & alter secundùm Marcum intus à dextris; cùm secundùm Lucam duo steterint secus illas, quamvis similia dixerint? Possumus quidem adhuc intelligere unum Angelum visum à mulieribus, & secundùm Matthæum, & secundùm Marcum, sicut suprà diximus: ut eas ingressas in monumentum sic accipiamus, in aliquod scilicet spatium quod erat aliquâ macerià communitum, ut intrari posset ante illum saxeum sepulcri locum, atque ibi vidisse Angelum sedentem supra lapidem revolutum à monumento, sicut dicit Matthæus, ut hoc sit sedentem à dextris, quod dicit Marcus: deinde intus ab eis dum inspicerent locum in quo jacebat corpus Domini, visos alios duos Angelos stantes, sicut dicit Lucas, similia locutos ad earum exhortandum animum & ædificandam fidem. *Matth.* 28. 2. *Marc.* 16. 5. *Luc.* 24. 23. *v.* 54. *v.* 55. *v.* 56. *Luc.* 24. *v.* 1. *v.* 2. *v.* 3. *v.* 4. *v.* 5. *v.* 6. *v.* 7. *v.* 8. *Joan.* 20. *v.* 1. *v.* 2. *v.* 3. *v.* 4. *v.* 5. *v.* 6. *v.* 7. *v.* 8.

68. Sed videamus & illa quæ Johannes dicit, utrùm vel quemadmodum his congruant. Sic ergo narrat Johannes: * *Unâ autem sabbati Maria Magdalene venit manè cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum, & vidit lapidem sublatum à monumento.* * *Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem amabat Jesus, & dicit eis, Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.* * *Exiit ergo Petrus & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum.* * *Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum.* * *& cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiit.* * *Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiit in monumentum; & vidit linteamina posita,* * *& sudarium quod fuerat super caput ejus non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.* * *Tunc* *Joan.* 20.

[a] Hîc in editis interponebatur, *Hinc magna redditur ratio verbi Domini*: quod abest à MSS.

[b] Editi, *primi sabbati*: & paulò pòst, *dixi Dominica.*

[c] Unus è Vatic. MSS. *primum diem.*

ergo introiit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit. * *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportet eum à mortuis resurgere.* * *Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli:* * *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans: dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum;* * *& vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.* * *Dicunt ei illi, Mulier quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* * *Hæc cùm dixisset, conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem, & non sciebat quia Jesus est.* * *Dicit ei Jesus, Mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus est, dicit ei, Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* * *Dicit ei Jesus, Maria. Conversa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magister.* * *Dicit ei Jesus, Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis, Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum.* * *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* In hac Johannis narratione dies vel tempus quo ventum est ad monumentum, cum ceteris convenit: illud etiam quòd duo Angeli visi sunt, concordat cum Luca: sed quòd * ille stantes dicit Angelos visos, iste autem sedentes, & cetera quæ illi non dicunt, quomodo hîc possint intelligi non discrepare à ceteris, & quo ordine gesta sint, nisi diligenter considerentur, repugnantia possunt videri. *v.* 9. *v.* 10. *v.* 11. *v.* 12. *v.* 13. *v.* 14. *v.* 15. *v.* 16. *v.* 17. *v.* 18. * *Luc.* 24. 4.

69. Quapropter hæc omnia quæ circa tempus resurrectionis Domini facta sunt, secundùm omnium Evangelistarum testimonia in una quadam narratione, quantum nos Dominus adjuverit, quemadmodum geri potuerint, ordinemus. Primâ sabbati diluculo, sicut omnes consentiunt, ventum est ad monumentum. Jam factum erat quod solus Matthæus commemorat de terræ motu & lapide revoluto conterritisque custodibus, ita ut in parte aliqua velut mortui jacerent. Venit autem, sicut Johannes dicit, Maria Magdalene, sine dubio [a] ceteris mulieribus, quæ Domino ministraverant, plurimùm dilectione fervention, ut non immeritò Johannes solam commemoraret, tacitis eis quæ cum illa fuerunt, sicut alij testantur. Venit ergo, & ut vidit lapidem sublatum à monumento, antequam aliquid diligentiùs inspiceret, non dubitans ablatum inde esse corpus Jesu, cucurrit, sicut dicit idem Johannes, & nuntiavit Petro atque ipsi Johanni. Ipse est enim discipulus quem amabat Jesus. At illi currere cœperunt ad monumentum, & præveniens Johannes inclinavit se, & vidit posita linteamina, nec intravit: Petrus autem consecutus intravit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum. Deinde & Johannes intravit, & vidit similiter, & credidit quod Maria dixerat, sublatum esse Dominum de monumento. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli: Maria autem stabat ad monumentum foris plorans, id est ante illum saxei sepulcri locum, sed tamen intra illud spatium quò jam ingressæ fuerant: hortus quippe illic erat, sicut idem Johannes commemorat. Tunc viderunt Angelum sedentem à dextris super lapidem *Matth.* 28. 2. *Joan.* 20. 1. *&c.* *Joan.* 19. 41.

[a] Editi, *cum ceteris.* At MSS. carent particulâ *cum.*

revolutum à monumento, de quo Angelo narrant Matthæus & Marcus. Tunc eis dixit, Nolite timere vos; scio enim quòd Jesum qui crucifixus est quæritis: non est hîc; surrexit enim sicut dixit: venite & videte locum ubi positus erat Dominus: & citò euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit; & ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce dixi vobis. quibus similia Marcus quoque non tacuit. Ad hæc verba Maria dum fleret inclinavit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos, sicut dicit Johannes, in albis sedentes: unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi, Mulier quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Hîc intelligendi sunt surrexisse Angeli, ut etiam stantes viderentur, sicut eos Lucas visos fuisse commemorat, & dixisse secundùm eumdem Lucam timentibus mulieribus & vultum in terram declinantibus, Quid quæritis viventem cum mortuis? non est hîc, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicens, Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus. Post hæc conversa est retrorsum Maria, & vidit Jesum stantem, sicut dicit Johannes, & non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus, Mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus est, dicit ei, Domine si tu sustulisti eum dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Jesus, Maria. Conversa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Jesus, Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis, Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum. Tunc egressa est à monumento, hoc est ab illo loco ubi erat horti spatium ante lapidem effossum: & cum illa aliæ, quas secundùm Marcum invaserat tremor & pavor, & nemini quidquam dicebant. Tunc jam secundùm Matthæum, ecce Jesus occurrit illis dicens, Avete. Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Sic enim colligimus, & Angelorum allocutionem bis numero eas habuisse venientes ad monumentum, & ipsius Domini: semel scilicet illic quando Maria hortulanum putavit; & nunc iterum cùm eis occurrit in via, ut eas ipsa repetitione firmaret, atque à timore recrearet. Tunc ergo ait illis, Nolite timere, ite nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Venit ergo Maria Magdalene annuntians discipulis, quia vidit Dominum, & hæc ei dixit: non solum ipsa, sed & aliæ, quas Lucas commemorat, quæ nuntiaverunt hæc discipulis undecim, & ceteris omnibus. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis. His & Marcus adtestatur. Nam postea quàm commemoravit eas trementes & paventes exiisse à monumento, & nemini quidquam dixisse, adjunxit quòd resurgens Dominus apparuerit manè prima sabbati, primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia; & quia illa vadens nuntiavit iis qui cum eo fuerant lugentibus & flentibus; & quia illi audientes quòd viveret; & visus esset ab ea, non crediderunt. Sanè Matthæus etiam illud inseruit, abscedentibus mulieribus quæ illa omnia viderant & audierant, venisse etiam quosdam in *Matth.* 17. 1. *&c.* *Marci* 16. 6. *&c.* *Joan.* 20. 15. *Matth.* 28. 10. *Joan.* 20. 18. *Luc.* 24. 10. *Marci* 16. 8. *&c.* *Matth.* 28. 11. *&c.*

civitatem de illis custodibus, qui jacuerant velut A mortui, & nuntiasse principibus sacerdotum omnia quæ facta erant, hoc est quæ etiam illi sentire potuerunt: illos verò congregatos cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dedisse militibus, ut dicerent quòd discipuli ejus venissent, eumque furati essent illis dormientibus; pollicentes etiam securitatem à præside qui eos custodes dederat: & illos acceptâ pecuniâ fecisse sicut erant edocti, divulgatumque esse verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.

CAPUT XXV. Pauli de Christi apparitione testimonia cum Evangeliis conferuntur. 1. Cor. 15. 3. &c.

70. JAM post resurrectionem quemadmodum apparuerit Dominus discipulis, considerandum est, non solùm ut eluceſcat etiam ex hac re convenientia quatuor Evangelistarum, verùm etiam ut cum Paulo apostolo consonent, qui de hac re in prima ad Corinthios epistola ita loquitur: » Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quia » Christus mortuus est pro peccatis nostris, secun- » dùm Scripturas, & quia sepultus est, & quia re- » surrexit tertia die secundùm Scripturas, & quia C
a » apparuit Cephæ, postea a duodecim, deinde ap- » paruit plus quàm quingentis fratribus simul, ex qui- » bus plures manent usque adhuc, quidam autem » dormierunt; postea apparuit Jacobo, deinde A-
b » postolis omnibus: b novissimè autem omnium » quasi abortivo apparuit & mihi. Hunc autem or- dinem nullus Evangelistarum tenuit: unde consi- derandum est, utrùm ordo quem illi tenuerunt, huic non adversetur: nam nec ille omnia, nec isti omnia dixerunt; quæ autem dixerunt omnes, utrùm nihil inter se repugnent tantùm videndum
Luce 24. 4. est. Lucas enim solus quatuor Evangelistarum, non dicit à mulieribus visum Dominum, sed tan-
Matth. 28. 9. Marc. 16. 9. tummodo Angelos: Matthæus autem dicit quòd eis occurrerit redeuntibus à monumento: Marcus quoque dicit primò visum esse Mariæ Magdalenæ,
Johan. 20. 14. sicut & Johannes; sed quomodo sit ei visus non dicit, quod explicatur à Johanne. Lucas autem non solùm tacet, ut dixi, eum apparuisse mulieribus, sed etiam duos, quorum unus fuit Cleophas, talia E dicit locutos cum illo antequam agnoscerent eum, tamquam mulieres nihil se aliud quàm Angelos vidisse nuntiaverint, qui dicebant eum vivere. Ita
Luce 24. v. 13. enim narrat: * *Ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jeru-*
v. 14. *salem, nomine Emaus;* * *& ipsi loquebantur ad in-*
v. 15. *vicem de his omnibus quæ acciderant:* * *& factum est dum loquerentur, & secum quærerent, & ipse Jesus*
v. 16. *appropinquans ibat cum illis:* * *oculi autem illorum te-*
v. 17. *nebantur ne eum agnoscerent.* * *Et ait ad illos, Qui* F *sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulan-*
v. 18. *tes, & estis tristes?* * *Et respondens unus cui nomen Cleo-*
v. 19. *phas, dixit ei, Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?* * *Qui-*
v. 20. *bus ille dixit, Quæ? Et dixerunt, De Jesu Nazare-*
v. 21. *no, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo:* * *& quomodo eum tradi-*
v. 22. *derunt summi sacerdotes & principes nostri in damna-*
v. 23. *tionem mortis, & crucifixerunt eum.* * *Nos autem spe-* G *rabamus, quia ipse esset redemturus Israël: & nunc su-*
v. 24. *per hæc omnia, tertia dies est hodie quo hæc facta sunt.* * *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ*
v. 23. *ante lucem fuerunt ad monumentum,* * *& non invento*
v. 24. *corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem An-*
gelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. * *Et abierunt*

quidam ex nostris ad monumentum, & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non c *viderunt.* c

Hæc secundùm Lucam ita narrant, ut meminisse ac recolere potuerunt quod à mulieribus dictum erat, vel à discipulis qui cucurrerant ad monumentum, quando eis nuntiatum est quòd ablatum inde sit corpus ejus. Et ipse quidem Lucas Petrum Luce 24. 12. tantùm dicit cucurrisse ad monumentum, & procumbentem vidisse linteamina sola posita, & abiisse secum mirantem quod factum fuerat. Hoc au- B tem de Petro commemorat, priùs quàm narret de his duobus quos invenit in via, postea quàm narravit de mulieribus quæ viderant Angelos, & ab eis audierant quòd resurrexisset Jesus, tamquam tunc Petrus ad monumentum cucurrerit. Sed intelligitur hoc Lucas recapitulando posuisse de Petro. Tunc enim cucurrit Petrus ad monumentum, quando & Johannes, cùm tantummodo à mulieri- Johan. 20. bus, præcipuè à Maria Magdalene nuntiatum eis 2. fuerat de corpore ablato: tunc autem illa nuntiaverat, quando vidit lapidem avulsum à monumento: & postea facta sunt hæc de visione Angelorum, atque ipsius Domini, qui bis numero apparuerat mulieribus, semel ad monumentum, & iterum occurrens revertentibus à monumento. Hoc autem antequam duobus illis in via visus fuisset, quorum erat unus Cleophas. Namque & Cleophas loquens cum Domino quem nondum agnoscebat, non Petrum dixit isse ad monumentum: sed *abierunt quidam ex* Luce 24. *nostris*, inquit, *ad monumentum, & ita invenerunt sicut* 24. D *mulieres dixerunt:* quod & ipse recapitulando intelligitur dixisse, illud scilicet quod primò mulieres nuntiaverant Petro & Johanni de ablato corpore Domini. Ac per hoc cùm ipse Lucas Petrum dixerit cucurrisse ad monumentum, & Cleopham dixisse ipse retulerit quòd quidam eorum ierant ad monumentum, intelligitur adtestari Johanni, quòd duo ierint ad monumentum; sed Petrum solum primò commemoravit, quia illi primitus Maria nuntiaverat. Item potest movere quòd Petrum non intran- Luce 24. tem, sed procumbentem dicit idem Lucas vidisse so- 12. la linteamina, & discessisse mirantem; cùm Johan- Johan. 20. nes dicat se potiùs ita vidisse, hoc est discipulum 5. &c. illum quem diligebat Jesus, non intrasse in monumentum, quò prior venerat, sed cùm se inclinasset vidisse posita linteamina: sed & seipsum postea dicit intrasse. Ita & Petrus intelligendus est primò procumbens vidisse, quod Lucas commemorat, Johannes tacet; pòst autem ingressus, sed ingressus tamen antequam Johannes intraret, ut omnes verum dixisse sine ulla repugnantia reperjantur.

71. Ordo ergo rerum qui esse potuit, quemadmodum Dominus, excepto quòd jam mulieribus locutus erat, etiam maribus discipulis visus fuerit, secundùm testimonia non solùm quatuor Evangelistarum, sed etiam Pauli apostoli, contexendus & demonstrandus est. Omnium ergo virorum primo apparuisse intelligitur Petro, ex his dumtaxat omnibus quos Evangelistæ quatuor & Paulus apostolus commemoraverunt. Ceterum si apparuit alicui G eorum priùs quàm Petro, quod omnes tacuerunt, quis vel dicere audeat vel negare? Neque enim & Paulus dixit, Apparuit primò Cephæ, sed, Appa- 1. Cor. 15. 5. ruit, inquit, Cephæ, postea duodecim, deinde " apparuit plus quàm quingentis fratribus simul. Sic " autem non apparet quibus duodecim, quemadmo-

a Editi, *undecim*. At MSS. *duodecim*: juxta Græc. τοῖς δώδεκα.
b In decem MSS. *novissimo*. his infrà n. 83. consentiebant editi
c In priùs excusis, *non invenerunt*. At in Gallicanis & Vaticanis MSS. *non viderunt*: favente Græco, οὐκ εἶδον.

dum nec quibus quingentis. Fieri enim potest ut de A turba discipulorum fuerint isti duodecim nescio qui. Nam illos quos Apostolos nominavit, non jam duodecim, sed undecim diceret, sicut nonnulli etiam codices habent; quod credo perturbatos homines emendasse, putantes de illis duodecim Apostolis dictum, qui jam Juda exstincto undecim erant. Sed sive illi codices verius habeant qui undecim habent, sive alios quosdam duodecim a discipulos Paulus a velit intelligi, sive sacratum illum numerum etiam in undecim stare voluerit; quia duodenarius in eis B numerus ita mysticus erat, ut non posset in locum
Act. 1. 26. Judæ nisi alius, id est Matthias ad conservandum sacramentum ejusdem numeri subrogari; quodlibet ergo eorum sit, nihil inde exsistit, quod veritati vel istorum alicui veracissimo narratori repugnare videatur: probabiliter tamen creditur postea quàm Petro apparuit, deinde apparuisse istis duobus, quo-
Luce 24. 15. &c. Marci 16. 12. rum erat unus Cleophas, de quibus Lucas totum narrat, Marcus autem breviter ita perstringit: *Post* C *hæc autem*, inquit, *duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.* Castellum quippe illud non absurdè accipimus etiam villam potuisse appellari; quod nunc jam appellatur ipsa Bethleem, quæ civitas antea vocitata est; quamvis nunc sit honoris amplioris, nomine Domini, qui in illa natus est, sic per Ecclesias omnium gentium diffamato. Et in codicibus quidem Græcis magis
ὡς ἀγρόν. agrum invenimus quàm villam: agri autem nomine non castella tantùm, verùm etiam municipia & coloniæ solent vocari extra civitatem, quæ caput D & quasi mater est ceterarum, unde metropolis appellatur.

Ibidem. 72. Quod autem ait Marcus, eis in alia effigie
Luce 24. 36. Dominum apparuisse: hoc Lucas dicit, quòd eorum oculi tenebantur ne agnoscerent eum. Oculis quippe eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est usque ad fractionem panis, certi mysterij causâ, ut eis in illo alia ostenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Luca narrante monstratur. Pro merito quippe E mentis eorum, adhuc ignorantis quòd oportebat Christum mori & resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt, non veritate fallente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, & aliud quàm res est opinantibus: ne quisquam se Christum agnovisse arbitretur, si ejus corporis particeps non est; id est Ecclesiæ, cujus unitatem in sacramento panis
1. Cor. 10. 17. commendat Apostolus, dicens, Unus panis, unum corpus multi sumus: ut cùm eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnosce- F rent eum; aperirentur utique ad ejus cognitionem, remoto scilicet impedimento, quo tenebantur ne eum agnoscerent. Neque enim clausis oculis ambulabant; sed inerat aliquid, quo non finerentur agnoscere quod videbant: quod scilicet & caligo & aliquis humor efficere solet. Non quia Dominus non poterat transformare carnem suam, ut alia re verâ esset effigies, non quam solebant illi contueri; quandoquidem & ante passionem suam trans-
Matth. 17. 2. formatus est in monte, ut facies ejus claresceret G sicut sol: quale vult enim corpus de qualicumque corpore verum de vero facit, qui de aqua vera verum vinum fecit: sed non ita fecerat, cùm apparuit illis duobus in alia effigie. Non enim b sicut erat b apparuit eis, quorum oculi tenebantur ne agnoscerent eum. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à satana fuisse, ne agnosceretur Jesus: sed tamen à Christo est facta permissio usque ad sacramentum panis; ut unitate corporis ejus participatâ, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.

73. Nam ipsos esse istos de quibus & Marcus narrat, credendum est: quia dicit ipsos euntes nuntiasse ceteris: sicut Lucas dicit eos surgentes eadem Luce 24. 33. horâ, regressos esse Jerusalem, & invenisse congre- &c. gatos undecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni; & tunc etiam ipsos narrasse quæ gesta erant in via, & quomodo eum cognoverint in fractione panis. Jam ergo erat fama quòd resurrexerat Jesus, ab illis mulieribus facta, & à Simone Petro, cui jam apparuerat: hoc enim isti duo invenerunt loquentes ad quos in Jerusalem venerunt. Fieri itaque potest ut timore priùs in via noluerint dicere, quòd eum audierant resurrexisse, quando tantummodo Angelos dixerunt visos esse mulieribus: ignorantes enim cum quo loquerentur, meritò possent esse solliciti, ne quid passim de Christi resurrectione jactantes in manus inciderent Judæorum. Quod au- Marci 16. tem ait Marcus, *Annuntiaverunt ceteris, nec illis cre-* 13. *diderunt*; cùm Lucas dicat, quòd jam inde loque- Luca 24. bantur verè resurrexisse Dominum, & Simoni ap- 34. paruisse: quid intelligendum est, nisi aliquos ibi fuisse qui hoc nollent credere? Cui autem non elucebat prætermisisse Marcum quæ Lucas narrando explicavit, hoc est, quæ cum illis locutus fuerit Jesus antequam agnoscerent eum, & quomodo eum in fractione panis agnoverint? Quandoquidem mox ut dixit eis apparuisse in alia effigie euntibus in villam, continuò conjunxit, *Et illi euntes nuntiaverunt ceteris, nec illis crediderunt*: quasi possent nuntiare quem non agnoverant; aut possent agnoscere, quibus alia effigies ejus apparuerat. Quomodo ergo eum agnoverint, ut nuntiare possent, Marcus sine dubio prætermisit. Quod ideo memoriæ commendandum est, ut assuescamus advertere Evangelistarum morem ita prætermittentium quæ non commemorant, & conjungentium quæ commemorant, ut eis qui usum in hac consideratione non habent, non aliunde maximè error oriatur, quo putent eos non sibi congruere.

74. Lucas ergo sequitur, & dicit: * *Dum hæc* Luce 24. *autem loquuntur, Jesus stetit in medio eorum, & dicit* v. 36. *eis, Pax vobis, ego sum, nolite timere.* * *Conturbati* v. 37. *verò & conterriti existimabant se spiritum videre.* * *Et* v. 38. *dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes adscen-*
dunt in corda vestra? * *Videte manus meas & pedes* v. 39. *meos, quia ipse ego sum: palpate, & videte, quia*
spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis ha-
bere. * *Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes.* v. 40.
Hanc ostensionem Domini post resurrectionem intelligitur & Johannes commemorare, sic loquens:
* *Cùm esset ergo serò die illo unâ sabbatorum, & fores* Johan. 20. *essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter me-* v. 19. *tum Judæorum, venit Jesus, & stetit in medio, & di-*
cit eis, Pax vobis. * *Et hoc cùm dixisset, ostendit eis* v. 20. *manus & latus.* Ac per hoc his verbis Johannis

a MSS. loco, *discipulos*, habent *Apostolus*.
b Editi, *Non enim aliter quàm erat, sed sicut erat apparuit eis.* At MSS. carent his vocibus, *aliter quàm erat sed*: quæ imprudenter additæ fuerant, non probè intellecto verbo *apparuit*, quod hîc pro *visus est* ponit Augustinus; & Christum, quando illis duobus in alia effigie visus fuit, non propterea transformata sua carne effigiem aliam re vera præ se tulisse probat hac ratione, quia si videntium oculi tenebantur ne eum agnoscerent, sequitur ut non in ipsa quam præ se ferebat effigie visus eis fuerit.

possunt conjungi ea quæ Lucas dicit, idem autem A ad mare Tiberiadis. Deinde quod dicit idem Mar-
Johannes prætermittit. Ita enim Lucas sequitur: cus, *exprobrans illis incredulitatem illorum, & duri-* Marci 16. 14.
Luca 24. v. 41. * *Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit, Habetis hic aliquid quod manducetur?*
v. 42. * *At illi obtulerunt ei partem piscis assi & favum mel-*
v. 43. *lis.* * *Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* His item verbis possunt adjungi quæ Lu-
Johan. 20. v. 20. cas tacet, dicit autem Johannes: * *Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.* * *Dixit ergo eis iterum, Pax*
v. 21. *vobis, sicut misit me Pater & ego mitto vos.* * *Hoc cùm*
v. 22. *dixisset, insufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum-* B
v. 23. *sanctum:* * *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum detinueritis, detenta sunt.* His rursus ad-
jungamus quæ Johannes prætermisit, Lucas com-
Luca 24. v. 44. memorat: * *Et dixit ad eos, Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cùm adhuc essem vobiscum, quo-*
niam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege
v. 45. *Moysi & Prophetis & Psalmis de me.* * *Tunc aperuit*
v. 46. *illis sensum, ut intelligerent Scripturas,* * *& dixit eis,*
Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum
v. 47. *pati, & resurgere à mortuis die tertia,* * *& prædicari* C
in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum
v. 48. *in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem:* * *vos autem*
v. 49. *estis testes horum.* * *Et ego* [a] *mitto promissum Patris*
a *mei in vos: vos autem sedete in civitate quoadusque in-*
duamini virtutem ex alto. Ecce quomodo commemoravit & Lucas promissionem Spiritus-sancti,
Johan. 14. 26. & 15. 26. quam non invenimus à Domino factam, nisi in Evangelio Johannis. Quod non prætereunter ad-
vertendum est, ut meminerimus quemadmodum sibi Evangelistæ invicem adtestantur de quibus- D
dam etiam quæ ipsi non dicunt, & tamen dicta noverunt. Post hæc Lucas quæ gesta sunt omnia
Luca 24. 51. prætermittit, nec omnino commemorat, nisi quando Jesus adscendit in cælum; atque id tamen ita
conjungit quasi hoc sequatur hæc verba quæ dixit, cùm hoc gestum sit unâ sabbatorum, quo die Do-
Act. 1. 9. Johan. 20. 24. minus resurrexit; illud autem quadragesimo die, sicut idem ipse Lucas in Apostolorum Actibus narrat. Quod autem dicit Johannes, non cum illis fuisse tunc apostolum Thomam, cùm secundùm E
Lucam duo illi, quorum erat unus Cleophas, regressi Jerusalem invenerint congregatos undecim, & eos qui cum ipsis erant; procul dubio intelligendum est quòd inde Thomas exierit antequam eis Dominus hæc loquentibus appareret.

75. Hinc jam Johannes aliam commemorat sui demonstrationem à Domino discipulis factam post dies octo, ubi erat & Thomas qui priùs eum non
Johan. 20. v. 26. viderat. * *Et post dies octo*, inquit, *iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis: venit Jesus ja-* F
v. 27. *nuis clausis, & stetit in medio, & dixit, Pax vobis.*
Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vi-
v. 28. *de manus meas, & affer manum tuam, & mitte in*
latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. * *Res-*
pondit Thomas & dixit ei, Dominus meus & Deus
v. 29. *meus.* * *Dicit ei Jesus, Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hanc secundam
Domini visionem erga discipulos factam, id est quam secundo loco Johannes commemorat, apud
Marcum possumus agnoscere, breviter eam sicuti G
assolet perstringentem, nisi moveret quod ibi ait,
Marci 16. 14. *Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit:* non ideo quia Johannes tacuit recumbentes, potuit enim
hoc prætermittere; sed quia iste dixit, *Novissimè*,
Johan. 21. 1. quasi ultrà jam non eis apparuerit; cùm adhuc Johannes tertiam sit ejus narraturus demonstrationem

a Sic MSS. juxta Græc. ἀποστέλλω. At editi habent futuro tempore, *mittam.*

cus, *exprobrans illis incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderant*: illis videlicet duobus, quibus in villam euntibus apparuit, postea quàm resurrexit; & Petro, cui primitus eum apparuisse apud Lucam in- Luce 24. 34.
vestigatum est; fortasse & Mariæ Magdalenæ, & aliis mulieribus quæ cùm illa erant, quando eis & ad monumentum apparuit, & inde redeuntibus in itinere occurrit. Nam ita contexit narrationem
B idem Marcus, cùm commemorasset breviter de duobus illis, quibus apparuit in villam euntibus, quòd nuntiassent ceteris, nec illis creditum esset: *Novissimè*, inquit, *recumbentibus illis undecim appa-* Marci 16.
ruit, & exprobravit incredulitatem eorum & duritiam 14.
cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non credi-derant. Quomodo ergo novissimè quasi jam ultrà eum non viderint? Novissimum quippe illud est, quo Dominum Apostoli in terra viderunt, quando adscendit in cælum; quod factum est quadragesimo
C die post ejus resurrectionem. Numquidnam tunc exprobraturus erat quòd non credidissent eis, qui eum viderant resurrexisse, quando jam & ipsi post resurrectionem toties eum viderant, & maximè ipso die resurrectionis ejus, id est unâ sabbati jam circa noctem, sicut Lucas Johannesque commemo- Luca 24.1. Johan. 20. 19.
rant? Remanet igitur ut intelligamus eumdem diem resurrectionis ejus, id est unam sabbati, quando eum post diluculum vidit Maria & aliæ cum illa mulieres, quando etiam Petrus, quando & illi duo quorum unus erat Cleophas, quos videtur etiam idem Marcus commemorare, quando jam circa noctem illi undecim (præter Thomam) & qui cum eis erant, quando eis & isti * quod viderant narra- * Cleophas & alius discipulus.
verunt, nunc etiam Marcum more suo breviter commemorare voluisse; & ideo dixisse, *Novissimè*, quia ipso die hoc novissimum fuit, jam incipiente nocturno tempore, postea quàm illi de castello, ubi eum in fractione panis agnoverant, redierunt in Jerusalem, & invenerunt, sicut dicit Lucas, illos undecim, & eos qui cum illis erant, jam colloquentes de resurrectione Domini, & quòd visus fuerit Petro: quibus & ipsi narraverunt quod in via gestum erat, & quomodo eum cognoverint in fractione panis. Sed erant ibi utique non credentes: unde verum est quod Marcus dicit, *nec illis crediderunt.* His ergo jam, sicut Marcus dicit, discumbentibus, & adhuc inde, sicut Lucas dicit, loquentibus, stetit in medio eorum Dominus, & ait illis, *Pax vobis*, sicut Lucas & Johannes: fores autem clausæ erant, Luca 24. 36.
F cùm ad eos intravit, quod solus Johannes commemorat. Verbis itaque Domini quæ tunc eum locutum esse discipulis Lucas Johannesque dixerunt, interponitur & illa exprobratio de qua Marcus dicit, quòd non crediderint eis qui eum resurrexisse viderant. Johan. 20. 19.

76. Sed hoc rursus movet, quomodo discumbentibus undecim dicit Dominum apparuisse Marcus, si illud tempus est diei Dominici jam noctis initio, quod Lucas Johannesque meminerunt. Aperte quippe Johannes dicit, non cum eis tunc fuisse
G apostolum Thomam, quem credimus exiisse inde antequam Dominus ad eos intraret, postea quàm illi duo redeuntes de castello cum ipsis undecim collocuti sunt, sicut apud Lucam invenitur. Sed Lucas in sua narratione dat locum, quo possit intelligi dum hæc loquerentur, priùs inde exiisse Thomam, &

postea

postea Dominum intrasse. Marcus autem qui dicit, A traxerunt magnos pisces centum-quinquaginta-
Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit, etiam tres; quando etiam Petrum ter interrogavit utrùm
Thomam illic fuisse cogit fateri. Nisi fortè, quam- ab illo amaretur, & ei pascendas commendavit oves
vis uno absente, undecim tamen voluit appellare, suas, & de ejus ipsius passione prædixit, & de ipso
quia eadem tunc Apostolica societas hoc numero Johanne ait, [a] *Sic eum volo manere donec veniam.* Ad Ibidem 22.
nuncupabatur, antequam Matthias in locum Judæ hoc Johannes Evangelium suum terminavit. a
subrogaretur. Aut si hoc durum est sic accipere, il-
lud ergo accipiamus, post multas demonstrationes 79. Jam nunc quærendum est, quando primùm
ejus, quibus per dies quadraginta discipulis præsen- visus sit à discipulis in Galilæa; quia & hoc quod
tatus est, eum etiam novissimè recumbentibus illis tertiò narrat Johannes, in Galilæa factum est ad
undecim apparuisse, id est ipso quadragesimo die: B mare Tiberiadis: quod facilè videt qui recolit illud
& quoniam jam erat ab eis adscensurus in cælum, miraculum de quinque panibus, quod ita narrare
hoc eis illo die maximè exprobrare voluisse, quia incipit idem Johannes: Post hæc abiit Jesus trans Johan. 6. 1.
his qui viderant eum resurrexisse non crediderant, mare Galilææ Tiberiadis. Ubi autem putari potest
antequam ipsi eum viderent; cùm utique post ad- primùm à discipulis post resurrectionem videri de-
scensionem suam prædicantibus illis Evangelium, buisse, nisi in Galilæa? si recolantur verba illius
etiam gentes quod non viderunt fuerant creditura. Angeli, qui secundùm Matthæum venientibus ad
Post illam quippe exprobrationem, secutus ait monumentum mulieribus ita loquitur, * *Nolite ti-* Matth. 28.
Marci 16. v. 15. idem Marcus, * *Et dixit eis, Euntes in mundum uni-* *mere vos, scio enim quòd Jesum qui crucifixus est quæ-* v. 5.
v. 16. *versum, prædicate Evangelium omni creaturæ:* * *qui* *ritis:* * *non est hic, surrexit enim sicut dixit: venite,* v. 6.
crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò C *videte locum ubi positus erat Dominus:* * *& citò euntes* v. 7.
non crediderit, condemnabitur. Hoc ergo prædica- *dicite discipulis ejus quia surrexit: & ecce præcedit vos*
turi, quoniam qui non crediderit condemnabitur, *in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce dixi vobis.* Item
cùm id utique non crediderit quod non vidit; non- secundùm Marcum sive ipse sit Angelus sive alius, Marc. 16. 6.
ne ipsi primitus fuerant objurgandi, quòd ante- * *Nolite*, inquit, *expavescere, Jesum quæritis Naza-*
quam Dominum vidissent, non crediderunt eis *renum crucifixum, surrexit: non est hic: ecce locus ubi*
quibus priùs apparuisset? *posuerunt eum:* * *sed ite, dicite discipulis ejus & Petro,* v. 7.
quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut
77. Hanc autem novissimam fuisse corporaliter *dixit vobis.* Hæc verba ita videntur sonare, quòd
in terra repræsentationem Domini Apostolis, etiam Jesus non erat se demonstraturus post resurrectio-
illud admonet ut credamus, quod ita sequitur idem nem discipulis, nisi in Galilæa. Quam demonstra-
Ibid. v. 17. Marcus: * *Signa autem eos qui crediderint, hæc se-* D tionem nec ipse Marcus commemoravit, qui eum
quentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis lo- dixit manè primâ sabbati apparuisse primò Mariæ
v. 18. *quentur novis:* * *serpentes tollent, & si mortiferum quid* Magdalenæ, & illam nuntiasse discipulis, his qui
biberint, non eis nocebit: super ægrotos manus impo- cum eo fuerant lugentibus & flentibus, illos autem
v. 19. *nent, & bene habebunt.* Deinde subjungit: * *Et Do-* non credidisse. post hæc deinde duobus ex his ap-
minus quidem postquam locutus est eis, assumtus est in paruisse euntibus in villam, & illos ceteris nun-
v. 20. *cælum, & sedit à dextris Dei.* * *Illi autem profecti,* tiasse; quod factum est, sicut Lucas & Johannes Luca 24 33.
prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermo- coadtestantur, in Jerusalem, eodem ipso die resur- Johan. 20. 19.
nem confirmante sequentibus signis. Cùm ergo dicit, rectionis, jam noctis initio: deinde venit ad illam
Et Dominus quidem postquam locutus est eis, assumtus ejus manifestationem, quam novissimam dicit, re-
est in cælum; satis videtur ostendere novissimum cum E cumbentibus illis undecim: post hanc dicit eum as-
illis in terra hunc eum habuisse sermonem: quamvis sumtum in cælum; quod factum scimus in monte
non omnimodo ad id coartare videatur. Non enim Oliveti, non longè ab Jerusalem: nusquam igitur
ait, postquam hæc locutus est eis; sed, *postquam* commemorat Marcus completum, quod ab An-
locutus est eis: unde admittit, si necessitas cogeret, gelo prænuntiatum esse testatur. Matthæus verò
non istam fuisse novissimam locutionem, nec istum nihil aliud dicit, nec ullum alium locum omnino
fuisse novissimum diem, quo eis in terra præsens commemorat, vel antè vel postea, ubi discipuli po-
fuit, sed ad omnia quæ cum eis omnibus illis diebus stea quàm resurrexit, viderint Dominum, nisi in
locutus est, posse pertinere quod dictum est, *post-* Galilæa secundùm Angeli prædictionem. Denique
quam locutus est eis, assumtus est in cælum. Sed quia cùm insinuasset quid ab Angelo mulieribus dictum
ea quæ suprà diximus, magis suadent hunc novissi- F sit, & illis abeuntibus subjecisset quid de corruptis
mum diem fuisse, quàm ut intelligantur undecim ad mentiendum custodibus gestum sit; continuò
qui Thoma absente decem fuerunt: ideo post hanc tamquam nihil aliud sequeretur, (quia & re vera
locutionem quam Marcus commemorat, adjunctis sic erat dictum ab Angelo, *Surrexit, & ecce præce-* Matt. 28. 7.
Act. 1. 4. &c. etiam consequenter illis verbis, vel discipulorum *dit vos in Galilæam, ibi eum videbitis*, ut nihil aliud
vel ipsius, quæ commemorantur in Actibus Apo- sequi debuisse videatur,) * *Undecim autem*, inquit, Ibid. v. 16.
stolorum, credendum est assumtum Dominum in *discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constitu-*
cælum, quadragesimo scilicet die post diem resur- *erat illis Jesus:* * *& videntes eum, adoraverunt; qui-* v. 17.
rectionis ejus. *dam autem dubitaverunt.* * *Et accedens Jesus locutus* v. 18.
Johan. 21. 25. 78. Johannes autem, quamvis fateatur multa se *est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cælo &*
prætermisisse quæ fecit Jesus, voluit tamen etiam G *in terra:* * *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes* v. 19.
Ibidem 1. &c. tertiam ejus repræsentationem discipulis post resur- *eos in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti;* * *do-* v. 20.
rectionem factam commemorare ad mare Tiberia- *centes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis:*
dis, septem scilicet discipulis, Petro, Thomæ, Na- *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad con-*
thanaëli, filiis Zebedæi, & aliis duobus quos no- *summationem sæculi.* ita Matthæus clausit Evange-
minatim non expressit, cùm piscarentur; quando lium suum.
jussu ejus retia mittentes in dextram partem, ex- 80. Ac per hoc si aliorum consideratæ narra-

a Lov. *Si*, juxta text Græc. Edv. At Rat. Er. & omnes MSS. *Sic*: atque Augustinum ita legisse patet infrà lib. 4. n. 20.

tiones ad diligentiorem inquisitionem non compellerent, nihil aliud arbitraremur nisi Dominum post resurrectionem nusquam præter in Galilæa primùm esse à discipulis visum. Item, si Marcus de illa prænuntiatione Angeli tacuisset, posset cuiquam putari Matthæus ideo dixisse discipulos abiisse in Galilæam in montem, atque ibi adorasse Dominum, ut impletum videretur quod ipse per Angelum mandatum ac prænuntiatum esse narraverat. Nunc autem & Lucas & Johannes satis dilucidè manifestantes ipso die resurrectionis ejus visum esse Dominum in Jerusalem à discipulis suis, unde ita longè est Galilæa, ut uno die ab eis utroque loco videri non posset; & Marcus illam quidem prædictionem Angeli similiter narrans, in Galilæa verò visum à discipulis Dominum post resurrectionem nusquam commemorans: vehementer cogunt quærere quemadmodum dictum sit, *Ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Nam & ipse Matthæus si omnino non diceret, undecim discipulos abiisse in montem in Galilæam, ubi constituerat eis Jesus, & illic eum vidisse atque adorasse, nihil ex hac prædictione completum ad litteram putaremus, sed totum figurata significatione prædictum: sicut illud secundùm Lucam, Ecce hodie & cras ejicio dæmonia, & sanitates perficio, & tertiâ consummor; quod ad litteram certum est non esse completum. Item si Angelus dixisset, Præcedit vos in Galilæam, ibi primùm eum videbitis; aut, ibi tantùm eum videbitis; aut, nonnisi ibi eum videbitis: ceteris Evangelistis Matthæus sine dubio repugnaret: cùm verò dictum est, *Ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis;* nec expressum est quando id futurum esset, utrùm quàm primùm antequam alibi ab eis visus esset; an postea quàm eum alicubi etiam præterquam in Galilæa vidissent: idque ipsum quòd discipulos Matthæus dicit isse in Galilæam in montem, non exprimit diem, nec narrandi ordinem ita contexit, ut necessitatem ingerat nihil aliud intelligendi, quàm hoc primitus factum: non adversatur quidem narrationibus ceterorum, & dat eis intelligendis atque accipiendis locum; verumtamen quòd Dominus non ubi primùm se demonstraturus erat, sed in Galilæa, ubi necessariò postea visus est, se videndum mandavit, & per Angelum dicentem, *Ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis*; & per seipsum dicens, *Ite nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt:* quemvis fidelem facit intentum ad quærendum in quo mysterio dictum intelligatur.

Luc. 24. 33. Joh. 20. 19.

81. Sed priùs considerandum est quando etiam corporaliter in Galilæa videri potuerit, dicente Matthæo, **Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus*; **& videntes eum adoraverunt*; *quidam autem dubitaverunt.* Quia enim non ipso die quo resurrexit manifestum est: nam in Jerusalem visum esse eo die initio nocte Lucas & Johannes apertissimè consonant; Marcus autem non apertè. Quando ergo viderunt Dominum in Galilæa? non secundùm id quod dicit Johannes ad mare Tiberiadis; tunc enim septem fuerunt, & piscantes inventi sunt: sed secundùm id quod dicit Matthæus, ubi erant undecim in monte, quò eos secundùm prædictionem Angeli Jesus præcesserat. Nam ita narrare apparet, quòd illic eum repererint, quia utique secundùm constitutum præcesserat. Non ergo ipso die quo resurrexit, neque in consequentibus octo diebus, post quos dicit Johannes discipulis apparuisse Dominum, ubi eum primò vidit Thomas, qui eum non viderat die resurrectionis ejus. Nam utique si intra eosdem octo dies eum in monte Galilææ jam illi undecim viderant, quomodo post octo dies eum primùm vidit Thomas, qui in illis undecim fuerat? Nisi quis dicat, non illos undecim qui jam tunc Apostoli vocabantur, sed discipulos illic undecim fuisse, ex multo numero discipulorum? Soli quippe adhuc vocabantur Apostoli illi undecim, sed non soli erant discipuli. Potest ergo fieri ut non omnes, sed aliqui eorum ibi fuerint; alij verò discipuli cum eis, ita ut undecim complerentur: ac sic non ibi fuisse Thomam, qui post illos dies octo primò Dominum vidit. Marcus quippe quando illos undecim memoravit, non utcumque undecim, sed *illis*, inquit, *undecim apparuit.* Lucas etiam, *Regressi sunt*, inquit, *Jerusalem, & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipsis erant.* Et iste ostendit illos undecim, hoc est, Apostolos fuisse. Nam cùm adjunxit, *& eos qui cum ipsis erant:* satis utique declaravit eminentiùs illos undecim appellatos cum quibus erant ceteri: ac per hoc illi intelliguntur qui jam vocabantur Apostoli. Hoc proinde fieri potuit, ut ex numero Apostolorum & aliorum discipulorum, undecim discipuli complerentur, qui viderint intra illos octo dies in Galilææ monte Jesum.

Marci 16. 14. Luc. 24. 33.

Luc. 13. 32. *V. supra lib. 2. cap. 75. n. 145.*

Matth. 28. v. 16. v. 17. Luc. 24. 33. Joh. 20. 19. Joh. 21. 1.

82. Sed occurrit aliud quod obsistat: Johannes enim quando commemoravit non in monte ab undecim, sed ad mare Tiberiadis à septem piscantibus visum esse Dominum, *Hoc jam tertiò*, inquit, *manifestatus est Jesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.* Si autem acceperimus intra illos octo dies, antequam Thomas eum vidisset, ab undecim quibusque discipulis Dominum visum, non erit hoc ad mare Tiberiadis tertiò manifestatum esse, sed quartò. Quod quidem cavendum est, ne quis existimet tertiò Johannem dixisse, tamquam tres solæ factæ fuerint manifestationes ejus: sed hoc intelligendus est ad numerum dierum retulisse, non ad numerum ipsarum manifestationum; nec continuorum dierum, sed per intervalla, sicut idem ipse testatur. Nam primo ipso die resurrectionis suæ, excepto quòd à mulieribus visus est, id est quod in Evangelio claret, ter se manifestavit, semel Petro, iterum duobus illis quorum unus erat Cleophas, tertiò plurimis jam inde colloquentibus noctis exordio: sed hoc totum Johannes ad unum diem referens semel computat; iterum autem, hoc est alio die, quando eum vidit & Thomas; tertiò verò ad mare Tiberiadis, hoc est tertio die manifestationis ejus, non tertia manifestatione. Ac per hoc post hæc omnia cogimur intelligere factum esse, quod eum in monte Galilææ secundùm Matthæum discipuli undecim viderunt, quò eos secundùm constitutum præcesserat, ut impleretur etiam ad litteram quod & per Angelum & per seipsum prædixerat.

Joh. 21. 14.

83. Invenimus itaque apud quatuor Evangelistas decies commemoratum Dominum visum esse ab hominibus post resurrectionem. [a] Semel ad monumentum mulieribus. [b] Iterum eisdem regredientibus à monumento in itinere. [c] Tertiò Petro. Quartò duobus euntibus in castellum. [d] Quintò pluribus in Jerusalem ubi non erat Thomas. [e] Sextò ubi eum vidit Thomas. [f] Septimò ad mare Ti-

[a] *Joan.* 20. 14. [b] *Matth.* 28. 9. [c] *Luc.* 24. 35. & 15. [d] *Joan.* 20. 19. [e] *Ibid.* 26. [f] *Joan.* 21, 1.

[a] *Matt.* 28. 16. [b] *Marci* 16. 14. [c] *Ibidem* 19.

beriadis. [a] Octavò in monte Galilææ secundùm Matthæum. Nonò quod dicit Marcus, [b] *novissimè recumbentibus*, quia jam non erant in terra cum illo convivaturi. [c] Decimò in ipso die, non jam in terra, sed elevatum in nube, cùm in cælum adscenderet; quod Marcus & Lucas commemorant: Marcus quidem post illud, quòd eis discumbentibus apparuit, ita continuans ut diceret: *Et Dominus quidem postquam locutus est eis, assumptus est in cælum:* Lucas autem prætermissis omnibus quæ per quadraginta dies agi ab illo cum discipulis potuerunt, illi primo dici resurrectionis ejus quando in Jerusalem pluribus apparuit, conjungit tacitè novissimum diem quo adscendit in cælum, ita narrans: *Eduxit autem illos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis benedixit eis: & factum est, cùm benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* Viderunt ergo eum præter quod in terra viderant, etiam dum ferretur in cælum. Toties ergo in Evangelicis libris commemoratus est ab hominibus visus antequam adscendisset in cælum, in terra scilicet novies, & in aëre semel adscendens.

Luc. 24. 50.

84. Sed non omnia scripta sunt, sicut Johannes fatetur. Crebra enim erat ejus cum illis conversatio per dies quadraginta priùs quàm adscendisset in cælum: non tamen eis per omnes quadraginta dies continuos apparuerat. Nam post diem primum resurrectionis ejus, alios octo dies intervenisse dicit Johannes, post quos eis rursus apparuit. Tertiò autem ad mare Tiberiadis, fortassis continuò consequenti die; nihil enim repugnat: & deinde quando voluit constituens eis, quod & antè prædixerat, ut eos in Galilææ montem præcederet: atque omnino per illos quadraginta dies quoties voluit, quibus voluit, quemadmodum voluit: sicut Petrus dicit, quando eum Cornelio, & iis qui cum illo fuerant, prædicabat, Qui simul, inquit, manducavimus & bibimus cum illo, postea quàm resurrexit à mortuis, per dies quadraginta: non quòd quotidie per dies quadraginta cum illo manducassent & bibissent: nam erit contrarium Johanni, qui octo illos dies interposuit quibus eis visus non est, ut tertiò manifestaretur ad mare Tiberiadis. Inde jam etiamsi quotidie illis visus & cum illis convivatus est, nihil repugnat. Et fortasse ideo dictum est, per quadraginta dies, qui quater deni sunt in mysterio vel totius mundi vel totius temporalis sæculi, quia & illi primi decem dies, in quibus erant illi octo dies, à parte totum possunt more Scripturarum non dissonè computari.

Joh. 21. 25. Act. 1. 3. Joh. 20. 26. Joh. 21. 1. Act. 10. 41. 1. Cor. 15. 4. &c. [d] 1. Cor. 15. 7. &c.

85. Conferatur ergo, & quod ait apostolus Paulus, utrùm nihil afferat quæstionis: Resurrexit, inquit, tertio die secundùm Scripturas, & apparuit Cephæ. Non dixit, primò apparuit Cephæ: nam esset contrarium, quod primò mulieribus apparuisse in Evangelio legitur. Postea, inquit, [d] duodecim: quibuslibet, qua horâ libet, ipso tamen resurrectionis die. Deinde apparuit plusquam quingentis fratribus simul: sive isti cum illis undecim erant congregati clausis ostiis propter metum Judæorum, unde cum exiisset Thomas venit ad eos Jesus; sive post octo illos dies quando libet; nihil habet adversi. Postea, inquit, apparuit Jacobo: non tunc autem primùm accipere debemus visum esse Jacobo, sed aliquâ propria manifestatione singulariter. Deinde Apostolis omnibus: nec illis tunc primùm, sed jam ut familiariùs conversaretur cum eis usque ad diem adscensionis suæ. Novissimè autem omnium, inquit, quasi abortivo apparuit & mihi: sed hoc jam de cælo post non parvum tempus adscensionis suæ.

Matth. 28. 32. Marci 14. 28.

86. Nunc jam videamus quod distuleramus, cujus mysterij gratiâ secundùm Matthæum & Marcum resurgens ita mandaverit, *Præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis:* quod & si completum est, tamen post multa completum est, cùm sic mandatum sit, (quamquam sine præjudicio necessitatis,) ut aut hoc solum, aut hoc primum exspectaretur fieri debuisse. Procul dubio ergo quoniam vox est ista non Evangelistæ narrantis quòd ita factum sit, sed Angeli ex mandato Domini & ipsius postea Domini, Evangelistæ autem narrantis, sed quòd ita ab Angelo & à Domino dictum sit, propheticè dictum accipiendum est. Galilæa namque interpretatur vel transmigratio vel revelatio. Priùs itaque secundùm transmigrationis significationem, quid aliud occurrit intelligendum, *Præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis*, nisi quia Christi gratia de populo Israël transmigratura erat ad gentes? Quibus Apostoli prædicantes Evangelium nullo modo crederentur, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum præpararet: & hoc intelligitur, *Præcedit vos in Galilæam.* Quod autem gaudentes mirarentur disruptis & evictis difficultatibus, aperiri sibi ostium in Domino per illuminationem fidelium, hoc intelligitur, *ibi eum videbitis*, id est, ibi ejus membra invenietis, ibi vivum corpus ejus in iis qui vos susceperint agnoscetis. Secundùm illud autem quòd Galilæa interpretatur revelatio, non jam in forma servi intelligendum est, sed in illa in qua æqualis est Patri: quam promisit apud Johannem dilectoribus suis, cùm diceret, Et ego diligam eum, & ostendam meipsum illi. Non utique secundùm id quod jam videbant, & quod etiam resurgens cum cicatricibus, non solùm videndum, sed etiam tangendum postmodum ostendit: sed secundùm illam ineffabilem lucem, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, secundùm quam lucet in tenebris, & tenebræ eum non comprehendunt. Illuc nos præcessit, unde ad nos veniens non recessit, & quò nos præcedens non deseruit. Illa erit revelatio tamquam vera Galilæa, cùm similes ei erimus, ibi eum videbimus sicuti est. Ipsa erit etiam beatior transmigratio ex isto sæculo in illam æternitatem, si ejus præcepta sic amplectamur, ut ad ejus dexteram segregari mereamur. Tunc enim ibunt sinistri in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Hinc illuc transmigrabunt, & ibi eum videbunt, quomodo non vident impij. Tolletur enim impius, ut non videat claritatem Domini: & impij lumen non videbunt. Hæc est autem, inquit, vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum: sicut in illa æternitate cognoscetur, quò servos perducet per formam servi, ut liberi contemplentur formam Domini.

Matth. 28. 7. Marc. 16. 7. *Philip.* 2. 6. *Joan.* 14. 21. *Luc.* 24. 39. *Joan.* 1. 9. 1. *Joan.* 3. 2. *Matth.* 25. 46. *Isa.* 26. 10. *Joan.* 17. 3.

[a] Lov. *undecim.* At MSS. in hoc Apostoli testimonio habent constanter, *duodecim*, consentientibus hîc loci editionibus Rat. & Er. licèt iidem MSS. codices paulò pòst ferant, *cum illis undecim.*

LIBER QUARTUS.

De iis quæ peculiaria sunt Marci, Lucæ & Johannis.

Prologus. 1. NUNC quoniam Matthæi narrationem contextim considerantes, & ei tres alios conferentes usque in finem, in nullo eos vel sibi vel inter se repugnare docuimus, Marcum similiter videamus, ut exceptis iis quæ cum Matthæo dixit, de quibus jam quod differendum videbatur absolvimus, cetera ejus inspecta atque collata, nulli eorum repugnare monstrentur usque ad cœnam Domini. Nam inde jam omnia omnium quatuor quemadmodum sibi conveniant usque in finem considerata tractavimus.

CAPUT I. *Marci 1.1.* 2. SIC ergo incipit Marcus: *Initium Evangelij Jesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta*, &c. usque ad illud ubi ait, *Et ingrediuntur Capharnaum, & statim sabbatis ingressus synagogam docebat eos.* In hac tota contextione omnia superiora cum Matthæo considerata sunt: hoc autem Marcus, quia ingressus Capharnaum in synagogam *Ibidem 21.* eorum docebat eos sabbatis, cum Luca dixit; sed *Luc. 4. 31.* nihil habet quæstionis.

CAPUT II. De dæmoniaco. *Marci 1. v. 21. v. 23. v. 24. v. 39.* 3. SEQUITUR Marcus, & dicit: * *Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.* * *Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit,* * *dicens, Quid nobis & tibi Jesu Nazarene? venisti perdere nos*, &c. usque ad eum locum ubi ait, * *Et erat prædicans in synagogis eorum, & omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.* Et in hoc toto loco quamvis sint *Luc. 4. 33. &c.* quædam, quæ cum solo Luca dixit, tamen jam tractata sunt, cùm Matthæi narrationem continuam teneremus: quia in ipsum ordinem sic incurrerant, ut ea prætermittenda non arbitrarer. Sed Lucas de spiritu immundo ait quòd sic exierit ab homine, ut *Marc. 1. 26.* nihil ei noceret: Marcus autem, *Et discerpens eum,* inquit, *spiritus immundus; exclamans voce magna exiit ab eo.* Potest ergo videri contrarium: quomodo enim *discerpens*, vel, sicut aliqui codices habent, *convexans eum*, cui nihil nocuit secundùm Lucam? *Luc. 4. 35.* Sed & ipse Lucas, *Et cùm projecisset illum*, inquit, *dæmonium in medium, exivit ab illo, nihilque ei nocuit.* Unde intelligitur hoc dixisse Marcum, *convexans eum*, quod Lucas dixit, *cùm projecisset eum in medium:* ut quod secutus ait, *nihilque ei nocuit*, hoc intelligatur, quia illa jactatio membrorum atque vexatio non eum debilitavit, sicut solent exire dæmonia, etiam quibusdam membris [a] amota vexatione elisis.

CAPUT III. Petro nomen impositum. *Matt. 1. 40. Marci 3. v. 11. & 12. Luc. 4. 41. Marci 3. v. 13. v. 14. v. 15.* 4. SEQUITUR idem Marcus: *Et venit ad eum leprosus deprecans eum, & genu flexo dixit, Si vis, potes me mundare*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Et clamabant dicentes,* * *Tu es filius Dei: & vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.* Huic quod ultimum posuimus simile aliquid & Lucas dicit, sed sine aliqua repugnantiæ quæstione. Sequitur Marcus: * *Et adscendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum:* * *& fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare:* * *& dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.* * *Et imposuit Simoni nomen Petrus*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Jesus, & omnes mirabantur.* De nominibus discipulorum jam & antea me locutum scio, * cùm Matthæi sequerer ordinem: & hîc rursus admoneo, ne quisquam putet nunc accepisse nomen Simonem, ut Petrus vocaretur, & sit contrarium Johanni qui longè antè illi dictum esse commemorat, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus:* ipsa enim verba Domini commoravit, quibus ei nomen imposuit: Marcus autem hoc loco id recapitulando commemoravit, cùm ait, *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* Cùm enim vellet nomina duodecim Apostolorum enumerare, & necesse haberet Petrum dicere, breviter insinuare voluit quòd non hoc antea vocaretur, sed hoc ei Dominus nomen imposuerit, non tunc, sed quando Johannes ipsa verba Domini posuit. Cetera nihil cuiquam repugnant, & antea jam pertractata sunt.

*v. 16. Marci 5. v. 20. * Suprà lib. 2. cap. 17. & 53. Johan. 1. 42.*

CAPUT IV. Jussi tacere qui magis erant prædicaturi. *Marci 5. 21. Marci 6. 30. Luc. 9. 10. Marci 6. 31. Marci 7. v. 36. & 37.* 5. SEQUITUR Marcus: *Et cùm transcendisset Jesus in navi rursus trans fretum, convenit turba multa ad illum, & erat circa mare*, &c. usque ad illud ubi ait, *Et convenientes Apostoli ad Jesum renuntiaverunt illi omnia, quæ egerant, & docuerant.* Hoc ultimum dixit cum Luca, nihilo discordans: cetera jam antè tractata sunt. Sequitur Marcus: *Et ait illis, Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant,* * *& eò amplius admirabantur, dicentes, Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* In his cum Luca Marcus nihil est quod repugnare videatur: & superiora omnia jam consideravimus, quando eos Matthæo conferebamus. Sed cavendum est ne quisquam arbitretur, hoc quod in ultimo ex Evangelio Marci posui, repugnare omnibus qui eum aliis ejus plerisque factis & dictis ostendunt scisse quid ageretur in hominibus, id est quòd eum cogitationes & voluntates eorum latêre non poterant: sicut apertissimè Johannes dicit, * *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quòd ipse nosset omnes,* * *& quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine.* Sed quid mirum si præsentes hominum voluntates videbat, qui etiam futuram [b] Petro prænuntiavit, quam tunc utique non habebat, quando pro illo vel cum illo paratum se mori præsumebat? Quæ cùm ita sint, quomodo huic ejus tantæ scientiæ & præscientiæ non est contrarium quod Marcus dicit, *Præcepit illis ne cui dicerent: quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant?* Si enim sciebat eos, sicut ille qui notas habebat & præsentes & futuras hominum voluntates, tantò magis prædicaturos, quantò magis ne prædicarent eis præcipiebat, ut quid hoc præcipiebat? nisi quia pigris volebat ostendere, quantò studiosiùs quantòque ferventiùs eum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant.

Johan. 2. v. 24. v. 25. b Matth. 26. 34.

[a] MSS septem, *membris amputatis aut evulsis*: alij, *aut elisis.*
[b] Editi, *futuram negationem.* At MSS. non addunt, *negationem*: | cujus loco subaudiendum est, *voluntatem.*

CAPUT V. Domini sententiæ duæ invicem conciliatæ. *Matt. 8. v. 1. a Marci 9. v. 37. v. 38. v. 39. Luc. 9. 49. &c.* 6. SEQUITUR Marcus: * *In illis diebus iterum cùm turba multa esset,* [a] *nec haberent quod manducarent*, &c. usque ad illud ubi ait, * *Respondit illi Johannes dicens, Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia qui non sequitur nobiscum, & prohibuimus eum.* * *Jesus autem ait, Nolite prohibere eum: nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me.* nulla est ergo inter eos quæstio cujusquam repugnantiæ. Sed videndum est ne hoc illi sententiæ Domini putetur contrarium ubi ait, *Qui mecum* *Matth. 12. 30. Luc. 11. 23.* *non est, adversùs me est: & qui mecum non colligit, spargit.* Quomodo enim iste non erat adversùs eum, qui cum illo non erat, de quo Johannes suggessit, quòd cum illis cum non sequebatur, si adversùs illum est qui non est cum illo: aut si adversùs illum erat, quomodo dicit discipulis, *Nolite prohibere; qui enim non est adversùs vos, pro vobis est?* An hoc interesse aliquis dicet, quia hîc discipulis ait, *Qui non est adversùs vos, pro vobis est:* ibi autem de ipso locutus est, *Qui mecum non est, adversùs me est?* Quasi verò posset cum illo non esse qui discipulis ejus tamquam membris ejus sociatur: alioquin *Matth. 10. 40. Matth. 25. 40.* quomodo verum erit, Qui vos recipit, me recipit: &, Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: aut potest etiam non esse adversùs eum, qui fuerit adversùs discipulos ejus? Nam ubi erit illud, *Luc. 10. 16. Matth. 35. 44. Marci 9. 40.* Qui vos spernit, me spernit: &, Quando uni ex minimis meis non fecistis, neque mihi fecistis: &, Saule, Saule quid me persequeris? cùm discipulos ejus persequeretur? Sed nimirum hoc vult intelligi, in tantum cum illo non esse aliquem, in quantum est adversùs illum; & in tantum adversùs illum non esse, in quantum cum illo est. Exempli gratiâ, sicut iste ipse qui in nomine Christi virtutes faciebat & in societate discipulorum Christi non erat, in quantum operabatur virtutes in illius nomine, in tantum cum ipsis erat, & adversùs eos non erat; in quantum verò eorum societati non adhærebat, in tantum cum ipsis non erat, & adversùs eos erat. Sed quia illi hoc eum facere prohibuerant, in quo cum ipsis erat, dixit eis Dominus, *Nolite prohibere.* Illud enim prohibere debuerunt, quod extra eorum erat societatem, ut illi unitatem Ecclesiæ suaderent; non illud in quo cum illis erat, nomen scilicet Magistri & Domini eorum in dæmoniorum expulsione commendans. Sicut catholica Ecclesia facit, non improbans in hæreticis sacramenta communia; in his enim nobiscum sunt, & adversùs nos non sunt: sed improbat & prohibet divisionem ac separationem, vel aliquam adversam paci veritatique sententiam; in hoc enim adversùs nos sunt, quia in hoc nobiscum non sunt, & nobiscum non colligunt, & ideo spargunt.

CAPUT VI. Dicta à Christo occasione hominis ejicientis dæmonia in ipsius nomine. *Marci 9. v. 40. v. 41. v. 42.* 7. SEQUITUR Marcus, & dicit: * *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam:* * *& quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare mitteretur:* * *& si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, & cetera, usque ad illud ubi ait, * *Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos.* Hæc *v. 50.* Marcus Dominum locutum, postea quàm illum qui in nomine ejus ejiciebat dæmonia, & cum discipulis non eum sequebatur, vetuit prohiberi, contextim commemorat; aliqua ponens quæ nullus alius Evangelistarum posuit, aliqua verò quæ Matthæus quoque posuit, & aliqua itidem quæ & Matthæus & Lucas: sed illi ex aliis occasionibus, & alio rerum ordine, non hoc loco ubi de illo suggestum est, qui cum discipulis Christi non eum sequebatur, & dæmonia in ejus nomine ejiciebat. Unde mihi videtur etiam hoc loco Dominus secundùm Marci fidem ideo dixisse quæ aliis etiam locis dixit, quia satis pertinebant ad hanc ipsam ejus sententiam, qua vetuit prohiberi virtutes in nomine suo fieri, etiam ab illo qui cum discipulis eum non sequebatur. Sic enim contexit: * *Qui enim non est adversùm* *Marci 9. v. vos, pro vobis est:* * *quisquis enim potum dederit vobis* *39. v. 40.* *calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Unde ostendit etiam illum de quo Johannes suggesserat, & unde iste ejus sermo exortus est, quòd non ita separabatur à societate discipulorum, ut eam tamquam hæreticus improbaret: sed sicut solent homines nondum audere Christi suscipere sacramenta, & tamen nomini favere Christiano, ita ut Christianos etiam suscipiant, & non ob aliud eis, nisi quia Christiani sunt, obsequantur, de qualibus dicit, quòd non perdunt mercedem suam. Non quia jam tuti atque securi sibi debent videri ex hac benevolentia, quam erga Christianos habent, etiamsi Christi baptismo non abluantur, nec unitati ejus incorporentur: sed quia ita jam Dei misericordiâ gubernantur, ut ad [b] ea quoque perveniant, atque ita securi de hoc sæculo abscedant. Qui profectò & priùs quàm Christianorum numero socientur utiliores sunt, quàm ij qui cum jam Christiani appellentur, & Christianis sacramentis imbuti sint, talia suadent, ut quibus ea persuaserint secum in æternam pœnam pertrahant: quos membrorum corporalium nomine tamquam manum vel oculum scandalizantem jubet erui à corpore, hoc est ab ipsa unitatis societate, ut sine his potiùs veniatur ad vitam, quàm cum eis eatur in gehennam. Hoc ipso autem [c] separantur à quibus separantur, quòd eis mala suadentibus, hoc est scandalizantibus non consentitur. Et si quidem omnibus bonis, cum quibus eis [c] societas est, etiam de hac perversitate innotescunt, ab omnium penitus societate, atque ab ipsa divinorum sacramentorum participatione separantur: si autem quibusdam ita noti sunt, pluribus autem ista eorum est ignota perversitas; ita tolerandi sunt, sicut ante ventilationem palea toleratur in area, ut neque illis ad iniquitatis communionem consentiatur, neque propter illos bonorum societas deseratur. hoc faciunt qui habent in seipsis salem, & pacem habent inter se.

CAPUT VII. *Marci 10. 1.* 8. SEQUITUR Marcus: *Et inde exsurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem, & convenient iterum turbæ ad eum, & sicut consueverat iterum docebat illos*, &c. usque ad illud ubi ait, *Omnes enim* *Marci 12. 44.* *ex eo quod abundabat illis miserunt: hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum.* In hac tota contextione omnia superiora considerata sunt, ne quid viderentur habere contrarium,

[a] In editis addebatur, *cum Jesu:* quod à MSS. & à sacris Bibliis abest.
[b] Editi, *ad eam.* At MSS *ad ea.*
[c] In plerisque MSS. *notitia est.*

quando cum Matthæi ordine ceteros conferebamus: hoc autem de vidua paupercula quæ duo minuta misit in gazophylacium, duo soli dicunt, Marcus & Lucas, sed sine ulla quæstione concordant. Hinc jam usque ad cœnam Domini, unde omnium omnia considerata tractavimus, non dicit & Marcus quòd cogat cum aliquo comparari, ad inquirendum ne quid repugnare videatur. *Luca 21. 1. &c.*

CAPUT VIII. De prologo Evangelij Lucæ.

9. Nunc ergo deinceps Lucæ Evangelium ex ordine pertractemus, exceptis eis quæ habet cum Matthæo Marcoque communia; quoniam illa jam omnia pertractata sunt. Sic ergo incipit Lucas: *Luca 1. v. 1.* * *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum*, *v. 2.* * *sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis*: *v. 3.* * *visum est & mihi assecuto à principio* a *omnibus diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile*, *v. 4.* * *ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Hoc principium ad Evangelij narrationem nondum pertinet. Admonet autem ut noverimus eumdem Lucam etiam illum librum scripsisse, qui Actus Apostolorum vocatur, non solùm quia Theophili nomen etiam illic inest; nam posset fieri, ut & alius aliquis Theophilus esset, & si idem ipse esset ab alio ad illum aliquid scriberetur, sicut à Luca Evangelium: sed quia & ibi ita exorsus est ut diceret, Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus facere & docere, usque in diem quo b Apostolis quos elegit, per Spiritum-sanctum mandans jussit prædicare Evangelium: dedit intelligi quòd jam scripserit Evangelij librum unum ex quatuor, quorum est in Ecclesia sublimis auctoritas. Nec ideo quia dixit de omnibus se fecisse sermonem, quæ cœpit Jesus facere & docere usque in diem quo mandavit Apostolis, putari debet omnia scripsisse in Evangelio suo quæ Jesus cum Apostolis in terra versatus fecit & dixit; ne sit contrarium Johanni, qui ait multa alia fecisse Jesum, quæ si scriberentur, mundum totum non potuisse capere illos libros: cùm etiam constet ab aliis Evangelistis non pauca narrata, quæ Lucas ipse narrando non adtigit. De omnibus ergo fecit sermonem, eligendo de omnibus unde faceret sermonem, quæ judicavit apta & congrua sufficere officio dispensationis suæ. Et quod dicit, *multos conatos ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum*, videtur significare nonnullos, qui non potuerunt hoc susceptum munus implere: ideo autem dicit *sibi visum esse ex ordine diligenter scribere, quoniam multi conati sunt*; sed eos debemus accipere, quorum in Ecclesia nulla exstat auctoritas; quia id quod conati sunt, implere minimè potuerunt. Iste autem non solùm usque ad resurrectionem adsumtionemque Domini perduxit narrationem suam, ut in quatuor auctoribus Evangelicæ scripturæ dignum labore suo haberet locum: verùm etiam deinceps quæ per Apostolos gesta sunt, quæ sufficere credidit ad ædificandam fidem legentium vel audientium, ita scripsit, ut solus ejus liber fide dignus haberetur in Ecclesia de Apostolorum actibus narrantis, reprobatis omnibus qui non ea fide qua oportuit, facta dictaque Apostolorum ausi sunt scribere. Eo quippe tempore scripserunt Marcus & Lucas, quo non solùm ab Ecclesia Christi, verùm etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari potuerunt. *Act. 1. v. 1. & 2.*

10. Sic ergo narrare Lucas incipit Evangelium: *Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia & uxor illi de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth*, &c. usque ad eum locum ubi ait. *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Hoc totum non habet ullam repugnantiæ quæstionem. Johannes quidem videtur simile aliquid dicere, sed illud longè aliud est, quod factum est post resurrectionem Domini ad mare Tiberiadis. Ibi enim non solùm ipsum tempus valde diversum est, sed etiam res ipsa plurimùm distat. Nam retia illic in dexteram partem missa, centum-quinquaginta-tres pisces ceperunt, magnos quidem: sed pertinuit ad Evangelistam dicere, quòd cùm tam magni essent, retia non sunt disrupta, respicientem scilicet ad hoc factum, quod Lucas commemorat; ubi præ multitudine piscium retia rumpebantur. Jam cetera similia Johanni Lucas non dixit, nisi circa Domini passionem & resurrectionem: qui totus locus à cœna ipsius usque ad finem, sic à nobis tractatus est, ut omnium collatis testimoniis nihil eos dissentire doceremus. CAPUT IX. De captura piscium. *Luca 1. 5.* *Luca 5. 4.* *Johan. 12. 1.*

11. Johannes est reliquus, qui jam non restat cui conferatur. Quidquid enim singuli dixerunt, quæ ab aliis non dicta sunt, difficile est ut habeant aliquam repugnantiæ quæstionem. Ac per hoc liquidò constat tres istos, Matthæum scilicet Marcum & Lucam maximè circa humanitatem Domini nostri Jesu Christi esse versatos, secundùm quam & rex & sacerdos est. Et ideo Marcus, qui in illo mysterio quatuor animalium hominis videtur demonstrare personam, vel Matthæi magis comes videtur, quia cum illo plura dicit propter regiam personam, quæ incomitata esse non solet, quod in primo libro commemoravi; vel quod probabiliùs intelligitur, cum ambobus incedit. Nam quamvis Matthæo in pluribus, tamen in aliis nonnullis Lucæ magis congruit: ut hoc ipso demonstretur ad leonem & ad vitulum, hoc est, & ad regalem quam Matthæus, & ad sacerdotalem quam Lucas insinuat personam, id quod Christus homo est, pertinere, quam figuram Marcus gerit pertinens ad utrumque. Divinitas verò Christi qua æqualis est Patri, secundùm quod Verbum est & Deus apud Deum & Verbum caro factum ut habitaret in nobis, secundùm quod ipse & Pater unum sunt, à Johanne maximè commendanda susceptа est, qui sicut aquila in his quæ Christus sublimiùs locutus est, immoratur, nec in terram quodammodo nisi raró descendit. Denique quamvis matrem Christi se nosse planè testetur, tamen nec in ejus nativitate cum Matthæo & Luca aliquid dicit, nec ejus baptismum cum tribus commemorat, sed tantummodo ibi testimonium Johannis altè sublimiterque commendans, relictis eis pergit cum illo ad nuptias in Cana Galilææ: ubi quamvis ipse Evangelista matrem ejus fuisse commemoret, ille tamen dicit, *Quid mihi & tibi est mulier?* non repellens de qua susceptit carnem, sed suam tunc maximè insinuans divinitatem, aquam conversurus in vinum: quæ divinitas illam etiam feminam fecerat, non in illa facta erat. CAPUT X. De Johanne Evangelista, quid à ceteris tribus dictet. *Apoc. 4. 6.* *Lib. 1. cap. 3.* *Johan. 1. 14.* *Johan. 10. 30.* *Johan. 2. 1. &c.* *v. 4.*

12. Inde post paucos dies factos in Capharnaum, redit ad templum, ubi eum commemorat *Ibidem 12. &c.*

a MSS. quatuor, *omnia*. Ceteri cum editis habent, *omnibus*: sic etiam antiqua Corb. Biblia, juxta Græc πᾶσι.

b Ita in aliquot MSS. At in editis, *quo Apostolos elegit.*

Ibid. v. 19. dixisse de templo corporis sui, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: ubi maximè insinuat, non solùm quia Deus erat in templo Verbum caro factum; verùm etiam quia eamdem carnem ipse resuscitavit, non utique nisi secundùm id quod unum est cum Patre, nec separabiliter operatur: cùm ceteris locis fortassis omnibus Scriptura non dicat, nisi quòd Deus illum suscitaverit; nec alicubi sic expressùm est quòd cùm Deus resuscitarit Christum, etiam ipse se resuscitavit, quia cum Patre unus Deus est, sicut hoc loco ubi ait, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud.*

Johan. 3. 1. &c. 13. Inde cum illo Nicodemo quàm magna, quàm divina locutus est? Inde rursus pergit ad testimonium Johannis, & commendat amicum sponsi non gaudere nisi propter vocem sponsi. Ubi admonet animam humanam non de seipsa sibi lucere, nec beari, nisi incommutabilis participatione sapientiæ. Inde ad mulierem Samaritanam, ubi commemoratur aqua, unde qui biberit non sitiet in æternum. Inde rursus in Cana Galilææ, ubi fecerat de aqua vinum: ubi eum commemorat dixisse Regulo, cujus filius infirmabatur, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*: usque adeo super omnia mutabilia volens mentem credentis adtollere, ut nec ipsa miracula, quæ quamvis divinitus de mutabilitate corporum fiunt, à fidelibus quæri velit. *Ibidem 22. &c.* *Johan. 4. 5. &c.* *Ibidem 46. &c.* *v. 48.*

Johan. 5. 1. &c. 14. Inde Jerosolymam redit, sit sanus triginta-octo annorum languidus, Ex hac occasione quæ dicuntur quàm diu dicuntur? Ibi dictum est, *Quærebant eum Judæi interficere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*: ubi satis ostenditur quàm non usitatè, sicut solent sancti homines dicere, dixerit patrem suum Deum, sed quòd ei sit æqualis insinuans: quippe paulò superiùs dixerat eis de sabbato calumniantibus, *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Ibi exarserunt, non quia patrem suum diceret Deum; sed quòd ei æqualis vellet intelligi, dicendo, *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*: consequens esse ostendens, ut quoniam Pater operatur, & Filius operetur; quia Pater sine Filio non operatur. Ibi enim & paulò pòst ait, jam illis ob hoc irascentibus, *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* *v. 18.* *v. 17.* *v. 19.*

Johan. 6. 1. &c. 15. Inde tandem descendit Johannes ad illos tres cum eodem Domino in terra gradientes, ut quinque millia hominum panibus quinque pascantur: ubi tamen solus commemorat, quòd cùm vellent eum regem facere, solus fugit in montem. Qua in re nihil mihi aliud videtur animam rationalem commonere voluisse, nisi eo se nostræ menti rationique regnare, quo est in excelsis, nulla cum hominibus communione naturæ, solus, quia unicus Patri: hoc autem mysterium deorsum repentes carnales homines fugit, quia valde sublime est; unde illos & ipse fugit in montem, qui regnum ejus terreno animo requirebant; unde & alibi dicit, *Regnum meum non est de hoc mundo.* neque etiam hoc nisi Johannes ipse commemorat, volatu quodammodo æthereo supereminens terris, & gaudens luce solis justitiæ. Ab illo itidem monte post miraculum de quinque panibus factum, cum iisdem tribus paululùm remoratus, donec mare transisset, quando ambulavit super aquas, continuò rursus se in verbum Domini adtollit, quàm magnum, quàm prolixum, quàm diu supernum & excelsum, ex occasione panis exortum, cùm dixisset turbis, * *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia signa vidistis, sed quia edistis de panibus, & satiati estis:* * *operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*: & inde jam talia diutissimè atque excelsissimè. Tunc ab ista veri celsitudine ceciderunt, qui post eum deinceps non ambulaverunt; cui sanè inhæserunt, qui potuerunt intelligere, *Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest*: quia utique & per a carnem spiritus prodest; & solus spiritus prodest; caro autem sine spiritu nihil prodest. *Johan. 6. 63.* a

16. Deinde suis fratribus, id est cognatis carnis suæ suggerentibus ut adscendat ad diem festum, quò possit innotescere multitudini: quanta altitudine respondit, * *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* * *non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt.* Hoc est ergo, *Tempus vestrum semper est paratum*, quia vos diem istum concupiscitis, de quo Propheta dicit, Ego autem non laboravi subsequens te Domine, & diem hominis non concupivi, tu scis. hoc est volare ad lucem verbi, & concupiscere illum diem quem videre concupivit Abraham, & vidit & gavisus est. Inde jam ad diem festum cùm adscendisset in templum, quæ illum Johannes locutum esse commemorat, quàm mirabilia, quàm divina, quàm excelsa? quòd ipsi venire non possent quò esset iturus; quòd & ipsum nossent, & unde esset scirent; & esset verus qui eum miserit, quem illi nescirent: tamquam diceret, Et unde sim scitis, & unde sim nescitis. Quo quid aliud voluit intelligi, nisi secundùm carnem notum se illis esse potuisse, & gentem, & patriam; secundùm divinitatem autem incognitum? Ibi etiam de dono Spiritus-sancti locutus, ostendit quis esset, quando munus altissimum dare potuisset. *Johan. 7. v. 6.* *v. 7.* *Terem. 17. 16.* *Johan. 8 56.* *Johan. 7. 10. &c.*

17. Rursus illuc de Oliveti monte regredientem, quæ & quanta narrat locutum, post veniam illi adulteræ datam, quæ velut lapidanda oblata illi à tentatoribus fuerat; quando digito scribebat in terra, tamquam illos tales in terra scribendos significaret, non in cælo, ubi monuit discipulos se scriptos esse gauderent; aut quòd se humiliando, quod capitis inclinatione monstrabat, signa in terra faceret; aut quòd jam tempus esset ut in terra quæ fructum daret, non in lapide sterili, sicut antea, lex ejus conscriberetur. Ergo post hæc lucem mundi se dixit, & qui eum sequeretur non ambulaturum in tenebris, sed habiturum lucem vitæ. Dixit etiam se esse principium, quod & loqueretur eis. Quo nomine utique se distinxit ab illa luce quam fecit, tamquam lux per quam facta sunt omnia: ut illud quod se dixerat lucem mundi, non sic acciperetur quemadmodum discipulis ait, *Vos estis lux mundi.* Illi enim tamquam lucerna, quæ non est ponenda sub modio, sed super candelabrum, sicut & de Johanne Baptista, *Ille erat*, inquit, *lucerna ardens & lucens*: sed ipse sicut principium, de quo dictum est, *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus.* Ibi dixit se filium esse b veritatem, quæ nisi liberaverit, nemo erit liber. *Johan. 3. 1. &c.* *Luca 10. 20.* *Matth. 5. 14.* *Johan. 5 35.* *Johan. 1. 16.* b *Johan. 8. 32. & 36.*

a Sic in septendecim MSS. At in editis, *& carni spiritus prodest.*

b Ita omnes MSS. & Er. At Lov. *veritatis.* Rat. *& veritatem.*

Johan. 9. 1. &c. 18. Inde postea quàm illuminavit à nativitate cæcum, ex ipsa occasione in prolixo ejus sermone
Johan. 10. 1. &c. demoratur Johannes, de ovibus, & pastore, & janua, & de potestate ponendi animam suam & iterum sumendi eam, in quo excellentissimam potestatem suæ divinitatis ostendit. Inde cùm Encænia in Jerosolymis fierent, commemorat ei dixisse Judæos, *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm.* Atque inde sumta opportunitate sermonis quæ etiam sublimia dixerit, narrat.
v. 24.
v. 30. Ibi dixit, *Ego & Pater unum sumus.* Inde jam re-
Johan. 11. 1. &c. suscitatum ab eo Lazarum prædicat, ubi dixit, * *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet:* * *& omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.* In quibus verbis quid nisi altitudinem divinitatis ejus agnoscimus, cujus in æternum participatione vivemus? Inde iterum Jo-
Johan. 12. 1. &c. hannes occurrit in Bethania Matthæo & Marco, ubi factum est illud de unguento pretioso, quo pe-
Matt. 26. 6. des ejus à Maria caputque perfusum est: atque hinc
Marci 14 3. deinceps usque ad passionem & resurrectionem Domini cum tribus Evangelistis Johannes graditur, sed in locis eisdem narratione versante.

19. Cetersùm quod ad sermones Domini attinet, non cessat se adtollere in ea quæ ille ab hinc etiam sublimiter diuturnéque locutus est. Nam &
Johan. 12. 20. &c. quando cum voluerunt videre gentiles per Philippum & Andream, habuit excelsum sermonem, quem aliorum Evangelistarum nullus inseruit: ibi præclara iterum de luce illuminante & lucis filios faciente commemorat. Deinde in ipsa cœna, de
Johan. 13. 1. &c. qua Evangelistarum nullus tacuit, quàm multa & quàm excelsa verba ejus Johannes commemorat, quæ alij tacuerunt? non solùm de commendatione humilitatis, quando pedes discipulorum lavit; sed cùm expressus per buccellam traditor ejus exiisset, remanentibus cum illo undecim, in sermone ipsius mirabiliter stupendo maximéque diuturno idem
Johan. 14 9. Johannes immoratus est, ubi dixit, *Qui vidit me, vidit & Patrem:* ubi multa locutus est de Spiritu-sancto paracleto quem missurus eis erat; & de sua clarificatione quam habuit apud Patrem priùs quàm mundus esset; & quòd unum nos faceret in se, sicut ipse & Pater unum sunt; non utipse & Pater & nos unum, sed nos unum sicut ipsi unum: multaque alia miréque sublimia, de quibus differere sicut dignum est, etiamsi essemus idonei, in hoc tamen opere non id nos suscepisse quis non advertat? quod alibi fortasse reddendum est, hîc certè non est expetendum. Commendare quippe volumus amatoribus verbi Dei & studiosis sanctæ veritatis, quamvis ejusdem Christi qui verus & verax est, annuntiator atque prædicator Johannes in Evangelio suo fuerit, cujus & ceteri tres qui scripserunt Evangelium, & ceteri Apostoli qui non quidem ipsam narrationem scribendam susceperunt, in ea tamen prædicatione sui officij munus impleverunt: longè tamen hunc in Christi altiora subvectum ab ipso initio libri sui, rarò fuisse cæteris,
Johan. cap. 1. id est, primò circa Jordanem propter testimonium
Cap. 6. Johannis Baptistæ; inde trans mare Tiberiadis quando turbas de quinque panibus pavit, & super aquas
Cap. 12. ambulavit; tertiò in Bethania, ubi unguento pretioso fidelis feminæ devotione perfusus est; donec
Cap. 13. &c. inde illis occurreret ad passionis tempus, quod cum eis erat necessariò narraturus: ubi tamen ipsam Do-

minicam cœnam, de qua nullus eorum tacuit, multò opulentiùs tamquam de cellario Dominici pectoris, ubi discumbere solebat, exhibuit. Ipsum deinde Pilatum verbis altioribus percutit, dicens *Johan. 18. v. 36. & 37.* regnum suum non esse de hoc mundo, regemque se natum, & ad hoc venisse in hunc mundum, ut testimonium perhibeat veritati. Mariam quoque post *Johan. 20. 17.* resurrectionem mystica altitudine [a] vitans, *Noli me*, inquit, *tangere: nondum enim adscendi ad Patrem.* Discipulis etiam insufflando dedit Spiritum-sanctum, ne ipse Spiritus qui Trinitati consubstantialis & coæternus est, tantummodo Patris esse, non etiam Filij Spiritus putaretur.

20. Postremò suas oves Petro se amanti, eum- *Johan. 21. v. 15. & 23.* que amorem ter confitenti commendans, dicit eumdem Johannem sic se velle manere donec veniat: ubi etiam mihi videtur alto docuisse mysterio, [b] istam ipsam Johannis Evangelicam dispensationem, qua in lucem liquidissimam Verbi sublimiter fertur, ubi Trinitatis æqualitas & incommutabilitas videri potest, & qua maximè proprietate distet à ceteris homo cujus susceptione Verbum caro factum est, perspicuè cerni cognoscique non posse, nisi cùm ipse Dominus venerit: ideo sic manebit donec veniat; manebit autem nunc in fide credentium, *1. Cor. 13. 12.* tunc autem facie ad faciem contemplandum erit, cùm apparuerit vita nostra, & nos cum ipso appare- *Col. 3. 4.* bimus in gloria. Quisquis autem arbitratur, homini vitam istam mortalem adhuc agenti posse contingere, ut demoto atque discusso omni nubilo phantasiarum corporalium atque carnalium serenissima incommutabilis veritatis luce potiatur, & mente penitus à consuetudine vitæ hujus alienata illi constanter & indeclinabiliter hæreat; nec quid quærat, nec quis quærat intelligit: credat ergo potiùs sublimi auctoritati miniméque fallaci, quamdiu sumus in corpore peregrinari nos à Domino, & ambulare per *2. Cor. 5. 6.* fidem, nondum per speciem; ac sic perseveranter retinens atque custodiens fidem, spem & caritatem, intendat in speciem ex pignore quod accepimus sancti Spiritus, qui nos docebit omnem veritatem, *Johan. 16. 13.* cùm Deus qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, *Rom. 8. 11.* vivificabit & mortalia corpora nostra per inhabi- *2. Cor. 4. 11.* tantem Spiritum ejus in nobis. Priùs autem quàm vivificetur hoc quod mortuum est propter peccatum, procul dubio corruptibile est, & aggravat *Sap. 9. 15.* animam; & si quando adjuta excedit hanc nebulam, qua tegitur omnis terra, id est, hanc carna- *Eccli. 24. 6.* lem caliginem, qua tegitur omnis vita terrena, tamquam rapida coruscatione perstringitur, & in suam infirmitatem redit, vivente desiderio quo rursus erigatur, nec sufficiente munditiâ qua figatur. Et quantò quisque hoc magis potest, tantò major est: quantò autem minùs, tantò minor. Si autem nihil adhuc tale mens hominis experta est, in qua tamen habitat Christus per fidem, instare debet minuendis finiendisque cupiditatibus hujus sæculi, moralis virtutis actione, tamquam in comitatu trium illorum Evangelistarum cum mediatore Christo ambulans: eumque qui Filius Dei semper est, propter nos filium hominis factum, ut sempiterna virtus ejus & divinitas nostræ infirmitati & mortalitati contemperata de nostro nobis in se atque ad se faceret viam, cum magnæ spei lætitia fideliter teneat. Ne peccet, à rege Christo regatur: si fortè peccaverit, ab eodem sacerdote Christo expietur: atque

a Er. Lov. & MSS *visitans.* Sed meliùs editio Rat. *vitans.*
b MSS. duo, *secretam ipsam.* Paulò post MSS. tres & Rat. *verbi sublimitate fertur.*

a ita in actione bonæ conversationis & vitæ [a] nutri- A tus, pennis geminæ dilectionis tamquam duabus alis validis evectus à terris, ab eodem ipso Christo
Johan. 1. 1. Verbo illuminetur, Verbo quod in principio erat, & Verbum apud Deum erat, & Verbum Deus
1. Cor. 13. 12. erat: etsi per speculum & in ænigmate, longè tamen sublimiùs ab omni similitudine corporali. Quapropter quamvis in illis tribus activæ, in Johannis autem Evangelio dona contemplativæ virtutis eluceant eis, qui hæc dignoscere sunt idonei: tamen &
1. Cor. 13. 10. hoc Johannis, quoniam ex parte est, sic manebit B donec veniat quod perfectum est. Et alij quidem
1. Cor. 12. 8. datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scien-
Rom. 14. 6 tiæ secundùm eumdem Spiritum; alius diem Domino sapit, alius de pectore Domini liquidius ali-
2. Cor. 12. 2. quid bibit, alius levatus usque ad tertium cælum ineffabilia verba audit: omnes tamen quamdiu sunt in corpore peregrinantur à Domino, & omnibus *1. Cor. 5. 6.* bonæ spei fidelibus in libro vitæ scriptis servatur quod dictum est, *Et ego diligam eum, & ostendam* *Johan. 14.* *meipsum illi.* Verumtamen in hac peregrinatione *21.* quantum in rei hujus intelligentia vel scientia quisque profecerit, tantò magis caveat diabolica vitia, Diabolica superbiam & invidentiam. Meminerit hoc ipsum vitia. Evangelium Johannis quàm multò ampliùs erigit ad contemplationem veritatis, tam multò ampliùs præcipere de dulcedine caritatis: & quia illud præceptum verissimum ac saluberrimum est, Quantò *Eccli. 3. 20.* magnus es, tantò humilia te in omnibus; qui Evangelista Christum longè ceteris altiùs commendat, *Johan. 13. 5.* apud eum discipulis pedes lavat.

a In septem MSS. probæ notæ & apud Eugypium, *nutritis pennis.*

ADMONITIO
IN SUBSEQUENTES LIBROS DE SERMONE DOMINI IN MONTE.

AD Christi annum 393. sive 394. pertinet hoc opus, ab Augustino presbyterij sui tempore elaboratum. Quippe in 1. Retractationum libro post recensitam illam, quam in Hippone-regiensi anni 393. concilio habuit de fide & symbolo disputationem, recordatus Augustinus libri sui de Genesi ad litteram imperfecti, neque aliâ quàm quæ ex antè laudato concilio sumi posit, ætatis adsignatâ notâ, facit proximo loco mentionem hujus operis in isthæc verba: Per idem tempus de Sermone Domini in monte secundùm Matthæum duo volumina scripsi.

Porrò uno volumine explicat primam ejusdem sermonis partem contentam Matthæi capite quinto: altero, posteriorem in sequentibus capitibus sexto & septimo comprehensam. Cur autem ex toto Evangelio istum in primis sermonem tractandum susceperit, eam videtur in operis initio subindicare caussam, quòd ipsum nempe omnibus præceptis quibus Christiana vita informatur perfectum esse *intellexisset. Quæ quidem præcepta omnia, eâ qua referuntur apud Matthæum serie sic exponit, ut illa ad priores septem sententias de Beatis in ipsius sermonis exordio pronuntiatas pertinere, iisque ex ordine respondere demonstret.*

Pollentius plurimis pòst annis hoc opus evolvens, aliquot difficultates de uxore quæ à viro suo discessisset, offendit, easque sancto Doctori proposuit, quas ille priore de adulterinis conjugiis libro enodavit.

Ex Libro I. Retractationum Caput XIX.

PER idem tempus de Sermone Domini in monte secundùm Matthæum duo volumina scripsi. In quorum primo propter id quod scriptum est, *Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur: Sa-* *Matth. 5 9.* *pientia*, inquam, *congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversùs rationem* *Lib. 1. c. 4.* *rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cùm & ipse obtemperet Deo.* Quod meritò movet quomodo dixerim. Non enim cuiquam provenire in hac vita potest, ut lex repugnans legi mentis omnino non sit in membris. Quandoquidem etiamsi ei sic resisteret spiritus hominis, ut in nullum ejus laberetur assensum; non ideo tamen illa non repugnaret. Hoc ergo quod dictum est, *Nullum esse motum adversùs rationem rebellem*, rectè accipi potest id nunc agentibus pacificis, domando concupiscentias carnis, ut ad istam pacem plenissimam quandoque veniatur.

2. Proinde quod alio loco, cùm eamdem sententiam Evangelicam repetens dixissem, *Beati pacifici;* *Ibidem.* *quoniam ipsi filij Dei vocabuntur:* adjunxi dicens, *Et ista quidem in hac vita compleri possunt, sicut completa* *Matth. 5. 9.* *esse in Apostolis credimus*, sic accipiendum est, non ut in Apostolis hîc viventibus nullum carnis motum arbitremur spiritui repugnasse, sed hactenus hîc ista posse compleri, quatenus in Apostolis credimus esse completa, eâ mensurâ scilicet perfectionis humanæ, quanta in hac vita potest esse perfectio. Non enim dictum est, Ista in hac vita compleri possunt, nam completa esse in Apostolis credimus; sed dictum est, *sicut completa esse in Apostolis credimus*, ut ita compleantur sicut in illis completa sunt, id est quadam perfectione, cujus capax est ista vita, non sicut complenda sunt illâ quam speramus pace plenissima, quando *1. Cor. 15. 53.* dicetur, *Ubi est mors contentio tua?* *Lib. 1. c. 6.*

3. Alio loco quod interposui testimonium, *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, nondum intel- *Johan. 3. 34.*

Matt. 5.18. Lib. 1. c. 8. Matt. 6.12.

lexeram de Christo propriè veriùs accipi. Aliis quippe hominibus nisi ad mensuram daretur spiritus, non duplum peteret Elisæus quàm fuit in Elia. Item quod scriptum est, *Iota unum aut unus apex non transiet à Lege donec omnia fiant*, cùm exponerem, nihil dixi posse aliud intelligi, nisi vehementem perfectionis expressionem. Ubi meritò quæritur, utrùm ista perfectio sic possit intelligi, ut tamen verum sit, neminem jam utentem voluntatis arbitrio hîc vivere sine peccato. A quo enim usque ad unum apicem Lex perfici potest, nisi à quo fiunt universa divina mandata? Sed in eisdem mandatis est etiam quod jubemur dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* quam orationem usque in finem sæculi tota dicit Ecclesia. Omnia ergo mandata facta deputantur, quando quidquid non fit ignoscitur.

Matt. 5.19. Lib. 1. c. 9. Matt. 23.3. Matt. 5.22. Irasci fratri suo.

4. Sanè quod ait Dominus, *Quicumque solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic*, &c. usque ad eum locum ubi ait, *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*, multò meliùs & convenientiùs exposui in aliis posterioribus sermonibus meis, quod etiam hîc retexere longum est. Ad hoc autem iste ibi perducitur sensus, ut eorum sit justitia major, quàm Scribarum & Pharisæorum, qui dicunt & faciunt. De Scribis quippe & Pharisæis alio loco ipse Dominus ait, *Dicunt enim & non faciunt.* Illud etiam meliùs intelleximus postea quod scriptum est; *Qui irascitur fratri suo.* Codices enim græci non habent, *sine caussa*, sicut hîc positum est: quamvis idem ipse sit sensus. Illud enim diximus intuendum, quid sit irasci fratri suo; quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine caussa irascitur.

Lib. 1. c. 15. Matth. 15. 40. Luca 14. 26.

5. Item quod dixi, *Hoc & de patre & de matre & de ceteris vinculis sanguinis intelligendum est, ut in eis oderimus quod genus humanum nascendo & moriendo sortitum est*, ita sonat, quasi non essent futuræ istæ necessitudines, si nullo naturæ humanæ præcedente peccato nemo moreretur. quem sensum jam superiùs improbavi. Essent enim profectò cognationes & affinitates, etiamsi originali nullo exsistente peccato, sine morte cresceret & multiplicaretur genus humanum. Ac per hoc aliter solvenda est quæstio, cur Dominus præceperit diligendos inimicos, cùm alio loco præcipiat odio habendos & parentes & filios, non sicut hîc soluta est, sed sicut eam posteriùs sæpe solvimus: id est ut diligamus inimicos lucrandos regno Dei, & oderimus in propinquis, si impediunt à regno Dei.

Lib. 1. c. 16. Psal. 72.27. Matt. 6.12. Prov. 18.22. Johan. 8. 11.

6. Item de præcepto quo prohibetur uxor dimitti, nisi propter fornicationem, hîc quidem scrupulosissimè disputavi. Sed quam velit Dominus intelligi fornicationem, propter quam liceat dimittere uxorem, utrùm eam quæ damnatur in stupris, an illam de qua dicitur, *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te*, in qua utique & ista est, (neque enim non fornicatur à Domino, qui tollens membra Christi, facit ea membra meretricis,) etiam atque etiam cogitandum est atque requirendum. Nec volo in re tanta tamque ad dignoscendum difficili putare lectorem istam sibi nostram disputationem debere sufficere: sed legat & alia, sive nostra quæ postea scripta sunt, sive aliorum meliùs considerata atque tractata: vel ipse si potest, ea quæ hîc meritò movere possunt, vigilantiore atque intelligentiore mente discutiat. Non quia omne peccatum fornicatio est; neque enim omnem peccantem Deus perdit, qui quotidie sanctos suos exaudit, dicentes, *Dimitte nobis, debita nostra*: cùm perdat omnem qui fornicatur ab eo: sed quatenus intelligenda atque limitanda sit hæc fornicatio, & utrùm etiam propter hanc liceat dimittere uxorem, latebrosissima quæstio est. Licere tamen propter istam quæ in stupris committitur, nulla quæstio est. Et ubi dixi, hoc permissum esse, non jussum; non adtendi aliam scripturam, dicentem: *Qui tenet adulteram, stultus & impius est.* Nec sanè adulteram dixerim fuisse deputandam illam mulierem etiam postea quàm audivit à Domino, *Nec ego te damnabo, vade, deinceps jam noli peccare*, si hoc obedienter audivit.

Lib. 1. c. 22. 1. Johan. 5. 16. Peccatum ad mortem.

7. Loco alio peccatum fratris ad mortem, de quo dicit Johannes apostolus, *Non pro illo dico ut roget quis*, ita definivi ut dicerem; *Peccatum fratris ad mortem puto esse, cùm post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Iesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, & adversùs ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur.* Quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi: sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam: quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.

Lib. 2. c. 6. * Fortè apud Athanasium in Exposit. fidei, & Epiphanium in Ancorato.

8. In secundo item libro: *Nulli*, inquam, *licebit ignorare Dei regnum, cùm ejus unigenitus non solùm intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cælo venerit, judicaturus vivos & mortuos.* Sed non video utrùm rectè dicatur *homo Dominicus*, qui est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, cùm sit utique Dominus: Dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici? Et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos * divinorum eloquiorum. Sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi. Item quod dixi, *Nullius enim ferè conscientia Deum potest odisse*, non video fuisse dicendum. Multi enim sunt de quibus scriptum est, *Superbia eorum qui oderunt te.*

Lib. 2. c. 14. Psal. 73. 23. Lib 2. c. 17. Matt. 6.34. Lib. 2. c. 19. Eph. 5. 27. Matth. 7.7. Lib. 2. c. 21.

9. Alio loco in eo quod dixi, *ob hoc dixisse Dominum*, Sufficit diei malitia sua, *quia cibos sumere urgebit ipsa necessitas, quam propterea malitiam nominatam arbitror, quia pœnalis nobis est, pertinet enim ad hanc fragilitatem quam peccando meruimus*, non adtendi etiam primis hominibus data fuisse in paradiso corporis alimenta, antequam istam mortis pœnam peccando meruissent. Sic enim erant immortales in corpore nondum spiritali, sed animali, ut tamen in ejusmodi immortalitate corporalibus alimentis uterentur. Item quod dixi, *Quam sibi Deus elegit gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam*, non ideo dixi, quia nunc ex omni parte jam talis est, quamvis ad hoc electa non dubitaretur, ut talis sit quando Christus apparuerit vita ejus: tunc enim & ipsa cum illo apparebit in gloria: propter quam gloriam dicta est Ecclesia gloriosa. Item quod Dominus ait, *Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis*, operosè quidem tria ista quid inter se differant exponendum putavi, sed longè meliùs ad instantissimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe ostendit, ubi eodem verbo cuncta conclusit, dicens, *Quantò magis pater vester qui in cælis est dabit bona petentibus se?* Non enim dixit, petentibus & quærentibus & pulsantibus. Hoc opus sic incipit: *Sermonem quem locutus est Dominus.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE SERMONE DOMINI
IN MONTE SECUNDUM MATTHÆUM.
LIBRI DUO. *

* Scripti circiter Christi annum 393.

LIBER PRIMUS.

Explicatur prior pars sermonis à Domino in monte habiti, contenta Matthæi capite quinto.

Caput I. 1. Matth. 7. v. 24. v. 25. v. 26. v. 27.

SERMONEM quem locutus est Dominus noster Jesus Christus in monte, sicut in Evangelio secundùm Matthæum legimus; si quis piè sobriéque consideraverit, puto quòd inveniet in eo, quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Christianæ modum: quod polliceri non temere audemus, sed ex ipsis ejusdem Domini verbis conjicientes. Nam sic ipse sermo concluditur, ut appareat in eo præcepta esse omnia quæ ad informandam vitam pertinent. Sic enim dicit: * *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram:* * *descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & offenderunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat super petram.* * *Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam:* * *descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & offenderunt in domum illam, & cecidit; & facta est ruina ejus magna.* Cùm ergo non dixit, *qui audit verba mea* tantùm, sed addidit dicens, *qui audit verba mea hæc*: satis, ut arbitror, significavit, hæc verba quæ in monte locutus est, tam perfectè instruere vitam eorum qui voluerint secundùm ea vivere, ut meritò comparentur ædificanti super petram. Hoc dixi, ut appareat istum sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita informatur, esse perfectum: nam de hoc capitulo diligentiùs suo loco tractabitur.

Matth. 5. v. 1. v. 2.

2. Hujus igitur sermonis initium sic assumitur: * *Cùm vidisset autem turbas multas, adscendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus;* * *& aperiens os suum docebat eos, dicens.* Si quæritur quid significet mons, bene intelligitur significare majora præcepta justitiæ: quia minora erant quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophetas & famulos suos, secundùm ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora

A præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat; & per Filium suum majora populo, quem caritate jam liberari convenerat. Cùm autem minora minoribus, majora majoribus dantur, ab eo dantur qui solus novit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est quòd dantur præcepta majora propter regnum cælorum, & minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem uno Deo qui fecit cælum & terram. De hac ergo justitia, quæ major

B est, per Prophetam dicitur, Justitia tua sicut montes Dei: & hoc bene significat, quod ab uno magistro solo docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magisterii: & accedunt ad eum discipuli ejus, ut audiendis illius verbis hi essent etiam corpore viciniores, qui præceptis adimplendis etiam animo propinquabant. *Et aperiens os suum, docebat eos, dicens.* Ista circumlocutio qua scribitur; *Et aperiens os suum*, fortassis ipsa mora commendat Psal. 35. 7.

C aliquantò longiorem futurum esse sermonem: nisi fortè non vacet quod nunc eum dictum est aperuisse os suum, quòd ipse in Lege veteri aperire soleret ora Prophetarum.

3. Quid ergo dicit? *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium, Omnia vanitas & præsumtio spiritus: præsumtio autem spiritus, audaciam & superbiam significat: vulgò etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur; & rectè, Matth. 5. 3. Eccle. 1. 14. sec. LXX.

D quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Unde scriptum est, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus [a] tempestatis. Quis verò nesciat superbos inflatos dici, tamquam vento distentos? Unde est etiam illud Apostoli, Scientia inflat, caritas verò ædificat. Quapropter rectè hîc intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est, non habentes [b] inflantem spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem; siquidem perventura est ad summam sapientiam: Initium autem sa- Psal. 148. 8. a 1. Cor. 8. 1. b Eccli. 1. 16.

[a] Sic MSS. At editi, excepto Mar. *spiritus procellarum.*

[b] Lov. cum quatuor MSS. *inflatum.* Ceteri codices, *inflantem.*

pientiæ timor Domini: quoniam & è contrario, A versis inordinatisque dominatur. Hac pace intrinsecùs constituta atque firmata, quascumque per-
Eccli. 10. 15. Initium omnis peccati superbia inscribitur. Superbi ergo appetant & diligant regna terrarum: *Beati* autem *pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

CAPUT II. 4. BEATI *mites; quoniam ipsi hereditate possidebunt terram:* illam credo terram, de qua in Psal-
Matth. 5. 4. *Psal.* 141. 6. mo dicitur, Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Significat enim quamdam soliditatem & stabilitatem hereditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum, tamquam loco suo requiescit, B sicut corpus in terra; & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies & vita sanctorum. Mites autem sunt qui cedunt improbitatibus, &
Rom. 12. 21. non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Rixentur ergo immites, & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus: *Beati* autem *mites; quoniam ipsi hereditate possidebunt terram*, de qua pelli non possint.

Matth. 5. 5. 5. *Beati lugentes; quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus est tristitia de amissione carorum: conversi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo cara amplectebantur, amittunt: non enim gaudent his rebus, quibus antè gaudebant: & donec fiat in illis [a] amor æternorum, nonnullâ mœstitiâ fauciantur: consolabuntur ergo Spiritu-sancto, qui maximè propterea paracletus nominatur, id est consolator, ut temporalem amittentes æternâ lætitiâ perfruantur.

Matth. 5. 6. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* Jam istos amatores dicit veri & inconcussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, de quo D
Joan. 4. 34. ipse Dominus dicit, Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, quod est justitia: & illâ aquâ,
Ibidem 14. de qua quisquis biberit, ut idem dicit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Matth. 5. 7. 7. *Beati misericordes; quoniam ipsorum miserebitur.* Beatos esse dicit qui subveniunt miseris, quoniam eis ita rependitur, ut de miseria liberentur.

Matth. 5. 8. 8. *Beati mundi corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Quàm ergo stulti sunt qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cùm corde videatur, sicut E
Sap. 1. 1. alibi scriptum est, Et in simplicitate cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor: & quemadmodum lumen hoc videri non potest nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur nisi mundum sit illud quo videri potest.

Matth. 5. 9. 9. *Beati pacifici; quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* In pace perfectio est, ubi nihil repugnat; &
b ideo filij Dei pacifici, quoniam nihil [b] resistit Deo, & utique filij similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi F sui motus componentes & subjicientes rationi, id est menti & spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei: in quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet ceteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia; atque idipsum quod excellit in homine, id est mens & ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare infe-
Luc. 2. 14. rioribus potest, nisi superiori se ipse subjiciat. Et G hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis; hæc vita consummati perfectique sapientis. De hujusmodi regno pacatissimo & ordinatissimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui per-

[a] In Corbeiensi codice, *dulcedo æternorum.* Paulò infrà in editis legebatur, *ut temporalia amittentes*: in duobus Belgicis MSS. *ut temporalem amittentes luctum*: sed melius in uno Vat. & decem Gallic. *ut temporalem amittentes*: subaudi, *latitiam.*

[b] Sic Am Er. & omnes MSS. At Lov. *nihil in ipsis resistit Deo.*

[c] Hic in decem MSS. non interponitur, *est.*

fecùs constituta atque firmata, quascumque persecutiones ille qui foras missus est, forinsecùs concitaverit, auget gloriam quæ secundùm Deum est; non aliquid in illo ædificio labefactans, sed deficientibus machinis suis innotescere faciens quanta firmitas intus exstructa sit. Ideo sequitur: *Beati qui* *Matth.* 5. 10. *persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

10. SUNT autem omnes istæ octo sententiæ. CAPUT III. Jam enim cetera compellans loquitur ad illos qui aderant, dicens, *Beati eritis, cùm vobis maledicent, & persequentur vos.* Superiores autem sententias generaliter dirigebat: non enim dixit, *Beati pauperes spiritu*, quoniam vestrum est regnum cælorum; sed, *quoniam ipsorum est*, inquit, *regnum cælorum.* neque *Beati mites*, quoniam vos possidebitis terram; sed, *quoniam ipsi possidebunt terram.* Et ita ceteras usque ad octavam sententiam, ubi ait, *Beati qui* *Matth.* 5. 10. *persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Inde jam incipit loqui præsentes compellans, cùm & illa quæ suprà dicta sunt, ad eos etiam pertinerent, qui præsentes audiebant; & hæc postea quæ videntur præsentibus specialiter dici, pertineant etiam ad illos qui absentes vel pòst futuri erant. Quapropter iste sententiarum numerus diligenter considerandus est. Incipit enim beatitudo ab humilitate: *Beati pauperes spiritu*, id est, non inflati, dum se divinæ auctoritati subdit anima, timens post hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiam D si fortè in hac vita sibi beata esse videatur. Inde venit ad divinarum Scripturarum cognitionem, ubi oportet eam se mitem præbere pietate, ne id quod imperitis videtur absurdum vituperare audeat, & pervicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Inde jam incipit scire, quibus nodis sæculi hujus per carnalem consuetudinem ac peccata teneatur: itaque in hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu labor est, ubi vehementer incumbitur ut sese animus avellat ab eis, quibus pestifera dulcedine innexus est: hîc ergo esuritur & sititur justitia, & multùm necessaria [c] est fortitudo; quia NON RELINQUITUR sine dolore quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perseverantibus in labore datur evadendi consilium; quia nisi quisque adjuvetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat: est autem justum consilium, ut qui se à porentiore adjuvari vult, adjuvet infirmiorem in quo est ipse potentior: itaque *Beati misericordes; quia ipsorum miserebitur.* Sexto gradu est cordis munditia, de bona conscientia bonorum operum valens ad contemplandum summum illud bonum, quod solo puro & sereno intellectu cerni potest. Postremo est septima ipsa sapientia, id est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei, quæ ita concluditur, *Beati pacifici; quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* Octava tamquam ad caput redit; quia consummatum perfectumque ostendit & probat: itaque in prima & in octava nominatum est regnum cælorum, *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum:* &, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum:*

Rom. 8. 35. cùm jam dicitur, Quis nos separabit à caritate Chri- A quam purum oculum ad intelligenda æterna gesti? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Septem sunt ergo quæ perficiunt: nam octava clarificat, & quod perfectum est demonstrat, ut per hos gradus perficiantur & ceteri, tamquam à capite rursùm exordiens.

CAPUT IV. 11. VIDETUR ergo mihi etiam septiformis
Isa. 11. 2. operatio Spiritus-sancti, de qua Isaias loquitur, his gradibus sententiisque congruere. Sed interest ordinis: nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœ- B pit, hîc verò ab inferioribus. Ibi namque incipit à sapientia, & desinit ad timorem Dei: sed initium
Eccli. 1. 16. sapientiæ timor Domini est. Quapropter si gradatim tamquam adscendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia scientia, quarta fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hîc dicitur, *Beati pauperes spiritu*, id est non inflati, non superbi: quibus
Rom. 11. 20. Apostolus dicit, Noli altum sapere, sed time, id est, C noli extolli. Pietas congruit mitibus: qui enim piè quærit, honorat sanctam Scripturam, & non reprehendit quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est mitem esse: unde hîc dicitur, *Beati mites.* Scientia congruit lugentibus, qui jam cognoverunt in Scripturis quibus malis vincti teneantur, quæ tamquam bona & utilia ignorantes
Matth. 5. 6. appetiverunt: de quibus hîc dicitur, *Beati qui lugent.* Fortitudo congruit esurientibus & sitientibus: laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, D & amorem à terrenis & corporalibus avertere cupientes: de quibus hîc dicitur, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Consilium congruit misericordibus: hoc enim unum remedium est de tantis malis evadendi, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus; & adjuvemus in quo possumus alios, sicut nos in quo non possumus cupimus adjuvari: de quibus hîc dicitur, *Beati misericordes.* Intellectus congruit mundis corde, tamquam purgato oculo, quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit, nec E
Isa. 64. 4. 1. *Cor.* 2. 9. auris audivit, nec in cor hominis adscendit: de quibus hîc dicitur, *Beati mundi corde.* Sapientia congruit pacificis, in quibus jam * ordinata sunt omnia, nullusque motus adversùs rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cùm & ipse obtemperet Deo: de quibus hîc dicitur, *Beati pacifici.*

* *Scil.* id nunc agentibus pacificis, donec concupiscentias, ut ad istam pacem quandoque veniatur, *ex* 1. *Retract.* 19. *n.* 1.

21. Unum autem præmium quod est regnum cælorum, pro his gradibus variè nominatum est. In primo, sicut oportebat, positum est regnum cælorum, F quod est perfecta summaque sapientia animæ rationalis. Sic itaque dictum est, *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum:* tamquam diceretur, Initium sapientiæ timor Domini. Mitibus
Eccli. 1. 16. *Psal.* 110. 10. *Prov.* 9. 10. hereditas data est, tamquam testamentum patris cum pietate quærentibus: *Beati mites; quoniam ipsi hereditate possidebunt terram.* Lugentibus consolatio, tamquam scientibus quid amiserint, & quibus mersi sint: *Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur.* Esurientibus & sitientibus saturitas, tamquam re- G fectio laborantibus fortiterque certantibus ad salutem: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* Misericordibus misericordia, tamquam vero & optimo consilio utentibus, ut hoc eis exhibeatur à potentiore, quod invalidioribus exhibent. *Beati misericordes; quoniam ipsorum miserebitur.* Mundis corde facultas videndi Deum, tamquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus: *Beati mundi corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Pacificis Dei similitudo, tamquam perfectè sapientibus formatisque ad imaginem Dei per regenerationem renovati hominis: *Beati pacifici; quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apostolis [*] credimus. Nam illa omnimoda in angeli- * *id est* quacam formam mutatio, quæ post hanc vitam pro- dam perfectione, cumittitur, nullis verbis exponi potest. *Beati* ergo jus capax *qui perfecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam* est ista vi- *ipsorum est regnum cælorum.* Hæc octava sententia, ta, *ex* 1. *Retract.* 19. *n.* quæ ad caput redit, perfectumque hominem de- 2. clarat, significatur fortasse & circumcisione octavo die in veteri Testamento; & Domini resurrectione post sabbatum, qui est utique octavus, idemque primus dies; & celebratione octavarum feria- Octavæ rerum, quas in regeneratione novi hominis celebra- generatomus; & numero ipso Pentecostes. Nam septenario numero septies multiplicato, quo fiunt quadraginta-novem, quasi octavus additur, ut quinquaginta compleantur & tamquam redeatur ad caput, quo die missus est Spiritus-sanctus, quo in regnum cælorum ducimur, & hereditatem accipimus, & consolamur, & pascimur, & misericordiam consequimur, & mundamur, & pacificamur; atque ita perfecti, omnes extrinsecùs illatas molestias pro veritate & justitia sustinemus.

13. * BEATI *eritis*, inquit, *cùm vobis male-* CAPUT V. *dicent, & persequentur vos, & dicent omne malum ad-* *Matth.* 5. *versùm vos mentientes propter me.* * *Gaudete & exsul-* v. 11. *tate, quoniam merces vestra multa est in cælis.* Ani- v. 12. madvertat quisquis delicias hujus sæculi & facultates rerum temporalium quærit in nomine Christiano, intrinsecùs esse beatitudinem nostram: sicut de anima ecclesiastica ore prophetico dicitur, Om- *Psal.* 44. nis pulcritudo filiæ regis intrinsecùs: nam extrinse- 14. cùs maledicta & persecutiones & detractiones promittuntur: de quibus tamen magna merces est in cælis, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui jam possunt dicere, Gloriamur in tribulationibus, « *Rom.* 5. 3. scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, « *&c.* patientia autem probationem, probatio verò spem, « spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa « est in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum qui « datus est nobis. Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solùm æquo animo, sed etiam cum exsultatione tolerare. Nam multi hæretici, nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur: sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantùm, *Beati qui persecutionem patiuntur*; sed additum est, *propter justitiam:* UBI autem SANA FIDES NON *Habac.* 2. 4. EST, non potest esse justitia; quia justus ex fide *Rom.* 1. 17. vivit. Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant; quia similiter UBI CARITAS NON EST, non potest esse justitia: Dilectio enim pro- *Rom.* 13. 10. ximi malum non operatur. Quam si haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia. *Col.* 1. 24.

14. Quæri autem potest quid interfit quod ait, *Cùm vobis maledicent*, &, *Omne malum dicent adversùm vos:* cùm maledicere, hoc sit, malum dicere. Sed aliter maledictum jactatur cum contumelia coram illo cui maledicitur, sicut Domino nostro dictum *Johan.* 8. est, Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es, & 48. dæmonium habes? aliter cùm absentis fama læditur, sicut de illo item scribitur, Alij dicebant, Quia pro- *Johan.* 7. 12. pheta est; alij autem dicebant, Non, sed seducit po-

pulum. Persequi autem, est vim inferre, vel insidiis appetere: quod fecit qui eum tradidit, & qui eum crucifixerunt. Sanè quòd etiam hoc non est nudè positum, ut diceretur, *Et dicent omne malum adversùm vos*, sed additum est, *mentientes*; additum etiam, *propter me*: propter eos additum puto, qui volunt de persecutionibus & de famæ suæ turpitudine gloriari; & ideo dicere ad se pertinere Christum, quia multa de illis dicuntur mala; cùm & vera dicantur, quando de illorum errore dicuntur: & si aliquando etiam nonnulla falsa jactantur, quod temeritate hominum plerumque accidit, non tamen propter Christum ista patiuntur. Non enim Christum sequitur, qui non secundùm veram fidem & catholicam disciplinam Christianus vocatur.

Matth. 5. 12. 15. *Gaudete*, inquit, *& exsultate, quoniam merces vestra multa est in cælis.* Non hîc cælos dici puto superiores partes hujus visibilis mundi. Non enim merces nostra, quæ inconcussa & æterna esse debet, in rebus volubilibus, & temporalibus collocanda est. Sed *in cælis* dictum puto, in spiritalibus firmamentis, ubi habitat sempiterna justitia: in quorum comparatione terra dicitur anima iniqua, *Gen.* 3. 19. cui peccanti dictum est, Terra es, & in terram ibis. *Philip.* 3. 20. De his cælis dicit Apostolus, Quoniam conversatio nostra in cælis est. Sentiunt ergo jam istam mercedem, qui gaudent spiritalibus bonis: sed tunc ex omni parte perficietur, cùm etiam hoc mortale induerit immortalitatem. *Ita enim persecuti sunt*, inquit, *& Prophetas qui ante vos fuerunt.* Nunc persecutionem generaliter posuit, & in maledictis & in dilaceratione famæ; & bene exemplo adhortatus est, quia vera dicentes solent persecutionem pati: nec tamen ideo Prophetæ antiqui timore persecutionis à veritatis prædicatione defecerunt.

Matth. 5. 12.

CAPUT VI. *Matth.* 5. 13. 16. RECTISSIME itaque sequitur, *Vos estis sal terræ*: ostendens fatuos esse judicandos, qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. *Itaque si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* id est, si vos per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu persecutionum temporalium amiseritis regna cælorum; qui erunt homines per quos à vobis error auferatur, cùm vos elegerit Deus, per quos errorem auferat ceterorum? Ergo *ad nihilum valet* sal infatuatum, *nisi ut mittatur foras, & calcetur, ab hominibus.* Non itaque calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior: sed inferior non est qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cælo est.

v. 14. 17. *Vos estis lumen mundi.* Quomodo dixit superiùs *sal terræ*, sic nunc dicit *lumen mundi.* Nam neque superiùs ista terra accipienda est, quam pedibus corporeis calcamus, sed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis & exstinguendis putoribus Apostolicum salem Dominus misit. Et hîc mundum non cælum & terram, sed homines qui sunt in mundo vel diligunt mundum, oportet intelligi, quibus illuminandis Apostoli missi sunt. *Non potest civitas abscondi super montem constituta:* id est, fundata super insignem magnamque justitiam, quam significat etiam ipse v. 15 mons in quo disputat Dominus. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modo.* Quid putamus? ita esse dictum *sub modo*, ut occultatio tantùm lucernæ accipienda sit, tamquam si diceret, Nemo accendit lucernam, & occultat illam? an aliquid etiam modius significat, ut hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda, quàm prædicationem veritatis; ut ideo quisque veritatem non prædicet, dum timet ne aliquid in rebus corporalibus & temporalibus molestiæ patiatur? Et bene modius dicitur, sive propter retributionem mensuræ, quia ea quisque recipit quæ gessit in corpore, ut illic inquit Apostolus, recipiat *2. Cor.* 5. 10. unusquisque quæ gessit in corpore: & tamquam de hoc modio corporis alio loco dicitur, In qua enim *Matth.* 7. 2. mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis; sive quoniam temporalia bona, quæ in corpore peraguntur, certâ dierum mensurâ & inchoantur & transeunt, quam fortasse significat modius; æterna verò & spiritalia nullo tali fine coercentur: * Non *Joan.* 3. 34. enim ad mensuram dat Deus spiritum. Sub modio ergo lucernam ponit, quisquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obscurat & tegit. *Sed super candelabrum*: Super candelabrum autem, qui corpus suum ministerio Dei subjicit, ut superior sit prædicatio veritatis, & inferior servitus corporis: per ipsam tamen corporis servitutem excelsior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, id est per vocem & linguam & ceteros corporis motus in bonis operibus insinuatur discentibus. Super candelabrum ergo ponit lucernam, cùm dicit Apostolus, Non sic pugno tamquam aërem cædens, sed castigo corpus meum, & servituti subjicio, ne fortè aliis prædicans ipse reprobus inveniar. Quod verò ait, *Ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Domum *Matt.* 5 15. puto dictam habitationem hominum, id est, ipsum mundum, propter id quod superiùs ait, *Vos estis lumen mundi:* aut si domum quisque vult accipere Ecclesiam, nec hoc est absurdum.

* Sed hoc de Christo propriè veriùs accipitur, ex 1. Retr. 19. n. 3. *Matth.* 5. 15.

1. *Cor.* 9. 26.

CAPUT VII. *Matt.* 5. 16. 18. SIC *luceat*, inquit, *lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Si tantummodo diceret, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra*: finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas quærunt hypocritæ, & qui ambiunt ad honores, & captant inanissimam gloriam. Contra quos dicitur, Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: & per Prophetam, Qui hominibus placent, *Psal.* 52. 6. confusi sunt, quia Deus nihili fecit illos: & iterum, *Ibidem.* Deus confregit ossa hominibus placentium: & rursum Apostolus, Non efficiamur inanis gloriæ *Gal.* 5. 26. cupidi: & ipse iterum, Probet autem se homo, & *1. Cor.* 11. 28. tunc in semetipso habebit gloriam, & non in altero. Non ergo tantùm dixit, *ut videant bona facta vestra*: sed addidit, *& glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*: ut hoc ipsum quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem constituat ut hominibus placeat; sed referat hoc ad laudem Dei, & propterea placeat hominibus ut in illo glorificetur Deus. Hoc enim laudantibus expedit, ut non hominem, sed Deum honorent: sicut in ipso homine [a] qui portabatur, Dominus ostendit, ubi admiratæ turbæ paralytico sanato virtutes ejus, sicut in Evangelio scriptum est, Timuerunt & glo- *Matth.* 9. 8. rificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Cujus imitator, apostolus Paulus dicit, Tantùm autem audientes erant, quoniam qui ali- *Gal.* 1. 23. quando nos persequebatur, nunc evangelizat fi-

[a] In undecim MSS. & in editis Am. & Er. *quem portabat*: apud Mar. *quem portabant.*

» dem, quam aliquando vastabat, & in me glorifi- A
» cabant Deum.

19. Postea quàm ergo cohortatus est audientes, ut se præpararent ad omnia sustinenda pro veritate atque justitia, & ut non absconderent bonum quod accepturi erant, sed eâ benevolentiâ discerent, ut ceteros docerent, non ad laudem suam, sed ad gloriam Dei bona sua opera referentes: incipit eos jam informare & docere quid doceant, tamquam si quærerent dicentes, Ecce volumus & omnia sustinere pro tuo nomine, & doctrinam B tuam non absconde re; sed quid est hoc ipsum quod vetas abscondi, & pro quo jubes omnia tolerari? numquid alia dicturus es contra ea quæ in Lege scripta sunt? Non, inquit. * *Nolite* enim *putare, quoniam veni solvere Legem aut Prophetas: non veni solvere, sed implere.*

* CAPUT VIII. *Matth.* 5. v. 17.

20. In hac sententia sensus duplex est; secundùm utrumque tractandum est. Nam qui dicit, *Non veni solvere Legem, sed implere*; aut addendo dicit quod minus habet, aut faciendo quod habet: C illud ergo priùs consideremus, quod primò posui. Nam qui addit quod minus habet, non utique solvit quod invenit, sed magis perficiendo confirmat:

v. 18. & ideo sequitur, & dicit, *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut unus apex non transiet à Lege, donec omnia fiant.* Dum enim fiunt etiam illa quæ adduntur ad perfectionem, multò magis fiunt illa quæ præmissa sunt ad inchoationem. Quod autem ait, *Iota unum, aut unus apex non transiet à Lege*, nihil potest aliud intelligi nisi D vehemens expressio perfectionis *, quando per litteras singulas demonstrata est: inter quas litteras iota minor est ceteris, quia uno ductu fit; apex autem est etiam ipsius aliqua in summo particula. Quibus verbis ostendit in Lege ad effectum etiam minima quæque perduci. Deinde subjicit, *Qui enim solverit unum demandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Mandata ergo minima significantur per unum iota & unum apicem. Qui ergo *solverit & docuerit sic*, id est, secundùm id quod solvit, non secundùm id quod invenit & legit, *minimus vocabitur in regno cælorum*: & fortasse ideo non erit in regno cælorum, ubi nisi magni esse non possunt. *Qui autem fecerit & docuerit* * *sic*, hoc est, qui non solverit, & docuerit sic, secundùm id quod non solvit, *magnus vocabitur in regno cælorum.* Qui verò magnus vocabitur in regno cælorum, sequitur ut etiam sit in regno cælorum, quò magni admittuntur: ad hoc enim pertinet quod sequitur.

* Quæ tamen non sic intelligenda est, quasi quisquam hîc vivat sine peccato, *ex* 1. *Retr.* 19. n. 3. *Matt.* 5. 19.

* In Græco legebat, ἐλάχιστος, pro ἔσται.

CAPUT IX. *Matth.* 5. 20. *v.* 1. *Retr.* 19. n 4. 21. DICO *enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum:* id est, nisi non solùm illa minima Legis præcepta impleveritis quæ inchoant hominem, sed etiam ista quæ à me adduntur, qui non veni solvere Legem, sed implere, non intrabitis in regnum cælorum. Sed dicis mihi, Si de illis mandatis minimis cùm superiùs loqueretur, dixit minimum vocari in regno cælorum quisquis unum eorum solverit, & secundùm suam so- G lutionem docuerit; magnum autem vocari quisquis ea fecerit, & sic docuerit, & ex eo jam in regno cælorum futurum esse quia magnus est: quid opus est addi præceptis Legis minimis, si jam in regno cælorum potest esse, quia magnus est quisquis ea fecerit, & sic docuerit? Quapropter sic est accipienda illa sententia, *Qui autem fecerit & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cælorum:* id est, non secundùm illa minima, sed secundùm ea quæ ego dicturus sum. Quæ sunt autem ista? Ut abundet justitia, inquit, vestra super Scribarum & Pharisæorum: quia nisi abundaverit non intrabitis in regnum cælorum. Ergo qui solverit illa minima, & sic docuerit, minimus vocabitur: qui autem fecerit illa minima, & sic docuerit, non jam magnus habendus est & idoneus regno cælorum; sed tamen non tam minimus quàm ille qui solvit: ut autem sit magnus atque illi regno aptus, facere debet & docere, sicut Christus nunc docet, id est, ut abundet justitia ejus super Scribarum & Pharisæorum. Justitia Pharisæorum est, ut non occidant; justitia eorum qui intraturi sunt in regnum Dei, ut non irascantur sine caussa: minimum est ergo non occidere; & qui illud solverit, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem illud impleverit ut non occidat, non continuò magnus erit & idoneus regno cælorum, sed tamen adscendit aliquem gradum; perficietur autem, si nec irascatur sine caussa: quod si perfecerit, multò remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet ut non irascamur, non solvit Legem ne occidamus, sed implet potiùs, ut & foris dum non occidimus, & in corde dum non irascimur, innocentiam custodiamus.

22. * *Audistis* ergo, inquit, *quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, judicio reus erit.* * *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine caussa, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quid interest inter reum judicio, & reum concilio, & reum gehennæ ignis? Nam hoc postremum gravissimum sonat, & admonet quosdam gradus factos à leviori- bus ad graviora, donec ad gehennam ignis veniretur. Et ideo si levius est reum esse judicio quàm reum esse concilio; item levius est reum esse concilio, quàm esse reum gehennæ ignis; oportet levius esse intelligatur irasci sine caussa fratri, quàm dicere *Racha*, & rursus levius esse dicere *Racha*, quàm dicere *Fatue*. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorarentur.

Matth. 5. v. 21. v. 22.

23. Unum autem hîc verbum obscurum positum est, quia nec Græcum nec Latinum est *Racha*: cetera verò in sermone nostro usitata sunt. Nonnulli autem de Græco trahere voluerunt interpretationem hujus vocis, putantes pannosum dici *Racha*, quoniam Græcè pannus ῥάκος dicitur: à quibus tamen cùm quæritur quid dicatur Græcè pannosus, non respondent *Racha*: deinde posset Latinus interpres ubi posuit *Racha*, pannosum ponere, nec uti verbo quod & in Latina lingua nullum sit, & in Græca inusitatum. Probabilius est ergo, quod audivi à quodam Hebræo, cùm id interrogassem: dixit enim esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones Grammatici vocant particulas orationis significantes commoti animi affectum: velut cùm dicitur à dolente, Heu; vel ab irascente, Hem. Quæ voces quarumque linguarum sunt propriæ, nec in aliam linguam facilè transferuntur: quæ caussa utique coegit tam Græcum interpretem quàm Latinum vocem ipsam ponere, cùm quomodo eam interpretaretur non inveniret. Racha quid.

24. Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primò quisque irascatur, & eum motum retineat corde conceptum: jam si extorserit vocem indignantis Gradus in peccatis & in reatu.

ipſa commotio, non ſignificantem aliquid, ſed illum animi motum ipſa eruptione teſtantem, qua feriatur ille cui iraſcitur; plus eſt utique quàm ſi ſurgens ira ſilentio premeretur: ſi verò non ſolùm vox indignantis audiatur, ſed etiam verbum quo jam certam ejus vituperationem in quem profertur, deſignet & notet, quis dubitet amplius hoc eſſe, quàm ſi ſolus indignationis ſonus ederetur? Itaque in primo unum eſt, id eſt, ira ſola; in ſecundo duo, & ira, & vox quæ iram ſignificat; in tertio tria, & ira, & vox quæ iram ſignificat, & in voce ipſa certæ vituperationis expreſſio. Vide nunc etiam tres reatus, judicij, concilij, gehennæ ignis. Nam in judicio adhuc defenſioni datur locus: in concilio autem quamquam & judicium eſſe ſoleat, tamen quia intereſſe aliquid hoc loco fateri cogit ipſa diſtinctio, videtur ad concilium pertinere ſententiæ prolatio; quando non jam cum ipſo reo agitur, utrùm damnandus ſit, ſed inter ſe qui judicant conferunt quo ſupplicio damnari oporteat quem conſtat eſſe damnandum: gehenna verò ignis, nec damnationem habet dubiam, ſicut judicium; nec damnati pœnam, ſicut concilium; in gehenna quippe ignis certa eſt & damnatio & pœna damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis & in reatu: ſed quibus modis inviſibiliter exhibeantur [a] meritis animarum, quis poteſt dicere? Audiendum eſt itaque quantum interſit inter juſtitiam Phariſæorum, & iſtam majorem quæ in regnum cælorum introducit, quòd cùm ſit gravius occidere quàm verbo irrogare convicium, ibi occiſio reum facit judicio, hîc autem ira facit reum judicio, quod trium illorum peccatorum leviſſimum eſt: quia illic quæſtionem homicidij inter homines agitabant; hîc autem omnia divino judicio dimittuntur, ubi finis damnatorum eſt gehenna ignis. Quiſquis autem dixerit quòd graviore ſupplicio in majore juſtitia punitur homicidium, ſi gehennâ ignis punitur convicium, cogit intelligi eſſe differentias gehennarum.

25. Sanè in tribus iſtis ſententiis ſubauditio verborum intuenda eſt. Habet enim prima ſententia omnia verba neceſſaria, ut nihil ſubaudiatur: *Qui iraſcitur*, inquit, *fratri ſuo* * *ſine cauſſa*, *reus erit judicio*. [* V. 1. Retract. 19. n. 4.] In ſecunda verò cùm ait, *Qui autem dixerit fratri ſuo Racha*, ſubauditur, ſine cauſſa, & ita jungitur, *reus erit concilio*. Jam in tertia ubi ait, *Qui autem dixerit Fatue*, duo ſubaudiuntur, & fratri ſuo, & ſine cauſſa. Hoc eſt unde defenditur quòd Apoſtolus Galatas vocat ſtultos, [Gal. 3. 1.] quos etiam fratres nominat: non enim id facit ſine cauſſa. Ideo autem hîc frater ſubaudiendus eſt, quia de inimico poſtea dicitur, quomodo etiam ipſe tractandus ſit majore juſtitiâ.

26. Deinde hîc ſequitur: * *Si ergo obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversùm te;* [Matth. 5. v. 23.] * *relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, priùs reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offer munus tuum.* [v. 24.] Hinc utique apparet de fratre dictum ſuperiùs; quoniam ſententia quæ ſequitur, ea conjunctione connectitur ut ſuperiori adteſtetur: non enim ait, Si autem obtuleris munus tuum ad altare; ſed ait, * *Si ergo obtuleris munus tuum ad altare.* [* CAPUT X.] Nam ſi iraſci fas non eſt fratri ſuo ſine cauſſa, aut dicere *Racha*, aut dicere *Fatue*; multò minùs fas eſt animo tenere aliquid ut in odium indignatio convertatur. Quò pertinet etiam quod alio loco dicitur, Non occidat ſol [Eph. 4. 26.] ſuper iracundiam veſtram. Jubemur ergo illaturi munus in altare, ſi recordati fuerimus aliquid adversùm nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, & pergere ac reconciliari fratri, deinde venire & munus offerre. Quod ſi accipiatur ad litteram, fortaſſis aliquis credat ita fieri oportere, ſi præſens frater ſit: non enim diutiùs differri poteſt, cùm munus tuum relinquere ante altare jubearis: ſi ergo de abſente, &, quod fieri poteſt, etiam trans mare conſtituto aliquid tale veniat in mentem, abſurdum eſt credere ante altare munus relinquendum, quod poſt terras & maria pererrata offeras Deo. Et ideo prorſus intrò ad ſpiritalia refugere cogimur, ut hoc quod dictum eſt ſine abſurditate poſſit intelligi.

27. Altare itaque ſpiritaliter in interiore Dei templo ipſam fidem accipere poſſumus, cujus ſignum eſt altare viſibile. Quodlibet enim munus offerimus Deo, ſive prophetiam, ſive doctrinam, ſive orationem, ſive hymnum, ſive pſalmum, & ſi quid tale aliud ſpiritalium donorum animo occurrit, acceptum eſſe non poteſt Deo, niſi fidei ſinceritate fulciatur, & ei fixè atque immobiliter tamquam [b] imponatur, ut poſſit integrum atque illibatum eſſe quod loquimur. Nam multi hæretici non habentes altare, id eſt veram fidem, blaſphemias pro laude dixerunt, terrenis videlicet opinionibus aggravati, votum ſuum tamquam in terram projicientes. Sed debet eſſe ſana etiam offerentis intentio. Et propterea cùm tale aliquid oblaturi ſumus in corde noſtro, id eſt, in interiore Dei templo, Templum enim Dei ſanctum eſt, inquit, quod eſtis vos: [1. Cor. 3. 17.] &, In interiore homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris: [Eph. 3. 17.] ſi in mentem venerit quòd aliquid habeat adversùm nos frater, id eſt, ſi nos eum in aliquo læſimus; tunc enim ipſe habet adversùm nos: nam nos adversùs illum habemus, ſi ille nos læſit: ubi non opus eſt pergere ad reconciliationem; non enim veniam poſtulabis ab eo qui tibi fecit injuriam, ſed tantùm dimittes, ſicut tibi dimitti à Domino cupis, quod ipſe commiſeris. Pergendum eſt ergo ad reconciliationem, cùm in mentem venerit quod nos fortè fratrem in aliquo læſimus: pergendum autem non pedibus corporis, ſed motibus animi, ut te humili affectu proſternas fratri, ad quem cara cogitatione cucurreris, in conſpectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim etiam ſi præſens ſit, poteris eum non ſimulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam poſtulando, ſi hoc priùs coram Deo feceris, pergens ad eum non pigro motu corporis, ſed celerrimo dilectionis affectu: atque inde veniens, id eſt, intentionem revocans ad id quod agere cœperas, offeres munus tuum.

28. Quis autem hoc facit ut fratri ſuo vel non iraſcatur ſine cauſſa, vel *Racha* non dicat ſine cauſſa, vel eum fatuum non appellet ſine cauſſa, quod totum ſuperbiſſimè admittitur; vel fortè ſi in aliquo horum lapſus fuerit, quod eſt unum remedium, ſupplici animo veniam deprecetur; niſi quiſquis, inanis jactantiæ ſpiritu non inflatur? *Beati* ergo *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* [Matth. 5. 3.] Nunc jam videamus quod ſequitur.

CAPUT XI.

29. Esto, inquit, *adverſario tuo benevolus citò dum es in via cum eo; ne fortè te tradat adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Judicem intelligo: Pater [Johan. 5. 22.]

a Lov. *exhibeantur pœna*: abeſt *pœna* ab aliis editis, & à MSS.

b Hîc Lov. addit, *altari*; qua voce carent ceteri codices.

enim

enim non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio. Miniſtrum intelligo: Et Angeli, inquit, miniſtrabant ei: [Matt. 4. 11.] & cum Angelis ſuis venturum credimus ad judicandos vivos & mortuos. Carcerem intelligo; pœnas videlicet tenebrarum, quas alio loco exteriores vocat: [Matth. 8. 12. & 22. 13. & 25. 30.] credo propterea quòd intrinſecùs ſit in ipſa mente, vel etiam ſi quid ſecretius cogitari poteſt, gaudium divinorum præmiorum; de quo dicitur ſervo bene merito, Intra in gaudium Domini tui. [Matth. 25. 23.] quemadmodum etiam in hac ordinatione reipublicæ, vel à ſecretario, vel à prætorio judicis extrà mittitur, qui in carcerem truditur.

30. De ſolvendo autem noviſſimo quadrante, poteſt non abſurdè intelligi, aut pro eo poſitum quod nihil relinquitur impunitum: ſicut loquentes etiam dicimus, Uſque ad fæcem, cùm volumus exprimere aliquid ita exactum, ut nihil relinqueretur: vel ut ſignificarentur nomine quadrantis noviſſimi, terrena peccata. Quarta enim pars diſtinctorum membrorum hujus mundi, & ea noviſſima, terra invenitur, ut incipias à cælo, ſecundum aërem numeres, aquam tertiam, quartam terram. Poteſt ergo convenienter videri dictum, *Donec ſolvas noviſſimum quadrantem*, donec luas terrena peccata: hoc enim & peccator audivit, Terra es, & in terram ibis. [Gen. 3. 19.] *Donec ſolvas* autem quod dictum eſt, miror ſi non eam ſignificat pœnam, quæ vocatur æterna. Unde enim ſolvitur illud debitum, ubi jam non datur pænitendi & correctiùs vivendi locus? Ita enim fortaſſe hîc poſitum eſt, *Donec ſolvas*, quomodo in illo ubi dictum eſt, Sede ad dexteram meam, [Pſal. 109. 1.] donec ponam omnes inimicos tuos ſub pedibus tuis: non enim cùm fuerint inimici ſub pedibus poſiti, deſinet ille ſedere ad dexteram. Aut illud Apoſtoli, Oportet enim illum regnare, [1. Cor. 15. 25.] donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis: non enim cùm poſiti fuerint, deſinet regnare. Quemadmodum ergo ibi intelligitur, de quo dictum eſt, Oportet eum regnare donec ponat inimicos ſub pedibus ſuis, ſemper regnaturum, quoniam ſemper illi erunt ſub pedibus: ita hîc accipi poteſt, de quo dictum eſt, *Non exies inde, donec ſolvas noviſſimum quadrantem*, ſemper non exiturum eſſe; quia ſemper ſolvit noviſſimum quadrantem, dum ſempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit. Neque ita hoc dixerim, ut diligentiorem tractationem videar ademiſſe de pœnis peccatorum, quomodo in Scripturis dicantur æternæ: quamquam quolibet modo vitandæ ſunt potiùs quàm ſciendæ.

[Adverſarius cui cõſentire jubemur, quinam ſit.]

31. Sed videamus jam quis ſit ipſe adverſarius, cui jubemur eſſe benevoli citò, cùm ſumus cum illo in via. Aut enim diabolus eſt, aut homo, aut caro, aut Deus, aut præceptum ejus. Sed diabolo non video quomodo jubeamur benevoli eſſe, id eſt concordes aut conſentientes. Namque alij quod Græcè poſitum eſt εὐνοῶν, interpretati ſunt *concors*, alij *conſentiens*: ſed neque benevolentiam diabolo jubemur exhibere, ubi enim benevolentia, ibi amicitia; neque quiſquam dixerit amicitiam cum diabolo eſſe faciendam; neque concordare cum illo expedit, cui ſemel renuntiando bellum indiximus, & quo victo coronabimur; neque conſentire illi jam oportet, cui ſi numquam conſenſiſſemus, numquam in iſtas incidiſſemus miſerias. De homine autem, quamquam jubeamur cum omnibus quantum in nobis eſt pacem habere, ubi utique & benevolentia & concordia & conſenſio poteſt intelligi; non video tamen quomodo accipiam ab homine nos judici tradi, ubi Chriſtum judicem intelligo, ante cujus tribunal omnes oportet exhiberi, ſicut dicit Apoſtolus: [Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10.] quomodo ergo judici traditurus eſt, qui ante judicem pariter exhibebitur? Aut ſi propterea traditur quiſque judici, quia hominem læſit, quamvis illo non tradente qui læſus eſt; multò commodiùs accipitur à Lege ipſa reum tradi judici, contra quam fecit, cùm hominem læderet. Quia & ſi occidendo quis nocuerit homini, non erit jam tempus quo concordet cum eo; quia jam non eſt cum illo in via, id eſt in hac vita: nec tamen ideo non ſanabitur pænitendo, & ad illius miſericordiam cum ſacrificio tribulati cordis refugiendo qui donat peccata converſis ad ſe, & qui plus gaudet de uno pænitente, quàm de nonaginta-novem juſtis. [Luc. 15. 7.] Carni verò multò minùs video quomodo benevoli vel concordes vel conſentientes eſſe jubeamur. Magis enim peccatores amant carnem ſuam, & concordant cum illa, & conſentiunt ei: qui verò eam ſervituti ſubjiciunt, non ipſi ei conſentiunt, ſed eam ſibi conſentire cogunt.

32. Fortaſſe ergo jubemur Deo conſentire, & illi eſſe benevoli, ut ei reconciliemur, à quo peccando averſi ſumus, ut adverſarius noſter dici poſſit. Quibus enim reſiſtit, rectè dicitur eorum adverſarius: Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: [Jac. 4. 6.] &, Initium omnis peccati ſuperbia: Initium autem ſuperbiæ hominis, apoſtare à Deo: [Eccli. 10. 14. & 15.] & Apoſtolus dicit, Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius. [Rom. 5. 10.] Ex quo intelligi poteſt, nullam naturam malam inimicam Deo eſſe, quando quidem ipſi reconciliantur qui inimici fuerunt. Quiſquis ergo in hac via, id eſt in hac vita, non fuerit reconciliatus Deo per mortem Filij ejus, tradetur judici ab illo; quia Pater non judicat quemquam, [Johan. 5. 22.] ſed omne judicium dedit Filio: atque ita cetera quæ in hoc capitulo ſcripta ſunt conſequuntur, de quibus jam tractavimus. Unum ſolum eſt quod huic intellectui difficultatem facit, quomodo poſſit rectè dici, in via nos eſſe cum Deo, ſi hoc loco ipſe accipiendus eſt adverſarius impiorum, cui jubemur citò reconciliari: niſi fortè quia ipſe ubique eſt, nos etiam cùm in hac via ſumus, cum illo utique ſumus. « Si enim adſcendero in cælum, inquit, tu ibi es; ſi deſcendero in infernum, ades: ſi recipiam pennas meas in directum, & habitabo in [a] noviſſima maris: etenim illuc manus tua deducet me, & continebit me dextera tua. [Pſal. 138. 8. &c.] Aut ſi non placet impios dici eſſe cum Deo, quamquam nuſquam non præſtò ſit Deus; quemadmodum non dicimus cæcos eſſe cum luce, tametſi oculos eorum lux circumfundat; unum reliquum eſt, ut hîc adverſarium præceptum Dei intelligamus. Quid enim ſic adverſatur peccare volentibus quàm præceptum Dei, id eſt Lex ejus & Scriptura divina, quæ data eſt nobis ad hanc vitam, ut ſit nobiſcum in via, cui non oportet contradicere, ne nos tradat judici; ſed ei oportet conſentire citò? Non enim quiſquam novit quando de hac vita exeat. Quis autem conſentit Scripturæ divinæ, niſi qui legit vel audit piè, deferens ei culmen auctoritatis, ut quod intelligit non propter hoc oderit, quòd peccatis ſuis adverſari ſentit; ſed magis diligat correptionem ſuam, &

a Am. Er. & Lov *in noviſſimo*. At MSS. necnon editio Mar. *in noviſſima*: juxta Græc. LXX. εἰς τὰ ἔσχατα.

gaudeat quòd morbis suis donec sanentur non parcitur: quod verò aut obscurum, aut absurdum illi sonat, non inde concitet contradictionum certamina, sed oret ut intelligat, benevolentiam tamen & reverentiam tantæ auctoritati exhibendam esse meminerit. Sed quis hoc facit nisi quisquis ad testamentum patris aperiendum & cognoscendum, non litium minitatione acerbus, sed pietate mitis accesserit: *Beati ergo mites; quoniam ipsi hereditate possidebunt terram.* Videamus sequentia.

Matth. 5.4.

CAPUT XII. *Matth. 5. v 27.v.28.*

33. * AUDISTIS *quia dictum est antiquis, Non mœchaberis.* * *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Justitia ergo minor est, non mœchari corporum conjunctione: justitia verò major regni Dei, non mœchari in corde. Quisquis autem non mœchatur in corde, multò facilius custodit ne mœchetur in corpore. Illud ergo confirmavit qui hoc præcepit: non enim venit Legem solvere, sed implere. Sanè considerandum est quòd non dixit, *Omnis* qui concupiverit mulierem; sed, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, id est, hoc fine & hoc animo adtenderit ut eam concupiscat: quod jam non est titillari delectatione carnis, sed [a] plenè consentire libidini, ita ut non refrenetur illicitus appetitus, sed si facultas data fuerit, satietur.

a

Tria quibus impletur peccatum.

34. Nam tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione & consensione. Suggestio, sive per memoriam fit, sive per corporis sensus, cùm aliquid videmus, vel audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus. Quo si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est. Velut cùm jejunamus & visis cibis palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione: sed huic tamen non consentimus, [b] & eam dominantis rationis jure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit, notum Deo in corde nostro, etiamsi facto non innotescat hominibus. Ita ergo sunt isti gradus, quasi à serpente suggestio fiat, id est, lubrico & volubili, hoc est temporali [c] corporum motu: quia & si qua talia phantasmata intus versantur in anima, de corpore forinsecùs tracta sunt: & si quis occultus præter istos quinque sensus motus corporis animam tangit, est etiam ipse temporalis & lubricus; & ideo quantò illabitur occultiùs ut cogitationem contingat, tantò convenientiùs serpenti comparatur. Tria ergo hæc, ut dicere cœperam, similia sunt illi gestæ rei quæ in Genesi scripta est, ut quasi à serpente fiat suggestio & quædam suasio: in appetitu autem carnali tamquam in Eva delectatio: in ratione verò tamquam in viro consensio: quibus peractis, tamquam de paradiso, hoc est, de beatissima luce justitiæ in mortem homo expellitur; justissimè omnino. Non enim cogit, qui suadet. Et omnes naturæ in ordine suo gradibus suis pulcræ sunt: sed de superioribus in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum. Nec quisquam hoc facere cogitur; & ideo si fecerit, [d] justa Dei lege punitur: non enim hoc committit invitus. Verumtamen delectatio [c] ante consuetudinem vel nulla est, vel tam tenuis ut propè nulla sit: cui consentire magnum peccatum est, cùm illicita est. Cùm autem quisque consenserit, committit peccatum in corde. Si autem

b

c

Gen. 3. 1. &c.

d

c

etiam in factum processerit, videtur satiari & exstingui cupiditas: sed postea cùm suggestio repetitur, major accenditur delectatio: quæ tamen adhuc multò minor est quàm illa quæ assiduis factis in consuetudinem vertit. Hanc enim vincere difficillimum est: & tamen etiam ipsam consuetudinem, si se quisque non deserat, & Christianam militiam non reformidet, illo duce atque adjutore superabit: ac sic in pristinam [f] pacem atque ordinem & vir Christo, & mulier viro subjicitur.

f

1.Cor. 11. 3. Eph. 5. 23.

35. Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione: ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tamquam tres mortes: una quasi in domo, id est cùm in corde consentitur libidini; altera jam prolata quasi extra portam, cùm in factum procedit assensio; tertia, cùm vi consuetudinis malæ tamquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulcro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, agnoscit. Et fortasse considerat quas differentias habeat etiam ipsa vox resuscitantis, cùm alibi dicit, Puella surge: alibi, Juvenis tibi dico, surge: alibi, Infremuit spiritu, & flevit, & rursus fremuit, & pòst deinde voce magna clamavit, Lazare veni foras.

Peccati tres differentiæ.

Matt. 9 25. Luc. 7 14. Joh. 11. 33. &c.

36. Quapropter nomine mœchantium qui hoc capitulo commemorantur, omnem carnalem & libidinosam concupiscentiam oportet intelligi. Cùm enim tam assiduè idololatriam Scriptura fornicationem dicat, Paulus autem apostolus avaritiam idololatriæ nomine appellet; quis dubitet omnem malam concupiscentiam rectè fornicationem vocari, quando anima neglectâ superiore lege qua regitur, inferiorum naturarum turpi voluptate, quasi mercede, prostituta corrumpitur? Et ideo quisquis carnalem delectationem adversùs rectam voluntatem suam rebellare sentit per consuetudinem peccatorum, cujus [g] indomitæ violentiâ trahitur in captivitatem, recolat quantum potest qualem pacem peccando amiserit, & exclamet, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum. Ita enim cùm se infelicem exclamat, lugendo implorat consolatoris auxilium. NEC PARVUS EST ad beatitudinem accessus, cognitio infelicitatis suæ: & ideo, *Beati* etiam *lugentes; quoniam ipsi consolabuntur.*

g

Col. 3. 5. Eph. 5. 5.

Rom. 7.24.

Matth. 5.5.

CAPUT XIII. *Matth. 5. 29.*

37. DEINDE sequitur, & dicit: *Si autem oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Hîc verò magna opus est fortitudine ad membra præcidenda. Quidquid enim est quod significat oculus, sine dubio tale est quod vehementer diligitur. Solet enim & ab eis qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici, Diligo eum ut oculos meos, aut etiam plus quàm oculos meos. Quod autem additum est, *dexter*, fortasse ad augendam vim dilectionis valet. Quamquam enim ad videndum isti oculi corporis communiter intendantur, & si ambo intendantur, æqualiter possint; amplius tamen formidant homines dextrum amittere. Ut iste sit sensus, Quidquid illud est quod ita diligis, ut pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem,

a In omnibus propè MSS *planè*.
b Editi Mar. & Lov. ceteris libris refragantibus, *si tam.*
c MSS. decem, *corporalium.*
d Sic MSS. & Mar. At Am Er. & Lov. *sine justa defensione punitur.*
e Sic Am. Er. & MSS. uno tantùm excepto. At Mar. & Lov. *ante consensionem.*
f Am. Er. & Lov. *potestatem.* MSS. consentiente Mar. *pacem.*
g In decem MSS. *indomitâ.*

erue illud, & projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum horum, quæ ita diligis ut tamquam membra tibi hæreant, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

38. Sed quoniam sequitur de manu dextera, & similiter dicitur, *Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam:* cogit quærere diligentiùs, quid dixerit oculum. In qua quæstione nihil mihi occurrit congruentius, quàm dilectissimum amicum; nam hoc est utique quod membrum rectè possumus appellare, quod vehementer diligimus: & hunc consiliarium; quia oculus est, tamquam demonstrans iter; & in rebus divinis, quia dexter est: ut sinister sit dilectus quidem consiliarius, sed in rebus terrenis ad necessitatem corporis pertinentibus; de quo scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec dextro parcendum sit. In rebus autem divinis consiliarius scandalizans est, si in aliquam pernicios am hæresim nomine religionis atque doctrinæ conatur inducere. Ergo & dextera manus accipiatur dilectus adjutor & minister in divinis operibus: nam quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu rectè actio intelligitur: ut sinistra manus intelligatur in operibus quæ huic vitæ & corpori sunt necessaria.

v. 30.

CAPUT XIV. *Matth. 5. 31.*

39. DICTUM *est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudij.* Hæc justitia minor est Pharisæorum, cui non est contrarium quod Dominus dicit, *Ego autem dico vobis, quicumque dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari; & qui solutam à viro duxerit, mœchatur.* Non enim qui præcepit dari libellum repudij, hoc præcepit, ut uxor dimittatur: sed *Qui dimiserit*, inquit, *det illi libellum repudij*: ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsivit, significavit quantum potuit duris hominibus, se nolle discidium. Et ideo ipse Dominus alio loco de hoc interrogatus, ita respondit: Hoc Moyses propter duritiam vestram fecit. Quantumvis enim durus esset, qui vellet dimittere uxorem, cùm cogitaret libello repudij dato jam sine periculo eam posse nubere alteri, facilè placaretur. Dominus ergo ad illud confirmandum ut non facilè uxor dimittatur, solam caussam fornicationis excepit: ceteras verò universas molestias, si quæ fortè exstiterint, jubet pro fide conjugali & pro castitate fortiter sustineri; & mœchum dicit etiam virum, qui eam duxerit, quæ soluta est à viro. Cujus rei apostolus Paulus terminum ostendit, quia tamdiu observandum dicit, quamdiu vir ejus vivit: illo autem mortuo, dat nubendi licentiam. Hanc enim etiam ipse regulam tenuit, & in ea non suum consilium, sicut in nonnullis monitis, sed præceptum Domini jubentis ostendit, cùm ait, Eis autem qui sunt in » conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem à viro non discedere; quòd si discesserit, » manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir » uxorem non dimittat. Credo, simili formâ, ut si dimiserit non ducat aliam, aut reconcilietur uxori. Fieri enim potest ut dimittat uxorem caussâ fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Jam verò si nec illi nubere conceditur vivo viro à quo recessit, neque huic alteram ducere viva uxore quam dimisit; multò minùs fas est illicita cum quibusli-

v. 32.

Rom. 7. 2.

1.Cor. 7. 10.

a Sic MSS. & editi, præter Mar. & Lov. qui habent, *immortalitate.*

A bet stupra committere. Beatiora sanè conjugia judicanda sunt, quæ sive filiis procreatis, sive etiam ista terrena prole contemta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint: quia neque contra illud præceptum fit, quo Dominus dimitti conjugem vetat; non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritaliter vivit: & illud servatur, quod per Apostolum dicitur, Reliquum est, ut qui habent uxores, quasi non habentes sint.

1.Cor.7.29.

40. ILLUD magis solet sollicitare animum parvulorum, qui tamen secundùm præcepta Christi jam vivere gestiunt, quod alio loco ipse Dominus dicit, Quisquis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. Videri enim potest contrarium minùs intelligentibus, quòd hîc vetat dimitti uxorem, exceptâ caussâ fornicationis, alibi verò discipulum suum negat esse posse quemquam qui non oderit uxorem. Quod si propter concubitum diceret, non etiam patrem, & matrem, & fratres in eadem conditione poneret. Sed quàm verum est, quòd regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Quanta enim vi opus est, ut homo diligat inimicos, & oderit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres? Utrumque enim jubet, qui ad regnum cælorum vocat. Et quomodo hæc non sint contraria inter se, ipso duce ostendere facilè est; sed ea intellecta implere difficile: quamquam & hoc eodem ipso adjuvante facillimum. Regnum enim æternum quò discipulos suos, quos etiam fratres appellat, vocare dignatus est, non habet hujusmodi necessitudines temporales. Non enim est Judæus, neque Græcus, neque masculus, neque femina, neque servus, neque liber: sed omnia & in omnibus Christus. Et ipse Dominus dicit, In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, sed erunt sicut Angeli Dei in cælis. Oportet ergo ut quisquis illius regni vitam jam hîc meditari voluerit, oderit non ipsos homines, sed istas necessitudines temporales, quibus ista quæ transitura est vita fulcitur, quæ nascendo & moriendo peragitur: quod qui non odit, nondum amat illam vitam ubi nulla erit conditio nascendi atque moriendi, quæ copulat terrena conjugia.

CAPUT XV. Prohibitio dimittendi uxorem conciliatur cum *Luca 14. 26.*

Gal. 3. 28. Colos. 3. 11. Matt. 22. 30.

41. Itaque si aliquem bene Christianum, qui tamen habet uxorem, quamvis cum ea adhuc filios generet, interrogem, utrùm in illo regno habere velit uxorem; memor utique promissorum Dei & vitæ illius, ubi corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem; jam magno vel certè aliquo amore suspensus, cùm exsecratione respondebit, se vehementer id nolle. Rursus si interrogem, utrùm uxorem suam post resurrectionem accepta angelica [a] immutatione quæ sanctis promittitur, secum ibi vivere velit; tam vehementer se id velle quàm illud nolle respondebit. Sic invenitur bonus Christianus diligere in una femina creaturam Dei, quam reformari & renovari desiderat; odisse autem conjunctionem copulationemque corruptibilem atque mortalem: hoc est, diligere in ea quod homo est, odisse quod uxor est. Ita etiam diligit inimicum, non inquantum inimicus est, sed inquantum homo est; ut hoc ei velit provenire quod sibi, id est ut ad regnum cælorum correctus renovatusque

1. Cor. 15. 54.

a

V. 1. Retr. 19. n. 5.

perveniat. Hoc & de patre & de matre & ceteris vinculis sanguinis intelligendum est, ut in eis oderimus quod genus humanum nascendo & moriendo sortitum est, diligamus autem quod nobiscum potest ad illa regna perduci, ubi nemo dicit, Pater meus; sed omnes uni Deo, Pater noster: nec, Mater mea; sed omnes illi Jerusalem, Mater nostra: nec Frater meus; sed omnes de omnibus, Frater noster: conjugium verò cum illo simul nobis in unum redactis, quasi unius conjugis erit, qui nos de prostitutione hujus sæculi sui sanguinis effusione liberavit. Necesse est ergo ut oderit ea quæ transeunt discipulus Christi, in iis quos secum ad ea venire desiderat, quæ semper manebunt; & tantò magis hæc in eis oderit, quantò magis eos diligit.

42. Potest igitur Christianus cum conjuge concorditer vivere; sive indigentiam carnalem cum ea supplens, quod secundùm veniam, non secundùm [a] imperium dicit Apostolus; sive filiorum propagationem, quòd jam nonnullo gradu potest esse laudabile; sive fraternam societatem, sine ulla corporum commixtione, habens uxorem tamquam non habens, quod est in conjugio Christianorum excellentissimum atque sublime: ut tamen oderit in ea [b] nomen temporalis necessitatis, & diligat spem sempiternæ beatitudinis. Odimus enim sine dubio, quod certè ut aliquando non sit optamus, sicut istam ipsam præsentis sæculi vitam, quam temporalem si non odissemus, non desideraremus futuram, quæ non est tempori obnoxia. Pro hac enim vita posita est anima, de qua ibi dictum est, Qui non oderit insuper & animam suam, non potest esse meus discipulus. Huic namque vitæ cibus est necessarius iste corruptibilis, de quo ipse Dominus dicit, Nonne anima plus est quàm esca: id est, hæc vita cui necessaria est esca? Et quod dicit, ut animam suam ponat pro ovibus suis: hanc utique vitam dicit, cùm se pro nobis moriturum esse pronuntiat.

1. Cor. 7. 6.

Luc. 14. 26.

Matth. 6. 25.

Johan. 10. 15.

CAPUT XVI. Fornicatio cujus causâ uxor repudiari permittitur, quatenus intelligenda.

43. EXORITUR hîc altera quæstio, cùm Dominus causâ fornicationis permittat dimitti uxorem, quatenus hoc loco intelligenda sit fornicatio, utrùm quousque intelligunt omnes, id est, ut eam fornicationem credamus dictam quæ in stupris committitur: an quemadmodum Scripturæ solent fornicationem vocare, sicut suprà dictum est, omnem illicitam corruptionem, sicut est idololatria vel avaritia, & ex eo jam omnis transgressio legis propter illicitam concupiscentiam. Sed consulamus Apostolum, ne aliquid temere dicamus: His qui sunt in conjugio, inquit, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Potest enim fieri ut discedat eâ causâ, qua Dominus permittit. Aut si feminæ licet virum dimittere etiam præter causam fornicationis, & non licet viro; quid respondebimus de hoc quod dixit posterius, Et vir uxorem ne dimittat? Quare non addidit, excepta causa fornicationis, quod Dominus permittit: nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit, (quod causâ fornicationis permittitur) maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori? Non enim malè reconciliaretur vir illi mulieri, quam cùm lapidare nemo ausus esset, dixit ei Dominus, Vade, & vide deinceps ne pecces. Quia & qui dicit, Non licet dimittere uxorem nisi causâ fornicationis; cogit retinere uxorem, si causâ fornicationis non fuerit: si autem fuerit, non cogit dimittere, sed permittit: sicut dicitur, Non liceat mulieri nubere alteri, nisi mortuo viro? si ante viri mortem nupserit, rea est; si post viri mortem non nupserit, non est rea: non enim jussa est nubere, sed permissa. Si ergo par forma est in isto jure conjugij inter virum & mulierem, usque adeo ut non tantùm de femina idem Apostolus dixerit, Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; sed etiam de illo non tacuerit dicens, Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: si ergo similis forma est, non oportet intelligi licere mulieri virum dimittere, nisi causâ fornicationis, sicut & viro.

1. Cor. 7. 10. & 11.

1. Cor. 7. 4.

44. Considerandum est itaque quatenus fornicationem intelligere debeamus, & consulendus, ut cœperamus, Apostolus. Sequitur enim & dicit, Ceteris autem ego dico, non Dominus. Hîc primò videndum est quibus ceteris: dicebat enim superiùs ex Domini persona iis qui sunt in conjugio, nunc verò ex sua persona ceteris dicit: ergo fortasse iis qui non sunt in conjugio: sed non hoc sequitur. Ita enim subjungit, Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Ergo etiam nunc iis dicit qui sunt in conjugio. Quid sibi ergo vult quod ait, ceteris: nisi quia superiùs eis loquebatur, qui sic copulati erant, ut pariter in fide Christi essent; ceteris verò nunc dicit, id est eis, qui sic copulati sunt, ut non ambo fideles sint? Sed quid eis dicit? Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Si ergo non præcipit ex Domini persona, sed ex sua persona monet, ita est hoc bonum, ut si quis aliter fecerit, non sit præcepti transgressor: sicut de virginibus paulò pòst dicit, præceptum Domini se non habere, consilium autem dare; atque ita laudat virginitatem, ut arripiat eam qui voluerit, non tamen ut si non fecerit, contra præceptum feciisse judicetur. Aliud enim est quod jubetur, aliud quod monetur, aliud quod ignoscitur. Jubetur mulier à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: aliter ergo non licet facere. Monetur autem vir fidelis, si habet uxorem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere: licet ergo & dimittere: quia non est præceptum Domini, ne dimittat, sed consilium Apostoli: sicut monetur virgo non nubere; sed si nupserit, consilium quidem non tenebit, sed contra præceptum non faciet. Ignoscitur cùm dicitur, Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium. Quapropter si licet ut dimittatur conjunx infidelis, quamvis melius sit non dimittere, & tamen non licet secundùm præceptum Domini ut dimittatur conjunx nisi causâ fornicationis, fornicatio est etiam ipsa infidelitas.

Ibidem 12.

Ibidem 25.

Ibidem 6.

45. Quid enim tu dicis Apostole? Certè ut vir fidelis consentientem secum habitare mulierem infidelem non dimittat. Ita, inquit. Cùm ergo hoc & Dominus præcipiat, ne dimittat vir uxorem, nisi causâ fornicationis, quare hîc dicis, Ego dico, non Dominus? Quia scilicet idololatria quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit causâ fornicationis uxorem dimitti: sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quò sic fortasse possit fieri fidelis. Sanctificatus est enim, inquit, vir infidelis in uxore; [a] & sanctificata est mulier infidelis in fratre. Credo jam provenerat ut nonnullæ feminæ per viros fideles, & viri per uxores fideles in fidem venirent; & quamvis non dicens nomina, exemplis tamen hortatus est, ad confirmandum consilium suum. Deinde sequitur, Alioquin filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. Jam enim erant parvuli Christiani, qui sive auctore uno ex parentibus, sive utroque consentiente sanctificati erant: quod non fieret, si uno credente dissociaretur conjugium, & non toleraretur infidelitas conjugis usque ad opportunitatem credendi. Hoc est ergo consilium ejus, cui credo dictum esse, Si quid supererogaveris, rediens redam tibi.

Johan. 8. 11.

Ibidem 14.

Luc. 10. 35.

46. Porrò si infidelitas fornicatio est, & idololatria infidelitas, & avaritia idololatria, non est dubitandum & avaritiam fornicationem esse. Quis ergo jam quamlibet illicitam concupiscentiam potest rectè à fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quòd propter illicitas concupiscentias, non tantùm quæ in stupris cum alienis viris aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore malè utentem à lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè turpiterque corrumpi, possit sine crimine & vir uxorem dimittere, & uxor virum: quia exceptam facit Dominus causam fornicationis; quam fornicationem, sicut suprà consideratum est, generalem & universalem intelligere cogimur.

47. Cùm autem ait, *excepta causâ fornicationis*: non dixit cujus ipsorum, viri an feminæ. Non enim tantùm fornicantem uxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque uxorem dimittit, à qua ipse cogitur fornicari, causâ fornicationis utique dimittit. Velut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causâ fornicationis dimittit, non tantùm illius, sed & suæ: illius, quia fornicatur; suæ, ne fornicetur. Nihil autem iniquius, quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud, In quo enim alterum judicas, temetipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas. Quapropter quisquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus: quod similiter etiam de femina dixerim.

Rom. 2. 1.

48. Quod autem dicit, *Quisquis solutam à viro duxerit, mœchatur*, quæri potest, utrùm quomodo mœchatur ille qui ducit, sic & illa quam ducit. Jubetur enim & illa manere innupta, aut viro reconciliari: sed si discesserit, inquit, à viro. Multùm autem interest utrùm dimittat, an dimittatur. Si enim ipsa virum dimiserit, & alteri nupserit; videtur cupiditate mutandi conjugij virum priorem reliquisse, quæ sine dubio adulterina cogitatio est. Si autem dimittatur à viro, cum quo esse cupiebat; mœchatur quidem qui eam duxerit secundùm Domini sententiam, sed utrùm & ipsa tali crimine teneatur, incertum est. Quamvis multò minùs inveniri possit, quomodo cùm vir & mulier pari consensu sibi misceantur, unus eorum mœchus sit, & non sit alter. Huc accedit, quia si mœchatur ille ducendo eam quæ soluta est à viro, quamquam non dimiserit, sed dimissa sit, ipsa eum facit mœchari, quod nihilo minùs Dominus vetat. Ex quo colligitur, sive dimissa fuerit, sive dimiserit, oportere illam manere innuptam, aut viro reconciliari.

1. Cor. 7. 11.

Matth. 5. 32.

49. Rursum quæritur, utrùm si uxoris permissu, sive sterilis, sive quæ concubitum pati non vult, adhibuerit sibi alteram vir, non alienam, neque à viro sejunctam, possit esse sine crimine fornicationis? Et in historia quidem veteris Testamenti invenitur exemplum: sed nunc præcepta majora sunt, in quæ per illum gradum generatio humana pervenit: tractanda illa sunt ad distinguendas ætates dispensationis divinæ providentiæ, quæ humano generi ordinatissimè subvenit; non autem ad vivendi [b] regulas usurpandas. Sed tamen utrùm quod ait Apostolus, Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: possit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, nec à viro disjuncta, concumbere: sed non ita est existimandum, ne hoc etiam femina, viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.

1. Cor. 7. 4.

Historia.

50. Quamquam nonnullæ causæ possint existere, ubi & uxor, mariti consensu, pro ipso mario hoc facere debere videatur: sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante * quinquaginta fermè annos, Constantij temporibus. Nam Acyndinus tunc præfectus, qui etiam consul fuit, cùm quemdam libræ auri debitorem fisci exigeret, nescio unde commotus, quod plerumque in istis potestatibus periculosum est, quibus quod libet licet, aut potiùs putatur licere, comminatus est jurans & vehementer affirmans, quòd si certo die quem constituerat memoratum aurum non exsolveret, occideretur. Itaque cùm ille teneretur immani custodiâ, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere & propinquare cœpit. Et fortè habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius pecuniæ qua subveniret viro: cujus mulieris pulcritudine cùm quidam dives esset accensus, & cognovisset maritum ejus in illo discrimine constitutum, misit ad eam pollicens pro una nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tum illa quæ se sciret non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eum dicens, paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse conjugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tamquam de re sua pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias, & ut id fieret imperavit, nullo modo judicans adulterinum esse concubitum, quòd & libido nulla & magna mariti caritas se jubente & volente flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus nonnisi marito dedit, non concumbere, ut solet, sed vivere cupienti. Accepit aurum: sed ille qui dedit, fraude subtraxit quod dederat, & supposuit simile ligamentum cum terra. Quod ubi mulier jam domi suæ posita invenit, prosiluit in publicum eadem mariti caritate clamatura quod fecerat, qua facere coacta est: interpellat præfectum,

* *Circiter Christi annum 343. quippe hoc scribebat sub an. 393.*

[a] In omnibus MSS. *non secundùm debitum.*
[b] Am. Er. & Lov. *oderit in ea omnes temporalis necessitates.* At MSS. *oderit in ea nomen temporalis necessitatis*: sic etiam Mar. ubi loco *necessitatis*, legendum videtur, *necessitudinis.*

[a] Editi, *in uxore fideli*: & paulò post, *in fratre fideli.* At MSS. in utroque loco carent voce, *fideli*: quæ ab Apostoli Græco textu abest; nec in Latino erat, teste Augustino infrà cap. 22.
[b] In Corbeiensi cod. *ad vivendi regulam usurpanda.*

fatetur omnia, quam fraudem passa esset ostendit. Tum verò præfectus primò se reum, quòd suis minis ad id ventum esset, pronuntiat, tamquam in alium sententiam dicens, de Acyndini bonis auri libram fisco inferendam; illam verò mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hinc in aliquam partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit: non enim de divinis auctoritatibus depromta historia est: sed tamen narrato facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere viro jubente commissum est, quemadmodum antea cùm sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Sed in hoc Evangelij capitulo nihil fortius considerandum est, quàm tantum malum esse fornicationis, ut cùm tanto vinculo sibi conjugia constringantur, hæc una caussa solutionis excepta sit. quæ sit autem fornicatio, jam tractatum est.

CAPUT XVII. *Matth. 5.* v. 33. 51. * ITERUM, inquit, *audistis quia dictum est antiquis, Non pejerabis, reddes autem Domino juramentum tuum.* * *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est;* * *neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Ierosolymam, quia civitas est magni regis;* * *neque per caput tuum juraveris, quia non potes facere capillum unum album aut nigrum.* * *Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem amplius est, à malo est.* Justitia Pharisæorum est, non pejerare: hanc confirmat qui vetat jurare, quod pertinet ad justitiam regni cælorum. Sicut enim falsum loqui non potest qui non loquitur, sic pejerare non potest qui non jurat. Sed tamen quoniam jurat qui adhibet testem Deum, diligenter considerandum est hoc capitulum, ne contra præceptum Domini Apostolus fecisse videatur, qui sæpe hoc modo juravit, cùm dicit, Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior: & iterum, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quia non mentior. Tale est etiam illud, Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filij ejus, quomodo sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Nisi fortè quis dicat tunc habendam esse jurationem, cùm per aliquid dicitur per quod juratur: ut non juraverit, quia non dixit, Per Deum; sed dixit, Testis est Deus. Ridiculum est hoc putare: tamen propter [a] contentiosos aut multum tardos, ne aliquid interesse quis puter, sciat etiam hoc modo jurasse Apostolum dicentem, Quotidie morior, per vestram gloriam. Quod ne quis existimet ita dictum, tamquam si diceretur, Vestra gloria me facit quotidie mori; sicut dicitur, Per illius magisterium doctus factus est, id est, illius magisterio factum est ut perfectè doceretur: Græca exemplaria dijudicant, in quibus scriptum est, ὑπὲρ ὑμῶν καύχησιν ἡμετέραν, quod nonnisi à jurante dicitur. Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrenet se quantum potest, ut non eâ utatur, nisi necessitate, cùm videt pigros esse homines ad credendum, quod eis utile est credere, nisi juratione [b] firmentur. Ad hoc itaque pertinet quod sic dicitur, *Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non:* hoc bonum est, & appetendum.

Gal. 1. 20. *2. Cor. 11. 31.* *Rom. 1. 9.* *1. Cor. 15. 31.*

[a] In undecim MSS. *propter calumniosos aut multùm tardiores.*

Quod autem amplius est, à malo est: id est, si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades: quæ infirmitas utique malum est, unde nos quotidie liberari deprecamur, cùm dicimus, Libera nos à malo. Itaque non dixit, Quod autem amplius est, malum est; tu enim non malum facis, qui bene uteris juratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria est, ut alteri persuadeas quod utiliter suades: sed *à malo est*, illius cujus infirmitate jurare cogeris. Sed nemo novit nisi qui expertus est, quàm sit difficile & consuetudinem jurandi exstinguere, & numquam temere facere quod nonnumquam facere necessitas cogit. *Matth. 6. 13.*

52. Quæri autem potest, cùm diceretur, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, cur additum sit; *neque per cælum, quia thronus Dei est:* & cetera usque ad id quod dictum est, *neque per caput tuum.* Credo propterea, quia non putabant Judæi se teneri jurejurando, si per ista jurassent: & quoniam audierant, *Reddes autem Domino jusjurandum tuum*; non se putabant Domino debere jusjurandum, si per cælum aut terram, aut per Jerosolymam, aut per caput suum jurarent: quod non vitio præcipientis, sed illis malè intelligentibus, factum est. Itaque Dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quisque pejerandum arbitretur: quando à summis usque ad ima divinâ providentiâ creata regantur, incipiens à throno Dei usque ad capillum album aut nigrum. *Neque per cælum*, inquit, *quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est:* id est, cùm juras per cælum aut terram, non te arbitreris non debere Domino jusjurandum tuum; quia per eum jurare convinceris cujus cælum thronus est, & cujus scabellum terra est. *Neque per Ierosolymam, quia civitas est magni regis:* melius quàm si diceret, mea; cùm tamen hoc dixisse intelligatur. Et quia ipse utique Dominus est, Domino jusjurandum debet, qui per Jerosolymam jurat. *Neque per caput tuum juraveris.* Quid enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari, quàm caput suum? Sed quomodo nostrum est, ubi potestatem faciendi unius capilli albi aut nigri non habemus? Ergo Deo debet jusjurandum ineffabiliter tenenti omnia, & ubique præsenti, quisquis etiam per caput suum jurare voluerit: & hîc etiam cetera intelliguntur, quæ omnia utique dici non poterant, sicut illud commemoravimus dictum ab Apostolo, Quotidie morior per vestram gloriam. Quam jurationem ut Domino se debere ostenderet, addidit, quam habeo in Christo Jesu. *Matth. 5. 34. &c.* *1. Cor. 2. 15.* *Gen. 3. 19.*

53. Verumtamen propter carnales dico, non oportet opinari quod dictum est cælum thronus Dei, & terra scabellum pedum ejus, quòd sic habeat Deus collocata membra in cælo & in terra, ut nos cùm sedemus: sed illa sedes judicium significat: & quoniam in hoc universo mundi corpore maximam speciem cælum habeat, & terra minimam; tamquam præsentior sit excellenti pulcritudini vis divina, minimam verò ordinet in extremis atque in infimis, sedere in cælo dicitur terramque calcare. Spiritaliter autem sanctas animas cæli nomen significat; & terræ, peccatrices: & quoniam spiritalis omnia judicat, ipse autem à nemine judicatur, convenienter dicitur sedes Dei: peccator verò cui dictum est, Terra es, & in terram ibis; quia per justitiam meritis digna tribuentem, in infimis

[b] In tribus MSS. *firmetur.*

ordinatur, & qui in lege manere noluit, sub lege [a] punitur, congruenter accipitur scabellum pedum ejus.

a

CAPUT XVIII. 54. SED jam ut istam quoque concludamus summam, quid laboriosius & operosius dici aut cogitari potest, ubi omnes nervos industriæ suæ animus fidelis exerceat, quàm in vitiosa consuetudine superanda? præcidat membra impedientia regnum cælorum, nec dolore frangatur: toleret in conjugali fide omnia, quæ quamvis sint molestissima, crimen tamen illicitæ corruptionis, id est, fornicationis non habent: veluti si uxorem quisque habeat, sive sterilem, sive deformem corpore, sive debilem membris, vel cœcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis & doloribus languoribusque confectam, & quidquid excepta fornicatione cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat; neque solùm talem non abjiciat, sed etiam si non habeat, non ducat eam quæ soluta est à viro, pulcram, sanam, divitem, fecundam. Quæ si facere non licet, multò minùs sibi licere arbitretur ad ullum alium illicitum concubitum accedere: fornicationemque sic fugiat, ut ab omni turpi corruptione sese extrahat. Verum loquatur, neque id jurationibus crebris, sed morum probitate commendet: rebellantes adversùm se omnium malarum consuetudinum innumerabiles turbas, de quibus ut omnes intelligerentur, paucæ commemoratæ sunt, confugiens ad arcem Christianæ militiæ, tamquam de loco superiore prosternat. Sed quis tantos labores inire audeat, nisi qui sic flagrat amore justitiæ, ut tamquam fame & siti vehementissimè accensus, & nullam sibi vitam donec eâ satietur existimans, vim faciat in regnum cælorum? Non enim aliter esse poterit fortis ad toleranda omnia, quæ in præcidendis consuetudinibus laboriosa & ardua & omnino difficilia sæculi hujus amatores putant. *Beati* ergo *qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* *Matth. 5. 6.*

55. Verumtamen in his laboribus cùm quisque difficultatem patitur, & per dura & aspera gradum faciens circumvallatus variis tentationibus, & hinc atque hinc insurgere præteritæ vitæ [b] moles intuens, timet ne aggressa implere non possit, arripiat consilium, ut auxilium mereatur. Quod est autem aliud consilium nisi ut infirmitatem aliorum ferat, & ei quantum potest opituletur, qui suæ divinitus desiderat subveniri? Consequenter itaque præcepta misericordiæ videamus. Mitis autem & misericors unum videntur: sed hoc interest, quòd mitis, de quo superiùs tractatum est, pietate non contradicit divinis sententiis, quæ in sua peccata proferuntur, neque illis Dei sermonibus quos nondum intelligit; sed nullum benefieium præstat ei, cui non contradicit nec resistit: misericors autem ita non resistit, ut propter ejus correctionem id faciat, quem redderet resistendo pejorem.

b

CAPUT XIX. *Matth. 5.* v. 38. 56. SEQUITUR ergo Dominus, & dicit: * *Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, & dentem pro dente.* * *Ego autem dico vobis non resistere adversùs malum: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam,* v. 39. *præbe illi & alteram:* * *& qui voluerit tecum judicio contendere & tunicam tuam tollere, remitte illi & vestimentum:* * *& qui te angariaverit mille passus, vade* v. 41. *cum illo alia duo.* * *Omni petenti te da, & qui voluerit à te mutuari, ne aversatus fueris.* Pharisæorum justitia minor est, non excedere in vindicta modum, ne plus rependat quisque quàm accepit. & magnus hic gradus est. Nemo enim facilè invenitur qui pugno accepto pugnum reddere velit; & uno à conviciante verbo audito, unum & quod tantumdem valeat referre contentus sit: sed sive irâ perturbatus immoderatiùs vindicat; sive quia justum putat, eum qui læsit prior graviùs lædi, quàm læsus est qui non læserat. Talem animum magna ex parte refrenavit lex, in qua scriptum est, *Oculum pro oculo, & dentem pro dente:* quibus nominibus significatur modus, ut injuriam vindicta non transeat. Et hæc est pacis inchoatio: perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam.

57. Inter illud ergo primum quod præter legem est, ut majus malum pro minore malo reddatur, & hoc quod Dominus perficiendis discipulis dixit, ne pro malo ullum malum reddatur; medium quemdam locum tenet, ut tantum reddatur quantum acceptum est, per quod à summa discordia ad summam concordiam pro temporum distributione transitus factus est. Quisquis ergo malum infert prior studio lædendi & nocendi, vide quantùm distet ab eo qui nec læsus rependit. Quisquis autem nulli prior malè fecit, sed tamen læsus rependit gravius, vel voluntate vel facto, recessit aliquantùm à summa iniquitate, & processit ad summam justitiam, & tamen nondum tenet quod lex quæ per Moysen data est imperavit. Qui ergo tantum reddit quantum accepit, jam donat aliquid: non enim tantam pœnam meretur nocens, quantam ille qui ab eo læsus innocens passus est. Hanc ergo inchoatam, non severam, sed misericordem justitiam ille perficit, qui legem venit implere, non solvere. Duos ergo adhuc gradus qui intersunt intelligendos reliquit, & de ipso summo misericordiæ culmine dicere maluit. Nam est adhuc quod faciat, qui non implet istam magnitudinem præcepti, quæ pertinet ad regnum cælorum; ut non reddat tantum, sed minus, velut pro duobus pugnis unum, aut pro evulso oculo aurem præcidat. Hinc adscendens qui omnino nihil rependerit, propinquat præcepto Domini, nec tamen adhuc ibi est. Parum enim adhuc videtur Domino, si pro malo quod acceperis nihil rependas mali, nisi etiam amplius sis paratus accipere. Quapropter non ait, *Ego autem dico vobis*, non reddere malum pro malo: quamquam hoc etiam magnum præceptum sit; sed ait; *non resistere adversùs malum:* ut non solùm non rependas quod tibi fuerit irrogatum, sed etiam non resistas quo minùs aliud irrogetur. Hoc est enim quod etiam consequenter exponit: *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram:* non enim ait, Si quis te percusserit, noli tu percutere; sed, para te adhuc percutienti. Quod ad misericordiam pertinere, hi maximè sentiunt, qui eis quos multùm diligunt, tamquam filiis vel quibuslibet dilectissimis suis ægrotantibus serviunt vel parvulis vel phreneticis; à quibus multa sæpe patiuntur, & si eorum salus id exigat, præbent se etiam ut plura patiantur, donec vel ætatis vel morbi infirmitas transeat. Quos ergo Dominus medicus animarum, curandis proximis instruebat, quid eos aliud docere posset, nisi ut eorum, quorum saluti consulere vellent, imbecillitates æquo animo tolerarent? OMNIS namque IMPROBITAS ex imbecillitate animi venit: quia nihil innocentius est eo qui in virtute perfectus est.

[a] Arnulfensis cod. *sub lege ponitur.*

[b] Sic MSS. & Mar. At Am. Er. & Lov. *vita molestias.*

58. Quæri autem potest quid sibi velit dextera maxilla. Sic enim in exemplaribus Græcis, quibus major fides habenda est, invenitur : nam multa Latina, maxillam tantùm habent, non etiam dexteram. Facies est autem qua quisque cognoscitur : & legimus apud Apostolum, Toleratis enim
2. Cor. 11. 20. » si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si » quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos » cædit : deinde continuò subjungit, Secundùm ignobilitatem dico : ut exponat quid sit in faciem cædi, hoc est contemni atque despici. Quod quidem non ideo dicit Apostolus, ut illos non sustinerent ; sed ut se magis, qui eos sic diligeret ut seipsum pro eis vellet impendi. Sed quoniam facies non potest dici dextera & sinistra, & tamen nobilitas & secundùm Deum & secundùm hoc sæculum potest esse ; ita distribuitur tamquam in dexteram maxillam & sinistram, ut in quocumque discipulo Christi contemtum fuerit quod Christianus est, multò magis in se contemni paratus sit, si quos hujus sæculi honores habet. Sicut idem Apostolus, cùm in eo persequerentur homines nomen Christianum, si taceret de dignitate quam habebat in sæculo, non præbuerat alteram maxillam, cædentibus dexteram. Non enim dicendo, Civis Romanus sum, Act. 22. 26. non erat paratus hoc in se contemni quod pro minimo habebat, ab eis qui in illo nomen tam pretiosum & salutare contemserant. Numquid enim ideo minùs postea vincula toleravit, quæ civibus Romanis non licebat imponi, aut quemquam de hac injuria voluit accusare ? Et si qui ei propter civitatis Romanæ nomen pepercerunt, non tamen ille ideo non præbuit quod ferirent, cùm eos à tanta perversitate corrigere cuperet patientiâ suâ, quos videbat in se sinistras partes magis quàm dexteras honorare. Illud est enim tantùm adtendendum, quo animo faceret omnia, quàm benevolè & clementer in eos, à quibus ista patiebatur. Nam & pontificis jussu palmâ percussus, quod contumeliosè visus est dicere, cùm ait, Percutiet te
Act. 23. 3. Deus paries dealbate, minùs intelligentibus convicium sonat ; intelligentibus verò prophetia est. Paries quippe dealbatus, hypocrisis est, id est, simulatio sacerdotalem præferens dignitatem, & sub hoc nomine tamquam candido tegmine interiorem quasi luteam turpitudinem occultans. Nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodivit, cùm
Ibidem 4. & 5. ei diceretur, Principi sacerdotum maledicis ? respondit, Nescivi fratres, quia princeps est sacerdotum, scriptum est enim, Principi populi tui non maledices. Ubi ostendit quanta tranquillitate illud di-
Exod. 22. 28. xisset, quod iratus dixisse videbatur, quod tam citò, tam mansuetè respondit, quod ab indignantibus & perturbatis fieri non potest. Et in eo ipso intelligentibus verum dixit, Nescivi quia princeps est sacerdotum : tamquam si diceret, Ego alium scivi principem sacerdotum, pro cujus nomine ista sustineo, cui maledicere fas non est, & cui vos maledicitis, cùm in me nihil aliud quàm ejus odistis nomen. Sic ergo oportet non simulatè ista jactare, sed in ipso corde esse ad omnia præparatum, ut possit canere
Psal. 56. 8. illud Propheticum, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Multi enim alteram maxillam præbere noverunt, diligere verò illum à quo feriuntur ignorant. At verò ipse Dominus, qui utique præcepta quæ docuit primus implevit, percutienti se in maxillam ministro sacerdotis non
John. 18. 23. præbuit alteram ; sed insuper dixit, Si malè locutus sum, exprobra de malo ; si bene, quid me cædis ? « Non tamen ideo paratus corde non fuit, non solùm in alteram maxillam cædi pro salute omnium, sed etiam toto corpore crucifigi.

59. Ergo & illud quod sequitur, *Et qui voluerit tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte illi & vestimentum*, ad præparationem cordis, non ad ostentationem operis præceptum rectè intelligitur. Sed de tunica & vestimento quod dictum est, non in eis solis, sed in omnibus faciendum est, quæ aliquo jure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatum est, quantò magis superflua contemnere convenit ? Verumtamen ea quæ nostra dixi, eo genere includenda sunt, quo Dominus ipse præscribit, dicens, *Si quis vult judicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere*. Omnia ergo illa intelligantur, de quibus judicio nobiscum contendi potest, ita ut à nostro jure in jus illius transeant, qui contendit vel pro quo contendit : sicuti est vestis, domus, fundus, jumentum, & generaliter omnis pecunia. Quod utrùm etiam de servis accipiendum sit, magna quæstio est. Non enim Christianum oportet sic possidere servum, quomodo equum aut argentum : quamquam fieri possit, ut majore pretio valeat equus quàm servus, & multò magis aliquid aureum vel argenteum. Sed ille servus, si rectiùs & honestiùs & ad Deum colendum accommodatiùs abs te domino educatur, aut regitur, quàm ab illo potest qui eum cupit auferre ; nescio utrùm quisquam dicere audeat, ut vestimentum eum debere contemni. Hominem namque homo tamquam seipsum diligere debet, cui ab omnium Domino, sicut ea quæ sequuntur ostendunt, etiam ut inimicos diligat imperatur. Matth. 5. 40.

60. Sanè animadvertendum est, omnem tunicam vestimentum esse, non omne vestimentum tunicam esse. Vestimenti ergo nomen plura significat quàm nomen tunicæ. Et ideo sic dictum esse arbitror, *Et qui voluerit tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte illi & vestimentum* : tamquam si diceret, Qui voluerit tunicam tuam tollere, remitte illi & si quid aliud indumenti habes. Ideo nonnulli *pallium* interpretati sunt, quod Græcè positum est ἱμάτιον.

61. *Et qui te angariaverit*, inquit, *mille passus, vade cum illo alia duo*. Et hoc utique non tam ut pedibus agas, quàm ut animo sis paratus. Nam in ipsa Christiana historia, in qua est auctoritas, nihil tale invenies factum esse à Sanctis, vel ab ipso Domino, cùm in homine quem suscipere dignatus est, vivendi nobis præberet exemplum : cùm tamen omnibus ferè locis eos invenias paratos fuisse æquo animo tolerare quidquid eis improbè fuisset ingestum. Sed verbi gratiâ dictum putamus, *Vade cum eo alia duo* ? an tria compleri voluit, quo numero significatur perfectio ; ut meminerit quisque cùm hoc facit, perfectam se implere justitiam, misericorditer perferendo infirmitates eorum quos vult sanos fieri ? Potest videri propterea etiam tribus exemplis hæc præcepta insinuasse : quorum primum est, si quis te percusserit in maxillam ; secundum, si quis tunicam tollere voluerit ; tertium, si quis mille passus angariaverit : in quo tertio exemplo simplo duplum additur, ut triplum compleatur. Qui numerus hoc loco si non, ut dictum est, significat perfectionem ; illud accipiatur, quod in præcipiendo tamquam tolerabilius incipiens paulatim Matth. 5. 41.

latim creverit, donec perveniret usque ad duplum aliud perferendum. Nam primò præberi voluit alteram maxillam, cùm fuerit dextra percussa, ut minùs perferre paratus sis quàm pertulisti. Quidquid enim dextera significat, & carius est utique quàm id quod sinistra significat : & qui in re cariore aliquid pertulit, si & in viliore perferat, minus est. Deinde illi qui tunicam vult tollere, jubet & vestimentum remitti : quod aut tantumdem est, aut non multò amplius ; non tamen duplum. Tertiò de mille passibus, quibus addenda dicit duo millia, usque ad duplum aliud perferas jubet : ita significans, sive aliquantò minùs quàm jam fuit, sive tantumdem, sive amplius quisque improbus in te esse voluerit, æquo animo tolerandum esse.

CAPUT XX. 62. In his sanè generibus trium exemplorum nullum genus injuriæ prætermissum esse video. Namque omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera dividuntur : quorum alterum est quod restitui non potest ; alterum quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictæ solatium quæri solet. Quid enim prodest quod percussus repercutis ? Numquid propterea illud quod in corpore læsum est, restituitur in integrum ? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat : sanum autem firmumque ista non juvant ; quin potiùs misericorditer perferendam alterius infirmitatem judicat, quàm alieno supplicio suam mitigandam, quæ nulla est.

Vindicta quæ ad correctionem valet, non vexatur. 63. Neque hîc ea vindicta prohibetur, quæ ad correctionem valet : etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam ; nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est ab eo quem correctum esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium quo solent flagrare qui se vindicare desiderant, dilectionis magnitudine superaverit. Non enim metuendum est ne odisse parvulum filium parentes videantur, cùm ab eis vapulat peccans, ne peccet ulteriùs. Et certè perfectio dilectionis ipsius Dei Patris imitatione nobis
Matth. 5. 44. proponitur, cùm in sequentibus dicitur, Diligite » inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & » orate pro eis qui vos persequuntur : & tamen de
Prov. 3. 12. ipso dicitur per Prophetam, Quem enim diligit Dominus, corripit, flagellat autem omnem filium
Luc. 12. 47. quem recipit. Dicit & Dominus, Servus qui nescit » voluntatem domini sui, & facit digna plagis, va» pulabit pauca : servus autem qui scit voluntatem » domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multa. Non ergo quæritur, nisi ut & ille vindicet, cui rerum ordine potestas data est ; & ea voluntate vindicet, qua pater in parvulum filium, quem per ætatem odisse nondum potest. Hinc enim aptissimum exemplum ducitur, quo satis appareat, posse peccatum amore potiùs vindicari, quàm impunitum relinqui : ut illum in quem vindicat non pœnâ miserum, sed correctione beatum velit : paratus tamen, si opus sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata, quem vult esse correctum, sive in eum habeat potestatem coercendi, sive non habeat.

64. Magni autem & sancti viri, qui jam optimè scirent, mortem istam quæ animam dissolvit à corpore, non esse formidandam, secundùm eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt, quòd & viventibus utilis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset, si viverent. Non temere illi judicabant, quibus tale judicium donaverat Deus. Inde est quòd Elias multos morte affecit, & propria manu, & 3. Reg. 18. igne divinitus impetrato : quod & alij multi magni 40. & divini viri eodem spiritu consulendi rebus humanis non temere fecerunt. De quo Elia cùm exemplum dedissent discipuli, Domino commemoran- Luce 9. 54. tes quid ab eo factum sit, ut etiam ipsis daret potestatem petendi de cælo ignem ad consumendum eos, qui sibi hospitium non præberent ; reprehendit in eis Dominus non exemplum Prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus : animadvertens eos non amore correctionem, sed odio desiderare vindictam. Itaque postea quàm eos docuit quid esset diligere proximum tamquam seipsum, infuso etiam Spiritu-sancto, quem decem Act. 2. 2. diebus completis post adscensionem suam de super ut promiserat, misit, non defuerunt tales vindictæ, quamvis multò rariùs quàm in veteri Testamento. Ibi enim ex majore parte servientes timore premebantur : hîc autem maximè dilectione liberi nutriebantur. Nam & verbis apostoli Petri Ananias & uxor ejus, sicut in Actibus Apostolorum legimus, Act. 5. 5. exanimes ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti.

65. Sed si huic libro hæretici* qui adversantur veteri Testamento, nolunt credere, Paulum apostolum quem nobiscum legunt, intueantur dicentem de quodam peccatore, quem tradidit sataнæ 1. Cor. 5. 5. in interitum carnis, ut anima salva sit. Et si nolunt hîc mortem intelligere, (fortasse enim incertum est,) quamlibet vindictam per satanam factam ab Apostolo fateantur : quod non eum odio, sed amore feciste manifestat illud adjectum, ut anima salva sit. Aut in illis libris quibus ipsi magnam tribuunt auctoritatem, animadvertant quod dicimus, ubi scriptum est apostolum Thomam imprecatum cuidam, à quo palmâ percussus esset, atrocissimæ mortis supplicium, animâ tamen ejus commendatâ, ut in futuro ei sæculo parceretur : cujus à leone occisi, à cetero corpore discerptam manum canis intulit mensis, in quibus convivabatur Apostolus. Cui scripturæ licet nobis non credere ; non est enim in catholico canone : illi tamen eam & legunt, & tamquam incorruptissimam verissimamque honorant, qui adversùs corporales vindictas quæ sunt in veteri Testamento, nescio qua cæcitate acerrimè sæviunt, quo animo & qua distributione temporum factæ sint omnino nescientes. * Manichæi.

66. Tenebitur ergo in hoc injuriarum genere, quod per vindictam luitur, iste à [a] Christianis modus, ut acceptâ injuriâ non surgat in odium, sed infirmitatis misericordiâ paratus sit animus plura perpeti ; nec correctionem negligat, qua vel consilio vel auctoritate vel potestate uti potest. Aliud injuriarum genus est quod in integrum restitui potest : cujus duæ species, una ad pecuniam, altera ad operam pertinet. Quapropter illius de tunica & vestimento, hujus de angaria mille passuum & duûm millium exempla subjecta sunt : quia & reddi vestimentum potest ; & quem adjuveris operâ, potest te etiam ipse, si opus fuerit, adjuvare. Nisi fortè ita potiùs distinguendum est, ut prius quod positum est de percussa maxilla, omnia significet quæ sic ingeruntur ab improbis, ut restitui non possint nisi vindictâ : secundum quod positum est de a

[a] MSS. tres, *iste Christianus modus*. Paulò pòst in omnibus ferè MSS. *furgat odium*, prætermissa propositione *in*.

vestimento omnia significet quæ possunt restitui A sine vindicta; & ideo fortè additum est, *Qui voluerit tecum judicio contendere*, quia quod per judicium aufertur, non ea vi putatur auferri, cui vindicta debeatur: tertium verò ex utroque confectum sit, ut & sine vindicta & cum vindicta possit restitui. Nam qui operam indebitam violenter exigit sine ullo judicio, sicut facit qui angariat hominem improbè, & cogit se illicitè adjuvari ab invito, & pœnam improbitatis potest luere, & operam reddere, si hanc ille repetat qui improbum pertulit. In his ergo omnibus generibus injuriarum Dominus docet patientissimum & misericordissimum, & ad plura perferenda paratissimum animum Christiani esse oportere.

67. Sed quoniam parum est non nocere, nisi etiam præstes beneficium quantum potes, consequenter adjungit, & dicit, *Omni petenti te da, &* Matth. 5. 42. *qui voluerit mutuari à te, ne aversatus fueris. Omni petenti*, inquit; non, omnia petenti: ut id des quod dare honestè & justè potes. Quid si enim pecuniam C petat, qua innocentem conetur opprimere? Quid si postremò stuprum petat? Sed ne multa persequar quæ sunt innumerabilia, id profectò dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest: & cui justè negaveris quod petit, indicanda est ipsa justitia, ut non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamvis non semper id quod petit dabis; & aliquando melius aliquid dabis, cùm petentem injusta correxeris.

68. Quod autem ait, *Qui voluerit à te mutuari, ne aversatus fueris*: ad animum referendum est. 2. Cor. 9. 7. Hilarem enim datorem diligit Deus. Mutuatur autem omnis qui accipit, etiam si non ipse soluturus est: cùm enim misericordibus Deus plura restituat, omnis qui beneficium præstat, fœneratur. Aut si non placet accipere mutuantem nisi eum qui accipit redditurus, intelligendum est Dominum duo ipsa genera præstandi esse complexum, Namque aut donamus quod damus benevolè, aut E redditurus commodamus. Et plerumque homines, qui proposito divino præmio donare parati sunt, ad dandum quod mutuum petitur pigri fiunt, quasi nihil recepturi à Deo, cùm rem quæ datur, ille qui accipit exsolvat. Rectè itaque ad hoc beneficij tribuendi genus nos divina hortatur auctoritas dicens, *Et qui voluerit à te mutuari, ne aversatus fueris*: id est, ne propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quia & pecunia tua vacabit, & Deus tibi non redditurus est, cùm homo reddiderit: sed F cùm id ex præcepto Dei facis, apud illum qui hæc jubet, infructuosum esse non potest.

CAPUT XXI. 69. DEINDE adjungit, & dicit: * *Audistis* Matth. 5. v. 43. v. 44. *quia dictum est, Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum.* * *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro* v. 45. *eis qui vos persequuntur:* * *ut sitis filij Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri jubet super bonos* v. 46. *& malos, & pluit super justos & injustos.* * *Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebi-* G v. 47. *tis? nonne & Publicani hoc faciunt?* * *Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? non-* v. 48. *ne & Ethnici hoc ipsum faciunt?* * *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.* Nam sine ista dilectione, qua etiam inimicos & persecutores nostros diligere jubemur, ea quæ superiùs dicta sunt implere quis potest? Perfectio autem misericordiæ, qua plurimùm animæ laboranti consulitur, ultra dilectionem inimici porrigi non potest, & ideo sic clauditur: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.* Ita tamen ut Deus intelligatur perfectus tamquam Deus, & anima perfecta tamquam anima.

70. Gradum tamen esse aliquem in Pharisæorum justitia, quæ ad Legem veterem pertinet, hinc intelligitur, quòd multi homines eos etiam à quibus diliguntur oderunt, sicut luxuriosi filij parentes coercitores luxuriæ suæ: adscendit ergo aliquem gradum qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum. Ejus autem imperio, qui venit Legem implere, non solvere, perficiet benevolentiam & benignitatem, cùm eam usque ad inimici dilectionem perduxerit. Nam ille gradus quamvis nonnullus sit, tam parvus est tamen, ut cum publicanis etiam possit esse communis. Nec quod in Lege dictum est, *Oderis inimicum tuum*, vox jubentis justo accipienda est, sed permittentis infirmo.

71. Oritur hîc sanè nullo modo dissimulanda quæstio, quòd huic præcepto Domini, quo nos hortatur diligere inimicos nostros, & benefacere his qui nos oderunt, & orare pro his qui nos persequuntur, multæ aliæ Scripturarum partes minùs diligenter & sobriè considerantibus videntur adversæ; quia & in Prophetis inveniuntur multæ imprecationes adversùs inimicos, quæ maledictiones putantur: sicut est illud, Fiat mensa eorum in laqueum: & cetera quæ ibi dicuntur. Et illud, Fiant filij ejus pupilli, & uxor ejus vidua: & quæ alia vel suprà vel infrà in eodem Psalmo in personam Judæ per Prophetam dicuntur. Multa alia usquequaque in Scripturis reperiuntur, quæ videantur esse contraria & huic præcepto Domini, & illi Apostolico, quo ait, Benedicite, & nolite maledicere: cùm & de Domino scriptum sit, quòd maledixerit civitatibus, quæ verbum ejus non acceperunt; & memoratus Apostolus, de quodam ita dixerit, Reddet illi Dominus secundùm opera illius.

Præcepto de diligendis inimicis nihil in Scripturis contrarij.

Psal. 68. 23. Psal. 108. 9.

72. Sed hæc facilè solvuntur, quia & Prophetæ per imprecationem quid esset futurum cecinit, non optantis voto, sed spiritu prævidentis: ita & Dominus, ita & Apostolus: quamquam in horum etiam verbis non hoc invenitur quòd optaverint, sed quòd prædixerint. Non enim cùm ait Dominus, Væ tibi Capharnaum, aliud sonat nisi aliquid ei mali eventurum merito infidelitatis: quod futurum Dominus non malevolentiâ optabat, sed divinitate cernebat. Et Apostolus non ait, Reddat; sed, Reddet illi Dominus secundùm opera ejus: quod verbum prænuntiantis est, non imprecantis. Sicut & de illa hypocrisi Judæorum, de qua jam dictum* est, cui eversionem imminere cernebat, dixit, Percutiet te Deus paries dealbate. Prophetæ autem maximè solent figurâ imprecantis futura prædicere, sicut figurâ præteriti temporis ea quæ ventura erant sæpe cecinerunt: sicut est illud, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Non enim dixit, Quare frement gentes, & populi meditabuntur inania: cùm ea non quasi jam transacta meminisset, sed ventura prospiceret. Tale etiam illud est, Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem: & hîc enim non dixit, Dividentsibi vestimenta mea, & super vestimentum meum mittent sortem.

* Suprà cap. 19. n. 58.

Act. 23. 3.

Psal. 2. 1.

Psal. 21. 19.

Nec tamen de his verbis quisquam calumniatur, A nisi qui non sentit varietatem istam figurarum in loquendo nihil veritati rerum minuere, & plurimum addere affectibus animorum.

CAPUT XXII. 1. Johan. 5. 16. 73. SED illud magis urget istam quæstionem, quod dicit Apostolus Johannes, Si quis scit peccare fratrem suum peccatum non ad mortem, postulabit, & dabit illi Dominus vitam qui peccat non ad mortem: est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget. Apertè enim ostendit esse quosdam fratres pro quibus orare non nobis præcipitur, cùm Dominus etiam pro persecutoribus Matth. 5. 44. nostris orare jubeat. Nec ista quæstio solvi potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus, quæ inimicorum persecutione graviora sint. Fratres autem Christianos significari, multis divinarum Scripturarum documentis probari potest. Manifestissimum tamen illud est, quod Apostolus ita ponit, 1. Cor. 7. 14. Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore, & sanctificata est mulier infidelis in fratre. Non enim addidit, nostro: sed manifestum existimavit, cùm C fratris nomine Christianum intelligi voluit, qui infidelem haberet uxorem. Et ideo paulò pòst dicit, Ibidem 15. Quòd si infidelis discedit, discedat: non autem servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi. Peccatum ad mortē. Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse, cùm post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, & adversùs ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur *. Peccatum au- * Suppl. si in hac perversitate si nierit hanc vitam, ex 1. Retr. 19. n. 7. tem non ad mortem est, si quisquam non amorem D Luca 23. 34. à fratre alienaverit, sed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter & Dominus in cruce ait, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: nondum enim Act. 7. 59. gratiæ Spiritus-sancti participes facti societatem sanctæ fraternitatis inierant. Et beatus Stephanus in Actibus Apostolorum orat pro eis à quibus lapidatur; quia nondum Christo crediderant, neque adversùs illam communem gratiam dimicabant. Et Apostolus Paulus propterea credo non orat pro E Alexandro, quia jam frater erat, & ad mortem, id est, invidentiâ fraternitatem oppugnando, peccaverat. Pro his autem qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant, orat ut eis ignoscatur. Sic enim dicit: Alexander ærarius multa mihi 2. Tim. 4. 14. » mala ostendit: reddet illi Dominus secundùm ope- » ra ejus, quem & tu devita: valde enim restitit nostris sermonibus. Deinde subjungit pro quibus » orat, ita dicens: In prima mea defensione nemo » mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis F » imputetur.

74. Ista differentia peccatorum Judam tradentem à Petro negante distinguit: non quia pœnitenti non sit ignoscendum, ne contra illam sententiam Luca 17. 3. Matth. 18. 22. Domini veniamus, qua præcipit semper ignoscendum esse fratri petenti ut sibi frater ignoscat: sed quia illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia & agnoscere & enuntiare Matth. 27. 4. cogatur. Cùm enim dixisset Judas, Peccavi, quòd G tradiderim sanguinem justum; faciliùs tamen desperatione cucurrit ad laqueum, quàm humilitate veniam deprecatus est. Quapropter multum interest quali pœnitentiæ ignoscat Deus. Multi enim multò citiùs se fatentur peccasse, atque ita sibi succensent ut vehementer se peccasse nollent: sed tamen animum ad humiliandum & obterendum cor, implorandamque veniam non deponunt: quam mentis affectionem propter peccati magnitudinem jam de damnatione illos habere credendum est.

75. Et hoc est fortasse peccare in Spiritum-sanctum, id est, per malitiam & invidiam, fraternam oppugnare caritatem post acceptam gratiam Spiritus-sancti, quod peccatum Dominus neque hîc, neque in futuro sæculo dimitti dicit. Unde quæri potest, utrùm in Spiritum-sanctum Judæi peccaverint, quando dixerunt, quòd in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia Dominus expelleret: utrùm hoc in ipsum Dominum dictum accipiamus, quia de se dicit alio loco, Si enim patremfamiliàs Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus? An quoniam de magna invidentia dixerant, ingrati tam præsentibus beneficiis, quamvis nondum Christiani fuerint, tamen propter ipsam invidentiæ magnitudinem in Spiritum-sanctum peccasse credendi sunt? Non enim hoc colligitur de verbis Domini. Quamvis enim eodem loco dixerit, Quicumque enim dixerit verbum nequam adversùs filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum adversùs Spiritum-sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro: tamen videri potest ad hoc eos monuisse, ut accedant ad gratiam, & post acceptam gratiam non ita peccent, ut nunc peccaverunt. Nunc enim in filium hominis dixerunt verbum nequam, & potest eis dimitti, si conversi fuerint, & ei crediderint, & Spiritum-sanctum acceperint: quo accepto si fraternitati invidere, & gratiam quam acceperunt oppugnare voluerint, non eis dimitti, neque in hoc sæculo neque in futuro. Nam si eos sic haberet condemnatos, ut nulla spes illis reliqua esset, non adhuc monendos judicaret, cùm addidit dicens, Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.

Peccare in Spiritum-sanctum.

Matth. 12. 24. Marci 3. 22.

Matth. 10. 25.

Matth. 12. 32.

Ibidem 33.

76. Sic itaque accipiatur diligendos inimicos esse, & benefaciendum his qui nos oderunt, & orandum pro his qui nos persequuntur, ut pro quibusdam etiam fratrum peccatis intelligatur non præceptum esse, ut oremus: ne per imperitiam nostram divina Scriptura, (quòd fieri non potest,) à se dissentire videatur. Sed utrùm sicut pro quibusdam non est orandum, ita etiam contra aliquos orandum sit, nondum satis apparuit. Generaliter enim dictum est, Benedicite, & nolite maledicere: & illud, Nemini malum pro malo reddentes. Pro quo autem non oras, non etiam contra illum oras: potes enim videre certam ejus pœnam, & penitus desperatam salutem, & non quia odisti eum, ideo pro illo non oras; sed quia sentis nihil te posse proficere, & orationem tuam non vis repelli à justissimo judice. Sed quid agimus de his, contra quos oratum à sanctis accepimus, non ut corrigerentur, nam hoc modo potiùs pro ipsis oratum est; sed ad illam ultimam damnationem: non sicut contra Domini traditorem per Prophetam, nam illa, ut dictum est, prædictio futurorum, non optatio supplicij fuit: nec sicut ab Apostolo contra Alexandrum, nam & inde jam satis dictum est: sed sicut in Apocalypsi Johannis legimus Martyres orare ut vindicentur; cùm ille primus Martyr ut lapidatoribus suis ignosceretur, oraverit.

Contra quemquam non esse orandum.

Rom 12. 14.

Ibidem 17.

1. Pet. 3. 9.

Apoc. 6. 10.

Act. 7. 59.

77. Sed hinc non oportet moveri. Quis enim audeat affirmare, cùm illi sancti candidati se vin-

dicari petierint, utrùm contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera & plena justitiæ & misericordiæ vindicta Martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt. Ad cujus eversionem
Rom. 6. 12. nititur Apostolus, dicens, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Destruitur autem & evertitur peccati regnum, partim correctione hominum, ut caro spiritui subjiciatur; partim damnatione perseverantium in peccato, ut ita justitiâ ordinentur, ut justis cum Christo regnantibus, molesti esse non possint. Intuere apostolum Paulum, nonne tibi videtur in seipso Stephanum
1. Cor. 9. 26. martyrem vindicare, cùm dicit, Non sic pugno
» tamquam aerem cædens, sed castigo corpus meum,
» & servituti subjicio? Nam hoc in se utique prosternebat, & debilitabat, & [a] victum ordinabat, unde
a Stephanum ceterosque Christianos fuerat persecutus. Quis ergo convincit, Martyres sanctos non talem suam vindictam à Domino esse deprecatos, cùm etiam finem hujus sæculi, in quo tanta exitia pertulerunt, ad suam vindictam potuerint licenter optare? Quod qui orant, & pro inimicis suis orant
b qui sanabiles sunt, & contra illos [b] non orant qui insanabiles esse voluerunt: quia Deus quoque puniendo illos non est malevolus tortor, sed justissimus ordinator. Sine ulla ergo dubitatione diligamus inimicos nostros, benefaciamus his qui oderunt nos, & oremus pro eis qui nos persequuntur.

CAPUT XXIII. *Matth. 5. 45. Johan. 1. 12.* 78. QUOD autem consequenter positum est, *Ut sitis filij Patris vestri qui in cælis est*, ex illa regula intelligendum est, qua & Johannes dicit, Dedit illis potestatem filios Dei fieri. Unus enim naturaliter Filius est, qui nescit omnino peccare: nos autem potestate accepta efficimur filij, inquantum
Rom. 8. 17. Gal. 4. 5. ea quæ ab illo præcipiuntur implemus. Unde Apostolica disciplina adoptionem appellat, qua in æternam hereditatem vocamur, ut coheredes Christi esse possimus. Filij ergo efficimur regeneratione spiritali, & adoptamur in regnum Dei, non tamquam alieni, sed tamquam ab illo facti & creati: ut unum sit beneficium, quo nos fecit esse per omnipotentiam suam, cùm antè nihil essemus; alterum quo adoptavit, ut cum eo tamquam filij vitâ æternâ pro nostra participatione frueremur. Itaque non ait, Facite ista, quia estis filij; sed, Facite ista, ut sitis filij.

79. Cùm autem ad hoc nos vocat per ipsum Unigenitum, ad similitudinem suam nos vocat. Ille enim, sicut consequenter dicit, *solem suum oriri*
Matth. 5. 45. *facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Sive solem suum non istum carneis oculis visibilem accipias, sed illam sapientiam, de qua dicitur, Candor est enim lucis æternæ: de qua item *Sap. 7. 26.* dicitur, Ortus est mihi justitiæ sol: & iterum, Vo- *Malach. 4. 2.* bis autem qui timetis nomen Domini, orietur sol justitiæ: ut etiam pluviam accipias irrigationem doctrinæ veritatis, quia bonis & malis apparuit, & bonis & malis evangelizatus est Christus. Sive istum solem mavis accipere non solùm hominum, sed etiam pecorum corporeis oculis propalatum; & B istam pluviam qua fructus gignuntur, qui ad refectionem corporis dati sunt: quod probabilius intelligi existimo: ut ille sol spiritalis non oriatur, nisi bonis & sanctis; quia hoc ipsum est, quod plangunt iniqui in illo libro, qui Sapientia Salomonis inscribitur, Et sol non ortus est nobis: & illa plu- *Sap. 5. 6.* via spiritalis non irriget nisi bonos; quia malos significavit vinea, de qua dictum est, Mandabo nu- *Isa. 5. 6.* bibus meis ne pluant super eam. Sed sive hoc sive illud intelligas, magna Dei bonitate fit, quæ no- C bis imitanda præcipitur, si filij Dei esse volumus. Quantum enim hujus vitæ solatium afferat lux ista visibilis, & pluvia corporalis, quis tam ingratus est ut non sentiat? Quod solatium videmus & justis in hac vita & peccatoribus communiter exhiberi. Non autem ait, *qui facit solem oriri super bonos & malos*; sed addidit, *suum*, id est, quem ipse fecit atque constituit, & à nullo aliquid sumsit ut faceret, sicut in Genesi de omnibus luminaribus scri- *Gen. 1. 16.* bitur; qui propriè potest dicere sua esse omnia, D quæ de nihilo creavit: ut hinc admoneremur, quanta liberalitate inimicis nostris ex præcepto ejus prestare debeamus quæ nos non creavimus, sed de muneribus ejus accepimus.

80. Quis autem potest vel paratus esse ab infirmis injurias sustinere, quantum eorum saluti prodest; & malle amplius iniquitatis alienæ perpeti, quàm id quod perpessus est reddere; omni petenti à se aliquid, vel id quod petit, si habetur, & si rectè dari potest, vel consilium bonum, vel benevolum dare animum, nec se avertere ab eo qui E mutuari cupit; diligere inimicos, benefacere his qui se oderunt, orare pro eis qui se persequuntur: quis ergo hæc facit, nisi plenè perfectéque misericors? Quo uno consilio miseria devitatur, opitulante illo qui ait, Misericordiam volo magis quàm sa- *Osee 6. 6.* crificium: *Beati ergo misericordes; quia ipsorum mise-* *Matth. 5. 7.* *rebitur.* Sed jam commodè fieri puto, ut hîc lector tam longo volumine fatigatus respiret aliquantùm, & ad cetera se reficiat in alio libro consideranda.

a Undecim MSS. *vinctum.*

b MSS. duo, *& contra illos orant*, omissa negatione.

LIBER SECUNDUS.

In posteriorem partem sermonis Domini in monte, contentam Matthæi capite sexto & septimo.

1. MISERICORDIAM, usque ad G cujus tractationem liber primus terminum accepit, sequitur cordis mundatio, unde iste sumit exordium. Cordis autem mundatio est, tamquam [a] ocu-
a li quo videtur Deus, cujus simplicis habendi tantam curam esse oportet, quantam ejus rei dignitas flagitat, quæ tali oculo conspici potest. Huic autem oculo magna ex parte mundato difficile est non subrepere sordes aliquas de his rebus, quæ ip-

a Sic MSS. At editi, *tamquam oculus.*

sas bonas nostras actiones comitari solent, veluti A quam merces rectè factorum; sed quia Deo placeest laus humana. Siquidem non rectè vivere, pernicioſum est: rectè autem vivere, & nolle laudari, quid est aliud quàm inimicum esse rebus humanis, quæ utique tantò sunt miseriores, quantò minùs placet recta vita hominum? Si ergo inter quos vivis, te rectè viventem non laudaverint, illi in errore sunt: si autem laudaverint, tu in periculo: nisi tam simplex cor habueris & mundum, ut ea quæ rectè facis non propter laudes hominum facias; magisque illis recta laudantibus gratuleris, quibus B id quod bonum est placet, quàm tibi ipsi; quia rectè viveres, etiam si nemo laudaret: ipsamque laudem tuam tunc intelligas utilem esse laudantibus, si non teipsum in tua bona vita, sed Deum honorent, cujus sanctissimum templum est quisquis vivit be-
Psal. 33. 2. ne: ut illud impleatur quod ait David, In Domino laudabitur anima mea, audiant mites, & jocundentur. Pertinet ergo ad oculum mundum non intueri in rectè faciendo laudes hominum, & ad eas referre quod rectè facis, id est, propterea rectè facere C aliquid, ut hominibus placeas. Sic enim etiam simulare bonum libebit, si non adrenditur nisi ut homo lauder; qui quoniam videre cor non potest, potest etiam falsa laudare. Quod qui faciunt, id est, qui bonitatem simulant, duplici corde sunt. Non ergo habet simplex, id est, mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, & illum solum intuetur, cùm rectè vivit, & ei placere nititur, qui conscientiæ solus inspector est. De cujus conscientiæ puritate quidquid procedit, tantò est laudabilius, quan- D tò humanas laudes minùs desiderat.

Matth. 6. 1. 2. *Cavete ergo*, inquit, *facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis*: id est, cavere hoc animo justè vivere, & ibi constituere bonum vestrum, ut vos videant homines: *alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est*: non si ab hominibus videamini; sed si propterea justè vivatis, ut ab hominibus videamini. Nam ubi erit, quod in principio sermonis hujus dictum est,
Matth. 5. * *Vos estis lumen mundi. Non potest civitas abscondi* E
v. 14. *v. 15.* *super montem constituta:* * *neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut*
v. 16. *luceat omnibus qui in domo sunt.* * *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra.* Sed non ibi constituit finem: addidit enim, *& glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Hîc autem, quia hoc reprehendit, si ibi sit finis rectè factorum, id est, si propterea rectè faciamus, ut tantùm videamur ab hominibus; postea quàm dixit, *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini* F *ab eis*, nihil addidit. In quo apparet, non hoc eum prohibuisse ut rectè fiat coram hominibus, sed ne ob id fortè rectè fiat coram hominibus, ut videamur ab eis, id est, ut hoc intueamur, & ibi finem nostri propositi collocemus.

Gal. 1. 10. 3. Nam & Apostolus dicit, Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: cùm alio loco
1. Cor. 10. 33. dicat, Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo. Quod qui non intelligunt, contrarium putant; cùm ille se dixerit non G placere hominibus, quia non ideo rectè faciebat ut placeret hominibus, sed ut Deo, ad cujus amorem corda hominum volebat convertere, eo ipso quo placebat hominibus. Itaque & non se placere hominibus rectè dicebat, quia in eo ipso ut Deo placeret intuebatur: & placendum esse hominibus rectè præcipiebat, non ut hoc appeteretur tam-

quam merces rectè factorum; sed quia Deo placere non posset, qui non se iis quos salvos fieri vellet præberet imitandum: imitari autem illum qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. Sicut ergo non absurdè loqueretur, qui diceret, In hac opera qua navem quæro, non navem quæro, sed patriam: sic & Apostolus convenienter diceret, In hac opera, qua hominibus placeo, non hominibus, sed Deo placeo; quia non hoc appeto, sed ad id refero ut me imitentur, quos salvos fieri B volo. Sicut dicit de oblatione quæ fit in sanctos, Non quia quæro datum, sed inquiro fructum: id *Philip. 4. 17.* est, Quod quæro datum vestrum, non hoc quæro, sed fructum vestrum. Hoc enim indicio apparere poterat, quantum profecissent in Deum, cùm id libenter offerrent, quod non propter gaudium de muneribus, sed propter communionem caritatis ab eis quærebatur.

4. Quamquam & cùm addit, & dicit, *Alio-* *Matth. 6. 1.* *quin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum,* C *qui in cælis est*, nihil aliud demonstrat, nisi id nos cavere oportere, ne humanam laudem pro nostrorum operum mercede quæramus, id est, eâ nos beatos effici arbitremur.

5. CUM *ergo facis eleemosynam*, inquit, *noli* CAPUT II. *tubà canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synago-* *Matth. 6. 2.* *gis & in vicis, ut glorificentur ab hominibus.* Noli, inquit, sic velle innotescere, ut hypocritæ. Manifestum est autem, hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare. D Sunt enim hypocritæ simulatores, tamquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in Tragœdia, verbi gratiâ, sive alicujus alterius ad historiam vel fabulam quæ agitur pertinentis, verè ipse est; sed simulat cum, & hypocrita dicitur. Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim justum, non exhibet; quia totum fructum in laude hominum ponit, quam possunt etiam simulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni, ab eisque laudantur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedem non accipiunt, nisi fallaciæ supplicium: ab hominibus autem, inquit, *perceperunt mercedem suam*: rectis- *Matth. 7.* simèque his dicetur, Recedite à me operarij dolosi: *23.* nomen meum habuistis sed opera mea non fecistis. Illi ergo perceperunt mercedem suam, qui non ob aliud eleemosynam faciunt, nisi ut glorificentur ab hominibus: non si glorificentur ab hominibus, sed si ideo faciant ut glorificentur, sicut superiùs tractatum est. Laus enim humana non appeti à rectè faciente, sed subsequi debet rectè facientem: ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant; non ut hic putet aliquid eos sibi prodesse, quem laudant.

6. *Te autem faciente eleemosynam, non sciat sinistra* *Matth. 6. 3.* *tua quid faciat dextera tua.* Si intellexeris sinistram infideles dici, videbitur nulla esse culpa, placere fidelibus velle: cùm prorsus nihilo minùs in quorumlibet hominum laude fructum & finem boni operis constituere prohibeamur. Quod autem ad id pertinet ut te imitentur, quibus rectè facta tua placuerint, non tantùm fidelibus, sed etiam infidelibus exhibendum est, ut laudandis bonis operibus nostris Deum honorent, & veniant ad salutem. Si autem sinistram inimicum putaveris, ut nesciat inimicus tuus cùm eleemosynam facis; cur ipse

Dominus inimicis Judæis circumstantibus miseri- A corditer sanavit homines? cur apostolus Petrus sanato eo, quem ad portam speciosam debilem miseratus est, etiam iras inimicorum in se atque in alios Christi discipulos pertulit? Deinde si non oportet scire inimicum, cùm eleemosynam facimus, quomodo cum ipso inimico faciemus, ut illud impleamus præceptum, Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, potum da illi?

Act. 3. 2.

Prov 25.21. Rom.12.20.

7. Tertia solet esse carnalium opinio, tam absurda & ridenda, ut non eam commemorarem, nisi B expertus essem non paucos eo errore detineri, qui dicunt siniſtræ nomine uxorem significari: ut quoniam in re familiari tenaciores pecuniarum solent esse feminæ, lateat eas cùm aliquid misericorditer viri earum egenis impendunt propter domesticas lites. Quasi verò soli viri Christiani sint, & non hoc præceptum etiam feminis datum sit. Cui ergo siniſtræ jubetur femina occultare opus misericordiæ suæ? An etiam vir siniſtra erit feminæ? quod absurdissimè dicitur. Aut si quispiam putat invicem C se huic optimæ voluntati nonnulla etiam laudis vel cujusce rei fragilis & temporalis cupiditas. Sed Dominus noster multò vehementiùs prohiber solam siniſtram in nobis operari, quando etiam misceri eam vetat operibus dexteræ: ut scilicet non modò sola temporalium rerum cupiditate caveamus eleemosynam facere; sed nec ita in hoc opere adtendamus Deum, ut sese misceat vel adjungat exteriorum appetitio commodorum. Agitur enim de corde mundando, quod nisi fuerit simplex, D mundum non erit. Simplex autem quomodo erit si duobus dominis servit, nec una intentione rerum æternarum purificat aciem suam, sed eam mortalium quoque fragiliumque rerum amore obnubilat? *Sit* ergo *eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Rectissimè omnino & verissimè. Si enim præmium ab eo exspectas qui conscientiæ solus inspector est, sufficiat tibi ad promerendum præmium ipsa conscientia. Multa Latina exemplaria sic habent, *Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi palàm:* sed quia E in * Græcis, quæ priora sunt, non invenimus, *palàm*, non putavimus hinc esse aliquid differendum.

Matth. 6. 1.

** Contrà hodie in Græcis invenitur, non in Latinis.*

10. Et *cùm oratis*, inquit, *non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* Neque hîc videri ab hominibus nefas est; sed ideo hæc agere ut videaris ab hominibus: & superfluò toties eadem dicuntur, cùm sit jam una regula custodienda, qua cognitum est, non si hæc sciant homines, F formidandum esse aut fugiendum; sed si hoc animo fiant, ut fructus in eis expetatur placendi hominibus. Servat etiam ipse Dominus eadem verba, cùm adjungit similiter, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam:* hinc ostendens id se prohibere, ne ea merces appetatur, qua stulti gaudent cùm laudantur ab hominibus.

Caput III.

Matth. 6. 5.

11. *Vos autem cùm oratis*, inquit, *introite in cubicula vestra.* Quæ sunt ista cubicula, nisi ipsa corda, quæ in Psalmo etiam significantur, cùm dicitur, Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus G vestris compungimini? *Et claudentes ostia orate*, ait, *Patrem vestrum in abscondito.* Parum est intrare in cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt improbè se immergunt, & interiora nostra appetunt. Foris autem diximus esse omnia temporalia & visibilia, quæ per ostium, id est, per carnalem sensum in cogitationes nostras

v. 6.

Psal. 4. 5.

Matth. 6. 6.

penetrant, & turbâ vanorum phantasmatum oran- A tibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum est, ut oratio spiritalis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abscondito. *Et pater*, inquit, *vester qui videt in abscondito, reddet vobis.* Et hoc tali clausulâ terminandum fuit: non enim hoc monet nunc ut oremus, sed quomodo oremus; neque superiùs, ut faciamus eleemosynam, sed quo animo faciamus: quoniam de corde mundando, præcipit, quod non mundat, nisi una & simplex intentio in B æternam vitam solo & puro amore sapientiæ.

v. 7. 12. *Orantes autem nolite*, ait, *multum loqui, sicut ethnici: arbitrantur enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Sicut hypocritarum est, præbere se spectandos in oratione, quorum fructus est, placere hominibus; ita ethnicorum, id est, gentilium in multiloquio se putare exaudiri. Et re vera omne multiloquium à gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potiùs quàm mundando animo dant operam. Et hoc nugatorij studij genus etiam ad Deum C prece flectendum transferre conantur, arbitrantes sicut hominem judicem verbis adduci in sententiam. *Nolite itaque similes illis esse*, dicit unus & verus magister. *Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, antequam petatis ab eo.* Si enim verba multa ad id proferuntur, ut instruatur & doceatur ignarus, quid eis opus est ad rerum omnium cognitorem, cui omnia quæ sunt, eo ipso quo sunt, loquuntur, seseque indicant facta; & ea quæ futura sunt ejus artem sapientiamque non latent, in qua D sunt & quæ transierunt, & quæ transitura sunt, omnia præsentia, & non transeuntia?

v. 8.

Oratio quare verbis tradita.

13. Sed quoniam, quamvis pauca, tamen verba & ipse dicturus est, quibus nos doceat orare, quæri potest cur vel his verbis paucis opus sit ad eum qui scit omnia antequam fiant, & novit, ut dictum est, quid nobis sit necessarium antequam petamus ab eo? Hîc primò respondetur, non verbis nos agere debere apud Deum, ut impetremus quod volumus, sed rebus quas animo gerimus, & E intentione cogitationis, cum dilectione pura & simplici affectu: sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordemur.

Oratione quid opus sit ad Deum.

14. Sed rursus quæri potest, sive rebus, sive verbis orandum sit, quid opus sit ipsa oratione, si Deus jam novit quid nobis necessarium sit: nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat & purgat, capaciusque efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritaliter nobis infunduntur. Non F enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare suam lucem nobis, non visibilem, sed intelligibilem & spiritalem: sed nos non semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebrarum. Fit ergo in oratione conversio cordis ad eum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit: & in ipsa conversione purgatio interioris oculi, cùm excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis simplicis ferre possit sim- G plicem lucem, [a] divinitus sine ullo occasu aut immutatione fulgentem: nec solùm ferre, sed etiam manere in illa; non tantùm sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo verè ac sinceriter beata vita perficitur.

15. Sed jam considerandum est, quæ nos ora- Caput IV. De Christianæ orationis præfatiuncula. re ille præceperit, per quem & discimus quid oremus, & consequimur quod oramus. * *Sic itaque orate vos*, inquit, *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum:* * *adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra:* * *panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* * *& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* * *& ne nos inferas in tentationem; sed libera nos à malo.* Cùm in omni deprecatione benevolentia conciliando sit ejus, quem deprecamur, deinde dicendum quid deprecemur; laude illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia conciliari, & hoc in orationis principio poni solet: in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere jussit, nisi *Pater noster qui es in cœlis.* Multa enim dicta sunt in laudem Dei, quæ per omnes sanctas Scripturas variè latéque diffusa poterit quisque considerare, cùm legit: nusquam tamen invenitur præceptum populo Israël ut diceret, *Pater noster*, aut ut oraret Patrem Deum; sed Dominus eis insinuatus est, tamquam servientibus, id est, secundùm carnem adhuc viventibus. Hoc autem dico, cùm mandata Legis acciperent, quæ observare jubebantur: nam Prophetæ sæpe ostendunt eumdem Dominum nostrum etiam Patrem eorum esse potuisse, si ab ejus mandatis non aberrarent: sicuti est illud, Filios genui, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me: & illud, Ego dixi, Dij estis, & filij [b] excelsi omnes: & illud, Si Dominus sum, ubi est timor meus? & si Pater sum, ubi est honor meus? Et alia per multa, ubi arguuntur Judæi, quia filij esse peccando noluerunt: exceptis eis quæ in prophetia dicuntur de futuro populo Christiano, quòd Patrem Deum esset habiturus, secundùm illud Evangelicum, Dedit eis potestatem filios Dei fieri: Apostolus autem Paulus dicit, Quamdiu heres parvulus est, nihil distat à servo: & spiritum adoptionis nos accepisse commemorat, in quo clamamus, Abba Pater.

Isai. 1. 2.

Psal. 81. 6.

Malach. 1. 6.

Joan. 1. 12.

Gal. 4. 1.

16. Et quoniam quòd vocamur ad æternam hereditatem, ut simus Christi coheredes, & in adoptionem filiorum veniamus, non est meritorum nostrorum, sed gratiæ Dei; eamdem ipsam gratiam in orationis principio ponimus, cùm dicimus, *Pater noster.* Quo nomine & caritas excitatur; quid enim carius filiis debet esse quàm pater? & supplex affectus, cùm homines dicunt Deo, *Pater noster:* & quædam impetrandi præsumtio, quæ petituri sumus; cùm priùs quàm aliquid peteremus tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere, *Pater noster*, Deo. Quid enim jam non det filiis petentibus, cùm hoc ipsum antè dederit, ut filij essent? Postremò quanta cura animum tangit, ut qui dicit *Pater noster*, tanto Patre non sit indignus. Si enim quisquam plebeius senatorem grandioris ætatis ab eo ipso patrem vocare permittatur, sine dubio trepidabit, nec facilè audebit, cogitans humilitatem generis sui, & opum indigentiam, & plebeiæ personæ vilitatem: quantò ergo magis trepidandum est appellare Patrem Deum, si tanta est labes, tantæque sordes in moribus, ut multò justiùs eas à sua conjunctione Deus expellat, quàm ille senator cujusvis mendici egestatem. Quandoquidem ille hoc contemnit in mendico, quò & ipse potest rerum humanarum fragilitate devenire: Deus autem in sordidos mores numquam cadit. Et gratias

Rom. 8. 23.

[a] MSS. Vaticani duo & Corbeiensis, *lucem divinitatis.*

[b] MSS. decem, *& filij Altissimi: vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus ex principibus cadetis.*

misericordiæ ipsius, qui hoc à nobis exigit, ut Pater noster sit: quod nullo sumtu, sed sola bona voluntate comparari potest. Admonentur etiam hîc divites, vel genere nobiles secundùm sæculum, cùm Christiani facti fuerint, non superbire adversùs pauperes & ignobiles; quoniam simul dicunt Deo, *Pater noster:* quod non possunt verè ac piè dicere, nisi se fratres esse cognoscant.

CAPUT V.

17. UTATUR ergo voce novi Testamenti populus novus, ad æternam hereditatem vocatus, & dicat, *Pater noster qui es in cælis:* id est, in sanctis & justis. Non enim spatio locorum continetur Deus. Sunt enim cæli excellentia quidem mundi corpora, sed tamen corpora, quæ non possunt esse nisi in loco: sed si in cælis tamquam in superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aves, quarum vita est Deo vicinior. Non autem scriptum est, Propè est Dominus excelsis hominibus, aut eis qui in montibus habitant: sed scriptum est, Propè est Dominus obtritis corde: quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodum terra appellatus est peccator, cùm ei dictum est, Terra es, & in terram ibis: sic cælum justus è contrario dici potest. Justis enim dicitur, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Quapropter si in templo suo habitat Deus, & sancti templum ejus sunt; rectè dicitur, *qui es in cælis*, qui es in sanctis. Et accommodatissima ista similitudo est, ut spiritaliter tantum interesse videatur inter justos & peccatores, quantum corporaliter inter cælum & terram.

Psal. 33. 19. *Gen.* 3. 19. 1. *Cor.* 3. 17.

Ad orationem stātes ut convertuntur ad Orientem.

18. Cujus rei significandæ gratiâ, cùm ad orationem stamus, ad Orientem convertimur, unde cælum surgit: non tamquam ibi habitet & Deus, quasi ceteras mundi partes deseruerit, qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed [a] majestatis potentiâ: sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est ad Deum, cùm ipsum corpus ejus quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est ad corpus cæleste convertitur. Convenit etiam gradibus religionis, & plurimum expedit, ut omnium sensibus & parvulorum & magnorum bene sentiatur de Deo. Et ideo qui visibilibus adhuc pulcritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare; quoniam necesse est cælum præferant terræ; tolerabilior est opinio eorum, si Deum quem adhuc corporaliter cogitant, in cælo potiùs credant esse, quàm in terra: ut cùm aliquando cognoverint dignitatem animæ cæleste etiam corpus excedere, magis eum quærant in anima, quàm in corpore etiam cælesti; & cùm cognoverint quantum distet inter peccatorum animas & justorum, sicut non audebant, cùm adhuc carnaliter saperent, eum in terra collocare, sed in cælo, sic postea meliori fide vel intelligentiâ magis eum in animis justorum quàm in peccatorum requirant. Rectè ergo intelligitur, quod dictum est, *Pater noster qui es in cælis*, in cordibus justorum esse dictum, tamquam in templo sancto suo. Simul etiam ut qui orat, in se quoque ipso velit habitare quem invocat: & cùm hoc affectat, teneat justitiam; quo munere invitatur ad inhabitandum animum Deus.

a

Dominicæ orationis petitio prima.

19. Jam videamus quæ sint petenda. Dictum est enim quis sit qui petitur, & ubi habitet. Primum autem omnium quæ petuntur hoc est, *Sanctificetur nomen tuum.* Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus: id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Neque enim quia dictum est, Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus: sic intelligendum est quasi alibi minor sit Deus, alibi major: sed ibi magnum est nomen ejus, ubi pro suæ majestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur sanctum nomen ejus, ubi cum veneratione & offensionis timore nominatur. Et hoc est quod nunc agitur, dum Evangelium adhuc usque per diversas gentes innotescendo, commendat unius Dei nomen per administrationem Filij ejus.

Psal. 75. 2.

20. DEINDE sequitur, *Adveniat regnum tuum.* Sicut ipse Dominus in Evangelio docet, tunc futurum esse judicij diem, cùm Evangelium prædicatum fuerit in omnibus gentibus: quæ res pertinet ad sanctificationem nominis Dei. Non enim & hîc ita dictum est, *Adveniat regnum tuum*, quasi nunc Deus non regnet. Sed fortè quis dicat, *Adveniat* dictum esse in terram. Quasi verò non etiam ipse nunc regnet in terra, semperque in ea regnaverit à constitutione mundi. *Adveniat* ergo accipiendum est, manifestetur hominibus. Quemadmodum enim etiam præsens lux absens est cæcis, & eis qui oculos claudunt: ita Dei regnum, quamvis numquam discedat de terris, tamen absens est ignorantibus. Nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cùm ejus Unigenitus non solùm intelligibiliter, sed etiam visibiliter in * homine Dominico de cælo venerit judicaturus vivos & mortuos. Post quod judicium, id est, cùm discretio & separatio justorum ab injustis facta fuerit, ita inhabitabit justos Deus, ut non opus sit quemquam doceri per hominem, sed sint omnes, ut scriptum est, docibiles Deo. Deinde beata vita omni ex parte perficietur in sanctis in æternum, sicuti nunc cælestes Angeli sanctissimi atque beatissimi solo Deo illustrante sapientes & beati sunt: quia & hoc promisit Dominus suis: In resurrectione erunt, inquit, sicut Angeli in cælis.

CAPUT VI. Petitio secunda.

Matth. 24. 14.

**V.* 1. *Retr.* 19. *p.* 8.

Isa 54. 13. *John.* 6. 45.

Matth. 22. 30.

21. Et ideo post illam petitionem, qua dicimus, *Adveniat regnum tuum*, sequitur, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra:* id est, sicut est in Angelis qui sunt in cælis, voluntas tua, ut omnimodo tibi adhæreant teque perfruantur, nullo errore obnubilante sapientiam eorum, nullâ miseriâ impediente beatitudinem eorum, ita fiat in sanctis tuis qui in terra sunt, & de terra, quod ad corpus adtinet, facti sunt, & quamvis in cælestem habitationem atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt. Ad hoc respicit etiam illa Angelorum prædicatio, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: ut cùm præcesserit bona voluntas nostra, quæ vocantem sequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei, sicuti est in cælestibus Angelis; ut nulla adversitas resistat nostræ beatitudini, quod est pax. Item *Fiat voluntas tua*, rectè intelligitur, obediatur præceptis tuis: *sicut in cælo & in terra*, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Nam fieri voluntatem Dei, cùm obtemperatur præceptis ejus, ipse Dominus dicit, cùm ait, Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui me misit: & sæpe, Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit: & cùm ait, Ecce mater mea, & ecce fratres mei, & quicumque fecerit voluntatem Dei, hic mihi est frater,

Petitio tertia.

Luc. 2. 14.

John. 4. 34. *John.* 6. 38. *Matth.* 12. 49. & 50.

[a] Sic MSS. At editi, *majestate potentiæ.*

ter, & mater, & soror. Qui ergo faciunt voluntatem Dei, in illis utique fit voluntas Dei: non quia ipsi faciunt ut velit Deus; sed quia faciunt quod ille vult, id est, faciunt secundùm voluntatem ejus.

22. Est etiam ille intellectus, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, sicut in sanctis & justis, ita etiam in peccatoribus. Quod adhuc duobus modis accipi potest; sive ut oremus etiam pro inimicis nostris: (quid enim sunt aliud habendi, contra quorum voluntatem Christianum & catholicum nomen augetur?) ut ita dictum sit, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, tamquam si diceretur, Faciant voluntatem tuam sicut justi, ita etiam peccatores, ut ad te convertantur. Sive ita, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, ut sua cuique tribuantur: quod fiet extremo judicio, ut justis præmium, peccatoribus damnatio retribuatur, cùm agni ab hœdis separabuntur.

Matth. 25. 33.

23. Ille etiam non absurdus, immo & fidei & spei nostræ convenientissimus intellectus est, ut cælum & terram accipiamus, spiritum & carnem. Et quoniam dicit Apostolus, Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati; videmus factam voluntatem Dei in mente, id est, in spiritu: cùm autem absorpta fuerit mors in victoriam, & mortale hoc induerit immortalitatem, quod fiet carnis resurrectione, atque illa immutatione quæ promittitur justis, secundùm ejusdem Apostoli prædicationem; fiat voluntas Dei & in terra, sicut in cælo; id est, ut quemadmodum spiritus non resistit Deo, sequens & faciens voluntatem ejus: ita & corpus non resistat spiritui vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur, & in carnalem consuetudinem prona est: quod erit summæ pacis in vita æterna, ut non solùm velle adjaceat nobis, sed etiam perficere bonum. Nunc enim velle, inquit, adjacet mihi, perficere autem bonum non: quia nondum in terra sicut in cælo, id est, nondum in carne sicut in spiritu facta est voluntas Dei. Nam & in miseria nostra fit voluntas Dei, cùm ea patimur per carnem, quæ nobis mortalitatis jure debentur, quam peccando meruit nostra natura: sed id orandum est, ut sicut in cælo, ita & in terra fiat voluntas Dei; id est, ut quemadmodum corde condelectamur legi secundùm interiorem hominem, ita etiam corporis immutatione facta, huic nostræ delectationi nulla pars nostra terrenis doloribus seu voluptatibus adversetur.

1. *Cor.* 15. 54. *Rom.* 7. 25. *Rom.* 7. 18. *Ibidem* 22.

24. Nec illud à veritate abhorret, ut accipiamus, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, sicut in ipso Domino nostro Jesu Christo, ita & in Ecclesia: tamquam in viro qui Patris voluntatem implevit, ita & in femina quæ illi desponsata est. Cælum enim & terra convenienter intelligitur, quasi vir & femina; quoniam terra cælo fecundante fructifera est.

CAPUT VII. De quarta petitione. *Matth.* 6. 34. Corporis Christi sumtio quotidiana. *John.* 6. 27. *Ibidem* 41.

25. QUARTA petitio est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panis quotidianus, aut pro iis omnibus dictus est, quæ hujus vitæ necessitatem sustentant, de quo cùm præciperet, ait, Nolite cogitare de crastino; ut ideo sit additum, *da nobis hodie*: aut pro sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus: aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit, Operamini escam quæ non corrumpitur: & illud, Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi. Sed horum trium quid sit probabilius, considerari potest. Nam fortè quispiam mo-

[a] Hîc apud Lov. additur, *sive contenti*: quod abest à ceteris codicibus editis & MSS.

vitæ sunt necessaria, veluti est victus & tegumentum, cùm ipse Dominus dicat, Nolite solliciti esse quid edatis, vel quid induamini. An potest quisque de ea re, pro qua adipiscenda orat, non esse sollicitus; cùm tanta intentione animi oratio dirigenda sit, ut ad hoc totum illud referatur quod de claudendis cubiculis dictum est? Et illud quod ait, Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis? Non ait utique, Quærite primùm regnum Dei, & deinde ista quærite: sed, hæc omnia, inquit, apponentur vobis, scilicet etiam non quærentibus. Quomodo autem rectè dicatur non quærere aliquis quod ut accipiat, intentissimè Deum deprecatur, nescio utrùm inveniri queat.

Matth. 6. 31. *Luc.* 12. 22. *Matth.* 6. 33. *Luc.* 12. 31.

Orientales plurimi non quotidie communicantes.

26. De sacramento autem corporis Domini ut illi non moveant quæstionem, qui plurimi in Orientalibus partibus, non quotidie cœnæ Dominicæ communicant, cùm iste panis quotidianus dictus sit: ut ergo illi taceant, neque de hac re suam sententiam defendant vel ipsa auctoritate Ecclesiastica, [a] quòd sine scandalo ista faciunt, neque ab eis qui Ecclesiis præsunt facere prohibentur, neque non obtemperantes damnantur; unde probatur non hunc in illis partibus intelligi quotidianum panem; nam magni peccati crimine arguerentur, qui ex eo non accipiunt quotidie: sed ut de istis, ut dictum est, nihil in aliquam partem differamus, illud certè debet occurrere cogitantibus, regulam nos orandi à Domino accepisse, quam transgredi non oportet vel addendo aliquid, vel prætereundo. Quod cùm ita sit, quis est qui audeat dicere, semel tantùm nos orare debere orationem Dominicam; aut certè etiam si iterum vel tertiò, usque ad eam tantùm horam qua corpori Domini communicamus, postea verò non sic orandum per reliquas partes diei? Non enim jam dicere poterimus, *da nobis hodie*, quod jam accepimus: aut poterit quisque cogere, ut etiam ultima diei parte sacramentum illud celebremus.

a

27. Restat igitur, ut quotidianum panem accipiamus spiritalem, præcepta scilicet divina, quæ quotidie oportet meditari, & operari. Nam de ipsis Dominus dicit, Operamini escam quæ non corrumpitur. Quotidianus autem iste cibus nunc dicitur, quamdiu ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur. Et re vera quamdiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est nunc in spiritalia, nunc in carnalia animi affectus alternat, tamquam ei qui aliquando pascitur cibo, aliquando famem patitur, quotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens, & relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hac vita, ante illam scilicet immutationem, cibo reficitur, quia sentit dispendium: sic & animus quoniam temporalibus affectibus quasi dispendium ab intentione Dei patitur, præceptorum cibo reficiatur. *Da nobis hodie* autem dictum est, quamdiu dicitur hodie, id est, in hac temporali vita. Sic enim cibo spiritali post hanc vitam saturabimur in æternum, ut non tunc dicatur quotidianus panis: quia ibi temporis volubilitas, quæ diebus dies succedere facit, unde appelletur quotidie, nulla erit. Ut autem dictum est, Hodie si vocem ejus audieritis; quod interpretatur Apostolus in epistola quæ est ad Hebræos, Quamdiu dicitur hodie: ita & hîc accipiendum est, *Da nobis hodie.* Si quis autem etiam de victu

John. 6. 27. *Psal.* 94. 8. *Hebr.* 3. 13.

corporis necessario, vel de sacramento Dominici corporis istam sententiam vult accipere, oportet ut conjunctè accipiantur omnia tria, ut scilicet quotidianum panem simul petamus, & necessarium corpori, & [a] sacratum visibilem, & invisibilem verbi Dei.

a

CAPUT VIII. De quinta petitione.

28. SEQUITUR quinta petitio, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Debita, peccata dici manifestum est, vel illo quod ait idem Dominus, Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem; vel illo quo debitores appellavit qui ei nuntiati sunt exstincti, vel in ruina turris, vel quorum sanguinem Herodes sacrificio miscuit. Dixit enim, putare homines quòd illi ultra modum debitores essent, id est peccatores, & addidit, Amen dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, similiter moriemini. Non hîc ergo quisque urgetur pecuniam dimittere debitoribus, sed quæcumque in eum alius peccaverit. Nam pecuniam dimittere illo potiùs jubemur præcepto, quod superiùs dictum est, Si quis tibi tunicam tollere voluerit, & judicio tecum contendere, remitte ei & vestimentum: nec ibi necesse est omni pecuniario debitori dimittere debitum, sed ei qui reddere noluerit, in tantum ut velit etiam litigare: Servum autem Domini, ut ait Apostolus, non oportet litigare. Qui ergo vel sponte vel conventus pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda illi est. Duas enim ob res nolet reddere, vel quòd non habeat, vel quòd avarus sit reique alienæ cupidus: utrumque autem pertinet ad inopiam: nam illa inopia est rei familiaris, hæc animi. Quisquis itaque tali dimittit debitum, inopi dimittit, opusque Christianum operatur, manente illâ regulâ, ut in animo paratus sit amittere quod sibi debetur. Nam si modestè ac leniter omni modo egerit, ut sibi restituatur, non tam intendens fructum pecuniæ, quàm ut hominem corrigat, cui sine dubio perniciosum est habere unde reddat, & non reddere; non solùm non peccabit, sed proderit etiam plurimùm, ne ille dum alienam pecuniam lucrum facere vult, damnum fidei patiatur; quod tantò est gravius, ut nulla sit comparatio. Ex quo intelligitur etiam in ista quinta petitione, qua dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, non de pecunia quidem dici; sed de omnibus quæ in nos quisque peccat, ac per hoc etiam de pecunia. Peccat namque in te, qui tibi pecuniam debitam, cùm habeat unde reddat, recusat reddere. Quod peccatum si non dimiseris, non poteris dicere, *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus*: si autem ignoveris, vides etiam de pecunia dimittenda admoneri cum, cui tali prece orare præcipitur.

29. Illud sanè tractari potest, ut quoniam dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*, tunc convincamur contra istam regulam fecisse, si eis non dimittamus qui veniam petunt, quia & nos veniam petentibus nobis à benignissimo Patre dimitti volumus. Sed illo rursus præcepto, quo jubemur orare pro inimicis nostris, non pro his jubemur qui veniam petunt. Jam enim qui tales sunt, non sunt inimici. Nullo modo autem quisquam verè dixerit orare se pro eo, cui non ignoverit. Quapropter fatendum est, omnia peccata dimittenda esse, quæ in nos admittuntur, si volumus nobis à Patre dimitti quæ admittimus. Nam de vindicta superiùs, ut arbitror, satis disputatum est.

Luc. 13. 1. &c.

Ibidem 3. & 5.

Matth. 5. 40. Dimittendum debitum volenti litigare ne reddat. 2. *Tim.* 2. 24.

Matth. 5. 44.

* *supra lib.* 1. *cap.* 19. & 20.

30. SEXTA petitio est, *Et ne nos inferas in tentationem.* Nonnulli codices habent, *inducas*, quod tantumdem valere arbitror: nam ex uno Græco quod dictum est εἰσενέγκῃς, utrumque translatum est. Multi autem precando ita dicunt, *Ne nos patiaris induci in tentationem*: exponentes videlicet quomodo dictum sit, *inducas*. Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis. Caussis etiam sæpe manifestis dignum judicat ille quem deserat, & in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, aliud tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest, sive sibi ipsi, sicut scriptum est, Qui non est tentatus, qualia scit? sive alij, sicut Apostolus ait, Et tentationem vestram in carne mea non spreviistis. hinc enim eos firmos ipse cognovit, quòd eis tribulationibus, quæ Apostolo secundùm carnem acciderant, non sunt à caritate defluxi. Nam Deo noti sumus & ante omnes tentationes, qui scit omnia antequam fiant.

CAPUT IX. De sexta petitione.

Eccli. 34. 9. & 11.

Gal. 4. 13.

31. Quod itaque scriptum est, Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum: illa locutione positum est, ut sciat, pro eo quod est, ut scire vos faciat: sicut diem lætum dicimus, quòd lætos faciat; frigus pigrum, quod pigros facit; & innumerabilia hujusmodi, quæ sive in consuetudine loquendi, sive in sermone doctorum, sive in Scripturis sanctis reperiuntur. Quod non intelligentes hæretici qui veteri Testamento adversantur, velut ignorantiæ vitio notandum putant eum de quo dictum est, Tentat vos Dominus Deus vester: quasi in Evangelio de Domino scriptum non sit, Hoc autem dicebat tentans eum: nam ipse sciebat quid esset facturus. Si enim noverat cor ejus quem tentabat, quid est quod voluit videre tentando? Sed profectò illud factum est, ut ipse sibi notus fieret qui tentabatur, suamque desperationem condemnaret saturatis turbis de pane Domini, qui eas non habere quod ederent existimaverat.

Deut. 13. 3.

Manichæos aggreditur.

Johann. 6. 6.

32. Non ergo hîc oratur, ut non tentemur, sed ut non inferamur in tentationem: tamquam si quispiam cui necesse est igne examinari, non oret ut igne non contingatur, sed ut non exuratur. Vasa enim figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Joseph ergo tentatus est illecebrâ stupri, sed non est illatus in tentationem: Susanna tentata est, nec ipsa inducta vel illata in tentationem; multique alij utriusque sexus: sed Job maximè, cujus admirabilem stabilitatem in Deo Domino suo, cùm illi hæretici hostes veteris Testamenti ore sacrilego irridere voluerint, illud præ ceteris ventilant, quòd satanas petierit eum tentandum. Quærunt enim ab imperitis hominibus talia intelligere nequaquam valentibus, quomodo satanas cum Deo loqui potuerit: non intuentes, (non enim possunt, cùm superstitione & contentione cæcati sint,) Deum non loci spatium mole corporis occupare; & sic alibi esse, alibi non esse, vel certè hîc habere partem aliam, & alibi aliam: sed majestate ubique præstò esse, non per partes divisum, sed ubique perfectum. Quòd si carnaliter intuentur quod dictum est, Cælum mihi thronus est, & terra scabellum pedum meorum: cui loco & Dominus adtestatur dicens, Non juretis, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: quid mirum si in terra diabo-

Ecclı. 27. 6.

Gen. 39. 7.

Dan. 13. 20.

Job. 1. 11.

Contra Manichæos.

Isa. 66. 1.

Matth. 5. 34.

a Sic plerique MSS. At editi, *& sacramentum visibile & invisibile verbi Dei.*

lus constitutus, ante pedes Dei stetit, & coram illo aliquid locutus est? Nam quando illi valent intelligere, nullam esse animam, quamvis perversam, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus? Quis enim scripsit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? De qua lege Apostolus ait, Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestante conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam excusantium, in die qua judicabit Dominus occulta hominum. Quapropter si omnis anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cùm cogitat & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquid in ratiocinando sentiat; quid mirum si diaboli anima pravâ cupiditate perversa, quidquid tamen verum de justo viro cogitavit, cùm cum tentare vellet, ipsius Dei voce, id est, ipsius veritatis voce audisse perhibetur? Quidquid autem falsum, illi cupiditati tribuitur, qua diaboli nomen accepit. Quamquam etiam per creaturam corporalem atque visibilem Deus plerumque locutus est seu bonis seu malis, tamquam omnium Dominus & rector, & pro cujusque rei meritis ordinator: sicut per Angelos, qui hominum quoque adspectibus apparuerunt; & per Prophetas dicentes, Hæc dicit Dominus. Quid ergo mirum, si quamquam non in ipsa cogitatione, per aliquam certè creaturam tali operi accommodatam Deus locutus cum diabolo dicitur?

Rom. 2. 14. &c.

33. Nec dignitatis esse arbitrentur, & quasi justitiæ meritum, quòd cum illo Deus locutus est: quoniam locutus est cum anima angelica, quamquam stulta & cupida, tamquam si loqueretur cum anima humana stulta & cupida. Aut ipsi dicant quomodo locutus est cum illo divite, cujus cupiditatem stultissimam arguere voluit, dicens, Stulte, hac nocte anima tua expostulatur à te, hæc quæ præparasti cujus erunt? Certè hoc ipse Dominus in Evangelio dicit, cui hæretici isti velint nolint colla submittunt. Si autem hoc moventur, quod tentandum justum satanas petit à Deo; non ego expono quare sit factum, sed ipsos cogo exponere quare sit dictum in Evangelio ab ipso Domino discipulis, Ecce satanas petiit vos vexare quomodo triticum: & Petro ait, Ego autem postulavi ne deficiat fides tua. Cùm autem hoc exponunt mihi, simul illud quod à me quærunt exponunt sibi. Si verò non valuerint hoc exponere, non audeant id quod in Evangelio sine offensione [a] legunt, in aliquo libro cum temeritate culpare.

Luca 12. 20.

Luca 22. 31.

Ibidem 32.

a

34. Fiunt igitur tentationes per satanam non potestate ejus, sed permissu Domini, ad homines aut pro suis peccatis puniendos, aut pro Domini misericordia probandos & exercendos. Et interest plurimùm in qualem quisque tentationem incidat. Non enim in talem incidit Judas, qui vendidit Dominum, in qualem incidit Petrus, cùm territus Dominum negavit. Sunt etiam tentationes humanæ, credo cùm bono quisque animo, secundùm humanam tamen fragilitatem, in aliquo consilio labitur; aut irritatur in fratrem studio corrigendi, paulò tamen ampliùs quàm Christiana tranquillitas postulat: de quibus Apostolus dicit, Tentatio vos non apprehendat, nisi humana: cùm idem dicat, Fidelis Deus, qui vos non sinat tentari supra quàm potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis tolerare. In qua sententia satis ostendit, non id nobis orandum esse ut non tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Inducimur enim, si tales acciderint quas ferre non possumus. Sed cùm tentationes periculosæ, in quas inferri atque induci pernicioſum est, aut prosperis rebus temporalibus, aut adversis oriantur, nemo frangitur adversarum molestiâ, qui prosperarum delectatione non capitur.

1. Cor. 10. 13.

35. Ultima & septima petitio est, *Sed libera nos à malo.* Orandum est enim ut non solùm non inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur; sed ab illo etiam liberemur, quò jam inducti sumus. Quod cùm factum fuerit, nihil remanebit formidolosum, nec omnino metuenda erit ulla tentatio. Quod tamen in hac vita quamdiu istam mortalitatem circumferimus, in quam serpentina persuasione inducti sumus, non sperandum est posse fieri; sed tamen aliquando futurum sperandum est, & hæc est spes quæ non videtur. De qua cùm loqueretur Apostolus, ait, Spes autem quæ videtur, non est spes. Sed tamen sapientia, quæ in hac quoque vita concessa est, fidelibus servis Dei non est desperanda. Ea est autem, ut id quod Domino revelante fugiendum esse intellexerimus, cautissimâ vigilantiâ fugiamus; & id quod Domino revelante appetendum esse intellexerimus, flagrantissima caritate appetamus. Ita enim reliquo mortalitatis hujus onere ipsa morte depositò, ex omni hominis parte opportuno tempore perficietur beatitudo, quæ in hac vita inchoata est, & cui capessendæ atque obtinendæ aliquando nunc omnis conatus impenditur.

De septima petitione.

Rom. 8. 24.

CAPUT X.

36. SED harum septem petitionum considerandæ & commendandæ distinctio est. Nam cùm vita nostra temporaliter nunc agatur, atque speretur æterna, & cùm æterna priora sint dignitate, quamvis temporalibus priùs actis ad illa transeatur; trium primarum petitionum impetrationes quamquam in hac vita, quæ isto sæculo agitur, exordium capiant: (Nam & sanctificatio nominis Dei ab ipso humilitatis Domini adventu agi cœpit; & adventus regni ejus, quo in claritate venturus est, non jam finito sæculo, sed in fine sæculi manifestabitur; & perfectio voluntatis ejus, sicut in cælo & in terra, sive justos & peccatores cælum & terram intelligas, sive spiritum & carnem, sive Dominum & Ecclesiam, sive omnia simul, ipsa perfectione nostræ beatitudinis, & ideo sæculi terminatione complebitur.) tamen omnia tria in æternum manebunt. Nam & sanctificatio nominis Dei sempiterna erit, & regni ejus nullus est finis, & perfectæ nostræ beatitudini æterna vita promittitur. Permanebunt ergo ista tria consummata atque cumulata in illa vita, quæ nobis promittitur.

37. Reliqua verò quatuor quæ petimus, ad temporalem istam vitam pertinere mihi videntur. Quorum primum est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hoc ipso enim quod dictus est quotidianus panis, sive spiritalis significetur, sive in sacramento aut in victu isto visibilis, ad hoc tempus pertinet, quod appellavit hodie: non quia spiritalis cibus non est sempiternus; sed quia iste qui quoti-

a Sic MSS. At editi *sine offensione non intelligunt.*

dianus dictus est in Scripturis, sive in strepitu sermonis, sive quibusque temporalibus signis exhibetur animæ: quæ omnia tunc utique non erunt, cùm
Isa. 54. 13. Johan. 6. 45. omnes erunt docibiles Deo, & ipsam ineffabilem lucem veritatis non motu corporum significantes, sed puritate mentis haurientes. Nam fortasse & propterea panis dictus est, non potus, quia panis frangendo atque mandendo, in alimentum convertitur; sicut Scripturæ aperiendo & differendo animam pascunt: potus verò paratus, sicuti est, transit in corpus: ut isto tempore panis sit veritas, cùm quotidianus panis dicitur; tunc autem potus, cùm nullo labore disputandi & sermocinandi, quasi frangendi atque mandendi, opus erit, sed solo hausto sinceræ & perspicuæ veritatis. Et peccata nunc nobis dimittuntur, & nunc dimittimus; quæ harum quatuor reliquarum secunda petitio est: tunc autem nulla erit venia peccatorum; quia nulla peccata. Et tentationes temporalem istam vitam infestant: non autem erunt, cùm perfectum erit quod
Psal. 30. 21. dictum est, Abscondes eos in abscondito vultus tui. Et malum, à quo liberari optamus, & ipsa liberatio à malo ad hanc utique vitam pertinet, quam & justitiâ Dei mortalem meruimus, & unde ipsius misericordiâ liberamur.

CAPUT XI. 38. VIDETUR etiam mihi septenarius iste numerus harum petitionum congruere illi septenario numero, ex quo totus iste sermo manavit. Si enim
Matth. 5. 3. &c. timor Dei est, quo beati sunt pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: petamus ut sanctificetur in hominibus nomen Dei, timore casto permanente in sæcula sæculorum. Si pietas est, qua beati sunt mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram: petamus ut veniat regnum ejus, sive in nos ipsos, ut miteſcamus, nec ei resistamus; sive de cælo in terras in claritate adventus Domini, quo
a nos gaudebimus, & [a] laudabimur, dicente illo,
Matth. 25. 34. Venite benedicti Patris mei, accipite regnum, quod
Psal. 33. 2. vobis paratum est ab origine mundi. In Domino enim, inquit Propheta, laudabitur anima mea: audiant mites, & jocundentur. Si scientia est, qua beati sunt qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: oremus ut fiat voluntas ejus sicut in cælo & in terra; quia cùm corpus tamquam terra, spiritui tamquam cælo, summa & tota pace consenserit, non lugebimus: nam nullus alius hujus temporis luctus est, nisi cùm adversùm se ista confligunt, & cogunt nos di-
Rom. 7. 23 cere, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: & luctum nostrum lacrymosa voce testari, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Si fortitudo est, qua beati sunt qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur: oremus ut panis noster quotidianus detur nobis hodie, quo fulti atque sustentati, ad plenissimam illam saturitatem venire possimus. Si consilium est, quo beati sunt misericordes, quoniam ipsorum miserebitur: dimittamus debita debitoribus nostris, & oremus ut nobis
b nostra dimittantur. Si intellectus est, quo beati sunt mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt: oremus non induci in tentationem, ne habeamus duplex cor, non appetendo simplex bonum, quò referamus omnia quæ operamur, sed simul tempo-
b ralia & [b] terrena sectando. Tentationes enim de his rebus quæ graves & calamitosæ videntur hominibus, non in nos valent, si non valeant illæ, quæ

[a] Editi Mar. & Lov. *laudabimus*. Am. & Er. *latabimur*. At MSS. *laudabimur*.

blanditiis earum rerum accidunt, quas homines bonas & lætandas putant. Si sapientia est, qua beati sunt pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur: oremus ut liberemur à malo: ipsa enim liberatio liberos nos faciet, id est, filios Dei, ut spiritu adoptionis clamemus, Abba Pater. *Rom. 8. 15. Gal. 4. 6.*

39. Sanè non negligenter prætereundum est, quòd ex omnibus iis sententiis, quibus nos orare Dominus præcepit, eâm potissimùm commendandam esse judicavit, quæ pertinet ad dimissionem peccatorum: in qua nos misericordes esse voluit, quod unum est consilium miserias evadendi. In nulla enim alia sententia sic oramus, ut quasi paciscamur cum Deo: dicimus enim, *Dimitte nobis sicut & nos dimittimus*. In qua pactione si mentimur, totius orationis nullus est fructus. Sic enim dicit: * *Si enim dimiseritis hominibus delicta eorum, dimittet & vobis Pater vester qui in cælis est.* * *Si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* *Matth. 6. v. 14. v. 15.*

40. SEQUITUR de jejunio præceptum, pertinens ad eamdem cordis mundationem, de qua nunc agitur. Nam & in hoc opere cavendum est, ne subrepat aliqua ostentatio & appetitus laudis humanæ, qui duplicet cor, & non sinat mundum & simplex esse ad intelligendum Deum. * *Cùm autem jejunatis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim vultum suum, ut videantur hominibus jejunantes: amen dico vobis perceperunt mercedem suam.* * *Vos autem jejunantes unguite capita vestra, & facies vestras lavate, * ne videamini hominibus jejunantes, sed Patri vestro qui est in abscondito: & Pater vester qui videt in abscondito reddet vobis.* Manifestum est his præceptis omnem nostram intentionem in interiora gaudia dirigi, ne foris quærentes meredem huic sæculo conformemur, & amittamus promissionem tantò solidioris atque firmioris, quantò interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imaginis Filij ejus. CAPUT XII. *Matth. 6. v. 16. v. 17. v. 18.*

41. In hoc autem capitulo maximè animadvertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam; & eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestitus vel ceterarum rerum nitore præfulget, facilè convincitur rebus ipsis, pomparum sæculi esse sectator, nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis: qui autem in professione Christianitatis inusitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cùm id voluntate facit, non necessitate patitur, ceteris ejus operibus potest conjici, utrùm hoc contemtu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat; quia & sub ovina pelle cavendos lupos Dominus præcipit: Sed ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis *Matth. 7. 16.* eos. Cùm enim cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine vel consecuti sunt, vel consequi cupiunt, tunc necesse est appareat, utrùm lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua. Non enim propterea ornatu superfluo debet adspectus hominum mulcere Christianus, quia illum parcum habitum ac necessarium etiam simulatores sæpius usurpant, ut incautos decipiant: quia & illæ oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegunt.

42. Quæri ergo solet quid sit quod ait, *Vos au-*

[b] Duo è Vatic. MSS. *temporalia & aterna sectando.*

tem cùm jejunatis, unguite capita vestra, & facies vestras lavate, ne videamini hominibus jejunantes. Non enim quispiam rectè præceperit, quamvis faciem quotidiana consuetudine lavemus, unctis etiam capitibus cùm jejunamus, nos esse debere. Quod si turpissimum omnes fatentur, intelligendum est hoc præceptum unguendi caput, & faciem lavandi, ad interiorem hominem pertinere. Unguere ergo caput, ad lætitiam pertinet: lavare autem faciem, ad munditiam: & ideo caput unguit, qui lætatur interiùs mente atque ratione. Hoc enim rectè accipimus caput, quod in anima præeminet, & quo cetera hominis regi & gubernari manifestum est. Et hoc facit qui non foris quærit lætitiam, ut de laudibus hominum carnaliter gaudeat. Caro enim quæ subjecta esse debet, nullo modo est totius na-
Eph. 5. 29. turæ humanæ caput. Nemo quidem umquam carnem suam odio habuit, sicut Apostolus dicit, cùm
1. Cor. 11. 3. de diligenda uxore præcipit: sed caput mulieris vir, cui viro caput est Christus. Interiùs ergo gaudeat in jejunio suo, eo ipso quo sic se jejunando avertit à voluptate sæculi ut sit subditus Christo, qui secundùm hoc præceptum caput unctum habere desiderat. Ita enim & faciem lavabit, id est, cor mundabit, quo visurus est Deum, non interposito velamine propter infirmitatem contractam de sordibus; sed firmus & stabilis, quoniam mundus &
Isa. 1. 16. simplex. Lavamini, inquit, mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris, atque à conspectu oculorum meorum. Ab his igitur sordibus facies nostra lavanda est, quibus Dei adspectus offendi-
2. Cor. 3. 18. tur. Nos enim revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformabimur.

43. Sæpe etiam cogitatio necessariarum rerum ad istam vitam pertinentium, sauciat & sordidat interiorem oculum nostrum: & plerumque cor duplicat, ut ea quæ videmur cum hominibus rectè facere, non eo corde faciamus, quo Dominus præcipit, id est, non quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquod propter necessitatem præsentis vitæ adipisci volumus. Debemus autem be-
Psal. 118. 36. nefacere illis propter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum nostrum. Inclinet ergo Deus cor nostrum in testimonia sua, &
1. Tim. 1. 5. non in emolumentum. Finis enim præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Qui autem propter suam in hac vita necessitatem fratri consulit, non utique caritate consulit: quia non illi, quem debet tamquam seipsum diligere, sed sibi consulit; vel potiùs nec sibi: quandoquidem hinc sibi facit duplex cor, quo impediatur ad videndum Deum: in qua sola visione beatitudo est certa atque perpetua.

44. RECTE ergo sequitur, & præcipit, qui mundando cordi nostro instat, dicens: * *Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi* [a] *tinea & comestura exterminant, & ubi fures effodiunt & furantur:* * *thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque tinea neque comestura exterminant, & ubi fures non effodiunt nec furantur.* * *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Ergo si in terra erit cor, id est, si eo corde quisque operetur aliquid, ut terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit mundum, quod in terra volutatur? Si autem in cælo, mundum erit, quia munda sunt quæcumque cælestia. Sordescit enim aliquid, cùm inferiori miscetur na- * CAPUT XIII. *Matth. 6. v. 19. v. 20. v. 21.*

turæ, quamvis in suo genere, non sordidæ; quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur: ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis ipsa terra in suo genere atque ordine munda sit. Cælum autem hoc loco non corporeum acceperimus; quia omne corpus pro terra habendum est. Totum enim mundum debet contemnere, qui sibi thesaurizat in cælo. In illo ergo cælo de quo dictum est, Cælum cæli Domino, id *Psal. 113. 16.* est, in firmamento spiritali, non enim in eo quod transiet, constituere & collocare debemus thesaurum nostrum & cor nostrum, sed in eo quod semper manet: Cælum autem & terra transient. *Matth. 24. 35.*

45. Et hîc manifestat de mundando corde se cuncta ista præcipere, cùm dicit, * *Lucerna corporis tui oculus tuus est. Si ergo oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* * *Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ quantæ?* Qui locus sic intelligendus est, ut noverimus omnia opera nostra tunc esse munda, & placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est, intentione superna fine illo caritatis: quia & Plenitudo Le-
Rom. 13. 10. gis caritas. Oculum ergo hîc accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quidquid facimus: quæ si munda fuerit & recta, & illud adspiciens quod adspiciendum est; omnia opera nostra, quæ secundùm eam operamur, necesse est bona sint. Quæ omnia opera totum corpus appellavit; quia & Apostolus membra nostra dicit quædam opera, quæ improbat, & mortificanda præcipit, dicens, Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super
Col. 3. 5. terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam, « & cetera talia. *Matth. 6. v. 22. v. 23.*

46. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere quod facimus: Omne enim quod
Ephes. 5. 13. manifestatur, lumen est. Nam ipsa facta quæ ad hominum societatem à nobis procedunt, incertum habent exitum: & ideo tenebras eas vocavit. Non enim novi, cùm pecuniam porrigo indigenti & petenti, quid inde aut facturus sit, aut passurus; & fieri potest, ut vel faciat ex ea, vel propter eam patiatur aliquid mali, quod ego cùm darem, non venire voluerim, neque hoc animo dederim. Itaque si bono animo feci, quod mihi cùm facerem, notum erat, & ideo lumen vocatur; illuminatur etiam factum meum, qualemcumque exitum habuerit: qui exitus quoniam incertus & ignotus est, tenebræ appellatæ sunt. Si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen tenebræ sunt. Lumen enim dicitur, quia novit quisque quo animo faciat, etiam cùm malo animo facit: sed ipsum lumen tenebræ sunt, quia non in superna dirigitur simplex intentio, sed ad inferiora declinatur, & duplici corde quasi umbram facit. *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, tenebræ quantæ?* hoc est, Si ipsa cordis intentio, qua facis quod facis, quæ tibi nota est, sordidatur appetitu rerum terrenarum & temporalium, atque cæcatur; quantò magis ipsum factum, cujus incertus est exitus, sordidum & tenebrosum est? quia etsi bene alicui proveniat, quod tu non recta & munda intentione facis; quomodo tu feceris, tibi imputatur, non quomodo illi provenerit.

[a] Sic habent MSS. & Mar. necnon Cyprianus in lib. 3. ad Quirinum. At Am. Er. & Lov. *ubi aerugo & tinea exterminant, & reliqua*: suppressis, ut solent, ceteris verbis Scripturæ, quæ à nobis passim hoc in opere magna religione restituuntur ex MSS.

CAPUT XIV. *Matth. 6. 24.*

47. QUOD autem sequitur, & dicit, *Nemo potest duobus dominis servire*, ad hanc ipsam intentionem referendum est, quod consequenter exponit, dicens, *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut alterum patietur, & alterum contemnet.* Quæ verba diligenter consideranda sunt: nam qui sunt duo domini, deinceps ostendit, cùm dicit, *Non potestis Deo servire & mammonæ.* Mammona apud Hebræos divitiæ appellari dicuntur. Congruit & Punicum nomen: nam lucrum Punicè, mammon dicitur. Sed qui servit mammonæ, illi utique servit, qui rebus istis terrenis merito suæ perversitatis *Johan. 12. 31 & 14. 30. &c.* præpositus, magistratus hujus sæculi à Domino dicitur. *Aut* ergo hunc *odio habebit* homo, *& alterum diliget*, id est, Deum: *aut alterum patietur, & alterum contemnet.* Patitur enim durum & perniciosum dominum, quisquis servit mammonæ; sua enim cupiditate implicatus, subditur diabolo: & non cum diligit; quis enim est qui diligat diabolum? sed tamen patitur: sicut in majore aliqua domo, qui ancillæ alienæ conjunctus est, propter cupiditatem suam duram patitur servitutem, etiam si non diligat eum, cujus ancillam diligit.

V. 1. Retr. 19. n. 8. 48. *Alterum autem contemnet*, dixit; non, odio habebit. Nullius enim ferè conscientia Deum odisse potest: contemnit autem, id est non timet eum, quasi de ejus bonitate securus est. Ab hac negligentia & pernicioſa securitate revocat Spiritus-*Eccli. 5. 5.* sanctus, cùm per Prophetam dicit, Fili, ne adjicias peccatum super peccatum, & dicas, Misera-*Rom. 2. 4. Misericordia & severitas Dei.* tio Dei magna est: &, Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te invitat? Cujus enim tanta misericordia commemorari potest, quàm ejus qui omnia donat peccata conversis, & oleastrum facit parti-*Rom. 11. 21.* cipem pinguedinis olivæ? Et cujus tanta severitas, quàm ejus qui naturalibus ramis non pepercit, sed propter infidelitatem fregit illos? Sed quisquis vult diligere Deum, & cavere ne offendat, non se arbitretur duobus dominis posse servire, & intentionem cordis sui rectam ab omni duplicitate expli-*Sap. 1. 1.* cet: ita enim sentiet de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quæret illum.

CAPUT XV. *Matth. 6. 25.* 49. IDEO, inquit, *dico vobis, non habere sollicitudinem animæ vestræ quid edatis, neque corpori vestro quid induatis.* Ne fortè, quamvis jam superflua non quærantur, propter ipsa necessaria cor duplicetur, & ad ipsa conquirenda nostra detorqueatur intentio, cùm aliquid quasi misericorditer operamur; id est, ut cùm consulere alicui videri volumus, nostrum emolumentum ibi potiùs, quàm illius utilitatem adtendamus: & ideo nobis non videamur peccare, quia non superflua, sed necessaria sunt quæ consequi volumus. Dominus autem admonet, ut meminerimus multò ampliùs nobis Deum dedisse, quòd nos fecit & composuit ex anima & corpore, quàm est alimentum atque tegumentum, quorum curâ nos duplicare cor non vult. *Nonne*, inquit, *anima plus est quàm esca?* Ut tu intelligas eum qui dedit animam, multò faciliùs escam esse daturum. *Et corpus quàm vestimentum*, id est, plus est: ut similiter intelligas, eum qui corpus dedit, multò faciliùs daturum esse vestimentum.

50. Quo loco quæri solet, utrùm ad animam cibus iste pertineat, cùm anima incorporea sit, iste autem cibus corporeus. Sed animam hoc loco pro ista vita posiram noverimus, cujus retinaculum est alimentum istud corporeum. Secundùm hanc significationem dictum est etiam illud, Qui amat *Johan. 12. 25.* animam suam, perdet illam. Quod nisi de hac vita acceperimus, quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuisse Martyres claruit, contrarium hoc præceptum erit illi sententiæ, qua dictum est, Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, *Matth. 16. 26.* animæ autem suæ detrimentum faciat?

51. *Respicite*, inquit, *volatilia cæli, quoniam* *Matth. 6. v. 26.* *non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa: nonne vos pluris estis illis?* id est carius vos valetis. Quia utique rationale animal, sicuti est homo, sublimius ordinatum est in rerum natura, quàm irrationabilia, sicut sunt aves. * *Quis autem vestrùm curans*, inquit, *v. 27.* *potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* * *Et* *v. 28.* *de vestimento quid solliciti estis?* id est, Cujus potestate atque dominatu factum est, ut ad hanc staturam corpus vestrum perduceretur, ejus providentiâ etiam vestiri potest: non autem vestrâ curâ factum esse, ut ad hanc staturam veniret corpus vestrum, ex hoc intelligi potest, quòd si curetis, & velitis adjicere unum cubitum huic staturæ, non potestis: illi ergo etiam tegendi corporis curam relinquite, cujus videtis curâ factum esse, ut tantæ staturæ corpus habeatis.

52. Dandum autem erat etiam documentum propter vestimentum, sicut datum est propter alimentum. Itaque sequitur, & dicit, * *Considerate* *Ibidem.* *lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent:* * *dico autem vobis quia nec Salomon in omni gloria sua* *v. 29.* *sic vestitus est ut unum ex his.* * *Si autem fœnum agri,* *v. 30.* *quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quantò magis ergo vos modicæ fidei?* Sed ista documenta non sicut allegoriæ discutienda sunt, ut quæramus quid significent aves cæli, aut lilia agri: posita sunt enim, ut de rebus minoribus majora persuaderentur: sicuti illud est de judice, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur, *Luc. 18. 2.* & tamen sæpe interpellanti viduæ cessit, ut ejus causſam consideraret: non propter pietatem aut humanitatem, sed ne tædium pateretur. Non enim ullo modo ille injustus judex personam Dei allegoricè sustinet: sed tamen quantum Deus, qui bonus est & justus, curet deprecantes se, hinc conjici Dominus voluit, quòd nec injustus homo eos, qui illum assiduis precibus tundunt, vel propter tædium devitandum, potest contemnere.

CAPUT XVI. *Matth. 6. v. 31. v. 32. v. 33.* 53. NOLITE *ergo*, inquit, *solliciti esse, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur.* * *hæc enim omnia gentes quærunt. Scit enim* *Pater vester quia horum omnium indigetis.* * *Quærite* *ergo primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis.* Hic manifestissimè ostendit, non hæc esse appetenda, tamquam talia bona nostra, ut propter ipsa debeamus bene facere, si quid facimus, sed tamen esse necessaria. Quid enim interfit inter bonum quod appetendum est, & necessarium quod sumendum est, hac sententiâ declaravit, cùm ait, *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis.* Regnum ergo & justitia Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus quæcumque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest; *Apponentur vobis hæc*, inquit, sed vos regnum Dei & justitiam ejus primùm quærite. Cùm enim dixit illud primùm, significavit quia

hoc posteriùs quærendum est, non tempore, sed dignitate: illud tamquam bonum nostrum, hoc tamquam necessàrium nostrum; necessarium autem propter illud bonum.

54. Neque enim, verbi gratiâ, ideo debemus evangelizare, ut manducemus; sed ideo manducare, ut evangelizemus: nam si propterea evangelizamus, ut manducemus, vilius habemus Evangelium quàm cibum; & erit jam bonum nostrum in manducando, necessàrium autem in evangeli-*1. Cor. 9. 14.* zando. Quod etiam Apostolus prohibet, cùm dicit, licere sibi quidem, & permissum esse à Domino, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, id est, de Evangelio habeant ea quæ huic vitæ sunt necessaria: sed tamen se non esse abusum hac potestate. Erant enim multi, qui occasionem habere cupiebant adquirendi & vendendi Evange-*Act. 20. 34.* lium, quibus eam volens amputare Apostolus, manibus suis victum suum toleravit. De his enim alio *2. Cor. 11. 12.* loco dicit, Ut amputem occasionem, iis qui quærunt occasionem. Quamquam etiam si, ut ceteri boni Apostoli, permissu Domini de Evangelio viveret, non ideo in eo victu constitueret finem evangelizandi, sed magis ipsius victus sui finem in Evangelio collocaret: id est, ut superiùs dixi, non ideo evangelizaret, ut perveniret ad cibum, & si qua sunt alia necessaria; sed ideo ista sumeret, ut illud impleret, ne non volens, sed necessitate evangeli-*1. Cor. 9. 23. &c.* zaret. Hoc enim improbat, cùm dicit, Nescitis » quoniam qui in templo operantur, quæ de tem» plo sunt edunt; & qui altario deserviunt, altario » compartiuntur: sic & Dominus ordinavit iis qui » Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego » autem nullius horum usus sum. Hinc ostendit permissum esse, non jussum: alioquin contra præceptum Domini feciſſe tenebitur. Deinde sequitur, & *Ibidem 15.* dicit, Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me. » Bonum est mihi magis mori, quàm gloriam meam » quisquam inanem faciat. Hoc dixit, quia jam statuerat, propter quosdam occasionem quærentes, *Ibidem 16.* manibus suis victum transigere. Si enim evangelizavero, inquit, non est mihi gloria: id est, si evangelizavero, ut ista fiant in me, id est, si propterea evangelizavero, ut ad illa perveniam, & finem Evangelij in cibo & potu & vestitu collocavero. Sed » quare non est ei gloria? Necessitas enim, inquit, mihi incumbit: id est, ut ideo evangelizem, quia unde vivam non habeo, aut ut adquiram temporalem fructum de prædicatione æternorum: sic enim jam necessitas erit in Evangelio, non voluntas. Væ » enim mihi est, inquit, si non evangelizavero. Sed quomodo debet evangelizare? scilicet ut in ipso Evangelio & in regno Dei ponat mercedem: ita enim *Ibidem 17.* potest non coactus evangelizare, sed volens. Si » enim volens, inquit, hoc facio, mercedem habeo: » si autem invitus, dispensatio mihi credita est: id est, si coactus inopiâ earum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessariæ, prædico Evangelium; alij per me habebunt mercedem Evangelij, qui Evangelium ipsum me prædicante diligent: ego autem non habebo, quia non ipsum Evangelium diligo, sed ejus pretium in illis temporalibus constitutum. Quod nefas est fieri, ut non tamquam filius ministret quisque Evangelium, sed tamquam servus cui dispensatio credita est; ut tamquam alienum eroget, nihil inde ipse accipiat præter cibaria, quæ non de participatione regni, sed ad sustentaculum miseræ servitutis dantur extrinsecùs. Quamquam alio loco & dispensatorem se dicat. Potest enim & servus in filiorum numerum adoptatus, eam rem in qua coheredis sortem meruit, fideliter dispensare participibus suis. Sed nunc ubi ait, Si autem invitus, dispensatio mihi credita est: talem dispensatorem intelligi voluit, qui alienum dispensat, unde ipse nihil accipiat.

55. Ergo quæcumque res propter aliud aliquid quæritur, sine dubio inferior est, quàm id propter quod quæritur: & ideo illud primum est propter quod istam rem quæris, non ista res quam propter illud quæris. Quapropter si Evangelium & regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & posterius regnum Dei; ita ut si non desit cibus, non quæramus regnum Dei: hoc est primùm quærere cibum, & deinde regnum Dei, id est, hoc priore loco ponere, illud posteriore. Si autem ideo quæramus cibum, ut habeamus regnum Dei, facimus quod dictum est, *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis.*

CAPUT XVII. 56. QUÆRENTIBUS enim primùm regnum & justitiam Dei, id est, hoc præponentibus ceteris rebus, ut propter hoc cetera quæramus, non debet subesse sollicitudo ne illa desint, quæ huic vitæ propter regnum Dei sunt necessariæ. Dixit enim superiùs, *Scit Pater vester quòd horum omnium indige-* *Matth. 6. 32.* *tis.* Et ideo cùm dixisset, *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus*, non dixit, Deinde ista quærite, quamvis sint necessaria: sed ait, *hæc omnia apponentur vobis*, id est consequentur, si illa quæratis, sine ullo vestro impedimento: ne cùm ista quæritis illinc avertamini; aut ne duos fines constituatis, ut & regnum Dei propter se appetatis, & ista necessaria; sed hæc potiùs propter illud: ita vobis non deerunt. Quia duobus dominis servire non potestis. Duobus autem dominis servire conatur, qui & regnum Dei pro magno bono appetit, & hæc temporalia. Non poterit autem simplicem habere oculum, & uni Domino Deo servire, nisi quæcumque sunt cetera, si sunt necessaria, propter hoc unum assumat, id est, propter regnum Dei. Sicut autem omnes militantes accipiunt annonam & stipendium, sic omnes evangelizantes accipiunt victum & tegumentum. Sed non omnes propter salutem reipublicæ militant, sed propter illa quæ accipiunt: sic & non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tamquam annonam & stipendia consequantur: aut & propter hoc, & propter illud. Sed suprà jam dictum est, *Non potestis duobus dominis servire.* Ergo simplici *Matth. 6. 24.* corde tantummodo propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes: non autem in hac operatione, vel solam, vel cum regno Dei mercedem temporalium cogitare: quorum omnium temporalium nomine crastinum posuit, dicens, *Nolite* *v. 34.* [a] *cogitare de crastino:* Non enim dicitur crastinus dies, nisi in tempore, ubi præterito succedit futurum. Ergo cùm aliquid boni operamur, non temporalia, sed æterna cogitemus: tunc erit illud bonum & perfectum opus. *Crastinus enim dies*, inquit, *sollicitus erit sibi ipsi*: id est, ut cùm oportuerit sumas cibum vel potum vel indumentum, cùm ipsa scilicet necessitas urgere cœperit. Aderunt enim hæc, quia novit Pater noster quòd horum omnium indigeamus. *Sufficit enim*, inquit, *diei malitia sua*: id

[a] In MSS. propè omnibus, *Nolite solliciti esse de crastino.*

est, sufficit quod ista sumere urgebit ipsa necessitas. Quam propterea * malitiam nominatam arbitror, quia pœnalis est nobis: pertinet enim ad hanc fragilitatem & mortalitatem, quam peccando meruimus. Huic ergo pœnæ temporalis necessitatis noli addere aliquid gravius, ut non solùm patiaris harum rerum indigentiam, sed etiam propter hanc explendam milites Deo.

** V. 1. Retr. 19. n. 9.*

Providere quæ ad victum sunt necessaria non est vetitum.

57. Hoc autem loco vehementer cavendum est, ne fortè cùm viderimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria desint, vel sibi, vel eis quorum sibi cura commissa est, judicemus eum contra præceptum Domini facere, & de crastino esse sollicitum. Nam & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cùm aliquem servorum ejus animadvertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est [a] cum pecunia, unde usibus necessariis quidquid opus fuisset præberetur: quorum loculorum custos & fur, sicut scriptum est, Judas fuit, qui eum tradidit. Sicut & apostolus Paulus potest videri de crastino cogitasse, cùm dixit, De collectis autem in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite: secundùm unam sabbati unusquisque vestrûm apud se ponat thesaurizans, quod ei placuerit, ut non cùm venero, tunc collectæ fiant. Cùm autem advenero, quoscumque probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem: quòd si dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam transiero, nam Macedoniam pertransibo: apud vos autem forsitan remanebo, vel etiam hyemabo, ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos nunc in transitu videre: spero enim me aliquod temporis manere apud vos, si permiserit Dominus. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Item in Actibus Apostolorum scriptum est, ea quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem. Sic enim legimus: In illis autem diebus descenderunt ab Jerosolymis Prophetæ Antiochiam, eratque magna exsultatio. Congregatis autem nobis, surgens unus ex illis nomine Agabus, significabat per Spiritum, famem magnam futuram in universo mundo, quæ & facta est sub Claudio Cæsare. [b] Discentium autem ut quisque abundabat, statuerunt unusquisque eorum in ministerium mittere presbyteris habitantibus in Judæa fratribus, qui & miserunt per manum Barnabæ & Sauli. Et quòd naviganti eidem apostolo Paulo imposita sunt utensilia, quæ offerebantur, non ad unum tantùm diem videtur victus esse procuratus. Et quod idem scribit, Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operans manibus suis bonum, ut habeat unde [c] tribuere cui opus est. Malè intelligentibus non videtur servare præceptum Domini, quo ait, *Respicite, volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea*: &, *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent*: cùm istis præcipit ut laborent, operantes manibus suis, ita ut habeant quod etiam aliis possint tribuere. Et quòd sæpe de seipso dicit, quòd manibus suis operatus sit, ne quem gravaret: & de illo scriptum est, quòd conjunxerit se Aquilæ propter artis similitudinem, ut simul operarentur unde victum transigerent, non videtur imitatus aves cæli & lilia agri. His & hujusmodi Scripturarum locis, satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret: sed si quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis non regnum Dei, sed istorum adquisitionem intueatur.

Matth. 4. 11. — Johan. 12. 6. — 1. Cor. 16. 1 &c. — Act. 11. 27. &c. — Act. 28. 10. — Ephes. 4. 28. — Matt. 6. 26. — Ibid. v. 28. — 1 Thess. 2. 9. — 2. Thess. 3. 8. — Act. 18. 3.

58. Ad hanc ergo regulam hoc totum præceptum redigitur, ut etiam in istorum provisione regnum Dei cogitemus, in militia verò regni Dei ista non cogitemus. Ita enim etiamsi aliquando defuerint, quod plerumque propter exercitationem nostram Deus sinit, non solùm non debilitant propositum nostrum, sed etiam examinatum probatumque confirmant. Gloriamur enim, inquit, in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes verò non confundit; quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. In commemoratione autem tribulationum ac laborum suorum idem Apostolus non tantùm in carceribus & naufragiis, atque hujusmodi multis molestiis, sed etiam in fame & siti, in frigore & nuditate se laborasse commemorat. Quod cùm legimus, non æstimemus Domini promissa titubasse, ut famem ac sitim & nuditatem pateretur Apostolus, quærens regnum & justitiam Dei, cùm dictum sit nobis, *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis*: quandoquidem ista sicut adjutoria novit ille medicus, cui semel nos totos commisimus, & à quo habemus promissionem vitæ præsentis & futuræ, quando apponat, quando detrahat, sicut nobis judicat expedire, quos & consolandos & exercendos in hac vita, & post hanc vitam in perpetua requie stabiliendos atque firmandos gubernat, ac dirigit. Non enim & homo, cùm plerumque jumento suo cibaria detrahit, deserit illud curâ suâ, ac non potiùs curando hæc facit.

Necessaria servis suis deesse cur Deus permittat.

Rom. 5. 3. &c. — 2. Cor. 11. 25.

59. Et quoniam cùm ista vel procurantur in futurum, vel si caussa non est quare illa impendas, reservantur, incertum est quo animo fiat, cùm possit simplici corde fieri, possit & duplici, opportunè hoc loco subjecit: * *Nolite judicare, ne judicetur de vobis: * in quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, Ex fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri: sicut sunt stupra, vel blasphemiæ, vel furta, vel ebriositates, & si qua sunt talia, de quibus nobis judicare permittitur, dicente Apostolo, Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? nonne de iis qui intus sunt vos judicatis? De genere autem ciborum, quia possunt bono animo & simplici corde sine vitio concupiscentiæ quicumque humani cibi indifferenter sumi, prohibet idem Apostolus judicari eos, qui carnibus vescebantur, & vinum bibebant, ab eis qui se ab hujusmodi alimentis temperabant. Qui manducat, inquit, non manducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non judicet. Ibi etiam ait, Tu quis es qui judices alienum servum? Do-

* CAPUT XVIII. *Matth. 7. v. 1. v. 2.*

Judicare de aliorum factis quatenus prohibitum.

Ibidem 16. — 1. Cor. 5. 12. — Rom. 14. 3. — v. 4.

[a] MSS. octo, *quibus portabatur pecunia.*

[b] Am. Er. & Lov. *descendentium.* Veriùs Mar. & MSS. *discentium.*

[c] Sic MSS. juxta Græc. textùm Apostoli. At Am. Er. & Lov. *unde tribuat cui opus est quod bonum est.*

mino

mino suo stat, aut cadit. De talibus enim rebus quæ possunt bono & simplici & magno animo fieri, quamvis possint etiam non bono, volebant illi cùm homines essent, in occulta cordis ferre sententiam, de quibus solus Deus judicat.

60. Ad hoc pertinet etiam illud quod alio loco dicit, Nolite ante tempus quidquam judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis: & tunc laus erit unicuique à Deo. Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maximè ut condemnemus. Horum autem veniet tempus ut judicentur, cùm Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis. Item alio loco dicit idem Apostolus, Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, * quædam autem & subsequuntur. Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant: hæc præcedunt ad judicium, id est, quia si fuerit ista subsecutum judicium, non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt; quia nec ipsa latebunt tempore suo. Sic & de bonis factis intelligendum est. Nam ita subjungit: Similiter & facta bona manifesta sunt, & quæcumque aliter se habent, abscondi non possunt. De manifestis ergo judicemus, de occultis verò Deo judicium relinquamus: quia & ipsa abscondi non possunt, sive mala sive bona, cùm tempus advenerit quo manifestentur.

*1. Cor. 4. 5. — 1. Tim. 5. 24. — * f. quorumdam. — v. 25.*

Judicium temerarium.

61. Duo sunt autem in quibus temerarium judicium cavere debemus, cùm incertum est quo animo quidque factum sit, vel cùm incertum est qualis futurus sit qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quispiam, verbi gratiâ, conquestus de stomacho jejunare noluit, & tu id non credens edacitatis id vitio tribueris, temere judicabis. Item si manifestam edacitatem ebriositatemque cognoveris, & ita reprehenderis quasi numquam ille possit corrigi atque mutari, nihilo minùs temere judicabis. Non ergo reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant; neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem; & vitabimus judicium, de quo nunc dicitur, *Nolite judicare, ne judicetur de vobis.*

62. Potest autem movere quod ait, *In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis; & in qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis.* Numquid enim si nos judicio temerario judicaverimus, temere etiam de nobis Deus judicabit? Aut numquid si in mensura iniqua mensi fuerimus, & apud Deum iniqua mensura est unde nobis remetietur? nam & mensuræ nomine ipsum judicium significatum arbitror. Nullo modo Deus vel temere judicat, vel iniquâ mensurâ cuiquam rependit: sed hoc dictum est, quoniam temeritas qua punis alium, eadem ipsa te puniat necesse est. Nisi fortè arbitrandum est, quòd iniquitas ei noceat aliquid in quem procedit, ei autem nihil à quo procedit: immo verò sæpe nihil nocet ei qui patitur injuriam, ei autem qui facit necesse est ut noceat. Quid enim nocuit Martyribus iniquitas persequentium? ipsis autem persecutoribus plurimùm. Quia etsi aliqui eorum correcti sunt, eo tamen tempore quo persequebantur, excæcabat illos malitia eorum. Sic & temerarium judicium plerumque nihil nocet ei de quo temere judicatur: ei autem qui temere judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. Istâ regulâ etiam illud dictum arbitror, Omnis qui percusserit gladio, gladio morietur. Quàm multi enim gladio percutiunt, nec tamen gladio moriuntur, sicut neque ipse Petrus. Sed ne istum veniâ peccatorum talem evasisse pœnam quis putet, quamquam nihil absurdius, quàm ut majorem putet gladij pœnam esse potuisse, quæ Petro non accidit, quàm crucis quæ accidit: quid tamen de latronibus dicturus est, qui cum Domino crucifixi sunt: quia & ille qui meruit veniam, postea quàm crucifixus est meruit, & alter omnino non meruit? An fortè omnes quos occiderant, crucifixerant; & propterea hoc etiam ipsi pati meruerunt? Ridiculum est hoc putare. Quid ergo aliud dictum est, Omnis enim qui gladio percusserit, gladio morietur, nisi quia ipso peccato anima moritur, quodcumque commiserit?

Matth. 26. 52. — Luc. 23. 33.

63. Et quoniam de temerario & iniquo judicio nos hoc loco Dominus monet: vult enim ut simplici corde & in unum Deum intento faciamus quæcumque facimus; & multa incertum est quo corde fiant, de quibus judicare temerarium est; maximè autem hi temere judicant de incertis, & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quàm emendare atque corrigere; quod vitium vel superbiæ est, vel invidentiæ: * consequenter subjecit, & dicit, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Ut si fortè, verbi gratiâ, irâ ille peccavit, tu odio reprehendas: quantum autem inter festucam & trabem, quasi tantum inter iram distat & odium. Odium enim est ira inveterata, quasi quæ vetustate ipsa tantum robur acceperit, ut meritò appelletur trabes. Fieri autem potest, ut si irascaris homini, velis eum corrigi: si autem oderis hominem, non potes eum velle corrigere.

* CAPUT XIX. *Matth. 7. 3.*

Reprehendendi officium quo animo suscipiendum.

64. * *Quomodo enim dicis fratri tuo. Sine ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabes est in oculo tuo?* * *Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui*: id est, primùm abs te expelle odium, & deinde poteris jam eum quem diligis, emendare. Et bene ait, *Hypocrita.* Accusare enim vitia, officium est bonorum virorum & benevolorum: quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt; sicut hypocritæ, qui tegunt sub persona quod sunt, & ostentant in persona quod non sunt. Hypocritarum ergo nomine simulatores acceperis. Et est verè multùm cavendum & molestum simulatorum genus, qui cùm omnium vitiorum accusationes odio & livore suscipiant, etiam consultores videri se volunt. Et ideo piè cautéque vigilandum est, ut, cùm aliquem reprehendere vel objurgare nos necessitas coegerit, primùm cogitemus utrùm tale sit vitium quod numquam habuimus, vel quo jam caruimus: & si numquam habuimus, cogitemus nos homines esse, & habere potuisse: si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut objurgationem non odium, sed misericordia præcedat: ut sive ad correctionem ejus, propter quem id facimus, sive ad perversionem valuerit, (nam incertus est exitus:) nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque objurgemus: sed tamen congemiscamus; & non illum ad obtempe-

v. 4. — v. 5.

randum nobis, sed ad pariter [a] conandum invitemus.

65. Nam & illud quod dicit Apostolus, Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem; his qui sub Lege sunt, quasi sub Lege, cùm non sim ipse sub Lege, ut eos qui sub Lege erant lucrifacerem; his qui sine Lege sunt, quasi sine Lege, cùm sine Lege Dei non sim, sed sim in Lege Christi, ut lucrifacerem eos qui sine Lege sunt: factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem: non utique simulatione faciebat, quemadmodum quidam intelligi volunt, ut eorum detestanda simulatio tanti exempli auctoritate muniatur: sed hoc faciebat caritate, qua ejus infirmitatem, cui volebat subvenire, tamquam suam cogitabat. Hoc enim & præstruit dicendo, Cùm enim liber sim ex omnibus, me omnium servum feci, ut plures lucrifacerem. Quod ut intelligas non simulatione, sed caritate fieri, qua infirmis hominibus tamquam nos simus compatimur, ita monet alio loco, dicens, Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per caritatem servite invicem. Quod fieri non potest, nisi alterius infirmitatem quisque habeat quasi suam, ut eam æquanimiter ferat, donec ab ea liberetur ille, cujus curat salutem.

1.Cor.9.20. &c. Ibidem 19. Gal. 5. 13.

66. Rarò ergo & in magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis non nobis, sed Deo ut serviatur instemus. Ipse est enim finis: ut nihil duplici corde faciamus, auferentes trabem de oculo nostro, invidentiæ, vel malitiæ, vel simulationis, ut videamus ejicere festucam de oculo fratris. Videbimus enim eam oculis columbæ, quales in sponsa Christi prædicantur, quam sibi elegit Deus gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, id est mundam & simplicem.

Cant. 4. 1. Ephes 5. 27.

67. Sed quoniam potest nonnullos Dei præceptis obtemperare cupientes nomen simplicitatis decipere, ut sic putent vitiosum esse aliquando verum occultare, quomodo vitiosum est aliquando falsum dicere, atque hoc modo aperiendo ea quæ hi quibus aperiuntur sustinere non possunt, amplius noceant quàm si ea penitus semperque occultarent, rectissimè subjungit: * *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi disrumpant vos.* Quia & Dominus quamvis nihil mentitus sit, vera tamen aliqua occultare se ostendit, dicens, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed adhuc non potestis illa portare. Et apostolus Paulus, Non potui, inquit, vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: neque enim poteratis, sed neque nunc potestis; adhuc enim estis carnales.

* Caput XX. Matth. 7. 6. Johan. 16. 12. 1. Cor. 3. 1. &c.

Veritas divina oppugnatoribus & contemtoribus non passim aperienda.

68. In hoc autem præcepto quo prohibemur sanctum dare canibus, & mittere ante porcos margaritas nostras, diligenter quærendum est quid sit sanctum, quid margaritæ, quid canes, quid porci. Sanctum est, quod violare atque corrumpere nefas est: cujus utique sceleris conatus & voluntas tenetur rea, quamvis illud sanctum naturâ inviolabile atque incorruptibile maneat. Margaritæ autem, quæcumque spiritalia magni æstimanda sunt, & quia in abdito latent, tamquam de profundo eruuntur, & allegoriarum integumentis quasi apertis conchis inveniuntur. Licet itaque intelligi, quòd una eademque res & sanctum & margarita dici potest: sed sanctum ex eo quòd non debet corrumpi, margarita ex eo quòd non debet contemni. Conatur autem quisque corrumpere quod non vult esse integrum: contemnit verò quòd vile ducit, & quasi infra se esse existimat; & ideo calcari dicitur quidquid contemnitur. Quapropter canes quoniam insiliunt ad dilacerandum, quod autem dilacerant integrum esse non sinunt: *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus*: quia etsi dilacerari & corrumpi non potest, & manet integrum atque inviolabile: illi tamen quid velint cogitandum est, qui acriter atque inimicissimè resistunt, & quantum in ipsis est, si fieri possit, conantur perimere veritatem. Porci verò quamvis non ita ut canes morsu appetant, passim tamen calcando coinquinant. *Non* ergo *miseritis, margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi disrumpant vos.* Canes ergo pro oppugnatoribus veritatis, porcos pro contemtoribus positos non incongruè accipimus.

69. Quòd autem ait, *Conversi disrumpant vos*, non ait ipsas margaritas disrumpant. Illas enim conculcando, etiam cùm converturtur ut adhuc aliquid audiant, disrumpunt tamen eum à quo jam missas margaritas conculcaverunt. Non enim facilè inveneris quid gratum ei esse possit, qui margaritas calcaverit, id est, cum magno labore divina inventa contemserit. Qui autem tales docet, quomodo non disrumpatur indignando & stomachando, non video. Utrumque autem animal immundum est, & canis & porcus. Cavendum est ergo ne quid aperiatur ei qui non capit: meliùs enim quærit quod clausum est, quàm id quod apertum est aut infestat aut negligit. Neque verò alia causa reperitur, cur ea quæ manifesta & magna sunt, non [b] accipiant præter odium & contemtum, quorum propter unum canes, propter alterum porci nominati sunt. Quæ tamen omnis immunditia recipitur temporalium dilectione concipitur, id est, dilectione hujus sæculi, cui jubemur renuntiare ut mundi esse possimus. Qui ergo mundum & simplex cor habere appetit, non debet sibi reus videri, si aliquid occultat quod ille cui occultat capere non potest. Nec ex eo arbitrandum est licere mentiri: non enim est consequens, ut cùm verum occultatur, falsum dicatur. Agendum ergo primùm est, ut impedimenta detrahantur, quibus efficitur ut non capiat: quia utique si propter sordes non capit, mundandus est vel verbo vel opere, quantum fieri à nobis potest.

Non occultanda veritas cùm interfunt aliqui ejus capaces.

70. Quòd autem Dominus noster quædam dixisse invenitur, quæ multi qui aderant, vel resistendo vel contemnendo non acceperunt, non putandus est sanctum dedisse canibus, aut margaritas misisse ante porcos: non enim dedit eis, qui capere non poterant, sed eis qui poterant, & simul aderant; quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat. Et cùm eum tentatores interrogabant, respondebatque illis, ita ut quid contradicerent non haberent, quamvis venenis suis contabescerent potiùs, quàm illius cibo saturarentur; alij tamen qui poterant capere, ex illorum occasione multa utiliter audiebant. Hoc dixi, ne quis fortè, cùm interroganti respondere non potuerit, hac sententiâ sibi excusatus videatur, si dicat, nolle se

[a] Ita MSS. At editi excepto Mar. *cavendum.*

[b] Editi, *accipiuntur.* At MSS. *accipiant*: subauditur, *illi.*

sanctum dare canibus, vel ante porcos mittere margaritas. Qui enim novit quid respondeat, debet respondere, vel propter alios, quibus desperatio suboritur, si propositam quæstionem solvi non posse crediderint: & hoc de rebus utilibus, & ad institutionem salutis pertinentibus. Multa sunt enim quæ inquiri ab otiosis possunt, supervacua & inania, & plerumque noxia, de quibus tamen nonnihil dicendum est: sed hoc ipsum aperiendum & explicandum cur inquiri talia non oporteat. De rebus ergo utilibus aliquando ad id respondendum est, quod interrogamur: sicut Dominus fecit, cùm eum Sadducæi de muliere interrogassent, quæ septem viros habuit, cujus eorum in resurrectione futura esset. Respondit enim, quòd in resurrectione neque uxores ducent, neque nubent, sed erunt sicut Angeli in cælis. Aliquando autem ille qui interrogat, interrogandus est aliud, quod tamen si dixerit, ipse sibi ad id quod interrogavit, respondeat: si autem dicere noluerit, non videatur iis qui adsunt injustum, si & ipse quod interrogavit non audiat. Nam & illi qui interrogaverunt tentantes, utrùm reddendum esset tributum, interrogati sunt aliud, id est, cujus haberet nummus imaginem, qui ab ipsis prolatus est: & quia dixerunt quod interrogati erant, id est, Cæsaris imaginem habere nummum, ipsi sibi quodammodo responderunt id quod Dominum interrogaverant: itaque ille ex eorum responsione ita concluſit, Reddite ergo Cæsari quod Cæsaris est, & Deo quod Dei est. Cùm autem principes sacerdotum & seniores populi interrogassent in qua potestate illa faceret, interrogavit eos de baptismate Johannis; & cùm nollent dicere, quod contra se videbant dici, de Johanne autem nihil mali dicere auderent propter circumstantes: Nec ego vobis dicam, inquit, in qua potestate hæc facio: quod justissimum apparuit circumstantibus. Hoc enim se dixerunt nescire, quod non nesciebant, sed dicere nolebant. Et revera justum erat, ut qui sibi volebant responderi quod interrogaverant, priùs ipsi facerent quod erga se fieri postulabant: quod si fecissent, ipsi sibi utique respondissent. Ipsi enim miserant ad Johannem quærentes quis esset; vel potiùs ipsi missi erant sacerdotes & Levitæ, putantes quòd ipse esset Christus, quod ille se negavit esse, & de Domino testimonium perhibuit: de quo testimonio si confiteri vellent, ipsi se docerent in qua potestate illa faceret Christus: quod quasi nescientes interrogaverant, ut calumniandi aditum reperirent.

Matth. 22. 23. Mar. 12. 19. Luc. 20. 28. Matth. 22. 16. Ibidem 21. Matth. 21. 23. Ibidem 27. Johan. 1. 19.

71. Cùm igitur præceptum esset, ne sanctum detur canibus, & margaritæ ante porcos mittantur, potuit auditor occurrere, & dicere, conscius ignorantiæ atque infirmitatis suæ, & audiens præcipi sibi ne daret, quod seipsum nondum accepisse sentiebat: potuit ergo occurrere, ac dicere, Quod sanctum me dare canibus, & quas margaritas me mittere ante porcos vetas, cùm adhuc ea me habere non vinet an impportunissimè subjecit, dicens, * *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Petitio pertinet ad impetrandam sanitatem firmitatemque animi, ut ea quæ præcipiuntur, implere possimus: inquisitio autem ad inveniendam veritatem. Cùm enim beata vita actione & cognitione compleatur, actio facultatem virium, contemplatio manifestationem rerum desiderat: horum ergo primum petendum, secundum quærendum est; ut illud detur, hoc inveniatur. Sed cognitio in hac vita, viæ priùs quàm ipsius [a] possessionis est: sed cùm quisque veram viam invenerit, perveniet ad ipsam possessionem; quæ tamen pulsanti aperitur.

F

* Caput XXI. Matth. 7. 7. v. 8. V. 1. Retr. 19. n. 9.

72. Ut ergo tria ista, id est, petitio, inquisitio, pulsatio, manifesta fiant, sub aliquo exemplo ponamus, aliquem infirmis pedibus ambulare non posse: priùs ergo sanandus & firmandus est ad ambulandum; & ad hoc pertinet, quod dixit, *Petite.* Quid autem prodest quòd ambulare jam, vel etiam currere potest, si per devia itinera erraverit? secundum est ergo, ut inveniat viam quæ ducit eò quò vult pervenire: quam cùm tenuerit, & pervenerit ad eum ipsum locum, ubi habitare vult, si clausum invenerit, neque ambulare potuisse, neque ambulasse ac pervenisse profuerit, nisi aperiatur: ad hoc ergo pertinet quod dictum est, *Pulsate.*

73. Magnam autem spem dedit & dat ille qui promittendo non decipit: ait enim, *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Ergo perseverantiâ opus est, ut accipiamus quod petimus, & inveniamus quod quærimus, & quod pulsamus aperiatur. Quemadmodum autem egit de volatilibus cæli, & de liliis agri, ne victum nobis vestitumque desperaremus adfuturum, ut spes à minoribus ad majora consurgeret: ita & hoc loco, * *Aut quis erit ex vobis, homo, quem si petierit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei? * aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? * Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quantò magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* Quomodo mali dant bona? Sed malos appellavit dilectores adhuc sæculi hujus & peccatores. Bona verò quæ dant, secundùm eorum sensum bona dicenda sunt, quia hæc pro bonis habent. Quamquam & in rerum natura ista bona sint, sed temporalia & ad istam vitam infirmam pertinentia: & quisquis ea malus dat, non de suo dat, Domini est enim terra & plenitudo ejus, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Quantum ergo sperandum est daturum Deum nobis bona petentibus, nec nos posse decipi, ut accipiamus aliud pro alio, cùm ab ipso petimus; quando etiam nos, cùm simus mali, novimus id dare quod petimur? Non enim decipimus filios nostros; & qualiacumque bona damus, non de nostro, sed de ipsius damus.

v. 9. v. 10. v. 11. Psal. 23. 1. Psal. 145. 6.

74. Firmitas autem & valentia quædam ambulandi per sapientiæ viam, in bonis moribus constituta est, qui perducuntur usque ad mundationem simplicitatemque cordis, de qua jam diu loquens ita concludit: * *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis: hæc est enim Lex & Prophetæ.* In exemplaribus Græcis sic invenimus, *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* Sed ad manifestationem sententiæ puto à Latinis additum, *bona.* Occurrebat enim quòd si quisquam flagitiosè aliquid ergo se fieri velit, & ad hoc referat istam sententiam, veluti si velit aliquis provocari ut immoderatè bibat, & se ingurgitet poculis, & hoc prior illi faciat à quo sibi fieri cupit, ridiculum est hunc putare istam impleviſſe sententiam. Cùm ergo hoc moveret, ut arbitror, additum est ad manifestatio-

* Caput XXII. Matth. 7. 12.

[a] Er. & Lov. *possessio.* Sed meliùs MSS. & antiquiores editi, *possessionis.*

nem rei unum verbum, ut postea quàm dictum est, *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines*, adderetur *bona*. Quod si deest exemplaribus Græcis, etiam illa emendanda sunt: sed quis hoc audeat? Intelligendum est ergo, plenam esse sententiam, & omnino perfectam, etiam si hoc verbum non addatur. Id enim quod dictum est, *quæcumque vultis*, non usitatè ac passim, sed propriè dictum accipi oportet. Voluntas namque non est nisi in bonis: nam in malis flagitiosisque factis cupiditas propriè dicitur, non voluntas. Non quia semper propriè loquuntur Scripturæ, sed ubi oportet ita omnino proprium verbum tenent, ut non aliud sinant intelligi.

Voluntas. Cupiditas.

75. Videtur autem hoc præceptum ad dilectionem proximi pertinere, non etiam ad Dei, cùm alio loco duo præcepta esse dicat, in quibus tota Lex pendet & [a] Prophetæ. Nam si dixisset, Omnia quæcumque vultis fieri vobis, hæc & vos facite: hac unâ sententiâ utrumque illud præceptum complexus esset: citò enim diceretur, diligi se velle unumquemque, & à Deo, & ab hominibus: itaque cùm hoc ei præciperetur, ut quod sibi fieri vellet, hoc faceret; id utique præciperetur, ut diligeret Deum & homines. Cùm verò expressiùs de hominibus dictum est, *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis:* nihil aliud dictum videtur, quàm Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Sed non est negligenter adtendendum quod hîc subjecit, *Hæc est enim Lex & Prophetæ*. In his autem duobus præceptis, non tantùm ait, Lex pendet & Prophetæ: sed etiam addidit, tota Lex & [b] Prophetæ; pro eo quod est tota prophetia: quod cùm hîc non addidit, servavit locum alteri præcepto, quod ad dilectionem Dei pertinet. Hîc autem quoniam præcepta simplicis cordis exsequitur, & erga eos metuendum est ne habeat quisque duplex cor, quibus occultari cor potest, id est erga homines, idipsum præcipiendum fuit. Nemo enim ferè est, qui velit quemquam duplici corde secum agere. Id autem fieri non potest, id est, ut simplici corde homo homini aliquid tribuat, nisi ita tribuat, ut nullum ab eo temporale commodum exspectet, & ea intentione faciat, de qua superiùs satis tractavimus, cùm de oculo simplici loqueremur.

Matth. 22. 40. a
Matth. 7. 12.
Matth. 22. 40. b

76. Mundatus ergo oculus simplexque redditus, aptus & idoneus erit ad intuendam & contemplandam interiorem lucem suam. Iste enim oculus cordis est. Hunc autem oculum talem habet ille, qui finem bonorum operum suorum, ut verè bona opera sint, non in eo constituit ut hominibus placeat, sed etiam si provenerit ut eis placeat, ad eorum salutem potiùs hoc refert & ad gloriam Dei, non ad inanem jactantiam suam; neque propterea boni aliquid ad salutem proximi operatur, ut ex eo comparet ea, quæ huic vitæ transigendæ sunt necessaria; neque temere animum hominis voluntatemque condemnat in eo facto, in quo non apparet quo animo & voluntate sit factum; & quidquid officiorum exhibet homini, hac intentione exhiber, qua sibi exhiberi vult, id est, ut non ab eo aliquid commodi temporalis exspectet: ita erit cor simplex & mundum in quo quæritur Deus. *Beati ergo* [c] *mundi corde; quoniam ipsi Deum videbunt.*

Oculus cordis.
Matth. 5. 8. c

77. Sed hoc quia paucorum est, jam incipit de investiganda & possidenda sapientia loqui, quod est lignum vitæ: [d] cui utique investigandæ ac possidendæ, id est contemplandæ, talis oculus per omnia superiora perductus est, quò videri jam possit arta via & angusta porta. Quod ergo deinceps dicit,* *Introite per angustam portam; quia lata porta & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui introeunt per eam: quàm angusta est porta, & arta via, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt, qui eam inveniunt*; non ideo dicit, quia jugum Domini asperum est, aut sarcina gravis: sed quia labores finiri pauci volunt, minùs credentes clamanti, Venite ad me omnes qui laboratis, & ergo vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quoniam mitis sum & humilis corde: jugum enim meum lene est, & sarcina mea levis est, (hinc autem iste sermo sumsit exordium de humilibus & mitibus corde,) [f] quod jugum lene & levem sarcinam multi respuunt, pauci subeunt; eoque fit arta via quæ ducit ad vitam, & angusta porta qua intratur in eam.

d
* Caput XXIII. Matth. 7. v. 13. v. 14. c
Matth. 11. 28. &c.
f

78. Hîc ergo illi qui promittunt sapientiam cognitionemque veritatis quam non habent, præcipuè cavendi sunt; sicut sunt hæretici, qui se plerumque paucitate commendant. Et ideo cùm dixisset, paucos esse qui inveniunt angustam portam & artam viam, ne se illi supponant nomine paucitatis, statim subjecit: * *Cavete à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Sed isti non fallunt oculum simplicem, qui arborem dignoscere ex fructibus novit. Ait enim, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Deinde similitudines adjungit, *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* * *Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit; mala autem arbor, malos fructus facit: non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala fructus bonos facere.* * *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* * *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

* Caput XXIV. Matth. 7. 15. v. 16. Ibidem. v. 17. v. 18. v. 19. v. 20.

79. Quo loco illorum error maximè cavendus est, qui de his ipsis duabus arboribus duas naturas opinantur esse, quarum una sit Dei, altera verò neque Dei, neque ex Deo. De quo errore in aliis libris & jam disputatum est uberiùs, & si adhuc parum est, disputabitur: nunc autem, non eos adjuvare duas istas arbores, docendum est. Primùm, quia de hominibus eum dicere tam clarum est, ut quisquis præcedentia & consequentia legerit, miretur eorum cæcitatem. Deinde adtendunt quod dictum est, *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere*: & ideo putant, neque animam malam fieri posse ut in melius commutetur, neque in deterius bonam; quasi dictum sit, Non potest arbor bona mala fieri, neque arbor mala bona fieri: sed dictum est, *Non potest arbor bona mala fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Arbor est quippe ipsa anima, id est, ipse homo, fructus verò opera hominis: non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Malus ergo si vult bona operari, bonus primò fiat. Sic alio loco evidentiùs dicit ipse Dominus, Aut facite

Manichæorum error.
Matth. 12. 33.

a In editione Mar. & decem MSS. & *omnes Prophetæ*.
b Hoc loco rursum additur, *omnes*, in duobus Var. MSS.
c MSS. plures hîc & alibi, sed non constanter, *mundi cordes*.
d MSS. *cujus*. sic etiam Mar. & Am.

e Mar. & MSS. uno tantùm excepto *quàm lata porta*.
f Sic MSS. Arediti excepto Mar. habent, *quoniam jugum lene & levem sarcinam multi respuunt, pauci subeunt; eo quòd sit arta via.*

" arborem bonam, aut facite arborem malam. Quòd si duas naturas istorum, his duabus arboribus figuraret, non diceret, Facite: quis enim hominum potest facere naturam? Deinde etiam ibi cùm ipsarum duarum arborum mentionem feciſſet, subjecit, Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Quamdiu ergo quisque malus est, non potest facere fructus bonos: si enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit. Sic verissimè dici potuit, Non potest esse nix calida: cùm enim calida esse cœperit, non jam eam nivem, sed aquam vocamus. Potest ergo fieri, ut quæ nix fuit, non sit: non autem potest fieri, ut nix calida sit. Sic potest fieri, ut qui malus fuit, non sit malus, non tamen fieri potest, ut malus bene faciat. Qui etiamsi aliquando utilis est, non hoc ipse facit, sed fit de illo divinâ providentiâ procurante, sicut de Pharisæis dictum est, Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Hoc ipsum quòd bona dicebant, & ea quæ dicebant, utiliter audiebantur & fiebant, non erat illorum: Super cathedram enim, inquit, Moysi sedent. Per divinam ergo providentiam legem Dei prædicantes, possent esse audientibus utiles, cùm sibi non essent. De talibus alio loco per Prophetam dictum est, [a] Seminastis triticum, & spinas metetis: quia bona præcipiunt, & mala faciunt. Non ergo qui eos audiebant, & faciebant; quæ ab eis dicebantur, de spinis legebant uvas, sed per spinas de vite legebant uvas: tamquam si manum aliquis per sepem mittat, aut certè de vite, quæ sepi fuerit involuta, uvam legat, non spinarum est fructus iste, sed vitis.

Ibidem 34.
Ibidem 2.
Jerem. 12. 13. a

Fructus è quibus arbor dignoscitur.

80. Rectissimè sanè quæritur quos fructus nos adtendere voluerit, quibus cognoscere arborem possimus. Multi enim quædam in fructibus deputant, quæ ad vestitum ovium pertinent, & hoc modo à lupis decipiuntur: sicuti sunt vel jejunia, vel orationes, vel eleemosynæ; quæ omnia nisi fieri etiam ab hypocritis possent, non superiùs diceret, Cavete justitiam vestram facere coram hominibus, ut videamini ab eis. Qua sententiâ præpositâ, ipsa tria exsequitur, eleemosynam, orationem, jejunium. Multi enim multa pauperibus, non misericordiâ, sed ambitione largiuntur: & multi orant, vel potiùs videntur orare, non intuentes Deum, sed hominibus placere cupientes: & multi jejunant, & mirabilem abstinentiam prætendunt eis, quibus ista difficilia videntur, & honore digna existimantur: & hujuscemodi dolis eos capiunt, dum aliud ostentant ad decipiendum, aliud exserunt ad deprædandum vel interficiendum eos qui sub isto vestitu ovino lupos videre non possunt. Hi ergo non sunt fructus de quibus cognosci arborem monet. Ista enim cùm bono animo in veritate fiunt, propriæ sunt ovium vestes; cùm autem malo in errore, non aliud quàm lupos contegunt. Sed non ideo debent oves odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi.

Matth. 6. 1.

81. Qui sunt ergo fructus quibus inventis cognoscamus arborem malam, dicit Apostolus, Ma" nifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornica" tiones, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, " veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, " animositates, dissensiones, hæreses, [b] sectæ, invi" diæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ " prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Et qui sunt fructus per quos cognoscamus arborem bonam, idem ipse consequenter dicit, Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Sanè sciendum est, hîc gaudium propriè positum: mali enim homines non gaudere, sed gestire dicuntur propriè: sicut superiùs diximus voluntatem propriè positam, quam non habent mali, ubi dictum est, Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Ex ista proprietate verbi, qua gaudium non dicitur nisi in bonis, etiam Propheta loquitur, dicens, Non est gaudere impiis, dicit Dominus. Ita quoque posita est fides, non quæcumque utique, sed vera fides: & cetera quæ hîc posita sunt, habent quasdam imagines suas in malis hominibus & deceptoribus; ut omnino fallant, nisi quisque jam mundum oculum & simplicem habuerit, quo ista cognoscat. Optimo itaque ordine primò actum est de mundando oculo, & deinde dicta sunt quæ caverentur.

Gal. 5. 19. &c.
Ibid. 22. &c.
Gaudium non est nisi bonorum.
Matth. 7. 12.
Isa. 57. 21. sec. Lxx.

82. Sed quoniam quamvis quisque oculo mundo sit, id est, simplici & sincero corde vivat, non potest tamen cor alterius intueri: quæcumque in factis vel dictis apparere non potuerint, tentationibus aperiuntur. Tentatio autem duplex est, aut in spe adipiscendi aliquod commodum temporale, aut in terrore amittendi. Et maximè cavendum est, ne tendentes ad sapientiam, quæ in solo Christo inveniri potest, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: cavendum ergo est, ne ipso Christi nomine ab hæreticis vel quibuslibet malè intelligentibus & sæculi hujus amatoribus decipiamur. Nam ideo sequitur, & monet, dicens, * *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed is qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum:* ne putemus ad illos fructus jam pertinere, si quis Domino nostro dicat, *Domine, Domine*; & ex eo nobis arbor bona videatur. Sed illi sunt fructus, facere voluntatem Patris qui est in cælis, cujus faciendæ seipsum exemplum præbere dignatus est.

Coloss. 2. 3.
* Caput XXV. Matth. 7. 21.

83. Sed meritò potest movere, quomodo huic sententiæ conveniat illud Apostoli ubi ait, Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu, & nemo potest dicere, Dominum Jesum, nisi in Spiritu-sancto: quia neque aliquos habentes Spiritum-sanctum possumus dicere non introituros in regnum cælorum, si perseveraverint usque in finem; neque illos qui dicunt, *Domine, Domine*, & tamen non intrant in regnum cælorum, possumus dicere habere Spiritum-sanctum. Quomodo ergo nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu-sancto, nisi quia propriè Apostolus posuit verbum quod est, dicit, ut significet voluntatem atque intellectum dicentis? Dominus verò generaliter posuit verbum quod ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Videtur enim dicere etiam ille, qui nec vult, nec intelligit quod dicit: sed ille propriè dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enuntiat. Sicut paulò antè quod dictum est, gaudium in fructibus spiritus, [c] propriè dictum est; non eo modo quo alibi dicit idem Apostolus, Non gaudet super iniquitatem: quasi quisquam possit super iniquitatem gaudere: quia illa elatio est animi [d] turbidè gestientis, non

1. Cor. 12. 3.
1. Cor. 13. 6.

a Novem MSS. *Seminatis triticum, & spinas metitis.*
b Ex septem MSS. additur, *secta*: quæ vox in editis deerat.

c Am. Er. & Lov. addunt, *sancti*: quod à Mar. & MSS. abest.
d Duo è Vaticanis MSS. *turpiter.*

gaudium: nam hoc soli boni habent. Ergo dicere videntur etiam illi, qui non hoc quod sonant & intellectu cernunt, & voluntate agunt, sed voce tantùm sonant: secundùm quem modum Dominus ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum.* Verè autem ac propriè illi dicunt, à quorum voluntate ac mente non abhorret prolatio sermonis sui, secundùm quam significationem dixit Apostolus: Nemo potest dicere 1. Cor. 12. 3 Dominum Jesum, nisi in Spiritu-sancto.

84. Atque illud ad rem maximè pertinet, ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solùm nomine Christi, per eos qui nomen habent & facta non habent, sed etiam quibusdam factis atque miraculis: qualia propter infideles cùm fecerit Dominus, monuit tamen ne talibus decipiamur, arbitrantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi miraculum visibile viderimus. Adjungit ergo, Matth. 7. v. 22. & dicit, * *Multi mihi dicent in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes* v. 23. *multas fecimus?* * *Et tunc dicam illis, Numquam vos cognovi: recedite à me qui operamini iniquitatem.* Non ergo cognoscet nisi eum qui operatur æquitatem. Nam & ipsos discipulos suos prohibuit gaudere de talibus, id est, quòd dæmonia illis subjecta fuerint: Luc. 10. 20. Sed gaudete, inquit, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. credo in illa civitate Jerusalem quæ est in cælis, in qua nonnisi justi sanctique regnabunt. 1. Cor. 6. 9. An nescitis, ait Apostolus, quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt?

85. Sed fortasse quis dicat, non posse iniquos visibilia illa miracula facere, & mentiri potiùs illos credat, qui dicturi sunt, *In nomine tuo prophetavimus, & dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus.* Legat ergo quanta fecerint resistentes famulo Dei Moysi magi Ægyptiorum: aut si hoc non vult legere, quia non in nomine Christi fecerunt, legat quæ ipse Dominus dicit de pseudoprophetis, ita loquens: Matth. 24. 23. &c. » Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hîc est » Christus, aut illic, nolite credere; surgent enim » pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa » magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur » etiam electi: ecce prædixi vobis.

86. Quàm ergo mundo & simplici oculo opus est, ut inveniatur via sapientiæ, cui tantæ malorum & perversorum hominum deceptiones erroresque obstrepunt, quos omnes evadere, hoc est venire ad certissimam pacem & immobilem stabilitatem sapientiæ. Vehementer enim metuendum est, ne studio altercandi & contendendi quisque non videat quod à paucis videri potest, ut parvus sit strepitus contradicentium, nisi etiam ipse sibi obstrepat. Quò pertinet etiam illud, quod Apostolus dicit, Servum autem Domini non oportet litigare, sed 2. Tim. 2. mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in « 24. &c. modestia corripientem diversa sentientes, ne fortè « det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veri- « tatem. *Beati ergo pacifici; quoniam ipsi filij Dei vo-* Matth. 5. 9. *cabuntur.*

87. Conclusio ergo hujus totius sermonis quàm terribiliter inferatur, valde adtendendum est: *Om-* Matth. 7. *nis ergo*, inquit, *qui audit verba mea hæc, & facit* 24. *ea, similis est viro sapienti qui ædificavit domum suam super petram.* Non enim quisque firmat quod audit vel percipit, nisi faciendo. Et si petra Christus est, 1. Cor. 10. 4. sicut multa Scripturarum testimonia prædicant, ille ædificat in Christo, qui quod audit ab illo, facit. *Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt ven-* Matth. 7. *ti, & offenderunt in domum illam, & non* [a] *cecidit;* 25. *fundata enim erat supra petram.* Non ergo iste metuit ullas caliginosas superstitiones: (quid enim aliud intelligitur pluvia, cùm in mali alicujus significatione ponitur?) aut rumores hominum, quos ventis comparatos puto: aut vitæ hujus fluvium, carnalibus concupiscentiis tamquam fluentem super terram. Horum enim trium qui prosperitatibus inducitur, adversitatibus frangitur: quorum nihil metuit, qui fundatam habet domum super petram, id est, qui non solùm audit præcepta Domini, sed etiam facit. Et his omnibus periculosè subjacet, qui audit & non facit: non enim habet stabile fundamentum, sed audiendo & non faciendo ruinam ædificat. Ait enim consequenter, *Et omnis qui au-* v. 26. *dit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificat domum super arenam;* * *descendit* v. 27. *pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & offenderunt in domum illam, & cecidit, & facta est, ruina ejus magna.* * *Et factum est cùm consummasset Jesus* v. 28. *verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, non quasi Scribæ eorum.* [b] Hoc est quod antè dixi per Prophe- b tam esse significatum in Psalmis, cùm diceret, Fi- Psal. 11. 6. ducialiter agam in eo, eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, « purgatum septuplum. Propter quem numerum ad- « monitus sum etiam præcepta ista ad septem illas re- « ferre sententias, quas in principio sermonis hujus posui, de Beatis cùm diceret; & ad illas septem operationes Spiritus-sancti, quas Isaias propheta Isai. 11. 2. commemorat: sed sive iste ordo in his considerandus sit, sive aliquis alius, facienda sunt quæ audivimus à Domino, si volumus ædificare super petram.

[a] Sic MSS. At editi excepto Mar. *non potuerunt illam movere.*
[b] Apud Am. Et. & Lov. additur, *& Pharisæi.* Id tamen hîc nullo in MS. reperimus, nec apud Mar. Est quidem in versione Vulgata, sed non exstat in textu Græco.

DE SUBSEQUENTI OPERE.

Libri II. Retractationum Caput XII.

Sunt quædam expositiones quorumdam locorum ex Evangelio secundùm Matthæum, & aliæ similiter secundùm Lucam; in unum librum illæ, in alterum istæ redactæ sunt. Titulus operis hujus est, *Quæstiones Evangeliorum.* Sed quare illa sola de supradictis Evangelicis libris exposita fuerint, quæ his libris meis continentur, & quæ ista sint, prologus meus, adjunctis atque adnumeratis eisdem quæstionibus, ita ut quisque legere quod voluerit, numeros secutus inveniat, satis indicat. Quæstio 17. Mat. 20. 17. In primo ergo libro in eo quod positum est, *Dominum seorsum duobus discipulis suam retulisse passionem*, mendosi- Quæst. 5. tas codicis nos fefellit. nam, *duodecim* scriptum est, non *duobus.* In secundo libro volens exponere quomodo duos patres Deut. 25. 5. potuerit habere Joseph, cujus conjunx dicta est virgo Maria, illud quod perhibetur fratrem duxisse defuncti fratris uxorem, ut ei semen secundùm Legem suscitaret, ideo dixi *esse infirmum, quoniam qui nasceretur, nomen defuncti Lex eum jubebat accipere.* non est verum. Nomen enim defuncti quod dictum est, ad hoc Lex valere præcepit, ut ejus filius diceretur; non ut hoc quod ille vocaretur. Hoc opus sic incipit: *Hoc opus non ita scriptum est.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
QUÆSTIONUM EVANGELIORUM
LIBRI DUO. *

* Scripti versùs Christi annum 400.

PROLOGUS.

Hoc opus non ita scriptum est, ac si Evangelium exponendum ex ordine susceptum esset à nobis: sed pro arbitrio & tempore consulentis, cum quo legebatur, si quid ei videbatur obscurum. Ideoque multa, & fortassis obscuriora prætermissa sunt; quia jam ea noverat, qui ea quæ nondum noverat, inquirebat, nec teneri volebat festinationem suam in iis, quæ antea jam sic acceperat, ut etiam assiduitate audiendi atque tractandi, memoriæ B stabiliter firméque mandaret. Nonnulla etiam hîc non eodem ordine inveniuntur exposita, quo in Evangelio narrata sunt; quoniam quædam festinatione dilata, cùm tempus daretur, retractabantur, & eo loco scribebantur, qui vacuus in ordine jam expositarum rerum subsequebatur. Quod postea quàm comperi, ne quis fortè quærens aliquid legere in hoc opere, quod eum in Evangelio movisset & ad quærendum excitasset, tædio perturbati ordinis offenderetur, (quandoquidem ea C quæ carptim ut poterant dictabantur, in unum collecta & contexta cognovi;) feci ut ad ordinem numerorum præscriptis titulis, quod cuique opus esset, facilè investigaret.

a Tituli [a] Quæstionum libri I. in Evangelium secundùm Matthæum.

I. *Quod ait, Nemo novit Filium nisi Pater.*
II. *Quod discipuli Domini cæperunt vellere spicas, & manducare.*
III. *De lino fumigante.*
IV. *De cæco & muto.*
V. *Quod ait, Etsi ego in Beelzebub ejicio dæmones.*
VI. *Quod ait, Progenies viperarum.*
VII. *Quod ait, Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus.*
VIII. *Quod ait, Cùm spiritus immundus exierit ab homine.*
IX. *De fructu centeno, sexageno & triceno.*
X. *Quod ait, Colligite primò zizania.*
XI. *De grano sinapis quod majus fit omnibus oleribus.*
XII. *De fermento quod accepit mulier, & abscondit in farinæ satis tribus.*
XIII. *De thesauro in agro absconditо.*
XIV. *Quod dixerunt Judæi, Unde huic sapientia hæc & virtus.*
XV. *Quod ambulavit in mari ad discipulos.*
XVI. *Quid sit, Munus quodcumque est ex me tibi proderit.*
XVII. *Quod ait, Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus eradicabitur.*
XVIII. *De puero Centurionis & filia Chananææ mulieris.*
XIX. *Quid significent muti & cæci & surdi & claudi, qui curandi oblati sunt Domino.*
XX. *Quod ait, Facto vespere dicitis, Serenum erit, rubicundum est enim cælum.*
XXI. *Quod ait, Elias quidem venturus est, & restituet omnia.*
XXII. *De illo qui sæpe cadebat in ignem & aliquando in aquam.*
XXIII. *Quod ait, Ergo liberi sunt filij, cùm tributum exigeretur.*
XXIV. *Quod ait, Qui autem scandalizaverit unum ex pusillis istis.*
XXV. *Quod oblatus est ei debitor decem millium talentorum.*
XXVI. *De divite qui non intrat in regnum Dei.*
XXVII. *Quod* * *duobus seorsum discipulis se passurum indicat.* * duodecim; ex 2. Retr. 12.
XXVIII. *Quod cùm Jericо egrederetur duos cæcos illuminat.*
XXIX. *Quod ait discipulis, Dicetis monti huic Tolle & jacta te in mare.*
XXX. *Quod ait, Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur.*
XXXI. *De homine rege qui fecit nuptias filio suo.*
XXXII. *De septem fratribus qui unam uxorem habuerunt.*
XXXIII. *Quid sit quod ait, Tota Lex pendet in his duobus præceptis.*

* Horum librorum ætatem colligimus non modò ex Retractationum serie, ubi locum habent inter opuscula circiter annum Christi 400 edita: sed etiam ex illis Augustini verbis lib. 2. q. 13. *Jam clarificatâ*, inquit, *Ecclesiâ & liberato populo Gentium à dominatione dæmoniorum; in abditis agunt sacrilegos ritus suos qui Christo credere noluerunt,* quæ profectò verba significant id temporis non licuisse palàm colere idola: quam in rem leges anno 399. dedit Imperator Honorius.

a Quæstionum titulos ab Erasmo & Lovaniensibus immeritò rejectos, huc revocamus ex MSS. & antiquioribus edicis.

XXXIV. *Quod ait, Quid enim majus est aurum an templum quod sanctificat aurum.*
XXXV. *Quod ait, Excolantes culicem, camelum autem glutientes.*
XXXVI. *Quod ait, Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina.*
XXXVII. *Quod ait, Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato.*
XXXVIII. *Quod ait, Sicut fulgur exit ab Oriente & pervenit usque in Occidentem.*
XXXIX. *Quod ait, Ab arbore fici discite similitudinem.*
XL. *Quod ait de Juda, Bonum erat illi non nasci.*
XLI. *Quod triginta argenteis venditus est.*
XLII. *Quod ait, Ubi fuerit corpus, illò congregabuntur aquilæ.*
XLIII. *Quod ait, Non biham à modo de hac generatione vitis.*
XLIV. *Quod spuerunt in faciem ejus & colaphis eum percusserunt.*
XLV. *De trina Petri negatione.*
XLVI. *Quod à longè secutus est Dominum eundem ad passionem.*
XLVII. *Quod ter Dominus oravit priùs quàm traderetur.*

Tituli Quæstionum libri II. in Evangelium secundùm Lucam.

I. *Quod Zacharias audit ab Angelo, Exaudita est oratio tua.*
II. *Quod de navicula docet turbas.*
III. *Quod ait leproso mundato, Vade, ostende te sacerdoti.*
IV. *De paralytico qui per tectum est ad eum depositus.*
V. *Quomodo duos patres habere potuerit Ioseph.*
VI. *De septuaginta-septem generationibus.*
VII. *De eo qui habebat dexteram manum aridam.*
VIII. *Quod ait, Mensuram bonam, confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*
IX. *Quod ait, Numquid potest cæcus cæcum ducere?*
X. *De illo qui fodit in altum & posuit fundamentum super petram.*
XI. *De pueris sedentibus in foro & ad invicem clamantibus.*
XII. *Quod ait, Nemo lucernam accendens operit eam vasè, aut subtus lectum ponit.*
XIII. *De illo in quo erat legio dæmoniorum.*
XIV. *De septuaginta-duobus discipulis.*
XV. *Quod ait, Si quod in te est lumen tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt.*
XVI. *Quod ait, Nunc vos Pharisæi quod de foris est calicis & catini mundatis.*
XVII. *De digito Dei.*
XVIII. *De jejunio filiorum sponsi.*
XIX. *De illo qui descendens ab Ierusalem in Iericho incidit in latrones.*
XX. *Quod Martha excepit illum in domum suam, ubi Maria sedebat ad pedes ejus.*
XXI. *De illo qui media nocte ab amico petit tres panes.*
XXII. *De pane & pisce & ovo.*
XXIII. *Quod ait, Tulistis clavem scientiæ.*
XXIV. *Quod ait, Anima plus est quàm esca.*
XXV. *Quod ait, Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes.*
XXVI. *De mensura tritici quam dat fidelis dispensator familiæ.*
XXVII. *Quod ait, Cùm videritis nubem orientem ab Occasu.*
XXVIII. *Quod ait de statura corporis cui non possint aliquid addere.*
XXIX. *Quod ait, Nolite in sublime extolli.*
XXX. *De invitatis ad cœnam.*
XXXI. *De fumtibus ad turrem ædificandam, & rege qui habet viginti millia.*
XXXII. *De sale infatuato & ove perdita.*
XXXIII. *De duobus filiis quorum junior profectus est in regionem longinquam.*
XXXIV. *Quod ait, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*
XXXV. *Quod ait, Si in alieno fideles non fuistis.*
XXXVI. *Quod ait, Nemo potest duobus dominis servire.*
XXXVII. *Quod ait, Regnum cælorum vim patitur.*
XXXVIII. *De divite ad cujus januam jacebat Lazarus ulcerosus.*
XXXIX. *Quod dixerunt discipuli Domino, Adauge nobis fidem.*
XL. *De decem leprosis.*
XLI. *De illo qui in tecto est, & vasa ejus in domo.*
XLII. *De illo qui in agro est, ut non redeat retrò.*
XLIII. *De uxore Loth.*
XLIV. *De duobus in lecto & duabus molentibus & duobus in agro.*
XLV. *De judice iniquo quem vidua interpellabat.*
XLVI. *De homine nobili qui abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum.*
XLVII. *De camelo per foramen acus.*
XLVIII. *De cæco illuminato cùm propinquaret ad Iericho.*
XLIX. *De vita Sanctorum cùm resurrexerint.*
L. *Quod ait, Orate ne intretis in tentationem.*
LI. *Quod scriptum est de Domino, Finxit se longiùs ire.*

LIBER PRIMUS.

Quæstiones in Evangelium secundùm Matthæum.

QUÆST. I. *Matth.* 11. 27.

CUM diceret, *Nemo novit Filium nisi Pater*, non dixit, *& cui voluerit Pater revelare:* quemadmodum cùm diceret, *Nemo novit Patrem nisi Filius*, addidit, *& cui voluerit Filius revelare.* Quod non ita intelligendum est, quasi Filius à nullo possit cognosci, nisi à Patre solo; Pater autem non solùm à Filio, sed etiam ab eis quibus revelaverit Filius. Sic enim potiùs dictum est, ut intelligamus & Patrem & ipsum Filium per Filium revelari; quia ipse est menti nostræ lumen: ut quod postea intulit, *& cui voluerit Filius revelare*, non tantùm Patrem, sed etiam Filium accipias: ad totum enim quod dixit, illatum est. Verbo enim suo ipse Pater declaratur: verbum autem non solùm id quod per verbum declaratur, sed etiam seipsum declarat.

QUÆST. II. *Matt.* 12. 1. *Col.* 3. 5.

QUOD discipuli Domini *cœperunt vellere spicas, & manducare*, quod nisi confricantes eas, facere non possent, hinc est, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: id est, quia quisque non transit in corpus Christi, nisi carnalibus exspoliatus fuerit indumentis: hinc est &, Exuite vos veterem hominem: hinc est &, Circumcisione non manufacta in exspoliatione carnis.

Ibidem 9. *Col.* 2. 11.

QUÆST. III. *Matt.* 12. 20. a

IN [a] *lino fumigante* notandum, quia & desertum lumine facit putorem.

QUÆST. IV. *Matth.* 12. 22. *Rom.* 10. 10.

TUNC *oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus*: id est, qui non credit, & subditus est diabolo: qui non intelligit, & non confitetur ipsam fidem, de qua dictum est, Ore autem confessio fit in salutem: vel qui non dat laudem Deo.

QUÆST. V. *Matth.* 12. 27. *&c.*

QUOD dixit, *Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones*, etiam secundùm vestram sententiam: *igitur pervenit in vos regnum Dei*: quia regnum diaboli stare non potest, quod adversùm se divisum esse fatemini. Regnum Dei nunc dicit, quo damnantur impij, & à fidelibus de peccatis suis pœnitentiam nunc agentibus secernuntur. Fortem illum appellat, quia ipse tenebat ne possent viribus suis ab illo se homines eruere, sed per gratiam Dei. Vasa ejus dicit omnes infideles. *Nisi priùs alligaverit fortem: alligaverit* dixit, potestatem illi ademerit impediendi voluntatem fidelium à sequendo Christo, & obtinendo regno Dei.

QUÆST. VI. *Matth.* 12. 34.

PROGENIES *viperarum* eos dicit, quia & diaboli filios eos appellat. Intantum enim quisque filius ejus est, inquantum eum peccando imitatur.

QUÆST. VII. *Matth.* 12. 40.

SICUT *enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Sextæ feriæ diei partem qua sepultus est cum præterita nocte, pro nocte & die accipias, hoc est pro toto die; sabbati noctem & diem; & noctem dominicam cum eodem die illucescente: ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum & tres noctes. Quod enim dicuntur decem menses prægnantis, novem sunt pleni: sed initium decimi pro toto accipitur.

Et quod se Dominus ostendit in monte, post sex dies factum dicit unus Evangelista; alter verò post octo dies dicit, partem posteriorem primi diei in quo futurum hoc Dominus promisit, & partem priorem novissimi diei in quo completum est quod promisit, pro totis atque integris diebus annumerans: ut intelligas eum qui dixit, post sex dies, solos medios commemorasse, qui verè toti atque integri completi sunt. In Genesi enim à lumine incipit dies, & finit ad tenebras, ad significandum lapsum hominis: nunc autem à tenebris ad lucem, sicut dictum est, De tenebris lucem clarescere: quia à peccatis homo liberatus, pervenit ad lucem justitiæ. *Matth.* 17. 1. *Luc.* 9. 28. *Gen.* 1. 5. *&c.* 2. *Cor.* 4. 6.

QUÆST. VIII. *Matth.* 12. 43. *Ibidem* 45.

CUM *spiritus immundus exierit ab homine*, significat quosdam ita credituros, ut ferre non possint labores continentiæ, & ad sæculum redituri sint. Quod dictum est, *Assumit secum alios septem*, intelligitur quia cùm quis ceciderit de justitia, etiam simulationem habebit. Cupiditas enim carnis expulsa per pœnitentiam à consuetis operibus, cùm non invenerit in quibus delectationibus conrequiescat, avidiùs redit, & rursus occupat mentem hominis, [b] si cùm pulsa esset, negligentia subsecuta est, ut non introduceretur tamquam habitator mundatæ domui sermo Dei per sanam doctrinam. Et quoniam non solùm habebit illa septem vitia, quæ septem [c] virtutibus spiritalibus sunt contraria, sed etiam per hypocrisim se ipsas virtutes habere simulabit: propterea assumtis secum septem aliis nequioribus, hoc est, ipsa septenaria simulatione, redit illa concupiscentia, ut sint novissima hominis pejora quàm erant prima.

QUÆST. IX. *Matth.* 13. 8. & 23. d

QUOD dicit, *Aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum*: centesimum Martyrum, propter [d] satietatem vitæ vel contemtum mortis: sexagesimum Virginum, propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis; solet enim otium concedi sexagenariis post militiam, vel post actiones publicas: tricesimum conjugatorum, quia hæc est ætas prœliantium; ipsi enim habent aeriorem conflictum, ne libidinibus superentur.

QUÆST. X. *Matth.* 13. 25. *&c.*

OMNIS immunditia in segete, *zizania* dicuntur. Quod primò separata *zizania* dicuntur, quia tribulatione præcedente separabuntur impij à piis: quod per bonos Angelos intelligitur fieri; quia officia vindictæ possunt implere boni bono animo, quomodo [e] rex, quomodo judex; officia verò misericordiæ mali imperare non possunt.

QUÆST. XI. *Matth.* 13. 31.

GRANUM *sinapis* ob fervorem fidei, vel quòd dicatur venena expellere, majus sit omnibus oleribus, id est dogmatibus. Dogmata autem sunt placita sectarum, id est, quod placuit singulis sectis.

QUÆST. XII. *Matth.* 13. 33.

FERMENTUM *quod accepit mulier, & abscondit in farinæ satis tribus*: Mulierem, sapientiam dicit: fermentum, dilectionem; quod fervefacit &

[a] In editis Quæstio 3. sic incipit, *Arundinem quassatam Judæos dicit, propter quod & unum erant, & ab invicem discrepabant*: tum sequitur, *In lino fumigante* &c. At in MSS. omnibus caret prima illa parte; adeoque in Quæstionum elencho prænotatur, non *de arundine quassata*, sed hoc tantùm, *De lino fumigante.*

[b] Am. Er. & Lov. *sic cùm expulsa esset justitia, negligentia subsecuta est.* Emendamus ad octo MSS. & ad editionem Rat.

[c] MS. Corb & Sanvictorini duo, *virtutum spiritibus.*

[d] Rat Am. Er. & octo MSS *sanctitatem.*

[e] Sic Rat. & MS. Cisterciensis. At alij codices, *lex.*

excitat. In farinæ autem satis tribus, vel tria illa in homine, Ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente; vel tria illa fructifera, Centenum, sexagenum, tricenum; vel tria illa genera hominum Noë, Daniel, & Job.

Quæst. XIII. *Matth.* 13. 44. THESAURUM *in agro absconditum*, dixit duo Testamenta Legis in Ecclesia, quæ quis cùm ex parte intellectus adtigerit, sentit illic magna latêre: & *vadit & vendit omnia sua, & emit agrum illum*, id est, contemtu temporalium comparat sibi otium, ut sit dives cognitione Dei.

Quæst. XIV. *Matth.* 13. 56. 1. *Cor.* 1. 24. QUOD dixerunt Judæi, *Vnde huic sapientia hæc & virtutes?* Sapientia in his quæ loquebatur, virtutes in his quæ operabatur. Ideoque & Apostolus cùm dixit Christum Dei virtutem & Dei sapientiam: virtutem ad signa retulit propter Judæos, sapientiam autem ad doctrinam propter Græcos, id est, Gentes.

Quæst. XV. *Matth.* 14. 26. *Luca* 18. 8. QUOD dixerunt discipuli *phantasma esse*, significat id quod dictum est, Putas inveniet fidem in terra: quia quidam qui cesserint diabolo, de Christi adventu dubitabunt. Quod autem Petrus implorat à Domino auxilium, ne mergatur, significat quibusdam tribulationibus etiam post ultimam persecutionem purgandam esse Ecclesiam. Quod

1. *Cor.* 3. 15. & Paulus significat dicens, Salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Quod sequitur, ut adorantes omnes qui in navi erant, dicerent, *Verè filius Dei es*,

Matt. 14. 33. significat claritatem ejus tunc manifestam futuram, per speciem jam videntibus, qui per fidem nunc ambulant.

Quæst. XVI. *Matth.* 15. 5. MUNUS *quodcumque est ex me, tibi proderit*, id est, munus quod offers causâ mei, ad te jam pertinebit: quibus verbis significant filij jam non sibi opus esse parentum pro se oblationes, quòd ad eam ætatem pervenissent, ut possent jam ipsi offerre pro se. In hac ergo ætate constitutos, ut possent parentibus suis hoc dicere, cùm hoc dixissent, negabant Pharisæi reos esse, si parentibus suis non præstarent honorem.

Quæst. XVII. *Matth.* 15. 13. OMNIS *plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur*, id est, carnalis cupiditas, secundùm quam sentientes offendebantur de prætermissis rerum signis, vel etiam traditionibus suis; & præcepta vitæ non curabant, quæ à cupiditate animum purgant.

Quæst. XVIII. *Matth.* 8. 13. & *cap.* 15. 28. QUOD & *puerum Centurionis*, & *filiam Chananææ mulieris* non veniens ad domos eorum, salvat, significat gentes ad quas non venit, salvas fore per verbum suum. Quod ipsis rogantibus filij sanantur, intelligenda est Ecclesiæ persona, quæ sibi est & mater & filij: nam simul omnes, quibus constat Ecclesia, mater dicitur; singuli autem iidem ipsi filij appellantur.

Quæst. XIX. *Matth.* 15. 30. QUOD turbæ obtulerunt Domino *mutos*, qui Deum non laudant, vel non confitentur fidem: *cæcos*, qui non intelligunt, etiamsi obtemperant jubentibus: *surdos*, qui non obtemperant, etiamsi intelligunt: *claudos*, qui præcepta non implent.

Quæst. XX. *Matth.* 16. 2. *&c.* QUOD dixit Dominus, *Facto vespere dicitis, Serenum erit, rubicundum est enim cælum*, id est sanguine passionis Christi, in primo adventu indulgentia peccatorum datur. *Et manè, Hodie tempestas, rubet enim cum tristitia cælum*, id est, quòd secundo adventu igne præcedente venturus est. *Faciem ergo cæli judicare nostis, signa autem temporum non potestis?* Signa temporum dixit de adventu suo vel passione, cui simile est roseum cælum vespere: & item de tribulatione ante adventum suum futura, cui simile est manè roseum cum tristitia cælum.

Quæst. XXI. *Matth.* 17. 11. QUOD dixit Dominus, *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*, id est, vel eos quos persecutio Antichristi conturbaverit; vel ut ipse restituat moriendo quæ debet.

Quæst. XXII. *Matth.* 17. 14. *Ibidem* 18. QUOD dixit, *Sæpe cadit in ignem, & aliquando in aquam.* Ignem ad iram, quod alta petat: aquam ad voluptates carnis. Item quod dicunt discipuli, *Quare nos non potuimus ejicere eum?* ne illis miraculis faciendis extollerentur in superbiam, admoniti sunt potiùs per humiliatem fidei, quasi per sinapis granum, elationem terrenam, quæ montis nomine significata est, curare ut transiret.

Quæst. XXIII. *Matth.* 17. 25. QUOD dixit, *Ergo liberi sunt filij.* In omni regno intelligendum est liberos esse filios, id est, non esse vectigales. Multò ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filij regni illius sub quo sunt omnia regna terrena.

Quæst. XXIV. *Matth.* 18. 6. QUOD Dominus dicit, *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis*, id est, ex humilibus, quales vult esse discipulos suos non obtemperando, vel etiam contraveniendo, sicut de Alexandro ærario Apostolus dicit. *Expedit ei ut mola asinaria suspendatur collo ejus, & præcipitetur in profundum maris*, id est, congruit ei ut cupiditas rerum temporalium, cui stulti & cæci colligantur, eum devinctum pondere suo deducat ad interitum.

2. *Tim.* 4. 14. *Matt.* 18. 6.

Quæst. XXV. *Matth.* 18. 24. *&c.* QUOD *oblatus est Domino debitor decem millium talentorum & jussit eum venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi:* intelligendum est decem præceptorum Legis eum fuisse debitorem; & pro cupiditate atque operibus suis, tamquam uxore & filiis, pœnas solvere debuisse, quod est pretium ejus: pretium enim venditi, supplicium damnati intelligitur. Quod dixit, *Noluit ignoscere conservo suo, sed abiit & misit eum in carcerem*, & reliqua: intelligendum, tenuit contra eum hunc animum, ut supplicia illi vellet. Conservi autem qui narraverunt Domino quæ fiebant, potest intelligi Ecclesia, quæ & illum solvit, & illum ligat.

Quæst. XXVI. *Matth.* 19. 23. & 25. QUOD ait Dominus, *divitem non intrare in regnum Dei:* & discipuli dicunt, *Quis potest salvus fieri?* cùm pauci sint divites in comparatione multitudinis pauperum: intelligendum quòd omnes qui talia cupiunt, in eorum numero haberi animadverterint.

Quæst. XXVII. *Matth.* 20. 17. * duodecim ex 2. *Retr.* 12. *Matth.* 18. 16. QUOD Dominus *seorsum se* * *duobus discipulis passurum refert*, ad confirmandum in posterum testimonium fecit: quia dixit, In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Ut enim neque vulgaretur quod dicebat, neque careret humani testimonij firmitate, paucioribus quàm duobus dicere non potuit. Vel ad sacramentum caritatis ostendendum: minùs enim quàm inter duos caritas esse non potest. Erat autem ille non necessitate debiti propter peccatum suum, sed ad solvenda nostra peccata caritate passurus.

Quæst. XXVIII. *Matth.* 20. 29. *&c.* AB *Iericho egreditur Dominus*, jam de ista terra resurrectione discedens. *Sequuntur eum turbæ multæ*, credunt in eum populi & gentes: *Duo* autem *cæci sedentes juxta viam*, significant de utroque populo quosdam jam cohærentes per fidem dispensationi temporali, secundùm quam Christus via est; & desiderantes illuminari, id est, aliquid de Verbi æternitate intelligere, quod transeunte Jesu impetrare cupiebant, id est, per meritum fidei qua creditur Filius Dei & natus homo & passus propter

nos. Per hanc enim dispensationem quasi transit Jesus, quia talis actio temporalis est. Oportebat autem ut tantum clamarent, donec resistentis sibi turbæ strepitum vincerent, id est, tam perseveranter animum intenderent orando atque pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, quæ tamquam turba obstrepit cogitationi lucem veritatis æternæ videre conanti, vel ipsam hominum carnalium turbam studia spiritalia impedientem, fortissima intentione superarent. Itaque

Matth. 7. 7. audiens Jesus qui ait, Petenti dabitur, & quærens inveniet, & pulsanti aperietur, venientes ad se, ipso scilicet desiderij ardore pervenientes ad id quod desiderant, stans eos tangit, atque illuminat. Non enim sicut illa dispensatio temporalis, ita

Sap. 7. 27. etiam Verbi æternitas transit, quæ in seipsa manens omnia innovat. Quapropter quia fides incarnationis temporalis ad æterna intelligenda nos præparat, transeunte Jesu admoniti sunt ut illuminarentur, & ab stante illuminati sunt. Temporalia enim transeunt, æterna stant.

Quæst. XXIX. *Matth.* 21. 21. QUOD Dominus dicit discipulis suis, *Dicetis monti huic, Tolle & jacta te in mare*, de superbia dixit quæ ad sæculares pertinet: hoc sibi servus Dei dicere debet, ut eam à se repellat, quia ipsi non congruit. Vel quòd per eorum fidem, quia per eos Evangelium prædicatum est, ipse Dominus qui mons appellatus est, ablatus est à Judæis, ut in gentes tamquam in mare porrò jaceretur.

Quæst. XXX. *Matth.* 21. 44. QUOD Dominus dicit, *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum:* de his dicit quòd cadent super eum, qui illum modò contemnunt, vel injuriis afficiunt; ideo nondum penitus intereunt, sed tamen confringuntur, ut non rectè ambulent: super quos autem cadit, veniet illis de super in judicio cum pœna perditionis; ideo dixit, Conteret eos, ut sint impij tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie

Psal. 1. 4. terræ.

Quæst. XXXI. *Matth.* 22. 2. QUOD Dominus dixit, *Simile est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo:* nuptias dixit Verbum incarnatum, quia in ipso homine suscepto Ecclesia Deo copulata est. Quod dixit,

v. 4. *Tauri mei & altilia occisa sunt:* tauros dixit principes plebium; altilia vero omnia saginata. Quod

v. 9. dixit Dominus, *Ite ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias:* viæ intelliguntur dogmata gentium; quia ex omnibus illis ad nuptias venerunt, id est, Christo crediderunt.

Quæst. XXXII. *Matth.* 22. 25. QUOD Sadducæi dicunt Domino, *Fuerunt apud nos septem fratres, & unus accepta uxore obiit, & secundus, & ceteri*, intelliguntur homines impij, qui fructum justitiæ non potuerunt afferre in terra per omnes septem mundi ætates, quibus ista terra constitit: postea enim & ipsa terra transiet, per quam omnes illi quasi septem mariti steriliter transierunt.

Quæst. XXXIII. *Matth.* 22. 40. QUOD Dominus dicit, *In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ: pendet* dixit, id est, illò refertur, ibi habet finem.

Quæst. XXXIV. *Matth.* 23. 17. QUOD Dominus dixit, *Quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum?* & item dixit, *Quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum?* intelligendum templum & altare ipsum Christum: aurum & donum, laudes & sacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus. Non enim ille per hæc, sed ista per illum sanctificantur.

Quæst. XXXV. *Matth.* 23. 23. & 24. QUOD Dominus dixit, *Excolantes culicem*, refertur ad id quod dixit, decimare illos minuta quæque. *Camelum glutientes*, refertur ad id quod dixit, *Præteritis graviora Legis, misericordiam & judicium & fidem:* ut iste sit sensus, Minima observatis, maxima contemnitis. Ex hac enim perversitate etiam illud eis accidit, quò possunt hæc per allegoriam referri, ut dimitterent Barabbam, quia videlicet

Matth. 27. 20. ipse non solveret sabbatum, quod magnâ diligentiâ carnaliter observabant: occiderent autem Dominum spiritaliter sabbatum insinuantem per misericordiam & judicium & fidem, quæ illi maximè contemnebant. Nam & culicis nomine non absurdè figuratur seditiosus homicida; quia hoc animal & strependo inquietat, & sanguine delectatur: & cameli nomine propter humiliantem se ad subeunda onera magnitudinem, intelligitur congruenter Dominus.

Quæst. XXXVI. *Matth.* 23. 37. QUOD dixit Dominus ad Jerusalem, *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat filios suos sub alas, & noluisti?* Hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta & ipsa infirmetur; & quod difficiliùs in ceteris animantibus invenies, alis suis filios protegens, contra milvum pugnet: sic etiam mater nostra Sapientia Dei, per carnis susceptionem infirmata quodammodo: (unde & Apostolus dicit,

1. *Co.* 1. 25. Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus:) protegit infirmitatem nostram, & resistit diabolo, ne nos rapiat. In qua defensione, quod illa adversùs milvum conatur affectu, hæc adversùs diabolum perficit potestate.

Quæst. XXXVII. *Matth.* 24. 20. QUOD Dominus dixit, *Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato*, id est, ne impedimento aliquo detineamini: quia & hyeme, imbribus vel frigore; & sabbato, in quo proficisci non licebat, impediebatur quis ab itinere. Vel aliud, ne in tristitia aut lætitia rerum temporalium quis inveniatur à die illa.

Quæst. XXXVIII. *Matth.* 24. 27. *Luca* 24. 47. *Matth.* 26. 64. QUOD Dominus dicit, *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & pervenit usque ad Occidentem, ita erit & adventus filij hominis:* Orientis & Occidentis nomine totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia, incipiente Evangelio ab Jerusalem, secundùm illum sensum, quo dixit, A modò videbitis filium hominis venientem in nubibus. Convenienter enim [a] Ecclesiam nunc fulgur nominavit, quod maximè solet emicare de nubibus. Constituta ergo auctoritate Ecclesiæ per orbem terrarum clarâ atque manifestâ, consequenter discipulos admonet, atque omnes fideles, & qui in eum credere voluerint, ne schismaticis atque hæreticis credant. Unumquodque enim schisma, & unaquæque hæresis, aut locum suum habet in orbe terrarum, partem aliquam tenens; aut obscuris atque occultis conventiculis curiositatem hominum decipit. Quò pertinet quod ait, *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus aut illic*, quod significat

Marci 13. 21. terrarum partes & provinciarum: *aut in penetralibus, aut in deserto*, quod significat obscura & occulta conventicula hæreticorum. Quod ergo dixit, ab Oriente in Occidentem perventurum adventum suum, contra illos valet qui per terrarum particulas nominantur, & dicunt apud se esse Christum. Quod autem ait, *Sicut fulgur*, contra illos valet, qui occultè congregant tamquam in penetralibus,

[a] Tres MSS. *Convenienter enim etiam nunc fulgur* &c. Alij totidem, *Convenienter etenim jam nunc fulgur* &c.

& paucos tamquam in deserto: ad manifestationem quippe claritatemque pertinet Ecclesiæ, fulguris nomen, significans etiam noctem vel nubila sæculi hujus: tunc enim fulguris candor apparet.

QUÆST. XXXIX. *Matth.* 24. 32. QUOD Dominus dixit, *Ab arbore autem fici discite similitudinem.* Arborem fici genus humanum intellige, propter pruritum carnis. *Cùm jam ramus ejus tener fuerit*, id est, cùm filij hominum per fidem Christi ad spiritales fructus profecerint, & in eis honor adoptionis filiorum Dei eminuerit.

QUÆST. XL. *Matth.* 26. 24. QUOD Dominus de Juda dixit, *Bonum erat illi non natus*, utrùm in hanc vitam? ut usitatè locutus sit. Non enim potest bonum esse aliquid ei, qui non est. Et si quisquam contendit esse aliquam vitam ante istam, non Judæ tantùm ut nasceretur, sed nulli expedire convincitur. An diabolo dicit non nasci ad peccatum? An etiam bonum illi erat ut Christo non nasceretur per vocationem, ne esset apostata?

QUÆST. XLI. *Matth.* 26. 16. QUOD Dominus *triginta argenteis venditus est*, significat per Judam Judæos iniquos, qui sequentes carnalia & temporalia, quæ ad quinque sensus pertinent corporis, Christum habere noluerunt: quod

a quia sexta mundi ætate fecerunt, [a] sexies quinos eos tamquam pretium venditi Domini accepisse significatum est. De quo tempore talibus insultat Prophe-

Psal. 4. 3. ta, dicens, Filij hominum quò usque graves corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? ut si quinque ætatibus fuisset aliqua excusatio sequendæ vanitatis, vel sextâ comprehenderent veritatem, quæ per Dominum nostrum prædicabatur & demonstrabatur, sicut sexta die homo fac-

Gen. 1. 26. tus est ad imaginem Dei. Quod quia noluerunt, habent sexies quini impressam imaginem principis

Psal. 4. 7. sæculi, & non habent Christum per quem signatum est in nobis lumen vultus tui Domine. Et quia elo-

Psal. 11. 7. quium Domini argentum est, illi autem etiam ipsam legem carnaliter intellexerunt, tamquam in argento impressam sæcularis principatûs imaginem amisso Domino tenuerunt.

QUÆST. XLII. *Matth.* 24 28. QUOD Dominus dicit, *Ubi fuerit corpus, illò congregabuntur aquilæ*, id est in cælum, quò hinc secum levavit corpus in homine susceptо: quod etiam cadaver ideo appellatum est, quia moriturus hæc loquebatur. *Illò congregabuntur aquilæ*, dictum est de spiritalibus, qui ejus passionem humilitatemque imitando, tamquam de ejus corpore saturantur. Corpus enim propter humilitatem pro nobis passionemque susceptо.

QUÆST. XLIII. *Matth.* 26. 29. QUOD Dominus dicit sub tempus passionis discipulis, *Non bibam à modò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*, vult intelligi hoc vetus esse, cùm illud novum dicit. Quia ergo de propagine Adam, qui vetus homo appellatur, corpus susceperat, quod in passione morti traditurus erat, (unde etiam per vini sacramentum commendat sanguinem suum,) quid aliud novum vinum, nisi immortalitatem renovatorum corporum intelligere debemus? quod cùm dicit, *Vobiscum bibam*, etiam ipsis resurrectionem corporum ad induendam immortalitatem promittit. *Vobiscum* enim non ad idem tempus, sed ad eamdem innovationem dictum accipiendum est. Nam & nos dicit Apostolus resurrexisse cum Christo, ut spes rei futuræ jam præsentem lætitiam afferat. Quod autem de hoc genimine vitis etiam illud novum esse dicit, significat eadem utique corpora resurrectura secundùm innovationem cælestem, quæ nunc secundùm terrenam vetustatem moritura sunt. Si autem vitem de cujus vetustate hunc passionis calicem bibit, ipsos Judæos intellexeris, significatum est etiam ipsam gentem ad corpus Christi per novitatem vitæ accessuram, cùm ingressa plenitudine gentium omnis Israël salvus fiet. *Coloss.* 2. 12. *Rom.* 11. 25.

QUÆST. XLIV. *Matth.* 26. 67. QUOD dictum est, *Exspuerunt in faciem ejus*, significavit eos, qui ejus præsentiam gratiæ respuunt. Item tamquam colaphis eum cædunt, qui honores suos ei præferunt: palmas in faciem ejus dant, qui perfidiâ cæcati eum non venisse affirmant, tamquam præsentiam ejus exterminantes & repellentes.

QUÆST. XLV. *Matth.* 26. 70. *&c.* QUOD Petrus necdum solidatus in fide, Deum ter negavit, videtur ipsa trina ejus negatio pravum errorem hæreticorum designasse. Nam [b] error hæreticorum de Christo tribus generibus terminatur: aut enim de divinitate ejus, aut de humanitate, aut de utroque falluntur. b

QUÆST. XLVI. *Matth.* 26. 58. QUOD ad passionem euntem Dominum *à longè sequebatur Petrus*, significat Ecclesiam secuturam quidem, hoc est, imitaturam passionem Dominі, sed longè differenter: Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro Ecclesia.

QUÆST. XLVII. SICUT tentatio cupiditatis trina est, ita etiam tentatio timoris trina est. Cupiditati quæ in curiositate est, opponitur timor mortis: sicut enim in illa cognoscendarum rerum est aviditas, ita in ista metus amittendæ talis notitiæ. Cupiditati verò honorum vel laudis, opponitur timor ignominiæ & contumeliarum. Cupiditati autem voluptatis, opponitur timor doloris. Non absurdè ergo intelligitur propter trinam tentationem passionis, *ter Dominum* *Matth.* 26. 39. *oravisse ut transiret calix*, sed ita ut potiùs impleretur voluntas Patris.

[a] Editio Am. *sexies quini eos* &c. Sic etiam plerique MSS. apud quos rursum paulò infrà legebamus, *sexies quini*: ubi in editis habetur, *sexies quinque impressam* &c.

[b] In MSS. incipit quæstio XLV. ab istis verbis, *Error hæreticorum*: nec præmittuntur illa, *Quod Petrus necdum solidatus* &c horum tamen loco in quibusdam codicibus ponitur, *De trina*, vel, *In trina Petri negatione*. Præterea in Editis Rat. Am. & Er. ad istam quæstionem hæc subjiciuntur: *Notandum, quod Petrus semel ante primum galli cantum negavit Dominum, illos significasse qui Christum ante resurrectionem Deum esse non putaverunt, ejus morte turbati. Illud autem quod bis ante secundum galli cantum, eos qui nunc in illo vel secundum Deum, vel secundum hominem, vel secundum utrumque errant, & ideo veritatem negant ante Ecclesiæ resurrectionem: ut primus gallicantus intelligatur capitis resurrectio, hoc est ipsius Domini: secundus autem ipsius, sed in corpore universæ Ecclesiæ.* quæ absunt à ceteris codicibus, excepto uno MS. Cisterciensi.

LIBER SECUNDUS.

Quæstiones in Evangelium secundùm Lucam.

QUÆST. I. *Luc.* 1. 13. QUOD Zacharias orans pro populo, audit ab Angelo, *Exaudita est oratio tua, ecce Elizabeth uxor tua concipiet & pariet filium, & vocabis nomen ejus Iohannem*, primò hoc adtendendum est, quia non est veri simile, ut cùm pro populi peccatis vel salute vel redemtione ille offerret, si quidem populus eum exspectabat offerentem, quòd potuerit relictis publicis votis homo senex, uxorem habens anum, pro accipiendis filiis orare: præsertim quia nemo orat accipere, quod se accepturum esse desperat: usque adeo autem ille jam se habiturum filios desperabat, ut hoc Angelo promittenti non crederet. Ergo quod ei dicitur, *Exaudita est oratio tua*, pro populo intelligendum est: cujus populi quoniam salus & redemtio & peccatorum abolitio per Christum futura erat, ad hoc nuntiatur Zachariæ filius nasciturus, quia præcursor Christi destinabatur. Quod autem ei non credenti Angelo, ab eo-

v. 20. dem Angelo dicitur, *Et ecce eris tacens donec impleantur hæc in tempore suo*, intelligendum est significasse, quòd prophetia usque ad Johannem, tamquam à sono fileret intelligibili: quia non est intellecta, donec in Domino compleretur.

QUÆST. II *Luc.* 5. 3. QUOD Dominus *de navicula docet turbas*, significavit hoc tempus, quando Dominus de auctoritate Ecclesiæ docet gentes. Quod Dominus *ascendens in navim, quæ erat Petri, rogat eum à terra reducere pusillum*, significat vel temperatè utendum verbo ad turbas, ut nec terrena eis præcipiantur, nec sic à terrenis in profundiora sacramentorum re-

v. 4. cedatur, ut ea penitus non intelligant: vel priùs in proximis regionibus gentibus prædicandum: ut quod dicit item Petro, *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam*, ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, pertineat: sicuti Isaias

Isai. 62. 10. *&* 57. 19. dicit, Tolle signum in gentes, ad eas quæ propè, & ad eas quæ longè. Ut quod etiam retia rumpebantur piscium copiâ, & naviculæ impletæ sunt, ita ut mergerentur, significet hominum carnalium multitudinem tantam futuram in Ecclesia, ut etiam disruptione pacis, exeuntibus inde hæresibus & schismatibus, tanta remaneret, & tanta esset futura illi amissio fidei & bonorum morum, ut

Luc. 5. 8. Christo dicere videatur talis Ecclesia, *Exi à me, quia peccator homo sum:* tamquam turbis carnalium repleta, & eorum moribus penè submersa, regimen spiritalium, in quibus maximè Christi persona eminet, à se repellat quodammodo. Non enim hoc voce linguæ dicunt homines bonis ministris Dei, ut eos à se repellant: sed voce morum & actuum suorum suadent à se recedi, ne per bonos regantur: & eo vehementiùs, quo deferunt eis honorem, & tamen factis suis à se recedere admonent: ut honorificentiam eorum significaverit Petrus, cadens ad pedes Domini; mores autem in eo quod dixit, *Exi à me Domine, quia peccator homo sum.* Quod tamen quia non fecit Dominus; non enim recessit ab eis, sed eos subductis navibus ad littus perduxit: significat in bonis & spiritalibus viris non esse oportere hanc voluntatem, ut peccatis turbarum commoti, quo quasi securiùs tranquilliúsque vivant, munus ecclesiasticum deserant. Quòd ergo *subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum* Petrus & Jacobus & Johannes, potest significare finem temporis, quo ab hujus mundi salo, qui Christo inhæserint, penitus recessuri sunt.

QUÆST. III *Luc.* 5. 14. QUOD Dominus dicit leproso mundato, *Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis*: hìc videtur approbare sacrificium, quod per Moysen præceptum est, cùm id non receperit Ecclesia. Quod ideo jussisse intelligi potest, quia nondum esse cœperat sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus ejus est. Nondum enim in passione obtulerat holocaustum suum, quo sacrificio confirmato in credentibus populis, templum ipsum eversum est, ubi illa sacrificia offerri solebant. Hoc autem *Dan.* 9. 27. factum est secundùm prophetiam Danielis. Non enim oportebat auferri significantia sacrificia, priùs quàm illud quod significabatur confirmatum esset contestatione Apostolorum prædicantium, & fide credentium populorum.

QUÆST. IV *Luc.* 5. 18. *&c.* DE *paralytico*. Potest intelligi anima dissoluta membris, hoc est bonis operationibus, Christum quærere, id est, voluntatem Verbi Dei: impediri autem turbis, nisi tecta, id est, operta Scripturarum aperiat, ut per hæc ad notitiam Christi perveniat, hoc est, ad ejus humilitatem fidei pietate descendat. Hi autem à quibus deponitur, bonos in Ecclesia doctores possunt significare. Quòd autem cum lecto deponitur, significat ab homine in ista carne adhuc constituto Christum debere cognosci. Quem tamen lectum sanus postea jubetur portare, & ire in domum suam, ut remissione peccatorum convalescentibus per spem bonam membris animæ, hoc corpus restaurare intelligatur: ut jam non in carnalibus gaudiis tamquam in lecto requiescat infirmitas animi, sed magis ipsa contineat affectiones carnales, & tendat ad requiem secretorum cordis sui.

QUÆST. V. *Matth.* 1. 16. *Luc.* 3. 23. NON absurdè quæstio proponitur, *Quomodo potuerit duos patres habere Ioseph.* Nam Matthæus eum dicit genitum ab eo qui vocabatur Jacob, Lucas vero filium esse dicit ejus qui vocabatur Heli. Neque hoc loco illud dici potest, quòd unus homo, sicut non solùm apud gentes, sed etiam apud Judæos accidere solere manifestum est, duo nomina habuerit. Cetera enim serie generationum, qui hoc putat, facilè refellitur. Quid enim de avis, atavis, proavis, cete-risque majoribus dicturus est, quorum diversa nomina singuli Evangelistæ in sua quisque narratione contexunt? Quid postremò de ipso numero? quandoquidem Lucas à Domino usque ad David quadraginta-tres generationes enumerat, Matthæus autem à David usque ad Dominum viginti-octo vel viginti-septem? Certi enim sacramenti gratiâ usque ad transmigrationem, & ab ipsa item transmigratione unus bis numeratur. Quærendum igitur quomodo duos patres potuerit habere Joseph? Et mihi quidem in præsentia tres causæ occurrunt, quarum aliquam Evangelista se-

cutus sit. Aut enim unus erat Joseph naturalis pa-
Deut. 25. 5. ter, & alter eum adoptaverat : aut more Judæorum, cùm sine filiis unus decessisset, uxorem ejus propinquus accipiens, filium quem genuit propinquo mortuo deputavit ; ut cùm ab altero alteri genitus esset Joseph, convenienter duos patres habere diceretur. Aut unus Evangelista patrem ejus à quo genitus est nominavit : alter verò vel avum maternum, vel aliquem de cognatis majoribus posuit, cui propter consanguinitatis vinculum in filij loco Joseph non absurdè constitueretur, ut inde jam usque ad David non eumdem quem Matthæus generationum ordinem texeret. In quibus caussis illa videtur infirma, quam secundo loco posuimus : quia cùm quisque apud Judæos defuncto fratre vel propinquo prolem de uxore ejus exsuscitat, illud quod nascitur nomen defuncti solet * accipere. Ergo aut adoptio solvit istam quæstionem, aut origo majorum, aut aliqua alia caussa, quæ nobis in præsentia non occurrit. Quapropter tanta est eorum dementia, qui facilius dilabuntur ad Evangelistarum aliquem de mendacio criminandum, quàm caussas quærant, cur diversa patrum nomina singuli commemoraverint, ut temere dicatur duas solas esse caussas, quibus id rectè fieri potuerit, cùm tamen ad solvendam quæstionem vel unam invenire sufficiat.

* *id est*, ut ejus filius dicatur, non ut hoc quod ille vocetur, *ex 2. Reir. 12.*

Quæst. VI. *Luca 3. 23.* Quid sibi velit quòd septuaginta-septem personæ secundùm generationes, quas Lucas secutus est, inveniuntur, quæri potest. Nam & hujus numeri mentionem Dominus fecit, cùm eum Petrus de dimittendis peccatis fratris interrogasset. Ait enim, non solùm septies, sed septuagies-septies esse dimittendum. Unde rectè creditur commemoratione hujus numeri omnia peccata jussisse dimitti : quandoquidem ipse per quem peccata omnia dimissa sunt, septuagesima & septima generatione, secundùm Evangelistæ memorati testimonium, ad homines humaniter venire dignatus est. Convenientissimè autem, cùm sit etiam alia series generationum quam Mathæus explicat, hanc ille tenuit, qui baptizato Domino generationes ipsas per septuaginta & septem personas sursum versùs enumerat. Nam & reditus est & tamquam adscensus ad Deum, cui post peccatorum abolitionem reconciliamur, expressus, cùm sursum versùs per illas generationes adscenditur. Et utique per baptismum fit omnium remissio peccatorum, quæ illo numero significatur. Non enim in baptismo Domini ipsi Domino peccata dimissa sunt, sed ipsa ibi remissio peccatorum omnium, quæ misericordiâ ejus & potestate donata est hominibus, per illum baptismum Domini & per illum numerum generationum consecrata atque signata est. Nec temere Dominus & frustra septuagesima & septima generatione venit aboliturus omnia peccata, nisi quia in illo numero aliquid latet, quod ad significationem pertineat omnium peccatorum. Hoc autem in undenario & septenario considerandum est : qui numeri per se multiplicati, ad tantum perveniunt : nam undecies septem vel septies undecim, septuaginta & septem fiunt. Undecim autem transgressionem denarij significant : ac si in denario perfectio beatitudinis significatur, unde est etiam illud,
Matth. 18. 22.
Matth. 20. 2. quòd omnes conducti ad vineam, denario remunerantur, quod fit cùm septenaria creatura Trinitati creatoris adjungitur ; manifestum est quòd transgressio denarij peccatum significat per superbiam plus aliquid habere cupientis, & integritatem perfectionemque amittentis. Hoc autem septies propterea ducitur, ut motu hominis facta significetur illa transgressio. Ternario enim numero incorporea pars hominis significatur ; unde est quod ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente jubemur diligere Deum : quaternario verò corpus ; multis enim modis quadripertita invenitur natura corporis. Ex his ergo conjunctis homo constans, non absurdè septenario numero significatur. Motus autem in numeris non exprimitur, cùm dicimus, unum, duo, tria, quatuor, &c. sed cùm dicimus, semel, bis, ter, quater : quapropter, ut dixi, non septem & undecim, sed septies undecim, significatur transgressio, quæ motu facta est hominis peccantis, hoc est perfectionis suæ stabilitatem transgredientis cupiditate amplius aliquid habendi : ut tantò pòst per Prophetam animæ diceretur, Sperabas si à me discessisses, aliquid amplius te habituram ? Ex quo vitio superbiæ omnia peccata silvescunt : quæ tamen dimittuntur, cùm septuagies *Matth. 18. 22.* septies ignoscendum esse admonemur, ut intelligamus nullum peccatum excipi, quod pœnitenti & veniam deprecanti per Ecclesiam, cujus personam Petrus gestat, non dimittatur.

Deut. 6. 5. Matth. 22. 37.

Quæst. VII. *Luca 6. 9.* Quod dicit Dominus Judæis, de eo qui habebat manum dexteram aridam, *Interrogabo vos, si licet sabbato bene facere, an malè animam salvam facere, an perdere ?* Quæritur cùm corpus curaverit, quare sic interrogaverit, *animam salvam facere, an perdere ?* Vel quòd illa miracula propter fidem faciebat, ubi salus est animæ : vel quòd ipsa sanatio manus dexteræ, salutem animæ significabat, quæ à bonis operibus cessans, aridam quodammodo dexteram habere videbatur : vel animam pro homine posuit, sicut dici solet, Tot animæ ibi fuerunt.

Quæst. VIII. *Luca 6. 38.* Quod Dominus dicit, *Date, & dabitur vobis, mensuram bonam, confertam & coagitatam & superefluentem dabunt in sinum vestrum*, ex illa sententia accipi potest, qua dicit & alio loco, Ut ipsi recipiant vos in æterna tabernacula : ut plebi præceptum esse videatur, quod dictum est, *Date & dabitur vobis.* Secundùm quam sententiam dicit Apostolus, Communicet qui catechizatur verbo, ei qui se cathechizat in omnibus bonis. Non enim diceret, *dabunt in sinum vestrum*, nisi quia per illorum merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli dederint, mercedem cælestem recipere *Matth. 10. 42.* merebuntur.

Luca 16. 9.

Gal. 6. 6.

Quæst. IX. *Luca 6. 39.* Quod Dominus dicit, *Numquid potest cæcus cæcum ducere ? nonne ambo in foveam cadunt ?* fortasse hoc ideo subjunxerit, ne sperarent à Levitis se accepturos mensuram illam, de qua dixit, *Dabunt in sinum vestrum*, quoniam ipsis dabant decimas. Quos cæcos dixit, quia Evangelium non tenerent : ut illam remunerationem per discipulos Domini potiùs plebs inciperet jam sperare : quos imitatores suos volens ostendere, addidit etiam, *Non est discipulus super magistrum.*

Quæst. X. *Luca 6. 47. &c.* Quod Dominus dicit, *Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit, similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram* : fodere dixit, humilitate Christianâ omnia terrena exhaurire de corde suo ne propter aliquid tale Deum colat. In altum autem fodere, donec ad petram perveniat : in tantum Christum gratis sequi, &

gratis eum colere, ut non solùm non propter superflua, sed nec propter illa quæ videntur huic vitæ necessaria, & quæ sine culpa à quovis justo sumi & haberi possunt, tamen temporalia atque terrena sunt, colendus Deus putetur.

Quæst. XI. *Luca 7. 32.* De *pueris sedentibus in foro, & ad invicem clamantibus* conversò ordine ad proposita respondit. Nam quod ait, *Lamentavimus, & non plorastis*, ad Johannem pertinet, cujus abstinentia à cibis & potu, luctum pœnitentiæ significabat. Quod autem ait, *Cantavimus tibiis, & non saltastis*, ad ipsum Dominum, qui utendo cum ceteris cibo & potu, lætitiam regni figurabat. At illi nec humiliari cum Johanne, nec cum Christo gaudere voluerunt : dicentes illum dæmonium habere, istum voracem & ebriosum & amicum publicanorum & peccatorum. Quod autem subjungit, *Et justificata est Sapientia ab omnibus filiis suis*, ostendit filios Sapientiæ intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & temperantia per abundantiam non se corrumpendi, atque opportunè sumendi vel non sumendi ea quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his cum quibus tibi vivendum est. Neque quantum sumas multum interest ; cùm videamus aliorum stomachum citiùs satiari, & eos tamen illi ipsi parvo quo satiantur, ardenter & intolerabiliter & omnino turpiter inhiare : alios autem plusculo quidem satiari ; sed tolerabiliùs inopiam perpeti, & vel ante [a] ora positas epulas, si id in tempore aut opus sit, aut necesse sit, cum tranquillitate adspicere, neque tangere. Magis ergo interest, non quid vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personæ suæ & pro suæ valetudinis necessitate quis capiat ; sed quanta facilitate atque serenitate animi careat, cùm his vel oportet vel etiam necesse est carere : ut illud in animo Christiani compleatur quod Apostolus dicit, Scio & minus habere, scio & abundare, in omnibus & in omnibus imbutus sum, & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati : omnia possum in eo qui me confortat, &
Philip. 4. 12.
1. Cor. 8. 8.
Rom. 14. 17. illud, Neque si manducaverimus, abundabimus ; neque si non manducaverimus, egebimus. & illud, non est enim regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium. Et quia solent homines multùm gaudere de carnalibus epulis, addidit, in Spiritu sancto. Justificatur ergo sapientia ab omnibus filiis suis, qui intelligunt utendis terrenis tempora opportuna esse debere : facilitatem verò carendi talibus, & amorem fruendi æternis, non variari oportere per tempora, sed perpetuò retineri.

Quæst. XII. *Luca 8. 16.* Quod Dominus ait, *Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen* ; qui verbum Dei timore carnalium incommodorum abscondit, ipsam utique carnem præponit manifestationi veritatis, & eâ quasi cooperit verbum, timendo prædicare : eam itaque vasis & lecti nomine appellavit, sub quo lucernam ponere ait eum qui hoc facit.

Quæst. XIII. *Luca 8. 27. &c.* Quod *in regione Gerasenorum curavit Dominus eum in quo erat legio dæmoniorum*, significatæ sunt gentes quæ multis dæmonibus serviebant. Quod sine vestimento erat, non habebat fidem &c. Quod in domo non habitabat, in conscientia sua non requiescebat. Quod in monumentis manebat, in mortuis operibus, hoc est, peccatis, delectabatur. Quod autem compedibus ferreis & catenis ligabatur, significat graves & duras leges gentium, quibus & in eorum republica peccata cohibentur. Quod etiam vinculis talibus disruptis agebatur à dæmonio in eremum, significat quòd etiam ipsis transgressis legibus, ad ea scelera cupiditate ducebatur, quæ jam vulgarem consuetudinem excederent. Quod autem in porcos pascentes in montibus dæmonia ire permissa sunt, significat immundos & superbos homines, quibus dæmonia dominantur per idolorum cultus. Quod autem in stagnum precipitati sunt, significat quòd jam clarificatâ Ecclesiâ, & liberato populo gentium à dominatione dæmoniorum, * in abditis agunt sacrilegos ritus suos, qui Christo credere noluerunt, cæca & profunda curiositate submersi. Quod autem pastores porcorum fugientes, ista nuntiaverunt, significat quòdam etiam primates impiorum, quamquam Christianam legem fugiant, potentiam tamen ejus per gentes stupendo & mirando prædicare. Quod Geraseni prodeunt videre quod factum est, & inveniunt hominem vestitum, & mente sana sedere ad pedes Jesu, & cognoscentes quid factum sit, rogant Jesum ut ab eis discederet, magno timore perculsi, significat multitudinem vetustâ suâ vitâ delectatam, honorare quidem, sed nolle pati Christianam legem, dum dicunt quòd eam implere non possint ; admirantes tamen fidelem populum à pristina perdita conversatione sanatum. Quod ille cupit jam esse cum Christo, & dicitur ei, *Redi domum tuam, & enarra quanta tibi fecit Deus*, ex illa Apostoli sententia rectè potest intelligi, cùm ait, Dissolvi & esse cum Christo, multò magis optimum ; manere in carne, necessarium propter vos. Ut sic quisque intelligat post remissionem peccatorum redeundum sibi esse in conscientiam bonam, & serviendum Evangelio propter aliorum etiam salutem, ut deinde cum Christo requiescat : ne cùm præproperè jam vult esse cum Christo, negligat ministerium prædicationis, fraternæ redemtioni accommodatum.

* *post Honorij leges contra idolatras an. 399. V. lib. 18. de civit. Dei c. 54.*

Philip. 1. 23.

Quæst. XIV. *Luca 10. 1.* b De *septuaginta-duobus discipulis.* Sicut viginti-quatuor horis totus orbis peragitur, atque à sole lustratur : ita [b] mysterium illustrandi orbis per Evangelium Trinitatis in septuaginta-duobus discipulis intimatur. Viginti-quatuor enim ter in septuaginta-duobus ponimus. Quod autem binos mittit, sacramentum est caritatis : sive quia duo sunt caritatis præcepta, sive quia omnis caritas minùs quàm inter duos esse non potest.

Quæst. XV. *Luca 11. 35. Matth. 6. 23.* Si *lumen quod est in te tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ ?* Lumen dicit bonam intentionem mentis, qua operamur : tenebras autem ipsa opera appellat, sive quia ignoratur ab aliis quo animo illa faciamus, sive quia eorum exitum etiam ipsi nescimus, id est, quomodo exeant atque proveniant eis, quibus nos ea bono animo impendimus. Plerumque enim beneficiis nostris malè utendo corrumpuntur, quibus nos ea misericorditer benevola intentione præstamus.

Quæst. XVI. *Luca 12. 39.* Nunc *vos Pharisæi quod de foris est calicis & catini mundatis.* Hinc & deinceps quod dicit in Pharisæos & Legis doctores, hoc est quod superiùs dixit, *Obfirmaverat faciem in Jerusalem*, ut eis apertè *Luca 9. 51.* vera diceret vitia & peccata eorum.

[a] Rat. Am. & novem MSS. *ante horam.*

[b] Rat. & MS. Cistercienses, *ministerium.*

QUÆST. XVII. *Luc. 11.20.*

IDEO dicitur *Spiritus-sanctus digitus Dei*, propter partitionem donorum quæ in eo dantur, unicuique propria, sive hominum, sive Angelorum. In nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quàm in digitis.

QUÆST. XVIII. *Luc. 5.33. &c.*

JEJUNIUM aut in tribulatione est, aut in gaudio: in tribulatione, ad propitiandum Deum pro peccatis; in gaudio verò, cùm tantò minùs delectant carnalia, quantò spiritalium major sagina est. Cùm ergo Dominus interrogatus esset, cur discipuli ejus non jejunarent, de utroque jejunio B respondit. Namque ad illud quod in tribulatione jejunari solet, pertinet quod ait, sponsi filios tunc jejunaturos, cùm ab eis ablatus fuerit sponsus: tunc enim desolabuntur, & in mœrore ac luctu erunt, donec eis per Spiritum-sanctum gaudia consolatoria retribuantur. Quo dono percepto, etiam jejunij alterum genus, quod fiet per lætitiam, jam renovati in vitam spiritalem convenientissimè celebrabunt. Quod antequam accipiant, dicit eos tamquam vetera vestimenta, quibus inconvenienter C novus pannus assuitur, id est aliqua particula doctrinæ, quæ ad novæ vitæ temperantiam pertinet: quia si hoc fiat, & ipsa doctrina quodammodo scinditur, cujus particula quæ ad jejunium ciborum valet, inopportunè traditur, cùm illa doceat generale jejunium, non à concupiscentia ciborum tantùm, sed ab omni lætitia temporalium delectationum: cujus quasi pannum, id est partem aliquam, quæ ad cibos pertinet, dicit non oportere hominibus adhuc veteri consuetudini deditis impertiri; quia & illinc quasi consciscio videtur fieri, D & ipsi vetustati non convenit. Dicit etiam similes eos esse veteribus utribus, quos vino novo, id est spiritalibus præceptis, facilius disrumpi, quàm id continere dicit. Erant autem jam utres novi, cùm post adscensum Domini desiderio consolationis ejus orando & sperando innovabantur. Tunc enim *Act. 2. 1. &c.* acceperunt Spiritum-sanctum, quo impleti, cùm omnium qui de diversis gentibus aderant linguis loquerentur, dicti sunt musto pleni. Novum enim E vinum jam novis utribus venerat.

QUÆST. XIX. *Luc. 10.30 &c.*

HOMO *quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho*: ipse Adam intelligitur in genere humano. *Jerusalem*, civitas pacis illa cælestis, à cujus beatitudine lapsus est. *Jericho*, Luna interpretatur, & significat mortalitatem nostram, propter quod nascitur, crescit, senescit, [a] & occidit. *Latrones*, diabolus & angeli ejus: *qui eum spoliaverunt*, immortalitate: *& plagis impositis*, peccata suadendo: *reliquerunt semivivum*: quia ex parte qua potest intelligere & cognoscere Deum, vivus est homo; ex parte F qua peccatis contabescit & premitur, mortuus est, & ideo semivivus dicitur. *Sacerdos* autem & *Levita*, qui eo viso præterierunt, sacerdotium & ministerium veteris Testamenti significant, quæ non poterant prodesse ad salutem. *Samaritanus*, custos interpretatur: & ideo ipse Dominus significatur hoc nomine. Alligatio vulnerum, est cohibitio peccatorum. Oleum, consolatio spei bonæ, propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis. G Vinum, exhortatio ad operandum ferventissimo spiritu. Jumentum ejus est caro, in qua ad nos venire dignatus est. Imponi jumento, est in ipsam

a

incarnationem Christi credere. Stabulum est Ecclesia, ubi reficiuntur viatores de peregrinatione redeuntes in æternam patriam. Altera dies est post resurrectionem Domini. Duo denarij, sunt vel duo *Matth. 22.* præcepta caritatis, quam per Spiritum-sanctum *37.* acceperunt Apostoli ad evangelizandum ceteris; vel promissio vitæ præsentis & futuræ. Secundùm enim duas promissiones dictum est, Accipiet in hoc *Matth. 19.* sæculo [b] septies tantum, & in sæculo futuro vitam *29.* æternam consequetur. Stabularius ergo est Apo- *Marci 10.* stolus. Quod supererogat, aut illud est consilium *30.* quod ait, De virginibus autem præceptum Domi- *1.Cor. 7.25.* ni non habeo, consilium autem do: aut quod etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem *2. Thess. 3.* in novitate Evangelij gravaret, cùm ei liceret pas- *8.* ci ex Evangelio.

QUÆST. XX. *Luc. 10.38. &c.*

QUOD *Martha excepit illum in domum suam*, significat Ecclesiam quæ nunc est, excipientem Dominum in cor suum. *Maria soror ejus quæ sedebat ad pedes Domini, & audiebat verbum ejus*, significat eamdem Ecclesiam, sed in futuro sæculo, ubi C cessans ab opere ministerioque indigentiæ, solâ Sapientiâ perfruetur. Martha ergo occupata est circa multum ministerium; quia nunc talibus operibus exercetur Ecclesia. Quod autem queritur quòd se soror ejus non adjuvet, occasio datur sententiæ Domini, qua ostendit istam Ecclesiam sollicitam esse & turbari circa plurima, cùm sit unum necessarium, ad quod per ministerij hujus merita pervenitur. Mariam verò dicit optimam partem elegisse, D quæ non auferetur ab ea: & ideo intelligitur optima, quia & per hanc ad illam tenditur, & non auferetur: illa verò ministerij, quamvis sit bona, tamen auferetur, quando indigentia, cui ministratur, transierit.

QUÆST. XXI. *Luc. 11. 5. &c.*

AMICUS *ad quem venitur media nocte ut accommodet tres panes*, utique ad similitudinem ponitur, secundùm quam quis Deum rogat in media tribulatione constitutus, ut ei tribuat intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ consoletur labores. Sed comparatio est à minore. Si enim amicus homo surgit de lecto, & dat, non amicitiâ, sed tædio compulsus; quantò magis Deus dat, qui sine tædio largissimè donat quod petitur, sed ad hoc se peti vult, ut capaces donorum ejus fiant qui petunt. In tribus autem panibus etiam illud significatur, unius esse substantiæ Trinitatem. Amicus autem, quem dicit ille qui petit, venisse de via, & non se habere quod ponat ante illum, intelligitur hominis appetitus, qui debet obtemperare rationi. Serviebat autem consuetudini temporali, quam viam vocat, propter omnia per tempus transeuntia. Converso autem homine ad Deum, etiam ille appetitus à consuetudine revocatur: sed si non consolatur interius gaudium de doctrina spiritali, qua Creatoris Trinitas prædicatur, magnæ angustiæ sunt in homine, quem premit ærumna mortalis, cùm ab iis quæ foris delectant præcipitùr abstinentia, & intus non est refectio de lætitia doctrinæ [c] salutaris: & ipsa angustia est media nox, qua cogitur vehementer instare petendo, ut accipiat tres panes. Quod autem ei dicitur de intus, jam ostium clausum esse, pueros quoque ejus cum eo in cubili esse, significat tempus famis verbi, cùm intelligentia clauditur, &

[a] Sic octo MSS. At editi excepto Rat. *senescit. Et incidit in latrones, diabolum & angelos ejus.*

[b] Editi, *centies tantum.* At MSS. codices suffragante Eugypio, *septies tantum.* Sic profectò Augustinus in opere super Epistolam ad Galatas cap. 2: vers. 6. &c. Fortè pro Græco ἑπτακισμυριάκις, quod Matth. 19. 29. & Marc. 10. 30. habetur, legerat interpres ἑπτακισχιλίακις.

[c] Duo MSS. *spiritualis.* Rat. & MS. Cist. *salutaris.*

illi

illi qui Evangelicam sapientiam tamquam panem A erogantes, per orbem terræ prædicaverunt, pueri patris-familiâs jam sunt in secreta quiete cùm Domino: & tamen orando efficitur ut accipiat desiderans intellectum ab ipso Deo, etiamsi homo desit per quem sapientia prædicetur.

QUÆST. XXII. *Luc. 11.11. &c.*

DE *pane*, *pisce*, *& ovo*, quibus contraria posuit, lapidem, serpentem & scorpionem. Intelligitur panis caritas, propter majorem appetitum, & tam necessarium ut sine illa cetera nihil sint, sicut sine pane mensa inops: cui contraria est cordis duritia, B quam lapidi comparavit. Piscis autem intelligitur fides invisibilium, vel propter aquam baptismi, vel quia de invisibilibus locis capitur: quòd etiam fides hujus mundi fluctibus circumlatrata non frangitur, rectè pisci comparatur: cui contrarium posuit serpentem, propter venena fallaciæ, quæ etiam primo homini malè suadendo præseminavit. In ovo intelligitur spes: ovum enim nondum est fetus perfectus, sed fovendo speratur: cui contrarium posuit scorpionem, cujus aculeus venenatus retrò timendus est: sicut spei contrarium est retrò respicere, cùm spes futurorum in ea quæ ante sunt se extendat.

QUÆST. XXIII. *Luc. 11.52.*

DE eo quod dicit Dominus Scribis vel doctoribus Judæorum, *Tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui intrabant prohibuistis.* Quòd in Scriptura [a] Dei humilitatem Christi nec ipsi intelligere, nec ab aliis intelligi volebant.

a

QUÆST. XXIV. *Luc. 12.23.*

QUOD Dominus dicit discipulis, *Anima plus est quàm esca, & corpus quàm vestimentum*: Et utique, D si hoc tibi dedit quod plus est, quantò magis dabit quod minus est?

QUÆST. XXV. *Luc. 12.35.*

QUOD Dominus dicit, *Sint lumbi vestri accincti, propter continentiam ab amore rerum sæcularium: lucernæ ardentes*, hoc ipsum ut vero fine & recta intentione faciatis.

QUÆST. XXVI. *Luc. 12.42.*

QUOD Dominus dixit Petro, *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituet Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram*: mensuram dicit propter modum capacitatis quorumque audientium.

QUÆST. XXVII. *Luc. 12.54.*

QUOD Dominus dicit, *Cùm videritis nubem orientem ab Occasu*, carnem suam à morte resurgentem significat: ex illo enim omnibus terris imber Evan- *v. 55.* gelicæ prædicationis infusus est. *Austrum flantem* ante æstus, tribulationes leviores ante judicium.

QUÆST. XXVIII. *Luc. 12.26.*

QUOD Dominus dicit, *Si enim quod minimum est non potestis*: cùm de augenda corporis statura diceret: minimum est enim hoc, sed Deo, corpora operari.

QUÆST. XXIX. *Luc. 12.29.*

1. CUM diceret discipulis, non deberé haberi sollicitudinem de cibis, ait, *Et nolite in sublime extolli.* Primò enim hæc ad necessitatem implendam homo quærit: cùm autem hæc abundaverint, incipit & superbire de talibus. Tale est hoc ac si se vulneratus quis jacket quia habet multa emplastra in domo, cùm hoc illi bonum esset, ut vulnera non haberet, & ne uno quidem indigeret emplastro.

Luc. 14. 5. b

2. [b] Congruenter *hydropicum* animali quod cecidit in puteum, comparavit; humore enim laborabat: G

Luc. 13. 11. sicut & illam *mulierem* quam *decem & octo annis alligatam* dixerat, & ab eadem alligatione solvebat, comparavit jumento quod solvitur ut ad aquam ducatur. Hydropem autem rectè comparamus diviti avaro: sicut enim ille quantò magis abundat humore inordinato, tantò amplius sitit; sic iste quantò est copiosior divitiis, quibus non bene utitur, tantò ardentiùs talia concupiscit. Illam verò ita morbo incurvatam, ut se erigere non posset, animæ [c] terrenis opinionibus debilitatæ atque oppressæ, ita ut divina cogitare non valeat. c

QUÆST. XXX. *Luc. 14.21. &c.*

QUOD de civitate adducit *invitatos ad cœnam*, de ipsa gente Judæorum qui crediderunt significat, debiles peccatis, non habentes superbiam quasi justi- *&c.* tiæ, quæ mendax primates eorum à gratia prohibebat. Quod autem de sepibus & viis alios adduci jussit, cùm adhuc locus esset, gentes significat, propter diversas vias sectarum & spinas peccatorũ.

QUÆST. XXXI. *Luc. 14. 28. &c.*

SUMTUS *ad turrem ædificandam*, vires ad discipulatum Christi obtinendum: *& decem millia præliaturi cum rege qui habebat* XX. *millia*, simplicitatem Christiani dimicaturi cum duplicitate diaboli; hoc est cum dolis & fallaciis ejus, in affectu constituit renuntiantis omnibus quæ sunt ejus. Ita enim C concludit, *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat* *v. 33.* *omnibus quæ sunt ejus, non potest meus esse discipulus.* Inter quæ omnia etiam ipsa temporalis vita intelligatur necesse est, quam oportet sic possidere ad tempus, ut non te impediat ab æterna, qui eam fuerit minatus auferre. Sicut autem de turri non perfecta, per opprobrium deterruit dicentium, *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare:* *v. 30.* sic in rege cum quo dimicandum est, ipsam pacem accusavit, cùm ait, *Adhuc illo longè agente, le-* *v. 33.* *gationem mittens rogat ea quæ sunt pacis:* significans etiam minas imminentium à diabolo tentationum, non sustinere homines qui non renuntiant omnibus quæ possident, & pacem cum eo facere consentiendo illi ad committenda peccata. Turrem quippe ædificare, & contra regem illum dimicare, esse discipulum Christi est: habere autem sumtus ad perficiendam turrem, & habere fortia decem millia contra viginti millia regis, renuntiare est omnibus quæ sunt ejus.

QUÆST. XXXII. *Luc. 14.34. & cap. 15. 4. &c.*

SALEM *infatuatum*, apostatam: *Ovem perditam*, omnes peccatores dixit, qui per pœnitentiam E reconciliantur Deo. Quam humeris suis portat, quia humiliando se tales erexit. Ideo autem illas nonaginta-novem dixit, quas reliquit in deserto: quia superbos significant, tamquam solitudinem gerentes in animo, dum solos se videri volunt, quibus ad perfectionem unitas deest. Cùm enim quisque à vera unitate divellitur, superbiâ divellitur: suæ quippe potestatis esse cupiens, non sequitur unum, F quod Deus est. Ideoque & in nonaginta-novem ovibus & in novem drachmis ponit eorum significationem, qui de se præsumentes peccatoribus ad salutem redeuntibus se præponunt. Unum enim deest & ad novem ut decem sint, & ad nonaginta-novem ut centum sint. Et si per ceteros numeros hoc consideres. Nam & nongentis-nonaginta-novem unum deest ut mille sint, & ad novem millia nongentos-nonaginta-novem unum deest ut decem-millia sint. Variari ergo per brevitatem & magnitudinem numeri possunt, quibus unum deest ut perficiantur: ipsum verò unum sine varietate in se manens cùm accesserit perficit, cui deputat omnes per pœnitentiam reconciliatos, quæ humilitate obtinetur.

[a] Sic plerique MSS. At editi, *quod in Scriptura de humanitate Christi dicitur, quam nec ipsi intelligere.*

[b] De reliqua parte hujus quæstionis nihil habet ipsius titulus in Elencho suprà pag. 240. Exstat tamen etiam apud Eugypium; cum titulo auctiore his verbis; *& de hydropico vel de mulliere curvata.*

[c] Editi refragantibus MSS. addunt hîc, *assimilavit*: pro quo subaudiendum est, *comparamus.* Et mox Rat. Am. & Er. habent, *terrenis opinionibus vel operibus.*

QUÆST. XXXIII. *Luc. 15. 11. &c.*

1. HOMO *habens duos filios*, Deus ad duos populos intelligitur, tamquam stirpes duas generis humani: unam eorum qui permanserunt in unius Dei cultu, alteram eorum qui usque ad colenda idola deseruerunt Deum. Ab ipso autem exordio creaturæ mortalium consideratio debet intendi. Major ergo filius ad cultum unius Dei pertinet. Minorem in regionem longinquam profectum esse dicit. Petiit enim ut sibi pars substantiæ quæ eum tangeret, daretur à patre, tamquam anima potestate suâ delectata, id quod illi est vivere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere, omnia ista divina sunt munera, quæ in potestatem accipiens per liberum arbitrium, quia divisit pater liberis substantiam, minor filius in regionem longinquam profectus est, malè utendo naturalibus bonis, eo ipso quòd patrem deseruit cupiditate fruendi creaturâ, relicto ipso Creatore.

2. Quod non post multos dies dixit factum, ut congregatis omnibus peregrè proficisceretur in regionem longinquam: quia non multò post institutionem humani generis placuit animæ per liberum arbitrium ferre secum quamdam velut potentiam naturæ suæ, & deserere eum à quo condita est, præsidens viribus suis, quas vires tantò consumit citiùs, quantò eum deserit à quo datæ sunt. Itaque hanc vitam prodigam vocat, amantem fundere atque spatiari pompis exterioribus, intus inanescentem, cùm ea quisque sequitur quæ ab illa procedunt, & relinquit eum qui sibi est interior. Regio itaque longinqua, oblivio Dei est. Fames autem in illa regione, est indigentia verbi veritatis. Unus civium regionis illius, aliquis aërius princeps ad militiam diaboli pertinens. Villa ejus, modus potestatis ejus. Porci, immundi spiritus qui sub ipso essent. Siliquæ quibus porcos pascebat, sæculares doctrinæ, sterili vanitate resonantes, de quibus laudes idolorum fabularumque ad deos gentium pertinentium vario sermone atque carminibus percrepant, quibus dæmonia delectantur: unde cùm iste saturari cupiebat, aliquid solidum & rectum quod ad beatam vitam pertineret, invenire volebat in talibus, & non poterat. Hoc est enim quod ait, *Et nemo illi dabat.*

v. 17. 3. *In se autem reversus*, jam scilicet ab eis quæ forinsecùs frustra illiciunt & seducunt, in conscientiæ interiora reducem faciens intentionem suam, *dixit, Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus?* Unde hoc scire poterat, in quo erat tanta oblivio Dei, sicut in omnibus idololatris fuit, nisi quia ista recogitatio jam respiscentis est, cùm Evangelium prædicaretur? Jam enim poterat talis animadvertere multos prædicare veritatem, inter quos quidam essent non ipsius amore veritatis ducti, sed cupiditate comparandorum sæcularium commodorum. De quibus dicebat Apostolus, esse *Philip. 1. 17.* quosdam qui Evangelium annuntiarent non castè, *1. Tim. 6. 5.* existimantes quæstum esse pietatem. Non enim aliud annuntiabant, sicut hæretici; sed hoc quod apostolus Paulus, non eo tamen animo quo apostolus Paulus: unde & mercenarij rectè appellantur, in eadem quidem domo eumdem panem verbi tractantes, non tamen in hereditatem æternam vocati, sed temporali mercede conducti. De talibus *Matth. 6. 2.* dictum est, Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. *Ego* ergo, inquit, *hic fame pereo.* De- *Luc. 15. v. 17. & 18.* inde ait, *Surgam*, quia jacebat: *& ibo*, quia longè aberat: *ad patrem meum*, quia sub principe porcorum erat. Cetera verba sunt pœnitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis. Non enim jam dicit patri, sed dicturum se esse promittit cùm venerit. Intelligas igitur hoc nunc accipiendum esse venire ad patrem, in Ecclesia constitui per fidem, ubi jam possit esse peccatorum legitima & fructuosa confessio. Quid ergo patri dicturum se dicit? *Pater peccavi in cælum & coram te,* *v. 18. & 19.* *& jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Utrùm hoc est *Peccavi in cælum*, quod est *Coram te:* ut cælum appellaverit ipsam summitatem Patris: unde est etiam illud in Psalmo, A summo cælo egressio ejus, cùm ab ipso *Psal. 18. 7.* Patre vellet intelligi. An potiùs *Peccavi in cælum*, coram sanctis animis, in quibus est sedes Dei: *Coram te* autem, in ipso penetrali interiore conscientiæ.

4. *Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autem* *Luc. 15. 20.* *adhuc longè esset*, antequam intelligeret Deum, sed tamen cùm jam piè quæreret. *Vidit illum pater ipsius.* Impios enim & superbos convenienter non videre dicitur, tamquam ante oculos non habere: ante oculos enim haberi, nonnisi qui diliguntur dici solent. *Et misericordiâ motus est: & accurrens cecidit super collum ejus.* Non enim Pater unigenitum Filium deseruit, in quo usque ad nostram longinquam etiam peregrinationem cucurrit atque descendit; quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: & ipse Dominus ait, Pater in me manens ipse facit opera sua. Quid est autem, super collum ejus cadere, nisi inclinare & humiliare in amplexum ejus brachium suum: Et brachium Domini cui revelatum est? quod est utique Dominus noster Jesus Christus. *Et osculatus est illum.* Consolari verbo gratiæ Dei ad spem indulgentiæ peccatorum, hoc est, post longa itinera remeantem mereri à patre osculum caritatis. Et incipit jam peccata constitutus in Ecclesia confiteri. Nec dicit omnia quæ dicturum se esse promiserat, sed usque ad illud, *Non sum dignus vocari filius tuus.* Hoc enim vult fieri per gratiam, quo se indignum esse per merita fatetur. Non addit quod in illa meditatione dixerat, *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Cùm enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat: quod post osculum patris generosissimè jam dedignatur.

5. Stola prima, est dignitas quam perdidit Adam. Servi qui eam proferunt, reconciliationis prædicatores. Anulus in manu, pignus Spiritus-sancti propter gratiæ [a] partitionem, quæ digito bene significatur. Calceamenta in pedes, præparatio evangelizandi ad non tangenda terrena. Vitulus saginatus ipse idem Dominus, sed secundùm carnem satiatus opprobriis. Quod autem imperat ut adducant eum, quid aliud, nisi ut prædicent eum, & annuntiando venire faciant in exhausta fame viscera filij esurientis? Nam etiam ut occidant eum jubet, hoc est, ut mortem ejus insinuent: tunc enim cuique occiditur, cùm creditur occisus. *Et epu-* *Luc. 15. 25.* *lemur*, inquit: hoc ad lætitiam valet, propter illa quæ consequenter dicit, *Quia hic filius meus mor-* *v. 24.* *tuus erat, & revixit; perierat & inventus est.* Et istæ epulæ atque festivitas nunc celebrantur, per orbem terrarum Ecclesiâ dilatatâ atque diffusâ. Vitulus enim ille in corpore & sanguine Dominico & offertur Patri, & pascit totam domum.

[a] Lov. *participationem.* Alij codices, *partitionem*: melius, uti suprà q. 17.

6. Cùm interea major filius, populus Israël secundùm carnem, non quidem profectus in longinquam regionem, sed tamen in domo non est. In agro autem est, id est, in ipsa hereditaria opulentia Legis & Prophetarum terrena potiùs operatur, & in quibuscumque Israëliticis [a] considerationibus. nam multi tales inventi sunt in eis, & sæpe inveniuntur. Veniens de agro domui propinquare cœpit, id est, labore servilis operis improbato, ex iisdem Scripturis Ecclesiæ libertatem consideravit. Audit symphoniam & chorum, scilicet spiritu [b] plenos vocibus consonis Evangelium prædicare: quibus dictum *1. Cor. 1. 10.* est, Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes. Audit quoque concorditer conversantium animam & cor unum in laudes Dei. Vocat unum de servis, & interrogat quæ illa sint: sumit utique ad legendum aliquem Prophetarum, & in eo quærens quodammodo interrogat, unde ista festa in Ecclesia celebrantur, in qua se esse non videt. Respondet ei *Luc. 15. 27.* servus patris Propheta, *Frater tuus venit, & occidit* *pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.* In extremis enim terræ fuit frater tuus: sed inde major exsultatio cantantium Domino canticum *Isai. 42. 10.* novum, quia laus ejus ab extremis terræ: & propter eum qui absens erat, occisus est vir in plaga po- *Isai. 53. 3.* situs, & sciens ferre imbecillitatem: quia quibus *Isai. 52. 15.* non est narratum de eo viderunt, & qui non audierunt, intellexerunt.

7. Sed indignatur etiam nunc, & adhuc non vult introire. Cùm ergo plenitudo gentium intraverit, egredietur opportuno tempore pater ejus, ut & jam omnis Israël salvus fiat: cui ex parte cæ- *Rom. 11. 25.* citas facta est velut absentia in agro, donec plenitudo filij minoris longè in idololatria gentium constituti redux ad manducandum vitulum intraret. Erit enim quandoque aperta vocatio Judæorum in salutem Evangelij. Quam manifestationem vocationis, tamquam egressum patris appellat ad rogandum majorem filium.

8. Deinde quæ respondet idem major filius, duas quæstiones habent, quomodo videlicet accipiatur ille populus numquam mandatum Dei præteriisse: & quem dicat hœdum quem numquam accepit, ut cum amicis suis epularetur. Sed de mandato non prætergresso facilè illud occurrit, neque de omni mandato dictum esse, sed de uno maximè necessario, quo nullum Deum alium præter unum *Exod. 20. 3.* creatorem omnium colere jussus est: neque iste filius in omnibus Israëlitis, sed in his intelligitur habere personam, qui numquam ab uno Deo ad simulacra conversi sunt. Quamquam enim tamquam in agro positus iste filius terrena desideraret, ab uno tamen Deo ista desiderabat bona, quamvis *Psal. 72. 23.* communia cum pecoribus. Unde in Psalmo ex persona synagogæ, quod interpretatur Asaph, convenienter accipitur dictum, Quasi pecus factus sum ad te, & ego semper tecum. Quod etiam patris ip- *Luc. 15. 31.* sius testimonio comprobatur, cùm dicit, *Tu mecum es semper.* Non enim quasi mentientem redarguit, sed secum perseverantiam ejus approbans, ad perfructionem potioris atque jocundioris exsultationis invitat.

9. Quis est ergo hœdus, quem numquam accepit ad epulandum? Peccator profectò hœdi nomine significari solet. Sed absit ut Antichristum intelligam. Non enim exitum invenio hujusce sententiæ. Multùm enim absurdum est, eum cui dicitur, *Tu mecum es semper*, hoc à patre optasse, ut Antichristo crederet. Neque omnino in eis Judæorum, qui Antichristo crediturus sunt, istum filium fas est intelligi. Quomodo autem epularetur ex illo hœdo, si ipse esset Antichristus, qui ei non crederet? Aut si hoc est epulari ex hœdi occisione, quod est de Antichristi perditione lætari, quomodo dicit filius quem recepit pater hoc sibi non fuisse concessum, cùm omnes filij Dei de illius adversarij damnatione lætaturi sint? Nimirum ergo, (quod in re obscurissima fine præjudicio diligentioris inquisitionis dixerim,) ipsum Dominum sibi negatum ad epulandum conqueritur, dum eum peccatorem putat. Cùm enim hœdus est illi genti, id est, cùm eum sabbati violatorem & profanatorem Legis existimat, jocundari epulis ejus non meruit: ut quod ait, *Numquam dedisti mihi hœdum, ut cum* *v. 29.* *amicis meis epularer:* tale sit ac si diceret, eum qui mihi hœdus videbatur, numquam dedisti mihi ad epulandum, eo ipso mihi illum ipsum non concedens, quo mihi hœdus videbatur. Quod autem dicit, *cum amicis meis*, aut ex persona principum cum plebe intelligitur, aut ex persona populi Jerosolymitani cum ceteris populis Juda. Meretrices autem cum quibus dissipasse substantiam suam filius junior accusatus est, rectè intelliguntur superstitiones, relicto uno connubio legitimo verbi Dei, cum turba dæmoniorum cupiditate turpissima fornicari.

10. Quid deinde sibi vult quod cùm pater diceret *Tu mecum es semper*, quod jam tractatum est, *v. 31.* addidit, *Et omnia mea tua sunt?* Qua in re primò cavendum est, ne intelligas ita dictum, *omnia mea tua sunt*, quasi non sint & fratris, ut tamquam in terrena hereditate, patiaris angustias, quomodo possint omnia esse majoris, si habet ibi etiam junior partem suam. Sic enim à perfectis & perpurgatis, ac jam immortalibus filiis habentur omnia, ut sint & omnium singula, & omnia singulorum. Ut enim CUPIDITAS nihil sine angustia, ita nihil cum angustia CARITAS tenet. Sed quomodo omnia? Num & Angelos, ait aliquis, & Virtutes sublimes ac Potestates, atque universa cælestia Dei ministeria Deus in possessionem tali filio subjecisse putandus est? Si possessionem sic accipias, ut ejus possessor ipse sit dominus; non utique omnia. Non enim domini erunt, sed consortes potiùs Angelo- *Matth. 22.* rum, de quibus dictum est, Erunt æquales Angelis *30.* Dei. Sin verò possessio sic intelligitur, quomodo rectè dicimus possidere animas veritatem; non invenio cur non verè ac propriè accipere possimus omnia quæ dicta sunt omnia. Non enim illud ita loquimur, ut dominas veritatis dicamus animas, quam ab eis dicimus possideri. Aut si nomine possessionis ad hunc sensum impedimur, id quoque auferatur. Non enim ait pater, Omnia in possessionem tibi dabo, sive Omnia mea possides vel possidebis; sed, *Omnia mea tua sunt.* Nec tamen ita sunt ejus, ut ipsius Dei. Quod enim est in nostra * pecunia, po- * *f.* possessione. test familiæ nostræ vel alimentum esse vel ornamentum, vel aliquid hujusmodi. Et certè cùm ipsum patrem rectè ille posset suum dicere, non video quæ ipsius rectè sua vocare non possit, diversis dumtaxat modis. Cùm enim beatitatem illam obtinuerimus, nostra erunt ad videndum superiora, nostra

[a] Sic Rat. & quatuor MSS. At Am. & Er. *Israëlitis consideratoribus.* Lov. *Israëlitis considerationibus.* MS. Michaëlinus, *Israëlitis considerationibus.*

[b] Rat. & duo MSS. *Spiritu-sancto plenos.*

erunt ad convivendum æqualia, nostra erunt ad dominandum inferiora. Congaudeat ergo securis-
Luc. 15.32. simus major frater, quia junior frater *mortuus erat & revixit, perierat & inventus est.*

QUÆST. XXXIV. *Luc.* 16. 1. *&c.* IN *villico* quem Dominus ejiciebat de villicatu, & laudavit eum quòd in futurum sibi prospexerit, non omnia debemus ad imitandum sumere. Non enim aut Domino nostro facienda est in aliquo fraus, ut de ipsa fraude eleemosynas faciamus: aut eos à quibus recipi volumus in tabernacula æterna, tamquam debitores Dei & Domini nostri fas est intelligi; cùm justi & sancti significentur hoc loco, qui eos introducant in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis terrena bona communicaverint: de quibus etiam dicit, quòd si quis alicui eorum calicem aquæ frigidæ dederit tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam: sed etiam è contrario ducuntur istæ similitudines, ut intelligamus si laudari potuit ille à Domino qui fraudem faciebat, quantò ampliùs placeant Domino Deo, qui
Matth. 10. 42.
Luc. 18. 2. secundùm ejus præceptum illa opera faciunt: sicut etiam de judice iniquitatis qui interpellabatur à vidua, comparationem duxit ad judicem Deum, cui nulla ex parte judex iniquus conferendus est. Quod autem de centum cadis olei, quinquaginta scribi fecit à debitore; & de centum coris tritici, octoginta; ad nihil aliud valere arbitror, nisi ut ea quæ similiter [a] atque in Levitas Judæi quisque operatur in Christi Ecclesiam, abundet justitia ejus super Scribarum & Pharisæorum, ut cùm illi decimas
a
Matth. 5. 20.
Luc. 19. 8. darent, isti dimidias dent: sicut non de fructibus, sed de ipsis bonis suis fecit Zacchæus: aut certè duplicet decimam, ut duas decimas dando superet impendia Judæorum. *Mammonæ* verò *iniquitatis* ob hoc à Domino appellata est ista pecunia, quam
Divitiæ nonnisi iniquis est pecunia. possidemus ad tempus, quia Mammona divitiæ interpretantur, nec sunt istæ divitiæ nisi iniquis, qui in eis constituunt spem atque copiam beatitudinis suæ: à justis verò cùm hæc possidentur, est quidem ista pecunia, sed non sunt illis divitiæ nisi cælestes & spiritales, quibus indigentiam suam spiritaliter supplentes exclusa egestate miseriæ, beatitudinis copiâ ditantur.

QUÆST. XXXV. *Luc.* 16.12. *Psal.* 48.17. QUOD dicit, *Si in alieno fideles non fuistis*, alienas appellat terrenas facultates: quia nemo eas secum moriens aufert. Hoc est, quod dicit David,
» Ne timueris cùm dives factus fuerit homo, & cùm
» multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam
» non cùm morietur accipiet omnia, neque simul
» descendet cum eo gloria ejus.

QUÆST. XXXVI. *Luc.* 16. 13. QUOD ait, *Aut unum odiet, & alterum diliget; aut uni adhærebit, & alterum contemnet*, non sine consideratione distinguenda sunt. Non enim passim aut quasi temere dicta sunt. Nemo enim interrogatus utrùm diligat diabolum, respondet se diligere, sed potiùs odisse: Deum autem se diligere omnes ferè proclamant. Ergo aut unum odiet, & alterum diliget, ut fieri debet: odiet scilicet diabolum, diliget Deum. Quod verò adjunxit, *Aut alteri adhærebit, & alterum contemnet:* adhærebit scilicet diabolo, cùm quasi ejus præmia temporalia sectatur: contemnet autem Deum. Non dixit odiet, sed *contemnet*: sicut solent minas ejus postponere cupiditatibus suis, qui de bonitate ejus ad impunitatem sibi blandiuntur. Quibus per Salomonem dicitur: Fili ne adjicias peccatum super peccatum,
Eccli. 5. 5. & dicas, Miseratio Dei magna est.

QUÆST. XXXVII. *Matth.* 11. 12. *Luc.* 16.16. REGNUM *cælorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud.* Non solùm ut quisque ista contemnat, sed etiam linguas deridentium se talia contemnentem: hac enim vi facta invadit quodammodo quasi prædator violentus regnum cælorum. Hoc enim subjunxit Evangelista, cùm dixisset derisum fuisse Jesum à Pharisæis, cùm de contemnendis terrenis divitiis loqueretur.

QUÆST. XXXVIII. *Luc.* 16.19. *&c.* *Rom.* 10. 3. *Matth.* 21. 43. 1. HOMO *quidam erat dives, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè*, & cetera. Per allegoriam sic accipi possunt, ut in divite intelligantur superbi Judæorum, ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere. Purpura & byssus, dignitas regni est. Et auferetur, inquit, à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti justitiam. Epulatio splendida, jactantia Legis est, in qua gloriabantur plus ad pompam elationis abutentes eâ, quàm ad necessitatem salutis utentes. Mendicus autem nomine Lazarus, quod interpretatur adjutus, significat indigentem, veluti gentilem aliquem aut publicanum, qui tantò magis adjuvatur, quantò minùs de suarum copia facultatum præsumit. Tales erant duo qui orabant in tem-
Luc. 18.10. plo, unus publicanus, & alius Pharisæus. Dives ergo dicit tamquam satiatus justitiâ, non inter illos
Matth. 5. 6. beatos numerandus qui esuriunt & sitiunt justitiam, Gratias tibi ago, quia non sum sicut publicanus iste. Pauper autem qui se adjuvari desiderat, dicit, Propitius esto mihi peccatori. Desiderat tamen saturari de micis quæ cadunt de mensa divitis jacens ad januam. Non enim admittebatur ad epulas ejus, qui nec bene illis utebatur, nec egenti dabat, tamquam Scriba claves habens regni cælorum, nec
Luc. 11.52. ipse intrans, nec alios intrare permittens. Micæ cadentes de mensa divitis, sunt quædam verba Legis, quæ illi jactantes quasi projiciebant in terram, cùm superbè populo loquerentur. Ulcera sunt confessiones peccatorum, velut mali humores à visceribus intimis foras erumpentes. Canes qui ea lingebant, nequissimi homines amantes peccata, qui latâ linguâ etiam laudare non cessant opera mala, quæ in se alius gemens & confitens detestatur. Sinus Abrahæ, requies beatorum pauperum, quorum est regnum cælorum, in quo post hanc vitam recipiuntur. Sepultura inferni, pœnarum profunditas, quæ superbos & immisericordes post hanc vitam vorat. Quos tamen Dominus in ista narratione dicit videre de longinquo, atque sentire beatorum requiem, quò sanè transire non possunt.

Operatio misericordiæ in defunctos. 2. QUOD autem linguam sibi vult refrigerari, cùm in flamma utique totus arderet, significat quod scriptum est, Mors & vita in manibus linguæ:
Prov. 18.21. & quia ore confessio fit ad salutem, quod per su-
Rom. 10.10. perbiam ille non fecit. Extremum autem digiti, vel minimam operationem misericordiæ significat, qua per Spiritum-sanctum subvenitur. Cùm autem ei
Luc. 16.25. dicitur, *Recepisti bona in vita tua*, illud tangitur, quia felicitatem dilexit sæculi, nec aliam vitam præter istam in qua superbus tumebat, ad amavit. Lazarum autem mala dicit recepisse, quia intellexit hujus vitæ mortalitatem, labores, dolores, & ærumnas, pœnas esse peccati: de quo scriptum est,
Ephes. 2. 3. Eramus & nos naturaliter filij iræ, sicut & ceteri: de quo iterum scriptum est, nec infantem cujus est
Job. 14. 4. *sec.* LXX. unius diei vita super terram mundum esse à peccato:

[a] Ita melioris notæ MSS. necnon Rat. Am. & Er. nisi quod in his editionibus loco *Ecclesiam*, legitur *Ecclesia*. At apud Lov. habetur sic, *quia similiter in sacerdotes, atque in Levitas Judæi, quisque operatur in Christi Ecclesia.*

2. *Cor.* 15. 22. quia omnes utique in Adam morimur, qui factus est transgressione mortalis.

Matth. 5. 26. Defunctis quibusdam auxilium misericordiæ præberi nullum potest. 3. QUOD autem dicit, ad ea loca in quibus torquentur impij justos, etiam si velint, non posse transire, quid aliud significat, nisi post hanc vitam ita receptis in carcere, ut non inde exeant donec reddant novissimum quadrantem, per incommutabilitatem divinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi à justis, etiam si eam velint præbere? Quo admonet scilicet, ut in hac vita homines subveniant quibus possunt, ne postea etiam si optimè recepti fuerint, eis quos diligunt opitulari non valeant. Illud enim quod scriptum
Luc. 16. 9. est, Ut & ipsi recipiant vos in æterna tabernacula, non de superbis & immisericordibus scriptum est, qualis iste dives fuisse demonstratur, quòd recipi à sanctis in illa tabernacula mereantur: sed de his qui sibi amicos officiosissimis operibus misericordiæ fecerint: quamquam nec ipsos justi velut propria potestate quasi gratificando recipiant; sed promissione atque permissione illius, qui eos consilio præmonuit, ut sibi amicos facerent, & qui seipsum pasci, vestiri, hospitio recipi, visitari in unoquoque minorum suorum, liberatoris bonitate dignatus est. Quamquam illa receptio, utrùm statim post istam vitam fiat, an in fine sæculi in resurrectione mortuorum atque ultima retributione judicij, non minima quæstio est: sed quandolibet fiat, certè de talibus qualis ille dives insinuatur, nulla Scriptura fieri pollicetur.

4. Quinque autem fratres quos habere se dicit in domo patris sui, Judæos significant. Appellati enim sunt quinque, quia sub Lege detinebantur quæ per Moysen data est, qui libros quinque conscripsit. Quod verò Lazarum petit mitti ad fratres suos, sensit se utique indignum qui testimonium perhibeat veritati. Et quia non impetraverat
a [a] paululùm se refrigerari, multò minùs credit relaxari se posse ab inferis ad prædicationem veritatis.
v. 29. Quod Abraham dicit, *Si volunt credere, habent Moysen & Prophetas*, non istos Evangelio præposuit; sed quia Evangelium, sicut dicit Apostolus,
Rom. 3 21. testimonium habet à Lege & Prophetis, illis credendo posse eos significat ad Evangelium pervenire. Sicut alio loco ipse Dominus dicit, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: ille enim de me scripsit. Denique ad hoc pertinet quod etiam postea
Luc. 16. 31. dicit, *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent:* quia eum prænuntiaverunt Moyses & Prophetæ qui surrexit à mortuis, hoc ipsum etiam de illo quòd resurrecturus esset à mortuis, quibus non credendo utique nec Christo volunt credere. Multò minùs ergo cuilibet possunt credere qui à mortuis resurrexerit, quando ei non credunt, cujus resurrectionem Moyses & Prophetæ prædicaverunt, quibus credere nolunt.

Alia expositio. 5. Aliter etiam intelligi potest ista narratio, ut per Lazarum Dominum significari accipiamus, jacentem ad januam illius divitis, quia se ad aures superbissimas Judæorum incarnationis humilitate de-
Luc. 16.21. jecit: *cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis*, quærens ab eis vel minima opera justitiæ, quæ suæ mensæ, hoc est, suæ potestati per superbiam non usurparent, quæ opera misericordiæ atque humilitatis, quamvis minima & sine disciplina & perseverantiâ vitæ bonæ, saltem interdum vel Ulcera passiones sunt Domini ex infirmitate carnis, quam pro nobis suscipere dignatus est. Canes ergo qui ea lingebant, gentes sunt, quos homines peccatores & immundos dicebant Judæi, & tamen passiones Domini in sacramentis corporis & sanguinis ejus, per totum jam orbem suavitate lambunt devotissima. Jam sinus Abrahæ intelligitur secretum Patris, quò post passionem resurgens assumtus est Dominus: quò eum portatum ab Angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem qua in secretum Patris abscessit, Angeli annuntiaverunt discipulis intuentibus. Dicendo enim, Quid
Act. 1. 11. statis adspicientes in cælum? quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum usque in illud penetrare secretum quò ibat Dominus, cùm in conspectu discipulorum ferretur in cælum? Jam cetera secundùm superiorem expositionem accipi possunt: quia secretum Patris bene intelligitur, ubi etiam ante resurrectionem justorum animæ vivunt cum Deo. Tantò enim verius ubique est Deus, quantò nullo continetur loco, sicut & latroni dictum est, Hodie mecum eris in paradiso;
Luc. 23.43. unde numquam recessit Dei Filius, quamvis ab hominibus per susceptam carnem in civitate Judæorum tanta pateretur.

QUÆST. XXXIX. *Luc.* 17. 5. 1. QUOD dixerunt discipuli Domino, *Adauge nobis fidem*, potest quidem intelligi hanc fidem sibi eos augeri postulasse, quæ creduntur ea quæ non videntur: sed tamen dicitur etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis præsentibus creditur: quod futurum est, cùm jam per speciem manifestam se contemplandam præbebit sanctis ipsa Dei Sapientia per quam facta sunt omnia. De
Psal. 103. 24. b qua fide rerum lucisque illius [b] præsentatæ forsitan Paulus Apostolus dicit, Justitia enim Dei in eo
Rom. 1. 17. revelatur ex fide in fidem. Dicit enim & alio loco,
2. Cor. 3.18. Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de « gloria in gloriam, tamquam à Domini spiritu. Sicut » enim hîc ait, de gloria in gloriam, ita & ibi, ex fide in fidem: de gloria scilicet Evangelij, quo nunc credentes illuminantur, in gloriam ipsius incommutabilis & manifestæ veritatis, qua tunc commutati perfruentur: ita ex fide verborum quibus nunc credimus quod nondum videmus, in fidem rerum qua in æternum quod nunc credimus, obtinebimus. Secundùm sententiam hanc etiam illud dictum est à Johanne in Epistola ad Parthos, Dile-
1. Johan. 3.2. ctissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quia cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Unde enim nunc filij Dei sumus, nisi quia potestatem de-
Johan. 1.12. dit nobis filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus, ut videamus in ænigmate? unde autem tunc
1. *Cor.* 13.12. similes ei erimus, nisi quoniam ut ipse ait, videbimus eum sicuti est? Quod etiam dictum est, Tunc autem facie ad faciem.

2. Illam ergo fidem præsentissimæ veritatis plerisque non intelligentibus videri potest Dominus noster, discipulis suis non ad id quod petiverant respondisse. Cùm enim dixissent Domino, *Adauge nobis fidem*: ait illis, * *Si haberetis fidem tamquam*
Luc. 17. *granum sinapis, diceretis huic arbori moro, Eradicare* v. 6. *& transplantare in mare, & obediret vobis.* Deinde sequitur, * *Quis autem vestrum habens servum aran-* v. 7. *tem aut pascentem, qui regresso de agro dicet illi statim,*

[a] MSS. *paululum sibi refrigerari.* fortè, *palatium sibi* &c.

[b] MSS. quatuor, *præsentia.*

v. 8. *Transi, recumbe*; * *& non dicet ei, Para quod cœnem,* A
& præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bi-
v. 9. *bam, & post hæc tu manducabis & bibes?* * *Numquid*
gratiam habet servo illi, quia fecit quæ sibi imperave-
v. 10. *rat?* * *Non puto. Sic & vos cùm feceritis omnia quæ*
præcepta sunt vobis, dicite, Servi supervacui sumus,
quod debuimus facere fecimus. Quid hæc pertineant
ad id quod dictum est Domino, *Adauge nobis fidem*,
difficilè apparet, nisi intelligamus ex fide in fidem,
id est, ex fide ista in qua ministratur Deo, in illam
fidem eos significasse transferri ubi fruantur Deo. B
Augebitur enim fides, cùm primò verbis prædican-
tibus, deinde rebus apparentibus credetur. Sed illa
contemplatio summam quietem habet, quæ in æ-
terno Dei regno tribuitur: summa verò quies illa,
præmium est justorum laborum, qui in Ecclesiæ
ministratione peraguntur. Et ideo quamvis in agro
aret servus aut pascat, hoc est, in vita sæculari vel
terrena versetur negotia, vel stultis hominibus tam-
quam pecoribus serviat: opus est ut post illos labo-
res domum veniat, hoc est, Ecclesiæ societur; la-
boret etiam ibi ministrans Domino suo donec man-
Matth. 21. 19. ducet & bibat: (nam & esuriens ille quæsivit po-
Johan. 4. 7. ma in arbore, & à Samaritana aquam sitiens postu-
lavit:) manducet ergo & bibat confessionem &
fidem gentium, ministrantibus, hoc est, evange-
lizantibus servis suis. Quò pertinet etiam illud quod
de grano sinapis eis primò respondit, priùs illos
fidem habere debere præsenti vitæ necessariam,
quæ minima videtur quamdiu thesaurus est in vasis
fictilibus, sed vi maxima efferver & germinat. Do- D
Matth. 20. 28. minus noster Jesus Christus, qui vult pasci ministe-
rio servorum suorum, hoc est, in suum corpus quasi
mactatos & manducatos transferre credentes, etiam
hîc pascit eos verbo fidei & sacramento passionis
suæ. Non enim venit ministrari, sed ministrare.
Dicant ergo illi servi per sinapis granum arbori huic
moro, hoc est, ipsi Evangelio crucis Dominicæ,
per poma sanguinea, tamquam vulnera in ligno
2 pendentia, [a] victum populis præbitura: dicant
ergo illi ut eradicetur de perfidia Judæorum, & in E
mare gentium transferatur atque plantetur: hac
enim domestica servitute esurienti & sitienti Do-
mino ministrabunt. Tunc demum quærant escis in-
corruptibilibus in æternum divinæ Sapientiæ per-
frui, cùm dixerint, *Servi supervacui sumus, quod*
debuimus facere fecimus: nihil nobis operis restat;
2. Tim. 4. 7. cursum consummavimus, agonem perfecimus, su-
pereſt nobis corona justitiæ. Omnia enim dici pos-
sunt de illa ineffabili perfructione veritatis: & tan-
tò magis omnia dici possunt, quantò minùs dignè F
dici aliquid potest. Nam & lux est illuminatorum,
& requies exercitatorum, & patria redeuntium, &
esca indigentium, & corona vincentium: & quæ-
cumque bona temporaliter transeuntia per creatu-
ræ partes error appetit infidelium, veriora in æter-
num manentia in Creatore omnium simul inventu-
ra est pietas filiorum.

Quaest. XL. Luca 17. 14. &c. 1. In *decem leprosis* quos Dominus ita mun-
davit, cùm ait, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, multa
quæri possunt quæ meritò quærentes movent. Non G
solùm de numero quid sibi velint quòd decem sunt,
& quòd unus ex illis solus gratias agit: hæc enim
liberè quæruntur, ut etiam non investigata, vel
nihil vel non multùm impediant intentionem le-
gentis: sed illa potiùs, cur eos ad sacerdotes mise-
rit, ut cùm irent mundarentur. Nullum enim eo-
rum quibus hæc corporalia beneficia præstirit, in-
venitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos. Nam
& illum à lepra mundaverat cui dixit, Vade, osten-
de te sacerdotibus, & offer pro te sacrificium, *Luca 5. 14.*
quod præcepit Moyses, in testimonium illis. Dein- *Levit. 14. 4.*
de qualis mundatio spiritalis possit intelligi eorum,
quos ingratos exstitisse redarguit. Secundùm cor-
pus enim facile est videre posse hominem non ha-
bere lepram, & tamen animi esse non boni: secun-
dùm significationem autem hujus miraculi, con-
turbat considerantem, quomodo mundus dici pos-
sit ingratus.

2. Quærendum igitur est, quid ipsa lepra signi-
ficet. Non enim sanati, sed mundati dicuntur qui
eâ caruerunt. Coloris quippe vitium est, non va-
letudinis aut integritatis sensuum atque membro-
rum. Leprosi ergo non absurdè intelligi possunt,
qui scientiam veræ fidei non habentes, varias do-
ctrinas profitentur erroris. Non enim vel abscon- C
dunt imperitiam suam, sed pro summa peritia pro-
ferunt in lucem, & [b] jactantiâ sermonis ostен- b
tant. Nulla porrò falsa doctrina est, quæ non ali-
qua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinatè
permixta, in una disputatione vel narratione ho-
minis, tamquam in unius corporis colore apparen-
tia, significant lepram, tamquam veris falsisque
colorum fucis humana corpora variantem atque
maculantem. Hi autem tam vitandi sunt Ecclesiæ,
ut si fieri potest longiùs remoti magno clamore
Christum interpellent: sicut isti decem *steterunt à*
longè, & levaverunt vocem, dicentes, Jesu præceptor
miserere nostri. Nam & quod præceptorem vocant,
quo nomine nescio utrùm quisquam Dominum in-
terpellaverit pro medicina corporali, satis puto
significare, lepram falsam esse doctrinam, quam
bonus præceptor abstergit.

3. Sacerdotium verò Judæorum nemo ferè
fidelium dubitat figuram fuisse futuri sacerdotij re-
galis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur om-
nes pertinentes ad corpus Christi, summi & veri
principis sacerdotum. Nam nunc & omnes unguun- Uncti nunc omnes Christiani.
tur, quod tunc regibus tantùm & sacerdotibus fie-
bat: & quòd ait Petrus ad Christianum populum
scribens, Regale sacerdotium: utrumque nomen *1. Petr. 2. 9.*
illi populo convenire declaravit, quò illa unctio
pertinebat. Cetera itaque vitia tamquam valetudi-
nis & quasi membrorum animæ atque sensuum, per
seipsum interiùs in conscientia & intellectu Domi-
nus sanat & corrigit: doctrina verò vel imbuendi
per sacramenta, vel catechizandi per sermonem
sonantem atque lectionem, ubi color quidam in-
telligitur verus atque sincerus, quia in promtu est
& foris eminentissimus, (non enim in occultis co-
gitationibus, sed in manifestis operationibus hæc
aguntur,) Ecclesiæ propriè contributa est. Itaque
& Paulus voce Domini audita, Quid me perseque- *Act. 9. 4. & 5.*
ris? &, Ego sum Jesus, quem tu persequeris: ad
Ananiam tamen missus est, ut illo sacerdotio quod
in Ecclesia constitutum est, sacramentum doctri-
næ fidei perciperet, & verus ejus approbaretur co-
lor. Non quia non potest per seipsum Dominus
omnia facere, nam quis alius hæc facit etiam in Ec-
clesia? sed ut ipsa societas congregatorum fidelium,
approbando in invicem atque communicando ve-
ræ fidei doctrinam in omnibus quæ dicuntur verbis

[a] Rat. & MS. Cistere. *virum populis præbitura.*
[b] MSS. nostri omnes, *jactantiam*: & paulò infrà pro *colorum* | *fucis*, habent *colorum locis.*

vel signantur sacramentis, tamquam unam speciem A
veri coloris obducat. Ad hoc etiam pertinet quod
Gal. 2. 1. & 2. idem dicit Apostolus, Deinde post annos quatuor-
» decim adscendi Jerosolymam cum Barnaba assum-
» to & Tito: adscendi autem secundùm revelatio-
» nem; & exposui eis Evangelium quod prædico in
a » gentibus, seorsum autem iis qui videbantur: [a] ne
» fortè in vacuum curro, aut cucurri. Et paulò pòst,
Ibidem 9. Cùm cognovissent, inquit, gratiam quæ est
» mihi, Jacobus, Petrus, & Johannes, qui videban-
» tur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Bar- B
nabæ societatis. Ipsa enim collatio unam doctrinæ
speciem exclusâ omni varietate monstrabat: quod
1. Cor. 1. 10. salubriter etiam Corinthios monet, dicens, Ob-
» secro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri
» Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes. Cornelius
Act. 10. 4. &c. etiam cùm & eleemosynæ ejus acceptæ, & preces
ejus auditæ illi ab Angelo nuntientur, propter do-
ctrinæ tamen sacramentorumque unitatem ad Pe-
trum jubetur mittere, tamquam illi & suis dicere-
tur, *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Nam & cùm irent C
mundati sunt. Jam enim ad eos venerat Petrus, sed
tamen ipsi nondum accepto baptismatis sacramen-
to, nondum spiritaliter ad sacerdotes pervenerant;
& tamen infusione Spiritus-sancti, & admiratione
linguarum eorum mundatio declarata est.

4. Quæ cùm ita se habeant, jam facilè est etiam
illud videre, fieri posse ut quisque in Ecclesiæ socie-
tate doctrinam integram veramque assequatur, &
omnia secundùm catholicæ fidei regulam edisserat,
distinguat à Creatore creaturam, eoque manife- D
stetur varietate mendaciorum tamquam lepra ca-
ruisse: & tamen ingratus sit Deo & Domino mun-
datori suo; quia elatus superbiâ, gratiarum agenda-
rum pia humilitate non sternitur, similisque efficи-
Rom. 1. 21. tur illis, de quibus dicit Apostolus, Qui cùm co-
» gnovissent Deum, non ut Deum magnificaverunt,
» aut gratias egerunt. Quod enim dicit eos Deum co-
gnovisse, ostendit quidem à lepra fuisse mundatos,
sed tamen statim accusat ingratos. Ideoque tales in
novenario numero tamquam imperfecti remane- E
bunt. Unum enim si addatur ad novem, quædam
effigies unitatis impletur: quo fit tanta completio,
ut ultrà non progrediatur numerus, nisi rursus ad
unum redeatur; & hæc per infinitatem numeri re-
gula custodiatur. Novem itaque indigent uno, ut
quadam unitatis formâ coagulentur & decem sint:
unum autem non eis indiget ut custodiat unitatem.
Quamobrem ut illi novem qui gratias non egerunt,
reprobi effecti, à consortio unitatis excluſi sunt: ita
unus ille qui gratias egit, unicæ Ecclesiæ significa- F
tione approbatus atque laudatus est. Et quia illi
erant Judæi, amisisse per superbiam declarati sunt
regnum cælorum, ubi maximè unitas custoditur:
iste verò qui erat Samaritanus, quod interpretatur
custos, illi à quo accepit tribuens quod accepit, &
Psal. 58. 10. quodammodo cantans illud de Psalmo, Fortitudi-
nem meam ad te custodiam: per gratiarum actio-
nem regi subjectus, unitatem regni humili devo-
tione servavit.

Quaest. XLI. Luca 17. 3. Quid est quod dicit Dominus, *Qui fuerit in* G
tecto, & vasa ejus in domo, non descendat tollere illa?
In tecto est, qui excedens carnalia, tamquam in
aura libera spiritaliter vivit. *Vasa ejus in domo*, sunt
sensus carnales, quibus ad investigandam verita-

[a] Editi, *videbantur esse aliquid.* MSS. quatuor, *videntur*: qui codices, aliique è MSS. non addunt, *esse aliquid*: quod etiam ab antiquis Corbeiensibus versionis Vulgatæ Bibliis abest; neque in Græ- | co textu Apostoli est nisi τῆς δοκοῦσι, id est, juxta Augustini exposi-tionem in Epist. ad Gal. *eis qui eminebant in Ecclesia.*
[b] Rat. & quinque MSS. *doctoribus.*

tem, quæ intellectu capitur, multi utentes penitus
erraverunt. Hujus ergo spiritalis viri jam vasa ista
vacant in domo; quia mente corpori supereminens
per aciem intelligentiæ tamquam in tecto positus,
perspicuitate sapientiæ veluti cælo apertissimo
fruitur. Caveat ergo iste, ne in die tribulationis
rursus vitâ carnali, quæ per sensus corporis pasci-
tur, delectatus, ad vasa hujusmodi tollenda des-
cendat.

Quaest. XLII. Luca 17. 31. 1. Cor. 3. 6. Quid est quod dictum est, *Et qui in agro fuerit,*
similiter non redeat retrò? Qui operatur in Ecclesia,
sicut Paulus & Apollo plantat & rigat, non respi-
ciat spem sæcularem, cui renuntiavit.

Quaest. XLIII. Luca 17. 32. Quid significavit *uxor Loth?* Eos qui in tribula-
tione retrò respiciunt, & se ab spe divinæ promissio-
nis avertunt. Et ideo statua salis facta est, ut ad-
monendo homines ne hoc faciant, tamquam con-
diat cor eorum ne sint fatui.

Quaest. XLIV. Luca 17. 34. &c. 1. Qui *sunt in illa nocte duo in lecto, & duæ*
molentes in unum, & duo in agro, de quibus omni-
bus binis singuli assumentur, & singuli relinquen- b
tur? Tria genera hominum hîc videntur significari:
unum eorum qui otium & quietem eligunt, neque
negotiis sæcularibus neque negotiis ecclesiasticis
occupati; quæ illorum quies lecti nomine significa-
ta est: alterum eorum qui in plebibus constituti
reguntur à [b] doctioribus, agentes ea quæ sunt hu-
jus sæculi; quos & feminarum nomine significavit,
quia consiliis, ut dixi, peritorum, regi eis expedit;
& molentes dixit, propter temporalium negotio-
rum orbem atque circuitum: quas tamen in unum
molentes dixit, inquantum de ipsis rebus & nego-
tiis suis præbent usibus Ecclesiæ: tertium eorum qui
operantur in Ecclesiæ ministerio tamquam in agro
Dei, de qua agricultura Apostolus loquitur. In 1. Cor. 3. 9.
his ergo tribus generibus bina sunt rursus genera ho-
minum in singulis, & pro robore suarum virium
discernuntur. Cùm enim omnes ad Ecclesiæ mem-
bra pertinere videantur, adveniente tamen tenta-
tione tribulationis, & ex illis qui sunt in otio, &
ex illis qui sunt in negotiis sæculi, & ex illis qui Deo
ministrant in Ecclesia, aliqui permanent, aliqui
cadunt: qui permanent assumuntur, qui cadunt
relinquuntur. Ergo *unus assumetur, & unus relin-*
quetur, non quasi de duobus hominibus dictum est,
sed de duobus generibus affectionum, in singulis
generibus trium professionum. *In illa* ergo *nocte*
dixit, in illa tribulâtione.

2. Ad ipsa tria genera quæ assumuntur, perti-
nere arbitror etiam tria illa nomina virorum sancto-
rum, quos solos liberandos Ezechiel propheta pro-
nuntiat, Noë, Daniel & Job. Videtur enim Noë Ezech. 14.
pertinere ad eos, per quos Ecclesia regitur; sicut 14.
per illum in aquis arca gubernata est, quæ figuram Gen. 7. 7. &c.
gestabat Ecclesiæ. Daniel autem, qui elegit cæli-
bem vitam, id est nuptias terrenas contemsit, ut
sicut dicit Apostolus, sine sollicitudine viveret, co- 1 Cor. 7. 32.
gitans quæ sunt Dei, genus eorum significat qui
sunt in otio, sed tamen fortissimi in tentationibus
ut possint assumi. Job autem quia uxorem & filios Job. 1. 2. &c.
habuit, & amplas terrenarum rerum copias, ad il-
lud genus pertinet, cui molendinum deputatum
est, sed tamen ut sint fortissimi in tentationibus,
sicut ille fuit; non enim aliter assumi poterunt. Nec
puto esse alia genera hominum quibus constat Ec-

clesia, quàm ista tria, habentia binas differentias, propter assumtionem & relictionem; quamvis in singulis multæ studiorum voluntatumque diversitates, ad concordiam tamen unitatemque concurrentes, possint inveniri.

QUAEST. XLV. *Luca* 18. 2. &c.

1. QUID est quòd ad semper orandum & non deficiendum, *de judice iniquo* voluit parabolam ponere, *qui cùm Deum non timeret, & hominem non revereretur, viduæ tamen assiduis interpellationibus cessit*, ut eam vindicaret, ne sibi ab illa tædium fieret? Nam hoc est quod ait, *Ne veniens suggillet me.* v. 5. Quoniam parabolas Dominus aut secundùm similitudinem aliquam ponit: sicut de servo illo, cui Dominus dimisit quod ratione reddita debere inventus est, & ipse conservo suo dilationem saltem dare noluit; & de fœneratore, qui cùm duobus debitoribus donasset quod debebant, ab eo plus dilectus est cui plus donavit; & de homine qui habebat duos filios, majorem in agro sibi propinquantem, minorem autem in longinquo luxuriantem; & innumerabilia hujusmodi. De his enim, in quantum similia sunt, ducitur intellectus ejus rei, cui adhibentur, [a] insinuandæ aut requirendæ. Aut ex ipsa dissimilitudine aliquid probat, veluti est illud, Quod si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei? Ad hoc genus pertinet etiam illud quod de servo ait, cui Dominus denuntiaverat ut à villicatu removeretur: fraudem quippe ille fecit domino suo, ut falsatis chirographis, debitoribus ejus, quantum commodum visum est, relaxaret. Neque ullo modo nos Dominus ut sibi fraudem faciamus hortatur: sed si qui fraudando sibi providit in posterum, laudatum eum dicit à domino; quantò majore alacritate sibi providere debent in æternam vitam, quibus ut justè operentur jubetur de mammona iniquitatis? quod suo loco * expositum est. Ad hoc genus pertinet & ille, qui non propter amicitiam, sed ut tædio careret, jam dormiens excitatur, ut tres panes commodet amico suo. Si enim ille molestiâ compulsus dedit, quantò magis Deus, qui servos suos diligens ut petamus hortatur, dabit bona petentibus se? Itaque illud superius genus his verbis adjungi potest, Sicut illud, ita & illud: hoc autem posterius his verbis, Si illud, quantò magis illud? aut, Si non illud, quantò minùs illud? sed alicubi obscurè, alicubi apertè ista ponuntur. Hîc ergo iniquus judex non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est, ut ostenderet Dominus quantò certiores esse debeant qui Deum perseveranter rogant fontem justitiæ atque misericordiæ, vel si quid excellentius dici aut audiri potest, cùm apud iniquissimum judicem usque ad effectum implendi desiderij valuerit perseverantia deprecantis.

Matth. 18. 27. *Luca* 7. 41. *Luca* 15. 11. *Matth.* 6. 30. *Luca* 16. 1. *Supra* q. 34. *Luca* 11. 5. *Matth.* 7. 7. &c.

2. Ipsa verò vidua potest habere similitudinem Ecclesiæ, quòd desolata videtur donec veniat Dominus, qui ramen in secreto etiam nunc curam ejus gerit. Si autem movet cur electi Dei se vindicari deprecentur, quod etiam in Apocalypsi Johannis de Martyribus dicitur, cùm apertissimè moneamur ut pro nostris inimicis & persecutoribus oremus; intelligendum est eam vindictam esse justorum, ut omnes mali pereant: pereunt autem duobus modis, aut conversione ad justitiam, aut amissa per supplicium potestate, qua nunc adversùs bonos, quamdiu hoc ipsum bonis expedit, vel temporaliter aliquid valent. Itaque etiamsi omnes homines converterentur ad Deum, inter quos sunt etiam inimici, pro quibus jubemur orare; diabolus tamen, qui operatur in filiis diffidentiæ, remaneret in sæculi fine damnandus: quem finem justi cùm venire desiderant, quamvis pro inimicis suis orent, tamen non absurdè vindictam desiderare dicuntur.

Apoc. 6. 10. *Matth.* 5. 44. *Luca* 6. 27. *Ephes.* 2. 2. *Rom.* 1. 20.

HOMO *quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti*, ipse Dominus noster Jesus Christus intelligitur. Regio longinqua, Ecclesia gentium usque ad fines terræ. Reverti tamen se dicit: abiit enim, ut plenitudo gentium intraret; revertetur, ut omnis Israël salvus fiat. Per decem mnas, Legem significat propter decalogum. Decem autem servos, quibus sub illa positis gratia prædicata est. Sic enim intelligendum est eis datas mnas ad usum, cùm intellexerunt eam ipsam Legem remoto velamine ad Evangelium pertinere. Cives ejus qui post eum miserunt legationem, dicentes se nolle ut regnet sibi, Judæi sunt, qui etiam post resurrectionem ejus miserunt [b] persecutores Apostolis, & prædicationem Evangelij respuerunt. Rediit autem accepto regno, quia in manifestissima & eminentissima claritate venturus est, qui eis humilis apparuit, cùm diceret, Regnum meum non est de hoc mundo. Quod autem servi reddentes rationem ex eo quod acceperant, laudantur qui lucrati sunt, significat eos bonam reddere rationem, qui bene usi sunt eo quod acceperunt, ad augendas divitias Domini per eos qui credunt in eum. Quod qui facere nolunt, in illo significati sunt qui mnam suam in sudario servavit. Sunt enim homines hac sibi perversitate blandientes ut dicant, Sufficit ut de se unusquisque rationem reddat, quid opus est aliis prædicare aut ministrare, ut etiam de ipsis reddere rationem quisque cogatur, cùm apud Dominum etiam illi sint inexcusabiles quibus Lex data non est, neque audito Evangelio dormierunt, quia per creaturam poterant cognoscere Creatorem, cujus invisibilia à constitutione mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur? Hoc est enim quasi metere ubi non seminavit, id est etiam eos impietatis reos tenere, quibus verbum Legis aut Evangelij non ministratum est. Hoc autem veluti periculum judicij devitantes, pigro languore à verbi ministratione conquiescunt, & hoc est quasi in sudario ligare quod acceperunt. Mensam quò danda erat pecunia, professionem ipsam religionis accipimus, quæ tamquam publicè proponitur ad usum necessarium saluti. Quod autem unus eorum qui bene usi sunt, decem adquisivit & alter quinque, significat eos esse adquisitos in gregem Dei, à quibus ipsa Lex per gratiam intellecta est: sive quia decalogo continetur, sive quia ille per quem lata est, libros quinque conscripsit: ad hoc pertinent & decem & quinque civitates, quibus eos præponit. Multiplicatio enim intelligentiæ in ipsa varietate, quæ de unoquoque præcepto vel de unoquoque libro pullulat, ad unum redacta, quasi civitatem facit viventium rationum æternarum. Est enim civitas, non quorumlibet animantium, sed rationalium multitudo legis unius societate devincta. Quod autem ab illo qui uti noluit aufertur quod acceperat, & ei datur qui decem habebat, significatur & illum posse amittere munus Dei qui habens

QUAEST. XLVI. *Luca* 19. 12. &c. *Rom.* 11. 25. Civitas quid.

[a] Sic MSS. At editi, *cui adhibentur ad mysterium insinuandæ aut requirendæ veritatis.*

[b] Rat. & duo MSS. *immiserunt persecutiones Apostolis*: moxque alij tres è MSS. *& prædicatores Evangelij* &c.

non

non habet, id est non utitur; & in eo augeri qui habens habet, hoc est bene utitur. Inimicos ergo suos quos jubet coram se interfici, significat impietatem Judæorum, qui ad eum converti noluerunt.

QUAEST. XLVII. *Luca* 18. 25.

QUID est quod ait, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Divitem hîc appellat cupidum rerum temporalium & de talibus superbientem. His divitibus contrarij sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cælorum. Nam eo manifestatur omnes cupidos, etiamsi facultatibus hujus mundi careant, ad hoc genus divitum quod est reprehensum pertinere; quia postea dixerunt qui audiebant, *Et quis poterit salvus fieri?* cùm incomparabiliter major turba sit pauperum: videlicet intelligentes in eo numero deputari etiam illos, qui quamquam talia non habeant, tamen habendi cupiditate rapiuntur. Sensus est autem, facilius Christum pati pro dilectoribus sæculi, quàm dilectores sæculi ad Christum posse converti. Cameli autem nomine se intelligi voluit, quia humiliatus onera sustulit. In quo enim manifestiùs intelligitur, quàm in ipso, quod scriptum est, Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Per acum autem punctiones significat, per punctiones dolores in passione susceptos: foramen ergo acus dicit angustias passionis. Quod autem ait, *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum*, non ita accipiendum est, quòd cupidi & superbi, qui nomine illius divitis significati sunt, in regnum cælorum sint intraturi cum suis cupiditatibus & superbia: sed possibile est Deo, ut per verbum ejus, sicut & jam factum esse, & etiam quotidie fieri videmus, à cupiditate temporalium ad caritatem æternorum & à pernicioså superbia ad humilitatem saluberrimam convertantur.

Matth. 5. 3. *Eccli.* 3. 20. *Luca* 18. 27.

QUAEST. XLVIII. *Luca* 18. 35. *Matth.* 20. 29. *Marci* 10. 46.

1. POSSEMUS *de propinquantibus ad Iericho*, sic intelligere, ut jam inde egressi, propè tamen adhuc essent ad eam civitatem: quod quidem minùs usitatè dicitur, sed tamen videri possit hoc dictum, quoniam Matthæus egredientibus eis ab Jericho dicit illuminatos duos cæcos qui juxta viam sedebant. De numero quippe nulla est quæstio, si alter Evangelistarum de uno tacuit, unius reminiscens. Nam etiam Marcus unum commemorat, cùm & ipse egredientibus eis ab Jericho dicat illuminatum, cujus & nomen dixit & patrem: ut intelligamus eum fuisse notissimum, alterum ignotum, ut meritò ille notus etiam solus decenter commemoraretur. Sed quoniam quæ consequuntur in Evangelio secundùm Lucam, apertissimè ostendunt illud quod ipse narrat adhuc venientibus eis Jericho factum esse; nihil aliud restat intelligere, nisi bis esse factum hoc miraculum, semel in uno cæco, dum adhuc veniret in illam civitatem, & iterum in duobus cùm inde egrederetur: ut illud unum Lucas, illud alterum Matthæus enarraret, neque hoc sine aliquo sacramento. Si enim Jericho lunam, & ob hoc mortalitatem interpretamur, morti propinquans Dominus, Judæis solis lumen Evangelij jusserat prædicari, quos significavit ille unus cæcus quem Lucas commemorat: à morte autem resurgens atque discedens, & Judæis & gentibus, quos duos populos significare videntur duo cæci commemorati à Matthæo.

Luca 19. 45.

2. [a] *Templum* in Evangelio ipsum hominem intelliges, vel etiam adjuncto corpore ejus, quod est Ecclesia. Secundùm autem illud quod est caput Ecclesiæ, dictum est, *Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Secundùm id verò quod etiam adjuncta Ecclesia intelligitur templum, videtur dixisse, *Auferte ista hinc: scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam domum negotiationis, vel speluncam latronum.* Significavit enim futuros in Ecclesia, qui sua negotia potiùs agerent, vel receptaculum ibi haberent ad occultanda scelera sua, quàm ut caritatem Christi sequerentur, & peccatorum confessione acceptâ venià corrigerentur.

Johan. 2. 19. *Ibidem* 16. *Luca* 19. 46. *Isai.* 56. 7. *Jerem.* 7. 11. *Matth.* 21. 13.

QUAEST. XLIX. *Luca* 20. 36.

AD id quod dixit, *Non enim ultrà incipiunt mori*: quia connubia propter filios, filij propter successionem, successio propter mortem: ubi ergo mors non est, neque connubia. Sicut enim nunc sermo noster decedentibus & succedentibus syllabis peragitur atque perficitur: ita & ipsi homines quorum sermo est, decedendo ac succedendo peragunt atque perficiunt ordinem hujus sæculi, qui temporalium rerum pulcritudine contexitur. In illa autem vita quoniam Verbum Dei quo fruemur, nulla decessione & successione syllabarum completur, sed omnia quæ habet semper manendo simul habet, ita participes ejus, quibus ipsum solum erit vita, neque moriendo sibi decedent, neque nascendo succedent.

QUAEST. L. *Luca* 22. 40. & 41.

QUOD dixit Dominus discipulis, *Orate ne intretis in tentationem: & ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis*: tamquam hoc eos admonuerit, ut in eum dirigerent lapidem, id est, usque ad eum perducerent intentionem Legis, quæ scripta erat in lapide. Usque ad illum enim potest pervenire ille lapis: quoniam finis Legis est Christus ad justitiam omni credenti.

Deut. 9. 9. *Rom.* 10. 4.

QUAEST. LI. *Luca* 24. 28.

1. QUOD scriptum est de Domino, *Finxit se longiùs ire*, non ad mendacium pertinet. Non enim omne quod fingimus mendacium est: sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium. Cùm autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quæ à sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figuratè dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundùm usitatum intellectum non subsistit veritas talibus dictis. Non enim homo qui habuit duos filios, quorum junior accepta parte patrimonij sui profectus est in regionem longinquam, & cetera quæ in illa narratione contexuntur, ita dicuntur tamquam verè fuerit quisquam homo qui hoc in filiis suis duobus aut passus sit, aut fecerit. Ficta sunt ergo ista ad rem quamdam significandam, tam longè latéque majorem & tam incomparabiliter differentem, ut per illum fictum hominem Deus verus intelligatur. Sicut autem dicta, ita etiam facta fingi atur sine mendacio ad aliquam rem significandam: unde est etiam illud ejusdem Domini, quod in fici arbore quæsivit fructum eo tempore, quo illa poma nondum essent. Non enim dubium est illam inquisitionem non fuisse veram: quivis enim hominum sciret, si non divinitate, vel tempore, poma illam arborem non habere. Fictio igitur quæ ad aliquam veritatem refertur, figura est: quæ non refertur, mendacium est. Quid ergo significat quod se ire longiùs Dominus finxit, cùm comitaretur discipulis, exponens eis sanctas Scrip-

Luca 15. 11. *Matth.* 21. 19.

[a] Hanc in *templum* adnotationem Augustinus in præfixo huic operi Quæstionum elencho non recenset. Apud Lov. incipit sic, *Templum in Evangelio ipsum Deum hominem factum intelliges*: at alij codices nec *Deum* addunt, nec *factum*.

turas, utrùm ipſe eſſet ignorantibus? quid putamus, niſi quia hoſpitalitatis officio ad ſuam cognitionem pervenire poſſe homines intimavit? ut cùm longiùs ipſe ab hominibus abſceſſerit ſuper omnes cælos, tamen ita cum eis ſit qui hæc exhibent ſervis ejus, ut cùm dicere cœperint, Domine quando *Matth. 25. 38.* te vidimus hoſpitem & adduximus: tamquam eum *Ibidem 40.* ſcilicet qui longè abſceſſerat: reſpondeat ille, Cùm uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Tenet ergo Chriſtum ne longiùs ab illo eat, quiſquis catechizatus verbum, in omnibus bonis ei qui ſe ca- B *Gal. 6. 6.* techizat communicat, ſicut Apoſtolus dicit, Communicet qui catechizatur verbum ei qui ſe catechizat in omnibus bonis. Et alio loco cùm dixiſſet, Neceſſitatibus ſanctorum communicantes: ſtatim *Rom. 12. 13.* ſubjecit, Hoſpitalitatem ſectantes. Et iſti enim catechizati erant verbo, cùm eis exponeret Scripturas, & quia hoſpitalitatem ſectati ſunt, eum quem in ipſa expoſitione Scripturarum non cognoverant, in panis fractione cognoſcunt. Non enim auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis *Rom. 2. 13.* juſtificabuntur.

2. [a] Quod Dominum in paſſione exuerunt veſte propria, *Luc. 23. 11.* & induerunt fucatâ, ſignificati ſunt hi hæretici qui eum *Matth. 27. 28.* aiunt non verum corpus habuiſſe, ſed fictum. a

[a] Iſthæc adnotatiuncula neque computatur in Elencho ſuperiùs propoſito, neque hîc omnibus in MSS. ſed in plurimis tamen atque etiam in Corbeienſi antiquiſſimo reperitur. Abeſt ab editis Am. & Er. At apud Rat. necnon in MS. Sorbonico pertinet ad ſubſequentem librum quæſtionum in Matthæum.

ADMONITIO
IN LIBRUM SEPTEMDECIM QUÆSTIONUM SUPER MATTHÆUM.

UT hic exhibeatur inter Auguſtini germana opera, nec tamen ipſius, uti ſolet, Auguſtini nomine prænotetur iſte alius quæſtionum in Matthæum liber, non temere fit neque fruſtra. Nempe ſtilum *in primis* & res congruere Auguſtino *cenſent poſt Eraſmum Lovanienſes Theologi. Deinde fragmenta ejuſdem libri quædam cum nomine Auguſtini profert Rabanus Maurus in lib. 4. Commentarij ſuper Matthæi Evangelium, quem ipſe circiter 840. Chriſti annum collectis hinc inde veterum expoſitionibus concinnabat. Denique in Indiculo operum Auguſtini Poſſidiano, qui per Iohannem Vlimmerium ex Villarienſi codice vulgatus eſt, recenſentur pag.* v. Quæſtiones Evangeliorum lib. 11. *moxque*, Annotationes aliquot in Matthæum lib. 1.

Attamen, quod meritò moveat, hujus tertij libri nihil meminit Auguſtinus in Retractationibus, cùmque libros quæſtionum in Evangelia duos tantummodo recognoſcat, in eos redactas dicit, quas tum ſuper Matthæum tum ſuper Lucam quæſtiones dictaverat: & monet poſtmodum, quæ de ſupradictis Evangeliſtis *loca* expoſita fuerint, prologum *ſuum* adjunctis atque adnumeratis eiſdem quæſtionibus indicare. *Habes Retractationem ſuperiùs pag. 235. & quæſtionum omnium Elenchum ſub prologo per nos reſtitutum pag. 237. Sic verò etiam in libri quæſtionum octoginta trium recognitione, omnes & ſingulas ex ordine quæſtiones, ne unà quidem omiſſa, recenſere ipſum non piguit. Qua profectò diligentia cavebat S. Doctor ne ejus nomine quæſtiones alias quaſlibet reciperemus; neve librarij, quod in eo ſcripti genere liberiùs committebant, ſpurias appendices operibus ipſius aſſuerent.*

Neque verò exiſtimare licet tertium hunc librum Retractationibus poſteriùs editum, ob idque in iis non recenſitum fuiſſe. Quippe zizaniorum parabola hîc exponitur longè ſecus quàm ſoleret ab Auguſtino, ex tempore præſertim Carthaginenſis collationis, in qua Donatiſtæ Catholicis reclamantibus id vehementer affirmabant, quod in hujus libri quæſtione XI. *n.* 1. *dicitur*, agrum ipſum, non Eccleſiam, ſed mundum *Domino interpretante intelligendum eſſe, ut videre eſt in Actis Collationis parte* 3. *c.* 258. 265. *& ſequentibus. Qua de re Auguſtinus in lib. cui titulus*, Poſt collationem ad Donatiſtas, *c.* 8. Diu contenderunt, *inquit*, dicentes zizania, quæ cum tritico ſimul creſcere uſque ad meſſem permiſſa ſunt, non in Eccleſia, ſed in mundo eſſe, contra intellectum martyris Cypriani qui dixit, Etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut caritas noſtra. *Quid quod iſte auctor in quæſtione* XII. *n.* 2. *reſponſum illud patris-familiàs zizania ante meſſem evelli prohibentis, non modò non torquet in Donatiſtas more Auguſtini, ſed interpretatur eo pacto ut in illos torqueri non valeat: quando quidem de non auferendis ex hac vita hominibus ſermonem haberi putat.*

Accedit ſilentium Eugyppij abbatis, qui olim, id eſt ineunte ſexto ſæculo, cùm ex Auguſtini operibus ampliſſima collectaneorum volumina compararet, deſcripſit ex duobus præcedentibus libris quæſtiones plures, ſcilicet ex primo ſaltem quatuor, ex ſecundo octodecim: nec tamen quidquam ex hoc tertio libro decerpſiſſe à nobis deprehenditur.

Quod veteres codices ſpectat, quidam duos priores libros continent ſine tertio; nonnulli tertium hunc duobus illis proximè ſubjectum exhibent cum hocce titulo, Incipiunt quæſtiones Evangeliorum, *non addito nomine Auguſtini. Iſtius ſecundi generis exſtat exemplar unum Corbeienſe ante annos, ut videtur, octingentos ſcriptum: præter Ciſtercienſem codicem multò recentiorem, qui licèt non eumdem titulum præferat, hoc tamen cum Corbeienſi convenit, quod prædictum librum non adtribuit Auguſtino.*

Ad extremum Indiculo Poſſidij in optimæ notæ MSS. diligenter explorato, id quod ſola Vlimmeriana editio habet de ſubſequenti opere, nuſquam reperimus.

QUÆSTIONUM SEPTEMDECIM IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM, LIBER UNUS.

QUÆST. I. *Matth. 2. 16.* QUOD dictum eſt, *occiſos infantes à bimatu & infra*, ſignificatum eſt humiles habentes geminam caritatem, tamquam parvulos bimos poſſe mori pro Chriſto. A

QUÆST. II. *Matth. 10. 27.* QUOD *dico vobis in tenebris*, id eſt, cùm adhuc in timore carnali eſtis, quia in tenebris eſt timor: *dicite in lumine*, hoc eſt, in fiducia veritatis, accepto Spiritu-ſancto. *Et quod in aure auditis prædicate ſuper tecta*, id eſt, quod in ſecreto auditis, calcato carnis domicilio prædicate.

QUÆST. III. *Matth. 10. 34. & 35.* NOLITE *arbitrari quia venerim pacem mittere* B *in terram; non veni pacem mittere, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem adverſùs patrem ſuum.* Quia renuntiat quis diabolo, qui fuit filius ejus. *Et filiam adverſùs matrem ſuam:* plebem Dei adverſùs mundanam civitatem, hoc eſt, pernicioſam generis humani ſocietatem, quam nunc Babyloniâ, nunc Ægypto, nunc Sodomâ, nunc aliis atque aliis nominibus Scriptura ſignificat. *Nurum adverſùs ſocrum*, Eccleſiam adverſùs ſynagogam, quæ ſecundùm carnem Chriſtum peperit ſponſum Eccleſiæ. C Dividuntur autem gladio ſpiritûs, quod eſt verbum *v. 36.* Dei. *Et inimici hominis domeſtici ejus*, cum quibus antea conſuetudine implicatus erat.

QUÆST. IV. *Matth. 8. 1. &c.* QUOD autem *deſcendens de monte* poſtea quàm præcepta illic diſcipulis & multitudini dedit, *leproſum ſtatim extendens manum ſuam curat*, ſignificat eos qui de illis implendis dubitabant, ſuo auxilio ab hujuſmodi varietate mundari.

QUÆST. V. *Matth. 8. 20.* QUOD Dominus dixit Scribæ, qui eum ſequi voluit, *Vulpes foveas habent, & volucres cæli habernacula, filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet*, intelligitur miraculis Domini commotus propter inanem jactantiam eum ſequi voluiſſe, quam ſignificant aves: finxiſſe autem diſcipuli obſequium, quæ fictio vulpium nomine ſignificata eſt. Reclinatione verò capitis humilitatem ſuam ſignificavit, quæ in illo ſimulatore ac ſuperbo non habebat locum. D

QUÆST. VI. *Matth. 8. 22.* DIMITTE *mortuos ſepelire mortuos ſuos. Mortuos* hîc non credentes dixit: *mortuos* autem *ſuos*, qui nihilo minùs ſine fide de corpore exirent.

QUÆST. VII. *Matth. 10. 14.* EXCUTITE *pulverem de pedibus veſtris:* aut ad conteſtationem laboris terreni, quem pro illis inaniter ſuſcepiſſent: aut ut oſtenderent uſque adeo ſe ab ipſis nihil terrenum quærere, ut etiam pulverem de terra eorum ſibi non paterentur adhærere.

QUÆST. VIII. *Matth. 10. 16.* ESTOTE *ergo prudentes ſicut ſerpentes:* ad cavendum malum, in capite cuſtodiendo, quod eſt Chriſtus. Nam ſerpens totum corpus pro capite objicit perſequenti: vel quòd per anguſtias ſe coar- F Serpentis natura. tans veteri tunicâ exutus innovatur. Quod imitantur quibus dictum eſt, Intrate per anguſtam portam: cùm vetere homine exuuntur. Nam ſi ca- *Matth. 7. 13.*

vendum malum ita moneret, ut violenter reſiſtendum eſſet malis, non ſuprà dixiſſet, *Mitto vos ſicut oves in medio luporum.* Simplices autem ſicut co- Columbæ natura. lumbas eſſe voluit, ad nulli nocendum. Nam hoc genus avis nullum omnino animalium necat, non ſolùm grandium, contra quæ vires non habet, ſed etiam minutiſſimorum, quibus etiam perparvi paſſeres aluntur. Eſt autem omnibus irrationalibus animantibus una quædam inter ſe ſocietas, ſicut etiam rationalibus ſua, id eſt hominibus, non ſolùm ſecum, ſed etiam cum Angelis. Diſcunt ergo ex ſimilitudine columbarum nulli prorſus nocere ad ſocietatem ſuam pertinenti participatione rationis.

QUÆST. IX. *Matth. 11. 25. Luc. 10. 2.* CONFITEOR *tibi Pater Domine cæli & terræ.* Notandum confeſſionem poni in laude Dei. Non enim peccata Dominus confitebatur, quæ nulla habebat, præſertim quia eum exſultantem hoc dixiſſe alius Evangeliſta commemorat: quamquam & verba ipſa quæ dicit non habeant dubitationem, quòd in laude Dei dicantur. Ergo confeſſionem vocat Scriptura generaliter quidquid manifeſtè, ſicut cernitur, enuntiatur. Nam & illud quod ait, *Si* *Matth. 10. 32.* *quis me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo:* vel ſicut alibi eſt, *coram* *Luc. 12. 8.* *Angelis Dei*: non utique peccata confitetur qui Chriſtum confitetur. Quòd ſi propterea putant aliqui confeſſionem vocari, quia pro crimine objiciatur Chriſti nomen tempore perſecutionis; numquid ita etiam Chriſtus coram Patre vel coram Angelis hominem qui ſe confeſſus fuerit confitetur? Eſt etiam in Eccleſiaſtico ita poſitum, Et hæc di- *Eccli. 39. 20.* cetis in confeſſione, opera Domini univerſa, quoniam bona valde. quo in loco indubitanter Dei laudes exaggerantur. Hæc dicta ſunt propter imperitiam fratrum, qui cùm legente lectore audiunt hoc verbum, pectora ſtatim tundunt, non adtendentes quo loco dicatur, quaſi non poſſit niſi peccatorum eſſe confeſſio.

QUÆST. X. *Matth. 12. 1. &c.* NOTANDUM de eo quod illicitè factum videretur Judæis, quòd *diſcipuli ſabbato ſpicas evulſiſſent*, unum exemplum datum regiæ poteſtatis de E David, alterum ſacerdotalis de iis qui per miniſterium templi ſabbatum violant: ut multò minùs ad ipſum evulſarum ſabbato ſpicarum crimen pertineat, qui verus rex & verus ſacerdos eſt, & ideo Dominus ſabbati.

QUÆST. XI. *Matth. 13. 25.* 1. CUM *autem dormirent homines, venit inimicus ejus & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit.* Cùm negligentiùs agerent præpoſiti Eccleſiæ, aut cùm dormitionem mortis acciperent Apoſtoli, venit diabolus & ſuperſeminavit eos, quos malos filios Dominus interpretatur. Sed rectè quæritur, utrùm hæretici ſint, an malè viventes catholici. Poſſunt enim dici filij mali etiam hæretici, quia ex eodem

Evangelij semine & Christi nomine procreati, pravis opinionibus ad falsa dogmata convertuntur. Sed quòd dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari qui unius communionis sunt: verumtamen quoniam Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est, bene intelliguntur hæretici, quia non societate unius Ecclesiæ vel unius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis: ut illi qui in eadem fide mali sunt, palea potiùs quàm zizania deputentur: quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem. In illa planè sagena, qua concluduntur & mali & boni pisces, non absurdè mali catholici intelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat: aliud sagena, quæ unius fidei vel unius Ecclesiæ communionem videtur ostendere. Inter hæreticos & malos catholicos hoc interest, quòd hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes non vivunt ita ut credunt. *Ibidem* 47.

Schismatici quid ab hæreticis distent.

2. Solet autem etiam quæri, schismatici quid ab hæreticis distent, & hoc inveniri quòd schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas. Sed utrùm inter zizania numerandi sint, dubitari potest. Magis autem videntur spicis corruptis esse similiores, sicut scriptum est, Vento autem corrumpetur filius iniquus: vel paleis aristarum fractis, vel scissis & de segete abruptis. Quo enim altiores, id est, superbiores, eo fragiliores levioresque sunt. Nec tamen consequens est, ut omnis hæreticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separetur. Si enim falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ quæ ad fidei pertinet ædificationem, ita ut non quærentis cunctatione temperatus sit, sed inconcussè credentis, nec omnino scientis opinione atque errore discordans, hæreticus est, & foris est animo, quamvis corporaliter intus videatur. Multos enim tales portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, ut intentam multitudinem faciant: quòd si fecerint, tunc pelluntur. Item quicumque invident bonis, ita ut quærant occasiones excludendi eos, aut degradandi; vel crimina sua sic defendere parati sunt, si objecta vel prodita fuerint, ut etiam conventiculorum segregationes vel Ecclesiæ perturbationes cogitent excitare; jam schismatici sunt, & ab unitate corde discissi, etiamsi non inventis occasionibus aut occultatis factis suis sacramento Ecclesiæ corporali conversatione socientur.

Catholici mali.

3. Quapropter illi soli catholici mali rectè deputantur, qui quamvis vera credant quæ ad fidei doctrinam pertinent, & si quid fortè nesciunt, quærendum existiment, & salva pietate discutiant sine aliquo præjudicio ipsius veritatis, & bonos vel quos bonos putant ament atque honorent quantum possunt, tamen flagitiosè atque facinorosè vivunt, contrà quàm vivendum esse credunt. Tales enim etiamsi prodantur aut accusentur, pro disciplina Ecclesiæ salutisque suæ causa correpti, vel à communione suspensi, nullo modo sibi recedendum esse à communione [a] catholica existimant, quocumque permissi fuerint satisfactionis quærentes locum: & aliquando per pœnitentiam in frumenta mutantur, sive correpti, sive remoti, sive etiam verbo Dei nullo nominatim accusante aut increpante perterriti. Aliquando autem etiam sub nomine pœnitentium ita vivunt ut solent, aut non multò minùs, quidam etiam amplius; nullo modo tamen à catholica unitate discedunt. Quibus ita viventibus si mors obrepserit, paleæ deputantur usque in finem. Hoc etiam ipsi credunt: nam si aliter credunt, & inconcussè tenent, jam inter hæreticos numerandi sunt, putantes omnibus Deum, etiam in magna iniquitate usque in finem vitæ perseverantibus, tantùm quia Ecclesiæ unitatem, non sincera dilectione, (nam [b] bene viverent,) sed magis pœnarum timore tenuerunt, veniam daturum. Isti ergo non hoc credunt, vel non firmiter opinantur, etsi adhuc forsitan quærunt: sed magis eos decipit spes dilationis, dum se diutiùs victuros putant, & perditos mores aliquando in melius mutaturos. Contra quos dicitur, Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem: subitò « enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ dispe- « det te. Illi enim convertuntur, qui rectè vivere incipiunt; hoc est enim ad Deum redire: qui autem concupiscentias suas perseveranter sequuntur, dorsum quodammodo habent ad Deum, quamvis in unitate constituti sæpe illum retorto collo conentur adspicere. Ergo & isti, ut ait Propheta, caro sunt & spiritus ambulans & non revertens. Sed tamen, ut dictum est, propter eamdem fidem atque unitatem Ecclesiæ, neque inter zizania, quoniam illa extrà radicata sunt, neque inter aristarum paleam quæ se etiam frumentis audet aspera dissensione & fragili elatione superimponere, sed quamvis subjectam frumentis, tamen inter paleam quæ ultima ventilatione separanda est, numerantur. *Ecclı.* 5. 8. *Psal.* 77. 39.

Catholici boni.

4. Boni autem catholici sunt, qui & fidem integram sequuntur & mores bonos: quod autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt, si quid quærendum habent, ut absit concertatio periculosa, vel quærenti, vel ei cum quo quæritur, vel eis qui differentes audiunt. Ita autem docent, si quid docendum habent, ut usitata & confirmata securissimè & fidentissimè & lenissimè ut possunt insinuent: inusitata verò etiamsi veritatis manifestatione liquidissimâ perceperunt, quærendi potiùs quàm præcipiendi aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si enim tantum habet pondus aliquod verum, ut vires discentis excedat; suspendendum est ut extendat crescentem, non imponendum ut obterat parvulum. Inde est illud Domini, Sed filius hominis cùm venerit, putas inveniet fidem in terra? Aliquando autem & occultandum est, sed cum spe hortatoria, ut non faciat desperatio frigidiores, sed desiderium capaciores. Inde est illud ejusdem Domini, Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Quod verò ad mores pertinet, hoc bene & breviter dicitur: Aut confligendum est cum amore temporalium bonorum, ut non vincat; aut etiam edomitus subditusque esse debet, ut cùm surgere cœperit, facilè reprimatur; aut ita exstinctus, ut se omnino nulla ex parte commoveat. Ex quo fit ut etiam ipsam mortem propter veritatem alij fortiter obeant, alij æquanimiter, alij libenter. Quæ tria genera fructus sunt fertilis terræ, triceni & sexageni & centeni. In horum aliquo genere inveniendus est tempore mortis suæ, si quis de hac vita rectè cogitat emigrare. *Luca* 18. 8. *Johan.* 16. 12.

[a] Sic MSS. At editi, *à communione catholica fidei existimant, quomodocumque* &c.

[b] Rat. omittit, *nam bene viverent:* quod in plerisque MSS. reperitur. At Am. Er. & Lov. habent ejus loco, *nisi ut bene viverent.* Vat. codex, *ut bene viverent.*

5. Toleranda sunt autem non solùm zizania usque ad messem, quæ cùm diabolus adsperfis pravis erroribus falsisque opinionibus superseminasset, hoc est, præcedente nomine Christi hæreses superjecisset, magis ipse latuit atque occultissimus factus est; hoc est enim, *Et abiit*: sed etiam palea usque ad ventilationem. Nec probatur fortiùs gravitas frumentorum, nisi paleæ perturbationibus, quas qui comprimere non potuerit veritate defensa, cesserit unitate servata. Quamquam in hac parabola Dominus, sicut in ejus expositione concluſit, non quædam, sed omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligitur. b

Quæst. XII. *Matth.* 13. 26. 1 *Cor.* 2. 15.

1. Cum *autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.* Cùm enim spiritalis homo esse cœperit dijudicans omnia, tunc ei errores incipiunt apparere. Servi autem dixerunt ei, *Vis imus, & colligimus ea?* Utrùm ipsi sunt servi, quos paulò pòst messores appellat? an quia in expositione parabolæ messores dixit esse Angelos, nec quisquam facilè dicere ausus fuerit Angelos nescisse quis zizania superseminaverit, & ea tunc apparuisse Angelis cùm herba fructum fecisset; magis oportet intelligi homines ipsos fideles servorum nomine hoc loco significatos, quos etiam bonum semen dicit? Nec mirum si & bonum semen ipsi dicuntur, & servi patris-familiâs: sicut & de se ait, quòd & ipse sit janua, ipse sit pastor. Ex diversis enim significationibus una res etiam plures & diversas similitudines recipit. Præsertim quia cùm ad servos loqueretur, non ait, *In tempore messis* dicam vobis, *Colligite primùm zizania*: sed, *Dicam*, inquit, *messoribus.* Unde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quemquam Ecclesiæ filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere. *Matth.* 13. 28. *Johan.* 10. *v.* 7. & 11. *Matth.* 13. 30.

2. Cùm igitur esse quisque spiritalis cœperit, cognoscit errores hæreticorum & omnino dijudicat atque discernit quidquid audierit aut legerit abhorrere à regula veritatis: sed donec in eisdem spiritalibus perficiatur, & quodammodo maturescat in fructum quem herba dedit, potest eum movere, quare sub nomine Christiano tam multæ hæreticorum exstiterint falsitates. Inde est quod servi *v.* 27. dicunt, *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania?* Deinde cùm cognoverit hanc excogitasse fraudem diabolum, cùm contra tanti nominis auctoritatem nihil se valere sentiret, ut fallacias suas eodem nomine obtegeret; potest ei suboriri voluntas, ut tales homines de rebus humanis auferat, si aliquam temporis habeat facultatem; sed utrùm facere debeat, justitiam Dei consulit utrùm hoc ei præcipiat, vel permittat, & hoc officium esse hominum velit: hinc est quod servi *v.* 28. dicunt, *Vis imus, & colligimus ea?* Quibus quia veritas ipsa respondet, non ita hominem constitutum esse in hac vita, ut certus esse possit qualis quisque futurus sit postea, cujus in præsentia cernit errorem, vel quid etiam error ejus conferat ad provectum bonorum; non esse tales auferendos de hac vita, ne cùm malos conatur interficere, bonos interficiat, quod fortè futuri sunt; aut bonis obsit, quibus & inviti fortè utiles sunt; sed tunc opportunè fieri, cùm jam in fine non restat vel tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occasione atque comparatione alieni erroris; tunc autem hoc non ab hominibus, sed ab Angelis fieri: inde est quòd respondet pater-familiâs, *Non, ne* *v.* 29. *fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum, sed in tempore messis dicam messoribus*, & cetera. Atque hoc modo eos patientissimos & tranquillissimos reddit.

3. Quæri autem potest quod ait, *Alligate fasciculos ad comburendum*, cur non unum fascem, aut unum acervum zizaniorum fieri dixit? Nisi fortè propter varietatem hæreticorum, & non solùm à tritico, verùm etiam à seipsis discrepantium, ipsa uniuscujusque hæreseos propria conventicula, in quibus singillatim sua communione devincti sunt, nomine fasciculorum designavit: ut jam tunc incipiant alligari ad comburendum, cùm à catholica communione segregati suas proprias quasi ecclesias habere cœperint; ut combustio earum sit in fine sæculi, modò alligatio fasciculorum. Sed si ita esset, non jam multæ resipiscendo, & in Catholicam remeando ab errore desciscerent. Quapropter & alligatio fasciculorum in fine futura est, ut non confusè, sed pro modo perversitatis suæ uniuscujusque erroris pertinacia puniatur. *v.* 30.

4. *Ne fortè colligentes zizania eradicetis simul & triticum.* Utrùm quia etiam boni cùm adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum commixtione, sive ut per eos exerceantur, sive ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, ut nitantur ad melius, quibus sublatis altitudo caritatis quasi evulsa marcescat, quod est eradicari. Nam sic ait Apostolus, Ut in caritate radicati & fundati *Ephes.* 3, 17. possitis comprehendere. An fortè ideo simul eradicatur triticum, cùm auferuntur zizania, quia multi primò zizania sunt, & postea triticum fiunt? qui nisi patienter cùm mali sunt tolerentur, ad laudabilem mutationem non perveniunt: itaque si evulsi fuerint, simul eradicatur & triticum, quod futuri essent, si eis parceretur. *v.* 29.

Quæst. XIII. *Matth* 13. 45.

Simile *est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Quæstio est, cur à numero plurali ad singularem transierit, ut cùm quærat homo bonas margaritas, unam inveniat pretiosam, quam venditis omnibus quæ habet, emat. Aut ergo iste bonos homines quærens, cum quibus utiliter vivat, invenit unum præ omnibus sine peccato, mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum: aut præcepta quærens, quibus servatis cum hominibus rectè conversetur, invenit dilectionem proximi, in quo uno dicit Apostolus omnia contineri: ut, Non occides, non mœchaberis, non furaberis, non falsum testimonium dices, & si quod est aliud mandatum, singulæ margaritæ sint, quæ in hoc sermone recapitulantur, Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Aut bonos intellectus homo quærit, & invenit unum illud quo cuncti continentur, in principio Verbum, & Verbum apud Deum, & Verbum Deum, lucidum candore veritatis, & solidum firmitate æternitatis, & undique sui simile pulcritudine divinitatis, qui Deus penetrata carnis testudine intelligendus est. Ille enim ad margaritam ipsam jam pervenerat, quæ in tegumentis mortalitatis, quasi concharum obstaculo, in profundo hujus sæculi, atque inter duritias saxeas Judæorum aliquando latuerat: ille ergo ad ipsam margaritam jam pervenerat, qui ait, Et si noveramus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. Nec ullus omnino intellectus margaritæ nomine di- *Rom.* 13. 9. *Johan.* 1. 1. 2 *Cor.* 5. 16.

gnus est, nisi ad quem discussis omnibus carnalibus A tegminibus pervenitur, quibus sive per verba humana, sive per similitudines circumpositas operitur, ut purus & solidus & nusquam à se dissonans, certa ratione cernatur. Quos tamen omnes veros & firmos & perfectos intellectus unus ille continet, per quem facta sunt omnia, quod est verbum Dei. Quodlibet autem horum trium sit, vel si aliquid aliud occurrere potuerit, quod margaritæ unius & pretiosæ nomine bene significetur, pretium ejus est nos ipsi: qui ad eam possidendam non sumus B liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemtis, quæ temporaliter possidentur. Venditis enim rebus nostris nullum earum majus accipimus pretium, quàm nos ipsos; quia talibus implicati, nostri non eramus: ut rursus nos ipsos pro illa margarita demus, non quia [a] tanti valeamus, sed quia plus dare non possumus.

a

QUÆST. XIV. *Matth.* 13. 15. *Johan.* 12. 40. 1. ET *oculos suos clauserunt, ne quando oculis videant*: id est, ipsi caussa fuerunt, ut Deus eis oculos clauderet. Alius enim Evangelista dicit, *Excæcavit oculos eorum.* Sed utrùm ut numquam videant, an verò ne vel sic aliquando videant, cæcitate sua sibi displicentes, & se dolentes, & ex hoc humiliati atque commoti ad confitenda peccata sua, & piè quærendum Dominum. Sic enim Marcus hoc dicit, *Ne quando convertantur & dimittantur eis peccata.* Ubi intelliguntur peccatis suis meruisse ut non intelligerent, & tamen hoc ipsum misericorditer eis factum, ut peccata sua cognoscerent, & conversi veniam merentur. Quod autem Johannes D hunc locum ita dicit: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & sanem eos*: adversari videtur huic sententiæ, & omnino cogere, ut quod hîc dictum est, *Ne quando oculis videant*, non accipiatur Ne vel sic aliquando oculis videant, sed prorsus Ut non videant. Quandoquidem apertè ita dicit, *Ut oculis non videant.* Et quod ait, *Propterea non poterant credere*, satis ostendit non ideo factam E illam excæcationem, ut eâ commoti & dolentes se non intelligere, converterentur aliquando per pœnitentiam; non enim possent hoc facere, nisi priùs crederent, ut credendo converterentur, conversione sanarentur, sanitate intelligerent: sed ideo potiùs excæcatos, ut non crederent. Dicit enim apertissimè, *Propterea non poterant credere.*

Marci 4. 12. *Johan.* 12. 39. *&c Isai.* 6. 10.

2. Quod si ita est, quis non exsurgat in defensionem Judæorum, ut eos extra culpam fuisse proclamet, quòd non crediderunt? Propterea enim non F poterant credere, quia excæcavit oculos eorum. Sed quoniam potiùs Deus extra culpam debet intelligi, coginur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse: qua tamen excæcatione non potuerunt credere. Verba enim Johannis ista sunt: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum.* Frustra itaque conamur intelligere, ideo fuisse cæcatos, ut [b] converterentur, cùm ideo converti non poterant, quia non credebant, & ideo credere non poterant quia excæcati G erant. An forte non absurdè dicimus, quosdam Judæorum fuisse sanabiles; sed tanto tamen superbiæ tumore periclitatos, ut eis expedierit primò non credere, & ad hoc fuisse cæcatos, ut non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis, non in eum crederent, non credentes autem cum ceteris desperatis crucifigerent eum; atque ita post ejus resurrectionem converterentur, quando jam de reatu mortis Domini ampliùs humiliati vehementiùs diligerent à quo sibi tantum scelus dimissum esse gauderent. Quoniam tanta erat eorum superbia, ut tali humiliatione esset dejicienda. Quod incongruè dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in Actibus Apostolorum manifestissimè legerit. Non ergo abhorret quod ait Johannes, *Propterea non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum ut non videant*, ab ea sententia, qua intelligimus ideo excæcatos ut converterentur, hoc est, ideo eis per obscuritates parabolarum occultatas sententias Domini, ut post ejus resurrectionem salubriore pœnitentiâ resipiscerent: quia per obscuritatem sermonis excæcati, dicta Domini non intellexerunt, & ea non intelligendo, non in eum crediderunt, non credendo crucifixerunt eum; atque ita post ejus resurrectionem miraculis, quæ in ejus nomine fiebant, exterriti, majore criminis reatu compuncti sunt & prostrati ad pœnitentiam, deinde acceptâ indulgentiâ ad obedientiam flagrantissima dilectione conversi.

Act. 2. 37.

3. Nam quibus non profuit illa cæcitas ad conversionem, quæ per linguam parabolarum fiebat, ita de illis Propheta alio loco dicit, quod etiam Apostolus commemoravit cùm de obscuritate linguarum ageret: In aliis linguis, & in aliis labiis loquar populo huic, & nec sic me exaudient, dicit Dominus. Non enim diceretur, Nec sic me exaudient, nisi ad hoc fieret, ut vel sic exaudirent: id est, ut eis ad humilem confessionem & sollicitam inquisitionem & obedientem conversionem & ferventem dilectionem valeret. Est verò etiam ista ratio medicinæ corporalis. Nam & pleraque medicamenta priùs affligunt ut sanent, & ipsa collyria quæ ad oculos pertinent, si ea opus est intrinsecùs infundi, nisi sensum videndi priùs claudant & perturbent, prodesse non possunt.

1. Cor. 14. 21. *Isa.* 28. 11.

4. Nec moveat quod idem Propheta dicit, Nisi credideritis non intelligetis: quasi contrarium sit quod Johannes ait, *Propterea non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum*; id est, quia illæ parabolæ ita dicebantur, ut ab eis non possent intelligi. Dicit enim aliquis, Si ut intelligerent credere debebant, quomodo propterea non poterant credere, quia non intelligebant, hoc est, quia excæcavit oculos eorum? Sed quod ait Isaias, Nisi credideritis, non intelligetis, de illa intelligentiæ dictum est, in qua semper manebitur, rerum ineffabilium: cùm autem dicitur quod credatur, nisi quod dicitur intelligatur credi non potest. Intelligenda sunt ergo dicta, ut credantur quæ dici potuerunt: credenda autem quæ dici potuerunt, ut intelligantur quæ dici non possunt.

Isa. 7. 9. *sec.* LXX.

QUÆST. XV. *Matth.* 13. 34. ET *sine parabolis non loquebatur eis.* Non quia nihil propriè locutus est, sed quia nullum ferè sermonem explicavit, ubi non aliquid per parabolam significavit, quamvis in eo aliqua & propriè dixerit: ita ut sæpe inveniatur totus sermo ejus parabolis explicatus, totus autem propriè dictus nullus inveniatur. Explicatos autem sermones dico, quando ex aliqua occasione rerum incipit loqui quousque terminet quidquid ad ipsam rem pertinet, & transeat ad aliud. Nonnumquam sanè alius Evan-

[a] Plerique MSS. *non qui is tanto valet.*

[b] Am. Er. & Lov. *ut non converterentur.* Expungenda hinc negatio, quæ nec est in MSS. nec in antiqua editione Rat. nec apud Rabanum, qui n. locum transtulit in lib. 4. Comment. super Matth.

gelista contexit, quod alius diversis temporibus dictum indicat. Non enim omnimodo secundùm rerum gestarum ordinem, sed secundùm suæ quisque recordationis facultatem, narrationem quam exorsus est ordinavit.

QUÆST. XVI. *Matth.* 13. *v.* 51. *v.* 52. INTELLEXISTIS *hæc omnia? Dicunt ei, Etiam* [a] *Ait illis, Ideo omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patri-familiâs, qui profert de thesauro suo nova & vetera*, Utrùm ista conclusione exponere voluit quem dixerit thesaurum in agro absconditum? *Ibidem* 44. Quoniam sanctæ Scripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum Testamentorum novi & veteris concluduntur: quemadmodum apud alium Evangelistam gladium bis acutum tali conclusione videtur *Apoc.* 1. 16. exponere. An quia in parabolis ista locutus est; & cùm quæsisset ab eis utrùm intellexissent, responderunt se intellexisse; fortasse ista similitudine ultima patris-familiâs proferentis de thesauro suo nova & vetera, ostendere voluit eum doctum habendum esse in Ecclesia, qui etiam Scripturas veteres parabolis explicatas intellexerit, ab istis novis accipiens regulas? Quia & ista Dominus per parabolas enuntiavit, quamvis ipse Christus esset finis illorum; id est, ut in eo illa vetera complerentur: ut si ipse in quo illa complentur & manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec ejus passio velum dissindat, ut nihil sit occultum quod non reveletur; multò magis illa quæ ad commendandam tantam salutem tam longè de illo scripta sunt, parabolis operta esse noverimus: quæ cùm Judæi ad litteram acciperent, noluerunt esse docti in regno cælorum, neque transire ad Christum, ut auferretur velamen, quod supra cor eorum positum est. [a]

a

QUÆST. XVII. *Matth.* 13. *v.* 55. *v.* 56. I. FRATRES *ejus Jacobus & Joseph & Simon & Judas*, * *& sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.* Fratres apud Judæos dici solere cognatos usque adeo probatur, ut non solùm ex propinquo generationis gradu, sicut sunt filii fratrum & sororum, qui etiam apud nos usitatissimè fratres dicuntur; sed etiam avunculus & sororis filius, sicut sibi *Gen.* 29. 15. erant Jacob & Laban, fratres appellati invenian-

[a] In editione Rat. inseritur hîc quæstio in illa verba Matth. 24. 36. *De die autem illo & hora nemo scit* &c. sed quæ nihil differt ab ea quæ inter 83. qq. ordine est sexagesima.

tur. Non ergo mirum est dictos esse fratres Domini ex materno genere quoscumque cognatos; cùm etiam ex cognatione Joseph dici potuerint fratres ejus ab eis, qui illum patrem Domini esse arbitrabantur. [b]

b

2. Generalem justitiam non violat quis, nisi libidine transgressus fuerit aut placitum societatis humanæ, sicut est furtum, rapina, adulterium, incestus, & hujusmodi; aut naturam, sicut est contumelia, cædes, homicidium, concubitus masculorum vel pecorum, aut modum in concessis; sicut est superbum ampliùs verberare quàm oportet, vel superfluum edere vel bibere ampliùs quàm oportet, cum ipsa B conjuge concumbere ampliùs quàm oportet, & similia.

3. Bene intelligitur Spiritus-sanctus ideo primùm linguarum donum dedisse hominibus, quæ pacto & placito hominum institutæ sunt, & forinsecùs per sensus corporis consuetudine audiendi discuntur, ut eis ostenderet quàm facilè posset sapientes facere per sapientiam Dei, quæ in eis interna est.

4. Item voluntas Verbi sempiterni stabilis est semper; quia simul habet omnia: nostra autem voluntas ideo non stat, quia non habet simul omnia; ideo modò hoc, modò illud volumus. Item sic fuerunt in illo Verbo omnia quæ facta sunt, & ipsa susceptio hominis sic ab eo præcognita est, quomodo si pictor velit pingere totam domum, & cogitet vel noverit locum ubi etiam se pingere debeat: totum in arte habet, & in præparatione, & in voluntate, quamvis certis & suis quæque temporibus explicet. Sic omnis creatura & ipse homo qui ejusdem sapientiæ personam mysticè & inenarrabili susceptione gestaturus erat, in ipsa sapientia tamquam Dei arte sempiterna semper erat, quamvis suis quæque temporibus efficiat, quæ pertendit à fine usque ad *Sap.* 8. 1. & finem fortiter, & disponit omnia suaviter, atque in se ma- 7. 27. nens innovat omnia.

5. Item quomodo quis velit velle mori, si sic velle mori pervenerat, qui jam habet sanam fidem & videt quò sibi perveniendum sit, ad hoc jam proficit, ut libenter de hac vita discedat. Non enim hoc est videre quò sibi perveniendum sit, quod est etiam amare illud, & ibi jam esse desiderare: quod in cujus animo effectum fuerit, necesse est ut libenter moriatur. Frustra itaque dicunt quidam, qui jam sanam fidem tenent, ideo se nolle mori ut proficiant, cùm ipse profectus eorum in eo profectu sit, ut mori velint. Si ergo verum loqui volunt, non dicant, Ideo mori nolo, ut proficiam: sed, Ideo mori nolo, quia parum profeci. Itaque mori nolle fidelibus non consilium est ut proficiant, sed indicium quòd parum profecerint. Proinde quod nolunt, ut perfecti sint; velint, & perfecti sunt.

[b] Hîc terminatur opusculum in editis Rat. Am. Er. & in MSS. Vaticano, Sorbonico, Cistercienſi: nec reliqua vidimus, nisi apud Lov. & in MSS. Victorinis duobus ac uno Corbeiensi vetustissimo.

ADMONITIO

DE SUBSEQUENTIBUS IN JOHANNEM TRACTATIBUS.

HAVD temere feciſſe videbimur, ſi Auguſtini in Iohannem Tractatus adſcripſerimus anno Chriſti ſupra quadringenteſimum ſexto-decimo, aut proximo pòſt tempori. Certè quidem hunc Evangeliſtam cùm exponeret, flagrabat etiam tum Catholicorum cum Donatiſtis pugna; quando in factioſos illis revincendis tam multus tamque vehemens inibi eſt S. Doctor: præterquam quod ad id uſque temporis ſchiſmaticum eorum altare ſtabat Hippone: unde in Tractatu ſuper ejuſdem Iohannis Epiſtolam, (cui nimirum exponendæ Epiſtolæ, inchoatâ dudum ac intermiſſâ paulìſper Evangelii tractatione, dedit operam) in hæc verba conqueritur, Quid faciunt in hac civitate duo altaria? *Quod licèt in tempora etiam anteriora Carthaginenſi collatione, quæ cum Donatiſtis anno* 411. *habita fuit, referri queat: attamen quia per hos ipſos, de quibus agimus in Evangelium Tractatibus, non ſolùm Prædeſtinationis fides, uti res maximè explorata, proponitur in Tract.* XLV. XLVIII. LXVIII. LXXXIII. CV. CXI. *&c. ſed etiam perſtringuntur tacito nomine Pelagiani in Tract.* LIII. LXVII. LXXXI. LXXXVI. *&c. hinc profectò intelligere licebat eoſdem Tractatus non ante quadringenteſimum & undecimum Chriſti annum, quo primùm invehitur in Africam Pelagiana hæreſis, editos fuiſſe. Sed aliud argumentum, quo fit ut in annum quadringenteſimum decimum-ſextum à nobis remittantur, ſuppetit longè expreſſius ex Tract.* CXX. *ubi Nicodemum ſæpius veniſſe ad Chriſtum, ut ejus diſcipulus audiendo fieret, probat Auguſtinus hac ratione:* Quod certè, *ait,* modò in revelatione corporis beatiſſimi Stephani (*quæ videlicet anno quadringenteſimo-decimo-quinto propè finito facta eſt*) ferè omnibus gentibus declaratur.

Diebus porrò quibuſlibet Tractatus ſermoneſve hanc in rem ſuos habebat. Primum, exempli gratiâ, die Domi-

nico, postridie secundum se pronuntiasse in hoc ipso Tract. 11. *indicat. Habitus item fuit Dominico die quadragesimus-sextus, ex Tract.* XLVII. *pridie verò quadragesimus-quintus, ex Tract.* XLVI. *dictus fuerat. Trigesimus-quartus tresque sequentes, quatuor diebus continuis, ut ex cujusque exordio ac peroratione patet, habiti sunt, & quidem trigesimus-septimus die Dominico, ex Tract.* XXXVIII. *Sic octavus, nonus, & decimus; sic tandem isti quinque* XIX. XX. XXI. XXII. *&* XXIII. *singuli singulis continenter diebus pronuntiati significantur. Hoc egisse Augustinum, ut è diebus habendæ concioni destinatis nullum præteriret, vel hinc intelligitur, quòd unum hujuscemodi quadam occasione omissum diem in Tract.* VIII. *excusat, & in* XLVI. *præelecti de Evangelio loci tractationem diligentiorem* in reddendi sermonis dies *remittit. In* XLVII. *quem Dominico die habuit, dicit sese per temporis ut solet angustias, quo minùs orationem fusiùs prosequatur, minimè prohiberi. Testatur contrà nonnumquam, eò nolle se diebus sollemnioribus sermonem producere, quòd fortè essent multi, qui potiùs sollemnitatis causâ quàm sermonis audiendi desiderio convenissent: sic ad Tract.* VIII. *finem. Ex* XLVI. *autem aliisque eum intelligimus, quam Evangelii partem populo erat expositurus jubere solitum inter divina officia recitari: quam prælectam postea nitebatur explicare. Verùm si quando hoc futurum fuisset æquò longius, residuum in aliud tempus differebat; ac tum quoque relegi Evangelium præcipiebat.*

Ceterùm exacta nondum hyeme suam in Iohannis Evangelium explanationem aggressus est Augustinus. Testatur quippe in Tract. VI. *sese subveritum ne populus à frequentanda ecclesia frigoris vi deterreretur. In* X. *proximum significat tempus imminere, ut passionis ac resurrectionis Dominicæ sollemnitas celebretur. In* XI. *autem ut adhortetur catechumenos, jam tempus exigere. Pridie ejus diei quo habuit* XII. *dicturum se* de pace Ecclesiæ *vel quid egisset, vel quid adhuc agendum superaret, populo promiserat: sed præmittere solitam de lectione Evangelica tractationem voluit, ac tum fidem suam liberare. Quid illud porrò fuerit, quod de Ecclesiæ pace dicendum habebat, incompertum est; neque in ejusdem tractationis fine conscriptum fuit. Videtur ex* XIII. *Tractatûs exordio posse colligi, à diebus non ita paucis intermissum ab eo fuisse Iohannis Evangelium: & re ipsa illud per Paschalia Festa, quæ in* 2. *diem Aprilis anno* 416. *incidebant, interrupit, eò quòd his diebus fixas &* certas ex Evangelio lectiones oporteret in Ecclesia recitari, *quibus substituere alias non licebat: sicuti sua in Expositionem epistolæ Iohannis præfatione docet. Nam interea temporis enarrandam hanc ipsam Epistolam suscepit: moxque eâ pertractatâ rediit ad Evangelium. In cujus explicatione Tractatum* XXVII. *necdum in Laurentii martyris, quem ibidem laudat, celebritate excesserat: tametsi quinque Tractatus à* XIX. *uti jam observatum est, ad* XXIII. *diebus quinque continuis perfecisset.*

Ex hoc opere decerpta quàm multa reperies apud Bedam & Alcuinum super Iohannem, apud Florum in commentariis super Pauli Epistolas Bedæ nomine vulgatis &c. necnon sententias quasdam à veteribus confirmandæ catholicæ fidei causâ prolatas ex variis Tractatibus, scilicet ex II. *à Cassiano lib.* 7. *de Incarnatione c.* 27. *Ex* LXXVIII. *à Leone papa in epistola ad Leonem Augustum olim* 97. *nunc* 134. *&c. Recordatur ejusdem operis Cassiodorus Senator in lib. Instit. c.* 7. Johannem copiosa & insigni expositione *ab Augustino illustratum commendans. Possidius in Indiculo c.* 6. *sub his verbis*, Tractatus de Evangelio Johannis à capite usque ad finem, in codicibus sex. *Augustinus ipse in præfatione ad Tractatus super Epistolam Iohannis*, Meminit, *inquit*, Sanctitas vestra Evangelium secundùm Johannem ex ordine lectionum nos solere tractare. *Rursumque in lib.* 15. *de Trinitate c.* 27. *signat Tractatum in Iohann.* XCIX. *cùm ait*, De hac re in sermone quodam proferendo ad aures populi Christiani diximus, dictumque conscripsimus. *Plura sanè, si fat vixisset, dicturus in Retractationum libris peculiaribus, quos, uti ad Quodvultdeum epist.* 224. *scribit, in* Tractatus populares homiliasque *à se habitas meditabatur.*

Opus in vetustis codicibus inscribitur, quibusdam Tractatus, *aliis* Sermones, *nonnullis* Homiliæ in Johannem. *Sed paulò amplior titulus est in MS. Audoënensi, Gemmeticensi, & Pratellensi, hunc in modum:* Aurelii Augustini Doctoris Hippon. Ep. Homiliæ in Evangelium Dom. Jesu secundùm Johannem incipiunt, quas ipse colloquendo priùs ad populum habuit, & inter loquendum à Notariis exceptas, eo quo habitæ sunt ordine, verbum ex verbo postea dictavit. *Denique quod ad præfationem hic subjectam adtinet, frustra eam quæras vel in MSS. vel in editis Am. & Bad. Hanc post Erasmum dederunt Lovanienses, qui tamen observant nec Augustini esse, nec in ullo MS. exstare. Habetur paucis mutatis verbis apud Bedam & Alcuinum in Iohannem.*

PRÆFATIO INCERTI AUCTORIS.

OMNIBUS divinæ Scripturæ paginis Evangelium excellit: quia quod Lex & Prophetæ futurum prædixerunt, hoc completum dicit Evangelium. Inter ipsos autem Evangeliorum scriptores Johannes eminet in divinorum mysteriorum profunditate, qui à tempore Dominicæ adscensionis per annos sexaginta quinque Verbum Dei absque adminiculo scribendi, usque ad ultima Domitiani prædicavit tempora. Sed occiso Domitiano, cùm permittente Nerva de exsilio rediisset Ephesum; compulsus ab Episcopis Asiæ, de coæterna Patri divinitate Christi scripsit adversùs hæreticos, qui eo absente irruperant in ejus Ecclesias, qui Christum ante Mariam fuisse negabant. Unde meritò in figura quatuor animalium, aquilæ volanti comparatur: quæ volat altiùs ceteris avibus, & solis radios irreverberatis adspicit luminibus. Ceteri quippe Evangelistæ, qui temporalem Christi nativitatem, & temporalia ejus facta quæ gessit in homine, sufficienter exponunt, & de divinitate pauca dixerunt, quasi animalia gressibilia cum Domino ambulant in terra: hic autem pauca de temporalibus ejus gestis edisserens, sed divinitatis potentiam sublimiùs contemplans, cum Domino ad cælum volat. Qui enim supra pectus Domini in cœna recubuit, cælestis hausturn sapientiæ ceteris excellentiùs de ipso Dominici pectoris fonte potavit. Legerat siquidem Evangelia trium Evangelistarum, & approbaverat fidem eorum & veritatem: in quibus deesse vidit aliqua gestarum rerum historiæ, & ea maximè quæ Dominus gessit primo prædicationis suæ tempore, scilicet antequam Johannes Baptista clauderetur in carcere. Hæc ergo quasi dimissa ab illis scribit Johannes, quæ fecit Jesus antequam Johannes clauderetur: sed maximè divinitatem Christi & Trinitatis mysterium commendare curavit. Tres siquidem alii Evangelistæ dicta & facta Domini temporalia, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maximè valent, copiosiùs prosecuti, circa activam vitam sunt versati: in qua laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum. Johannes verò pauca Domini facta dicit: verba verò Domini quæ Trinitatis unitatem, & vitæ æternæ felicitatem insinuant, diligentiùs conscribit; & sic in contemplativa virtute commendanda, intentionem suam & prædicationem tenuit: in qua contemplativa vacatur ut Deus videatur. Iste siquidem est Johannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, & cui matrem virginem virgini commendavit.

S. AURELII

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
IN JOHANNIS EVANGELIUM
TRACTATUS CXXIV. *

* Habiti fortè sub Christi annum 432.

* Habitus die Dominico ex Tract. 2. n. 1.

* TRACTATUS I.

In illud Iohannis, In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum *&c. usque ad id*, Et tenebræ eam non comprehenderunt.

1. 1. *Cor.* 2. 14. INTUENS quod modò audivimus ex lectione Apostolica, quòd animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, & cogitans, in hac præsenti turba Caritatis Vestræ necesse esse ut multi sint animales, qui adhuc secundùm carnem sapiant, nondumque se possint ad spiritalem intellectum erigere, hæsito vehementer, quomodo, ut Dominus dederit, possim dicere, vel pro modulo meo explicare quod lectum est ex Evangelio, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* hoc enim animalis homo non percipit. Quid ergo, fratres? filebimus hinc? Quare ergo legitur, si filebitur? aut quare auditur, si non exponitur? sed & quid exponitur, si non intelligitur? Itaque quoniam rursum esse non dubito in numero vestro quosdam, à quibus possit non solùm expositum capi, sed & antequam exponatur intelligi; non fraudabo eos qui possunt capere, dum timeo superfluus esse auribus eorum qui non possunt capere. Postremò aderit misericordia Dei, fortasse ut omnibus satis fiat, & capiat quisque quod potest: quia & qui loquitur, dicit quod potest. Nam dicere ut est, quis potest? Audeò dicere, Fratres mei, forsitan nec ipse Johannes dixit ut est, sed & ipse ut potuit; quia de Deo homo dixit: & quidem inspiratus à Deo, sed tamen homo. Quia inspiratus, dixit aliquid; si non inspiratus esset, dixisset nihil: quia verò homo inspiratus, non totum quod est dixit; sed quod potuit homo, dixit.

Ps. 71. 3. 2. Erat enim iste Johannes, Fratres carissimi, de illis montibus, de quibus scriptum est, Suscipiant montes pacem populo tuo, & colles justitiam. Montes, excelsæ animæ sunt: colles, parvulæ animæ sunt. Sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam. Quæ est justitia, quam *Habac.* 2. 4. colles excipiunt? Fides, quia justus ex fide vivit. *Rom.* 1. 17. Non autem exciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ quæ montes dictæ sunt, ab ipsa Sapientia illustrarentur, ut possint parvulis trajicere quod possint parvuli capere, & vivere ex fide colles, quia montes pacem suscipiunt. Ab ipsis montibus dictum est Ecclesiæ, Pax vobiscum: & ipsi *Joban.* 20. 19. montes pacem annuntiando Ecclesiæ, non divisere-runt se adversùs eum, à quo susceperunt pacem, ut veraciter, non fictè nuntiarent pacem.

3. Sunt enim alij montes naufragosi, quò quisque navim cùm impulerit, solvitur. Facilè est enim cùm videtur terra à periclitantibus, quasi conari ad terram: sed aliquando videtur terra in monte, & saxa latent sub monte; & cùm quisque conatur ad montem, incidit in saxa; & non ibi invenit portum, sed planctum. Sic fuerunt quidam montes, & magni apparuerunt inter homines; & fecerunt hæreses & schismata, & diviserunt Ecclesiam Dei: sed isti qui diviserunt Ecclesiam Dei, non erant illi montes, de quibus dictum est, Suscipiant montes pacem populo tuo. Quomodo enim pacem susceperunt, qui unitatem diviserunt?

4. Qui autem susceperunt pacem nuntiandam populo, contemplati sunt ipsam Sapientiam, quantum humanis cordibus potuit contingi quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis *1. Cor.* 2. 9. adscendit. Si in cor hominis non adscendit, quomodo adscendit in cor Johannis? An non erat homo Johannes? An fortè nec in cor Johannis adscendit, sed cor Johannis in illam adscendit? Quod enim adscendit in cor hominis, de imo est ad hominem: quò autem adscendit cor hominis, sursum est ab homine. Etiam sic, Fratres, dici potest, quia si adscendit in cor Johannis, si aliquo modo potest dici, intantum adscendit in cor Johannis, inquantum ipse Johannes non erat homo. Quid est, Non erat homo? Inquantum cœperat esse Angelus: quia omnes sancti, Angeli, quia annuntiatores Dei. Ideo carnalibus & animalibus non valentibus percipere quæ sunt Dei, quid ait Apostolus? Cùm enim dicitis, Ego sum Pauli, Ego Apollo, nonne homi- *1. Cor.* 3. 4. nes estis? Quid eos volebat facere, quibus exprobrabat, quia homines erant? Vultis nosse quid eos facere volebat? audite in Psalmis: Ego dixi, dij *Psal.* 81. 6. estis, & filij excelsi omnes. Ad hoc ergo vocat nos Deus, ne simus homines. Sed tunc in melius non erimus homines, si priùs nos homines esse agnoscamus, id est, ut ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus: ne cùm putamus nos aliquid esse, cùm nihil simus, non solùm non accipiamus quod non sumus, sed & amittamus quod sumus.

5. Ergo, Fratres, de his montibus & Johannes erat, qui dixit, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Susceperat pacem mons iste, contemplabatur divinitatem Verbi. Qualis iste mons erat, quàm excelsus? Transcenderat omnia cacumina terrarum, transcenderat omnes campos aëris, transcenderat omnes altitudines siderum, transcenderat omnes choros & legiones Angelorum. Nisi enim transcenderet ista

omnia quæ creata sunt, non perveniret ad eum per quem facta sunt omnia. Non potestis cogitare quid transcenderit, nisi videatis quò pervenerit. Quæris de cælo & terra? facta sunt. Quæris de his quæ sunt in cælo & terra? utique multò magis & ipsa facta sunt. Quæris de spiritalibus creaturis, de Angelis, Archangelis, Sedibus, Dominationibus, Virtutibus, Principatibus? & ipsa facta sunt. Nam cùm enumeraret hæc omnia Psalmus, concluſit sic:
Psal. 148. 5. Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Si dixit, & facta sunt, per Verbum facta sunt: si autem per Verbum facta sunt, non potuit Johannis cor pervenire ad id quod ait, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: nisi transcendisset omnia quæ sunt facta per Verbum. Qualis ergo iste mons, quàm sanctus, quàm altus inter illos montes, qui susceperunt pacem populo Dei, ut colles possent susc ipere justitiam?

6. Videte ergo, Fratres, ne fortè de ipsis montibus est Johannes, de quibus paulò antè cantavi.
Psal. 120. 1. mus, Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Ergo, fratres mei, si vultis intelligere, levate oculos vestros in montem istum, id est, erigite vos ad Evangelistam, erigite vos ad ejus sensum. Sed quia montes isti pacem suscipiunt, non potest autem esse in pace, qui spem ponit in homine; nolite sic erigere oculos in montem, ut putetis in homine spem vestram esse collocandam; & sic
» dicite, Levavi oculos meos in montes, unde veniet
Ibidem 2. » auxilium mihi: ut statim subjungaris, Auxilium
» meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Ergo levemus oculos in montes, unde veniet auxilium nobis: & tamen non ipsi montes sunt, in quibus spes nostra ponenda est: accipiunt enim montes quod nobis ministrent: ergo unde & montes accipiunt, ibi spes nostra ponenda est. Oculos nostros cùm levamus ad Scripturas, quia per homines ministratæ sunt Scripturæ, levamus oculos nostros ad montes, unde auxilium veniet nobis: sed tamen quia ipsi homines erant, qui scripserunt Scripturas,
Johan. 1. 9. non de se lucebant; sed ille erat lumen verum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Mons erat & ille Johannes Baptista, qui
Johan. 1. 20. dixit, Non sum ego Christus: ne quisquam spem in montem ponens, caderet ab illo qui montes illustrat, & ipse confessus ait, Quoniam de plenitudine ejus omnes accepimus. Ita debes dicere, Le-
Ibidem 16. » vavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi: ne auxilium quod tibi venit, montibus impu-
» tes: sed sequaris, & dicas, Auxilium meum à Do-
» mino, qui fecit cælum & terram.

7. Ergo, Fratres, ad hoc ista monuerim, ut quando erexistis cor ad Scripturas, cùm sonaret Evangelium, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & cetera quæ lecta sunt, intelligatis vos levasse oculos ad montes. Nisi enim montes ista dicerent, unde omnino cogitaretis, non inveniretis. Ergo ex montibus venit vobis auxilium, ut hæc vel audiretis: sed nondum potestis intelligere quod audistis. Invocate auxilium à Domino, qui fecit cælum & terram: quia montes sic potuerunt loqui, ut non possint ipsi illuminare; quia & ipsi illuminati sunt audiendo. Inde qui hæc dixit, accepit Johannes ille, Fra-
Johan. 13. 25. tres, qui discumbebat super pectus Domini, & de pectore Domini bibebat quod propinaret nobis.

Sed propinavit verba: intellectum autem inde debes capere, unde & ipse biberat qui tibi propinavit: ut leves oculos ad montes, unde auxilium veniet tibi, ut inde tamquam calicem, id est, [a] verbum propinatum acciperes; & tamen quia auxilium tuum à Domino, qui fecit cælum & terram, inde impleres pectus, unde implevit ille: unde dixisti, Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. qui potest ergo, [b] impleat. Fratres, hoc dixi, Levet quisque cor suum quomodo illud videt idoneum, & capiat quod dicitur. Sed fortè hoc dicetis, quia ego vobis sum præsentior quàm Deus. Absit. Multò est ille præsentior: nam ego oculis vestris appareo, ille conscientiis vestris præsidet. Ad me aures, ad illum cor, ut utrumque impleatis. Ecce oculos vestros & sensus istos corporis levatis ad nos; nec ad nos, non enim nos de illis montibus, sed ad ipsum Evangelium, ad ipsum Evangelistam: cor autem implendum ad Dominum. Et unusquisque sic levet, ut videat quid levet, & quò levet. Quid dixi, quid levet, & quò levet? Quale cor levet, videat; quia ad Dominum levat: ne sarcinâ voluptatis carnalis prægravatum, antè cadat, quàm fuerit sublevatum. Sed videt se quisque gestare onus carnis? det operam per continentiam, ut purget quod levet ad Deum. Beati enim mundi *Matth. 5. 8.* corde; quoniam ipsi Deum videbunt.

8. Nam ecce quid prodest, quia sonuerunt verba, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*? Et nos diximus verba, cùm loqueremur. Numquid tale Verbum erat apud Deum? Nonne ea quæ diximus sonuerunt atque transierunt? Ergo & Dei Verbum sonuit & peractum est? Quomodo omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil? Quomodo per illud regitur, quod per illud creatum est, si sonuit & transiit? Quale ergo Verbum quod & dicitur, & non transit? Intendat Caritas Vestra: magna res est. Quotidie dicendo verba viluerunt nobis, quia sonando verba & transeundo viluerunt, & nihil aliud videntur quàm verba. Est verbum & in ipso homine, quod manet intus: nam sonus procedit ex ore. Est verbum quod verè spiritaliter dicitur, illud quod intelligis de sono, non ipse sonus. Ecce verbum dico, cùm dico, Deus. Quàm breve est quod dixi, quatuor litteras, & duas syllabas. Numquidnam hoc totum est Deus, quatuor litteræ, & duæ syllabæ? An quantum hoc vile est, tantum carum est quod in eis intelligitur? Quid factum est in corde tuo, cùm audisses, Deus? Quid factum est in corde meo, cùm dicerem, Deus? Magna & summa quædam substantia cogitata est, quæ transcendat omnem mutabilem creaturam, carnalem & animalem. Et si dicam tibi, Deus commutabilis est, an incommutabilis? Respondebis statim, Absit, ut ego vel credam vel sentiam commutabilem Deum: incommutabilis est Deus. Anima tua quamvis parva, quamvis fortè adhuc carnalis, non mihi potuit respondere nisi incommutabilem Deum: omnis autem creatura mutabilis: quomodo ergo potuisti scintillare in illud quod est super omnem creaturam, ut certus mihi responderes incommutabilem Deum? Quid est ergo illud in corde tuo, quando cogitas quamdam substantiam vivam, perpetuam, omnipotentem, infinitam, ubique præsentem, ubique totam, nusquam inclusam? Quando ista cogitas, hoc est verbum de Deo in

[a] In plerisque MSS. *verbo.*

[b] Sic MSS. At editi, *ergo, Fratres, implent hoc quod dixi.*

corde tuo. Numquid autem hoc est sonus ille, qui quatuor litteris constat, & duabus syllabis? Ergo quæcumque dicuntur & transeunt, soni sunt, litteræ sunt, syllabæ sunt. Hoc verbum transit, quod sonat: quod autem significavit sonus, & in cogitante est qui dixit, & in intelligente est qui audivit, manet hoc transeuntibus sonis.

9. Refer animum ad illud verbum. Si tu potes habere verbum in corde tuo, tamquam consilium natum in mente tua, ut mens tua pariat consilium, & insit consilium quasi proles mentis tuæ, quasi filius cordis tui. Priùs enim cor generat consilium, ut aliquam fabricam construas, aliquid amplum in terra moliaris; jam natum est consilium, & opus nondum completum est: vides tu, quid facturus es; sed alius non miratur, nisi cùm feceris & construxeris molem, & fabricam illam ad exsculptionem perfectionemque perduxeris: adtendunt homines mirabilem fabricam, & mirantur consilium fabricantis; stupent quod vident, & amant quod non vident: quis est qui potest videre consilium? Si ergo ex magna aliqua fabrica laudatur humanum consilium, vis videre quale consilium Dei est Dominus Jesus Christus, id est, Verbum Dei? Adtende fabricam istam mundi: vide quæ sint facta per Verbum, & tunc cognosces quale sit Verbum. Adtende hæc duo mundi corpora, cælum & terram: quis explicat verbis ornatum cæli? quis explicat verbis fecunditatem terræ? quis dignè collaudat temporum vices? quis dignè collaudat seminum vim? Videtis quæ taceam, ne diu commorando parum dicam fortè, [a] quàm potestis cogitare. Ex fabrica ergo ista animadvertite quale Verbum est per quod facta est: & non sola facta est. Omnia enim ista videntur, quia pertinent ad sensum corporis. Per illud Verbum & Angeli facti sunt: per illud Verbum & Archangeli facti sunt, Potestates, Sedes, Dominationes, Principatus: per illud Verbum facta sunt omnia: hinc cogitate quale Verbum est.

10. Respondet mihi modò fortè nescio quis, Et quis hoc Verbum cogitat? Noli ergo tibi quasi vile aliquid formare, cùm audis Verbum, & conjicere verba quæ audis quotidie, Ille talia verba dixit, Talia verba locutus est, Talia verba mihi narras; assiduè enim dicendo nomina verborum, quasi viluerunt verba. Et quando audis, *In principio erat Verbum*, ne vile aliquid putares, quale consueveris cogitare, cùm verba humana soleres audire, audi quid cogites: *Deus erat Verbum.*

11. Exeat nunc nescio quis infidelis Arianus, & dicat, quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia est Verbum Verbi, per quod factum est illud, ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum per quod facta sunt omnia. Non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia. crede ergo Evangelistæ. Poterat enim dicere, In principio fecit Deus Verbum: quomodo dixit
Gen. 1. 1. Moyses, In principio fecit Deus cælum & terram: & omnia sic enumerat, Dixit Deus, Fiat, & factum est. Si dixit, quis dixit? utique Deus. Et quid factum est? creatura aliqua. Inter dicentem Deum & factam creaturam quid est per quod factum est, nisi Verbum? quia dixit Deus, Fiat, & factum est. Hoc Verbum incommutabile: quamvis mutabilia per Verbum fiant, ipsum incommutabile est.

12. Noli ergo credere factum, per quod facta sunt omnia: ne non reficiaris per Verbum, per quod reficiuntur omnia. Jam enim factus es per Verbum, sed oportet te refici per Verbum: si autem mala fuerit fides tua de Verbo, non poteris refici per Verbum. Et si tibi contigit fieri per Verbum, ut per illud factus sis, per te deficis: si per te deficis, ille te reficiat qui te fecit: si per te deterior efficeris, ille te recreet qui te creavit. Quomodo te autem recreet per Verbum, si malè aliquid sentias de Verbo? Evangelista dicit, *In principio erat Verbum*: & tu dicis, In principio factum est Verbum. Ille, *Omnia per ipsum facta sunt*, dicit: & tu dicis, quia & ipsum Verbum factum est. Poterat dicere Evangelista, In principio factum est Verbum: sed quid ait? *In principio erat Verbum.* Si erat, non est factum, ut ista omnia per ipsum fierent, & sine ipso nihil. Si ergo *erat in principio Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: si non potes cogitare quid sit, differ ut crescas. Ille cibus est, accipe lac ut nutriaris, ut sis validus ad capiendum cibum.

13. Sanè Fratres, quod sequitur, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, videte ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est. Solent enim multi malè intelligentes, *sine ipso factum est nihil*, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est: & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant. Et idolum non per Verbum factum est: habet quidem formam quamdam humanam, sed ipse homo per Verbum factus est; nam forma hominis in idolo, non per Verbum facta est: & scriptum est, Sci-
1. Cor. 8. 4. mus quia nihil est idolum. Ergo ista non sunt facta per Verbum: sed quæcumque naturaliter facta sunt, quæcumque sunt in creaturis, omnia omno quæ fixa in cælo sunt, quæ fulgent de super, quæ volitant sub cælo, & quæ moventur [b] in universa natura rerum, omnis omnino creatura: dicam planiùs, dicam, Fratres, ut intelligatis, ab Angelo usque ad vermiculum. Quid præclarius Angelo in creaturis? quid extremius vermiculo in creaturis? Per quem factus est Angelus, per ipsum factus est & vermiculus: sed Angelus dignus cælo, vermiculus terrâ. Qui creavit, ipse disposuit. Si poneret vermiculum in cælo, reprehenderes: si vellet Angelos nasci de putrescentibus carnibus, reprehenderes: & tamen propè hoc facit Deus, & non est reprehendendus. Nam omnes homines de carne nascentes, quid sunt nisi vermes? & de vermibus Angelos facit. Si enim ipse Dominus dicit, Ego autem sum vermis, & non homo: quis dubi-
Psal. 21. 7. tat hoc dicere, quod scriptum est & in Job, Quan-
Job. 25. 6. tò magis homo putredo, & filius hominis vermis? Primò dixit, homo putredo; & postea, filius hominis vermis: quia vermis de putredine nascitur, ideo homo putredo, & filius hominis vermis. Ecce quid fieri voluit propter te illud quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quare hoc factum est propter te? ut fugeres qui manducare non poteras. Omnino ergo, Fratres, sic accipite, *Omnia per ipsum facta sunt, &*

[a] Unus Becheronensis codex, *& minùs quàm potestis cogitare.* Hinc cum alius sedecim MSS. omissâ particulâ *ex*, prosequitur sic, *Fabricâ ergo istâ animadversâ, quale &c.*

[b] Hic in plerisque MSS. non est præpositio *in.*

sine ipso factum est nihil. Universa enim creatura per ipsum facta est, major, minor: per ipsum facta sunt supera, infera: spiritalis, corporalis, per ipsum facta sunt. Nulla enim forma, nulla compages, nulla concordia partium, nulla qualiscumque substantia, quæ potest habere pondus, numerum, mensuram, nisi per illud Verbum est, & ab illo Verbo creatore, cui dictum est, Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti. *Sap. 11. 21.*

14. Nemo ergo vos fallat, quando fortè tædium patimini [a] ad muscas. Etenim aliqui derisi sunt à diabolo, & ad muscas capti sunt. Solent enim aucupes ponere in muscipula muscas, ut esurientes aves decipiant: sic & isti ad muscas à diabolo decepti sunt. Nam nescio quis tædium patiebatur ad muscas: invenit illum Manichæus tædio affectum; & cùm diceret se non posse pati muscas & odisse vehementer illas, statim ille, Quis fecit has? Et quia tædio affectus erat, & oderat illas, non ausus est dicere, Deus illas fecit, erat autem catholicus. Ille statim subjecit, Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè, ait ille, ego credo quia diabolus fecit muscas. Et ille statim, Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quæ paulò amplior est muscâ? Non ausus ille est dicere, quia Deus fecit apem, & muscam non fecit: quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, à locusta ad lacertum, à lacerto ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, postremò ad hominem: & persuasit homini, quia non à Deo factus est homo. Ita ille miser cùm tædium passus est ad muscas, musca factus est, quem diabolus possideret. Beelzebub quippe interpretari dicitur princeps muscarum: de quibus scriptum est, Muscæ [b] morituræ exterminant oleum suavitatis. *Eccle. 10. 1.*

15. Quid igitur, Fratres, quare ista dixi? Claudite aures cordis vestri adversùs dolos inimici: intelligite quia Deus fecit omnia, & in suis gradibus collocavit. Quare autem patimur multa mala à creatura quam fecit Deus? quia offendimus Deum? Numquid hæc Angeli patiuntur? Fortassis & nos in vita istâ illa non timeremus. De pœna tua peccatum tuum accusa, non judicem. Nam propter superbiam instituit Deus [c] istam creaturam minimam & abjectissimam, ut ipsa nos torqueret: ut cùm superbus fuerit homo, & se jactaverit adversùs Deum; &, cùm sit mortalis, mortalem terruerit; &, cùm sit homo, proximum hominem non agnoverit; cùm se erexerit, pulicibus subdatur. Quid est, quòd te inflas humana superbia? Homo tibi dixit convicium, & tumuisti, & iratus es: pulicibus resiste ut dormias. cognosce qui sis. Nam ut noveritis, Fratres, propter superbiam nostram domandam creata ista, quæ molesta nobis essent: populum Pharaonis superbum potuit Deus domare de ursis, de leonibus, de serpentibus: muscas & ranas illis immisit, ut rebus vilissimis superbia domaretur. *Exod. 8. v. 6. & 21.*

16. *Omnia* ergo, Fratres, *omnia* omnino *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Sed quomodo per ipsum facta sunt omnia? *Quod factum est, in illo vita est.* Potest [d] enim sic dici, *Quod factum est in illo, vita est:* ergo totum vita est, si sic pronuntiaverimus. Quid enim non in illo factum est? Ipse est enim Sapientia Dei; & dictur in Psalmo, Omnia in Sapientia fecisti. Si ergo Christus est Sapientia Dei, & Psalmus dicit, Omnia in Sapientia fecisti: omnia sicut per illum facta, ita in illo facta sunt. Si ergo omnia in illo, Fratres carissimi, & quod in illo factum est, vita est: ergo & terra vita est, ergo & lignum vita est. Dicimus quidem lignum vitam, sed secundùm intellectum lignum crucis, unde accepimus vitam. Ergo & lapis vita est. Inhonestum est sic intelligere, ne rursum nobis subrepat eadem sordidissima secta Manichæorum, & dicat, quia habet vitam lapis, & habet animam paries, & resticula habet animam, & lana & vestis. Solent enim delirantes dicere, & cùm repressi fuerint & repulsi, quasi de Scripturis proferunt dicentes, Ut quid dictum est, *Quod factum est in illo, vita est?* Si enim omnia in ipso facta sunt, omnia vita sunt. Non te abducant: pronuntia sic, *Quod factum est:* hîc subdistingue, & deinde infer, *in illo vita est.* Quid est hoc? Facta est terra, sed ipsa terra quæ facta est, non est vita: est autem in ipsa Sapientia spiritaliter ratio quædam, quâ terra facta est, hæc vita est. *Psal. 103. 24.* Lignũ crucis appellatum vita.

17. Quomodo possum, dicam Caritati Vestræ. Faber facit arcam. Primò in arte habet arcam: si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere, numquid destitit esse in arte? Et illa in opere facta est, & illa manet quæ in arte est: nam potest illa arca putrescere, & iterum ex illa quæ in arte est, alia fabricari. Advendite ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est: quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo, Fratres carissimi, quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides, est in arte terra: cælum vides, est in arte cælum: solem & lunam vides, sunt & ista in arte: sed foris corpora sunt, in arte vita sunt. Videte, si quo modo potestis; magna enim res dicta est: & si non à me magno, aut non per me magnum, tamen à magno. Non enim à me parvulo dicta sunt hæc: sed ille non est parvulus ad quem respicio, ut dicam. Capiat quisque ut potest, inquantum potest: & qui non potest, nutriat cor, ut possit. Unde nutriat? De lacte nutriat, ut ad cibum perveniat. A Christo per carnem nato non recedat, donec perveniat ad Christum ab uno Patre natum, Verbum Deum apud Deum, per quod facta sunt omnia: quia illa vita [e] est, quæ in illo est lux hominum.

18. Hoc enim sequitur, *Et vita erat lux hominum*: & ex ipsa vita homines illuminantur. Pecora non illuminantur, quia pecora non habent rationales mentes, quæ possint videre sapientiam. Homo autem factus ad imaginem Dei, habet rationalem mentem, per quam possit percipere sapientiam. Ergo illa vita per quam facta sunt omnia, ipsa vita lux est: & non quorumque animalium, sed lux hominum. Unde paulò pòst dicit, Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ab illo lumine illuminatus est Johannes Baptista; ab ipso & ipse Johannes Evangelista. Ex ipso lumine plenus erat qui dixit, Non sum ego Christus, sed qui post me venit, cujus non sum ego dignus corrigiam calceamenti solvere. Ab illo lumine illuminatus erat qui dixit, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ergo illa vita lux est hominum. *Johan. 1. v. 1.*

19. Sed fortè stulta corda adhuc capere istam lucem non possunt, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint. Non ideo cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt: ipsi enim propter peccata tenebræ sunt. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ergo, Fratres, quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est: sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius, cæcus est corde. Præsens est sapientia, sed cùm cæco præsens est, oculis ejus absens est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. Quid ergo faciat iste? Mundet unde possit videri Deus. Quomodo si propterea videre non posset, quia sordidos & saucios oculos haberet, irruente pulvere vel pituitâ vel fumo, diceret illi medicus, Purga de oculo tuo quidquid mali est, ut possis videre lucem oculorum tuorum. Pulvis, pituita, fumus, peccata & iniquitates sunt: tolle inde ista omnia, & videbis sapientiam quæ præsens est: quia Deus est ipsa sapientia; & dictum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Ibidem v. 9.* *Ibidem v. 20. & 27.* *Ibidem v. 5.* *Matth. 5. 8.*

a Editi, *patimini à muscis*: & paulò infra, *patiebatur à muscis*: item postea, *passus est à muscis*. At MSS. omnes constanter habent, *ad muscas*: scilicet phrasi quadam Afris usitata, uti meritò visum est Lovaniensibus.

b Lov. *morientes*: cujus loco editi alij & MSS. *morituræ*.
c In plerisque MSS. *instituit ut ista creatura minima &c.*
d Sic omnes MSS. & antiquiores editi. At Lov. *Potest etiam.*
e Tres MSS. *quia illa vita quæ in illo est, Lux hominum est.*

* Habitus feriâ secundâ.

* TRACTATUS II.

De eo quod scriptum est, Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Johannes *&c. usque ad id,* plenum gratiæ & veritatis.

1. BONUM est, Fratres, ut textum divinarum Scripturarum, & maximè sancti Evangelij, nullum locum prætermittentes pertractemus, ut possumus; & pro nostra capacitate pascamur, & ministremus vobis unde & nos pascimur. Capitulum primum præterito die Dominico tractatum esse, me minimus, id est, * *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &* *v. 2.* *Deus erat Verbum.* * *hoc erat in principio apud Deum.* *v. 3.* * *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est* *v. 4.* *nihil. Quod factum est,* * *in illo vita est; & vita erat* *v. 5.* *lux hominum;* * *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Huc usque tractatum esse credo: recordamini omnes qui adfuistis, & qui non adfuistis, credite nobis, & his qui adesse voluerunt. Nunc ergo quia non possumus semper omnia replicare, propter eos qui hoc volunt audire quod sequitur, & oneri est illis si repetantur priora cum defraudatione posteriorum; dignentur & qui non aderant non præterita exigere, sed cum his qui aderant & nunc audire præsentia. *Johan. 1. v. 1.*

v. 6. 2. Sequitur, *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Johannes.* Etenim ea quæ dicta sunt superiùs, Fratres carissimi, de divinitate Christi dicta sunt ineffabili, & propè ineffabiliter. Quis enim capiet, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum?* Et ne vilescat tibi nomen Verbi, per consuetudinem quotidianorum verborum, *Et Deus erat Verbum.* Hoc Verbum idipsum est, unde hesterno die multùm locuti sumus: & præstiterit Dominus, ut vel tantum loquendo aliquid ad corda vestra perduxerimus. *In principio erat Verbum.* Idipsum est, eodem modo est, sicut est semper sic est, mutari non potest, hoc est [a] est. Quod nomen suum dixit famulo suo Moysi, Ego sum qui sum: &, Misit me qui est. Quis ergo hoc capiet, cùm videatis omnia mortalia mutabilia, cùm videatis non solùm corpora variari per qualitates, nascendo, crescendo, deficiendo, moriendo, sed etiam ipsas animas per affectum diversarum voluntatum distendi atque dissindi: cùm videatis homines & percipere posse sapientiam, si se illius luci & calori admoverint; & amittere posse sapientiam, si inde malo affectu recesserint? Cùm videatis ergo ista omnia esse mutabilia; quid est quod est, nisi quod transcendit omnia, quæ sic sunt, ut non sint? Quis ergo hoc capiat? Aut quis, quomodocumque intenderit vires mentis suæ, ut adtingat quomodo potest id quod est, ad id quod utcumque mente adtigerit, possit pervenire? Sic est enim tamquam videat quisque de longè patriam, & mare interjaceat: videt quò eat, sed non habet quà eat. Sic ad illam stabilitatem nostram ubi quod est est, quia hoc solum semper sic est ut est, volumus pervenire: interjacet mare hujus sæculi quà imus, etsi jam videmus quò imus: nam multi nec quò eant vident. Ut ergo esset & quà iremus, venit inde ad quem ire volebamus. Et quid fecit? Instituit lignum, quo mare tranſeamus. Nemo enim potest transire mare hujus sæculi, nisi cruce Christi portatus. Hanc crucem aliquando amplectitur & infirmus oculis. Et qui non videt longè quò eat, non ab illa recedat, & ipsa illum perducet. *Exod. 3. 14.* Crucis lignum ad transeundum mare sæculi.

3. Itaque, Fratres mei, hoc insinuaverim cordibus vestris: si vultis piè & Christianè vivere, hærete Christo secundùm id quod pro nobis factus est, ut perveniatis ad eum secundùm id quod est, & secundùm id quod erat. [b] Accessit, ut pro nobis hoc fieret; quia hoc pro nobis factus est, ubi portentur infirmi, & mare sæculi transeant, & perveniant ad patriam; ubi jam navi non opus erit, quia nullum mare transitur. Melius est ergo non videre mente id quod est, & tamen à Christi cruce non recedere, quàm videre illud mente, & crucem Christi contemnere. Bonum est super hoc & optimum, si fieri potest, ut & videatur quò eundum sit, & teneatur quo portetur qui pergit. Hoc potuerunt mentes magnæ montium, qui montes dicti sunt, quos maximè illustrat lumen justitiæ: potuerunt, & viderunt illud quod est. Nam videns Johannes dicebat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Viderunt hoc, & ut pervenirent ad id quod videbant de longè, à cruce Christi non recesserunt, & humilitatem Christi non contemserunt. Parvuli verò qui hoc non possunt intelligere, non recedentes à cruce & passione & resurrectione Christi, in ipsa navi perducuntur ad id quod non vident, in qua navi perveniunt & illi qui vident.

4. At verò quidam philosophi hujus mundi exstiterunt, & inquisierunt Creatorem per creaturam: quia potest inveniri per creaturam, evidenter dicente Apostolo, Invisibilia enim ejus à constitutione mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conſ- *Rom. 1. 20.*

a Editi & MSS. *hoc est Deus est*: excepto cod. Bech. à quo abest vox, *Deus*.

b Ita editi. At MSS. interpungunt sic, *Et secundùm id quod erat accessit, ut pro nobis hoc fieret*: additque hic Bech. codex, *quod non erat.*

» piciuntur, sempiterna quoque virtus ejus & divini-
v. 21. tas, ut sint inexcusabiles. Et sequitur, Quia cùm
cognovissent Deum. Non dixit, Quia non cogno-
» verunt: sed, Quia cùm cognovissent Deum, non
» sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt,
» sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscura-
» tum est insipiens cor eorum. Unde obscuratum? Se-
v. 22. quitur, & dicit apertiùs, Dicentes enim se esse sa-
pientes, stulti facti sunt. Viderunt quò veniendum
esset: sed ingrati ei qui illis præstitit quòd viderunt,
sibi voluerunt tribuere quòd viderunt; & facti su-
perbi amiserunt quòd videbant, & conversi sunt
inde ad idola & simulacra & ad culturas dæmonio-
rum, adorare creaturam, & contemnere Creato-
rem. Sed jam isti elisi ista fecerunt: ut autem eli-
derentur, superbierunt: cùm autem superbirent,
sapientes se esse dixerunt. Hi ergo de quibus dixit,
» Qui cùm cognovissent Deum, viderunt hoc quod
dicit Johannes, quia per Verbum Dei facta sunt
omnia. Nam inveniuntur & ista in libris philoso-
phorum: & quia unigenitum Filium habet Deus, per
quem sunt omnia. Illud potuerunt videre quod est,
sed viderunt de longè: noluerunt tenere humilita-
tem Christi, in qua navi securi pervenirent ad id
quod longè videre potuerunt; & sorduit eis crux
Christi. Mare transeundum est, & lignum contem-
nis? O sapientia superba, irrides crucifixum Chri-
stum, ipse est quem longè vidisti: *In principio erat
Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Sed quare cru-
cifixus est? quia lignum tibi humilitatis ejus neces-
sarium erat. Superbia enim tumueras, & longè ab
illa patria projectus eras, & fluctibus hujus sæculi
interrupta est via, & quà transeatur ad patriam
non est, nisi ligno porteris. Ingrate, irrides eum qui
ad te venit ut redeas. Ipse factus est via, & hoc per
Matth. 14. 25. mare: inde in mari ambulavit, ut ostenderet esse
in mari viam. Sed tu, qui quomodo ipse ambulare
in mari non potes, navi portare, ligno portare:
crede in crucifixum, & poteris pervenire. Propter
te crucifixus est, ut humilitatem doceret: & quia
si sic veniret ut Deus, non agnosceretur. Si enim
sic veniret ut Deus, non veniret eis qui videre Deum
non poterant. Non enim secundùm id quod Deus
est, aut venit, aut discedit: cùm sit ubique præ-
sens, & nullo loco contineatur. Sed secundùm quid
venit? quòd apparuit homo.

5. Quia ergo sic erat homo, ut lateret in illo
Deus, missus est ante illum magnus homo, per
cujus testimonium inveniretur plus quàm homo. Et
Johan. 6. 1. quis est hic? *Fuit homo.* Et quomodo posset iste ve-
rum de Deo dicere? *missus à Deo.* Quid vocabatur?
v. 7. *cui nomen erat Iohannes.* Quare venit? * *Hic venit in
testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut om-
nes crederent per illum.* Qualis iste qui testimonium
perhiberet de lumine? Magnum aliquid iste Johan-
nes, ingens meritum, magna gratia, magna celsi-
tudo. Mirare, planè mirare, sed tamquam mon-
tem. Mons autem in tenebris est, nisi luce vestia-
tur. Ergo tantum mirare Johannem, ut audias
v. 8. quod sequitur, *Non erat ille lumen:* ne cùm mon-
tem putas lumen esse, naufragium in monte facias,
non solatium invenias. Sed quid debes mirari? mon-
tem tamquam montem. Erige autem te ad illum,
qui illuminat montem, qui ad hoc erectus est, ut
prior radios excipiat, & oculis tuis nuntiet. Ergo
non erat ille lumen.

6. Quare igitur venit? *Sed ut testimonium perhibe-*
ret de lumine. Ut quid hoc? *ut omnes crederent per
illum.* Et de quo lumine testimonium perhiberet? v. 9.
Erat lux vera. Quare additum est, *vera?* Quia & ho-
mo illuminatus dicitur lux, sed vera lux illa est quæ
illuminat. Nam & oculi nostri dicuntur lumina: &
tamen nisi aut per noctem lucerna accendatur, aut
per diem sol exeat, lumina ista sine caussa patent.
Sic ergo & Johannes erat lux, sed non vera lux:
quia non illuminatus tenebræ, sed illuminatione
factus est lux. Nisi autem illuminaretur, tenebræ
erat, sicut omnes impij, quibus jam credentibus
dixit Apostolus, Fuistis aliquando tenebræ. Modò
autem quia crediderant, quid? Nunc autem lux,
inquit, in Domino. Nisi adderet, in Domino, non
intelligeremus. Lux, inquit, in Domino: tenebræ
non in Domino eratis. Fuistis enim aliquando te-
nebræ: ibi non addidit, in Domino. Ergo tenebræ
in vobis, lux in Domino. Sic & *ille non erat lux,
sed ut testimonium perhiberet de lumine.*

7. Ubi autem est ipsa lux? *Erat lux vera, quæ il-* Johan. 1. 9.
luminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
Si omnem hominem venientem, & ipsum Johan-
nem. Ipse ergo illuminabat, à quo se demonstrari
volebat. Intelligat Caritas Vestra: veniebat enim
ad mentes infirmas, ad corda saucia, ad aciem ani-
mæ lippientis. Ad hoc venerat. Et unde posset ani-
ma videre quod perfectè est? Quomodo plerum-
que fit, ut in aliquo corpore radiato cognoscatur
ortus esse sol, quem oculis videre non possumus.
Quia & qui saucios habent oculos, idonei sunt vi-
dere parietem illuminatum & illustratum à sole vel
montem vel arborem, aut aliquid hujusmodi ido-
nei sunt videre: & in alio illustrato demonstratur il-
lis ortus ille, cui videndo adhuc minùs idoneam
aciem gerunt. Sic ergo illi omnes, ad quos Chri-
stus venerat, minùs idonei erant eum videre: ra-
diavit Johannem; & per illum confitentem se ra-
diatum ac se illuminatum esse, non qui radiaret &
illuminaret, cognitus est ille qui illuminat, cogni-
tus est ille qui illustrat, cognitus est qui implet. Et
quis est? *Qui illuminat*, inquit, *omnem hominem ve-
nientem in mundum.* Nam si illinc non recederet,
non esset illuminandus: sed ideo hîc illuminandus,
quia illinc recessit, ubi homo semper poterat esse
illuminatus.

8. Quid ergo? Si venit huc, ubi erat? *In hoc* v. 10.
mundo erat. Et hîc erat, & huc venit: hîc erat per
divinitatem; huc venit per carnem: quia cùm hîc
esset per divinitatem, ab stultis & cæcis & iniquis
videri non poterat. Ipsi iniqui tenebræ sunt de qui-
bus dictum est, *Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam* Johan. 1. 5.
non comprehenderunt. Ecce hîc est & modò, & hîc
erat, & semper hîc est; & numquam recedit, nus-
quam recedit. Opus est, ut habeas unde videas,
quod tibi numquam recedit: opus est, ut tu non
recedas, ab eo qui nusquam recedit: opus est, ut
tu non deseras, & non deserêris. Noli cadere, &
non tibi occidet. Si tu feceris casum, ille tibi facit
occasum: si autem tu stas, præsens est tibi. Sed
non stetisti: recordare unde ceciderís, unde te de-
jecit qui prior te cecidit. Dejecit enim te, non vi,
non impulsu, sed voluntate tua. Si enim malo non
consentires, stares, illuminatus maneres. Modò
autem quia jam cecidisti, & factus es saucius cor-
de, unde videri illa lux [a] potest, venit ad te talis a
qualem posses videre; & talem se hominem præ-
buit, ut ab homine quæreret testimonium. Ab

[a] Editi, *non potest.* Abest, *non*, à MSS. Sensus Augustini est, videri illam lucem non oculo, sed corde.

homine quærit testimonium Deus, & Deus testem
habet hominem: habet Deus testem hominem, sed
propter hominem: tam infirmi sumus. Per luce-
nam quærimus diem: quia lucerna dictus est ipse
Johan. 5. 35. Johannes, Domino dicente, Ille erat lucerna ar-
» dens & lucens, & vos voluistis exsultare ad horam
» in lumine ejus; ego autem habeo testimonium ma-
jus Johanne.

9. Ergo ostendit quia propter homines voluit
per lucernam demonstrari ad fidem credentium, ut
per ipsam lucernam inimici ejus confunderentur.
Illi enim inimici qui illum tentabant, & dicebant,
Matth. 21. 23. Marci 11. 28. Luc. 20. 4. Dic nobis, in qua potestate ista facis? Interrogabo
» vos & ego, inquit, unum sermonem: Dicite mihi,
» Baptismus Johannis unde est? de cælo, an ab ho-
» minibus? Et turbati sunt, & dixerunt apud semet-
» ipsos, Si dixerimus de cælo, dicturus est nobis,
» Quare ergo non credidistis illi? (quia ille Christo
Johan. 1. 20. perhibuerat testimonium, & dixerat, Non sum
» ego Christus, sed ille.) Si autem ex hominibus di-
» xerimus esse, timemus populum ne lapidet nos:
» quia tamquam prophetam habebant Johannem.
Timentes lapidationem, sed plus timentes veritatis
confessionem, responderunt mendacium veritati;
Psal. 26. 12. & mentita est iniquitas sibi. Dixerunt enim, Nes-
cimus. Et Dominus, quia ipsi contra se clauserant,
negando se scire quod noverant, nec ipse illis ape-
ruit, quia non pulsaverunt. Dictum est enim, Pul-
Matth. 7. 7. sate, & aperietur vobis. Non solùm autem illi non
pulsaverunt, ut aperiretur: sed negando, ostium
ipsum contra se obstruxerunt. Et ait eis Dominus,
» Nec ego dico vobis, in qua potestate ista facio. Et
confusi sunt per Johannem; implerumque in illis
Psal. 131. 17. est, Paravi lucernam Christo meo, inimicos ejus
induam confusione.

Johan. 1. 10. 10. *In mundo erat, & mundus per eum factus est.*
Ne putes quia sic erat in mundo, quomodo in mun-
do est terra, in mundo est cælum, in mundo est
sol, luna & stellæ, in mundo arbores, pecora, ho-
mines. Non sic iste in mundo erat. Sed quomodo
erat? Quomodo artifex, regens quod fecit. Non
enim sic fecit, quomodo facit faber. Forinsecùs
est arca quam facit, & illa in alio loco posita est,
cùm fabricatur; & quamvis juxtà sit, ipse alio loco
sedet qui fabricat, & extrinsecùs est ad illud quod
fabricat: Deus autem mundo infusus fabricat, ubi-
que positus fabricat, & non recedit aliquò, non
extrinsecùs quasi versat molem quam fabricat. Præ-
sentiâ majestatis facit, quod facit: præsentiâ suâ
gubernat, quod fecit. Sic ergo erat in mundo, quo-
modo per quem mundus factus est. *Per ipsum* enim
mundus factus est, & mundus eum non cognovit.

11. Quid est, *mundus factus est per ipsum?* Cæ-
lum, terra, mare & omnia quæ in eis sunt, mun-
dus dicitur. Iterum alia significatione, dilectores
mundi mundus dicuntur. *Mundus per ipsum factus*
Ibidem. *est, & mundus eum non cognovit.* Num enim cæli
non cognoverunt Creatorem suum, aut Angeli
non cognoverunt Creatorem suum, aut non co-
gnoverunt Creatorem suum sidera, quem confi-
tentur dæmonia? Omnia undique testimonium per-
hibuerunt. Sed qui non cognoverunt? Qui aman-
do mundum dicti sunt Mundus. Amando enim ha-
bitamus corde: amando autem hoc appellari me-
ruerunt, quod ille ubi habitabant. Quomodo di-
cimus, Mala est illa domus; aut, Bona est illa do-
mus: non in illa quam dicimus malam, parietes ac-

[a] Codices aliquot, *sanguines*; à secunda manu.

cusamus; aut in illa quam dicimus bonam, pariе-
tes laudamus: sed malam domum, inhabitantes
malos; & bonam domum, inhabitantes bonos. Sic
& mundum, qui inhabitant amando mundum.
Qui sunt? Qui diligunt mundum: ipsi enim corde
habitant in mundo. Nam qui non diligunt mun-
dum, carne versantur in mundo; sed corde inha-
bitant cælum, sicut Apostolus dicit, Nostra autem Philip. 3. 20.
conversatio in cælis est. Ergo *mundus per eum factus
est, & mundus eum non cognovit.*

12. *In sua propria venit:* quia omnia ista per Johan. 1. 11.
eum facta sunt. *Et sui eum non receperunt.* Qui sui?
Homines quos fecit. Judæi quos primitus fecit su-
per omnes gentes esse. Quia aliæ gentes idola ado-
rabant, & dæmonibus serviebant; ille autem po-
pulus natus erat de semine Abrahæ: & ipsi maxi-
mè sui; quia & per carnem quam susciperе digna-
tus est, cognati. *In sua propria venit, & sui eum
non receperunt.* Non receperunt omnino, nullus re-
cepit? Nullus ergo salvus factus est? Nemo enim
salvus fiet, nisi qui Christum receperit venientem.

13. Sed addidit, *Quotquot autem receperunt* v. 12.
eum. Quid eis præstitit? Magna benevolentia, ma-
gna misericordia. Unicus natus est, & noluit ma-
nere unus. Multi homines cùm filios non habue-
rint, peracta ætate adoptant sibi; & voluntate fa-
ciunt, quod naturâ non potuerunt. hoc faciunt
homines. Si autem aliquis habeat filium unicum,
gaudet ad illum magis; quia solus omnia posses-
surus est, & non habebit qui cum eo dividat here-
ditatem, ut pauperior remaneat. Non sic Deus:
Unicum eumdem ipsum quem genuerat, & per
quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum,
ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos.
Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille
Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille
enim venit Unigenitus solvere peccata, quibus pec-
catis implicabamur, ne adoptaret nos propter
impedimentum eorum: quos sibi fratres facere vo-
lebat, ipse solvit, & fecit coheredes. Sic enim di-
cit Apostolus, Si autem filius & heres per Deum. Gal. 4. 7.
& iterum, Heredes quidem Dei, coheredes au- Rom. 8. 17.
tem Christi. Non timuit ille habere coheredes:
quia hereditas ejus non fit angusta, si multi posse-
derint. Illi ipsi certè illo possidente fiunt hereditas
ipsius, & ipse vicissim fit hereditas ipsorum. Audi
quomodo ipsi fiant hereditas ipsius: Dominus di- Psal. 2. 7.
xit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, «
postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem «
tuam. Ille quomodo fit hereditas eorum? Dicit in
Psalmo, Dominus pars hereditatis meæ & calicis Psal. 15. 5.
mei. Et nos illum possideamus, & ipse nos possi-
deat: ille nos possideat, sicut Dominus; nos illum
possideamus sicut salutem, nos possideamus sicut
lucem. Quid ergo dedit his qui receperunt illum?
Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in Johan. 1. 12.
nomine ejus: ut teneant lignum, & mare transeant.

14. Et quomodo illi nascuntur? Isti quia filij
Dei fiunt & fratres Christi, utique nascuntur.
Nam si non nascuntur, filij quomodo esse possunt?
Sed filij hominum nascuntur ex carne & sanguine,
& ex voluntate viri, & ex complexu conjugij. Illi
autem quomodo ei nascuntur? *Qui non ex sangui-* v. 13.
nibus: tamquam maris & feminæ. [a] Sanguina non a
est Latinum: sed quia Græcè positum est plurali-
ter, maluit ille qui interpretabatur sic ponere, &
quasi minùs Latinè loqui secundùm Grammati-

cos, & tamen explicare veritatem secundùm auditum infirmorum. Si enim diceret sanguinem singulari numero, non explicaret quod volebat: ex sanguinibus enim homines nascuntur maris & feminæ. Dicamus ergo, non timeamus ferulas Grammaticorum: dum tamen ad veritatem solidam & certiorem perveniamus. Reprehendit qui intelligit, ingratus quia intellexit. *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri.* Carnem pro femina posuit: quia de costa cùm facta
Gen. 2. 23. *Ephes.* 5. 28. & 29. esset, Adam dixit, Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: & Apostolus ait, Qui diligit uxorem suam, seipsum diligit; nemo enim umquam carnem suam odio habet. Ponitur ergo caro pro uxore, quomodo & aliquando spiritus pro marito. Quare? Quia ille regit, hæc regitur: ille imperare debet, ista servire. Nam ubi caro imperat; & spiritus servit, perversa domus est. Quid pejus domo, ubi femina habet imperium super virum? Recta autem domus, ubi vir imperat, femina obtemperat. Rectus ergo ipse homo, ubi spiritus imperat, caro servit.

15. Hi ergo *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ut autem homines nascerentur ex Deo, primò ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, & Christus natus ex hominibus. Non quæsivit quidem nisi matrem in terra, quia jam patrem habebat in cælo: natus ex Deo, per quem efficeremur; & natus ex femina, per quem reficeremur. Noli ergo mirari, ô homo, quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundùm Verbum ejus. Priùs ipsum Verbum voluit nasci ex homine, ut tu securus nascereris ex Deo, & diceres tibi, Non sine causâ Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicujus momenti me existimavit, ut immortalem me faceret, & pro me mortaliter nasceretur. Ideo cùm dixisset, *ex Deo nati sunt*: quasi ne miraremur, & exhorreremus tantam gratiam, ut nobis incredibile videretur quia homines ex Deo nati sunt, quasi securum
Johan. 1 14. te faciens, ait, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Quid ergo miraris, quia homines ex Deo nascuntur? Attende ipsum Deum natum ex hominibus, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

16. Quia verò *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, ipsa nativitate collyrium fecit, unde tergerentur oculi cordis nostri, & possemus videre
a majestatem ejus per ejus [a] humilitatem. Ideo *factum est Verbum caro, & habitavit in nobis*: sanavit
Ibidem. oculos nostros: & quid sequitur? *Et vidimus gloriam ejus.* Gloriam ejus nemo posset videre, nisi carnis humilitate sanaretur. Unde non poteramus videre? Intendat ergo Caritas Vestra, & videte quod dico. Irruerat homini quasi pulvis in oculum, irruerat terra, sauciaverat oculum, videre non poterat lucem: oculus iste sauciatus inunguitur: terrâ sauciatus erat, & terra illuc mittitur ut sanetur. Omnia enim collyria, & medicamenta, nihil sunt nisi de terra. De pulvere cæcatus es, de pulvere sanaris: ergo caro te cæcaverat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat oculus cordis cæcatus. *Verbum caro factum est*: medicus iste tibi fecit collyrium. Et quoniam sic venit ut de carne vitia carnis exstingueret, & de morte occideret mortem: ideo factum est in te, ut quoniam *Verbum caro factum est*, tu possis dicere, *Et vidimus gloriam ejus.* Qualem gloriam? Qualis factus est filius hominis? Illa humilitas ipsius est, non gloria ipsius. Sed quò perducta est acies hominis, curata per carnem? *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate.* De gratia & veritate alio loco uberiùs in ipso Evangelio, si Dominus dignatus fuerit donare, tractabimus. Hæc nunc sufficiant, & ædificamini in Christo, & confortamini in fide, & vigilate in bonis operibus: & à ligno nolite recedere, per quod possitis mare transire.

Ibidem.

TRACTATUS III.

Ab eo quod scriptum est, Johannes testimonium perhibet de ipso *&c. usque ad id*, Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.

1. GRATIAM & veritatem Dei, qua plenus sanctis apparuit unigenitus Filius Dominus & Salvator noster Jesus Christus, distinguendam à veteri Testamento, quoniam res est novi Testamenti, suscepimus in nomine Domini, & Vestræ Caritati promisimus. Adestote ergo intenti, ut & quantum capio, donet Deus, & quantum capitis, audiatis. Reliquum enim erit, ut si semen quod spargitur in cordibus vestris, non abstulerint aves, nec spinæ præfocaverint, nec æstus exusserit, accedente pluviâ cohortationum quotidianarum, & cogitationibus vestris bonis, quibus hoc agitur in corde, quod agitur in agro rastris, ut gleba frangatur, & semen operiatur, & germinare possit: ut afferatis fructum, ad quem gaudeat & lætetur agricola. Si autem pro semine bono & pro pluvia bona, non fructum, sed spinas adtulerimus; nec semen accusabitur, nec pluvia erit in crimine, sed spinis ignis debitus præparatur.

2. Homines sumus, quod puto non diu esse suadendum Caritati Vestræ, Christiani: & si Christiani, utique ipso nomine ad Christum pertinentes. Hujus signum in fronte gestamus: de quo non erubescimus, si & in corde gestemus. Signum ejus, est humilitas ejus. Per stellam eum magi co- *Matth.* 2. 2. gnoverunt; & erat hoc signum de Domino datum, cæleste atque præclarum: noluit stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam. Unde humiliatus, inde glorificatus: inde erexit humiles, quò humiliatus ipse descendit. Pertinemus ergo ad Evangelium, pertinemus ad novum Testamentum. *Lex per Moysen data est, gratia autem* *Johan.* 1. 17. *& veritas per Jesum Christum facta est.* Interrogamus Apostolum, & dicit nobis, quoniam non sumus *Rom.* 6. 14. sub lege, sed sub gratia. Misit ergo Filium suum *Galat.* 4. 4. factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem Filiorum reciperemus. Ecce ad hoc venit Christus, ut eos qui sub lege erant redimeret: ut jam non simus sub lege, sed sub gratia. Quis ergo dedit legem? Ille dedit legem, qui dedit & gratiam: sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit. Et unde facti erant homines sub lege? non implendo legem. Qui enim legem implet, non est sub lege, sed cum lege: qui autem sub lege est, non sublevatur, sed premitur lege. Omnes itaque homines sub lege constitutos, reos facit lex; & ad hoc illis super caput est, ut ostendat peccata, non tollat. Lex ergo jubet, dator legis miseretur in eo quod

jubet

[a] In omnibus propè MSS. *per ejus humanitatem.*

jubet lex. Conantes homines implere viribus suis quod à lege præceptum est, ipsa sua temeraria & præcipiti præsumtione ceciderunt; & non sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei: & quoniam suis viribus implere non poterant legem, facti rei sub lege, imploraverunt liberatoris auxilium; & reatus legis fecit ægritudinem superbis. Ægritudo superborum, facta est confessio humilium: jam confitentur ægroti quia ægrotant; veniat medicus, & sanet ægrotos.

3. Medicus quis? Dominus noster Jesus Christus. Quis Dominus noster Jesus Christus? Ille qui visus est & ab eis à quibus crucifixus est. Ille qui apprehensus, colaphizatus, flagellatus, sputis illitus, spinis coronatus, in cruce suspensus, mortuus, lanceâ vulneratus, de cruce depositus, in sepulcro positus. Ille ipse Dominus noster Jesus Christus; ille ipse planè, & ipse est totus medicus vulnerum nostrorum, crucifixus ille cui insultatum est, quo
Matth. 27. 40. pendente persecutores caput agitabant, & dicebant, Si filius Dei est, descendat de cruce: ipse est totus medicus noster, ipse planè. Quare ergo non ostendit insultantibus, quia ipse erat Filius Dei, ut si se permisit in crucem levari, saltem cùm illi dicerent, Si filius Dei est, descendat de cruce: tunc descenderet, & ostenderet eis verum se esse Filium Dei, quem illi ausi fuerant irridere? noluit. Quare noluit: numquid quia non potuit? potuit planè. Quid est enim amplius, de cruce descendere, an de sepulcro resurgere? Sed pertulit
2 insultantes: nam crux non [a] ad potentiæ documentum, sed ad exemplum patientiæ susceptа est. Ibi vulnera tua curavit, ubi sua diu pertulit: ibi te à morte sempiterna sanavit, ubi temporaliter mori dignatus est. Et mortuus est, an in illo mors mortua est? Qualis mors, quæ mortem occidit?

4. Ipse est tamen Dominus noster Jesus Christus totus, qui videbatur, & tenebatur, & cruci-
b figebatur? Num [b] totus hoc ipse est? Ipse est quidem, sed non totus illud quod viderunt Judæi, non
Johan. 1. 1. hoc est totus Christus. Et quid est? *In principio erat Verbum.* In quo principio? *Et Verbum erat apud Deum.* Et quale Verbum? *Et Deus erat Verbum.* Numquid fortè à Deo factum est hoc Verbum?
v. 2. Non. *Hoc* enim *erat in principio apud Deum.* Quid ergo? Alia quæ fecit Deus non similia sunt Verbo?
v. 3. Non: quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Quomodo per ipsum omnia sunt fa-
v. 4. cta? Quia *quod factum est, in ipso vita erat*: & antequam fieret, vita erat. Quod factum est, non est vita: sed in arte, hoc est, in Sapientia Dei, antequam fieret vita erat. Quod factum est, transiit: quod est in Sapientia, transire non potest. Vita ergo in illo erat, quod factum est. Et qualis vita? Quia & anima corporis vita est: corpus nostrum habet vitam suam; quam cùm amiserit, mors est corporis: talis ergo erat illa vita? Non: sed *vita erat lux hominum.* Numquid lux pecorum? Nam ista lux & hominum & pecorum est. Est quædam lux hominum: unde distant homines à pecoribus videamus, & tunc intelligemus quid sit lux homi- G num. Non distas à pecore, nisi intellectu: noli aliunde gloriari. De viribus præsumis? à bestiis vinceris: de velocitate præsumis? à muscis vinceris: de pulcritudine præsumis? quanta pulcritudo est in pennis pavonis? Unde ergo melior es? ex imagine Dei. Ubi imago Dei? in mente, in intellectu. Si ergo ideo melior pecore, quia habes mentem qua intelligas, quod non potest pecus intelligere; inde autem homo, quia melior pecore; lux hominum est lux mentium. Lux mentium supra mentes est, & excedit omnes mentes. Hoc erat vita illa, per quam facta sunt omnia.

5. Ubi erat? hîc erat. an apud Patrem erat, & hîc non erat? an quod verius est, & apud Patrem erat, & hîc erat? Si ergo hîc erat, quare non vi- B debatur? Quia *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam* *v.* 5. *non comprehenderunt.* O homines, nolite esse tenebræ, nolite esse infideles, injusti, iniqui, rapaces, avari, amatores sæculi: hæ sunt enim tenebræ. Lux non est absens, sed vos absentes estis à luce. Cæcus in sole præsentem habet solem, sed absens est ipse soli. Nolite ergo esse tenebræ. Hæc est enim fortè gratia, de qua dicturus sum, ut jam non simus tenebræ, & dicat nobis Apostolus, Fui- *Ephes.* 5. 8. stis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in C Domino. Quia ergo non videbatur lux hominum, id est, lux mentium; opus erat ut homo diceret de luce testimonium, non quidem tenebrosus, sed jam illuminatus. Nec tamen quia illuminatus, ideo ipsa lux: *sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Num *Johan.* 1. 4. *non erat ille lux.* Et quæ erat lux? *Erat lux vera, quæ* 8. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* *v.* 9. Et ubi erat ista? *In hoc mundo erat.* Et quomodo *in* *v.* 10. *hoc mundo erat?* numquid sicut ista lux solis, lunæ, lucernarum, sic & ista lux in mundo est? Non. D Quia *mundus per eum factus est, & mundus eum non* *cognovit*: hoc est, *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Mundus enim tenebræ; quia dilectores mundi, mundus. Num enim creatura non agnovit Creatorem suum? Testimonium de- *Matth.* 1. 2. dit cælum de stella; testimonium dedit mare, por- *Matth.* 14. tavit ambulantem Dominum; testimonium dede- 26 runt venti, ad ejus jussum quieverunt; testimo- *Matth.* 8. 29. nium dedit terra, illo crucifixo contremuit: si om- *Matth.* 27. nia ista testimonium dederunt, quomodo mundus 51. eum non cognovit, nisi quia mundus dilectores mundi, corde habitantes mundum? Et malus mundus, quia mali habitatores mundi: sicut mala domus, non parietes, sed inhabitantes.

6. *In propria venit*, id est, in sua venit: *& sui* *Johan.* 1. 11. *eum non receperunt.* Quæ ergo spes est, nisi quia *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei* *v.* 12. *fieri?* Si filij fiunt, nascuntur: si nascuntur, quomodo nascuntur? Non ex carne, *non ex sanguinibus,* *v.* 13. *non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri: sed ex* F *Deo nati sunt.* Gaudeant ergo, quia ex Deo nati sunt; præsumant se pertinere ad Deum; accipiant documentum, quia ex Deo nati sunt: *Et Verbum* *v.* 14. *caro factum est, & habitavit in nobis.* Si Verbum non erubuit nasci de homine, erubescunt homines nasci de Deo? Hoc autem quia fecit, curavit: quia curavit, videmus. Hoc enim quod *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, medicamentum nobis factum est, ut [c] quia terrâ cæcabamur, de terra 6 sanaremur. Et sanati quid videremus? *Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam tamquam Unigeniti à* G *Patre, plenum gratiâ & veritate.*

7. *Johannes testimonium perhibet de ipso, & cla-* *v.* 15. *mat dicens, Hic erat quem dixi, Qui post me venit, ante me factus est.* Post me venit, & præcessit me. Quid est, *ante me factus est?* Præcessit me: non,

[a] MSS. aliquot probæ notæ, *ad impotentiæ documentum.*
[b] Sic plures MSS. At editi hîc & infrà, *totum.*
[c] MSS tres, *qui à terra.* Alij totidem, *quia à terra.* Unus, *quia de terra.*

factus est antequam factus essem ego; sed, antepositus est mihi: hoc est, *ante me factus est*. Quare ante te factus est, cùm post te venerit? *Quia prior me erat*. Prior te, ô Johannes? Quid magnum, si prior te? Bene, quia tu illi perhibes testimonium: audiamus ipsum dicentem, Et ante Abraham ego sum. (*Johan. 8. 58.*) Sed & Abraham in medio genere humano ortus est; multi ante illum, multi post illum: audi vocem Patris ad Filium, Ante luciferum genui te. (*Psal. 109. 3.*) Qui ante luciferum genitus est, omnes ipse illuminat. Dictus est enim quidam lucifer qui cecidit: B erat enim angelus, & factus est diabolus; & dixit de illo Scriptura, Lucifer qui manè oriebatur, cecidit. (*Isa. 14. 12.*) Unde lucifer? quia illuminatus lucebat. Unde autem tenebrosus factus? quia in veritate non stetit. (*Johan. 8. 44.*) Ergo ille ante luciferum, ante omnem illuminatum: siquidem ante omnem illuminatum sit necesse est, à quo illuminantur omnes qui illuminari possunt.

(*Johan. 1. v. 16.* Vita æterna ipsa est gratia pro gratia.) 8. Ideo hoc sequitur, *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Quid accepistis? *Et gratiam pro gratia*. C Sic enim habent verba Evangelica, collata cum exemplaribus Græcis. Non ait, Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia: sed sic ait, *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, id est, accepimus: ut nescio quid nos voluerit intelligere de plenitudine ejus accepisse; & insuper gratiam pro gratia. Accepimus enim de plenitudine ejus, primò gratiam; & rursum accepimus gratiam, gratiam pro gratia. Quam gratiam primò accepimus? fidem. D In fide ambulantes, in gratia ambulamus. Unde enim hoc meruimus? quibus nostris præcedentibus meritis? Non se quisque [a] compalpet, redeat in conscientiam suam, quærat latebras cogitationum suarum, redeat ad seriem factorum suorum: non adtendat quid sit, si jam aliquid est; sed quid fuerit, ut esset aliquid; inveniet non se dignum fuisse nisi supplicio. Si ergo supplicio dignus fuisti, & venit ille qui non peccata puniret, sed peccata donaret; gratia tibi data est, non merces reddita. E Unde vocatur gratia? quia gratis datur. Non enim præcedentibus meritis emisti quod accepisti. Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, ut ejus peccata dimitterentur. Quid meruit? Interroget justitiam; invenit pœnam: interroget misericordiam; invenit gratiam. Sed hoc & promiserat Deus per Prophetas: itaque cùm venit dare quod promiserat; non solùm gratiam dedit, sed & veritatem. Quomodo exhibita est veritas? quia factum est quod promissum est.

F 9. Quid est ergo, *gratiam pro gratia?* Fide promeremur Deum; & qui digni non eramus quibus peccata dimitterentur, ex eo quia tantum donum indigni accepimus, gratia vocatur. Quid est gratia? gratis data. Quid est gratis data? donata, non reddita. Si debebatur, merces reddita est, non gratia donata: si autem verè debebatur, bonus fuisti: si autem, [b] ut verum est, malus fuisti, credidisti autem in eum qui justificat impium: (*Rom. 4. 5.*) (Quid est, qui justificat impium? ex impio facit pium.) G cogita quid per legem tibi imminere debebat, & quid per gratiam consecutus sis. Consecutus autem istam gratiam fidei, eris justus ex fide: Justus enim ex fide vivit: (*Habac. 2. 4. Rom. 1. 17.*) & promereberis Deum vivendo ex fide: cùm promerueris Deum vivendo ex fide, accipies præmium immortalitatem, & vitam æternam. Et A illa gratia est. Nam pro quo merito accipis vitam æternam? pro gratia. Si enim fides gratia est, & vita æterna quasi merces est fidei: videtur quidem Deus vitam æternam tamquam debitam reddere: (Cui debitam? fideli, quia promeruit illam per fidem.) sed quia ipsa fides gratia est; & VITA ÆTERNA gratia est pro gratia.

10. Audi Paulum Apostolum confitentem gratiam, & postea debitum expetentem. Confessio gratiæ quæ est in Paulo? Qui priùs fui blasphemus, & persecutor & injuriosus: (*1. Tim. 1. 13.*) sed misericordiam, inquit, consecutus sum. Indignum se dixit qui consequeretur: consecutum tamen non per merita sua, sed per misericordiam Dei. Audi illum jam flagitantem debitum, qui primò indebitam susceperat gratiam: Ego enim, inquit, jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat: (*2. Tim. 4. 6. &c.*) "bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de cetero reposita est mihi corona justitiæ. Jam debitum flagitat, jam debitum exigit. Nam vide verba sequentia: Quam mihi reddet Dominus in illa die, justus judex." Ut antè susciperet gratiam, misericordem patrem opus habebat: ut præmium gratiæ, judicem justum. Qui non damnavit impium, damnabit fidelem? Et tamen si bene cogites, ipse dedit fidem primò, qua eum promeruisti: non enim de tuo promeruisti, ut tibi aliquid deberetur. Quòd ergo præmium immortalitatis postea tribuit, dona sua coronat, non merita tua. Ergo fratres, *omnes de plenitudine ejus accepimus*: de plenitudine misericordiæ ejus, de abundantia bonitatis ejus accepimus. Quid? remissionem peccatorum, ut justificaremur ex fide. Et insuper quid? *Et gratiam pro gratia*: id est, pro hac gratia in qua ex fide vivimus, recepturi sumus aliam: quid tamen nisi gratiam? Nam si dixero, quia & hoc debetur, aliquid mihi assigno, quasi cui debeatur. CORONAT autem in nobis Deus dona misericordiæ suæ: sed si in ea gratia quam primam accepimus, perseveranter ambulemus.

11. *Lex enim per Moysen data est*: (*Johan. 1. 17.*) quæ reos tenebat. Quid enim ait Apostolus? Lex subintravit, ut abundaret delictum. (*Rom. 5. 20.* Legis utilitas.) Hoc proderat superbis, ut abundaret delictum: multum enim sibi dabant, & quasi viribus suis multum assignabant; & non poterant implere justitiam, nisi adjuvaret ille qui jusserat. Superbiam illorum volens domare Deus, dedit Legem, tamquam dicens, Ecce implete, ne putetis deesse jubentem. Non deest qui jubeat, sed deest qui impleat.

12. Si ergo deest qui impleat, unde non implet? Quia natus cum traduce peccati & mortis. De Adam natus, traxit secum quod ibi conceptum est. Cecidit primus homo; & omnes qui de illo nati sunt, de illo traxerunt concupiscentiam carnis. Oportebat ut nasceretur alius homo, qui nullam traxit concupiscentiam. Homo, & homo: homo ad mortem, & homo ad vitam. Sic dicit Apostolus, Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. (*1. Cor. 15. 21.*) Per quem hominem mors, & per quem hominem resurrectio mortuorum? Noli festinare: sequitur, & dicit, Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. (*v. 22.*) Qui pertinent ad Adam? omnes qui nati sunt de Adam. Qui ad Christum? omnes qui nati sunt per Christum. Quare omnes in peccato? quia nemo natus est præter Adam. Ut autem nascerentur ex Adam, necessitatis fuit ex

[a] MS. Fossatensis, *quisquam palpet*, à secunda manu.

[b] Editi interponebant hîc, *non merito tuo*: quod abest à MSS.

damnatione: nasci per Christum, voluntatis est & gratiæ. Non coguntur homines nasci per Christum: non quia voluerunt, nati sunt ex Adam. Omnes tamen qui ex Adam, cum peccato peccatores: omnes qui per Christum, justificati & justi, non in se, sed in illo. Nam in se si interroges, Adam sunt: in illo si interroges, [a] Christi sunt. Quare? Quia ille caput Dominus noster Jesus Christus, non cum traduce peccati venit: sed tamen venit cum carne mortali.

13. Mors [b] peccatorum pœna erat: in Domino B munus misericordiæ erat, non pœna peccati. Non enim aliquid habebat Dominus quare justè moreretur. Ipse ait, Ecce venit princeps hujus mundi, & in me nihil invenit. (*Johan. 14. 30. & 31.*) Quare ergo moreris? Sed ut "sciant omnes, quia voluntatem Patris mei facio, "surgite eamus hinc. Non habebat ille quare moreretur, & mortuus est: tu habes quare, & mori dedignaris? Dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod ille pati dignatus est, ut te à sempiterna morte liberaret. Homo, & homo: sed ille C nonnisi homo, iste Deus [c] homo. Ille homo peccati, iste justitiæ. Mortuus es in Adam, resurge in Christo: nam utrumque debetur tibi. Jam credidisti in Christum, reddes tamen quod debes de Adam. Sed non te in æternum tenebit vinculum peccati: quia mortem tuam æternam occidit mors temporalis Domini tui. Ipsa est gratia, Fratres mei, ipsa est & veritas: quia promissa & exhibita.

14. Non erat ista in veteri Testamento, quia Lex minabatur, non opitulabatur; jubebat, non D sanabat; languorem ostendebat, non auferebat: sed illi præparabat medico venturo cum gratia & veritate; tamquam ad aliquem quem curare vult medicus, mittat primò servum suum, ut ligatum illum inveniat. Sanus non erat, sanari nolebat, & ne sanaretur, sanum se esse jactabat: missa Lex est, ligavit eum; invenit se reum, jam clamat de ligatura. Venit Dominus, curat amaris aliquantùm & acribus medicamentis: dicit enim ægroto, Ferto; dicit, Tolera; dicit, Noli diligere mundum, habeto patientiam, E curet te ignis continentiæ, ferrum persecutionum tolerent vulnera tua. Expavescebas quamvis ligatus: liber ille & non ligatus bibit quod tibi dabat: prior passus est ut te consolaretur, tamquam dicens, Quod times pati pro te, prior patior pro te. Hæc est gratia, & magna gratia. Quis illam dignè collaudat?

15. De humilitate Christi loquor, Fratres mei. Majestatem Christi & divinitatem Christi quis loquitur? In explicando & dicendo ut quoquo modo F humilitatem Christi loqueremur, non sufficimus, immo deficimus: totum cogitantibus committimus, non audientibus adimplemus. Cogitate humilitatem Christi. Sed quis nobis, inquis, eam explicat, nisi tu dicas? Ille intus dicat. Meliùs illud dicit, qui intus habitat, quàm qui foris clamat. Ipse vobis ostendat gratiam humilitatis suæ, qui cœpit habitare in cordibus vestris. Jam verò si in ejus humilitate explicanda & eroganda deficimus, majestatem ejus quis loquatur? Si Verbum caro factum G conturbat nos, In principio erat Verbum quis explicabit? Tenete ergo, Fratres, soliditatem istam.

16. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. (*Johan. 1. 17.*) Per servum Lex data est, reos fecit: per Imperatorem indulgentia data A est, reos liberavit. *Lex per Moysen data est*. Non sibi aliquid amplius servus assignet, quàm quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium tamquam fidelis in domo, sed tamen servus, agere secundùm Legem potest, solvere à reatu Legis non potest. *Lex* ergo *per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*.

17. Et ne fortè aliquis dicat, Et gratia & veritas non est facta per Moysen, qui vidit Deum? Statim subjecit, *Deum nemo vidit umquam*. (*v. 18.*) Et unde innotuit Moysi Deus? B Quia revelavit servo suo Dominus. Quis Dominus? Ipse Christus, qui præmisit Legem per servum, ut veniret ipse cum gratia & veritate. *Deum* enim *nemo vidit umquam*. Et unde illi servo quantum capere posset apparuit? Sed *Unigenitus*, inquit, *Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. (*Ibidem.*) Quid est, *in sinu Patris?* in secreto Patris. Non enim Deus habet sinum, sicut nos habemus in vestibus, aut cogitandus est sic sedere quomodo nos, aut fortè cinctus est ut sinum haberet: C sed quia sinus noster intus est, secretum Patris sinus Patris vocatur. In secreto Patris qui Patrem novit, ipse enarravit. Nam *Deum nemo vidit umquam*. Ipse ergo venit, & narravit quidquid vidit. Quid vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit Angelum, (*Ex...*) vidit ignem: omnis illa creatura est: typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat. Namque apertè habes in Lege, Et loquebatur Moyses cum Domino, contra in contra, sicut amicus cum amico suo. Sequeris ipsam Scripturam, D & invenis Moysen dicentem, Si inveni gratiam in conspectu tuo, (*Exod. 33. 13.*) ostende mihi teipsum manifestè, ut videam te. Et parum est quia dixit: responsum accepit, Non potes videre faciem meam. (*Ibidem.*) Loquebatur ergo, Fratres mei, cum Moyse Angelus, portans typum Domini: & illa omnia quæ ibi per Angelum facta sunt, futuram istam gratiam & veritatem promittebant. Qui bene scrutantur Legem, noverunt: & cùm opportunum est, ut & nos aliquid inde dicamus, quantum Dominus revelat, non tacemus Caritati Vestræ.

E 18. Illud autem sciatis, quia omnia quæ corporaliter visa sunt, non erant illa substantia Dei. Illa enim oculis carnis videmus: Dei substantia unde videtur? Evangelium interroga: Beati mundo corde; quia ipsi Deum videbunt. (*Matth. 5. 8.*) Fuerunt homines * qui dicerent vanitate sui cordis decepti, (* *Al...*) Pater invisibilis est, Filius autem visibilis est. Unde visibilis? Si propter carnem, quia suscepit carnem; manifestum est. Illi enim qui carnem Christi viderunt, aliqui F crediderunt, aliqui crucifixerunt: & qui crediderunt, illo crucifixo nutaverunt; & nisi ipsam post resurrectionem palparent, fides ad eos non revocaretur. Si ergo propter carnem visibilis Filius; & nos concedimus, & est catholica fides: si autem ante carnem sicut ipsi dicunt, id est, antequam incarnaretur; multùm delirant, & multùm errant. Facta enim sunt illa visibilia corporaliter per creaturam, in quibus typus ostenderetur: non utique substantia ipsa demonstrabatur & manifestabatur. G Et hoc adtendat Caritas Vestra [d] lene documentum. Sapientia Dei videri oculis non potest. Fratres, si Christus Sapientia Dei & Virtus Dei; (*1. Cor. 1. 24.*) si Christus Verbum Dei; verbum hominis oculis non videtur, Verbum Dei videri sic potest?

19. Expellite ergo de cordibus vestris carnales

[a] Carcassonensis MS. *Christus sunt.*

[b] MSS. quatuor, *Mors in Adam pœna peccatorum erat.*

[c] Editi, *Deus & homo*. Expungitur, *&*, auctoritate MSS.

[d] MSS. plerique, *leve documentum*: fortè pro, *breve*.

cogitationes, ut verè sitis sub gratia, ut ad novum Testamentum pertineatis. Ideo vita æterna promittitur in novo Testamento. Legite vetus Testamentum, & videte, quia carnali adhuc populo ea quidem præcipiebantur quæ nobis. *Exod. 20. 3. &c.* Nam unum Deum colere, & nobis præcipitur. Non accipies in vanum nomen Domini Dei tui, & nobis præcipitur: quod est secundum præceptum. Observa diem sabbati, magis nobis præcipitur: quia spiritaliter observandum præcipitur. Judæi enim serviliter observant diem sabbati, ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius feminæ eorum lanam facerent, quàm illo die in [a] menianis saltarent. Absit, Fratres, ut illos dicamus observare sabbatum. Spiritaliter observat sabbatum Christianus, abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servili? à peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: *Johan. 8. 34.* Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Ergo & nobis præcipitur spiritaliter observatio sabbati. Jam illa omnia præcepta nobis magis præcipiuntur, *Exod. 20. 13.* & observanda sunt: Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, *Deut. 5. 17.* Honora patrem & matrem, Non concupisces rem proximi tui, Non concupisces uxorem proximi tui. Nonne ista omnia & nobis præcipiuntur? Sed quære mercedem, & invenies ibi dici, Ut expellantur *Levit. 26. 7. &c.* hostes à facie tua, & accipiatis terram quam promisit Deus patribus vestris. Quia non poterant capere invisibilia, per visibilia tenebantur. Quare tenebantur? Ne penitus interirent, & ad idola laberentur. Nam fecerunt hoc, Fratres mei, sicut legitur, obliti tanta miracula quæ fecit Deus coram *Exod. 14. 21.* oculis eorum. Mare dissisum est; via facta est in mediis fluctibus; sequentes hostes eorum eisdem aquis operti sunt, per quas illi transierunt: & cùm Moyses homo Dei recessisset ab oculis eorum, idolum petierunt, & dixerunt, Fac nobis deos qui nos *Exod. 32. 1.* præeant, quia ille homo dimisit nos. Tota spes eorum in homine posita erat, non in Deo. Ecce mortuus est homo: numquid mortuus est Deus, qui eruerat eos de terra Ægypti? Et cùm fecissent sibi imaginem vituli, adoraverunt, & dixerunt, Hi sunt dij tui Israël, qui te liberaverunt de terra Ægypti. Quàm citò obliti tam [b] manifestam gratiam? Quibus ergo modis teneretur populus talis, nisi promissis carnalibus?

20. Ea ibi jubentur in decalogo Legis quæ & nobis, sed non ea promittuntur quæ nobis. Nobis *Johan. 17. 3.* quid promittitur? Vita æterna. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Cognitio Dei promittitur: ipsa est gratia pro gratia. Fratres, modò credimus, non videmus: pro ista fide præmium erit, videre quod credimus. Noverant hoc Prophetæ, sed occultum erat antequam veniret. Nam *Psal. 26. 4.* quidam suspirans amator in Psalmis ait, Unam petij à Domino, hanc requiram. Et quæris quid petat? Fortè enim terram petit fluentem lacte & melle carnaliter, quamvis spiritaliter ista quærenda sit & petenda: aut fortè subjectionem hostium suorum, aut mortem inimicorum, aut imperia & facultates hujus sæculi. Ardet enim amore, & multùm suspirat, & æstuat, & anhelat. Videamus quid petat: Unam petij à Domino, hanc requiram. Quid est hoc quod requirit? Ut inhabitem, inquit, in domo Domini, per omnes dies vitæ meæ. Et puta quia habitas in domo Domini, unde ibi erit gaudium tuum? Ut contempler, inquit, delectationem Domini.

21. Fratres mei, unde clamatis, unde exsultatis, unde amatis, nisi quia ibi est scintilla hujus caritatis? Quid desideratis rogo vos? Videri potest oculis? tangi potest? pulcritudo aliqua est quæ oculos delectat? Nonne martyres amati sunt vehementer; & quando eos commemoramus, inardescimus amore? Quid in illis amamus Fratres? Membra laniata à feris? Quid fœdius, si oculos carnis interroges: quid pulcrius, si oculos cordis interroges? Quid tibi videtur adolescens pulcherrimus fur? Quomodo horrent oculi tui? Numquid oculi carnis horrent? Si ipsos interroges, nihil illo corpore compositius, nihil [c] ordinatius; & paritas membrorum, & coloris delectatio illicit oculos: & tamen cùm audis quia fur est, fugis hominem animo. Vides ex alia parte senem curvum, baculo innitentem, vix se moventem, rugis undique exaratum: quid vides quod oculos delectet? Audis quia justus est: amas, amplecteris. Talia nobis præmia promissa sunt, Fratres mei: tale aliquid amate, tali regno suspirate, talem patriam desiderate; si vultis pervenire ad id, cum quo venit Dominus noster, id est, ad gratiam & veritatem. Si autem corporalia præmia concupieris à Deo, adhuc sub Lege es, & ideo ipsam Legem non implebis. Quando enim videris abundare ista temporalia in eis qui Deum offendunt, nutant gressus tui, & dicis tibi, Ecce ego colo Deum, quotidie ad ecclesiam curro, genua mihi trita sunt in orationibus, & assiduè ægroto, homicidia faciunt homines, rapinas faciunt, exsultant & abundant, bene est illis. Talia ergo quærebas à Deo? Certè ad gratiam [d] pertinebas. Si gratiam ideo tibi dedit Deus, quia gratis dedit, gratis ama. Noli ad præmium diligere Deum, ipse sit præmium tuum. Dicat anima tua, Unam petij à « Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo « Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler « delectationem Domini. Noli timere, ne fastidio de- « ficias: talis erit illa delectatio pulcritudinis, ut semper tibi præsens sit, & numquam satieris; immo semper satieris, & numquam satieris. Si enim dixero, quia non satiaberis, fames erit; si dixero, quia satiaberis, fastidium timeo: ubi nec fastidium erit, nec fames, quid dicam nescio: sed Deus habet quod exhibeat non invenientibus quomodò dicant, & credentibus quod accipiant.

TRACTATUS IV.

Ab eo quod scriptum est, Et hoc est testimonium Johannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes *&c. usque ad id*, Ipse est qui baptizat in Spiritu sancto.

1. SÆPISSIME audivit Sanctitas Vestra, & optimè nostis, quoniam Johannes Baptista quantò præclarior erat in natis mulierum, & quantò humilior ad cognoscendum Dominum, tantò meruit esse amicus sponsi; sponso zelans, non sibi; non suum honorem quærens, sed judicis sui, quem tamquam præco præibat. Itaque Prophetis præcedentibus prænuntiare de Christo futura concessum est: hujus autem digito ostendere. Sicut enim ignorabatur Christus ab his qui Prophetis non crediderunt antequam veniret, sic ab eis ignorabatur & præsens. Venerat enim humiliter primò & occultus; tantò occultior, quantò humilior: populi autem spernentes per superbiam suam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.

2. Sed qui primò venit occultus, quia venit humilis, numquid deinceps non est venturus manifestus, quia excelsus? Audistis modò Psalmum, Deus *Psal. 49. 3.* manifestus veniet, Deus noster & non silebit. Siluit ut judicaretur, non silebit cùm cœperit judicare. Non diceretur, manifestus veniet, nisi primò venisset occultus; nec diceretur, non silebit, nisi quia primò siluit. Quomodo siluit? Interroga Isaiam: Sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut *Isai. 53. 7.* [a] » agnus coram eo qui se [a] tonderet, fuit sine voce, sic » non aperuit os suum. Veniet autem manifestus, & *Psal. 49. 3.* non silebit. Quomodo manifestus? Ignis ante eum præibit, & in circuitu ejus tempestas valida. Tempestas illa tollere habet totam paleam de area, quæ modò trituratur; & ignis incendere quod tempestas abstulerit. Modò autem tacet: tacet judicio, sed non tacet præcepto. Si enim tacet Christus, quid sibi volunt hæc Evangelia? quid sibi volunt voces Apostolicæ? quid cantica Psalmorum? quid eloquia Prophetarum? In his enim omnibus Christus non tacet. Sed tacet modò, ut non vindicet: non tacet, ut non moneat. Veniet autem præclarus in vindictam, & apparebit omnibus, & qui in eum non credunt. Modò verò quia & præsens occultus erat, oportebat ut contemneretur. Nisi enim contemneretur, non crucifigeretur: si non crucifigeretur, non funderet sanguinem, quo pretio nos redemit. Ut autem daret pretium pro nobis, crucifixus est; ut crucifigeretur, contemtus est; ut contemneretur, humilis apparuit.

3. Tamen quia quasi in nocte apparuit in corpore mortali, lucernam sibi accendit unde videretur. *Johan. 5. 35.* Ipsa lucerna Johannes erat, de quo jam multa audivistis: & præsens lectio Evangelij, verba Johannis continet, primò, quod præcipuum est, confitentis quia non ipse erat Christus. Tanta autem excellentia erat in Johanne, ut posset credi Christus: & in eo probata est humilitas ejus, quia dixit *Johan. 1. 19.* se non esse, cùm posset credi esse. Ergo *Hoc est testimonium Iohannis, quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es?* Non autem mitterent, nisi moverentur excellentiâ auctoritatis ejus, quia ausus *v. 20.* est baptizare. *Et confessus est, & non negavit.* Quid confessus est? *Et confessus est, quia non sum ego Christus.*

v. 21. 4. *Et interrogaverunt eum, Quid ergo? Elias es tu?* Noverant enim quia præcessurus erat Elias Christum. Non enim alicui incognitum erat nomen Christi apud Judæos. Istum non putaverunt esse Christum: non omnino Christum non esse venturum. Cùm sperarent venturum, sic offenderunt in præsentem, offenderunt tamquam in humilem lapidem. Lapis enim ille adhuc parvus erat, jam quidem præcisus de monte sine manibus: sicut dicit *Dan. 2. 34. &c.* Daniel propheta, vidisse se lapidem præcisum de monte sine manibus. Sed quid sequitur? Et crevit, inquit, lapis ille, & factus est mons magnus, & implevit universam faciem terræ. Videat ergo Caritas Vestra quod dico: Christus ante Judæos jam præcisus erat de monte. Montem regnum vult intelligi Judæorum. Sed regnum Judæorum non impleverat universam faciem terræ. Inde præcisus est ille lapis, quia inde natus est in præsentia Dominus. Et quare sine manibus? quia sine opere virili virgo peperit *Luc. 1. 34.* Christum. Jam ergo erat lapis ille præcisus sine manibus, ante oculos Judæorum: sed humilis erat. Non immeritò; quia nondum creverat lapis ille, & impleverat orbem terrarum: quod ostendit in regno suo, quod est Ecclesia, qua implevit totam faciem terræ. Quia ergo nondum creverat, offenderunt in illum tamquam in lapidem: & factum est in eis quod scriptum est, Qui ceciderit super lapi- *Luc. 20. 18.* dem istum, conquassabitur, & super quos ceciderit lapis ille, conteret eos. Primò super humilem ceciderunt, excelsus super illos venturus est: sed ut eos venturus excelsus conterat, primò eos humilis quassavit. Offenderunt in eum, & quassati sunt; non contriti, sed quassati: veniet excelsus, & conteret eos. [b] Sed ignoscendum est Judæis, quia offenderunt in lapidem, qui nondum creverat. Quales sunt illi qui in ipsum montem offenderunt? Jam de quibus dicam cognoscitis. Qui negant Ecclesiam toto orbe diffusam, non in humilem lapidem, sed in ipsum montem offendunt: quod factus est ille lapis dum creseceret. Cæci Judæi non viderunt humilem lapidem: quanta cæcitas est non videre montem? Donatistarum cæcitas.

5. Ergo viderunt humilem, & non cognoverunt. Demonstrabatur illis per lucernam. Nam primò ille, quo major nemo surrexerat in natis mulierum, dixit, *Non sum ego Christus.* Dictumque *Matth. 11. 11. Johan. 1. v.* illi est, *Numquid tu es Elias? Respondit, Non sum.* *20. v. 21.* Christus enim præmittit ante se Eliam: & dixit *Non sum*, & fecit nobis quæstionem. Timendum est enim, ne minùs intelligentes contraria putent Johannem dixisse quàm Christus dixit. Quodam enim loco, cùm Dominus Jesus Christus in Evangelio quædam diceret de se, responderunt illi discipuli, Quomodo ergo dicunt Scribæ, id est periti *Matth. 17.* Legis, quia Eliam oportet primùm venire? Et ait « *10. &c.* Dominus, Elias jam venit, & fecerunt ei quæ vo- « luerunt: & si vultis scire, ipse est Johannes Bapti- « sta. Dominus Jesus Christus dixit, Elias jam venit, & ipse est Johannes Baptista: Johannes autem interrogatus sic se confessus est Eliam non esse, quomodo nec Christum esse. Et utique sicut verum confessus est Christum se non esse, sic verum confessus est nec Eliam se esse. Quomodo ergo comparabimus dicta præconis cum dictis judicis? Absit ut præco mentiatur: hoc enim loquitur quod audit à judice. Quare ergo ille, *Non sum Elias*: & Dominus, Ipse est Elias? Quia in eo Dominus Jesus Christus præfigurare voluit futurum adventum suum, & hoc dicere, quia in spiritu Eliæ erat Johannes. Et quod erat Johannes ad primum adventum, hoc erit Elias ad secundum adventum. Quomodo duo adventus judicis, sic duo præcones. Judex quidem ipse, præcones autem duo: non duo judices. Oportebat enim judicem primò venire judicandum. Misit ante se primum præconem, vocavit illum Eliam: quia hoc erit in secundo adventu Elias, quod in primo Johannes.

6. Namque intendat Caritas Vestra quàm verum dicam. Quando conceptus est Johannes, vel potiùs quando natus est, Spiritus-sanctus hoc de illo

[a] Editi, *neomenias*: corruptè pro, *menianis*, quod nostri omnes MSS. præferunt. Meniana veteres vocant podiolos seu domorum solaria.

[b] Editi, *magnificam*. MSS. omnes, *manifestam*.
[c] Editi, *ornatius*. Sed melius MSS. *ordinatius*.
[d] MS. Germanensis, *non pertinebas*.

[a] Editi, *tondet*. At MSS. *tonderet*.

[b] Vetus codex Remigiensis, *Si ignoscendum non est*.

Luc. 1. 17. homine implendum prophetavit: Et erit, inquit, A præcursor Altissimi, in spiritu & virtute Eliæ. Non ergo Elias, sed in spiritu & virtute Eliæ, Quid est, in spiritu & virtute Eliæ? in eodem Spiritu sancto vice Eliæ. Quare vice Eliæ? quia quod Elias secundo, hoc Johannes primo adventui fuit. Rectè ergo modò Johannes propriè respondit. Nam Dominus figuratè, Elias ipse est Johannes: iste autem, ut dixi, propriè, *Non sum ego Elias.* Si figuram præcursionis advertas, Johannes ipse est Elias: quod enim ille ad primum adventum, hoc ille ad secun- B dum erit. Si proprietatem personæ interroges, Johannes Johannes, Elias Elias. Dominus ergo ad præfigurationem rectè, Ipse est Elias: Johannes autem rectè ad proprietatem, *Non sum Elias.* Nec Johannes falsum, nec Dominus falsum: nec præco falsum, nec judex falsum; sed si intelligas. Quis autem intelliget? Qui imitatus fuerit humilitatem præconis, & cognoverit celsitudinem judicis. Nihil enim humilius ipso præcone. Fratres mei, nullum tantum meritum Johannes habuit quàm de C ista humilitate, quòd cùm posset fallere homines, & putari Christus, & haberi pro Christo, (tantæ enim gratiæ tantæque excellentiæ fuit,) confessus est tamen apertè, & dixit, *Non sum ego Christus. Numquid tu Elias es?* Jam si diceret, Elias sum; ergo jam in secundo adventu adveniens Christus judicaret, non adhuc in primo judicaretur. Tamquam dicens, Venturus est & Elias: *Non sum*, inquit, *Elias.* Sed observate humilem, ante quem D venit Johannes, ne sentiatis excelsum ante quem venturus est Elias. Nam & Dominus ita complevit: Ipse est Johannes Baptista qui venturus est. Ipsa præfiguratione venit iste, qua proprietate venturus est Elias. Tunc Elias per proprietatem erit, nunc per similitudinem Johannes [a] erat. Modò Johannes per proprietatem Johannes, per similitudinem Elias est. Ambo præcones sibi dederunt similitudines suas, & tenuerunt proprietates suas: unus autem Dominus judex, sive illo præcone præcedente, sive illo. E

Johan. 1. *v.* 21. 7. * *Et interrogaverunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non. Et dixerunt ei, Propheta es tu?*
v. 22. *Et respondit, Non.* * *Dixerunt ergo ei, Quis es tu? ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de*
v. 23. *teipso?* * *Ait, Ego vox clamantis in deserto.* Isaias illud dixit. In Johanne prophetia ista impleta est,
Isa. 40. 3. *Ego vox clamantis in deserto.* Quid clamantis? *Dirigite viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Non vobis videtur præconis esse dicere, Exite, facite viam? Nisi quòd præco Exite dicit: Johan- F nes dicit, Venite. A judice repellit præco, ad judicem vocat Johannes. Immo vocat Johannes ad humilem, ne judex sentiatur excelsus. *Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.* Non dixit, Ego sum Johannes, ego sum Elias, ego sum Propheta. Sed quid dixit? Hoc vocor, *Vox clamantis in deserto, dirigite viam Domino:* Ego sum ipsa prophetia.

Johan. 1. *v.* 24. 8. *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis:* id est,
v. 25. ex principibus Judæorum. *Et interrogaverunt, &* G *dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Quasi audaciæ videbatur esse baptizare, quasi, In qua persona? quærimus utrùm tu sis Christus; tu dicis te non esse:

[a] Sic omnes MSS. At editi, *nunc per similitudinem Johannes Eliæ erat. Modò Johannes per proprietatem Johannes est, tunc per similitudinem Elias Johannes erit.*

quærimus ne fortè præcursor illius sis, quia novimus ante Christi adventum venturum esse Eliam; negas te esse: quærimus ne fortè aliquis multùm præveniens præco es, id est propheta, & accepisti hanc potestatem; nec prophetam te esse dicis. Et non erat propheta Johannes: major erat quàm propheta. Dominus de illo tale testimonium dedit, *Matth.* 11. 7. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitari? Utique, non vento agitari, subaudis, quia non hoc erat Johannes, quasi qui à vento moveretur: qui enim à vento movetur, circumflatur *v.* 8. omni spiritu seductorio. Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Vestiebatur enim Johannes asperis, id est, tunicâ factâ de pilis cameli. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus re- « gum sunt. Non ergo existis videre hominem mollibus vestitum. Sed quid existis videre? Prophetam? *v.* 9. Ita dico vobis, major quàm Propheta hic: quia Prophetæ longè antè prænuntiaverunt, Johannes præsentem demonstrabat.

Johan. 1. *v.* 25. 9. * *Quid ergo tu baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* * *Respondit eis Johannes,* *v.* 26. *& dixit, Ego baptizo in aqua, medius autem vestrûm stetit quem vos nescitis.* Humilis enim non videbatur, & propterea lucerna accensa est. Videte quomodo dat locum, qui aliud posset putari. *Ipse* *v.* 27. *est qui post me venit, qui ante me factus est.* Sicut jam diximus, id est, antepositus est mihi. *Cujus ego non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus.* Quantum se abjecit? Et ideo multùm elevatus est: quoniam qui se humiliat, exaltabitur. Unde debet *Luc.* 14. 11. videre Sanctitas Vestra, quia si Johannes sic se humiliavit, ut diceret, *Non sum ego dignus corrigiam solvere:* quomodo habent humiliari, qui dicunt, Donatista- Nos baptizamus, nos quod damus nostrum est, & rum superbia. quod nostrum est, sanctum est. Ille dicit, Non ego, sed ille: illi dicunt, Nos. Non est dignus Johannes solvere corrigiam calceamenti ejus: quòd si dignum se diceret, quàm humilis esset? Et si dignum se diceret, & sic diceret, Ille venit post me, qui ante me factus est, cujus tantummodo corrigiam calceamenti dignus sum solvere: multùm se humiliasset. Quando autem nec ad hoc dignum se dicit, verè plenus Spiritu sancto erat, qui sic servus Dominum agnovit, & ex servo amicus fieri meruit.

10. * *Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Johannes baptizans.* * *Altera die vidit* *Johan.* 1. *v.* 28. *Johannes Jesum venientem ad se, & ait, Ecce Agnus* *v.* 29. *Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Nemo sibi arroget, & dicat, quia ipse auferat [b] peccatum mun- b di. Jam intendite, contra quos superbos intendebat digitum Johannes. Nondum erant nati hæretici, & jam ostendebantur: contra illos clamabat tunc à fluvio, contra quos modò clamat ex Evangelio. Venit Jesus; & quid dicit ille? *Ecce Agnus Dei.* Si agnus innocens, & Johannes agnus. An non & ipse innocens? Sed quis innocens? quantum innocens? Omnes ex illa traduce veniunt & ex illa *Psal.* 50. 7. propagine, de qua cantat gemens David, Ego in iniquitate conceptus sum, & in peccatis mater mea in utero me aluit. Solus ergo ille Agnus, qui non sic venit. Non enim in iniquitate conceptus est; quia non de mortalitate conceptus est: nec cum in peccatis mater ejus in utero aluit, quem virgo con-

[b] Sic MSS. propè omnes. At editi, *auferat peccata. Vnde jam intendite.*

cepit, virgo peperit; quia fide concepit, & fide A suscepit. Ergo *ecce Agnus Dei.* Non habet iste traducem de Adam: carnem tantùm sumsit de Adam, peccatum non assumsit. Qui non assumsit de nostra massa peccatum, ipse est qui tollit nostrum peccatum. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

Donatistarum arrogantia. 11. Nostis quia quidam homines dicunt aliquando, Nos tollimus peccata hominibus, qui sancti sumus: si enim non fuerit sanctus qui baptizat, quomodo tollit peccatum alterius, cùm sit homo B ipse plenus peccato? Contra istas disputationes verba nostra non dicamus, hunc legamus: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Non sit præsumtio hominibus in homines: non transmigret passer
Psal. 10. 2. in montes, in Domino confidat; & si levat oculos
Psal. 120. 1. in montes, unde veniet auxilium ei, intelligat quia auxilium ejus à Domino, qui fecit cælum & terram. Tantæ excellentiæ Johannes, dicitur ei, Tu es Christus? dicit, Non. Tu es Elias? dicit, Non. Tu es propheta? dicit, Non. Quare ergo bapti- C
Johan. 1. *v.* 29. *v.* 30 zas? * *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi,* * *hic est de quo dixi, Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat. Post me venit*, quia posteriùs natus est: *ante me factus est*, quia prælatus est mihi: *prior me erat*, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

v. 31. 12. * *Et ego nesciebam eum*, dixit: *sed ut manifestaretur Israëli, propterea veni ego in aqua baptizans.*
v. 32 * *Et testimonium perhibuit Johannes, dicens, Quia vi-* D *di Spiritum de cælo descendentem quasi columbam, &*
v. 33. *mansit super eum:* * *& ego nesciebam eum, sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum,*
v. 34. *hic est qui baptizat in Spiritu sancto:* * *& ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Intendat modicùm Caritas Vestra: Johannes quando dicit Christum? Missus est enim ut baptizaret in aqua. Quæsitum est quare? *Vt manifestaretur Israëli*, dixit. Quid profuit baptismus Johannis? Fra- E tres mei, si profuit aliquid, & modò maneret, & baptizarentur homines baptismo Johannis; & sic venirent ad baptismum Christi. Sed quid ait? *Vt manifestaretur Israëli:* id est, ipsi Israël, populo Israël ut manifestaretur Christus, venit baptizare in aqua. Accepit ministerium baptismatis Johannes, in aqua pœnitentiæ, parare viam Domino, non exsistens Dominus: at ubi cognitus est Dominus, superfluò ei via parabatur; quia cognoscentibus se ipse factus est via: itaque non duravit diu F baptismus Johannis. Sed quomodo demonstratus est Dominus? Humilis: ut ideo acciperet baptisma Johannes, in quo baptizaretur ipse Dominus.

13. Et opus erat Domino baptizari? Et ego interrogans citò respondeo, Opus erat Domino nasci? opus erat Domino crucifigi? opus erat Domino mori? opus erat Domino sepeliri? Si ergo tantam suscepit pro nobis humilitatem, baptismum non erat suscepturus? Et quid profuit quia suscepit G baptismum servi? ut tu non dedignareris suscipere baptismum Domini. Intendat Caritas Vestra: Futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiæ catechumeni. Fit enim aliquando ut videas catechumenum abstinentem ab omni concubitu, valefacientem sæculo, renuntiantem omnibus quæ possidebat, distribuentem pauperibus, & catechumenus est, instructus etiam fortè doctrinâ salutari supra multos fideles. Timendum est huic ne dicat apud semetipsum de baptismate sancto quo peccata dimittuntur, Quid plus accepturus sum? Ecce ego melior sum illo fideli & illo fideli: cogitans fideles aut conjugatos, aut fortè idiotas, aut habentes & possidentes res suas, quas ipse distribuit jam pauperibus, & meliorem se esse arbitrans quàm ille qui jam baptizatus est, dedignetur venire ad baptismum, dicens, Hoc sum accepturus quod habet ille & ille: & proponat sibi illos quos contemnit, & quasi fordeat illi hoc accipere quod acceperunt inferiores, quia jam videtur ipse sibi melior: & tamen omnia peccata super illum sunt, & nisi venerit ad salutarem baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni excellentia sua non potest intrare in regnum cælorum. Sed ut illam excellentiam invitaret Dominus ad baptismum suum, ut peccata illi dimitterentur, venit ipse ad baptismum servi sui: & cùm ipse non haberet quod ei dimitteretur, nec quod in illo lavaretur, suscepit à servo baptismum: & tamquam allocutus est filium superbientem & extollentem se, ac dedignantem fortè accipere cum idiotis unde ei possit salus venire, & quasi dicens, Quantum te extendis? quantum extollis? quanta est excellentia tua? quanta gratia tua? major potest esse quàm mea? si ego veni ad servum, tu dedignaris venire ad Dominum? si ego suscepi baptismum servi, tu dedignaris à Domino baptizari?

14. Nam ut noveritis Fratres mei, quia non ex necessitate alicujus vinculi peccati Dominus veniebat ad ipsum Johannem; sicut dicunt alij Evangelistæ, cùm ad illum veniret baptizandus Dominus, ait ipse Johannes, Tu ad me venis? ego à te *Matth.* 3. debeo baptizari. Et quid ei ipse respondit? Sine mo- *v.* 14. dò, impleatur omnis justitia. Quid est, impleatur *v.* 15. omnis justitia? Mori veni pro hominibus, baptizari non habeo pro hominibus? Quid est, impleatur omnis justitia? impleatur omnis humilitas. Quid ergo? Non erat suscepturus baptismum à bono servo, qui passionem suscepit à servis malis? Intendite ergo: Baptizato Domino, si propterea baptizavit Johannes, ut in ejus baptismo Dominus ostenderet humilitatem, nemo alius baptizaretur baptismo Johannis? Multi autem baptizati sunt baptismo Johannis: baptizatus est Dominus baptismo Johannis, & cessavit baptismus Johannis: inde jam missus est in carcerem Johannes, deinceps nemo baptizatus invenitur illo baptismate. Si ergo propterea venit & Johannes baptizans, ut Domini humilitas nobis demonstraretur, ut quia ille suscepit à servo, nos non dedignaremur suscipere à Domino: Dominum solum Johannes baptizaret? Sed si solum Dominum Johannes baptizaret, non deessent qui putarent sanctius fuisse baptisma Johannis quàm Christi: quasi baptismate Johannis solus Christus meruisset baptizari, baptismate autem Christi genus humanum. Intendat Caritas Vestra: Baptismate Christi baptizati sumus, non tantùm nos, sed & universus orbis terrarum, & baptizatur usque in finem. Quis nostrûm potest ex aliqua parte comparari Christo, cujus se Johannes dixit indignum solvere corrigiam calceamenti? Si ergo ille Christus tantæ excellentiæ homo Deus, solus baptizaretur baptismo Johannis, quid dicturi erant homines? Qualem baptismum habuit Johannes? magnum baptismum habuit,

ineffabile sacramentum : vide, quia solus Christus meruit baptizari Johannis baptismo. Atque ita major videretur baptismus servi, quàm baptismus Domini. Baptizati sunt & alij baptismo Johannis, ne melior baptismus videretur Johannis quàm Christi : baptizatus autem & Dominus, ut Domino suscipiente baptismum servi, non dedignarentur alij servi suscipere baptismum Domini, ad hoc ergo missus erat Johannes.

15. Sed noverat Christum, an non noverat? Si non noverat, quare dicebat quando venit ad
Matth 3.14 fluvium Christus, Ego à te debeo baptizari? hoc est, Scio qui sis. Si ergo jam noverat, certè tunc cognovit quando vidit columbam descendentem. Manifestum est quia columba non descendit super Dominum, nisi postea quàm adscendit ab aqua baptismi. Dominus baptizatus adscendit ab aqua, aperti sunt cæli, & vidit super eum columbam. Si ergo post baptismum descendit columba, & antequam baptizaretur Dominus, dixit illi Johannes, Tu ad me venis, ego à te debeo baptizari : antè,
» illum noverat, cui dixit, Tu ad me venis, ego à te
Johan. 1.33. debeo baptizari : quomodo ergo dixit, *Et ego nesciebam eum, sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto?* Non parva quæstio est, Fratres mei. Si vidistis quæstionem, non parum vidistis: superest ut ipsius solutionem Dominus det. Tamen illud dico, si vidistis quæstionem, non est parum. Ecce positus est Johannes ante oculos vestros, stans ad fluvium Johannes Baptista : ecce venit Dominus adhuc baptizandus, nondum baptizatus: audi vocem Johannis, Tu ad me venis, ego à te debeo baptizari : ecce jam cognoscit Dominum, à quo vult baptizari. Baptizatus Dominus adscendit ab aqua, aperiuntur cæli, descendit Spiritus, modò illum cognoscit Johannes : si modò illum cognoscit, quid dixit antea, Ego à te debeo baptizari? Si autem non eum modò cognoscit, quia jam noverat eum, quid est quod dixit, *Non noveram eum, sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum sicut columbam, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto?*

16. Fratres, ista quæstio si hodie solvatur, gravat vos, non dubito, quia jam multa dicta sunt. Sciatis autem talem istam quæstionem esse, ut hæc sola perimat partem Donati. Ad hoc dixi Caritati Vestræ, ut intentos vos facerem, similiter ut foleo : simul ut oretis pro nobis & vobis, ut & nobis det Dominus digna loqui, & vos digna capere mereamini. Interim hodie dignamini differre : sed hoc breviter dico interim, donec solvatur, interrogate pacificè, sine rixa, sine contentione, sine altercationibus, sine inimicitiis, & vobiscum quærite, & alios interrogate, & dicite, Hanc quæstionem proposuit nobis hodie Episcopus noster, aliquando si Dominus concesserit, soluturus eam. Sed sive solvatur sive non solvatur, putate me proposuisse quod me movet: moveor enim multùm. Dicit Johannes, Ego à te debeo baptizari: tamquam Christo cognito. Si enim non noverat eum à quo
Matth 3.14. volebat baptizari, temere dicebat, Ego à te debeo baptizari. Noverat ergo eum. Si noverat eum,
Johan. 1.33. quid est ergo quod dicit, *Non noveram eum, sed qui me misit baptizare in aqua, ipse mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, sicut columbam, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto?* Quid dicturi sumus? Quia non scimus quando venerit columba? Ne fortè ibi [a] lateant, legantur alij Evangelistæ, qui planiùs illud dixe- Matth. 3. 16. Marci 1.10. Luc. 3. 21. & 22.
runt : & invenimus apertissimè tunc descendisse columbam, cùm Dominus ab aqua adscendit. Super baptizatum enim aperti sunt cæli, & vidit Spiritum descendentem. Si jam baptizatum cognovit, venienti ad baptisma quomodo dicit, Ego à te debeo baptizari? Hanc vobiscum interim ruminate, hanc vobiscum conferte, hanc vobiscum tractate. Præstet Dominus Deus noster, ut antequam à me audiatis, alicui vestrûm priori eam revelet. Tamen Fratres hoc sciatis, quia per istius quæstionis solutionem, vocem pars Donati de baptismi gratia, ubi nebulas obtendunt imperitis, & retia tendunt avibus volantibus, si frontem habeant, omnino non habebunt: omnino eorum ora claudentur.

TRACTATUS V.

Rursum in illud, Et ego nesciebam eum *&c. Quid novi Iohannes didicerit de Domino per columbam.*

1. SICUT Dominus voluit, ad diem promissionis nostræ pervenimus: præstabit etiam hoc, ut ad ipsius promissionis redditionem pervenire possimus. Tunc enim ea quæ dicimus, & nobis & vobis utilia sunt, si ab ipso sunt : quæ autem ab homine sunt, mendacia sunt : sicut ipse
Johan. 8. 44. dixit Dominus noster Jesus Christus, Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, & in hac peregrinatione interim consolati, ne deficiamus in via, venire ad ejus requiem satietatemque possimus. Si ergo qui loquitur mendacium, de suo loquitur : qui loquitur veritatem, de Dei loquitur. Verax Johannes, veritas Christus : verax Johannes, sed omnis verax à veritate verax est : si ergo verax est Johannes, & verax esse homo non potest, nisi à veritate; à quo erat verax, nisi ab eo qui dixit, Ego sum
Johan. 14 6. veritas? Non ergo posset dicere, aut veritas contra veracem, aut verax contra veritatem. Veracem veritas misit: & ideo verax erat, quoniam à veritate missus erat. Si veritas Johannem miserat, Christus eum miserat. Sed quod Christus cum Patre facit, Pater facit: & quod Pater cum Christo facit, Christus facit. Nec seorsum Pater aliquid facit sine Filio; nec seorsum aliquid Filius sine Patre: inseparabilis caritas, inseparabilis unitas, inseparabilis majestas, inseparabilis potestas, secundùm hæc verba quæ ipse posuit, Ego & Pater unum su-
Johan. 10. 30. mus. Quis ergo misit Johannem? Si dicamus, Pater, verum dicimus: si dicamus, Filius, verum dicimus: manifestius autem ut dicamus, Pater & Filius. Quem misit autem Pater & Filius, unus Deus misit: quia Filius dixit, Ego & Pater unum sumus. Quomodo ergo nesciebat eum à quo missus est? Dixit enim, *Ego nesciebam eum, sed qui me misit bap-*
Johan. 1.33. *tizare in aqua, ipse mihi dixit.* Interrogo Johannem, Qui te misit baptizare in aqua, quid tibi dixit? *Super quem videris Spiritum descendentem, sicut columbam, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto.* Hoc tibi ô Johannes dixit, qui te

[a] Editi *latent.* MSS. *lateant:* scilicet Donatistæ.

misit?

misit? manifestum quia hoc. Quis ergo te misit? Forte Pater. Verus Deus Pater, & veritas Deus Filius: si Pater sine Filio te misit, Deus sine veritate te misit: si ideo autem verax es, quia veritatem loqueris, & ex veritate loqueris; non te misit Pater sine Filio, sed simul te misit Pater & Filius: si ergo & Filius te misit cum Patre, quomodo nesciebas eum à quo missus es? Quem videras in veritate, ipse te misit ut agnosceretur in carne, & dixit, *Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto.*

2. Hoc audivit Johannes, ut nosset eum quem non noverat, an ut plenius nosset quem jam noverat? Si enim omni ex parte non nosset, non ve-
Matth. 3. 14. nienti ad fluvium ut baptizaretur diceret, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me. noverat ergo. Quando autem columba descendit? jam baptizato Domino, & ab aqua adscendente. At si ille qui eum misit, dixit, *Super quem videris Spiritum descendentem, sicut columbam, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto:* & non noverat eum, sed columbâ descendente cognovit eum; columba verò tunc descendit, quando Dominus ab aqua adscendit; tunc autem cognoverat Johannes Dominum, quando ad eum Dominus ad aquam veniebat: manifestatur nobis, quia Johannes secundùm aliquid noverat, secundùm aliquid nondum noverat Dominum. Nisi autem hoc intellexerimus, mendax erat. Quomodo erat verax agnoscens, qui dicit, Tu ad me venis baptizari, & ego à te debeo baptizari? Verax est cùm hoc dicit? Et quomodo rursus verax est cùm dicit, *Ego non noveram eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem, sicut columbam, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto?* Innotuit per columbam Dominus, non ei qui se non noverat, sed ei qui in eo aliquid noverat, aliquid non noverat. Nostrum est ergo quærere quid in eo Johannes nondum noverat, & per columbam didicit.

3. Quare missus est Johannes baptizans? jam memini me quantum potui dixisse Caritati Vestræ. Si enim baptismus Johannis necessarius erat saluti nostræ; & modò debuit exerceri. Non enim modò non salvantur homines, aut non modò plures salvantur, aut alia tunc salus erat, & alia modò. Si mutatus est Christus, mutata est & salus: si salus in Christo est, & idem ipse Christus est, eadem nobis salus est. Sed quare missus est Johannes baptizans? quia oportebat baptizari Christum. Quare
* Interrogando respondet quæstioni ut supra Tract. 4. n. 13. * oportebat baptizari Christum? quare oportuit nasci Christum? quare oportuit crucifigi Christum? Si enim viam humilitatis demonstraturus advenerat, & seipsum facturus ipsam humilitatis viam: in omnibus ab eo implenda erat humilitas. Auctoritatem dare baptismo suo hinc dignatus est, ut cognoscerent servi quanta alacritate deberent currere ad baptismum Domini, quando ipse non dedignatus est suscipere baptismum servi. Donatum enim erat hoc Johanni, ut ipsius baptismus diceretur.

4. Hoc adtendat, & distinguat, & noverit Caritas Vestra: Baptismus quem accepit Johannes, baptismus Johannis dictus est: solus tale donum accepit: nullus ante illum justorum, nullus post illum, ut acciperet baptismum, qui baptismus illius diceretur. Accepit quidem, non enim à se posset
Johan. 8.4. aliquid: si enim à se quis loquitur, mendacium de suo loquitur. Et unde accepit, nisi à Domino Jesu Christo? Ab illo ut baptizare posset accepit, quem postea baptizavit. Nolite mirari: sic enim hoc fecit Christus in Johanne, quomodo quiddam fecit in matre. De Christo enim dictum est, Omnia per
Johan. 1.3. ipsum facta sunt: si omnia per ipsum, & Maria per ipsum facta est, de qua postea natus est Christus. Intendat Caritas Vestra: Quomodo creavit Mariam, & creatus est per Mariam: sic dedit baptismum Johanni, & baptizatus est à Johanne.

5. Ad hoc ergo accepit baptismum à Johanne, ut accipiens quod inferius erat ab inferiore, ad id quod superius erat hortaretur inferiores. Sed quare non solus ipse baptizatus est à Johanne, si ad hoc missus erat Johannes, per quem baptizaretur Christus, ut pararet viam Domino, id est ipsi Christo? Et hoc jam diximus: sed commemoramus, quia necessarium est præsenti quæstioni. Si solus Dominus noster Jesus Christus baptizatus esset baptismate Johannis: tenete quod dicimus; non tantum valeat sæculum ut deleat è cordibus vestris, quod ibi scripsit Spiritus Dei; non tantum valeant spinæ curarum, ut effocent semen quod seminatur in vobis: quare enim cogimur eadem repetere, nisi quia de memoria cordis vestri securi non sumus? Si ergo solus Dominus baptizatus esset baptismo Johannis, non deessent qui sic eum haberent, ut putarent baptismum Johannis majorem esse, quàm est baptismus Christi. Dicerent enim, Usque adeo illud baptisma majus est, ut solus Christus eo baptizari meruisset. Ergo ut daretur nobis à Domino exemplum humilitatis, ad percipiendam salutem baptismatis, Christus suscepit quod ei opus non erat, sed propter nos opus erat. Et rursus, ne hoc ipsum quod accepit à Johanne Christus, præponeretur baptismati Christi, permissi sunt & alij baptizari à Johanne. Sed qui baptizati sunt à Johanne, non eis sufficit: baptizati sunt enim baptismo Christi; quia non baptismus Christi erat baptismus Johannis. Qui accipiunt baptismum Christi, baptismum Johannis non quærunt: qui acceperunt baptismum Johannis, baptismum Christi quæsierunt. Ergo Christo sufficit baptismus Johannis. Quomodo non sufficeret, quando nec ipse erat necessarius? Illi enim nullus baptismus erat necessarius, sed ad hortandos nos ad baptismum suum, suscepit baptismum servi. Et ne præponeretur baptismus servi baptismo Domini, baptizati sunt alij baptismate conservi. Sed qui baptizati sunt baptismate conservi, oportebat ut baptizarentur baptismate Domini: qui autem baptizantur baptismate Domini, non opus habent baptismate conservi.

6. Quoniam ergo acceperat Johannes baptismum, qui propriè Johannis diceretur; Dominus autem Jesus Christus noluit baptismum suum alicui dare, non ut nemo baptizaretur baptismo Domini, sed ut semper ipse Dominus baptizaret: id actum est, ut & per ministros Dominus baptizaret, id est, ut quos ministri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud est enim bap-
De consecr. dist. 4. cap. Aliud. 4. Sent. dist. 5. cap. 1. tizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur; non qualis est ille, per cujus ministerium datur. Talis erat baptismus Johannis, qualis Johannes; baptismus justus tamquam justi, tamen hominis: sed qui acceperat à Domino istam gratiam, & tantam gratiam, ut dignus esset præire judicem, & eum digito ostendere, & implere vo-

cem prophetiæ illius, Vox clamantis in deserto, Parate viam Domino. Tale autem baptisma Domini, qualis Dominus: ergo baptisma Domini divinum, quia Dominus Deus.

4. Sent. dist. 5. cap. 2. 7. Potuit autem Dominus Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tamquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo, & tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo. Ideoque clamabat Apostolus, cùm videret homines volen- 1. Cor. 1. 13 tes ponere spem in seipso, Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Baptizavit ergo Paulus tamquam minister, non tamquam ipsa potestas: baptizavit autem Dominus tamquam potestas. Intendite: Et potuit hanc potestatem servis dare, & noluit. Si enim daret hanc potestatem servis, id est, ut ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quot essent servi: ut quomodo dictum est baptisma Johannis, sic diceretur baptisma Petri, sic baptisma Pauli; sic baptisma Jacobi, baptisma Thomæ, Matthæi, Bartholomæi. illud enim baptisma Johannis dictum est. Sed fortè aliquis resistit, & dicit, Proba nobis quia illud baptisma Johannis dictum est. Probabo, ipsa veritate dicente, quando interrogavit Judæos, Matth. 21. 25. Baptisma Johannis unde est, de cælo, an ex hominibus? Ergo ne tot baptismata dicerentur, quot essent servi qui baptizarent accepta potestate à Domino; sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis ministerium dedit: Dicit se servus bap- 1. Cor. 1. 16. tizare, rectè dicit, sicut Apostolus dicit, Baptizavi autem & Stephanæ domum: sed tamquam minister. Ideo si sit & malus, & contingat illi habere ministerium, & si eum homines non norunt, & Deus eum novit: permittit Deus baptizari per eum, qui sibi tenuit potestatem.

8. Hoc autem Johannes non noverat in Domino. Quia Dominus erat, noverat: quia ab ipso debebat baptizari, noverat: & confessus est, quia veritas erat ille, & ille verax missus à veritate. hoc noverat. Sed quid in eo non noverat? Quia sibi retenturus erat baptismatis sui potestatem, & non eam transmissurus & translaturus in aliquem servum: sed sive baptizaret in ministerio servus bonus, sive baptizaret in ministerio servus malus, non sciret se ille qui baptizaretur baptizari, nisi ab illo qui sibi tenuit baptizandi potestatem. Et ut noveritis Fratres, quia hoc in illo non noverat Johannes, & hoc didicit per columbam: Dominum enim noverat, sed eum baptizandi sibi potestatem retenturum, & nulli servo eam daturum, nondum noverat: secundùm hoc dixit, *Et ego nesciebam eum.* Et ut noveritis, quia ibi hoc didicit, adtendite sequentia: *Sed qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem, quasi columbam, & manentem super eum, ipse est.* Quid ipse est? Dominus. Sed jam noverat Dominum. Ergo putate huc usque dixisse Johannem, *Ego non noveram eum, sed qui me misit baptizare in aquâ, ipse mihi dixit.* Quærimus quid dixerit? sequitur, *Super quem videris Spiritum descendentem, quasi columbam, & manentem super eum.* Non dico sequentia; interim adtendite: *Super quem videris Spiritum descendentem, tamquam columbam, & manentem super eum, ipse est.* Sed quid ipse est? Quid me voluit per columbam docere qui me misit? quia ipse erat Dominus? Jam noveram à quo missus eram: jam noveram eum cui dixi, Tu ad me venis baptizari? ego à te debeo baptizari: usque adeo ergo noveram Dominum, ut ego ab eo vellem baptizari, non ut à me ipse baptizaretur: & tunc mihi dixit, Sine modò, impleatur omnis justitia, pati Matth. 3. 15. veni, baptizari non venio? Impleatur omnis justitia, ait mihi Deus meus, impleatur omnis justitia, doceam plenam humilitatem: novi superbientes in futuro populo meo, novi aliquos in aliqua excellentiori gratia futuros homines, ut cùm viderint idiotas aliquos baptizari, illi quia meliores sibi videntur, sive continentiâ, sive eleemosynis, sive doctrinâ, dedignentur isti fortasse accipere, quod illi inferiores acceperunt: oportet ut sanem eos, ut non dedignentur venire ad baptisma Domini, quia ego veni ad baptisma servi.

9. Jam ergo hoc noverat Johannes, & noverat Dominum. Quid ergo docuit columba? Quid voluit per columbam, id est, per Spiritum-sanctum sic venientem docere, qui miserat eum, cui ait, *Super quem videris Spiritum descendentem, tamquam columbam, & manentem super eum, ipse est?* Quis ipse est? Dominus. Novi. Sed numquid hoc jam noveras, quia Dominus iste baptizandi habens potestatem, eam potestatem nulli servo daturus est, sed sibi eam retenturus est, ut omnis qui baptizatur per servi ministerium, non imputet servo, sed Domino? numquid hoc jam noveras? Non hoc noveram: adeo quid mihi dixit? *Super quem videris Spiritum descendentem tamquam columbam, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto.* Non ait, ipse est Dominus; non ait, ipse est Christus; non ait, ipse est Deus; non ait, ipse est Jesus; non ait, ipse est qui natus est de virgine Maria, posterior te, prior te: non ait hoc; jam enim hoc noverat Johannes. Sed quid non noverat? Tantam potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum & sibi retenturum, sive præsentem in terra, sive absentem corpore in cælo & præsentem majestate, sibi retenturum baptismi potestatem: ne Paulus diceret, Baptismus meus; ne Petrus diceret, Baptismus meus. Ideo videte, intendite voces Apostolorum. Nemo Apostolorum dixit, Baptismus meus. Quamvis unum omnium esset Evangelium, tamen invenis dixisse, Evangelium meum: non invenis dixisse, Baptisma meum.

10. Hoc ergo didicit Johannes, Fratres mei. Quod didicit Johannes per columbam, discamus & nos. Non enim columba Johannem docuit, & Ecclesiam non docuit, cui Ecclesiæ dictum est, Una est columba mea. Columba doceat columbam; Cant. 6. 8. noverit columba, quod Johannes didicit per columbam. Spiritus-sanctus in specie columbæ descendit. Hoc autem quod discebat Johannes in columba, quare in columba didicit? Oportebat enim ut disceret: nec hoc fortè oportebat nisi ut per columbam disceret. Quid dicam de columba, Fratres mei? Aut quando mihi sufficit facultas vel cordis vel linguæ, dicere quomodo volo? Et fortè non dignè volo quomodo dicendum est; nec sic tamen possum dicere quomodo volo: quantò minùs quomodo dicendum est? Ego à meliore hoc audire vellem, non vobis dicere.

11. Discit Johannes eum quem noverat: sed in eo discit, in quo eum non noverat; in quo noverat

De consecr. dist. 4. cap. Baptismus. 4. Sent. dist. 5. cap. 2. non discit. Et quid noverat? Dominum. Quid non noverat? Potestatem Dominici baptismi in nullum hominem à Domino transituram, sed ministerium planè transitum: potestatem à Domino in neminem, ministerium & in bonos & in malos. Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? quid te impedit malitiosus præco, si est benevolus judex? Johannes didicit per columbam hoc. Quid est quod didicit? Ipse repetat: *Ipse mihi dixit*, inquit, *Super quem videris Spiritum descendentem, tamquam columbam, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu-sancto.* Non ergo te decipiant, ô columba, seductores, * Donatistæ. * qui dicunt, Nos baptizamus. Columba, agnosce quid docuit columba. *Hic est qui baptizat in Spiritu-sancto.* Per columbam discitur, quia hic est: & tu cujus potestate putas te baptizari, cujus ministerio baptizaris? Si hoc putas, nondum es in corpore columbæ: & si non es in corpore columbæ, non mirandum quia simplicitatem non habes. Simplici- Coloss. 3. 10. tas enim maximè per columbam designatur.

12. Quare per simplicitatem columbæ didicit Johannes, quia *hic est qui baptizat in Spiritu-sancto*, Fratres mei, nisi quia columbæ non erant qui Ecclesiam dissipaverunt? Accipitres erant, milvi erant. Non laniat columba. Et vides illos invidiam nobis facere, quasi de persecutionibus quas passi sunt. Corporales quidem passi quasi persecutiones, cùm essent flagella Domini manifestè dantis disciplinam ad tempus, ne damnet in æternum, si eam non cognoverint, seque correxerint. Illi verè persequuntur Ecclesiam, qui dolis persequuntur: illi gravius cor feriunt, qui linguæ gladio feriunt: illi acerbius sanguinem fundunt, qui Christum, quantum in ipsis est, in homine occidunt. Perterriti videntur quasi judicio potestatum. Quid tibi facit potestas si bonus es? Si autem malus es, time potestatem: Rom. 13. 4. Non enim frustra gladium portat, dicit Apostolus. Tuum gladium noli educere, quo percutis Christum. Christiane, quid tu persequeris in Christiano? Non, inquit, sed ille episcopus te baptizavit, & ille episcopus illis communicat. A Christo sum baptizatus, ego novi. Unde nosti? Docuit me columba, quam vidit Johannes. O milve male, non me dilanias à visceribus columbæ: in columbæ membris numeror; quia quod columba docuit, hoc novi: tu mihi dicis, Ille te baptizavit, aut ille te baptizavit: per columbam mihi & tibi dicitur, *Hic est qui baptizat*: cui credo, milvo an columbæ?

14. Certè tu mihi dic, ut per illam lucernam confundaris, qua confusi sunt & priores inimici, [b] pares tui pharisæi, qui cùm interrogarent Dominum, In qua potestate ista faceret: Interrogabo & ego vos, inquit, istum sermonem, Dicite mihi, Baptisma Johannis unde est, de cælo an ex hominibus? Et illi qui præparabant jaculari dolos, irretiti sunt quæstione, cœperunt volvere apud semetipsos, & dicere, Si dixerimus quia de cælo est, dicturus est nobis, Quare non credidistis ei? Johannes enim dixerat de Domino, Ecce Agnus Dei, Joan. 1. 29. ecce qui tollit peccatum mundi. Quid ergo quæritis, in qua potestate facio? O lupi, in potestate Agni facio quod facio. Sed ut nossetis Agnum, quare non credidistis Johanni, qui dixit, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi? Scientes ergo illi quid dixisset Johannes de Domino, dixerunt apud se, Si dixerimus quia de cælo est bapb Matth. 21. 23. Marci 11. 28. Luc. 20. 2. &c.

mam: & alteri tollunt, & ipsi duas animas non habent.

13. Quid ergo vis auferre? Unde tibi displicet quem vis rebaptizare? Dare non potes quod jam habet, sed facis negare quod habet. Quid acerbius faciebat paganus, persecutor Ecclesiæ? exferebantur gladij adversùs martyres, emittebantur bestiæ, ignes admovebantur: ut quid ista? ut diceret qui ista patiebatur, Non sum Christianus. Quid doces tu eum quem vis rebaptizare, nisi ut primò dicat, Non sum Christianus? Ad quod aliquando persecutor proferebat flammam, ad hoc tu producis linguam: seducendo facis, quod ille occidendo non fecit. Et quid est quod daturus es, & cui daturus es? Si tibi verum dicat, & non seductus à te mentiatur, dicturus est, Habeo. Interrogas, Habes baptisma? Habeo, dicit. Quamdiu habeo dicit, inquis, non sum daturus. Et noli dare: quod enim vis dare, hærere in me non potest; quia quod accepi, auferri à me non potest. Sed tamen exspecta, videam quid me vis docere. Dic, inquit, primò, Non habeo. Sed hoc habeo: si dixero, Non habeo, mentior: quod enim habeo, habeo. Non habes, inquit. Doce quia non habeo. Malus tibi dedit. Si malus Christus, malus mihi dedit. Non inquit, malus Christus: sed non tibi Christus dedit. Quis ergo mihi dedit? responde: ego me à Christo scio accepisse. Dedit tibi, inquit, sed traditor nescio quis; non Christus. Videro quis fuerit minister, videro quis fuerit præco; de officiali non disputo, judicem adtendo: & fortè quod objicis officiali, mentiris: sed nolo discutere, causam officialis sui cognoscat Dominus amborum: fortè si exigam ut probes, non probas; immo mentiris: [a] probatum est te probare non potuisse: sed non ibi pono causam meam, ne cùm studiosè cœpero defendere homines innocentes, putes me spem meam vel in hominibus innocentibus posuisse: fuerint homines quales libet, ego à Christo accepi, ego à Christo baptizatus sum. a

[a] Tangit causam Cæciliani. Confer epistolas 43. 88. 185. &c.

[b] Unus Parcensis MS. *patres.*

tiſmus Johannis, dicet nobis, Quare ergo non credidiſtis ei? Si dixerimus quia ex hominibus eſt, lapidamur à populo: quia prophetam habent Johannem. Hinc timebant homines, hinc veritatem fateri confundebantur. Tenebræ tenebras reſponderunt, ſed à luce ſuperatæ ſunt. Quid enim reſponderunt? Neſcimus: quod ſciebant, dixerunt, neſcimus. Et Dominus, Nec ego vobis dico, inquit, in qua poteſtate iſta facio. Et confuſi ſunt primi inimici. Unde? de lucerna. Quis erat lucerna? Johannes. Probamus, quia lucerna erat? probamus. *Johan. 5. 35.* Dominus enim dicit, Ille erat lucerna ardens & lucens. Probamus, quia & de ipſo confuſi ſunt inimici? *Pſal. 131. 17.* Pſalmum audi: Paravi, inquit, lucernam Chriſto meo, inimicos ejus induam confuſione.

15. Adhuc in hujus vitæ tenebris ad lucernam fidei ambulamus: teneamus & nos lucernam Johannem, confundamus & inde inimicos Chriſti: immo ipſe confundat inimicos ſuos per lucernam ſuam. Interrogemus & nos quod Dominus Judæos, interrogemus & dicamus, Baptiſma Johannis unde eſt? de cælo an ex hominibus? Quid dicturi ſunt? videte, ſi non & ipſi tamquam inimici de lucerna confunduntur. Quid dicturi ſunt? Si dixerint ex hominibus; & ipſi ſui eos lapidabunt: ſi autem dixerint, de cælo; dicamus eis, Quare ergo non credidiſtis ei? Dicunt fortaſſe, Credimus ei. Quomodo ergo dicitis quia vos baptizatis, & Johannes dicit, *Hic eſt qui baptizat?* Sed miniſtros, inquiunt, tanti judicis juſtos oportet eſſe, per quos baptizatur. *De conſecr. diſt. 4. cap. Baptiſmus. 4. Sent. diſt. 5. cap. 1.* Et ego dico, & omnes dicimus, quia juſtos oportet eſſe tanti judicis miniſtros: ſint miniſtri juſti, ſi volunt; ſi autem noluerint eſſe juſti qui cathedram Moyſi ſedent, ſecurum me fecit magiſter meus, de quo Spiritus ejus dixit, *Hic eſt qui baptizat.* Quomodo ſecurum me fecit? *Matth. 23. 2.* Scribæ, inquit, & Pharisæi cathedram Moyſi ſedent; quæ » dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: » dicunt enim, & non faciunt. Si fuerit miniſter juſtus, computo illum cum Paulo, computo illum cum Petro; cum iſtis computo juſtos miniſtros: quia verè juſti miniſtri gloriam ſuam non quærunt; miniſtri enim ſunt, pro judicibus haberi nolunt, ſpem in ſe poni exhorreſcunt: ergo computo cum Paulo juſtum miniſtrum. Quid enim dicit Paulus? *1. Cor. 3. 6.* Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incremen» tum dedit: neque qui plantat eſt aliquid, neque » qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Qui verò fuerit ſuperbus miniſter, cum [a] Zabulo computatur: ſed non contaminatur donum Chriſti, quod per illum fluit purum, quod per illum tranſit liquidum venit ad fertilem terram: puta quia ipſe lapideus eſt, quia ex aqua fructum ferre non poteſt: & per lapideum canalem tranſit aqua, tranſit aqua ad areolas; in canali lapideo nihil generat, ſed tamen [b] hortis plurimum fructum affert. Spiritalis enim virtus ſacramenti ita eſt ut lux: & ab illuminandis pura excipitur, & ſi per immundos tranſeat, non inquinatur. Sint planè miniſtri juſti, & gloriam ſuam non quærant, ſed illius cujus miniſtri ſunt: non dicant, Baptiſma meum eſt; quia non eſt ipſorum. Adtendant ipſum Johannem. Ecce Johannes plenus erat Spiritu-ſancto; & baptiſmum de cælo habebat, non ex hominibus: ſed quatenus habebat? ipſe dixit, Parate viam Domino. *Iſaiæ 40. 3.* Ubi autem cognitus eſt Dominus, ipſe factus eſt via; non jam opus erat baptiſmate Johannis, quo pararetur via Domino.

16. Tamen quid nobis ſolent dicere? *Donatiſtarum objectio pro repetendo baptiſmate.* Ecce poſt Johannem baptizatum eſt. Antequam enim bene iſta quæſtio tractaretur in Eccleſia catholica, multi in ea erraverunt, & [c] magni & boni: ſed quia de membris columbæ erant, non ſe præciderunt, & factum eſt in eis quod dixit Apoſtolus, *Philip. 3. 15.* Si quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Unde iſti qui ſe ſeparaverunt, indociles facti ſunt. Quid ergo ſolent dicere? Ecce poſt Johannem baptizatum eſt, poſt hæreticos non baptizatur? Quia quidam qui habebant baptiſma Johannis, juſſi ſunt *Act. 19. 4.* à Paulo baptizari: non enim habebant baptiſma Chriſti. Quid ergo exaggeras meritum Johannis, & quaſi abjicis infelicitatem hæreticorum? Et ego tibi concedo ſceleratos eſſe hæreticos: ſed hæretici baptiſma Chriſti dederunt, quod baptiſma non dedit Johannes.

17. Recurro ad Johannem, & dico: *Hic eſt qui baptizat.* Sic enim melior Johannes quàm hæreticus, quomodo melior Johannes quàm ebrioſus, quomodo melior Johannes quàm homicida. Si poſt deteriorem baptizare debemus, quia poſt meliorem baptizarunt Apoſtoli; quicumque apud ipſos baptizati fuerint ab ebrioſo, non dico ab [d] homicida, non dico à ſatellite alicujus ſcelerati, non dico à raptore rerum alienarum, non dico ab oppreſſore pupillorum, non à ſeparatore conjugum; nihil horum dico, quod ſollemne eſt dico, quod quotidianum eſt dico, quò vocantur omnes dico, & in iſta civitate, quando eis dicitur, [e] Alogiemus, bene ſit nobis, & tali die feſto Januariarum non debes jejunare, ea dico levia, quotidiana: ab ebrioſo homine cùm baptizatur, quis eſt melior, Johannes an ebrioſus? Reſponde ſi potes, quòd ebrioſus tuus melior ſit quàm Johannes: numquam hoc audebis. Ergo tu quia ſobrius es, baptiza poſt ebrioſum tuum. Si enim poſt Joannem baptizaverunt Apoſtoli, quantò magis debet poſt ebrioſum ſobrius baptizare? An dicis, in unitate mecum eſt ebrioſus? Ergo Johannes amicus ſponſi, non erat in unitate cum ſponſo?

18. Sed tibi ipſi dico, quiſquis es, Tu es melior, an Johannes? Non audebis dicere, Ego ſum melior quàm Johannes. Ergo poſt te baptizent tui, ſi te fuerint meliores. Si enim poſt Johannem baptizatum eſt, erubeſce quia poſt te non baptizatur. Dicturus es, Sed ego baptiſmum Chriſti habeo, & doceo. Aliquando ergo agnoſce judicem, & noli præco ſuperbus eſſe. Baptiſmum Chriſti das, ideo non poſt te baptizatur: poſt Johannem ideo baptizatum eſt; quia non Chriſti baptiſmum dabat, ſed ſuum: quia ſic acceperat ut ipſius eſſet. Non ergo tu melior quàm Johannes: ſed baptiſmus qui per te datur, melior quàm Johannis. Ipſe enim Chriſti eſt, iſte autem Johannis. Et quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro, Chriſti eſt: & ſi datum eſt à Juda, Chriſti erat. Dedit Judas, & non baptizatum eſt poſt Judam; *1. quæſt. cap. Dedit.* dedit Johannes, & baptizatum eſt poſt Johannem: quia ſi datus eſt à Juda baptiſmus, Chriſti erat: qui autem à Johanne datus eſt, Johannis erat. Non Judam Johanni, ſed baptiſmum Chriſti etiam per Judæ manus datum, baptiſmo Johannis etiam per manus Johannis dato rectè præponimus. Etenim dictum eſt de Domino antequam pateretur, *Johan. 4. 1.* quia baptizabat plures quàm Johannes: dein» de adjunctum eſt, Quamvis ipſe non baptizaret, ſed diſcipuli ejus. Ipſe, & non ipſe: ipſe poteſtate, illi miniſterio: ſervitutem ad baptizandum illi admovebant, poteſtas baptizandi in Chriſto permanebat. *De conſecr. diſt. 4. cap. Aliud.* Ergo baptizabant diſcipuli ejus, & ibi adhuc erat Judas inter diſcipulos ejus: quos ergo baptizavit Judas, non ſunt iterum baptizati: & quos baptizavit Johannes, iterum baptizati ſunt? Planè iterum, ſed non iterato baptiſmo. Quos enim baptizavit Johannes, Johannes baptizavit: quos autem *1. quæſt. 1. c. Dedit.* baptizavit Judas, Chriſtus baptizavit. Sic ergo quos baptizavit ebrioſus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, ſi baptiſmus Chriſti erat, Chriſtus baptizavit. *De conſecr. diſt. 4. cap. Baptiſmus.* Non timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam: quia columbam adtendo, per quam mihi dicitur, *Hic eſt qui baptizat.*

19. Ceterùm, Fratres mei, delirum eſt dicere, quia melioris meriti fuit, non dico Judas, ſed quilibet hominum, quàm ille de quo dictum eſt, *Matth. 11. 11.* In natis mulierum nemo exſurrexit major Johanne Baptiſta. Non ergo huic quiſquam ſervus, ſed baptiſma Domini etiam per ſervum malum datum, baptiſmati etiam amici ſervi præponitur. Audi quales commemorat Apoſtolus Paulus falſos fratres, invidiâ prædicantes verbum Dei, & quid de illis *Philip. 1. 18.* dicit? Et in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Chriſtum enim annuntiabant, per invidiam quidem, ſed tamen Chriſtum. Non per quid, ſed quem vide: per invidiam tibi prædicatur Chriſtus? vide Chriſtum, vita invidiam. Noli imitari malum prædicatorem, ſed imitare bonum [a] qui tibi prædicatur. Chriſtus ergo à quibuſdam per invidiam prædicabatur. Et quid eſt invidere? horrendum malum. Ipſo malo Zabulus dejectus eſt, [b] ipſum dejecit multùm maligna peſtis: & habebant illam quidam Chriſti prædicatores quos tamen prædicare permittit Apoſtolus. Quare? quia Chriſtum prædicabant. Qui autem invidet, odit; & qui odit, quid de illo dicitur? Audi Apoſtolum Johannem: *1. Johan. 3. 15.* Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Ecce poſt Johannem baptizatum eſt, poſt homicidam non baptizatum eſt: quia Johannes dedit baptiſmum ſuum, homicida dedit baptiſmum Chriſti. Quod ſacramentum tam ſanctum eſt, ut nec homicida miniſtrante polluatur.

20. Non reſpuo Johannem, ſed potiùs credo Johanni. Quid credo Johanni? quod didicit per columbam. Quid didicit per columbam? *Hic eſt qui baptizat in Spiritu-ſancto.* Jam ergo Fratres, tenete hoc, & cordibus veſtris infigite. Si enim hodie voluero pleniùs dicere, quare per columbam, tempus non ſufficit. Quia enim res diſcenda inſinuata eſt Johanni per columbam, quam non noverat in Chriſto Johannes, quamvis jam noſſet Chriſtum, expoſui quantum arbitror Sanctitati Veſtræ: ſed quare hanc ipſam rem per columbam oportuit demonſtrari, ſi breviter dici poſſet, dicerem: ſed quia diu dicendum eſt, & onerare vos nolo, quomodo adjutus ſum orationibus veſtris, ut illud quod promiſi, implerem; adjuvante etiam atque etiam pia intentione & votis bonis, & illud apparebit vobis, quare Johannes quod didicit in Domino, quia *ipſe eſt qui baptizat in Spiritu-ſancto*, & nulli ſervo ſuo tranſlegavit poteſtatem baptizandi, non debuit diſcere niſi per columbam.

TRACTATUS VI.

In eumdem Evangelij locum. Quare Deus per columbæ ſpeciem oſtendere voluerit Spiritum-ſanctum.

1. FATEOR Sanctitati Veſtræ, timueram ne frigus hoc frigidos vos ad conveniendum faceret: ſed quia iſta celebritate & frequentiâ veſtrâ, ſpiritu vos fervere demonſtratis, non dubito quia etiam oraſtis pro me, ut debitum vobis exſolvam. Promiſeram enim in nomine Chriſti diſſerere hodie, cùm anguſtia temporis tunc impediret, ne id poſſemus explicare tractando, Quare Deus per columbæ ſpeciem oſtendere voluerit Spiritum-ſanctum. Hoc ut explicetur, illuxit nobis dies hodiernus; & ſentio audiendi cupiditate & pia devotione vos celebriùs congregatos. Exſpectationem veſtram Deus impleat ex ore noſtro. Amaſtis enim ut veniretis: ſed amaſtis, quid? Si nos, & hoc bene; nam volumus amari à vobis, ſed nolumus in nobis. Quia ergo in Chriſto vos amamus, in Chriſto nos redamate, & amor noſter pro invicem gemat ad Deum: ipſe enim gemitus columbæ eſt.

2. Si ergo gemitus columbæ eſt, quod omnes novimus, gemunt autem columbæ in amore; audite quid dicat Apoſtolus, & nolite mirari, quia in columbæ ſpecie voluit demonſtrari Spiritus-ſanctus: *Rom. 8. 26.* Quid enim oremus ſicut oportet, inquit, neſ« cimus: ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid ergo, Fratres mei, hoc dicturi ſumus, quia Spiritus gemit, ubi perfecta & æterna beatitudo eſt ei cum Patre & Filio? Spiritus enim ſanctus Deus, ſicut Dei Filius Deus, & Pater Deus. Ter dixi Deus, ſed non dixi tres deos: magis enim Deus ter, quàm dij tres; quia Pater & Filius & Spiritus-ſanctus unus Deus. hoc optimè noſtis. Non ergo Spiritus-ſanctus in ſemetipſo apud ſemetipſum in illa Trinitate, in illa beatitudine, in illa æternitate ſubſtantiæ gemit: ſed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Nec parva res eſt, quòd nos docet Spiritus-ſanctus gemere: inſinuat enim nobis quia peregrinamur, & docet nos in patriam ſuſpirare, & ipſo deſiderio gemimus. Cui bene eſt in hoc ſæculo, immo qui putat quòd ei bene ſit, qui lætitiâ rerum carnalium, & abundantiâ temporalium, & vana felicitate exſultat, habet vocem corvi: vox enim corvi clamoſa eſt, non gemebunda. Qui autem novit in preſſura ſe eſſe mortalitatis hujus, & peregrinari ſe à Do- *2. Cor. 5. 6.* mino, nondum tenere illam perpetuam quæ nobis promiſſa eſt beatitudinem, ſed habere illam in ſpe, habiturus in re, cùm Dominus venerit in manifeſtatione præclarus, qui priùs in humilitate venit occultus: qui hoc novit, gemit. Et quamdiu propter hoc gemit, bene gemit: Spiritus illum docuit gemere, à columba didicit gemere. Multi enim gemunt in infelicitate terrena, vel quaſſati damnis, vel ægritudine corporis prægravati, vel carceribus incluſi, vel catenis colligati, vel fluctibus maris jactati, vel aliquibus inimicorum inſidiis circumſepti gemunt: ſed non columbæ gemitu ge-

[a] In pluribus MSS. loco *Zabuli*, eſt ubique nomen *diaboli*.
[b] In omnibus MSS. *hortus*.
[c] Cyprianum in primis ſubintelligit, cumque ipſo Carthaginenſem ſynodum, de qua in lib. de baptiſmo contra Donatiſtas 6. & 7.
[d] Reſpicit ad Thamugadenſem epiſcop. Optatum, qui Gildonis ſatelles dictus eſt. Confer epiſt. 87. ad Emeritum.
[e] Bad. & Am. *alongemur.* Lov. *alogiemur.* MSS. aliquot probæ notæ, *alogiemus.* Verbum ductum eſt ab alogia, quæ dicitur, Auguſtino in epiſt. 36. ad Caſulanum n. 11. interpretante, *cùm epulis indulgetur, ut à rationis tramite devietur.*

[a] Editi, *quod.* At MSS. *qui*: rectè, nam refertur ad Chriſtum.
[b] In aliquot MSS. *ipſo dejecit multos, maligna peſtis eſt.*

munt, non amore Dei gemunt, non spiritu gemunt. Ideo tales cùm ab ipsis pressuris fuerint liberati, exsultant in grandibus vocibus : ubi apparet quia corvi sunt, non columbæ. Meritò de arca
Gen. 8. 6. missus est corvus, & non est reversus : missa est columba, & reversa est : illas duas aves misit Noë. Habebat ibi corvum, habebat & columbam, utrumque hoc genus arca illa continebat : & si arca figurabat Ecclesiam, videtis utique quia necesse est ut in isto diluvio sæculi utrumque genus contineat Ecclesia, & corvum & columbam. Qui sunt
Phil. p. 2. 21. corvi ? qui sua quærunt. Qui, columbæ ? qui ea quæ Christi sunt quærunt.

3. Propterea ergo cùm mitteret Spiritum-sanctum, duobus modis eum ostendit visibiliter ; per columbam, & per ignem : per columbam super Dominum baptizatum, per ignem super discipulos congregatos. Cùm enim adscendisset Dominus in cælum post resurrectionem, peractis cum discipulis suis quadraginta diebus, impleto die Pentecostes, misit eis Spiritum-sanctum, sicut promiserat. Spiritus ergo tunc veniens implevit locum illum, factoque primò sonitu de cælo tamquam ferretur flatus vehemens, sicut in Actibus Apostolorum legimus, Visæ, inquit, illis sunt linguæ di-
Act. 2. 3. & 4. » visæ velut ignis, qui & insedit super unumquemque » eorum, & cœperunt linguis loqui, sicut Spiritus » dabat eis pronuntiare. Hâc vidimus columbam super Dominum, hâc linguas divisas super discipulos congregatos : ibi simplicitas, hîc fervor ostenditur. Sunt enim qui dicuntur simplices, & pigri sunt : vocantur simplices, sunt autem segnes. Non talis erat Stephanus plenus Spiritu-sancto : simplex erat, quia nemini nocebat ; fervens erat, quia impios arguebat. Non enim tacuit Judæis, cujus sunt verba
Act. 7. 51. illa flammantia : Dura cervice, & non circumcisi corde & auribus, vos semper restitistis Spiritui-sancto. Magnus impetus : sed columba sine felle sævit. Nam ut noveritis quia sine felle sæviebat, illi auditis his verbis qui corvi erant, ad lapides statim adversùs columbam cucurrerunt, cœpit Stephanus lapidari : & qui paulò antè fremens & fervens spiritu, tamquam in inimicos impetum fecerat, & tamquam violentus invectus erat in verbis igneis atque ita flammantibus, ut audistis, Dura cervice, & non circumcisi corde & auribus : ut qui ea verba audiret, putaret Stephanum, si ei liceret, statim illos velle consumi : venientibus in se
v. 59. lapidibus ex manibus eorum, genu fixo ait, Domine ne statuas illis hoc delictum. Inhæserat unitati columbæ. Prior enim illud fecerat magister, super quem descendit columba : qui pendens in cruce
Luca 23. 34. ait, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Ergo ne Spiritu sanctificati dolum habeant, in columba demonstratum est : ne simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratum est. Nec moveat, quia linguæ divisæ sunt. Distant enim linguæ, ideo » divisis linguis apparuit. Linguæ, inquit, divisæ ve» lut ignis, qui & insedit super unumquemque eorum. Distant inter se linguæ, sed linguarum distantia non sunt schismata. In linguis divisis noli dissipationem timere, unitatem cognosce in columba.

4. Sic ergo, sic oportebat demonstrari Spiritum-sanctum venientem super Dominum, ut intelligat unusquisque si habet Spiritum-sanctum, simplicem se esse debere sicut columbam : habere cum fratribus veram pacem, quam significant oscula columbarum. Habent enim oscula & corvi, sed in corvis falsa pax, in columba vera pax. Non omnis ergo qui dicit, Pax vobiscum, quasi columba audiendus est. Unde ergo discernuntur oscula corvorum ab osculis columbarum ? Osculantur corvi, sed laniant : à laniatu innocens est natura columbarum : ubi ergo laniatus, non est vera in osculis pax : illi habent veram pacem, qui Ecclesiam non laniaverunt. Nam corvi de morte pascuntur, hoc columba non habet : de frugibus terræ vivit, innocens ejus victus est : quod verè, Fratres, mirandum est in columba. Sunt passeres brevissimi, vel muscas occidunt : nihil horum columba ; non enim de morte pascitur. Qui laniaverunt Ecclesiam, de mortibus pascuntur. Potens est Deus, rogemus ut reviviscant qui devorantur ab eis & non sentiunt. Multi agnoscunt, quia reviviscunt ; nam ad eorum adventum quotidie gratulamur in nomine Christi. Vos tantùm sic estote simplices, ut sitis ferventes : & fervor vester in linguis sit. Nolite tacere : ardentibus linguis loquentes, accendite frigidos.

Donatistæ corvi. 2. quæst. 7. cap. Non omnis qui.

5. Quid enim, Fratres mei ? Quis non videat quod illi non vident ? Nec mirum : quia qui inde reverti nolunt, sicut corvus qui de arca emissus est. Quis enim non videat quod illi non vident ? Et ipsi Spiritui-sancto ingrati sunt. Ecce columba descendit super Dominum, & super Dominum baptizatum ; & apparuit ibi sancta illa & vera Trinitas, quæ nobis unus Deus est. Adscendit enim Dominus ab aqua, sicut in Evangelio legimus, Et ecce *Matth. 3. v.* » aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum descendentem *16. & 17.* » velut columbam, & mansit super eum : & statim » vox consecuta est, Tu es Filius meus dilectus, in » quo mihi complacui. Apparet manifestissima Trinitas, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba. In ista Trinitate quò missi sunt Apostoli, videamus quod videmus, & quod mirum est quia illi non vident : non enim verè non vident, sed ad id quod facies eorum ferit, oculos claudunt. Quò missi sunt discipuli, in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti, ab illo de quo dictum est, *Hic est qui baptizat.* Dictum est enim ministris ab eo qui sibi tenuit hanc potestatem.

6. Hoc enim in illo vidit Johannes, & cognovit quod non noverat : non quia eum non noverat Filium Dei, aut eum non noverat Dominum, aut non noverat Christum, aut verò & hoc non noverat quia ipse baptizaturus esset in aqua & Spiritu-sancto ; nam & hoc noverat : sed quia ita ut sibi teneret ipsam potestatem, & in nullum ministrorum eam transferret, hoc est quod didicit in columba. Per hanc enim potestatem, quam Christus solus sibi tenuit, & in neminem ministrorum transfudit, quamvis per ministros suos baptizare dignatus sit, per hanc stat unitas Ecclesiæ, quæ significatur in columba, de qua dictum est, Una est columba mea, una est matri suæ. Si enim, ut jam dixi, Fratres mei, transferretur potestas à Domino ad ministrum, tot baptismata essent, quot ministri essent, & jam non staret unitas baptismi.

De consecr. dist. 4. cap. Aliud. *Cant. 6. 8.*

7. Intendite Fratres : Antequam veniret Dominus noster Jesus Christus ad baptismum, (nam post baptismum descendit columba in qua cognovit Johannes quiddam proprium, cùm ei dictum esset, *Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto* ;) noverat quia ipse baptizat

in Spiritu-sancto : sed quia tali proprietate, ut potestas ab eo non transiret in alterum, quamvis eo donante, hoc ibi didicit. Et unde probamus quia jam & hoc noverat Johannes, quia baptizaturus erat Dominus in Spiritu-sancto : ut hoc intelligatur didicisse in columba, quòd ita erat baptizaturus Dominus in Spiritu-sancto, ut in neminem alium hominem potestas illa transiret ? unde probamus ? Columba jam baptizato Domino descendit : antè autem quàm veniret Dominus ut baptizaretur à Johanne in Jordane, diximus quia noverat
Matth. 3. 14. eum, illis vocibus ubi ait, Tu ad me venis baptizari ? ego à te debeo baptizari. Sed ecce Dominum noverat, noverat Filium Dei : unde probamus quòd jam noverat quia ipse baptizaret in Spiritu-sancto ? Antequam veniret ad fluvium, cùm multi
Ibidem 11. ad Johannem concurrerent baptizari, ait illis, Ego quidem baptizo vos in aqua, qui autem post me » venit, major me est, cujus non sum dignus corri» giam calceamenti solvere : ipse vos baptizabit in » Spiritu-sancto & igni. jam & hoc noverat. Quid ergo per columbam didicit, ne mendax postea inveniatur, (quod avertat à nobis Deus opinari,) nisi quamdam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive justi, sive injusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi super quem descendit columba,
Johan. 1. 33. de quo dictum est, *Hic est qui baptizat in Spiritu-sancto ?* Petrus baptizet, hic est qui baptizat ; Paulus baptizet, hic est qui baptizat ; Judas baptizet, hic est qui baptizat.

Baptismi sanctitas non impar propter impares ministros.

8. Nam si pro diversitate meritorum baptisma sanctum est, quia diversa sunt merita, diversa erunt baptismata ; & tantò quisque aliquid melius putatur accipere, quantò à meliore videtur accepisse. Ipsi sancti, intelligite Fratres, boni pertinentes ad columbam, pertinentes ad sortem civitatis illius Jerusalem, ipsi boni in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus, Novit Dominus qui sunt ejus : diversa-
2. Tim. 2. 19. rum gratiarum sunt, non omnes paria merita habent : sunt alij aliis sanctiores, sunt alij aliis meliores. Quare ergo si unus ab illo, verbi gratiâ, justo sancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ, unum tamen & par & æquale est quod acceperunt, nisi quia *Hic est qui baptizat?* Quomodo ergo cùm baptizat bonus & melior, non ideo iste bonum accepit, & ille melius ; sed quamvis bonus & melior fuerint ministri, unum & æquale est quod acceperunt, non est melius in illo, &
De consecr. dist. 4. cap. Cùm baptizat. 4. Sent. dist. 5. cap. 1. inferius in isto : sic & cùm baptizat malus ex aliqua vel ignorantia Ecclesiæ, vel tolerantia, (aut enim ignorantur mali, aut tolerantur, toleratur palea, quò usque in ultimo ventiletur area :) illud quod datum est, unum est, nec impar propter impares ministros ; sed par & æquale, propter, *Hic est qui baptizat.*

Ecclesiam per omnes gentes videre nolunt Donatistæ.

9. Ergo, Dilectissimi, videamus quod videre illi nolunt ; non quòd non videant, sed quòd se videre doleant : quasi clausum sit contra illos. Quò missi sunt discipuli, in nomine Patris & Filij & Spiri-
Matth. 28. 19. Psal. 2. 8. tus-sancti, ut baptizarent tamquam ministri ? quò missi sunt ? Ite, dixit, baptizate gentes. Audistis Fratres, quomodo venit illa hereditas, Postula à » me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Audistis quomo-
Isa. 2. 3. do à Sion prodiit lex, & verbum Domini ab Jerusalem : ibi enim audierunt discipuli, Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Intenti facti sumus, cùm audiremus, Ite, baptizate gentes. In cujus nomine ? In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Iste unus Deus, quia non in nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti : sed, in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Ubi unum nomen audis, unus est Deus : sicut de semi-
Gen. 22. 18. ne Abrahæ dictum est, & exponit Paulus Apos-
Gal. 3. 16. tolus, In semine tuo benedicentur omnes gentes, non dixit, in seminibus, tamquam in multis, sed « tamquam in uno, & semine tuo quod est Christus. « Sicut ergo quia ibi non dicit in seminibus, docere te voluit Apostolus, quia unus est Christus : sic & hîc cùm dictum est in nomine, non in nominibus, quomodo ibi in semine, non in seminibus, probatur unus Deus Pater & Filius & Spiritus-sanctus.

10. Sed, Ecce, inquiunt discipuli ad Dominum, audivimus in quo nomine baptizemus, ministros nos fecisti, & dixisti nobis, Ite, baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti : quò ibimus ? Quò, non audistis ? ad hereditatem meam. Interrogatis, Quò ibimus ? ad id quod emi sanguine meo. Quò ergo ? Ad gentes, inquit. Putavi quia dixit, Ite, baptizate Afros in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Deo gratias. Solvit Dominus quæstionem, docuit columba. Deo gratias. Ad gentes Apostoli missi sunt : si ad gentes, ad omnes linguas. Hoc significavit Spiritus-sanctus divisus
[a] in linguis, unitus in columba. Hâc linguæ [a] divi-
[a] duntur, hâc columba copulat. Linguæ gentium concordarunt, & una lingua Africæ discordavit ? Quid evidentius, Fratres mei ? In columba unitas, in linguis gentium societas. Aliquando enim & linguæ per superbiam discordaverunt, & tunc sunt factæ linguæ ex una multæ. Post diluvium enim *Gen. 11. 4. & 6.* superbi quidam homines, velut adversùs Deum se munire conantes, quasi aliquid esset excelsum Deo, aut aliquid tutum [b] superbiæ, erexerunt tur-
[b] rim ; quasi ne diluvio, si postea fieret, delerentur. Audierant enim & recensuerant, quia omnis iniquitas erat deleta diluvio : ab iniquitate temperare nolebant ; altitudinem turris contra diluvium requirebant ; ædificaverunt turrim excelsam. Vidit Deus superbiam ipsorum, & hunc errorem illis immitti fecit, ut non se cognoscerent loquentes, & factæ sunt [c] diversæ linguæ per superbiam. Si su-
[c] perbia fecit diversitates linguarum, humilitas Christi congregavit diversitates linguarum. Jam quod illa turris dissociaverat, Ecclesia colligit. De una lingua factæ sunt multæ ; noli mirari, superbia hoc fecit : de multis linguis fit una ; noli mirari, caritas hoc fecit. Quia etsi soni diversi linguarum sunt, in corde unus Deus invocatur, una pax custoditur. Unde debuit ergo, Carissimi, demonstrari Spiritus-sanctus, unitatem quamdam designans, nisi per columbam, ut pacatæ Ecclesiæ diceretur, Una *Cant. 6. 8.* est columba mea ? Unde debuit humilitas, nisi per avem simplicem & gementem, non per avem superbam & exaltantem se sicut corvus ?

Objectio Donatistarum.

11. Et fortè dicent, Quia ergo columba, & una columba, præter unam columbam baptismus esse non potest : ergo si apud te est columba, vel tu es columba, quando ad te venio, tu da mihi quod non habeo. Scitis hoc ipsorum esse : modò

[a] In quatuor MSS. *dividuntur.*
[b] Sic MSS. At edici, *aut aliquid tutum, superbiâ erexerunt ut rim.*
[c] MSS. propè omnes, *divisa lingua de superbia.*

vobis apparebit, non esse de voce columbæ, sed de A clamore corvi. Nam paululùm adtendat Caritas Vestra, & timete insidias: immo cavete, & excipite verba contradicentium respuenda, non transglutienda & visceribus danda. Facite inde quod
Matth. 27. 34. fecit Dominus, quando illi obtulerunt amarum potum; gustavit, & respuit: sic & vos, audite, & abjicite. Quid enim dicunt? videamus. Ecce, inquit, tu es columba, ô Catholica, tibi dictum est,
Cant. 6. 8. Una est columba mea, una est matri suæ: tibi certè dictum est. Exspecta, noli me interrogare: si mihi B dictum est, proba primùm; si mihi dictum est, citò volo audire. Inquit, Tibi dictum est. Respondeo
**f.* vice. *voce Catholicæ, Mihi. Hoc autem Fratres, quod ore meo solius sonuit, sonuit, ut arbitror, & de cordibus vestris, & omnes pariter diximus, Ecclesiæ catholicæ dictum est, Una est columba mea, una est matri suæ. Præter ipsam columbam, inquit, baptismus non est; ego præter ipsam columbam sum baptizatus; ergo non habeo baptismum: si baptismum non habeo, quare mihi non das quando C ad te venio?

Responsio Catholicorum. 12. Et ego interrogo: interim sequestremus, cui dictum sit, Una est columba mea, una est matri suæ: adhuc quærimus: aut mihi dictum est, aut tibi dictum est: sequestremus cui dictum sit. Hoc ergo quæro, si columba est simplex, innocens, sine felle, pacata in oculis, non sæva in unguibus; quæro utrùm ad hujus columbæ membra pertineant avari, raptores, subdoli, ebriosi, flagitiosi, membra sunt columbæ hujus? Absit, inquit. Et re D vera, Fratres, quis hoc dixerit? Ut nihil aliud dicam, raptores solos si dicam, membra accipitris possunt esse, non membra columbæ: milvi rapiunt, accipitres rapiunt, corvi rapiunt: columbæ non rapiunt, non dilaniant: ergo raptores non sunt membra columbæ. Non apud vos fuit vel unus raptor? Quare manet baptismus quem dedit accipiter, non columba? Quare non baptizatis apud vosipsos post raptores & adulteros & ebriosos, post avaros apud vos ipsos? An isti omnes membra E columbæ sunt? Sic dehonestatis columbam vestram, ut ei membra vulturina faciatis. Quid ergo, Fratres, quid dicimus? Mali & boni sunt in Ecclesia catholica: ibi autem soli mali sunt. Sed fortè inimico animo hoc dico: & hoc postea requiratur. Et ibi certè dicunt, quia sunt boni & mali: nam si dixerint solos bonos se habere; credant illis sui, & subscribo. Non sunt apud nos, dicant, nisi sancti, justi, casti, sobrij; non adulteri, non fœneratores, non fraudatores, non perjuri, non vinolenti. Di- F cant; non enim adtendo linguas ipsorum, sed tango corda ipsorum. Cùm autem noti sint nobis & vobis & suis, sicut & vos & vobis in Catholica & illis noti estis; nec nos eos reprehendamus, nec illi se palpent. Nos fatemur in Ecclesia & bonos & malos esse, sed tamquam grana & paleam. Aliquando qui baptizatur à grano, palea est; & qui baptizatur à palea, granum est. Alioquin si qui baptizatur à grano, valet; & qui baptizatur à palea, non valet:
Johan. 1. 33. falsum est, *Hic est qui baptizat.* Si autem verum G est, *Hic est qui baptizat*: & quod ab illo datur, valet; & quomodo columba, baptizat. Non enim malus ille columba est, aut ad membra columbæ pertinet: nec hîc potest dici in Catholica, nec apud illos, si illi dicunt, columbam esse Ecclesiam suam. Quid ergo intelligimus, Fratres? Quoniam manifestum est, & omnibus notum, & si nolint convincuntur: quia & ibi quando dant mali, non post illos baptizatur; & hîc quando dant mali, non post illos baptizatur. Columba non baptizat post corvum: corvus quare vult baptizare post columbam?

13. Intendat Caritas Vestra: Et quare designatum est nescio quid per columbam, ut baptizato Domino veniret columba, id est, Spiritus-sanctus in specie columbæ, & maneret super eum, cùm in adventu columbæ hoc cognosceret Johannes, propriam quamdam potestatem in Domino ad baptizandum? quia per hanc propriam potestatem, sicut dixi, pax Ecclesiæ firmata est. Et potest fieri ut habeat aliquis baptismum præter columbam: ut prosit ei baptismus præter columbam, non potest. Intendat Caritas Vestra, & intelligat quod dico: nam & ista circumventione sæpe seducunt fratres nostros, qui pigri & frigidi sunt. Simus simpliciores & ferventiores. Ecce, inquiunt, ego accepi, an non *Objectio Donatistarum.* accepi? Respondeo, Accepisti. Si ergo accepi, non est quod mihi des; securus sum, etiam testimonio tuo: & ego enim me dico accepisse, & tu me fateris accepisse: utriusque lingua securum me facit: quid ergo mihi promittis? quare me vis catholicum facere, quando non mihi aliquid daturus es amplius, & me jam accepisse fateris quod te habere dicis? ego autem quando dico, Veni ad me, dico quia non habes tu, qui fateris quia habeo: quare dicis, Veni ad me?

14. Docet nos columba. Respondet enim de *Responsio Catholicorum.* capite Domini, & dicit, Baptismum habes, caritatem autem qua gemo, non habes. Quid est hoc, inquit, Baptismum habeo, caritatem non habeo? [a] Sacramenta habeo, & caritatem non? a Noli clamare: ostende mihi quomodo habeat caritatem, qui dividit unitatem. Ego, inquit, habeo baptismum. Habes, sed BAPTISMUS ille SINE CARITATE NIHIL tibi PRODEST: quia sine caritate tu nihil es. Nam baptismus ille, etiam in illo qui nihil est, non est nihil: baptisma quippe illud aliquid est, & magnum aliquid est: propter illum de quo dictum est, *Hic est qui baptizat.* Sed ne putares illud quod magnum est, tibi aliquid prodesse posse si non fueris in unitate, super baptizatum columba descendit, tamquam dicens, Si baptismum habes, esto in columba, ne non tibi prosit quod habes. Veni ergo ad columbam, dicimus: non ut incipias habere quod non habebas, sed ut prodesse tibi incipiat quod habebas. Foris enim habebas baptismum ad perniciem: intus si habueris, incipit prodesse ad salutem.

15. Non enim tantùm tibi non proderat baptis- *De consecr. d. 5. 2. cap.* ma, & non etiam oberat. ET SANCTA POSSUNT *Et sancta.* OBESSE: in bonis enim sancta ad salutem insunt; in malis ad judicium. Certè enim fratres novimus quid accipiamus, & utique sanctum est quod accipimus, & nemo dicit, non esse sanctum: & quid ait Apostolus? Qui autem manducat & bibit indignè, *1. Cor.* 11. judicium sibi manducat & bibit. Non ait quia illa 29. res mala est: sed quia ille malus malè accipiendo, ad judicium accipit bonum quod accipit. Num enim mala erat buccella, quæ tradita est Judæ à *Johan.* 13. Domino? absit. Medicus non daret venenum: sa- 26. lutem medicus dedit, sed indignè accipiendo ad perniciem accepit, qui non pacatus accepit. Sic ergo & qui baptizatur. Habeo, inquit, mihi. Fa-

a Editi, *Sacramentum.* MSS *Sacramenta.*

reor,

teor, habes: observa quod habes, eo ipso quod habes damnaberis. Quare? quia rem columbæ præter columbam habes. Si rem columbæ in columba habeas, securus habes. Puta te esse militarem, si characterem imperatoris tui intus habeas, securus militas: si extra habeas, non solùm tibi ad militiam non prodest character ille, sed etiam pro desertore punieris. Veni ergo, veni, & noli dicere, Jam habeo, jam sufficit mihi. Veni, columba te vocat, gemendo te vocat. Fratres mei, vobis dico, gemendo vocate, non rixando: vocate orando, vo- B
a cate invitando, [a] vocate jejunando, de caritate intelligant quia doletis illos. Non dubito, Fratres mei, quia si videant dolorem vestrum, confundentur, & revivisc ent. Veni ergo, veni: noli timere; time si non venis: immo non time, sed plange. Veni, gaudebis si veneris: gemes quidem in tribulationibus peregrinationis; sed gaudebis in spe. Veni
Cant. 6. 8. ubi est columba, cui dictum est, Una est columba mea, una est matri suæ. Columbam unam vides super caput Christi, linguas non vides in toto orbe C terrarum? Idem Spiritus per columbam; idem & per linguas: si per columbam idem Spiritus, & per linguas idem Spiritus, Spiritus-sanctus orbi terrarum datus est, à quo te præcidisti, ut clames cum corvo, non ut gemas cum columba. Veni ergo.

16. Sed sollicitus es fortè, & dicis, Foris baptizatus, timeo ne inde sim reus, quia foris accepi. Jam cœpisti cognoscere quid gemendum sit: verum dicis, quia reus es; non quia accepisti, sed quia D foris accepisti. Tene ergo quod accepisti, emenda quod foris accepisti: accepisti rem columbæ, præter columbam: duo sunt quæ audis, accepisti, & præter columbam accepisti: quod accepisti, approbo; quia foris accepisti, improbo. Tene ergo quod accepisti; non mutatur, sed agnoscitur: character est Regis mei, non ero sacrilegus; corrigo desertorem, non immuto characterem.

17. Noli de baptismate gloriari, quia dico ipsum est: ecce dico ipsum est, tota Catholica dicit E ipsum est: advertit columba, & agnoscit, & gemit, quia ipsum foris habes: videt ibi quod agnoscat, videt & quod corrigat. Ipsum est, veni: gloriaris quia ipsum est, & non vis venire. Quid ergo mali, qui non pertinent ad columbam? Ait tibi columba, Et mali inter quos gemo, qui non pertinent ad membra mea, & necesse est ut inter illos gemam, nonne habent quod te habere gloriaris? nonne multi ebriosi habent baptismum? nonne multi avari? nonne multi idololatræ, & quod est F pejus, furtim? nonne Pagani ad idola eunt, vel ibant publicè? nunc occultè Christiani fortilegos quærunt, mathematicos consulunt. Et isti habent baptismum, sed columba gemit inter corvos. Quid ergo gaudes quia habes? hoc habes quod habet & malus. Habeto humilitatem, caritatem, pacem: habeto bonum quod nondum habes, ut prosit tibi bonum quod habes.

18. Nam quod habes, habuit & Simon Magus: *Act.* 8. 13. *Liber Actuum Apost. omni anno in Ecclesia recitatus.* *Act.* 9. 1. *&c.* *Act.* 2. 3. Actus Apostolorum testes sunt, ille liber canonicus G omni anno in Ecclesia recitandus. Anniversaria solemnitate post passionem Domini nostis illum librum recitari, ubi scriptum est, quomodo conversus sit Apostolus, & ex persecutore prædicator factus: ubi etiam die Pentecostes missus est Spiritus-sanctus, in linguis divisis velut ignis. Ibi legimus multos credidisse in Samaria per prædicationem *Act.* 8. 5. Philippi: intelligitur autem sive unus ex Apostolis, *&c.* sive ex Diaconis; quia septem ibi Diaconos legimus ordinatos, inter quos est etiam nomen Phi- *Act.* 6. 5. lippi. Per Philippi ergo prædicationem crediderunt Samaritæ: Samaria cœpit abundare fidelibus: ibi erat iste Simon Magus; per magicas factiones *Act.* 8. 9. suas dementaverat populum, ut eum virtutem Dei *&c.* putarent: commotus tamen signis quæ à Philippo fiebant; etiam ipse credidit; sed quomodo ipse crediderit, posteriora sequentia demonstraverunt: baptizatus est autem & Simon. Audierunt hoc Apostoli, qui erant Jerusalem: missi sunt ad illos Petrus & Johannes, invenerunt multos baptizatos: & quia nullus ipsorum adhuc acceperat Spiritum-sanctum, sicut tunc descendebat, ad ostendendam significationem gentium crediturarum, ut linguis loquerentur in quos descendebat Spiritus-sanctus; imposuerunt illis manus orantes pro eis, & acceperunt Spiritum-sanctum. Simon ille, qui non erat in Ecclesia columba, sed corvus, quia ea quæ sua sunt quærebat, non quæ Jesu Christi; unde in Chri- *Philip.* 2. 21. stianis potentiam magis amaverat quàm justitiam, vidit per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum-sanctum, (non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est,) & ait Apostolis, Quid *Act.* 8. 18. vultis à me accipere pecuniæ, ut & per impositio- *&c.* nem manuum mearum detur Spiritus-sanctus? Et " ait illi Petrus, Pecunia tua tecum sit in perditio- " nem: quoniam donum Dei putasti pecuniâ com- " parandum. Cui dicit, Pecunia tua tecum sit in perditionem? utique baptizato. Jam baptisma habebat: sed columbæ viscеribus non hærebat. Audi quia non hærebat: verba ipsa Petri apostoli advertе, sequitur enim: Non est tibi pars neque sors in *v.* 21. hac fide; in felle enim amaritudinis video te esse. " Columba fel non habet: Simon habebat; ideo separatus erat à columbæ viscеribus. Baptisma illi quid proderat? Noli ergo de baptismate gloriari, quasi ex ipso salus tibi sufficiat: noli irasci, depone fel, veni ad columbam: hîc tibi proderit, quod foris non solùm non proderat, sed etiam oberat.

19. Neque dicas, Non venio, quia foris sum baptizatus. Ecce incipe habere caritatem, incipe habere fructum, inveniatur in te fructus, [b] mittet b te columba intrò. Invenimus hoc in Scriptura. Im- *Gen.* 6. 14. putribilibus lignis arca fuerat fabricata: imputribilia ligna sancti sunt, fideles pertinentes ad Christum. Quomodo enim in templo lapides vivi de quibus ædificatur templum, homines fideles dicti sunt: sic ligna imputribilia homines perseverantes in fide. In ipsa ergo arca ligna imputribilia erant; arca enim Ecclesia est: ibi baptizat columba; arca enim illa in aqua ferebatur: ligna imputribilia intus baptizata sunt. Invenimus quædam ligna foris baptizata, omnes arbores quæ erant in mundo. Ipsa tamen aqua erat, non erat altera: omnis de cælo venerat, & de abyssis fontium: ipsa erat aqua, in qua baptizata sunt ligna imputribilia, quæ erant in arca; in qua baptizata sunt ligna foris. Missa est columba, & primò non invenit requiem pedibus suis: rediit ad arcam; plena enim erant aquis omnia, & maluit redire quàm rebaptizari. Corvus autem ille emissus est antequam [c] siccaret aqua: re- c baptizatus redire noluit; mortuus est in his aquis.

a Editi, *vocate jejunando in caritate.* At MSS. habent, *de caritate:* & omittunt, *vocate jejunando*, exceptis paucis.

b Editi, *mittat.* MSS. *mittet.*

c Sic in MSS. At in editis, *siccaverat.*

Avertat Deus corvi illius mortem. Nam quare non A est reversus, nisi quia aquis interceptus est? At verò columba non inveniens requiem pedibus suis, cùm ei undique clamaret aqua, Veni, veni, hîc tinguere: quomodo clamant isti hæretici, Veni, veni, hîc habes: non inveniens illa requiem pedibus suis, reversa est ad arcam. Et misit illam Noë iterum, sicut vos mittit arca, ut loquamini illis: & quid fecit postea columba? quia erant ligna foris baptizata, reportavit ad arcam ramum de oliva. Ramus ille & folia & fructum habebat: non sint in te sola verba, non sint in te sola folia; sit fructus, & B redis ad arcam, non per teipsum, columba te revocat. Gemite foris, ut illos intro revocetis.

20. Etenim fructus iste olivæ, si discutiatur, inveniesquid erat. Olivæ fructus, caritatem significat. Unde hoc probamus? Quomodo enim oleum à nullo humore premitur, sed disruptis omnibus exsilit & supereminet: sic & caritas non potest premi in ima; necesse est, ut ad superna [a] emineat.

1. Cor. 12. 31. Propterea de illa dicit Apostolus, Adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro. Quia diximus de C oleo, quia supereminet, ne fortè non de caritate dixerit Apostolus, Supereminentiorem viam vobis

1. Cor. 13. 1. demonstro, audiamus quid sequitur: Si linguis ho-
» minum loquar & Angelorum, caritatem autem
» non habeam, factus sum tamquam æramentum so-
» nans, aut cymbalum tinniens. I nunc Donate, &
clama, Disertus sum. I nunc, & clama, Doctus sum. Quantum disertus? quantum doctus? numquid linguis Angelorum locutus es? Et tamen si linguis Angelorum loquereris, caritatem non ha- D bens, audirem æra sonantia & cymbala tinnientia. Soliditatem aliquam quæro, fructum in foliis inveniam: non sint sola verba, habeant olivam, redeant ad arcam.

21. Sed, inquies, habeo sacramentum. Verum dicis: sacramentum divinum est: habes baptisma, & ego confiteor. Sed quid dicit idem Apo-

v. 2. » stolus? Si sciero omnia sacramenta, & habuero
» prophetiam & omnem fidem, ita ut montes transferam: ne fortè & hoc diceres, Credidi, sufficit E

Jacob. 2. 19. mihi. Sed quid dicit Jacobus? Et dæmones credunt, & contremiscunt. Magna est fides, sed nihil prodest si non habeat caritatem. Confitebantur & dæmones Christum. Ergo credendo, sed

Marc. 1. 24. non diligendo dicebant, Quid nobis & tibi? Fidem habebant, caritatem non habebant: ideo dæmones erant. Noli de fide gloriari, adhuc dæmonibus comparandus es. Noli dicere [b] Christo, Mihi & tibi quid est? Unitas enim Christi tibi loquitur. Veni, cognosce pacem, redi ad viscera columbæ. Fo- F ris baptizatus es: habeto fructum, & redis ad arcam.

22. Et tu: Quid nos quæritis si mali sumus? Ut boni sitis. Ideo vos quærimus, quia mali estis: nam si mali non essetis, invenissemus vos, non vos quæreremus. Qui bonus est, jam inventus est: qui malus est, adhuc quæritur. Ideo vos quærimus: redi-
» te ad arcam. Sed jam habeo baptismum. Si omnia
» sacramenta sciero, & habuero prophetiam & om-
» nem fidem, ita ut montes transferam, charitatem G autem non habeam, nihil sum. Fructum ibi videam, olivam ibi videam, & revocaris ad arcam.

23. Sed quid ais? Ecce nos multa mala patimur. Hæc si pro Christo pateremini, non pro honoribus vestris. Audite quod sequitur: Jactant se enim aliquando, quia eleemosynas multas faciunt, dant pauperibus; quia patiuntur molestias: sed pro Donato, non pro Christo. Vide quomodo patiaris: nam si pro Donato pateris, pro superbo pateris: non es in columba, si pro Donato pateris. Non erat ille amicus sponsi: nam si amicus esset sponsi, Johan. 3. 29. gloriam sponsi quæreret, non suam. Vide amicum sponsi dicentem, *Hic est qui baptizat.* Ille non erat amicus sponsi, pro quo pateris. Non habes vestem Matth. 22. nuptialem; & si ad convivium venisti, foras habes 12. mitti: immo quia foras missus es, ideo miser es: redi aliquando, & noli gloriari. Audi quid dicat Apostolus: Si distribuero omnia mea pauperibus, & tra- 1. Cor. 13. 3. didero corpus meum ut ardeam, caritatem autem « non habeam. Ecce quod non habes. Si tradidero, « inquit, corpus meum ut ardeam: & utique pro no- « mine Christi: sed quia sunt multi qui jactanter illud faciunt, non cum caritate, ideo, Si tradidero cor- « pus meum ut ardeam, caritatem autem non ha- « beam, nihil mihi prodest. Caritate fecerunt martyres illi, qui in tempore persecutionis passi sunt; caritate fecerunt: isti autem de tumore & de superbia faciunt: nam cùm persecutor desit, seipsos præcipitant. Veni ergo, ut habeas caritatem. Sed nos habemus martyres. Quos martyres? Non sunt columbæ, ideo volare conati sunt, & de petra ceciderunt.

24. Omnia ergo, Fratres mei, videtis, quia clamant adversùs illos, omnes paginæ divinæ, omnis prophetia, totum Evangelium, omnes Apostolicæ litteræ, omnis gemitus columbæ: & nondum evigilant, nondum expergiscuntur. Sed si columba sumus, gemamus, toleremus, speremus: aderit misericordia Dei, ut efferveat ignis Spiritus-sancti in simplicitate vestra, & venient. Non est desperandum, orate, prædicate, diligite, prorsus potens est Dominus. Jam cœperunt cognoscere frontem suam: multi cognoverunt, multi erubuerunt: aderit Christus, ut cognoscant & ceteri. Et certè, Fratres mei, vel palea sola ibi remaneat, omnia grana colligantur: quidquid ibi fructificavit, redeat ad arcam per columbam.

25. Modò deficientes ubique, quid nobis pro- Donatistarum querelæ.
ponunt, non invenientes quid dicant! Villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt. Proferunt testamenta hominum. Ecce ubi Gaiuseius donavit fundum Ecclesiæ, cui præerat Faustinus. Cujus episcopus erat Faustinus Ecclesiæ? quid est Ecclesia? Ecclesiæ, dixit, cui præerat Faustinus: sed non Ecclesiæ præerat Faustinus, sed parti præerat. Columba autem Ecclesia est. Quid clamas? Non devoravimus villas, columba illas habeat: quæratur quæ sit columba, & ipsa habeat. Nam nostis, Fratres mei, quia villæ istæ non sunt Augustini: & si non nostis, & putatis me gaudere in possessione villarum, Deus novit, ipse scit quid ego de illis villis sentiam, vel quid ibi sufferam: novit gemitus meos, si mihi aliquid de columba impertire dignatus est. Ecce sunt villæ: quo jure defendis villas? divino an humano? Respondeant: divinum jus in Jus divinum & humanum. Scripturis habemus, humanum jus in legibus regum. Unde quisque possidet quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino, Domini est terra Psal. 23. 1. & plenitudo ejus: pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & pauperes & divites una terra supportat. Jure tamen humano dicit, Hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est. Jure ergo

[a] In omnibus ferè MSS. *emicet.*

[b] Sic MSS. At editi, *Noli dicere Christiano.*

humano, jure imperatorum. Quare? quia ipsa jura humana per imperatores & reges sæculi Deus distribuit generi humano. Vultis legamus leges imperatorum, & secundùm ipsas agamus de villis? Si jure humano vultis possidere, recitemus leges imperatorum: videamus si voluerunt aliquid ab hæreticis possideri. Sed quid mihi est imperator? Secundùm jus ipsius possides terram. Aut tolle jura imperatorum, & quis audet dicere, Mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est? Si autem ut teneantur ista ab hominibus, jura B acceperunt regum, vultis recitemus leges, ut gaudeatis quia vel unum hortum habetis, & non imputetis nisi mansuetudini columbæ, quia vel ibi vo-

Leges in hæreticos. bis permittitur permanere? Leguntur enim leges manifestæ, ubi præceperunt Imperatores, eos qui præter Ecclesiæ catholicæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere.

26. Sed quid nobis & imperatori? Sed jam di- C xi, de jure humano agitur. Et tamen Apostolus voluit servire regibus, voluit honorari reges, & di-

1. Pet. 2. 17. xit, Regem reveremini. Noli dicere, Quid mihi & regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per jura regum possidentur possessiones. Dixisti, Quid mihi & regi? Noli dicere possessiones tuas: quia ad ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones. Sed de divino jure ago, ait. Ergo Evangelium recitemus: videamus quò usque Ecclesia catholica Christi est, super quem venit columba, D quæ docuit, *Hic est qui baptizat.* Quomodo ergo jure divino possideat, qui dicit, Ego baptizo; cùm

Johan. 1. 33. Cant. 6. 8 dicat columba, *Hic est qui baptizat*; cùm dicat Scriptura, Una est columba mea, una est matri suæ? Quare laniastis columbam? Immo laniastis viscera vestra: nam vobis laniatis, columba integra perseverat. Ergo Fratres mei, si ubique non habent quod dicant, ego dico quod faciant: veniant ad Catholicam, & nobiscum habebunt non solùm terram, sed etiam illum qui fecit cælum & terram. E

* Habitus die Dominico ex n. 24.

* TRACTATUS VII.

Ab eo quod scriptum est, Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei: *usque ad id*, Amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos adscendentes & descendentes super filium hominis.

1. CONGAUDEMUS frequentiæ vestræ, quia ultrà quàm sperare potuimus, ala- F criter convenistis. Hoc est quod nos lætificat, & consolatur in omnibus laboribus, & periculis vitæ hujus, amor vester in Deum, & pium studium, & certa spes, & fervor spiritus. Audistis

Psal. 73. 21. cùm Psalmus legeretur, quia inops & pauper clamat ad Deum in hoc sæculo. Vox enim est, ut sæpius audistis, & meminisse debetis, non unius hominis, & tamen unius hominis: non unius, quia fideles multi; multa grana inter paleas gementia, diffusa toto orbe terrarum: unius autem, quia G membra Christi omnes; ac per hoc unum corpus. Iste ergo populus inops & pauper, non novit gaudere de sæculo: & dolor ejus intus est, & gaudium ejus intus est, ubi non videt nisi ille qui exaudit gementem, & coronat sperantem. Lætitia sæculi, vanitas. Cum magna exspectatione speratur ut veniat, & non potest teneri cùm venerit. Iste enim dies qui lætus est perditis hodie in ista civitate, cras utique non erit: nec iidem ipsi cras hoc erunt quod hodie sunt. Et transeunt omnia, & evolant omnia, & sicut fumus vanescunt: & væ qui amant talia. Omnis enim anima sequitur quod amat. Omnis Isa. 40. 6. caro fœnum, & omnis honor carnis quasi flos fœni: fœnum aruit, flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum. Ecce quod ames, si vis manere in æternum. Sed dicere habebas: Unde possum apprehendere Verbum Dei? Verbum ca- Johan. 1. 14. ro factum est, & habitavit in nobis.

2. Quapropter, Carissimi, ad inopiam nostram & paupertatem nostram pertineat, & quod illos dolemus qui sibi abundare videntur. Gaudium enim ipsorum quasi phreneticorum est. Quomodo autem phreneticus gaudet in insania plerumque, & ridet; & plangit illum qui sanus est: sic & nos, Carissimi, si recepimus medicinam de cælo venientem, quia & nos omnes phrenetici eramus, tamquam salvi facti, quia ea quæ diligebamus non diligimus, gemamus ad Deum de iis qui adhuc insaniunt. Potens est enim ut & ipsos salvos faciat. Et opus est ut respiciant se, & displiceant sibi. [a] Spectare volunt, & spectare se non noverunt. Nam si aliquantùm oculos ad se convertant, vident confusionem suam. Quod donec fiat, alia sint studia nostra, alia sint avocamenta animæ nostræ. Plus valet dolor noster, quàm gaudium illorum. Quantum pertinet ad numerum fratrum, difficile est ut quisquam illa celebritate raptus fuerit ex vir s: quantum autem ad sororum numerum, contristat nos, & hoc magis dolendum est, quia non ipsæ potiùs ad Ecclesiam currunt, quas debuit si non timor, certè verecundia de publico revocare. Viderit hoc qui videt, & aderit misericordia ejus, ut sanet omnes. Nos autem qui convenimus, pascamur epulis Dei, & sit gaudium nostrum sermo ipsius. Invitavit enim nos ad Evangelium suum: & ipse cibus noster est, quo nihil dulcius; sed si quis habet palatum sanum in corde.

3. Bene autem arbitror meminisse Caritatem Vestram hoc Evangelium lectionibus congruis ex ordine recitari: & puto vobis non excidisse quæ jam tractata sunt, maximè recentiora de Johanne & columba. De Johanne scilicet, quid novum dicerit in Domino per columbam, qui jam noverat Dominum. Et hoc inventum est inspirante Spiritu Dei, quòd jam quidem Johannes noverat Dominum, sed quòd ipse Dominus ita esset baptizaturus, ut baptizandi potestatem à se in neminem transfunderet, hoc didicit per columbam, quia dictum ei erat, Super quem videris Spiritum Johan. 1. 33. descendentem velut columbam, & manentem su- « per eum, hic est qui baptizat in Spiritu-sancto. « Quid est, hic est, non alius, etsi per alium. Quare autem per columbam? Multa dicta sunt, nec possum, nec opus est omnia retexere: præcipuè tamen propter pacem; quia & ligna quæ baptizata sunt foris, quia fructum in eis invenit columba, ad arcam adtulit: sicut meministis columbam emis- Gen. 8. 11. sam à Noë de arca, quæ diluvio natabat, & baptismo abluebatur, non mergebatur. Cùm ergo esset emissa, adtulit ramum olivæ: sed non sola folia habebat, habebat & fructum. Itaque hoc optandum est fratribus nostris qui foris baptizantur, ut habeant fructum: non illos sinet columba foris, ni-

[a] M. S. *Spectari volunt.*

si ad arcam reduxerit. Fructus autem est totus caritas : sine qua nihil est homo, quidquid aliud habuerit. Et hoc uberrimè ab Apostolo dictum com-
1. Cor. 13.1. &c. memoravimus & recensuimus. Ait enim, Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem
» autem non habeam, factus sum velut æramentum
» sonans, aut cymbalum tinniens : & si habuero om-
» nem scientiam, & sciam omnia sacramenta, &
» habeam omnem prophetiam, & habuero omnem
» fidem, (fidem autem quomodo dixit omnem ?) ut
» montes transferam, caritatem autem non habeam,
» nihil sum. Et si distribuero omnia mea pauperibus,
» & si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem
» autem non habeam, nihil mihi prodest. Nullo modo autem possunt dicere se habere caritatem, qui dividunt unitatem. Hæc dicta sunt : sequentia videamus.

Johan. 1.34. 4. *Perhibuit Iohannes testimonium.* quia vidit. Quale testimonium perhibuit ? *Quia ipse est Filius Dei.* Oportebat ergo ut ille baptizaret qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filij, ministri sunt Unici : Unicus habet potestatem, adoptati ministerium. Licèt baptizet minister non pertinens ad numerum Filiorum, quia malè vivit & malè agit, quid nos consolatur ? Hic est qui baptizat.

v. 35. 5. * *Altera die iterum stabat Iohannes, & ex discipulis ejus duo :* * *& respiciens Iesum ambulantem, dicit, Ecce Agnus Dei.* Utique singulariter iste Agnus:
v. 36. Matth. 10. 16. nam & discipuli dicti sunt agni, Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum. Dicti sunt & ipsi
Matth. 5. 14. Johan. 1. 9. lumen, Vos estis lumen mundi : sed aliter ille de quo dictum est, Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sic & Agnus singulariter, solus sine macula, sine peccato : non cujus maculæ absterſæ sint, sed cujus macula nulla fuerit. Quid enim quia dicebat Johannes de Domino, *Ecce Agnus Dei* ? Ipse Johannes non erat agnus ? non erat vir sanctus ? non erat amicus sponsi ? Ergo singulariter ille hic est Agnus Dei : quia singulariter hujus Agni sanguine solo homines redimi potuerunt.

6. Fratres mei, si agnoscimus pretium nostrum quia sanguis est Agni, qui sunt illi qui hodie celebrant festivitatem sanguinis, nescio cujus mulieris ? & quàm ingrati sunt ? Raptum est aurum, dicunt, de aure mulieris, & cucurrit sanguis, & positum est aurum in trutina vel statera, & præponderavit multum de sanguine. Si pondus ad inclinandum aurum habuit sanguis mulieris, quale pondus habet ad inclinandum mundum sanguis Agni, per quem factus est mundus ? Et quidem ille spiritus nescio quis, ut premeret pondus, placatus est sanguine. Immundi spiritus noverant venturum Jesum Christum, audierant ab Angelis, audierant ex Prophetis, & sperabant eum venturum. Nam
Marc. 1.24. si non sperabant, unde clamaverunt, Quid nobis
» & tibi est ? venisti ante tempus perdere nos ? sci-
» mus qui sis, Sanctus Dei. Venturum sciebant, sed tempus ignorabant. Sed quid audistis in Psalmo de
Psal. 101.15. Jerusalem ? Quoniam beneplacitum habuerunt servi tui lapides ejus, & pulveris ejus miserebuntur: tu exsurgens, inquit, misereberis Sion, quoniam venit tempus ut miserearis ejus. Quando venit tempus ut misereretur Deus, venit Agnus. Qualis Agnus, quem lupi timent ? qualis Agnus est, qui
1. Pet. 5. 8. leonem occisus occidit ? Dictus est enim diabolus leo circumiens & rugiens, quærens quem devoret : sanguine Agni victus est leo. Ecce spectacula Christianorum. Et quod est amplius, illi oculis carnis vident vanitatem, nos cordis oculis veritatem. Ne putetis Fratres, quòd sine spectaculis nos dimisit Dominus Deus noster : nam si nulla sunt spectacula, cur hodie convenistis ? Ecce quod diximus, vidistis, & exclamastis : non exclamaretis nisi vidissetis. Et magnum est hoc spectare per totum orbem terrarum, victum leonem sanguine Agni, educta de dentibus leonum membra Christi, & adjuncta corpori Christi. Ergo nescio quid simile imitatus est quidam spiritus, ut sanguine simulacrum suum emi vellet, quia noverat pretioso sanguine quandocumque redimendum esse genus humanum. Fingunt enim spiritus mali umbras quasdam honoris sibimetipsis, ut sic decipiant eos qui sequuntur Christum. Usque adeo, Fratres mei, ut illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcantationibus suis nomen Christi : quia jam non possunt seducere Christianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquid, ut per id quod dulce est, lateat quod amarum est, & bibatur ad perniciem. Usque adeo ut ego noverim aliquo tempore illius Pilleati sacerdotem solere dicere, Et ipse Pilleatus Christianus est. Ut quid hoc Fratres, nisi quia aliter non possunt seduci Christiani ?

7. Ne quæratis ergo alibi Christum, quàm ubi se vobis voluit prædicari Christus : & quomodo voluit prædicari, sic illum tenete, sic in corde vestro scribite. Murus est adversùs omnes impetus & adversùs omnes insidias inimici. Nolite timere, nec tentat ille, nisi permissus fuerit : constat illum nihil facere, nisi permissus fuerit aut missus. Mittitur tamquam angelus malus à potestate dominante: permittitur, quando aliquid petit: & hoc, Fratres, non fit, nisi ut probentur justi, puniantur injusti. Quid ergo times ? Ambula in Domino Deo tuo, certus esto: QUOD te non vult pati, non
pateris : QUOD TE PERMISERIT PATI, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Ad hereditatem sempiternam erudimur, & flagellari dedignamur ? Fratres mei, si recusaret quisquam puer colaphis aut flagellis cædi à patre suo, quomodo diceretur superbus, desperatus, ingratus paternæ disciplinæ ? Et ut quid erudit pater homo filium hominem ? ut possit non perdere temporalia quæ illi adquisivit, quæ illi collegit, quæ non vult eum perdere, quæ ipse qui relinquit, non potuit in sempiternum tenere. Non docet filium cum quo possideat, sed qui post eum possideat. Fratres mei, si filium docet pater successorem, & quem docet & ipsum similiter per illa omnia transiturum, quà & ille qui monebat transiturus est : quomodo vultis erudiat nos Pater noster, cui non successuri, sed ad quem accessuri sumus, & cum quo in æternum mansuri in hereditate, quæ non marcescit, nec moritur, nec grandinem novit ? Et ipse hereditas & ipse Pater est. Hunc possidebimus, & erudiri non debemus ? Sufferamus ergo eruditionem Patris. Non quando nobis dolet caput, curramus ad [a] præcantatores, ad sortilegos & remedia vanitatis. Fratres mei, non vos plangam ? Quotidie invenio ista : & quid faciam ? Nondum persuadeo Christianis in Christo spem esse ponendam ? Ecce, si cui factum est remedium, moriatur, (quàm multi

[a] In plerisque MSS. *præcantationes.*

enim cum remediis mortui sunt, & quàm multi sine remediis vixerunt,) qua fronte exiit anima ad Deum ? Perdidit signum Christi, accepit signum diaboli. An fortè dicat, Non perdidi signum Christi ? Ergo signum Christi cum signo diaboli habuisti. Non vult Christus communionem, sed solus vult possidere quod emit. Tanti emit ut solus possideat : tu facis ei consortem diabolum, cui te per
Eccli. 2.14. peccatum vendideras. Væ duplici corde : qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia fit ibi pars diabolo, discedit, & totum diabolus possidebit. Non frustra ita-
Ephes. 4.27. que Apostolus dicit, Neque detis locum diabolo. Cognoscamus ergo Agnum, Fratres, cognoscamus pretium nostrum.

Johan. 1.35. 8. *Stabat Iohannes, & ex discipulis ejus duo.* Ecce duo de discipulis Johannis : quia talis erat Johannes amicus sponsi, non quærebat gloriam suam, sed testimonium perhibebat veritati : numquid voluit apud se remanere discipulos suos, ut non sequerentur Dominum ? magis ipse ostendit discipulis suis quem sequerentur. Habebant enim illum tamquam Agnum : & ille, Quid me adtenditis ? Ego non sum
v. 29. Agnus : *Ecce Agnus Dei.* de quo etiam superiùs dixerat, *Ecce Agnus Dei.* Et quid nobis prodest Agnus Dei ? *Ecce*, ait, *qui tollit peccatum mundi.* Secuti sunt illum hoc audito duo qui erant cum Johanne.

9. Videamus sequentia. *Ecce Agnus Dei.* hoc
v. 37. Johannes. * *Et audierunt eum duo discipuli loquen-*
v. 38. *tem, & secuti sunt Iesum.* * *Conversus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis, Quid quæritis ? Qui dixerunt, Rabbi, quod dicitur interpretatum magister, Ubi habitas ?* Non sic illum sequebantur quasi jam ut inhærerent illi : nam manifestum est quando illi inhæserunt, quia de navi eos vocavit. In his enim duobus erat Andreas, sicut modò audistis: Andreas autem frater Petri erat : & novimus in Evangelio quòd Petrum & Andream Dominus de
Matth. 4. 19. navi vocavit, dicens, Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Et ex illo jam inhæserunt illi, ut non recederent. Modò ergo quòd illum sequuntur isti duo, non quasi non recessuri sequuntur, sed videre voluerunt ubi habitaret, & facere
Eccli. 6. 36. quod scriptum est, Limen ostiorum ejus exterat pes tuus, surge ad illum venire assiduè & erudire præceptis ejus. Ostendit eis ille ubi maneret : venerunt & fuerunt cum illo. Quàm beatum diem duxerunt, quàm beatam noctem ! Quis est qui nobis dicat quæ audierint illi à Domino ? Ædificemus & nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum quò veniat ille, & doceat nos, colloquatur nobis.

Johan. 1. v. 38. 10. * *Quid quæritis ? Qui dixerunt ei, Rabbi, quod interpretatum dicitur magister, Ubi habitas ?*
v. 39. * *Dicit eis, Venite, & videte. Et venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo : hora autem erat quasi decima.* Nihilne arbitramur pertinuisse ad Evangelistam, dicere nobis quota hora erat ? Potest fieri ut nihil ibi nos animadvertere, nihil quærere voluerit ? Decima erat hora. Numerus iste legem significat, quia in decem præceptis data est lex. Venerat autem tempus, ut impleretur lex per dilectionem ; quia à Judæis non poterat impleri per timorem. Unde Dominus dicit, Non ve-
Matth. 5. 17. ni solvere legem, sed implere. Meritò ergo decimâ horâ eum secuti sunt ad testimonium amici sponsi duo isti : & decimâ horâ audivit, *Rabbi*, quod interpretatur magister. Si decimâ horâ *Rabbi* Dominus audivit, & decimus numerus ad legem pertinet : magister legis non est nisi dator legis. Nemo dicat quia alius dedit legem, & alius docet legem : ipse illam docet qui illam dedit : ipse est magister legis suæ, & docet illam. Et misericordia est in lingua ipsius, ideo misericorditer docet legem, sicut dictum est de sapientia, Legem autem & misericor-
Prov. 31. 26. diam in lingua portat. Noli timere, ne implere legem non possis, fuge ad misericordiam. Si multum est ad te legem implere, utere pacto illo, utere chirographo, utere Precibus quas tibi constituit & composuit jurisperitus cælestis.

11. Qui enim habent causſam, & volunt supplicare imperatori, quærunt aliquem scholasticum jurisperitum, à quo sibi Preces componantur : ne fortè si aliter petierint quàm oportet, non solùm non impetrent quod petunt, sed & pœnam pro beneficio consequantur. Cùm ergo quærerent supplicare Apostoli, & non invenirent quomodo adirent imperatorem Deum, dixerunt Christo, Domine,
Luc. 11. 1. doce nos orare : hoc est, Jurisperite noster, assessor, immo confessor Dei, compone nobis Preces. Et docuit Dominus de libro juris cælestis, docuit quomodo orarent : & in ipso quod docuit, posuit quamdam conditionem : Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si non secundùm legem petieris, reus eris. Contremiscis imperatorem factus reus ? offer sacrificium humilitatis, offer sacrificium misericordiæ, dic in Precibus, Dimitte mihi, quoniam & ego dimitto. Sed si dicis, fac. Quid enim facturus es, quò iturus es, si mentitus fueris in Precibus ? Non quomodo dicitur in foro, carebis beneficio Rescripti : sed nec Rescriptum impetrabis. Juris enim forensis est, ut qui in Precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetravit. Sed hoc inter homines, quia potest falli homo ; potuit falli imperator, quando Preces misisti : dixisti enim quod voluisti, & cui dixisti, nescit an verum sit : dimisit te adversario tuo convincendum, ut si ante judicem convictus fueris de mendacio, quia non potuit ille nisi præstare, nesciens an fueris mentitus, ibi carebis ipso beneficio Rescripti, quò perduxisti Rescriptum. Deus autem qui novit utrùm mentiaris, an verum dicas, non facit ut in judicio tibi non prosit : sed nec impetrare te permittit, quia ausus es mentiri veritati.

12. Quid ergo facturus es ? dic mihi. Implere legem ex omni parte, ita ut in nullo offendas, difficile est : reatus ergo certus est ; remedio uti non vis ? Ecce, Fratres mei, quale remedium posuit Dominus contra ægritudines animæ. Quod ergo ? Cùm caput tibi dolet, laudamus si Evangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt homines qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus quando videmus hominem in lecto suo constitutum, jactari febribus & doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi ut sibi Evangelium ad caput poneret : non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Evangelium ligaturis. Si ergo ad caput ponitur ut quiescat dolor capitis, ad cor non ponitur ut sanetur à peccatis ? Fiat ergo. Quid fiat ? Ponatur ad cor, sanetur cor. Bonum est, bonum, ut de salute corporis non satagas, nisi ut à Deo illam petas. Si scit tibi prodesse, dabit illam : si non tibi dederit, non proderat habere illam. Quàm multi ægrotant in lecto innocen-

tes; & si sani fuerint, procedunt ad scelera committenda? Quàm multis obest sanitas? Latro qui procedit ad faucem occidere hominem, quantò illi melius erat ut ægrotaret? Qui noctu surgit ad fodiendum parietem alienum, quantò illi melius si febribus jactaretur? Innocentius ægrotaret, scelerate sanus est. Novit ergo Deus quid nobis expediat: id agamus tantùm, ut cor nostrum sanum sit à peccatis: & quando fortè flagellamur in corpore, ipsum deprecemur. Rogavit eum Paulus Apostolus, ut auferret stimulum carnis, & noluit auferre. Numquid perturbatus est? numquid contristatus dixit se desertum? Magis se dixit non desertum, quia non ablatum est quod volebat auferri, ut illa infirmitas sanaretur. Hoc enim invenit in voce me-
2. Cor. 12. 9. dici: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Unde ergo scis quòd non vult te sanare Deus? Adhuc tibi expedit flagellari. Unde scis quàm putre est quod secat medicus, agens ferrum per putria? Nonne novit modum* quid faciat, quò usque faciat? Numquid ululatus ejus qui secatur, retrahit manus medici artificiosè secantis? Ille clamat: ille secat. Crudelis qui non audit clamantem, an potiùs misericors, qui vulnus persequitur ut sanet ægrotum? Hæc, Fratres mei, ideo dixi, ne quis quærat aliquid præter auxilium Dei, quando fortè in aliqua correptione Domini sumus. Videte ne pereatis, videte ne ab Agno recedatis, & à leone devoremini.

*f. quo id

13. Dixinus ergo quare horâ decimâ: sequentia videamus. * *Erat Andreas frater Simonis Petri*
Johan. 1. v. 40. *unus ex duobus qui audierant ab Johanne, & secuti*
v. 41. *fuerant eum.* * *Invenit hic Simonem fratrem suum, & dicit ei, Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.* Messias Hebraicè, Christus Græcè est, Latinè unctus. Ab unctione enim dicitur Christus. Χεῖσμα unctio est Græcè, ergo Christus unctus. Ille singulariter unctus, præcipuè unctus, unde omnes Christiani unguuntur, ille præcipuè. Quomodo
Psal. 44. 8. in Psalmo dicit, audi: Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exsultationis, præ participibus tuis. Participes enim ejus omnes sancti: sed ille singulariter sanctus sanctorum, singulariter unctus, singulariter Christus.

Johan. 1. 42. 14. *Et duxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit, Tu es Simon filius Ioannis, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Non magnum, quia Dominus dixit cujus filius esset iste. Quid magnum Domino? Omnia nomina sanctorum suorum sciebat, quos ante constitutionem mundi prædestinavit: & miraris, quia dixit uni homini, Tu es filius illius, & tu vocaberis illud? Magnum, quia mutavit ei nomen, & fecit de Simone Petrum? Petrus autem à petra, petra verò Ecclesia: ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia. Et quis securus, nisi qui ædificat super petram? Et quid ait ipse Do-
Matth. 7. 24. &c. » minus? Qui audit verba mea hæc, & facit ea, simi» labo eum viro prudenti, ædificanti super petram: » (non cedit tentationibus:) descendit pluvia, vé» nerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in » domum illam, & non cecidit; fundata enim erat » super petram. Qui audit verba mea & non facit ea: » (jam unusquisque nostrûm timeat & caveat:) simi» labo eum viro stulto, qui ædificavit domum suam » super arenam: descendit pluvia, venerunt flumina, » flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & » cecidit: & facta est ruina ejus magna. Quid prodest quia intrat Ecclesiam, qui vult super arenam ædificare? Audiendo enim & non faciendo, ædificat quidem, sed super arenam. Si enim nihil audit, nihil ædificat: si autem audit, ædificat. Sed quærimus, ubi. Si enim audit & facit, super petram: si audit & non facit, super arenam. Duo sunt genera ædificantium, aut super petram, aut super arenam. Quid ergo illi qui non audiunt? securi sunt? securos eos dicit, quia nihil ædificant? Nudi sunt sub pluvia, ante ventos, ante flumina: cùm venerint ista, antè illos tollunt, quàm domos dejiciant. Ergo una est securitas, & ædificare, & super petram ædificare. Si audire vis & non facere, ædificas; sed ruinam ædificas: cùm autem venerit tentatio, dejicit domum, & cum ipsa ruina tua te tollit. Si autem non audis, nudus es, illis tentationibus tu ipse traheris. Audi ergo, & fac: unum est remedium. Quanti fortè hodie audiendo & non faciendo rapti sunt fluvio celebritatis hujus? Audiendo enim & non faciendo, venit fluvius ipsa celebritas anniversaria, impletus est torrens, transiturus est & siccaturus: sed væ illi quem tulerit. Illud ergo noverit Caritas Vestra, quia nisi quis & audiat & faciat, non ædificat super petram; & non pertinet ad nomen tam magnum, quod sic commendavit Dominus. Intentum enim te fecit. Nam si hoc antè Petrus vocaretur, non ita videres mysterium petræ; & putares casu eum sic vocari, non providentiâ Dei: ideo voluit eum aliud priùs vocari, ut ex ipsa commutatione nominis, sacramenti vivacitas commendaretur.

15. * *Et in crastinum voluit exire in Galilæam, &* Johan. 1. *invenit Philippum. Dicit ei, Sequere me.* * *Erat au-* v. 43. *tem de civitate Andreæ & Petri.* * *Et invenit Philip-* v. 44. *pus Nathanaëlem:* jam vocatus à Domino Philip- v. 45. pus. *Et dixit ei, Quem scripsit Moyses in Lege & Prophetæ, invenimus Iesum filium Ioseph.* Ejus filius dicebatur, cui desponsata erat mater ejus. Nam quòd eâ intactâ conceptus & natus sit, bene noverunt omnes Christiani ex Evangelio. Hoc Philippus dixit Nathanaëli; addidit & locum, *à Nazareth.* * *Et* v. 46. *dixit ei Nathanaël, A Nazareth potest aliquid boni esse.* Quid intelligitur, Fratres? Non quomodo aliqui pronuntiant: nam & sic solet pronuntiari, *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Sequitur enim vox Philippi, & dicit, *Veni, & vide.* Ambas autem pronuntiationes potest ista vox sequi, sive sic pronunties tamquam confirmans, *A Nazareth potest aliquid boni esse:* & ille, *Veni, & vide:* sive sic dubitans, & totum interrogans, *A Nazareth potest aliquid boni esse? Veni, & vide.* Cùm ergo sive illo modo, sive isto pronuntietur, non repugnent verba sequentia: nostrum est quærere quid potiùs intelligamus in his verbis.

16. Qualis fuerit Nathanaël iste, in sequentibus probamus. Audite qualis fuerit: Dominus ipse perhibet testimonium. Magnus Dominus cognitus testimonio Johannis: beatus Nathanaël cognitus testimonio veritatis. Quia Dominus etsi testimonio Johannis non commendaretur, ipse sibi perhibebat testimonium; quia sufficit sibi ad testimonium suum veritas. Sed quia veritatem non poterant capere homines, per lucernam quærebant veritatem: & ideo Johannes per quem Dominus ostenderetur, missus est. Audi Dominum Nathanaëli testimonium perhibentem: * *Et dixit ei Nathanaël, A Na-* v. 46. *zareth potest aliquid boni esse. Dicit ei Philippus, Veni,* *& vide.* * *Et vidit Iesus Nathanaëlem venientem ad se,* v. 47. *& dicit de eo, Ecce verè Israëlita in quo dolus non est,*

Magnum testimonium: hoc nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum est de Nathanaële: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.*

17. Quid ergo facimus, Fratres? Deberet iste primus esse in Apostolis? Non solùm primus non invenitur in Apostolis, sed nec medius, nec ultimus inter duodecim Nathanaël est, cui tantum testimonium perhibuit Filius Dei, dicens, *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Quæritur caussa? quantum Dominus intimat, probabiliter invenimus. Intelligere enim debemus ipsum Nathanaëlem eruditum & peritum Legis fuisse: propterea noluit illum Dominus inter discipulos ponere; quia idiotas elegit, unde confunderet mundum. Audi
1. Cor. 1. 26. &c. » Apostolum dicentem ista: Videte enim, inquit, » vocationem vestram Fratres, quia non multi sa» pientes secundùm carnem, non multi potentes, » non multi nobiles: sed infirma mundi elegit Deus, » ut confundat fortia; & ignobilia mundi & con» temtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, tam» quam quæ sunt, ut quæ sunt evacuentur. Si do» ctus eligeretur, fortasse ideo se diceret electum, quia doctrina ejus meruit eligi. Dominus noster Jesus Christus volens superborum frangere cervices, non quæsivit per oratorem piscatorem: sed de piscatore lucratus est imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prior Petrus piscator, per quem postea crederet non tantùm orator, sed & imperator. Nullus nobilis primò electus est, nullus doctus; quia infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia. Erat ergo iste magnus & sine dolo: hoc solo non electus, ne cuiquam videretur Dominus doctos elegisse. Et ex ipsa doctrina Legis veniebat, quòd cùm audisset *à Nazareth:* (scrutatus enim erat Scripturas, & sciebat quia inde erat exspectandus Salvator, quod non facilè alij Scribæ & Pharisæi noverant:) iste ergo doctissimus Legis,
Johan. 1. v. 45. cùm audisset Philippum dicentem, *Invenimus Iesum, quem scripsit Moyses in Lege & Prophetæ, à Nazareth, filium Ioseph:* ille qui optimè Scripturas noverat, audito nomine *Nazareth*, erectus est in
v. 46. spem, & dixit, *A Nazareth potest aliquid boni esse.*
v. 47. 18. Jam cetera de ipso videamus. *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Quid est, *in quo dolus non est?* Fortè non habebat peccatum? fortè non erat æger? fortè illi medicus non erat necessarius? absit. Nemo hîc sic natus est, ut illo medico non egeret. Quid sibi ergo vult, *in quo dolus non est?* Aliquantò intentiùs quæramus, apparebit modò in nomine Domini. Dolum dicit Dominus: & omnis qui verba Latina intelligit, scit quia dolus est, cùm aliud agitur & aliud fingitur. Intendat Caritas Vestra: Non dolus dolor est: propterea dico, quia multi fratres imperitiores Latinitatis loquuntur sic, ut dicant, Dolus illum torquet, pro eo quod est dolor. Dolus fraus est, simulatio est. Quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus est; & tamquam duo corda habet: unum quasi sinum cordis habet, ubi videt veritatem; & alterum sinum, ubi concipit mendacium. Et ut noveritis hunc esse dolum, dictum est in Psal-
Psal. 11. 3. mis, Labia dolosa. Quid est, Labia dolosa? Sequitur, In corde & corde locuti sunt mala. Quid est, In corde & corde; nisi, duplici corde? Si ergo dolus in isto non erat, sanabilem illum medicus judicavit, non sanum. Aliud est enim sanus, aliud sanabilis, aliud insanabilis: qui ægrotat cum spe, sanabilis dicitur: qui ægrotat cùm desperatione, insanabilis: qui autem jam sanus est, non eget medico. Medicus ergo qui venerat sanare, vidit istum sanabilem, quia dolus in illo non erat. Quomodo dolus in illo non erat? Si peccator est, fatetur se peccatorem. Si enim peccator est, & justum se dicit; dolus est in ore ipsius. Ergo in Nathanaële confessionem peccati laudavit, non judicavit non esse peccatorem.

19. Propterea cùm Pharisæi qui sibi videbantur justi, reprehenderent Dominum quia misceretur ægrotis medicus, & dicerent, Ecce cum quibus manducat, cum publicanis & peccatoribus: respondit medicus phreneticis, Non est opus sanis medi- Matth. 9. 12.
cus, sed malè habentibus, non veni vocare justos, sed peccatores. Hoc est dicere, Quia vos justos dicitis, cùm sitis peccatores, sanos vos [a] judicatis, [a]
cùm langueatis, medicinam repellitis, non sanitatem tenetis. Unde ille Pharisæus qui vocaverat Dominum ad prandium, sanus sibi videbatur: ægrota autem illa mulier irrupit in domum, quò non erat invitata, & desiderio salutis facta impudens, accessit, non ad caput Domini, non ad manus, sed ad pedes; lavit eos lacrymis, tersit capillis, osculata est eos, unxit unguento, pacem fecit cum vestigiis Domini peccatrix. Reprehendit ille tamquam sanus medicum, ille Pharisæus qui illic discumbebat; & ait apud se, Hic si esset propheta, sciret quæ Luc. 7. 39.
mulier illi pedes tetigisset. Ideo autem suspicatus erat eum ignorasse, quia non illam repulit, quasi ne immundis manibus tangeretur: noverat autem ille, permisit se tangi, ut tactus ipse sanaret. Dominus videns cor Pharisæi, proposuit similitudinem: Duo Ibidem 41.
debitores erant cuidam fœneratori, unus ei debe- « &c.
bat quinquaginta denarios, alter quingentos: cùm « non haberent unde redderent, donavit ambobus: « quis eum plus dilexit? Et ille, Credo Domine, cui « plus donavit. Et conversus ad mulierem, dixit Si- « moni, Vides istam mulierem? Intravi in domum « tuam, aquam mihi ad pedes non dedisti; illa au- « tem lacrymis lavit pedes meos, & capillis suis tersit: « osculum mihi non dedisti, illa non destitit pedes « meos osculari; oleum mihi non dedisti, illa pedes « meos unxit unguento: propterea dico tibi, dimit- « guntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm: « cui autem modicum dimittitur, modicùm diligit. « Hoc est dicere, Plus ægrotas, sed sanum te putas: modicum putas tibi dimitti, cùm plus debitor sis. Bene ista, quia dolus in illa non erat, meruit medicinam. Quid est, dolus in illa non erat? confitebatur peccata. Hoc & laudat in Nathanaële, quòd dolus in illo non erat: quia multi Pharisæi qui abundabant peccatis, justos se dicebant, & dolum afferebant, per quem sanari non poterant.

20. Vidit ergo jam istum in quo dolus non erat, & ait, * *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* * *Di-* Johan. 1 v. *cit ei Nathanaël, Vnde me nosti? Respondit Iesus, &* 47. v. 48. *dixit, Priùs quàm te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te:* id est, sub arbore fici. * *Respondit ei* v. 49. *Nathanaël, & ait, Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israël.* Aliquid magnum potuit Nathanaël iste intelligere, in eo quod dictum est, *Cùm esses sub fici arbore, vidi te, priùs quàm te Philippus vocaret.* Nam talem vocem protulit, *Tu es Filius Dei, tu es rex Israël:* qualem tantò pòst Petrus, quando ei Dominus ait, Beatus es Simon Bar-Jona, quia non Matth. 16.
tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui 17.

[a] MSS. *prædicatis.*

est in cælo. Et ibi nominavit petram, & laudavit firmamentum Ecclesiæ in ista fide. Hic jam dicit, *Tu es Filius Dei, tu es rex Israël.* Unde? Quia dictum est ei, *Antequam te Philippus vocaret, cùm esses sub arbore fici, vidi te.*

21. Quærendum est, an aliquid significet ista arbor fici. Audite enim Fratres mei: Invenimus arborem fici maledictam, quia sola folia habuit, & fructum non habuit. In origine humani generis
Gen. 3. 7. Adam & Eva cùm peccassent, de foliis ficulneis succinctoria sibi fecerunt: folia ergo ficulnea intel- B liguntur peccata. Erat autem Nathanaël sub arbore fici, tamquam sub umbra mortis. Vidit eum Do-
Isa. 9. 2. minus, de quo dictum est, Qui sedebant sub umbra mortis, lumen ortum est eis. Quid ergo dictum est Nathanaëli? Dicis mihi ô Nathanaël, *Vnde me nosti?* Modò jam loqueris mecum, quia vocavit te Philippus. Jam quem vocavit per Apostolum, ad Ecclesiam suam vidit pertinere. O tu Ecclesia, ô tu Israël, in quo dolus non est; si es populus Israël in quo dolus non est, modò jam cognovisti Chri- C stum per Apostolos, quomodo Nathanaël cognovit Christum per Philippum. Sed misericordiâ suâ
2 antè te vidit,[a] quàm tu eum cognosceres, cùm sub peccato jacêres. Numquid enim nos priùs quæsivimus Christum, & non ille nos quæsivit? Num-
Luce 15. 4. quid nos venimus ægroti ad medicum, & non medicus ad ægrotos? Nonne ovis illa perierat, & relictis nonaginta-novem pastor quæsivit illam & invenit, quam lætus in humeris reportavit? Nonne perierat drachma illa, & accendit mulier lucer- D nam, & quæsivit in tota domo sua donec invenit? Et cùm invenisset, Collætamini mihi, ait vicinis suis, quia inveni drachmam quam perdideram. Sic & nos sicut ovis perieramus, & sicut drachma perieramus: & pastor noster invenit ovem, sed quæsivit ovem: mulier invenit drachmam, sed quæsivit drachmam. Quæ est mulier? caro Christi. Quæ est
Psal. 131. 17. lucerna? Paravi lucernam Christo meo. Ergo quæsiti sumus, ut inveniremur; inventi loquimur. Non superbiamus, quia antequam inveniremur, perie- E
Donatistæ. ramus, si non quæreremur. Non ergo nobis dicant quos amamus, & volumus lucrari paci Ecclesiæ catholicæ, Quid nos vultis? quid nos quæritis, si peccatores sumus? Ideo vos quærimus, ne pereatis: quærimus, quia quæsiti sumus; invenire vos volumus, quia inventi sumus.

22. Itaque Nathanaël cùm dixisset, *Vnde me nosti?* Ait illi Dominus, *Priùs quàm te vocaret Philippus, cùm esses sub arbore fici, vidi te.* O tu Israël sine dolo, quisquis es, ô populе vivens ex fide, an- F tequam te per Apostolos meos vocarem, cùm esses sub umbra mortis, & tu me non videres, ego te
Johan. 1. 50. vidi. Dominus deinde dicit ei, *Quia dixi tibi, Vidi te sub arbore fici, credis: majus his videbis.* Quid est
v. 51. hoc, *majus his videbis?* * *Et dicit ei, Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis.* Fratres, nescio quid majus dixi, quàm est, *sub arbore fici vidi te.* Plus enim est quòd nos Dominus vocatos justificavit, quàm quòd vidit jacentes sub umbra G mortis. Quid enim nobis proderat si ibi remanissemus, ubi nos vidit? Numquid non jaceremus? Quid est hoc majus? Quando vidimus Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis?

23. Jam aliquando de his ascendentibus & descentibus Angelis dixeram: sed ne obliti fueritis, breviter dico tamquam commemorans: pluribus enim dicerem si non commemorarem, sed modò insinuarem. Scalas vidit Jacob per somnium, & in
Gen. 28. 12. ipsis scalis vidit Angelos ascendentes & descendentes: & lapidem quem sibi posuerat ad caput, unxit. Audistis quia Messias Christus est, audistis quia unctus Christus est. Non enim sic potuit lapidem unctum, ut veniret & adoraret: alioquin idolatria esset, non significatio Christi. Facta est ergo significatio, quò usque oportuit fieri significationem, & significatus est Christus. Lapis unctus, sed non in idolum. Lapis unctus: Lapis quare? Ec-
Isa. 28. 16. 1. Pet. 2. 6. ce pono in Sion lapidem electum, pretiosum, & qui crediderit in illum, non confundetur. Quare unctus? Quia Christus à chrismate. Quid autem vidit tunc in scalis? ascendentes & descendentes Angelos. Sic est & Ecclesia, Fratres: Angeli Dei, boni prædicatores, prædicantes Christum: hoc est, super filium hominis ascendunt & descendunt. Quomodo ascendunt, & quomodo descendunt? Ex uno habemus exemplum: audi apostolum Paulum: quod in ipso invenerimus, hoc de ceteris veritatis prædicatoribus credamus. Vide Paulum ascendentem: Scio hominem in Christo ante annos
2. Cor. 12. 2. quatuordecim raptum fuisse usque in tertium cæ- « &c.
lum, sive in corpore, sive extra corpus nescio, «
Deus scit: & audisse ineffabilia verba, quæ non li- «
cet homini loqui. Adscendentem audistis, descen-
1. Cor. 3. 1. dentem audite. Non potui loqui vobis quasi spiri- « &c.
talibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in «
Christo lac vobis potum dedi, non escam. Ecce des- «
cendit qui adscenderat. Quære quò adscenderat? «
usque in tertium cælum. Quære quò descenderit? «
usque ad lac parvulis dandum. Audi quia descendit:
1. Thess 2. 7. Factus sum parvulus, inquit, in medio vestrûm, tamquam si nutrix foveat filios suos. Videmus enim & nutrices & matres descendere ad parvulos: & si norunt Latina verba dicere, decurtant illa, & quasi quodammodo linguam suam, ut possint de lingua diserta fieri blandimenta puerilia: quia si sic dicant, non audit infans, sed nec proficit infans. Et disertus aliquis pater, si sit tantus orator ut linguâ illius fora concrepent, & tribunalia concutiantur, si habeat parvulum filium, cùm ad domum redierit, ponit forensem eloquentiam quò adscenderat, & linguâ puerili descendit ad parvulum. Audi uno loco ipsum Apostolum adscendentem & des-
2. Cor. 5. 13. cendentem, in una sententia. Sive enim, inquit, mente excessimus, Deo; sive temperantes sumus, vobis. Quid est, mente excessimus Deo? ut illa videamus quæ non licet homini loqui. Quid est,
1. Cor. 2. 2. temperantes sumus vobis? Numquid judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum & hunc crucifixum? Si ipse Dominus adscendit & descendit; manifestum est, quia & prædicatores ipsius adscendunt imitatione, descendunt prædicatione.

24. Et si aliquantò vos diutiùs tenuimus, consilij fuit ut importunæ horæ transirent: arbitramur jam b illos peregisse vanitatem suam. Nos autem Fratres, quando pasti sumus epulis salutaribus, quæ restant agamus, ut diem Dominicum sollemniter impleamus in gaudiis spiritalibus, & comparemus gaudia veritatis cum gaudiis vanitatis: & si horremus, doleamus; si dolemus, oremus; si oramus, exaudiamur; si exaudimur, & illos lucramur.

[a] MSS. nostri omnes omittunt, *quàm tu eum cognoscerei.*
[b] MSS. melioris notæ, *illos*: fortè quòd mulieres pectissimùm spectaret ista celebritas. Vide suprà n. 2. & 6.

TRACTATUS

TRACTATUS VIII.

* Habitus die proxima ante Tract. sub. seq.

Ab eo Evangelij loco, Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: *usque ad id,* Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.

1. MIRACULUM quidem Domini nostri Jesu Christi, quo de aqua vinum fecit, non est mirum eis qui noverunt quia
Johan. 2. 9. Deus fecit. Ipse enim fecit vinum illo die in nuptiis in sex illis hydriis, quas impleri aquâ præcepit, B qui omni anno facit hoc in vitibus. Sicut enim quod miserunt ministri in hydrias, in vinum conversum est opere Domini: sic & quod nubes fundunt, in vinum convertitur ejusdem opere Domini. Illud autem non miramur, quia omni anno fit: assiduitate amisit admirationem. Nam & considerationem majorem invenit, quàm id quod factum est in hydriis aquæ. Quis est enim qui considerat opera Dei, quibus regitur & administratur totus hic mundus, & non obstupescit obruiturque mira- C culis? Si consideret vim unius grani, cujuslibet seminis, magna quædam res est, horror est consideranti. Sed quia homines in aliud intenti perdiderunt considerationem operum Dei, in qua darent laudem quotidie Creatori: tamquam fervavit sibi Deus inusitata quædam quæ faceret, ut tamquam dormientes homines, ad se colendum mirabilibus excitaret. Mortuus resurrexit, mirati sunt homines: tot quotidie nascuntur, & nemo miratur. Si consideremus prudentiùs, majoris miraculi est esse D qui non erat, quàm revivisce qui erat. Idem tamen Deus Pater Domini nostri Jesu Christi per Verbum suum facit omnia hæc, & regit qui creavit. Priora miracula fecit per Verbum suum Deum apud se: posteriora miracula fecit per ipsum Verbum suum incarnatum, & propter nos hominem factum. Sicut miramur quæ facta sunt per hominem Jesum, miremur quæ facta sunt per Deum Jesum. Per Deum Jesum facta sunt cælum & terra, mare, & omnis ornatus cæli, opulentia terræ, fe- E cunditas maris, omnia hæc quæ oculis adjacent, per Jesum Deum facta sunt. Et videmus hæc, & si est in nobis Spiritus ipsius, sic nobis placent ut artifex laudetur: non ut ad opera conversi ab artifice avertamur, & faciem quodammodo ponentes ad ea quæ fecit, dorsum ponamus ad eum qui fecit.

2. Et hæc quidem videmus, & adjacent oculis: quid illa quæ non videmus, sicut sunt Angeli, Virtutes, Potestates, Dominationes, omnisque habitator fabricæ hujus supercælestis, non adjacens F oculis nostris? Quamquam sæpe & Angeli, quando oportuit, demonstraverunt se hominibus. Nonne Deus & per Verbum suum, id est, unicum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum fecit hæc omnia? Quid ipsa anima humana, quæ non videtur, & per opera quæ exhibet in carne, magnam præbet admirationem bene considerantibus, à quo facta est nisi á Deo? & per quem facta est, nisi per Filium Dei? Nondum dico de anima hominis. Cujusvis pecoris anima quomodo regit molem G suam: sensus omnes exserit, oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad percipiendum odorem, oris judicium ad sapores discernendos, membra denique ipsa ad peragenda officia sua. Numquid hæc corpus, & non anima, id est, habitatrix corporis agit? Nec tamen videtur oculis, & ex his quæ agit admirationem movet. Accedat jam contideratio tua etiam ad animam humanam, cui tribuit Deus intellectum cognoscendi Creatorem suum, dignoscendi & distinguendi inter bonum & malum, hoc est inter justum & injustum: quanta agit per corpus? Adtendite universum orbem terrarum ordinatum in ipsa humana republica: quibus administrationibus, quibus ordinibus potestatum, conditionibus civitatum, legibus, moribus, artibus? Hoc totum per animam geritur, & hæc vis animæ non videtur. Cùm subtrahitur corpori, cadaver jacet: cùm autem adest corpori, primò B condit quodammodo putores. Corruptibilis est enim omnis caro, in putredines defluit, nisi quodam condimento animæ teneatur. Sed hoc commune illi est cum pecoris anima: illa magis miranda quæ dixi, quæ ad mentem & intellectum pertinent; ubi etiam ad imaginem Creatoris sui renovatur, ad cujus imaginem factus est homo. Quid erit hæc vis animæ, cùm & corpus hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem? Si tanta potest per carnem corruptibilem, quid C poterit per corpus spiritale post resurrectionem mortuorum? Hæc tamen anima, ut dixi, admirabilis naturæ atque substantiæ, invisibilis res est & intelligibilis: & hæc tamen per Jesum Deum facta est, quia ipse est Verbum Dei. Omnia per ipsum
Johan. 1. 3. facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

3. Cùm ergo tanta videamus facta per Deum Jesum, quid miramur aquam in vinum conversam per hominem Jesum? Neque enim sic factus est homo, ut perderet quod Deus erat: accessit illi homo, non amissus est Deus. Ipse ergo fecit hoc, qui illa omnia. Non itaque miremur quia Deus fecit: sed amemus quia inter nos fecit, & propter nostram reparationem fecit. Aliquid enim & in ipsis factis innuit nobis. Puto quia non sine caussa venit ad nuptias. Excepto miraculo, aliquid in ipso facto mysterij & sacramenti latet. Pulsemus ut aperiat, & de vino invisibili inebriet nos: quia & nos aqua eramus, & vinum nos fecit, sapientes nos fecit: sa- E pimus enim fidem ipsius, qui priùs insipientes eramus. Et fortè ad ipsam sapientiam pertinet, cum honore Dei, & cum laude majestatis ejus, & cum caritate potentissimæ misericordiæ ejus, intellige- re quid sit gestum in hoc miraculo.

4. Dominus invitatus ad nuptias venit. Quid mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit? Si enim non venit ad nuptias, non hîc habet sponsam. Et quid est, quod ait Apostolus, Aptavi vos uni viro, virginem
2. Cor. 11. 2. castam exhibere Christo? Quid est quod timet, ne virginitas sponsæ Christi per astutiam diaboli corrumpatur? Timeo, inquit, ne sicut serpens Evam
Ibidem 3. seduxit astutiâ suâ, sic & vestræ mentes corrum- « pantur à simplicitate & castitate quæ est in Chri- « sto. Habet ergo hîc sponsam quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit Spiritum-sanctum. Eruit eam de mancipatu diaboli: mortuus est propter delicta ejus, resurrexit propter justificationem ejus. Quis offeret tanta sponsæ suæ? Offerant homines quælibet ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides pretiosos, equos, mancipia, fundos, prædia: numquid aliquis offeret sanguinem suum? Si enim sanguinem suum sponsæ dederit, non erit qui ducat uxorem. Dominus autem securus moriens, dedit sanguinem suum pro ea quam resurgens haberet, quam sibi jam conjunxerat in utero virginis. Verbum enim sponsus, & sponsa

caro humana ; & utrumque unus Filius Dei , & A idem filius hominis : ubi factus est caput Ecclesiæ, ille uterus virginis Mariæ thalamus ejus , inde processit tamquam sponsus de thalamo suo , sicut Scriptura prædixit , Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo , exsultavit ut gigas ad currendam viam : de thalamo processit velut sponsus, & invitatus venit ad nuptias.

Psal. 18. 6.

5. Certi sacramenti gratiâ, videtur matrem de qua sponsus processit, non agnoscere, & dicere il-

Johan. 2. 4.

li , *Quid mihi & tibi est mulier ? nondum venit hora mea.* B Quid est hoc ? Ideone venit ad nuptias , ut doceret matres contemni ? Utique ad cujus nuptias venerat, ideo ducebat uxorem , ut filios procrearet ; & ab eis quos ut procrearet optabat, utique honorari cupiebat : ille ergo venerat ad nuptias , ut exhonoraret matrem, cùm propter filios habendos, quibus reddere honorem parentibus imperat Deus, ipsæ nuptiæ celebrentur , & ducantur uxores ? Pro-

Manichæos refellit.

cul dubio , Fratres , latet ibi aliquid. Nam tanta res est , ut quidam quos cavendos præmonuit Apo- C

2. *Cor.* 11. 3.

stolus , sicut suprà commemoravimus , dicens , Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ , sic » & vestræ mentes corrumpantur à simplicitate & » castitate , quæ est in Christo , derogantes Evangelio , & dicentes , quòd Jesus non sit natus de Maria virgine ; hinc argumentum sumere conarentur erroris sui , ut dicerent , Quomodo erat mater ejus, cui dixit , *Quid mihi & tibi est mulier ?* Respondendum ergo est eis , & differendum quare hoc dixerit Dominus : ne sibi aliquid adversùs sanam fidem D insanientes invenisse videantur , unde sponsæ virginis castitas corrumpatur , id est, unde fides Ecclesiæ violetur. Re vera enim, Fratres , corrumpitur fides eorum qui præponunt mendacium veritati. Nam isti qui videntur sic honorare Christum , ut negent eum carnem habuisse , nihil aliud eum quàm mendacem prædicant. Qui ergo mendacium ædificant in hominibus, quid ab eis expellunt, nisi veritatem? Immittunt diabolum , excludunt Christum : immittunt adulterum, excludunt sponsum : paranym- E phi scilicet , vel potiùs lenones serpentis. Ad hoc enim loquuntur ut serpens possideat, Christus excludatur. Quomodo possidet serpens ? quando possidet mendacium. Quando possidet falsitas , serpens possidet : quando possidet veritas , Christus

Johan. 14. 6.

possidet. Ipse enim dixit , Ego sum veritas : de illo

Johan. 8. 44.

autem dixit , Et in veritate non stetit, quia veritas non est in eo. Sic est autem veritas Christus, ut totum verum accipias in Christo : Verum Verbum, Deus æqualis Patri , vera anima , vera caro , verus homo , verus Deus , vera nativitas , vera passio , F vera mors , vera resurrectio. Si aliquid horum dixeris falsum , intrat putredo , de veneno serpentis nascuntur vermes mendaciorum , & nihil integrum remanebit.

6. Quid est ergo , inquit, quod ait Dominus, *Quid mihi & tibi est mulier ?* Fortè in eo quod sequitur ostendit nobis Dominus, quare hoc dixerit : *Nondum* , inquit , *venit hora mea.* Sic enim ait , *Quid mihi & tibi est mulier ? nondum venit hora mea.* G Et hoc cur dictum sit , requirendum est. Priùs ergo hinc resistamus hæreticis. Quid dicit serpens veternosus , venenorum insibilator & inspirator antiquus ? Quid dicit ? Non habuit matrem feminam Jesus. Unde probas ? Quia dixit , inquit , *Quid mihi & tibi est mulier ?* Quis hoc narravit , ut credamus quia hoc dixit ? quis hoc narravit ? Nempe Johannes Evangelista. At ipse Johannes Evangelista dixit , *Et erat ibi mater Jesu.* Nam ita narravit : * *Al-* *Johan.* 2. *tera die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ , & erat* v. 1. *ibi mater Jesu.* * *Venerat autem illuc invitatus ad nup-* v. 2. *tias cum discipulis suis.* Tenemus duas sententias ab Evangelista prolatas. *Erat ibi mater Jesu* , Evangelista dixit : quid dixerit matri suæ Jesus , ipse Evangelista dixit. Et quomodo dixit respondisse matri suæ Jesum , ut primò diceret , *Ait illi mater ejus* , v. 3. videte Fratres , ut adversùs linguam serpentis munitam virginitatem cordis habeatis. Illic in ipso Evangelio eo ipso Evangelista narrante dicitur, *Erat ibi mater Jesu :* & *, Dixit illi mater ejus.* Quis hoc narravit ? Johannes Evangelista. Et quid respondit matri Jesus ? *Quid mihi & tibi est mulier ?* v. 4. Quis hoc narrat ? idem ipse Johannes Evangelista. O Evangelista fidelissime & veracissime , tu mihi narras dixisse Jesum , *Quid mihi & tibi est mulier :* cur ei appositi matrem quam non agnoscit ? Nam tu dixisti , quia *ibi erat mater Jesu* ; & quia *dixit ei mater ejus* : cur non potiùs dixisti , Erat ibi Maria ; &, Dixit ei Maria ? Utrumque tu narras , & *Dixit ei mater ejus* ; & *Respondit ei Jesus , Quid mihi & tibi est mulier ?* Quare hoc , nisi quia utrumque verum est ? Illi autem in eo volunt credere Evangelistæ , quod narrat Jesum dixisse matri , *Quid mihi & tibi est mulier* ; & in eo nolunt credere Evangelistæ quod ait , *Erat ibi mater Jesu* ; &, *Dixit ei mater ejus.* Quis est autem qui resistit serpenti & tenet veritatem , cujus virginitas cordis non corrumpitur astutiâ diaboli ? qui utrumque verum credit , & quia erat ibi mater Jesu , & quia illud respondit matri Jesus. Sed si nondum intelligit quemadmodum dixerit Jesus, *Quid mihi & tibi est mulier :* interim credat quòd dixerit , & quòd matri dixerit. Sit primò pietas in credente , & erit fructus in intelligente.

7. Interrogo vos , ô fideles Christiani , Erat ibi mater Jesu ? respondete , Erat. Unde scitis ? respondete , Hoc loquitur Evangelium. Quid respondit matri Jesus ? respondete , *Quid mihi & tibi est mulier ? nondum venit hora mea.* Et hoc unde scitis ? respondete , Hoc loquitur Evangelium. Nullus vobis corrumpat hanc fidem , si vultis sponso servare castam virginitatem. Si autem quæritur à vobis, cur hoc matri respondit : dicat qui intelligit ; qui autem nondum intelligit , firmissimè tamen credat, hoc respondisse, & tamen matri respondisse Jesum. Hac pietate merebitur etiam intelligere cur ita respondit , si orando pulsat , & non rixando accedat ad ostium veritatis. Tantùm caveat , ne dum se putat scire , aut erubescit nescire cur ita respondit , cogatur credere aut Evangelistam fuisse mentitum qui ait , *Erat ibi mater Jesu :* aut ipsum Christum falsa morte passum propter delicta nostra , & falsas cicatrices ostendisse propter justificationem nostram : falsumque dixisse , Si manseritis *Johan.* 8. 31. in verbo meo , verè discipuli mei estis , & cognos- & 32. cetis veritatem , & veritas liberabit vos. Si enim falsa mater , falsa caro , falsa mors , falsa vulnera passionis , falsæ cicatrices resurrectionis ; non veritas credentes in eum , sed potiùs falsitas liberabit. Immo verò falsitas cedat veritati , & confundantur omnes qui propterea se volunt videri veraces, quia Christum conantur demonstrare fallacem ; & nolunt sibi dici , Non vobis credimus quia mentimini ; cùm ipsam veritatem dicant esse mentitam. Quibus tamen si dicamus , Unde nostis dixisse Christum , *Quid mihi & tibi est mulier :* Evangelio te credidisse respondent. Cur non credunt Evangelio A dicenti , *Erat ibi mater Jesu :* & *Dixit ei mater ejus ?* Aut si hoc mentitur Evangelium , quomodo ei creditur quòd dixerit Jesus , *Quid mihi & tibi est mulier?* Cur non potiùs miseri , & quòd ita non extraneæ, sed matri Dominus respondit , fideliter credunt; & cur ita respondit , piè quærunt ? Multum enim interest inter eum qui dicit, Volo scire quare Christus hoc matri respondit : & eum , qui dicit , Scio quòd hoc Christus non matri respondit. Aliud est intelligere velle quod clausum est , aliud nolle B credere quod apertum est. Qui dicit, Scire volo cur ita Christus matri respondit , aperiri sibi vult Evangelium cui credit : qui autem dicit , Scio quòd hoc Christus non matri respondit , ipsum Evangelium arguit de mendacio , ubi credidit quòd Christus ita respondit.

8. Jam ergo si placet , Fratres , illis repulsis , & in sua cæcitate errantibus semper , nisi humiliter sanentur , nos quæramus , quare Dominus noster sic matri respondit. Ille singulariter natus de pa- C tre sine matre , de matre sine patre ; sine matre Deus, sine patre homo ; sine matre ante tempora, sine patre in fine temporum. Quod respondit , matri respondit , quia *erat ibi mater Jesu* , & *dixit ei mater ejus.* Hoc totum Evangelium loquitur. Illic novimus , quia *erat ibi mater Jesu* , ubi novimus quòd dixerit ei , *Quid mihi & tibi est mulier ? nondum venit hora mea.* Totum credamus , & quod nondum intelligimus requiramus. Et primùm hoc videte , ne fortè quomodo invenerunt Manichæi occasionem D perfidiæ suæ , quia dixit Dominus , *Quid mihi & tibi est mulier ?* sic inveniant mathematici occasionem fallaciæ suæ , quia dixit , *Nondum venit hora mea.* Et

Mathematicorum codices incensi.

si hoc secundùm mathematicos dixit , sacrilegium fecimus incendendo codices eorum. Si autem rectè fecimus , sicut Apostolorum temporibus factum

Act. 19. 19.

est : non secundùm eos dixit Dominus , *Nondum venit hora mea.* Dicunt enim vaniloqui & seducti seductores , Vides quia sub fato erat Christus , qui dicit , *Nondum venit hora mea.* Quibus ergo priùs E respondendum est , hæreticis an mathematicis ? Utrique enim à serpente illo veniunt , volentes corrumperé virginitatem cordis Ecclesiæ , quam habet in integra fide. Primò si placet , eis quos proposueramus , quibus quidem jam ex magna parte respondimus. Sed ne arbitrentur nos non habere quid dicamus de his verbis , quæ Dominus matri respondit , vos magis adversùs illos instruimus : nam illis refellendis , puto quòd sufficiant , quæ jam dicta sunt.

9. Cur ergo ait matri filius , *Quid mihi & tibi est mulier , nondum venit hora mea ?* Dominus noster Jesus Christus , & Deus erat & homo : secundùm quod Deus erat , matrem non habebat ; secundùm quod homo erat , habebat. Mater ergo erat carnis, mater humanitatis , mater infirmitatis quam suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat , secundùm divinitatem facturus erat , non secundùm infirmitatem; secundùm quod Deus erat , non secundùm quod infirmus natus erat. G

1. *Cor.* 1. 25.

Sed infirmum Dei fortius est hominibus. Miraculum ergo exigebat mater , at ille tamquam non agnoscit viscera humana , operaturus facta divina, tamquam dicens , Quod de me facit miraculum , non tu genuisti , divinitatem meam non tu genuisti : sed quia genuisti infirmitatem meam , tunc te cognoscam , cùm ipsa infirmitas pendebit in cruce.

hoc est enim , *Nondum venit hora mea.* Tunc enim cognovit , qui utique semper noverat. Et antequam de illa natus esset , in prædestinatione noverat matrem ; & antequam ipse Deus crearet , de qua ipse homo crearetur , noverat matrem : sed ad quamdam horam in mysterio non agnoscit ; & ad quamdam horam quæ nondum venerat , in mysterio rursus agnoscit. Tunc enim agnovit , quando illud quod peperit moriebatur. Non enim moriebatur per quod facta erat Maria , sed moriebatur per quod facta erat Maria : non moriebatur æternitas divinitatis , sed moriebatur infirmitas carnis. Illud ergo respondit , discernens in fide credentium , quis , quâ venerit. Venit enim per matrem feminam , Deus & Dominus cæli & terræ. Secundùm quod Dominus mundi , quod Dominus cæli & terræ , Dominus utique & Mariæ : secundùm quod creator cæli & terræ , creator & Mariæ : se-

Gal. 4. 4.

cundùm autem quod dictum est , Factum ex mu- liere , factum sub Lege , filius Mariæ. Ipse Dominus Mariæ , ipse filius Mariæ : ipse creator Mariæ, ipse creatus ex Maria. Noli mirari , quia & filius & Dominus : sicut enim Mariæ , ita & David dictus est filius ; & ideo David filius , quia Mariæ filius. Audi Apostolum apertè dicentem , Qui factus *Rom.* 1. 3. est ei ex semine David secundùm carnem. Audi eum & Dominum David : dicat hoc ipse David ; Dixit Dominus Domino meo , sede ad dexteram *Psal.* 109. 1. meam. Et ipse Jesus hoc proposuit Judæis , & eos *Matth.* 22. inde convicit. Quomodo ergo David & filius & 45. dominus ? filius David secundùm carnem , dominus David secundùm divinitatem : sic Mariæ filius secundùm carnem,& Mariæ dominus secundùm majestatem. Quia ergo non erat illa mater divinitatis, & per divinitatem futurum erat miraculum quod petebat ; respondit ei , *Quid mihi & tibi est mulier ?* sed ne putes quòd te negem matrem , *Nondum venit hora mea :* ibi enim te agnoscam , cùm pendere in cruce cœperit infirmitas cujus mater es. Probemus si verum est. Quando passus est Dominus , sicut idem Evangelista dicit , qui noverat matrem Domini , & qui nobis insinuavit etiam in his nuptiis matrem Domini , ipse narrat : Erat , inquit , il- *Johan.* 19; lic circa crucem mater Jesu , & ait Jesus matri suæ , 25. & 26. Mulier , ecce filius tuus : & ad discipulum , Ecce mater tua. Commendat matrem discipulo : commendat matrem prior matre moriturus , & ante matris mortem resurrecturus : commendat homo homini hominem. Hoc pepererat Maria. Illa hora jam venerat , de qua tunc dixerat , *Nondum venit* F *hora mea.*

10. Quantum arbitror , Fratres , responsum Genethliest hæreticis : mathematicis respondeamus. Et ipsi unde conantur convincere , quia sub fato erat Jesus ? Quia ipse ait , inquiunt , *Nondum venit hora mea.* Ergo illi credimus ; & si dixisset , Horam non habeo , exclusisset mathematicos : sed ecce , inquiunt , ipse dixit , *Nondum venit hora mea.* Si ergo dixisset , Horam non habeo , exclusisset mathematicos , non esset unde calumniarentur : nunc verò quia dixit , *Nondum venit hora mea* , contra ipsius verba quid possumus dicere ? Mirum est quòd mathematici credendo verbis Christi , conantur convincere Christianos quòd sub hora fatali vixerit Christus. Credant ergo Christo dicenti , Potesta- *Johan.* 10. tem habeo ponendi animam meam , & iterum su- « 18. mendi eam : nemo tollit eam à me , sed ego pono « eam à meipso , & iterum sumo eam. Ergo-ne ista «

potestas sub fato est? Ostendant hominem qui potestatem habeat quando moriatur, quamdiu vivat: omnino non ostendent. Credant ergo Deo dicenti, Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam: & quærant quare sit dictum, *Nondum venit hora mea*: nec ideo jam sub fato ponant conditorem cæli, creatorem atque ordinatorem siderum. Quia si esset fatum de sideribus, non poterat esse sub necessitate siderum conditor siderum. Adde quia non solùm Christus non habuit quod appellas fatum: sed nec tu, aut ego, aut ille, aut quisquam hominum.

11. Verumtamen seducti seducunt, & proponunt fallacias hominibus: tendunt ad capiendos homines, & hoc in plateis. Nam qui tendunt ad capiendas feras, vel in silvis atque in solitudine id agunt: quàm infeliciter vani sunt homines, quibus capiendis in foro tenditur? Nummos accipiunt, cùm se homines hominibus vendunt: dant isti nummos, ut se vanitatibus vendant. Intrant enim ad mathematicum, ut emant sibi dominos, quales mathematico dare placuerit, vel Saturnum, vel Jovem, vel Mercurium, vel si quid aliud sacrilegi nominis. Intravit liber, ut nummis datis servus exiret. Immo verò non intraret, si liber esset: sed intravit quò eum dominus error, & domina cupiditas traxit. Unde & veritas dicit, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. *Joh* VIII. 8 34.

12. Quare ergo dixit, *Nondum venit hora mea?* Magis quia in potestate habebat quando moreretur, nondum videbat esse opportunum, ut illa potestate uteretur. Quomodo nos, Fratres, verbi gratiâ, sic loquimur, Jam certa hora est, qua exeamus ut celebremus sacramenta. Si antè exeamus quàm opus est, nonne perversi & præposteri sumus? Quia ergo non facimus, nisi quando opportunum est; propterea in his agendis, cùm ita loquimur, fatum consideramus? Quid est ergo, *Nondum venit hora mea?* quando ego scio opportunum me pati, quando passio mea utilis erit, nondum venit ipsa hora: tunc voluntate patiar. [a] ut utrumque serves, & *Nondum enim hora mea*, &, Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Venerat ergo habens in potestate quando moreretur. At si antè moreretur quàm discipulos elegisset, certè præposterum esset: si esset homo qui non haberet in potestate horam suam, posset antè mori quàm discipulos elegisset: & si fortè moreretur jam electis eruditisque discipulis; præstaretur ei, non ipse hoc faceret. At verò qui venerat in manu habens quando iret, quando rediret, quò usque excurreret, cui paterent inferi, non tantùm morienti, sed & resurgenti, ut nobis ostenderet spem immortalitatis Ecclesiæ suæ, in capite ostendit quod membra exspectare deberent. Resurget etiam in ceteris membris, qui resurrexit in capite. Hora ergo nondum venerat, opportunitas nondum erat. Vocandi erant discipuli, annuntiandum erat regnum cælorum, faciendæ erant virtutes, commendanda erat divinitas Domini in miraculis, commendanda erat humanitas Domini in ipsa compassione mortalitatis. Ille enim qui esuriebat, quia homo erat; pavit quinque panibus tot millia, quia Deus erat: qui dormiebat, quia homo erat, ventis & fluctibus imperabat, quia Deus erat. Hæc omnia commendanda erant priùs, ut esset quod scriberent Evangelistæ, quod prædicaretur Ecclesiæ. At ubi tantum fecit, quantum sufficere judicavit; venit hora non necessitatis, sed voluntatis, non conditionis, sed potestatis.

13. Quid ergo, Fratres, quia illis & illis respondimus, nihil dicemus quid sibi velint hydriæ, quid aqua in vinum conversa, quid architriclinus, quid sponsus, quid mater Jesu in mysterio, quid ipsæ nuptiæ? Dicenda sunt omnia, sed onerandi non estis. Volui quidem in nomine Christi & hesterno die, quo solet sermo deberi Caritati Vestræ, id agere vobiscum, sed non sum permissus necessitatibus quibusdam impedientibus. Si ergo placet Sanctitati Vestræ, hoc quod ad mysterium pertinet hujus facti, in crastinum differamus, & non oneremus & vestram & nostram infirmitatem. Sunt fortè hodie multi qui propter sollemnitatem diei, non propter audiendum sermonem convenerunt. Crastino qui venient, veniant audituri: ut nec fraudemus studiosos, nec gravemus fastidiosos.

TRACTATUS* IX.

* Habitus die proxima ante Tract. subseq.

In eamdem Evangelij lectionem. Quid mysterij sit in miraculo facto in nuptiis apud Cana Galilææ.

1. ADSIT Dominus Deus noster, ut donet nobis reddere quod promisimus. Hesterno enim die, si meminit Sanctitas Vestra, cùm temporis excluderemur angustiâ, ne sermonem inchoatum impleremus, in hodiernum distulimus, ut ea quæ in hoc facto Evangelicæ lectionis mysticè in sacramentis posita essent, ipso adjuvante aperirentur. Non itaque opus est jam immorari diutiùs in commendando Dei miraculo. Ipse est enim Deus, qui per universam creaturam quotidiana miracula facit, quæ hominibus non facilitate, sed assiduitate viluerunt: rara autem quæ facta sunt ab eodem Domino, id est, à Verbo propter nos incarnato, majorem stuporem hominibus adtulerunt: non quia majora erant, quàm sunt ea quæ quotidie in creatura facit, sed quia ista quæ quotidie fiunt, tamquam naturali cursu peraguntur; illa verò efficaciâ potentiæ tamquam præsentis exhibita videntur oculis hominum. Diximus, sicut meministis, resurrexit unus mortuus, obstupuerunt homines: cùm quotidie nasci qui non erant, nemo miretur. Sic aquam in vinum conversam quis non miretur, cùm hoc annis omnibus Deus in vitibus faciat? Sed quia omnia quæ fecit Dominus Jesus, non solùm valent ad excitanda corda nostra miraculis, sed etiam ad ædificanda in doctrina fidei: scrutari nos oportet, quid sibi velint illa omnia, id est, quid significent. Horum enim omnium significationes, sicut recordamini, in hodiernum distulimus.

2. Quòd Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quòd ipse fecit [b] nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere; & dicentes quòd malum essent nuptiæ, & quòd diabolus eas fecisset: cùm idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrùm liceat homini dimittere uxorem suam ex qualibet caussâ, non licere exceptâ caussâ fornicationis. In qua responsione, si meministis, hoc ait, Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et qui bene eruditi sunt in fide catholica, noverunt quòd Deus fecerit nuptias, & sicut conjunctio à Deo, ita divortium à diabolo sit. *1. Tim.* 4. 3. *Matth.* 19. 6.

[a] In aliquot MSS. *& utrumque verum est.*

[b] MSS. non addunt hîc, *nuptias.*

Sed propterea in caussa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quæ fidem conjugalem marito non servavit. Nec illæ quæ virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem gradum honoris & sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt: nam & ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus. Ac per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, & ostenderetur sacramentum nuptiarum: quia & illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat, cui dictum est, *Servasti vinum bonum usque adhuc.* Bonum enim vinum Christus servavit usque adhuc, id est, Evangelium suum.

Virginitatem voventium ampliori in Ecclesia gradus.

3. Jam enim incipiamus ipsa sacramentorum operta detegere, quantum ille donat in cujus nomine vobis promisimus. Erat prophetia antiquis temporibus, & à prophetiæ dispensatione nulla tempora cessaverunt: sed illa prophetia, quando in illa Christus non intelligebatur, aqua erat. In aqua enim vinum quodammodo latet. Dicit Apostolus quid intelligamus in ista aqua: Usque ad hodiernum, inquit, diem quamdiu legitur Moyses, idipsum velamen super cor eorum positum est: quod [a] non revelatur, quia in Christo evacuatur. Et cùm [b] transieris, inquit, ad Dominum, auferetur velamen. Velamen dicit adopertionem prophetiæ, ut non intelligeretur. Tollitur velamen, cùm transieris ad Dominum: sic tollitur insipientia, cùm transieris ad Dominum, & quod aqua erat, vinum tibi fit. Lege libros omnes propheticos, non intellecto Christo, quid tam insipidum & fatuum invenies? Intellige ibi Christum, non solùm sapit quod legis, sed etiam inebriat: mutans mentem à corpore, ut præterita obliviscens, in ea quæ antè sunt extendaris. *2. Cor.* 3. 15. *&c.* *Philip.* 3. 13.

4. Ergo prophetia ab antiquis temporibus, ex quo prorsus currit ordo nascentium in genere humano, de Christo non tacuit: sed occultum ibi erat, adhuc enim erat aqua. Unde probamus quòd omnibus temporibus superioribus usque ad ætatem qua Dominus venit, prophetia de illo non defuit? ipso Domino dicente. Cùm enim resurrexisset à mortuis, invenit discipulos dubitantes de ipso quem secuti erant. Viderunt enim eum mortuum, & non speraverunt resurrecturum, & tota spes eorum concidit. Unde ille latro laudatus, ipso die meruit esse in paradiso: quia in cruce fixus tunc confessus est Christum, quando de illo discipuli dubitaverunt. Ergo invenit eos nutantes, & quodammodo arguentes seipsos, quòd in illo redemtionem speraverant. Dolebant tamen eum sine culpa occisum, quia noverant innocentem. Et hoc ipsi post resurrectionem dixerunt, cùm quosdam eorum tristes invenisset in via, Tu solus peregrinaris in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa istis diebus? Ille autem dixit eis, Quæ? Illi autem dixerunt, De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in factis & dictis in conspectu Dei & universi populi, quomodo hunc tradiderunt sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & cruci eum fixerunt: nos autem sperabamus, quia ipse erat qui redemturus esset Israël: & nunc *Luca* 23. 43. *Luca* 24. 18. *&c.*

[a] Lov. *nunc revelatur.* At editi alij & MSS. habent, *non revelatur*: pro quo apud Apostolum legitur, *manet non revelatum.*

[b] Vulgata, *conversus fuerit.* At Augustinus non hîc solùm, sed etiam lib. 12. cont. Faustum c. 4. & alibi scribit, *transieris*: fortè Graecum ἐπιστρέψῃ sumsit interpres à verbo medio secundâ personâ.

[c] MSS. plures, *tertium diem agit hodie*: juxta Græc. τρίτην ταύτην ἄγει σήμερον.

hominem ad imaginem suam: quia sexta ista ætate manifestatur per Evangelium reformatio mentis nostræ, secundùm imaginem ejus, qui creavit nos: & convertitur aqua in vinum, ut jam manifestatum Christum in Lege & Prophetis sapiamus. Ideo *erant ibi sex hydriæ*, quas jussit impleri aquâ. Sex ergo illæ hydriæ, sex ætates significant, quibus non defuit prophetia. Illa ergo tempora sex, quasi articulis distributa atque distincta, quasi vasa essent inania, nisi à Christo implerentur. Quid dixi tempora, quæ inaniter currerent, nisi in eis Dominus Jesus prædicaretur? Impletæ sunt prophetiæ, plenæ sunt hydriæ: sed ut aqua in vinum convertatur, in illa tota prophetia Christus intelligatur.

Johan. 2. 6.

7. Quid est ergo, *Capiebant metretas binas vel ternas?* Mysterium nobis maximè ista locutio commendat. Metretas enim dicit mensuras quasdam, tamquam si diceret urnas, amphoras, vel si quid hujusmodi. Nomen mensuræ est metreta, & à mensura accepit nomen ista mensura. *Métrey* enim mensuram dicunt Græci: inde appellatæ metretæ. *Capiebant* ergo *metretas binas vel ternas*. Quid dicimus, Fratres? Si ternas tantùm diceret, non curreret animus noster nisi ad mysterium Trinitatis. Sed fortè nec sic debemus inde citò jam sensum avertere, quia dixit *binas vel ternas*: quia nominato Patre & Filio, consequenter & Spiritus-sanctus intelligendus est. Spiritus enim sanctus non est Patris tantummodo, aut Filij tantummodo Spiritus; sed Patris & Filij Spiritus. Scriptum est enim, Si quis dilexerit mundum, non est [a] Spiritus Patris in illo: item scriptum est, Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Idem autem Spiritus Patris & Filij. Nominato itaque Patre & Filio, intelligitur & Spiritus-sanctus: quia Spiritus est Patris & Filij. Cùm autem nominatur Pater & Filius, tamquam duæ metretæ nominantur: cùm autem ibi intelligitur Spiritus-sanctus, tres metretæ. Ideo non dictum est, capientes metretas aliæ binas, aliæ ternas: sed ipsæ sex hydriæ *capiebant metretas binas vel ternas*. Tamquam diceret, Et quando dico binas, etiam Spiritum Patris & Filij cum his intelligi volo: & quando dico ternas, ipsam Trinitatem manifestiùs enuntio.

1. Johan. 2. 15. *a Rom. 8. 9.*

8. Quisquis itaque nominat Patrem & Filium, oportet ibi intelligat tamquam caritatem invicem Patris & Filij, quod est Spiritus-sanctus. Fortassis enim discussæ Scripturæ: (quod non sic dico, ut hodie docere possim, aut quasi aliud inveniri non possit:) sed tamen fortassè scrutatæ Scripturæ indicant, quòd Spiritus-sanctus caritas est. Et ne putetis vilem esse caritatem. Quomodo autem vilis est, quando omnia quæ dicuntur non vilia, cara dicuntur? Si ergo quæ non sunt vilia, cara sunt: quid est cariùs ipsa caritate? Sic autem commendatur caritas ab Apostolo, ut dicat, Supereminentiorem viam vobis demonstro: Si linguis hominum *&c.* » loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens: & si sciero omnia sacramenta & omnem scientiam, & habuero prophetiam & omnem » fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem » non habeam, nihil sum: & si distribuero omnia » mea pauperibus, & tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi » prodest. Quanta est ergo caritas, quæ si desit, frustra habentur cetera: si adsit, [b] rectè habentur omnia? Tamen caritatem laudans Apostolus Paulus copiosissimè atque uberrimè, minus de illa dixit quàm quod ait breviter Apostolus Johannes, cujus est hoc Evangelium. Neque enim dubitavit dicere, Deus caritas est. Scriptum est etiam, Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Quis ergo nominet Patrem & Filium, & non ibi intelligat caritatem Patris & Filij? Quam cùm habere cœperit, Spiritum-sanctum habebit: quam si non habuerit, sine Spiritu-sancto erit. Et quomodo corpus tuum sine spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est: sic anima tua sine Spiritu-sancto, id est, sine caritate si fuerit, mortua deputabitur. Ergo metretas binas capiebant hydriæ, quia in omnium temporum prophetia Pater & Filius prædicatur: sed ibi est & Spiritus-sanctus; ideoque adjunctum est, *vel ternas*. Ego & Pater, inquit, unum sumus: sed absit ut desit Spiritus-sanctus, ubi audimus, Ego & pater unum sumus. Tamen quia Patrem & Filium nominavit, capiant hydriæ binas metretas: sed audi, *vel ternas*: Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Itaque in eo quod dicuntur binæ, non exprimitur, sed intelligitur: in eo verò quod dicuntur vel ternæ, etiam exprimitur Trinitas.

1. Johan. 4. 16. *Rom. 5. 5.* *Johan. 10. 30.* *Matth. 28. 19.*

9. Sed est & alius intellectus non prætermittendus, & ipsum dicam: eligat quisque quod placet; nos quod suggeritur non subtrahimus. Mensa enim Domini est, & non oportet ministrum fraudare convivas, præsertim sic esurientes, ut appareat aviditas vestra. Prophetia quæ ab antiquis temporibus dispensatur, ad salutem omnium gentium pertinet. Ad solum quidem populum Israël missus est Moyses, & ei soli populo per eum Lex data est, & ipsi Prophetæ ex illo populo fuerunt, & ipsa distributio temporum secundùm eumdem populum distincta est; unde & hydriæ dicuntur *secundùm purificationem Judæorum*: sed tamen quòd illa prophetia etiam ceteris gentibus annuntiabatur, manifestum est: quandoquidem Christus in eo occultus erat, in quo benedicuntur omnes gentes, sicut promissum est Abrahæ dicente Domino, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Nondum autem intelligebatur, quia nondum aqua conversa erat in vinum. Ergo omnibus gentibus dispensabatur prophetia. Quod ut emineat jocundiùs, de singulis ætatibus, tamquam de singulis hydriis, pro tempore quædam commemoremus.

Exodi 3. & 20. *Johan. 2. 6.* *Gen. 22. 18.*

10. In ipso exordio, Adam & Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum: & quidquid figurabatur in Adam de Christo, ad omnes utique gentes pertinebat, quibus salus est in Christo. Quid ergo potissimùm dicam de aqua primæ hydriæ, nisi quod Apostolus ait de Adam & Eva? Nemo enim me dicet pravè intellexisse, quando intellectum non meum, sed Apostoli profero. Illud ergo unum quantum mysterium de Christo continet, quod commemorat Apostolus, dicens, Et erunt duo in carne una: sacramentum hoc magnum est? Et ne quis magnitudinem istam sacramenti in singulis quibusque hominibus uxores habentibus intelligeret, Ego autem, inquit, dico in Christo & in Ecclesia. Quod est hoc sacramentum magnum, Erunt duo in carne una? Cùm de Adam & Eva Scriptura Geneseos loqueretur, unde ventum est ad hæc verba, Propterea relinquet homo

Ephes. 3. 31. & 32. *Gen. 2. 24.*

[a] Sic omnes codices. At Vulgata, *caritas*: consentiente Græco. [b] In MSS. omittitur, *rectè*.

» patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt » duo in carne una. Si ergo Christus adhæsit Ecclesiæ, ut essent duo in carne una, quomodo reliquit patrem? quomodo matrem? Reliquit Patrem, quia *Philip. 2. 6.* cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Hoc est enim, reliquit Patrem, non quia deseruit & recessit à Patre; sed quia non ea in forma apparuit hominibus, in qua æqualis est Patri. Quomodo reliquit matrem? Relinquendo synagogam Judæorum, de qua secundùm carnem natus est; & inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregavit. Ergo & prima hydria habebat prophetiam de Christo: sed quando ista quæ loquor non prædicabantur in populis, adhuc aqua erat, in vinum mutata nondum erat. Et quia illuminavit nos per Apostolum Dominus, ut ostenderet nobis quid ibi quæreremus in ipsa una sententia, Erunt duo in carne una, sacramentum magnum in Christo & in Ecclesia: jam licet nobis ubique Christum quærere, & de omnibus hydriis vinum potare. Dormit Adam ut fiat Eva: moritur *Gen. 2. 21.* Christus ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de *Adam. 19. 34.* latere: mortuo Christo lanceâ percutitur latus, ut profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Cui non appareat quia in illis tunc factis futura figurata sunt, quandoquidem dicit Apostolus ipsum *Rom. 5. 14.* Adam formam futuri esse? Qui est, inquit, forma futuri. Præfigurabantur omnia mysticè. Neque enim verè non poterat Deus vigilanti costam educere, feminamque formare. An fortè ne doleret latus quando costa detracta est, propter hoc oportebat ut ille dormiret? Quis est qui sic dormiat, ut ei ossa non evigilanti evellantur? An quia Deus evellebat, propterea homo non sentiebat? Poterat ergo & vigilanti sine dolore evellere, qui potuit dormienti. Sed procul dubio hydria prima implebatur: prophetia illius temporis de futuro isto tempore dispensabatur.

Gen. 7. 7. &c.

11. Christus etiam figuratus est in Noë, & in illa arca orbis terrarum. Quare enim in arca inclusa sunt omnia animalia, nisi ut significarentur omnes gentes? Non enim deerat Deo rursus creare omne genus animalium. Quando enim omnia non *Gen. 1. 24.* erant, nonne dixit, Producat terra, & produxit terra? Unde ergo tunc fecit, inde reficeret; verbo fecit, verbo reficeret: nisi quia mysterium commendabat, & secundam hydriam propheticæ dispensationis implebat, ut per lignum liberaretur figura orbis terrarum; quia in ligno figenda erat vita orbis terrarum.

12. Jam in tertia hydria, ipsi Abrahæ, quod *Gen. 22. 18.* jam commemoravi, dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et quis non videat cujus habebat figuram unicus ejus, qui sibi ad sacrificium, quò ipse immolandus ducebatur, ligna portabat? *Johan. 19. 17.* Portavit enim Dominus crucem suam, sicut Evangelium loquitur. Hoc de tertia hydria commemoraſſe ſuffecerit.

13. De David autem, quid dicam quòd ad omnes gentes pertinebat prophetia ejus; quando modò audivimus Psalmum, & difficile est ut dicatur Psalmus, ubi hoc non sonet? Sed certè, ut dixi, *Psal. 81 8.* modò cantavimus, Surge Deus, judica terram; quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus. Et ideo Donatistæ tamquam projecti de nuptiis: sicut *Matth. 22. 13.* ille homo qui non habebat vestem nuptialem, invitatus est & venit, sed projectus est de numero vocatorum, quia non habebat vestem ad sponsi gloriam: qui enim suam gloriam quærit, non Christi, non habet vestem nuptialem: non enim volunt consonare voci illius qui amicus erat sponsi, & ait, Hic *Johan. 1. 33.* est qui baptizat. Nec immeritò illi qui non habebat vestem nuptialem, hoc per increpationem objectum est, quod non erat: Amice, quid huc venisti? Et *Matth. 22. 12.* sicut ille obmutuit, ita & isti. Quid enim prodest strepitus oris, muto corde? Noverunt quippe intus apud semetipsos non se habere quod dicant. Intus obmutuerunt, foris perstrepunt. Audiunt, velint nolint, etiam apud se cantari, Surge Deus, judica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus: & non communicando omnibus gentibus, quid aliud quàm se exheredatos esse cognoscunt?

14. Quod ergo dicebam, Fratres, quia ad omnes gentes pertinet prophetia: (volo enim alium sensum ostendere in eo quod dictum est, *Capientes metretas binas vel ternas*:) ad omnes, inquam, gentes pertinet prophetia: modò commemoravimus demonstratum in Adam, qui est forma futuri. Quis *Rom. 5. 14.* autem nesciat quòd de illo exortæ sunt omnes gentes: & in ejus vocabulo quatuor litteris, quatuor orbis terrarum partes per Græcas appellationes demonstrantur? Si enim Græcè dicantur, Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, sicut eas plerisque locis sancta Scriptura commemorat, in capitibus verborum invenis Adam: dicuntur enim Græcè quatuor memoratæ mundi partes, ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία. Ista quatuor nomina si tamquam versus quatuor sub invicem scribas, in eorum capitibus Adam legitur. Hoc in Noë propter arcam figuratum est, in qua erant omnia animalia, quæ significabant omnes gentes: hoc in Abraham, cui apertiùs dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes: hoc in David, de cujus Psalmis, ut alia omittam, modò cantavimus, Surge Deus, judica terram; quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus. Cui enim Deo dicitur, Surge, nisi ei qui dormivit? Surge Deus, judica terram. Tamquam *Psal. 81. 8.* diceretur, Dormisti, judicatus à terra: surge, ut judices terram. Et quò pertinet illa prophetia, Quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus?

15. Jam verò in quinta ætate, tamquam in quinta hydria, Daniel vidit lapidem præcisum de *Dan. 2. 34.* monte sine manibus, & fregisse omnia regna terrarum, & crevisse illum lapidem, & factum esse montem magnum, ita ut impleret universam faciem terræ. Quid apertius, Fratres mei? Lapis de monte præciditur: ipse est lapis quem reprobave- *Psal. 117.* runt ædificantes, & factus est in caput anguli. De *22.* quo monte præciditur, nisi de regno Judæorum, unde Dominus noster Jesus Christus secundùm carnem natus est? Et præciditur sine manibus, sine opere humano; quia sine amplexu maritali de virgine exortus est. Mons ille unde præcisus est, non impleverat universam faciem terræ: non enim tenuerat regnum Judæorum omnes gentes. At verò regnum Christi, universum orbem terrarum cernimus occupare.

16. Jam ad sextam ætatem pertinet Johannes Baptista, quo nemo exsurrexit major in natis mulierum: de quo dictum est, Major quàm prophetа. *Matth. 11. 11. &c.* Quomodo & ipse ostendit, quia omnibus gentibus missus est Christus? Quando Judæi venerunt ad eum ut baptizarentur, & ne superbirent de nomine Abraham, Generatio, inquit, viperarum, quis *Matth. 3. 7.* ostendit vobis fugere ab ira ventura? facite ergo

fructum dignum pœnitentiæ: id est, humiles estote: superbis enim loquebatur. Unde autem erant superbi? De genere carnis, non de fructu imitationis
Matth. 3. 9. patris Abraham. Quid eis ait? Nolite dicere, patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de
„ lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Lapides dicens omnes gentes, non propter firmitatem, sicut lapis dictus est, quem reprobaverunt ædificantes: sed propter stoliditatem & duritiam stultitiæ; quia eis quos adorabant similes facti erant: adorabant enim insensata simulacra, pariter insensati. Unde
Psal. 113. 8. insensati? Quoniam in Psalmo dicitur, Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Ideo cùm cœperint homines Deum adorare, quid
Matth. 5. 45. audiunt? Ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, &
„ pluit super justos & injustos. Quapropter si ei fit homo similis quem adorat; quid est, Potens est
Matth. 3. 9 Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ? Nos ipsos interrogemus, & videmus quia factum est. Nos enim de gentibus venimus: de gentibus autem non veniremus, nisi Deus de lapidibus suscitasset filios Abrahæ. Facti sumus filij Abrahæ imitando fidem, non nascendo per carnem. Sicut enim illi degenerando exheredati: sic nos imitando adoptati. Ergo, Fratres, ad omnes gentes pertinebat etiam ista sextæ hydriæ prophetia: & ideo de omnibus dictum est, *Capientes metretas binas vel ternas.*

17. Sed quomodo ostendimus omnes gentes pertinere ad binas vel ternas metretas? Æstimantis enim fuit quodammodo, ut ipsas diceret binas, quas dixerat ternas, ad commendandum scilicet sacramentum. Quomodo sunt binæ metretæ? Circumcisio & præputium. Hos duos populos Scriptura commemorat, & nullum prætermittit hominum genus, quando dicit, Circumcisio & præputium: in duobus istis nominibus habes omnes gentes: binæ metretæ sunt. His duobus parietibus de diverso venientibus ad pacem in seipso faciendam, lapis angularis factus est Christus. Ostendamus & ternas metretas in eisdem ipsis omnibus gentibus. Tres erant filij Noë, per quos reparatum est genus humanum. Unde Dominus ait, Simile est regnum cælorum fermento, quod accepit mulier & abscondit in farinæ mensuris tribus, quoad usque fermentaretur totum. Quæ est ista mulier, nisi caro Domini? Quod est fermentum, nisi Evangelium? Quæ sunt tres mensuræ, nisi omnes gentes, propter tres filios Noë? Ergo *sex hydriæ capientes binas vel ternas metretas*, sex sunt ætates temporum, capientes prophetiam pertinentem ad omnes gentes, sive in duobus generibus hominum, id est, Judæis & Græcis, sicut sæpe Apostolus commemorat; sive in tribus, propter Noë tres filios, significatas. Figurata est enim prophetia pertingens usque ad omnes gentes. Nam in eo quod pertingit, dicta est metreta, sicut dicit Apostolus, Accepimus mensuram pertingendi usque ad vos. Gentibus enim evangelizans, hoc ait, mensuram pertingendi usque ad vos.

Col. 3. 11. *Ephes.* 2. 14. *Gen.* 5 31. *Luc.* 13 21. *Matth.* 13. 33. *Rom.* 2 9. *&c.* 1 *Cor.* 1. 24. *&c.* 2. *Cor.* 10. 13.

* TRACTATUS X.

Ab eo Evangelij loco, Post hæc descendit ad Capharnaum ipse & mater ejus *&c. usque ad id*, Ille autem dicebat de templo corporis sui.

1. IN Psalmo audistis gemitum pauperis, cujus membra per totam terram tribulationes patiuntur usque in finem sæculi. Satis agite fratres mei, esse in his membris & de his membris: nam tribulatio tota transitura est. Væ gaudentibus. Veritas dicit, Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Deus homo factus est: quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo? Hæc spes consoletur nos in omni tribulatione & tentatione hujus vitæ. Non enim cessat inimicus persequi, & si non apertè sævit, insidiis agit. Quid enim agit? Et super iram dolosè agebant. Inde dictus est leo & draco. Sed quid dicitur Christo? Et conculcabis leonem & draconem. Leo propter apertam iram, draco propter occultas insidias. Draco ejecit Adam de paradiso, idem ipse leo persecutus est Ecclesiam, dicente Petro, Quia adversarius vester diabolus sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Non tibi sævitiam suam perdidisse diabolus videatur: quando blanditur, tunc magis cavendus est. Sed inter has omnes insidias & ejus tentationes, quid faciemus, nisi quod ibi audivimus, Ego autem cùm mihi molesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in jejunio animam meam. Est qui exaudiat, ne dubitetis orare: qui autem exaudit, intus manet. Non in montem aliquem oculos dirigatis, non faciem in stellas aut solem aut lunam levetis. Non tunc exaudiri vos arbitremini, quando super mare oratis: immo detestamini tales orationes. Munda tantùm cubiculum cordis: ubi fueris, ubicumque oraveris, intus est qui exaudiat, intus in secreto, quem sinum vocat cùm ait, Et oratio mea in sinu meo convertetur. Qui te exaudit, non est præter te. Non longè vadas, nec te extollas, ut quasi adtingas illum manibus. Magis si te extuleris, cades: si te humiliaveris, ipse appropinquabit. Hic Dominus Deus noster Verbum Dei, Verbum caro factum, Filius patris, Filius Dei, Filius hominis: excelsus ut nos faceret, humilis ut nos reficeret, ambulans inter homines, patiens humana, abscondens divina.

Matth. 5. 5. *Psal.* 90. 13. 1. *Pet.* 5. 8. *Psal* 34. 15. *Ibidem.* Superstitiosæ orationes super mare.

2. *Descendit*, ut dicit Evangelista, *in Capharnaum, ipse & mater ejus, & fratres ejus, & discipuli ejus, & ibi manserunt non multis diebus.* Ecce habet matrem, habet fratres, habet & discipulos: inde fratres, unde matrem. Fratres enim Scriptura nostra, non eos solos appellare consuevit, qui nascuntur ex eodem viro & femina, aut ex eodem utero, aut ex eodem patre, quamvis diversis matribus, aut certè ex eodem gradu velut compatruales aut consobrinos: non solùm hos fratres, novit dicere Scriptura nostra. Quomodo loquitur, sic intelligenda est. Habet linguam suam: quicumque hanc linguam nescit, turbatur, & dicit, Unde fratres Domino? Num enim Maria iterum peperit? absit. Inde cœpit dignitas virginum. Illa femina mater esse potuit, mulier esse non potuit. Dicta est autem mulier secundùm femineum sexum, non secundùm corruptionem integritatis: & hoc ex lingua ipsius Scripturæ. Nam & Eva statim facta de latere viri sui, nondum contacta à viro suo, nostis quia mulier appellata est: Et formavit eam in mulierem. Unde ergo fratres? Cognati Mariæ fratres Domini, de quolibet gradu cognati. Unde probamus? Ex ipsa Scriptura. Frater Abrahæ dictus est Lot, filius erat fratris ipsius. Lege, & invenies quia Abraham patruus erat Lot, & dicti sunt fratres. Unde, nisi quia cognati? Item Jacob Laban Syrum habebat avunculum: frater enim erat Laban matris Jacob, id est, Rebeccæ uxoris Isaac. Lege Scripturam, & invenies quia fratres dicuntur avunculus & sororis filius.

Johan. 2. 12. *Gen.* 13. 8. *& cap.* 14. 14. *Gen.* 11. 31. *Gen.* 28. 2. *Gen.* 29. 15.

a Habitus die proximo post Tract. præced. & paulo ante Pascha.

filius. Qua regulâ cognitâ, invenies omnes consanguineos Mariæ fratres esse Christi.

3. Sed illi discipuli magis erant fratres; quia & illi cognati fratres non essent, si discipuli non essent: & sine caussa fratres, si magistrum non agnoscerent fratrem. Nam quodam loco cùm ei nuntiati essent mater & fratres ejus foris stantes, ille autem cum
Matth. 12. 48. discipulis suis loquebatur, ait, Quæ mihi mater,
„ vel qui fratres? Et extendens manum super discipulos suos dixit, Hi sunt fratres mei. Et, Quicum-
„ que fecerit voluntatem Patris mei, ille mihi mater & frater & soror est. Ergo & Maria, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in ea magnificavit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Intendat Caritas Vestra. Propterea cùm Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa & prodigia, & ostendens quid lateret in car-
Luc. 11. 27. ne, admiratæ quædam animæ dixerunt, Felix ven-
„ ter qui te portavit. Et ille, Immo felices qui audiunt
„ verbum Dei, & custodiunt. Hoc est dicere, Et mater mea quam appellastis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodit: non quia in illa Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; sed quia custodit ipsum Verbum Dei per quod facta est, & quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exsultent si spiritu junguntur Deo. Hæc diximus propter id quod ait Evangelista, quia cum matre sua & fratribus suis & discipulis habitavit in Capharnaum paucis diebus.

Johan. 2. *v.* 13. 4. Inde quid sequitur? *Et propè erat Pascha Judæorum, & adscendit Jerosolymam.* Aliam rem narrat, sicut se habebat recordatio annuntiantis. * *Et*
v. 14. *invenit in templo vendentes boves & oves & columbas,*
v. 15. *& nummularios sedentes:* * *& cùm fecisset quasi flagellum de resticulis, omnes ejecit de templo: boves quoque & oves, & nummulariorum effudit æs, & mensas sub-*
v. 16. *vertit:* * *& his qui columbas vendebant, dixit, Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Quid audivimus fratres? Ecce templum illud figura adhuc erat, & ejecit inde Dominus omnes qui sua quærebant, qui ad nundinas venerant. Et quæ ibi vendebant illi? quæ opus habebant homines in sacrificiis illius temporis. Novit enim Caritas Vestra, quòd sacrificia illi populo pro ejus carnalitate & corde adhuc lapideo talia data sunt, quibus teneretur ne in idola defflueret: & immolabant ibi sacrificia, boves, oves & columbas. nostis, quia legistis. Non ergo magnum peccatum, si hoc vendebant in templo, quod emebatur ut offerretur in templo: & tamen ejecit inde illos. Quid si ibi ebriosos inveniret, quid faceret Dominus; si vendentes ea quæ licita sunt, & contra justitiam non sunt, (quæ enim honestè emuntur, non illicitè venduntur,) expulit tamen, & non est passus domum orationis fieri domum negotiationis? Si negotiationis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri? Nos autem quando ista dicimus, stridunt dentibus suis adversùs nos: & consolatur nos Psalmus quem audistis, Striderunt super me dentibus suis. Novimus & nos audire unde curemur, etsi ingeminantur flagella Christo, quia flagellatur fermo ipsius: Congregata sunt, inquit, in me flagella, & [a] nescierunt. Flagellatus est flagellis Judæorum, flagellatur blasphemiis falsorum Christianorum: multiplicant flagella Domino suo, & nesciunt. Faciamus nos, quantum ipse adjuvat, Ego autem cùm mihi molesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in jejunio animam meam. *Ibidem* 15.

5. Dicimus tamen, Fratres, (Non enim & ipse pepercit illis: qui flagellandus erat ab eis, prior illos flagellavit.) signum quoddam nobis ostendit, quòd fecit flagellum de resticulis, & inde indisciplinatos, negotiationem de Dei templo facientes, flagellavit. Etenim unusquisque in peccatis suis restem sibi texit. Propheta dicit, Væ his qui trahunt peccata sicut restem longam. Quis facit restem longam? qui peccato addit peccatum. Quomodo adduntur peccata peccatis? cùm peccata quæ facta sunt, cooperiuntur aliis peccatis. Furtum fecit, ne inveniatur [b] quia fecit, quærit mathematicum. Sufficeret furtum fecisse: quare vis adjungere peccatum peccato? ecce duo peccata. Cùm ad mathematicum prohiberis accedere, blasphemas episcopum: ecce tria peccata. Cùm audis, Mitte illum foras de Ecclesia: dicis, Duco me ad partem Donati: ecce addis quartum. Crescit restis: time restem. Bonum est tibi ut hîc inde cùm flagellaris, corrigaris; ne in fine dicatur, Ligate illi pedes & manus, & projicite eum in tenebras exteriores. Criniculis enim peccatorum suorum unusquisque constringitur. Illud Dominus dicit, illud alia Scriptura dicit, sed utrumque Dominus dicit. De peccatis suis ligantur homines, & mittuntur in tenebras exteriores. *Isa.* 5. 18. *sec.* Lxx. b *Matth.* 22. 13. *Prov.* 5. 22.

6. Qui sunt tamen qui vendunt boves? ut in figura quæramus mysterium facti. Qui sunt qui oves vendunt & columbas? ipsi sunt qui sua quærunt in Ecclesia, non quæ Jesu Christi. Venale habent totum, [c] qui nolunt redimi: emi nolunt, & vendere volunt. Bonum est enim eis ut redimantur sanguine Christi, ut perveniant ad pacem Christi. Quid enim prodest adquirere in hoc sæculo quodlibet temporale & transitorium, sive sit pecunia, sive sit voluptas ventris & gutturis, sive sit honor in laude humana? Nonne omnia fumus & ventus? nonne omnia transeunt, currunt? Et væ his qui hæserint transeuntibus, quia simul transeunt. Nonne omnia fluvius præceps currens in mare? Et væ qui ceciderit, quia in mare trahetur. Ergo tenere debemus omnes affectus à talibus concupiscentiis. Fratres mei, qui talia quærunt, vendunt. Nam & Simon ille ideo volebat emere Spiritum-sanctum, quia vendere volebat Spiritum-sanctum: & putabat Apostolos mercatores tales esse, quales Dominus de templo flagello ejecit. Talis enim ipse erat, & quod venderet emere volebat: de illis erat qui columbas vendunt. Etenim in columba apparuit Spiritus-sanctus. Qui ergo vendunt columbas, Fratres, qui sunt, nisi qui dicunt, Nos damus Spiritum-sanctum? Quare enim hoc dicunt, & quo pretio vendunt? pretio honoris sui. Accipiunt pretium cathedras temporales, ut videantur ipsi vendere columbas. Caveant à flagello de resticulis. Columba non est venalis: gratis datur, quia gratia vocatur. Ideo Fratres mei, quomodo videtis eos qui vendunt, [d] propolarios, quisque quod vendit laudat: quot proposita fecerunt? Alterum propositum *Act.* 8. 18. *Matth.* 3. 16. c *Philip.* 2. 21.

a Editi, *nesciebant*, MSS. *nescierunt*. At Vulgata, *ignoravi*.
b Lov. *qui fecit*. Ceteri codices, *quia*.
c MSS. *quia nolunt redimi*.
d In tribus codicibus, *popularios*. Sed melius in ceteris, *propolarios*, id est *propolus*: quam vocem origine Græcam alij putant, ductam à verbo πωλεῖν, vendere: Augustinus verò hîc Latinam omnino esse, & natam ex eo significat, quod venditor quisque merces *ad propositum laudat*.

[a] habet Carthagine Primianus, alterum habet Maximianus, alterum habet in Mauritania Rogatus, alterum habent in Numidia illi & illi, quos jam nec nominare sufficimus. Circuit ergo aliquis emere columbam, unusquisque ad propositum suum laudat quod vendit. Avertatur illius cor ab omni vendente, veniat ubi gratis accipitur. Nec sic erubescunt, Fratres, quia per ipsas dissensiones suas amaras & malitiosas, cùm sibi tribuunt quod non *Gal. 6. 3.* sunt, cùm extolluntur putantes se aliquid esse cùm nihil sint, tot partes de se fecerunt. Sed quid in eis B implerum est quod nolunt corrigi, nisi quod audi- *Psal. 34. 16.* stis in Psalmo, Dissecisti sunt, nec compuncti sunt?

7. Qui ergo boves vendunt? Boves intelliguntur qui nobis Scripturas sanctas dispensaverunt. Boves erant Apostoli, boves erant Prophetæ. Unde *1. Cor. 9. 9.* dicit Apostolus, Bovi trituranti os non infrenabis. » Numquid de bobus pertinet ad Deum? An propter nos dicit? Propter nos enim dicit: quia debet in » spe qui arat arare, & triturans in spe participandi. Ergo illi boves reliquerunt nobis memoriam Scripturarum. Non enim de suo dispensaverunt, quia gloriam Domini quæsierunt. Quid enim audistis in *Psal. 34. 27.* ipso Psalmo? Et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus. Servus Dei, populus Dei, Ecclesia Dei. Qui volunt pacem Ecclesiæ ipsius, magnificent Dominum, non servum: & dicant semper, Magnificetur Dominus. Qui dicant? Qui volunt pacem servi ejus. Ipsius populi, ipsius servi vox est illa evidens, quam in lamentationibus audistis in Psalmo, & movebamini cùm D Psalmus ab uno cantatus. audiretis, quia inde estis. Quod cantabatur ab uno, de omnibus cordibus resonabat. Felices qui se in illis vocibus tamquam in speculo cognoscebant. Qui ergo volunt pacem servi ejus, pacem populi ejus, pacem unius quam dicit unicam, & quam vult erui *Psal. 21. 21. & 22.* à leone, Erue de manu canis unicam meam? qui dicunt semper, Magnificetur Dominus. Ergo boves illi Dominum magnificaverunt, non se. Videte bovem magnificantem Dominum suum, quia agno- *Isa. 1. 3.* vit bos possessorem suum: adtendite bovem timentem ne deseratur possessor bovis, & in bove præsumatur; quomodo expavescit eos qui volunt in illo *1. Cor. 1. 13.* ponere spem: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quod dedi, non ego dedi: gratis accepistis, columba de *1. Cor. 3. 6. &c.* cælo descendit. Ego, inquit, plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit: neque qui » plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et dicant semper, Magnifice- *Psal. 34. 27.* tur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

8. Isti autem de Scripturis ipsis fallunt populos, ut accipiant ab ipsis honores & laudes, & non convertantur homines ad veritatem. Quia verò ipsis Scripturis fallunt populos, à quibus quærunt honores: vendunt boves, vendunt & oves, id est ipsas plebes. Et cui vendunt, nisi diabolo? Namque, Fratres mei, si Christi unica Ecclesia est, & una est; quidquid inde præciditur, quis tollit nisi leo *1. Pet. 5. 8.* ille rugiens & circumiens, quærens quem devoret? Væ his qui præciduntur: nam illa integra perma- G *2. Tim. 2. 19.* nebit. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Tamen quantum in ipsis est, vendunt boves & oves, vendunt & columbas: observent flagellum peccatorum suorum. Certè quando aliquid tale patiuntur propter istas iniquitates suas, agnoscant quia Dominus fecit flagellum de resticulis, & ad hoc admonet eos ut mutent se, ut non sint negotiatores: nam si se non mutaverint, audient in fine, Ligate illis manus & pedes, & projicite in tenebras *Matth. 22. 13.* exteriores.

9. Tunc scriptum esse, Zelus domus tuæ comedit *Psal. 68. 10.* me, recordati sunt discipuli: quia zelo domus Dei *Johan. 2. 17.* ejecit istos de templo Dominus. Fratres, unusquis- Zelo domus Dei flagrare omnes debemus. que Christianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia quæ fortè ibi videt perversa, satagit [b] corrigi, cupit emendari, non quiescit: si emendare non potest, tolerat, gemit. Non excutitur de area granum, sustinet paleam; ut intret in horreum, cùm palea fuerit separata. Tu ante horreum, si granum es, noli excuti de area; ne priùs ab avibus colligaris, quàm in horreum congregeris. Aves enim cæli aëriæ potestates exspectant aliquid rapere de area, & non rapiunt nisi quod inde fuerit excussum. Ergo zelus domus Dei comedat te: unumquemque Christianum zelus domus Dei comedat, in qua domo Dei membrum est. Non enim magis est domus tua, quàm domus ubi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem: domum Dei intras propter requiem sempiternam. Si ergò in domo tua ne quid perversum fiat satagis: in domo Dei ubi salus proposita est & requies sine fine, debes pati quantum in te est, si quid fortè perversum videris? Verbi gratiâ, Vides fratrem currere ad theatrum? prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquam decet? prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire; noli tamen quiescere. Amicus est? admoneatur leniter. Uxor est? severissimè refrenetur. Ancilla est? etiam verberibus compescatur. Fac quidquid potes, pro persona quam portas: & perficis, *zelus domus tuæ comedit me.* Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi tibi sufficiens, & dicens in corde tuo, Quid mihi est curare aliena peccata? sufficit mihi anima mea; ipsam integram servem Deo. Eia, non tibi venit in mentem servus ille qui abscondit talentum, *Matth. 25.* & noluit erogare? Numquid enim accusatus est, *25.* quia perdidit, & non quia sine lucro servavit? Sic ergo audite Fratres mei, ut non quiescatis. Ego vobis consilium daturus sum: det ille qui intus est; quia & si per me dederit, ille dat. Nostis quid agatis unusquisque in domo sua cum amico, cum inquilino, cum cliente suo, cum majore, cum minore: quomodo dat Deus aditum, quomodo aperit januam verbo suo, nolite quiescere lucrari Christo; quia lucrati estis à Christo.

10. * *Dixerunt illi Judæi, Quod signum ostendis* *Johan. 2.* *nobis, quia hæc facis?* Et Dominus, * *Solvite templum* *v. 18.* *hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* * *Dixerunt ergo* *v. 19. v. 20.* *Judæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu dicis, in tribus diebus excitabo illud?* Caro erant, carnalia sapiebant: ille verò loquebatur spiritaliter. Quis autem posset intelligere de quo templo dicebat? Sed non multùm quærimus;

[a] Capita indicat factionum aliquot, quibus Donatistæ inter se ipsi dissi indebantur, adeo ut factio quæque jactaret baptisinum integrum validumque nonnisi apud se reperiri. Qua de re Augustinus in l. 1. de baptismo contra Donatist. c. 6. *Eadem*, ait, *pars Donati in multa minutissima frusta conscissa est, quæ omnes minuta partícula hanc unam multò grandiorem, in qua Primianus est, de recepto Maximianistarum baptismo reprehendunt, & singula conantur asservare apud se tantummodo verum baptismum remansisse.* De Primiano & Maximiano consule Enarrat. 2. in Psal. 36. De Rogato Epist. 93. ad Vincentium.

[b] Sic MSS. At editi, *satagit emendare, cupit corrigere.*

per Evangelistam nobis aperuit, dixit de quo templo diceret: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quadraginta & sex annis ædificatum est templum, & triduo suscitabis illud? Dicebat autem*, ait *v. 21.* Evangelista, * *de templo corporis sui.* Et manifestum est, occisum Dominum post triduum resurrexisse. Hoc modò omnibus nobis notum est: & si Judæis clausum est, quia foris stant; nobis tamen apertum est, quia novimus in quem credimus. Ipsius templi solutionem & reædificationem, anniversaria sollemnitate celebraturi sumus: ad quam vos B exhortamur, ut præparetis vos, si qui estis catechumeni, ut accipiatis gratiam: jam nunc tempus est, jam nunc parturiatur quod tunc nascatur. Ergo illud novimus.

11. Sed fortè hoc exigitur à nobis, utrùm habeat aliquod sacramentum quadraginta-sex annis ædificatum templum. Sunt quidem multa quæ hinc dici possint; sed quod breviter dici potest & facilè intelligi, hoc interim dicimus. Fratres, di- In superiori Tractatu. ximus jam, nisi fallor, hesterno die, Adam unum C hominem fuisse, & ipsum esse totum genus humanum. Nam ita diximus, si meministis. Quasi fractus est, & sparsus colligitur, & quasi conflatur in a [a] unum societate atque concordiâ spiritali. Et gemit unus pauper modò ipse Adam, sed in Christo innovatur: quia sine peccato venit Adam, ut peccatum Adam solveret in carne sua, & ut redintegraret sibi Adam [b] imaginem Dei. De Adam ergo b caro Christi: de Adam ergo templum quod destruxerunt Judæi, & resuscitavit Dominus triduo. D Resuscitavit enim carnem suam: videte, quia Deus erat æqualis Patri. Fratres mei, dicit Apostolus, Qui eum excitavit à mortuis. De quo dicit? de Pa- *Philip. 2. 8.* tre: Factus, inquit, obediens usque ad mortem, » mortem autem crucis: propter quod & Deus illum c » [c] excitavit à mortuis, & dedit ei nomen quod est super omne nomen. Resuscitatus & exaltatus est Dominus. Resuscitavit eum. Quis? Pater, cui di- *Psal. 40. 11.* xit in Psalmis, Excita me, & reddam illis. Ergo Pater eum resuscitavit. Non se ipse? Quid autem E facit Pater sine Verbo? Quid facit Pater sine Unico suo? Nam audi quia & ipse Deus erat: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Numquid dixit, Solvite templum, quod triduo Pater resuscitet? Sed quomodo cùm Pater suscitat, & Filius suscitat: sic cùm Filius suscitat, & Pater sus- *Johan. 10. 30.* citat: quia Filius dixit, Ego & Pater unum sumus.

12. Quid ergo sibi vult numerus quadragenarius senarius? Interim ipse Adam quia per totum orbem terrarum est, audistis jam hesterno die in F quatuor litteris Græcis quatuor verborum Græcorum. Si enim ista verba quatuor scribas sub invicem, id est, nomina quatuor partium mundi, Orientis, Occidentis, Aquilonis & Meridiani, quod *Marci 13. 27.* est totus orbis; unde dicit Dominus à quatuor ventis collecturum se electos suos cùm venerit ad judicium: si enim facias ista quatuor nomina Græca, ἀνατολή, quod est Oriens; δύσις, quod est Occidens; ἄρκτος, quod est Septentrio; μεσημβρία, quod est Meridies: Anatole, dysis, arctos, mesem- G bria, capita verborum Adam habent. Quomodo ergo ibi invenimus & quadragenarium senarium numerum? Quia caro Christi de Adam erat. Ad litteras numeros computant Græci. Quod nos facimus *a* litteram, ipsi linguâ suâ ponunt alpha α, & vocatur alpha α unum. Ubi autem in numeris scribunt beta β, quod est *b* ipsorum, vocatur in numeris duo. Ubi scribunt gamma γ, vocatur in numeris ipsorum tria. Ubi scribunt delta δ, vocatur in numeris ipsorum quatuor: & sic per omnes litteras numeros habent. *m*, quod nos dicimus, & illi dicunt my μ, quadraginta significat: dicunt enim my μ πεσσαρακοντα. Jam videte istæ litteræ quem numerum habeant; & ibi invenietis quadraginta-sex annis ædificatum templum. Habet enim Adam alpha α, quod est unum: habet delta δ, quod sunt B quatuor, habes quinque: habet iterum alpha α, quod est unum, habes sex: habet & my μ, quod est quadraginta, habes quadraginta-sex. Hæc, Fratres mei, etiam ab [d] anterioribus majoribus nos- d tris dicta sunt, & inventus est iste numerus in litteris quadragenarius senarius. Et quia Dominus noster Jesus Christus de Adam corpus accepit, non de Adam peccatum traxit; templum corporeum inde sumsit, non iniquitatem quæ de templo pel- C lenda est: ipsam autem carnem quam traxit de Adam, (Maria enim de Adam & Domini caro de Maria,) Judæi crucifixerunt; & ille resuscitaturus erat ipsam carnem in triduo, quam illi in cruce erant occisuri: illi solverunt templum quadraginta-sex annis ædificatum, & ille in triduo resuscitavit illud.

13. Benedicimus Domino Deo nostro, qui ad lætitiam spiritalem congregavit nos. Simus in humilitate cordis semper, & gaudium nostrum penes ipsum sit. Non de prosperitate aliqua hujus D sæculi inflemur, sed noverimus felicitatem nostram non esse nisi cùm ista transierint. Modò gaudium nostrum, Fratres mei, in spe sit: nemo gaudeat quasi in re præsenti, ne hæreat in via. Totum gaudium de spe futura sit, totum desiderium vitæ æternæ sit. Omnia suspiria Christo anhelent: ille unus pulcherrimus, qui & fœdos dilexit ut pulcros faceret, desideretur: ad illum unum curratur, illi ingemiscatur: & dicant semper, Magnificetur Do- *Psal. 34. 27.* minus, qui volunt pacem servi ejus.

* TRACTATUS XI.

* Habitus paulò ante Paschа, ex n. 1. & die Dominico ex subseq. Tract. n. 1.

Ab eo quod scriptum est, Cùm autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, *usque ad id*, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.

1. Opportune nobis Dominus procuravit hodierno die lectionis hujus ordinem: nam quia ex ordine Evangelium secundùm Johannem considerare atque tractare suscepimus, credo quòd adverterit Caritas Vestra. Opportunè ergo occurrit, ut hodie audiretis ex Evangelio, quia *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Johan. 3. 5.* *Spiritu, non videbit regnum Dei.* Tempus est enim ut vos exhortemur, qui adhuc estis catechumeni: qui sic credidistis in Christum, ut adhuc vestra peccata portetis. Nullus autem regnum cælorum videbit oneratus peccatis; quia nisi cui dimissa fuerint, non regnabit cum Christo: dimitti autem non possunt, nisi ei qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto. Sed omnia verba quemadmodum se habeant advertamus, ut hîc inveniant qui pigri sunt, quanta sollicitudine sibi festinandum sit ad onus

[a] Sic MSS. At editi *in unam societatem atque concordiam spiritalem.*

[b] MS. Fossatensis, *in imaginem.*

[c] Tres MSS. *exsuscitavit à mortuis.*

[d] V. lib. de montib. Sina & Sion cont. Judæos, inter Cypriani opera.

deponendum. Quia si ferrent aliquam sarcinam A gravem, aut lapidis aut ligni, aut alicujus etiam lucri, si frumentum portarent, si vinum, si pecuniam, currerent ut deponerent onera: portant sarcinam peccatorum, & pigri sunt currere. Currendum est ut deponatur hæc sarcina; premit, & mergit.

Johan. 2. 23. 2. Ecce audistis quia, *Cùm esset* Dominus Jesus Christus *Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat. Multi crediderunt in nomine ejus:* & quid sequitur? B

v. 24. *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis.* Quid sibi ergo hoc vult, Illi *credebant in nomine ejus*, & *Ipse Jesus non credebat semetipsum eis?* An fortè non crediderant ei, & fingebant se credidisse, & propterea Jesus non se credebat eis? Sed non diceret Evangelista, *Multi crediderunt in nomine ejus*, nisi verum illis testimonium perhiberet. Magna ergo res, & mira res: credunt homines in Christum, & Christus non se credit hominibus. Præsertim quia Filius Dei est, utique volens passus est; & si nollet, num- C quam pateretur; qui si nollet, nec nasceretur: si autem hoc solum vellet, ut nasceretur tantùm, & non moreretur, & quidquid vellet, faceret: quia omnipotentis Patris Filius omnipotens est. Ex ipsis rebus probemus: quia cùm voluissent eum tene-

Luca 4. 29. *&c.* re, discessit ab eis: loquitur Evangelium: Et cùm voluissent eum de vertice montis præcipitare, discessit ab eis illæsus. Et quando venerunt ad eum comprehendendum, jam venditum à Juda traditore, cùm ille putaret in potestate se habere, tra- D dere magistrum & Dominum suum; & ibi ostendit Dominus voluntate se pati, non necessitate. Nam cùm eum comprehendere Judæi voluissent,

Johan. 18. 5. *&c.* dixit illis, Quem quæritis? At illi dixerunt, Jesum Nazarenum. Et ille, Ego sum. Hac voce audita, redierunt retrò, & ceciderunt. In eo quod eos respondens dejecit, ostendit potestatem: ut in eo quod ab eis comprehensus est, ostenderet voluntatem. Ergo quod passus est, misericordiæ fuit. Tra-

Rom. 4. 25. ditus est enim propter delicta nostra, & resurrexit E propter justificationem nostram. Audi verba ipsius: Potestatem habeo ponendi animam meam,

Johan. 10. 18. » & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo » tollit eam à me, sed ego pono illam à meipso, ut » iterum sumam eam. Cùm ergo haberet tantam potestatem, cùm eam dictis prædicaret, factis ostenderet, quid sibi vult quod non se credebat eis Jesus, quasi aliquid nolenti nocituris, aut aliquid nolenti facturis, præsertim quia jam crediderant in nomine ejus? Et de ipsis dicit Evangelista, *Credide-* F

Johan. 2. *v.* 24. *runt in nomine ejus*, de quibus dicit, * *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis.* Quare? *Quòd ipse nos-*

v. 25. *set omnes*, * *& quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine.* Plus noverat artifex quid esset in opere suo, quàm ipsum opus quid esset in semetipso. Creator hominis noverat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non noverat. Nonne hoc probamus de Petro, quia non noverat quid in ipso esset, quando dixit, Tecum usque ad mortem? Au- G

Matth. 26. 33. *&c. Luca* 22. 33. *&c.* di quia Dominus noverat quid esset in homine: Tu » mecum usque ad mortem? Amen amen dico tibi, » priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Homo ergo nesciebat quid esset in se, sed Creator hominis noverat quid esset in homine. Crediderunt tamen in nomine ejus multi, & ipse Jesus non se credebat eis. Quid dicimus fratres? Fortè consequentia indicabunt nobis, quid sibi vult mysterium verborum istorum. Quia crediderant in eum homines, manifestum est, verum est: nemo dubitat, Evangelium loquitur, verax Evangelista testatur. Item quia ipse Jesus non credebat semetipsum illis, & hoc manifestum est, & nullus Christianus dubitat: quia & hoc Evangelium loquitur, & idem verax Evangelista testatur. Quare ergo crediderunt illi in nomine ejus, & Jesus non credebat semetipsum illis? Sequentia videamus.

Johan. 3. *v.* 1. *v.* 2. 3. * *Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum:* * *hic venit ad eum nocte, & dixit ei, Rabbi.* Jam hoc nostis, quia Rabbi magister dicitur. *Scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ergo iste Nicodemus ex his erat, qui crediderant in nomine ejus, videntes signa & prodigia quæ faciebat. Superiùs enim hoc dixit: *Cùm autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus.* Quare crediderunt? sequitur & dicit, *videntes signa ejus quæ faciebat.* Et de Nicodemo quid dicit? *Erat princeps Iudæorum, nomine Nicodemus: hic venit ad eum nocte, & ait illi, Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister.* Et iste ergo crediderat in nomine ejus. Et ipse unde crediderat? sequitur, *Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Si ergo Nicodemus de illis multis erat, qui crediderant in nomine ejus, jam in isto Nicodemo adtendamus quare Jesus non se credebat eis. *Respondit Iesus, & di-* *v.* 3. *xit ei, Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Ipsis ergo se credit Jesus, qui nati fuerint denuo. Ecce illi crediderant in eum, & Jesus non se credebat eis. Tales sunt omnes catechumeni: ipsi jam credunt in nomine Christi, sed Jesus non se credit eis. Intendat & intelligat Caritas Vestra: Si dixerimus catechumeno, Credis in Christum? respondet, Credo, & signat se: [a] jam crucem Christi portat in fronte, & a non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credidit in nomine ejus. Interrogemus eum, Manducas carnem filij hominis, & bibis sanguinem filij hominis? nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei.

4. Cùm ergo ex eo numero Nicodemus esset, venit ad Dominum: sed nocte venit; & hoc fortè ad rem pertinet. Ad Dominum venit, & nocte venit? ad lucem venit, & in tenebris venit. Renati autem ex aqua & Spiritu, quid audiunt ab Apo- F stolo? Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux *Ephes.* 5. 8. in Domino, sicut filij lucis ambulate: & iterum, Nos autem qui diei sumus, sobrij simus. Qui ergo 1. *Thess.* 5. 8. renati sunt, noctis fuerunt, & diei sunt: tenebræ fuerunt, & lumen sunt. Jam credit se illis Jesus, & non nocte veniunt ad Jesum sicut Nicodemus, non in tenebris quærunt diem. Tales enim jam etiam profitentur: accessit ad illos Jesus, fecit in illis salutem: quia ipse dixit, Nisi quis manducaverit car- *Johan.* 6. 54. nem meam, & biberit sanguinem meum, non ha- G bebit in se vitam. Et quòd signum crucis habent in fronte catechumeni, jam de domo magna sunt; sed fiant ex servis filij. Non enim nihil sunt, qui jam ad domum magnam pertinent. Quando autem manna manducavit populus Israël? cùm transisset mare rubrum. Mare autem rubrum quid significet, audi Apostolum: Nolo autem vos ignorare, Fratres, 1. *Cor.* 10. 1. *&c.*

a Sic plerique MSS. cum editis Bad. & Am. At Et. & Lov. *signat se cruce Christi, portat* &c. Nonnulli è MSS. *portans.*

quia omnes patres nostri sub nube fuerunt, & om- A nes per mare transierunt. Ut quid per mare transierunt? quasi quæreres ab illo, secutus ait, Et omnes » per Moysen baptizati sunt in nube & in mari. Si ergo figura maris tantum valuit, species baptismi quantum valebit? Si quod gestum est in figura, trajectum populum ad manna perduxit; quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui, trajecto per eum populo suo? Per baptismum suum trajicit credentes, occisis omnibus peccatis, tamquam hostibus consequentibus, sicut in illo mari omnes Æ- B gyptij perierunt. Quò trajicit, Fratres mei? Quò trajicit per baptismum Jesus, cujus figuram tunc gerebat Moyses, qui per mare trajiciebat? Quò

a *Johan.* 6. 51. [a] trajicit? ad manna. Quod est manna? Ego sum, inquit, panis vivus, qui de cælo descendi. Manna accipiunt fideles, jam trajecti per mare rubrum. Quare mare rubrum? Jam mare, quare & rubrum? Significabat mare illud rubrum baptismum Christi. Unde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? Quò ergo perducit credentes & bap- C tizatos? ad manna. Ecce dico manna: notum est quid acceperint Judæi, populus iste Israël, notum est quid illis pluisset Deus de cælo: & nesciunt catechumeni quid accipiant Christiani. Erubescant ergo, quia nesciunt; transeant per mare rubrum, manducent manna: ut quomodo crediderunt in nomine Jesu, sic se ipsis credat Jesus.

5. Ideo intendite, Fratres mei, quid respondeat iste qui nocte venit ad Jesum. Quamvis ad Jesum venerit, tamen quia nocte venit, adhuc de tene- D bris carnis suæ loquitur. Non intelligit quod audit à Domino, non intelligit quod audit à luce, quæ

Johan. 1. 9. illuminat omnem hominem venientem in hunc

Johan. 3. *v.* 3. *v.* 4. mundum. Jam ei Dominus dixit, * *Nisi quis natus fuerit denuo, non videbit regnum Dei.* * *Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci cùm sit senex?*

b [b] Spiritus ei loquitur, & ille carnem sapit. Carnem suam sapit, quia carnem Christi nondum sapit.

Johan. 6. 54. Cùm enim dixisset Dominus Jesus, Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem E meum, non habebit in se vitam: scandalizati sunt quidam qui eum sequebantur, & dixerunt apud se-

v. 61. metipsos, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Putabant enim hoc dicere Jesum, quòd eum possent concisum sicut agnum coquere, & manducare: abhorrentes à verbis ejus, recesserunt, & ampliùs eum non sunt secuti. Sic Evangelista

Ibidem 68. loquitur: Et Dominus ipse remansit cum duodecim: & illi ad eum, Domine, ecce illi dimiserunt

c te: & ille, Numquid & vos vultis [c] abire? Osten- F dere volens, quia ipse illis erat necessarius, non illi erant Christo necessarij. Ne quis terreat Christum, quando dicitur ut sit Christianus: quasi beatior erit Christus, si tu fueris Christianus. Bonum est tibi, ut sis Christianus: nam si non fueris, malum Christo non erit. Audi vocem Psalmi: Di-

Psal. 15. 2. xi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Ideo Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Si fueris sine Deo, minor eris: si fueris cum Deo, major Deus non G erit. Non ex te ille major, sed tu sine illo minor. Cresce ergo in illo, noli te subtrahere, ut quasi ille deficiat. Reficieris, si accesseris: deficies, si recesseris. Integer manet te accedente, integer manet & te cadente. Cùm ergo dixisset dis-

a Editi, *trajiciebat.* At MSS. *trajicit.*
b Quatuor MSS. *Christus ei loquitur.*

c MSS. hîc & infrà; *vultis ire.*
d In MSS. hîc & alibi constanter *Sarra*; cum duplici *rr.*

Johan. 6. 68. *&c.* cipulis, Numquid & vos vultis abire? Respondit Petrus, petra illa, voce omnium, Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Bene sapuit in ore ipsius caro Domini. Dominus autem exposuit eis, & dixit, Spiritus est qui vivificat: *Ibidem* 64. cùm dixisset, Nisi quis manducaverit carnem « meam, & biberit sanguinem meum, non habebit « in se vitam: ne carnaliter intelligerent, Spiritus est, « inquit, qui vivificat, caro autem nihil prodest: « verba quæ locutus sum vobis, spiritus est & vita. «

6. Hunc spiritum & hanc vitam non sapiebat iste Nicodemus, qui nocte venerat ad Jesum. Ait ei Jesus, *Nisi quis natus fuerit denuo, non videbit re-* *Johan.* 3. *v.* 3. *gnum Dei.* Et ille carnem suam sapiens, in cujus ore nondum sapiebat caro Christi, *Quomodo*, inquit, *v.* 4. *potest homo, cùm sit senex, iterum nasci? Numquid potest in ventrem matris suæ iterum introire, & nasci?* Non noverat iste nisi unam nativitatem ex Adam & Eva; ex Deo & Ecclesia nondum noverat: non noverat nisi eos parentes qui generant ad mortem, nondum noverat eos parentes qui generant ad vitam: non noverat nisi eos parentes qui generant succesuros, nondum noverat eos qui semper viventes generant permansuros. Cùm ergo sint duæ nativitates, ille unam intelligebat. Una est de terra, alia de cælo: una est de carne, alia de Spiritu: una est de mortalitate, alia de æternitate: una est de masculo & femina, alia de Deo & Ecclesia. Sed ipsæ duæ singulæ sunt: nec illa potest repeti, nec illa. Rectè intellexit Nicodemus nativitatem carnis: sic & tu intellige nativitatem spiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis. Quid Nicodemus intellexit? *Numquid potest homo denuo in ventrem matris suæ intrare, & nasci?* Sic quicumque tibi dixerit, ut spiritaliter iterum nascaris: responde quod dixit Nicodemus, *Numquid potest homo iterum in ventrem matris suæ intrare, & nasci?* Jam natus sum de Adam, non me potest iterum generare Adam: jam natus sum de Christo, non me potest iterum generare Christus. Quomodo uterus non potest repeti, sic nec baptismus.

7. Qui nascitur de Ecclesia catholica, tamquam de [d] Sara nascitur, de libera nascitur: qui d nascitur de hæresi, tamquam de ancilla nascitur, sed ex semine Abraham. Advertat Caritas Vestra quàm magnum Sacramentum: Testatur Deus, & dicit, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & *Exod.* 3. 6. Deus Jacob. Non erant alij patriarchæ? non erat ante istos sanctus Noë, qui solus in toto genere hu- *Gen.* 7. 7. mano cum tota domo sua meruit de diluvio liberari, in quo & in filiis ejus figurata est Ecclesia? Ligno portante evadunt diluvium. Deinde postea magni quos novimus, quos sancta Scriptura commendat, Moyses fidelis in tota domo ejus. Et illi *Num.* 12. 7. *Heb.* 3. 2. tres nominantur, quasi eum soli promeruerint, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus *Exod.* 3. 6. Jacob: hoc mihi nomen est in æternum. Sacramentum grande. Potens est Dominus & ora nostra aperire, & corda vestra, ut dicere possimus sicut revelare dignatus est, & capere possitis sicut expedit vobis.

8. Tres ergo isti patriarchæ, Abraham, Isaac, & Jacob. Jam nostis filij Jacob quia duodecim fuerunt, & inde populus Israël: quia ipse Jacob Israël, & populus Israël tribus duodecim, pertinentes ad duodecim filios Israël. Abraham, Isaac, & Jacob,

a tres patres, & populus unus. Tres patres tamquam in principio populi; tres patres in quibus figurabatur populus[a]: & populus ipse prior, præsens populus. In populo enim Judæorum figuratus est populus Christianorum. Ibi figura, hîc veritas: ibi umbra, hîc corpus, dicente Apostolo, Hæc autem in figura contingebant illis. Vox est Apostoli: Scripta sunt, inquit, propter nos, in quos finis sæculorum obvenit. Recurrat nunc animus vester ad Abraham, Isaac, & Jacob. In istis tribus invenimus parere liberas, parere & ancillas: invenimus ibi partus liberarum, invenimus ibi & partus ancillarum. Ancilla nihil boni significat: Ejice ancillam, inquit, & filium ejus; non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Apostolus hoc commemorat; & in illis duobus filiis Abrahæ, dicit Apostolus fuisse figuram duorum Testamentorum, veteris & novi. Ad vetus Testamentum pertinent dilectores temporalium, dilectores sæculi: ad novum Testamentum dilectores vitæ æternæ. Ideo illa Jerusalem in terra, umbra erat cælestis Jerusalem matris omnium nostrûm, quæ est in cælo: & hæc Apostoli verba sunt. Et de ista civitate unde peregrinamur, multa nostis, multa jam audistis. Invenimus autem rem miram in istis partubus, id est, in istis fetibus, in istis generationibus liberarum & ancillarum, quatuor scilicet genera hominum: in quibus quatuor generibus, completur figura futuri populi Christiani, ut non sit mirum quod in illis tribus dictum est, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. In omnibus enim Christianis, Fratres intendite, aut per malos nascuntur boni, aut per bonos nascuntur mali, aut per bonos boni, aut per malos mali: amplius istis quatuor generibus non potestis invenire. Quæ iterum repetam, advertite, retinete, excutite corda vestra, nolite pigri esse: capite ne capiamini, quomodo quatuor genera sunt omnium Christianorum. Aut per bonos nascuntur boni, aut per malos nascuntur mali, aut per bonos mali, aut per malos boni. Puto quia planum est, Per bonos boni: si & qui baptizant, boni sunt; & qui baptizantur, rectè credunt, & in membris Christi rectè numerantur. Per malos mali, si & qui baptizant, mali sunt; & qui baptizantur, duplici corde accedunt ad Deum, & non tenent eos mores, quos audiunt in Ecclesia, ut non ibi sint palea, sed frumentum. Quàm enim multi sint, novit Caritas Vestra. Per malos boni: aliquando baptizat adulter, & qui baptizatur justificatur. Per bonos mali: aliquando qui baptizant, sancti sunt; qui baptizantur, tenere viam Dei nolunt.

9. Puto, Fratres, notum esse in Ecclesia, & quotidianis exemplis manifestari ea quæ dicimus: sed in prioribus nostris patribus ea consideremus, quia habuerunt & illi ista quatuor genera. Per bonos boni: Ananias Paulum baptizavit. Quid per malos mali? Dicit Apostolus quosdam prædicatores Evangelij, quos dicit non castè annuntiare solere Evangelium, quos tolerat in societate Christiana, & dicit, Quid enim? dum omni modo sive occasione sive veritate Christus annuntietur, & in hoc gaudeo. Numquid malevolus erat, & de alieno malo gaudebat? Sed quia & per malos verum prædicabatur, & per malorum ora Christus prædicabatur; si quos isti sui similes baptizabant, mali malos baptizabant: si quos isti baptizabant tales, quales admonet Dominus cùm dicit, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, mali bonos baptizabant. Boni malos baptizabant, quomodo à Philippo sancto Simon magus baptizatus est. Nota sunt ergo ista quatuor genera, Fratres mei. Ecce iterum ea repeto, tenete illa, numerate illa, advertite illa, cavete quæ mala sunt, tenete quæ bona sunt. Per bonos boni nascuntur, cùm per sanctos sancti baptizantur: Per malos mali, cùm & qui baptizant & qui baptizantur, iniquè & impiè vivunt: Per malos boni, cùm mali sunt qui baptizant, & boni qui baptizantur: Per bonos mali, cùm boni sunt qui baptizant, & mali qui baptizantur.

10. Quomodo invenimus ista in tribus istis nominibus, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob? Ancillas accipimus in malis, liberas accipimus in bonis: pariunt liberæ bonos, Sara peperit Isaac: pariunt ancillæ malos, Agar peperit Ismaël. Habemus in uno Abraham & illud genus cùm per bonos boni, & illud genus cùm per malos mali. Per bonos mali ubi figurati sunt? Libera erat Rebecca uxor Isaac: legite, peperit geminos, unus erat bonus, alter malus. Habes apertè Scripturam dicentem Dei voce, Jacob dilexi, Esaü autem odio habui. Istos duos genuit Rebecca, Jacob & Esaü: unus inde eligitur, alius [b] reprobatur: unus succedit in hereditatem, alter exheredatur. Non facit populum suum Deus de Esaü: sed facit de Jacob. Semen unum, diversi qui concepti sunt: uterus unus, diversi qui nati sunt. Numquid non libera peperit Jacob, quæ libera peperit Esaü? Luctabantur in ventre matris suæ, & dictum est Rebeccæ, cùm ibi luctarentur, Duo populi sunt in utero tuo. Duo homines, duo populi: bonus populus, malus populus: sed tamen in uno ventre luctantur. Quanti mali sunt in Ecclesia, & unus uterus portat, donec in fine discernantur: & boni adversùs malos clamant, & mali adversùs bonos reclamant, & in unius visceribus utrique luctantur. Numquid semper simul erunt? In fine exitur ad lucem, declaratur nativitas quæ hîc in sacramento figuratur: & tunc apparebit, Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.

11. Jam ergo invenimus, Fratres, & de bonis bonos, de libera Isaac: & de malis malos, de ancilla Ismaël: & de bonis malos, Esaü de Rebecca. De malis bonos ubi inveniemus? Restat Jacob ut in tribus patriarchis quatuor generum istorum perfectio concludatur. Habuit uxores Jacob liberas, habuit & ancillas: pariunt liberæ, pariunt & ancillæ, & fiunt duodecim filij Israël. Si numeres omnes de quibus nati sunt, non omnes de liberis, non omnes de ancillis: sed tamen omnes ex uno semine. Quid ergo, Fratres mei, numquid qui nati sunt de ancillis, non simul possederunt terram promissionis cum fratribus suis? Invenimus ibi bonos filios Jacob natos de ancillis, & bonos filios Jacob natos de liberis. Nihil illis obfuit nativitas de uteris ancillarum, quando in patre cognoverunt semen suum, & consequenter regnum cum fratribus tenuerunt. Quomodo ergo in filiis Jacob non obfuit illis qui nati sunt de ancillis, quo minùs tenerent regnum, & terram promissionis cum fratribus ex æquo acciperent, non illis obfuerunt natales ancillarum, sed prævaluit semen paternum: sic quicumque per malos baptizantur, tamquam de ancillis videntur nati, sed tamen quia ex semine verbi Dei, quod figuratur in Jacob, non contristentur, simul hereditatem cum fratribus possidebunt. Securus ergo sit, qui de semine bono nascitur, tantùm non imitetur ancillam, si de ancilla nascitur. Ancillam malam superbientem non imiteris. Unde enim filij Jacob de ancillis nati, possederunt terram promissionis cum fratribus, Ismaël autem de ancilla natus, expulsus est ab hereditate? unde, nisi quia ille superbus erat, illi humiles? Erexit ille cervicem, & voluit seducere fratrem suum, ludens cum illo.

12. Magnum ibi sacramentum: Ludebant simul Ismaël & Isaac, vidit illos Sara ludentes, & ait Abrahæ, Ejice ancillam & filium ejus, non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Et cùm contristatus esset Abraham, confirmavit ei Dominus dictum uxoris ejus. Jam hîc manifestum est sacramentum, quia nescio quid futurum parturiebat illa res gesta. Ludentes vidit, & dicit, Ejice ancillam & filium ejus. Quid est hoc, Fratres? Quid enim mali fecerat Ismaël puero Isaac, quia ludebat cum illo? Sed illa lusio, illusio erat: illa lusio deceptionem significabat. Nam magnum sacramentum adtendat Caritas Vestra. Persecutionem illam vocat Apostolus: ipsam lusionem, ipsum lusum persecutionem vocat: ait enim, Sed sicut tunc ille
» qui secundùm carnem natus erat, persequebatur
» eum qui secundùm spiritum, ita & nunc: id est, qui secundùm carnem nati sunt, persequuntur eos qui secundùm spiritum nati sunt. Qui sunt secundùm carnem nati? dilectores mundi, amatores sæculi. Qui sunt secundùm spiritum nati? amatores regni cælorum, dilectores Christi, desiderantes vitam æternam, gratìs colentes Deum. Ludunt, & dicit Apostolus persecutionem. Nam postea quàm
» dixit hæc verba Apostolus, Et sicut tunc ille qui
» secundùm carnem natus erat, persequebatur eum
» qui secundùm spiritum, ita & nunc: secutus est, & ostendit de qua persecutione diceret: Sed quid di-
» cit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus, non
» enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Quærimus ubi hoc dicat Scriptura, ut videamus utrùm aliqua persecutio præcesserit Ismaëlis in Isaac: & invenimus hoc dictum esse à Sara, quando vidit pueros ludentes simul. Quam lusionem dicit Scriptura vidisse Saram, hanc persecutionem dicit Apostolus. Plus ergo vos persequuntur qui vos illudendo seducunt: Veni, veni, baptizare hîc, hîc habes verum baptismum. Noli ludere, unus est verus: ille lusus est: [a] seduceris, & ista persecutio gravis tibi erit. Melius tibi erat, ut Ismaëlem tu lucrareris ad regnum: sed non vult Ismaël, quia ludere vult. Tene tu hereditatem patris, & audi: Ejice ancillam & filium ejus, non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.

13. Isti etiam audent dicere, quia persecutionem solent pati à catholicis regibus, aut à catholicis principibus. Quam persecutionem tolerant? afflictionem corporis: si tamen aliquando passi sunt, aut quomodo passi sunt, ipsi sciant, & conveniant conscientias suas, tamen afflictionem corporis passi sunt: persecutio quam faciunt gravior est. Cave quandò vult ludere Ismaël cum Isaac, quando tibi blanditur, quando offert alterum baptismum: respondе, Habeo jam baptismum. Si enim verus est iste baptismus, qui tibi vult dare alterum, illudere te vult. Cave animæ persecutorem. Nam si à principibus catholicis aliquid passa est pars Donati aliquando, secundùm corpus passa est, non secundùm illusionem spiritus. Audite & videte in ipsis veteribus factis, omnia futurarum rerum signa & indicia. Invenitur Sara afflixisse Agar ancillam: Sara libera est: postea quàm superbire cœpit ancilla, questa est Abrahæ Sara, & dixit, Ejice ancillam, erexit adversùm me cervicem suam. Et quasi ab Abraham fieret, de Abraham questa est mulier. Abraham verò qui non in ancilla libidine abutendi tenebatur, sed officio generandi, quoniam Sara ei dederat, unde prolem susciperet, ait ei, Ecce ancilla tua, utere eâ sicut vis. Et afflixit eam graviter Sara, & fugit à facie ejus. Ecce libera afflixit ancillam, & non illam vocat persecutionem Apostolus: ludit servus cum domino, & persecutionem vocat: afflictio ista non vocatur persecutio, & lusio illa vocatur persecutio. Quid vobis videtur, Fratres? Nonne intelligitis quid significatum sit? Sic ergo quando vult Deus concitare potestates adversùs hæreticos, adversùs schismaticos, adversùs dissipatores Ecclesiæ, adversùs exsufflatores Christi, adversùs blasphematores baptismi, non mirentur: quia Deus concitat, ut à Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar, ponat cervicem: quia cùm humiliata discederet à domina sua, occurrit ei Angelus, & dixit, Quid est Agar ancilla Saræ? cùm conquesta esset de domina, quid audivit ab Angelo? Revertere ad domam tuam. Ad hoc ergo affligitur, ut revertatur. Atque utinam revertatur: quia proles ejus, sicut filij Jacob, cum fratribus hereditatem tenebit.

14. Mirantur autem, quia commoventur potestates Christianæ adversùs detestandos dissipatores Ecclesiæ. Non ergo moverentur? Et quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat Caritas Vestra quid dicam, quia pertinet hoc ad reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiritaliter nati sunt. Legimus Danielis visiones & gesta prophetica: tres pueri in igne laudaverunt Dominum: miratus est Nabuchodonosor rex laudantes Deum pueros, & circa eos ignem [b] innocentem: & cùm admiratus esset, quid ait Nabuchodonosor rex, non vel Judæus vel circumcisus, ille qui statuam suam erexerat, & ad eam adorandam omnes coegerat: tamen laudibus trium puerorum commotus, ubi vidit majestatem Dei præsentis in igne, quid ait? Et ego proponam decretum omnibus tribubus & linguis in omni terra. Quale decretum? Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem. Ecce quomodo sævit rex alienigena, ne blasphemetur Deus Israël, quia potuit tres pueros de igne liberare: & nolunt ut sæviant reges Christiani, quia Christus exsufflatur, à quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus à gehennarum igne liberatur? Nam tres illi pueri, Fratres mei, liberati sunt ab igne temporali. Numquid non ipse est Deus Machabæorum, qui & trium puerorum? Illos ab igne liberavit: illi in tormentis igneis corpore defecerunt, sed in legitimis mandatis animo permanserunt. Illi apertè liberati sunt, illi occultè coronati sunt. Plus est liberari de flamma gehennarum, quàm de fornace potestatis humanæ. Si ergo Nabuchodonosor rex laudavit &

[a] In MSS. hîc post vocem *Jacob*, non additur *tres patres*; neque *tenues*, post voces *& populus*.

[b] MSS. *improbatur*.

[a] In tribus MSS. *lusus est seducens*: in uno, *seductoris*.

[b] Editi, *non nocentem*. MSS. *innocentem*.

Matth. 2.
Act. 8. 13.
1. Cor. 10. 11.
32. q. 4. c. Recurrat.
Gen. 21. 10.
Gal. 4. 30. &c.
Exod. 3. 6.
Ibidem 26.
Gen. 21. 3.
Gen. 16. 15.
Gen. 25. 24. &c.
Malac. 1. 2. Rom. 9. 13.
Gen. 25. 23. &c.
Gen. 30. 4. &c.
Act. 9. 18.
Philip. 1. 18.
Gen. 21. 10.
Galat. 4. 29.
Ibidem 30.
Gen. 21. 9.
Gen. 16. 6.
Gen. 16. 8. & 9.
Daniel 3. 91. &c.
2. Machab. 7. 1. &c.

prædicavit, & gloriam dedit Deo, quia liberavit A de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, ut decretum mitteret per regnum suum, Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem: quomodo isti reges non moveantur, qui non tres pueros adtendunt liberatos de flamma, sed seipsos liberatos de gehenna, quando vident Christum, à quo liberati sunt, exsufflari in Christianis, quando audiunt dici Christiano, Dic te non esse Christianum? Talia facere volunt, & sal- B tem talia pati nolunt.

Daniel 3. 96.

15. Nam videte qualia faciunt, & qualia patiuntur. Occidunt animas, affliguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur. Et tamen quas patiuntur? Proferunt nobis nescio quos in persecutione suos martyres. Ecce Marculus de petra præcipitatus est: ecce Donatus Bagaiensis in puteum missus est. Quando potestates Romanæ talia supplicia decreverunt, ut præcipitarentur homines? Quid autem respondent nostri? Quid sit gestum nescio: tamen quid tradunt nostri? Quia ipsi se præcipitaverunt, & potestates infamaverunt. Recordemur consuetudinem potestatum Romanarum, & videamus cui credendum sit. Dicunt nostri illos se præcipitasse: si non sunt ipsi discipuli ipsorum qui se modò de saxis nullo persequente præcipitant, non credamus: quid mirum, si fecerunt illi quod solent? Nam potestates Romanæ numquam talibus suppliciis usæ sunt. Num enim non poterant occidere apertè? Sed D illi qui se mortuos coli voluerunt, famosiorem mortem non invenerunt. Postremò quidquid illud est, non novi. Et si passa es, ô pars Donati, corporalem afflictionem ab Ecclesia catholica, à Sara passa es Agar: redi ad dominam tuam. Locus quidem necessarius aliquantò diutiùs nos tenuit, ut textum totum Evangelicæ lectionis exponere minimè valeremus. Fratres, sufficiat interim Caritati Vestræ, ne hæc quæ dicta sunt, dicendo alia, excludantur de cordibus vestris. Hæc tenete, talia dicite, flam- E mantes illuc procedite, accendite frigidos.

Pseudo-martyres Donatistarum Marculus & Donatus, Vide Optatum lib. 3.

TRACTATUS XII.

Ab eo Evangelij loco, Quod natum est de carne, caro est, *&c. usque ad id*, Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta.

1. EX eo quod hesterno die intentam fecimus Caritatem Vestram, intelligimus vos F alacriùs & numerosiùs convenisse: sed interim lectioni Evangelicæ ex ordine sermonem debitum reddamus, si placet: deinde audiet Caritas Vestra de pace Ecclesiæ vel quid egerimus, vel quid adhuc agendum speremus. Nunc ergo tota intentio cordis ad Evangelium feratur: nemo aliunde cogitet. Si enim qui totus adest, vix capit: qui se per cogitationes diversas dividit, nonne & quod ceperat fundit? Meminit autem Caritas Vestra Dominico præterito, quantum Dominus adjuvare G dignatus est, * disseruisse nos de spiritali regeneratione: quam lectionem vobis iterum legi fecimus, ut quæ tunc non dicta sunt, in Christi nomine adjuvantibus orationibus vestris impleamus.

* In superiori Tractatu.

2. Regeneratio spiritalis una est, sicut generatio carnalis una est. Et quod Nicodemus Domino ait, verum dixit, quia non potest homo cùm sit senex, redire rursùm in uterum matris suæ & nasci. Ille quidem dixit, quia homo cùm sit senex, hoc non potest, quasi, & si infans esset, posset. Omnino enim non potest, sive recens ab utero, sive annosa jam ætate, redire rursùm in materna viscera & nasci. Sed sicut ad nativitatem carnalem valent muliebria viscera ad semel pariendum: sic ad nativitatem spiritalem valent viscera Ecclesiæ, ut semel quisque baptizetur. Propterea ne quis fortè dicat, Sed iste in hæresi natus est, & iste in schismate natus est: amputata sunt omnia, si meministis, quæ vobis disputata sunt de tribus patribus nostris, quorum Deus dici voluit, non quia soli erant, sed quia in solis expleta est integritas significandi populi futuri. Invenimus enim natum de ancilla exheredatum, natum de libera heredem: rursùm invenimus natum de libera exheredatum, natum de ancilla heredem. Natus de ancilla exheredatus Ismaël, na- *Gen. 21.10.* tus de libera heres Isaac, natus de libera exheredatus Esaü, nati de ancillis heredes filij Jacob. In illis *Gen. 25. 5.* *Gen. 27. 35.* *Gen. 49.* itaque tribus patribus, omnis futuri populi figura C perspecta est: nec immeritò Deus inquit, Ego sum *Exod. 3. 6.* Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob; hoc mihi, inquit, nomen est in æternum. Magis meminerimus, quid promissum sit ipsi Abrahæ: hoc enim promissum est Isaac, hoc promissum est & Jacob. Quid invenimus? In semine tuo benedi- *Gen. 22.18.* centur omnes gentes. Credidit tunc unus quod nondum videbat: vident homines; & excæcantur. Completum est in gentibus, quod promissum est uni: & separantur à communione gentium, qui & quod impletum est videre nolunt. Sed quid illis prodest quia videre nolunt? Vident, velint nolint: aperta veritas & clausos oculos ferit.

3. Responsum est Nicodemo, qui ex eis erat qui crediderant in Jesum, & ipse Jesus non se credebat eis. Quibusdam enim non se credebat, cùm jam in illum credidissent. Sic habes scriptum, ** Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa quæ* *Johan. 2. v. 23.* *faciebat. * Ipse autem Jesus non credebat semetipsum* *v. 24.* *illis. * Non enim opus habebat, ut quisquam testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset* *v. 25.* *in homine.* Ecce jam illi credebant in Jesum, & ipse Jesus non se credebat eis. Quare? Quia nondum erant renati ex aqua & Spiritu. Inde hortati sumus, & hortamur Fratres nostros catechumenos. Si enim interroges eos, jam crediderunt in Jesum: sed quia nondum carnem ejus & sanguinem accipiunt, nondum se illis credidit Jesus. Quid faciant ut se illis credat Jesus? Renascantur ex aqua & Spiritu, proferat Ecclesia quos parturit. Concepti sunt, edantur in lucem: habent ubera quibus nutriantur, non timeant ne nati suffocentur, ab uberibus maternis non recedant.

4. Nullus potest homo redire in matris viscera, & iterum nasci. Sed de ancilla nescio quis natus est? Numquid tunc qui nati sunt de ancillis, redierunt in uterum liberarum, ut denuo nascerentur? Semen Abraham & in Ismaël: & ut posset Abraham facere filium de ancilla, uxor auctor fuit. Natus est *Gen. 16. 2.* ex semine viri, & non utero, sed solo placito uxoris. Numquid quia de ancilla, ideo exheredatus? Si propterea exheredatus quia de ancilla natus est, nulli ancillarum filij admitterentur ad hereditatem. Filij Jacob admissi sunt ad hereditatem: Ismaël autem, non quia ex ancilla natus, exheredatus, sed quia superbus matri, superbus in filium matris; mater enim ejus magis Sara quàm Agar. Illius uterus accommodatus,

accommodatus, illius voluntas accessit: non face- A *est & omnis qui natus est ex Spiritu.*
ret Abraham quod Sara nollet: magis ergo ille filius Saræ. Sed quia superbus in fratrem, & superbus lu-
Gen. 21.10. dendo, quia deludendo; quid ait Sara? Ejice ancillam & filium ejus, non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Non ergo illum viscera ancillæ ejecerunt foras, sed cervix servilis. Etsi liber superbus sit, servus est; & quod pejus est, malæ dominæ, ipsius superbiæ. Itaque, Fratres mei, respondete homini, non posse rursus nasci hominem; respondete securi, non posse rursus nasci ho- B minem. Quidquid iterum fit, illusio est: quidquid iterum fit, lusus est. Ismaël ludit, foras mittatur. Animadvertit enim eos Sara ludentes, ait Scriptura, & dixit Abrahæ, Ejice ancillam & filium ejus. Displicuit Saræ lusus puerorum, aliquid novum vidit pueros ludere. Nonne optant hoc quæ filios habent, videre ludentes filios suos? Vidit illa, & improbavit. Nescio quid vidit in lusu: illusionem vidit in illo lusu, animadvertit servi superbiam, displicuit illi, ejecit foras. [a] Nati de ancillis improbi C mittuntur foras, & natus de libera mittitur foras Esaü. Nemo ergo præsumat quia de bonis nascitur, nemo præsumat quia per sanctos baptizatur. Qui per sanctos baptizatur, adhuc caveat ne non sit Jacob, sed Esaü. Hoc ergo, Fratres, dixerim: Melius est ab hominibus sua quærentibus & mundum diligentibus, quod significat nomen ancillæ, baptizari, & spiritaliter hereditatem quærere Christi, ut sit tamquam filius Jacob de ancilla, quàm baptizari per sanctos & superbire, ut sit Esaü foras D mittendus, quamvis natus ex libera. Hæc Fratres tenete. Non vos palpamus, nulla spes vestra in nobis sit: nec nobis blandimur, nec vobis: unusquisque suam sarcinam portat. Nostrum est dicere, ne malè judicemur: vestrum est audire, & corde audire, ne exigatur quod damus; immo quando exigitur, lucrum inveniatur, non detrimentum.

5. Dicit Dominus Nicodemo, & exponit ei, *Johan. 3. v. 5.* *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Tu, in- E quit, carnalem generationem intelligis, cùm dicis, *Numquid potest homo redire in viscera matris suæ?* ex aqua & Spiritu oportet ut nascatur propter regnum Dei. Si propter hereditatem patris hominis temporalem nascitur, nascatur ex visceribus matris carnalis: si propter hereditatem patris Dei sempiternam, nascatur ex visceribus Ecclesiæ. Generat per uxorem filium pater moriturus successurum: generat Deus de Ecclesia filios non successuros, sed secum *v. 6.* mansuros. Et sequitur, *Quod natum est de carne, ca-* F *ro est: & quod natum est de Spiritu, spiritus est.* Spiritaliter ergo nascimur, & in spiritu nascimur verbo & sacramento. Adest Spiritus, ut nascamur: Spiritus invisibiliter adest unde nasceris, quia & tu in- *v. 7.* visibiliter nasceris. Sequitur enim, & dicit, ** Non* *v. 8.* *mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo: * Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat.* Nemo videt Spiritum: & quomodo audimus vocem Spiritus? Sonat Psalmus, vox est Spiritus: sonat Evangelium, vox est G Spiritus: sonat sermo divinus, vox est Spiritus. *Vocem ejus audis, & nescis unde veniat, & quò vadat.* Sed si nascaris & tu de Spiritu, hoc eris, ut ille qui non est adhuc natus de Spiritu, non sciat de te unde venias, & quò eas. Hoc enim secutus ait, *Sic*

6. *Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo v. 9.* *possunt hæc fieri?* Et re vera carnaliter, non intelligebat. In illo fiebat quod dixerat Dominus, vocem Spiritus audiebat, & nesciebat unde venerat, & quò ibat. *Respondit Jesus, & dixit ei, Tu es magister v. 10.* *in Israël, & hæc ignoras?* O Fratres, Quid, putamus Dominum huic magistro Judæorum quasi insultare voluisse? Noverat Dominus quid agebat, volebat illum nasci ex Spiritu. Nemo ex Spiritu nascitur, nisi humilis fuerit: quia ipsa humilitas facit nos nasci de Spiritu; quia propè est Dominus obtritis corde. Ille magisterio inflatus erat, & alicujus momenti sibi esse videbatur, quia doctor erat Judæorum: deponit ei superbiam, ut possit nasci de Spiritu: insultat tamquam indocto; non quia superior vult videri Dominus. Quid magnum, Deus ad hominem, veritas ad mendacium? Major Christus quàm Nicodemus dici debet, dici potest, cogitandum est? Si diceretur major Christus quàm Angeli, ridendum erat: incomparabiliter enim major omni creaturâ, per quem facta est omnis creatura. Sed exagitat superbiam hominis, *Tu es magister in Israël, & hæc ignoras?* Tamquam dicens, Ecce nihil nosti princeps superbus, nascere ex Spiritu: si enim natus fueris ex Spiritu, vias Dei tenebis, ut Christi humilitatem sequaris. Sic enim altus est super omnes Angelos, quia cùm in forma Dei *Philip. 2. 6.* esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, " sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, " in similitudinem hominum factus, & habitu inven- " tus ut homo, humiliavit semetipsum factus obe- " diens usque ad mortem, (& ne mortis genus tibi " aliquod placeat,) mortem autem crucis. Pendebat, & insultabatur ei. De cruce descendere poterat: sed differebat, ut de sepulcro resurgeret. Pertulit superbos servos Dominus, medicus ægrotos. Si hoc ille, quid illi quos oportet nasci ex Spiritu? si hoc ille verus magister in cælo, non hominum tantùm, sed & Angelorum? Si enim docti sunt Angeli, Verbo Dei docti sunt. Si Verbo Dei docti sunt, quæritè unde docti sunt; & invenietis, In *Johan. 1. 1.* principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Tollitur homini cervix, sed aspera & dura, ut sit lenis cervix ad portandum jugum Christi, de quo dicitur, Jugum *Matth. 11.* meum lene est, & sarcina mea levis est. *30.*

7. Et sequitur, *Si terrena dixi vobis, & non cre-* *Johan. 3. 12.* *ditis, quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Quæ terrena dixit, Fratres? *Nisi quis natus fuerit denuo,* terrenum est? *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, & quò eat,* terrenum est? Si enim de isto vento diceret, sicut [b] nonnulli b intellexerunt, cùm quæreretur ab eis quid terrenum dixerit Dominus, dum ait, *Si terrena dixi vo-* *v. 12.* *bis, & non creditis, quomodo si cælestia dixero, credetis?* Cùm ergo quæreretur à quibusdam, quid terrenum dixerit Dominus, angustias passi dixerunt, Quod ait, *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, & quò eat*, de isto vento dixit. Quid enim nominavit terrenum? Loquebatur de generatione spiritali: secutus ait, *Sic est omnis qui natus est ex Spiritu.* Deinde, Fratres, quis nostrùm non videat, verbi gratiâ, Austrum euntem de Meridie ad Aquilonem: aut alium ventum venientem ab Oriente ad Occidentem? quomodo ergo nesci-

[a] Tres MSS. *Nati de ancillis ad hereditatem admittuntur filij Jacob, & nati de libera &c.*

[b] De vento acceperunt Cyrillus, Chrysost. Theophilact. & auctor qq. vet. & nov. Test. q. 59. At Augustino consentit Ambr. l. 1. de fide c. 3.

mus unde veniat & quò eat? Quid ergo dixit terre-
num, quod non credebant homines? an illud quod
Johan 2.19. de templo resuscitando dixerat? Corpus enim suum
de terra acceperat, & ipsam terram de terreno
corpore susceptam parabat suscitare. Non ei credi-
tum est terram suscitaturo. *Si terrestria*, inquit, *di-
xi vobis & non creditis, quomodo si cælestia dixero,
credetis?* Hoc est, si non creditis quia templum
possum resuscitare dejectum à vobis, quomodo cre-
detis quia per Spiritum possint homines regenerari?
Johan. 3.13. 8. Et sequitur, *Et nemo adscendit in cælum nisi
qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Ec-
ce hîc erat, & in cælo erat: hîc erat carne, in cæ-
lo erat divinitate, immo ubique divinitate. Natus
de matre, non recedens à Patre. Duæ nativitates
Christi intelliguntur, una divina, altera humana:
una per quam efficeremur, altera per quam refice-
remur: ambæ mirabiles: illa sine matre, ista sine
patre. Sed quia de Adam corpus acceperat, quia
Maria de Adam, ipsumque corpus suscitaturus
Johan.2.19. erat: terrenum quiddam dixerat, Solvite templum
hoc, & in tribus diebus suscitabo illud. Cæleste
Johan 3 5. autem quiddam dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex
aquâ & Spiritu, non videbit regnum Dei.* Eia Fra-
tres, Deus voluit esse filius hominis, & homines
voluit esse filios Dei. Ipse descendit propter nos,
nos adscendamus propter ipsum. Solus enim des-
cendit & adscendit, qui hoc ait, *Nemo adscendit in
cælum, nisi qui descendit de cælo.* Non ergo adscen-
suri sunt in cælum quos facit filios Dei? Adscensuri
Matth. 22. 30. planè: hæc nobis promissio est, Erunt æquales
Angelis Dei. Quomodo ergo nemo adscendit nisi
qui descendit? quia unus descendit, unus adscendit.
Quid de ceteris, quid intelligendum, nisi quia mem-
bra ejus erunt, ut unus adscendat? Propterea sequi-
tur, *Nemo adscendit in cælum nisi qui de cælo descendit,
filius hominis qui est in cælo.* Miraris quia & hîc erat
& in cælo? Tales fecit discipulos suos. Paulum audi
Philip. 3.20. apostolum dicentem, Nostra autem conversatio in
cælis est. Si homo Paulus apostolus ambulabat in
carne in terra, & conversabatur in cælo, Deus
cæli & terræ non poterat esse & in cælo & in terra?

9. Si ergo nemo nisi ille descendit & adscendit,
quæ spes est ceteris? Ea spes est ceteris, quia ille
a propterea descendit ut in illo & cum illo [a] unus es-
sent, qui per illum adscensuri essent. Non dicit,
Galat. 3.16. Et seminibus, ait Apostolus, tamquam in multis,
» sed tamquam in uno, Et semini tuo, quod est
Ibidem 29. Christus. Et fidelibus ait, Vos autem Christi, si
autem Christi, ergo semen Abrahæ estis. Quod
dixit unum, hoc dixit omnes nos esse. Ideo in
Psalmis aliquando plures cantant, ut ostendatur
quia de pluribus fit unus: aliquando unus cantat, ut
ostendatur quid fiat de pluribus. Propterea unus
Johan. 5. 4. sanabatur in illa piscina; & quisquis alius descende-
bat, non sanabatur. Ergo iste unus commendat
unitatem Ecclesiæ. Væ illis qui oderunt unitatem,
& partes sibi faciunt in hominibus. Audiant illum
qui volebat eos facere unum in uno ad unum: au-
diant illum dicentem, Nolite vos facere multos:
1. Cor. 3. 6. ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incremen-
» tum dedit: sed neque qui plantat est aliquid, neque
» qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Illi di-
1. Cor. 1. 11. cebant, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ.
Et ille, Divisus est Christus? In uno estote, unum
estote, unus estote: *Nemo adscendit in cælum, nisi
qui de cælo descendit.* Ecce volumus esse tui, di-

[a] Editi, *unum*. MSS. *unus*.

cebant Paulo. Et ille, Nolo sitis Pauli, sed ejus
estote, cujus est vobiscum Paulus.

10. Descendit enim & mortuus est, & ipsa mor-
te liberavit nos à morte: morte occisus, mortem
occidit. Et nostis, Fratres, quia mors ista per dia-
boli invidiam intravit in mundum. Deus mortem
non fecit, Scriptura loquitur; nec lætatur, inquit, *Sap. 1. 13.*
in perditione vivorum: creavit enim ut essent om-
nia. Sed quid ibi ait? Invidiâ autem diaboli mors *Sap. 2. 24.*
intravit in orbem terrarum. Ad mortem à diabolo
propinatam non veniret homo vi adductus: non
enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed per-
suadendi versutiam. Non consentires, nihil inve-
xerat diabolus: consensio tua, ô homo, te perdu-
xit ad mortem. A mortali mortales nati, ex immor-
talibus mortales facti. Ab Adam omnes homines
mortales: Jesus autem Filius Dei, Verbum Dei, per
quod facta sunt omnia, unicus æqualis Patri, mor-
talis factus est; quia Verbum caro factum est, &
habitavit in nobis.

11. Ergo mortem suscepit, & mortem suspen-
dit in cruce: & de ipsa morte liberantur mortales.
Quod in figura factum est apud antiquos, comme-
morat illud Dominus: * *Et sicut*, inquit, *Moyses exal-* *Johan. 3. v.*
tavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium ho- 14.
minis: * *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed ha-* v. 15.
beat vitam æternam. Magnum sacramentum, & qui
legerunt, noverunt. Deinde audiant vel qui non
legerunt, vel qui fortè lectum sive auditum obliti *Num. 21.8.*
sunt. Prosternebatur in eremo populus Israël mor- & 9.
sibus serpentum, fiebat magna strages [b] multarum b
mortium: plaga enim Dei erat corripientis, & fla-
gellantis, ut erudiret. Demonstratum est ibi ma-
gnum sacramentum rei futuræ, ipse Dominus te-
statur in hac lectione, ut nemo possit aliud inter-
pretari quàm quod ipsa veritas de se indicat. Dictum
est enim ad Moysen à Domino, ut faceret æneum
serpentem, & exaltaret in ligno in eremo; & ad-
moneret populum Israël, ut si quis morsus esset à
serpente, illum serpentem in ligno exaltatum ad-
tenderet. Factum est: mordebantur homines, in-
tuebantur, & sanabantur. Quid sunt serpentes mor-
dentes? peccata de mortalitate carnis. Quis est ser-
pens exaltatus? mors Domini in cruce. Quia enim
à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est.
Morsus serpentis lethalis, mors Domini vitalis. Ad-
tenditur serpens, ut nihil valeat serpens. Quid est
hoc? Adtenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cu-
jus mors? Mors vitæ: si dici potest, Mors vitæ; immo
quia dici potest, mirabiliter dicitur. Sed numquid
non erit dicendum, quod fuit faciendum? Ego du-
bitem dicere, quod Dominus pro me dignatus est
facere? Nonne vita Christus? & tamen in cruce
Christus. Nonne vita Christus? & tamen mortuus
Christus. Sed in morte Christi mors mortua est;
quia vita mortua occidit mortem, plenitudo vitæ
deglutivit mortem: absorpta est mors in Christi
corpore. Sic & nos dicemus in resurrectione, quan-
do jam triumphantes cantabimus, Ubi est mors *1. Cor. 15.*
contentio tua? ubi est mors aculeus tuus? Interim 55.
modò, Fratres, ut à peccato sanemur, Christum
crucifixum intueamur: quia *sicut Moyses*, inquit,
*exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium
hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed
habeat vitam æternam.* Quomodo qui intuebantur
illum serpentem, non peribant morsibus serpen-
tum: sic qui intuentur fide mortem Christi, sanan-

[b] In MSS. *strages multorum mortuorum.*

tur à morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur à
morte ad vitam temporalem: hic autem ait, ut *ha-*
beant vitam æternam. Hoc enim interest inter figu-
ratam imaginem & rem ipsam: figura præstabat vi-
tam temporalem; res ipsa cujus illa figura erat,
præstat vitam æternam.

Johan. 3. v. 17. 12. *Non enim misit Deus Filium suum in mun-*
dum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per
ipsum. Ergo quantum in medico est, sanare venit
ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici
observare non vult. Venit Salvator ad mundum:
quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mun-
dum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab
ipso, ex te judicaberis. Et quid dicam, judicabe-
v. 18. ris? Vide quid ait: *Qui credit in eum, non judicatur:*
a *qui autem non credit:* quid dicturum [a] speras nisi,
judicatur? *jam*, inquit, *judicatus est.* Nondum ap-
2 Tim. 2. 19. paruit judicium, sed jam factum est judicium. No-
vit enim Dominus qui sunt ejus: novit qui perma-
neant ad coronam, qui permaneant ad flammam:
novit in area sua triticum, novit paleam: novit se-
getem, novit zizania. Jam judicatus est qui non
Johan. 3 18. credit. Quare judicatus? *Quia non* [b] *credidit in no-*
v *mine unigeniti Filij Dei.*
v. 19. 13. *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mun-*
dum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lu-
cem: erant enim mala opera eorum. Fratres mei, quo-
rum opera bona invenit Dominus? nullorum.
Omnium mala opera invenit. Quomodo ergo qui-
dam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem? Et
v. 21. hoc enim sequitur, *Qui autem facit veritatem, ve-*
nit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo
sunt facta. Quomodo quidam opus bonum fece-
runt, ut venirent ad lucem, id est, ad Christum?
Et quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si enim
omnes peccatores invenit, & omnes à peccato sa-
nat, & serpens ille in quo figurata est mors Domi-
ni, eos sanat qui morsi fuerant, & propter mor-
sum serpentis erectus est serpens, id est, mors Do-
mini, propter mortales homines, quos invenit in-
justos; quomodo intelligitur, *Hoc est judicium, quia*
lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis te-
nebras quàm lucem: erant enim mala opera eorum?
Quid est hoc? Quorum enim erant bona opera?
Nonne venisti ut justifices impios? Sed *dilexerunt*,
inquit, *tenebras magis quàm lucem.* Ibi posuit vim:
multi enim dilexerunt peccata sua, multi confessi
sunt peccata sua: quia qui confitetur peccata sua,
& accusat peccata sua, jam cum Deo facit. Accu-
sat Deus peccata tua: si & tu accusas, conjungeris
Deo. Quasi duæ res sunt, homo & peccator. Quod
audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse
homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus salvet quod
fecit. Oportet ut oderis in te opus tuum, & ames
in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi displicere
quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia
accusas mala opera tua. INITIUM OPERUM
BONORUM, confessio est operum malorum. Fa-
cis veritatem, & venis ad lucem. Quid est, Facis
veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non
c te adulas, non dicis justus sum, cùm sis iniquus, & *c*
incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem ut
manifestentur opera tua, quia in Deo sunt facta:
quia & hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum
tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret,
& ejus veritas tibi ostenderet. Sed qui & admonitus
diligit peccata sua, odit admonentem lucem & fu-
git eam, ut non arguantur opera ejus mala quæ di-
lexit. Qui autem facit veritatem, accusat in se mala
sua: non sibi parcit, non sibi ignoscit ut Deus
ignoscat: quia quod vult ut Deus ignoscat, ipse
agnoscit, & venit ad lucem: cui gratias agit, quòd
illi quid in se odisset ostenderit. Dicit Deo, Averte *Psal. 50.11.*
faciem tuam à peccatis meis. Et qua fronte dicit,
nisi iterum dicat, Quoniam facinus meum ego co-
gnosco, & peccatum meum coram me est semper?
Sit ante te, quod non vis esse ante Deum. Si au-
tem post te feceris peccatum tuum, retorquet il-
lud tibi Deus ante oculos tuos: & tunc retorquet,
quando jam pœnitentiæ fructus nullus erit.

14. Currite, ne tenebræ vos compreliendant, *Johan. 12.*
Fratres mei: evigilate ad salutem vestram, evigi- 35.
late dum tempus est: nullus retardetur à templo
Dei, nullus retardetur ab opere Domini, nullus
avocetur ab oratione continua, nullus à solita de-
votione fraudetur. Evigilate ergo cùm dies est, lu-
cet dies, Christus est dies. Paratus est ignoscere,
sed agnoscentibus: punire autem defendentes se,
& justos se jactantes, & putantes se esse aliquid,
cùm nihil sint. In dilectione autem ejus & in mise-
ricordia ejus qui ambulat, etiam liberatus ab illis
lethalibus & grandibus peccatis, qualia sunt faci-
nora, homicidia, furta, adulteria, propter illa
quæ minuta videntur esse peccata linguæ, aut co-
gitationum, aut immoderationis in rebus concessis,
facit veritatem confessionis, & venit ad lucem in
operibus bonis: quoniam MINUTA PLURA
PECCATA si negligantur, occidunt. Minutæ
sunt guttæ quæ flumina implent, minuta sunt gra-
na arenæ: sed si multa arena imponatur, premit,
atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod
facit fluctus irruens: paulatim per sentinam intrat,
sed diu intrando & non exhauriendo, mergit na-
vim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus
agere ne obruant peccata, gemendo, jejunando,
tribuendo, ignoscendo? Iter autem hujus sæculi
molestum est, plenum est tentationibus: in rebus
prosperis ne extollat, in rebus adversis ne frangat.
Qui tibi dedit felicitatem hujus sæculi, ad consola-
tionem tuam dedit, non ad corruptionem. Rursus
qui te flagellat in isto sæculo, ad emendationem,
non ad damnationem facit. Ferto patrem erudien-
tem, ne sentias judicem punientem. Hæc quotidie
dicimus vobis, & sæpe dicenda sunt, quia bona &
salutaria sunt.

TRACTATUS XIII.

Ab eo Evangelij loco, Post hæc venit Jesus & disci-
puli ejus in Judæam terram, *&c. usque ad id*,
Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gau-
dio gaudet propter vocem sponsi.

1. ORDO lectionis Evangelicæ secundùm
Johannem, sicut potestis meminisse, qui
curam geritis profectus vestri, ita sequi-
tur, ut hæc quæ modò lecta est, hodie nobis tra-
ctanda proponatur. Ab ipso principio usque ad ho-
diernam lectionem, quæ suprà dicta sunt, memi-
nistis jam esse tractata. Et si fortè inde multa estis
obliti, certè vel officium nostrum manet in vestra
memoria. Quæ hinc audieritis de baptismo Johan-
nis, & si non tenetis omnia, audisse vos tamen cre-
do quod teneatis: quæ dicta sunt etiam, quare Spi-

[a] MSS. duodecim, *putas*. Alij tres, *sperabas*.
[b] Sic etiam legebatur in antiquis Corb. Bibliis, juxta Græcum, *merito vero*. At nunc in Vulgata est, *credit*.
[c] Sic MSS. At editi, *tibi adularis*.

ritus-sanctus in columbæ specie apparuerit: & quomodo illa nodosissima quæstio soluta sit, quia nescio quid quod non noverat, didicit Johannes in Domino per columbam, cùm jam eum nosset, *Matth. 3. 14. & 15.* quando venienti ut baptizaretur, ait, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? quando ei Dominus respondit, Sine modò, ut impleatur omnis justitia.

2. Nunc ergo ad eumdem Johannem cogit nos ordo lectionis reverti. Ipse est ille qui prophetatus *Isai. 40. 3.* est per Isaiam, Vox clamantis in eremo, parate viam Domino, rectas facite semitas ejus. Tale testimonium reddidit Domino suo, & (quia ille dignatus est,) amico suo: Dominusque ipsius & amicus ipsius perhibuit & ipse testimonium Johan- *Matth. 11. 11.* ni. Dixit enim de Johanne, In natis mulierum non exsurrexit major Johanne Baptista. Sed quia illi se præposuit; in hoc quod plus erat Johanne, Deus erat. Qui autem minor est, inquit, in regno cælorum, major est illo. Minor nativitate, major potestate, major divinitate, majestate, claritate: *Johan. 1. 1.* tamquam in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Sic autem perhibuerat in superioribus lectionibus Johannes Domino testimonium, ut Filium Dei quidem diceret, Deum non diceret, nec tamen negaret: tacuerat Deum, non negaverat Deum. sed non omnino tacuit Deum. Fortassis enim invenimus *Ibidem 34.* hoc in hodierna lectione. Dixerat Filium Dei: sed dicti sunt & homines filij Dei. Dixerat tantæ ex- *Ibidem 27.* cellentiæ illum fuisse, ut non esset ipse dignus corrigiam calceamenti ejus solvere. Jam magnitudo ista multùm dat intelligi, cujus non erat dignus corrigiam calceamenti solvere, ille quo nemo surrexerat major in natis mulierum. Plus enim erat omnibus hominibus & Angelis. Nam Angelum invenimus prohibuisse, ne homo illi ad pedes caderet. Cùm enim quædam in Apocalypsi Angelus ostenderet Johanni, qui scripsit hoc Evangelium, conterritus magnitudine visionis Johannes *Apoc. 22. 9.* cecidit ad pedes Angeli. Et ille, Surge, vide ne feceris hoc, [a] Deum adora: nam ego conservus tuus sum & fratrum tuorum. Cadere ergo sibi ad pedes hominem Angelus prohibuit. Nonne manifestum est quia super omnes Angelos est, cui talis homo, quo major nemo surrexit in natis mulierum, dicit indignum se esse solvere corrigiam calceamenti?

3. Tamen aliquid evidentius dicat Johannes, quia Deus est Dominus noster Jesus Christus. Inveniamus hoc in præsenti lectione, quia fortè & de illo cantavimus, Regnavit Deus super omnem ter- *Donatistæ.* ram: contra quod surdi sunt, qui putant eum in Africa sola regnare. Non enim non dictum est de Christo, cùm dictum est, Regnavit Deus super omnem terram. Quis est enim alius rex noster, nisi Dominus noster Jesus Christus? Ipse est rex noster. Et quid audistis in ipso psalmo, recenti versu *Psal. 46. 7.* modò cantato? Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite. Quem dixit Deum, ipsum dixit regem nostrum: Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite intelligenter. *Ibidem 8.* Ne in una parte velis intelligere cui psallis: Quoniam rex omnis terræ Deus. Et quomodo est omnis terræ rex, qui visus est in una parte terrarum, in Jerosolyma, in Judæa, ambulans inter homines, natus, sugens, crescens, manducans, bibens, vigilans, dormiens, fatigatus ad puteum sedens, comprehensus, flagellatus, sputis illitus, spinis coronatus, ligno suspensus, lanceâ percussus, mortuus, sepultus? quomodo ergo rex omnis terræ? Quod videbatur in loco, caro erat: oculis carneis caro apparebat: in carne mortali majestas immortalis occultabatur. Et quibus oculis majestas immortalis penetrata compage carnis poterit intueri? Est alius oculus, est interior oculus. Non enim nullos oculos habebat & Tobias, quando cæcus ocu- *Tob. 4. 2.* lis corporeis filio dabat præcepta vitæ. Ille patri manum tenebat, ut pedibus ambularet: ille filio consilium dabat, ut viam justitiæ teneret. Et hàc oculos video, & hàc oculos intelligo. Et meliores oculi dantis vitæ consilium, quàm oculi tenentis manum. Tales oculos quærebat & Jesus, quando ait Philippo, Tanto tempore vobiscum sum, & *Johan. 14. 9.* non cognovistis me? Tales oculos quærebat, cùm ait, Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Isti oculi in intelligentia sunt, isti oculi in mente sunt. Ideo cùm dixisset Psalmus, Quoniam rex omnis *Psal. 46. 8.* terræ Deus: subjecit statim, Psallite intelligenter. Quod enim dico, Psallite Deo nostro, psallite: Deum dico regem nostrum. Sed regem nostrum inter homines vidistis tamquam hominem, vidistis passum, crucifixum, mortuum: latebat aliquid in illa carne, [b] quam oculis carneis videre potuistis. Quid ibi latebat? Psallite intelligenter: nolite oculis quærere quod mente conspicitur. Psallite linguâ, quia inter vos caro: sed quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, reddite sonum carni, reddite Deo mentis obtutum. Psallite intelligenter & videtis quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

4. Dicat & Johannes testimonium: *Post hæc venit Iesus & discipuli ejus in Iudæam terram, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* *Iohan. 3. 22.* Baptizatus baptizabat. Non eo baptismo baptizabat quo baptizatus est. Dat baptismum Dominus baptizatus à servo, ostendens humilitatis viam, & perducens ad baptismum Domini, hoc est baptismum suum, præbendo humilitatis exemplum, quia ipse non respuit baptismum servi. Et in baptismo servi via præparabatur Domino, & baptizatus Dominus viam se fecit [c] venientibus. Ipsum audiamus: Ego *Iohan. 14. 6.* sum via, veritas & vita. Si veritatem quæris, viam tene: nam ipsa est via quæ est veritas. Ipsa est quò is, ipsa est quà is: non per aliud is ad aliud, non per aliud venis ad Christum: per Christum ad Christum venis. Quomodo per Christum ad Christum? Per Christum hominem ad Christum Deum: per Verbum carnem factum, ad Verbum quod in principio erat Deus apud Deum: ab eo quod manducavit homo, ad illud quod quotidie manducant Angeli. Sic enim scriptum est, Panem cæli dedit *Psal. 77. 24. & 25.* eis: panem Angelorum manducavit homo. Quis est panis Angelorum? In principio erat Verbum, & *Iohan. 1. 1.* Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quomodo panem Angelorum manducavit homo? Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Ibidem 14.*

5. Sed quia diximus manducare Angelos, Fratres, ne putetis morsibus fieri. Nam si hoc intellexeritis, quasi dilaniatur Deus quem manducant Angeli. Quis dilaniat justitiam? Sed rursum mihi aliquis dicit, Et quis est qui manducat justitiam?

[a] Plerique MSS. *illum adora, hoc est Deum.*
[b] Sic MSS. At editi, *quod oculis carneis videre non potuistis.*
[c] MSS. quatuor, *viam fecit ad se venientibus.* Tres alij, *viam se fecit ad se venientibus.*

Matth. 5. 6. Unde ergo beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur? Cibus quem manducas per carnem, ut reficiaris tu, ille deficit; ut reparet te, consumitur: manduca justitiam, & tu reficeris, & illa integra perseverat. Quomodo videndo istam lucem corpoream reficiuntur isti oculi nostri, & res est corporea quæ videtur oculis corporeis. Multi enim cùm fuerint diutiùs in tenebris, infirmatur acies ipsorum, quasi jejunio lucis. Fraudati oculi cibo suo, (luce quippe pascuntur,) defatigantur jejunio, & debilitantur, ita ut ipsam lucem qua reficiuntur videre non possint: & si diutiùs abfuerit, exstinguuntur, & tamquam moritur in eis ipsa acies lucis. Quid ergo, quia tot oculi quotidie ista luce pascuntur, minor fit? Et illi reficiuntur, & ipsa integra permanet. Si hoc potuit Deus de luce corporea corporeis oculis exhibere: non exhibet mundis cordibus lucem illam infatigabilem, integram perseverantem, nulla ex parte deficientem? Quam lucem? In principio erat Verbum, & Verbum erat *Psal. 35. 10.* apud Deum. Videamus si lux est. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. In terra aliud est fons, aliud lumen. Sitiens quæris fontem; & ut pervenias ad fontem, quæris lucem: & si dies non est, accendis lucernam, ut ad fontem pervenias. Fons ille, ipsa est lux: sitienti fons est, cæco lux est: aperiantur oculi ut videant lucem, aperiantur fauces cordis ut bibant fontem; quod bibis, hoc vides, hoc audis. Totum tibi fit Deus: quia horum quæ diligis, totum tibi est. Si visibilia adtendis, nec panis est Deus, nec aqua est Deus, nec lux ista est Deus, nec vestis est Deus, nec domus est Deus. Omnia enim hæc visibilia sunt, & singula sunt; quod est panis, non hoc est aqua; & quod est vestis, non hoc est domus; & quod sunt ista, non hoc est Deus: visibilia enim sunt. DEUS TIBI TOTUM EST: si esuris, panis tibi est: si sitis, aqua tibi est: si in tenebris es, lumen tibi est, quia incorruptibilis manet: si nudus es, immor- *1. Cor. 15. 54.* talitatis vestis tibi est, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Omnia possunt dici de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo. Nihil latius hac inopiâ. Quæris congruum nomen, non invenis: quæris quoquo modo dicere, omnia invenis. Quid simile, agnus & leo? De Christo utrumque dictum est: *Iohan. 1. 29.* Ecce agnus Dei. Quomodo leo? Vicit leo de tribu *Apoc. 5. 5.* Juda.

Iohan. 3. 22. 6. Audiamus Johannem: *Baptizabat Iesus.* Diximus quia baptizabat Jesus. Quomodo Jesus? quomodo Dominus? quomodo Dei Filius? quomodo *v. 23.* Verbum? Sed Verbum caro factum est. *Erat autem & Iohannes baptizans in Aenon juxta Salim.* [a] Lacus quidam *Aenon.* Unde intelligitur, quia lacus erat? *Quia aquæ multæ erant ibi, & veniebant,* *v. 24.* *& baptizabantur.* * *Nondum enim missus erat in carcerem Iohannes.* Si meministis, (Ecce iterum dico,) dixi quare baptizabat Johannes: quia oportebat ut Dominus baptizaretur. Et quare oportebat ut Dominus baptizaretur? quia multi contemturi erant baptismum, eò quòd jam majore gratiâ præditi viderentur, quàm viderent alios fideles. Verbi gratiâ, jam continenter vivens catechumenus, contemneret conjugatum, & diceret se meliorem quàm ille sit fidelis. Ille catechumenus posset dicere in corde suo, Quid mihi opus est baptismum accipere, ut hoc habeam quod & iste, quo jam melior sum? Ne ergo cervix ista præcipitaret quosdam de meritis justitiæ suæ plurimùm elatos, baptizari voluit Dominus à servo, tamquam alloquens filios capitales. Quid vos extollitis? quid erigitis, quia habetis, ille prudentiam, ille doctrinam, ille castitatem, ille fortitudinem patientiæ? Numquid tantum habere potestis, quantum ego qui dedi? Et tamen ego baptizatus sum à servo, vos dedignamini à Domino. Hoc est, ut impleatur omnis justitia. *Matth. 3. 15.*

7. Sed dicet aliquis, Sufficiebat ergo ut baptizaret Dominum Johannes: quid opus erat ut alij baptizarentur à Johanne? Et hoc diximus, quia si solus Dominus baptizaretur à Johanne, non deesset ista cogitatio hominibus, quòd meliorem habebat baptismum Johannes quàm Dominus. Dicerent enim, Usque adeo magnus erat baptismus quem habuit Johannes, ut solus Christus illo fuerit dignus baptizari. Ergo ut ostenderetur melior baptismus quem daturus erat Dominus, & ille tamquam servi intelligeretur, ille tamquam Domini; baptizatus est Dominus, ut præberet humilitatis exemplum: non solus autem baptizatus est ab eo, ne baptismus Johannis melior baptismo Domini videretur. Ad hoc autem viam præbuit Dominus noster Jesus Christus, sicut audistis Fratres, ne quis arrogans quòd habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignetur baptizari baptismo Domini. Quantumcumque enim catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad baptismum. Quomodo non caruit populus Israël populo Ægyptiorum, *Exod. 14. 27.* nisi cùm venisset ad mare rubrum: sic pressurâ peccatorum nemo caret, nisi cùm ad fontem baptismi venerit.

8. *Facta est ergo quæstio ex discipulis Iohannis cum Iudæis de purificatione.* *Iohan. 3. 25.* Baptizabat Johannes, baptizabat Christus: moti sunt discipuli Johannis, concurrebatur ad Christum, veniebatur [b] ad Johannem. Qui enim veniebant ad Johannem, mittebat illos ad Jesum baptizari: non mittebantur ad Johannem, qui à Christo baptizabantur. Turbati sunt discipuli Johannis, & cœperunt quæstionem tractare cum Judæis, quomodo solet fieri. Intelligas dixisse Judæos, majorem esse Christum, & ad ejus baptismum debere concurri. Illi nondum intelligentes, defendebant baptismum Johannis. Ventum est ad ipsum Johannem, ut solveret quæstionem. Intelligat Caritas Vestra: Et hîc utilitas ipsa humilitatis agnoscitur, & ostenditur utrùm in ipsa quæstione cùm errarent homines, gloriari apud se voluerit Johannes. Fortasse enim dixit, Verum dicitis, rectè contenditis, baptismus meus est melior? Nam ut noveritis quòd baptismus meus est melior, ipsum Christum ego baptizavi. Poterat hoc dicere Johannes baptizato Christo. Quantum se si vellet extendere, habebat ubi se extenderet? Sed melius noverat apud quem se humiliaret: quem se noverat nascendo antecedere, illi voluit confitendo cedere: salutem suam intelligebat in Christo esse. Jam dixerat superiùs, Nos omnes de plenitudine ejus *Iohan. 1. 16.* accepimus. Et hoc confiteri Deum est. Quomodo enim omnes homines de plenitudine ejus accipiunt, nisi ille sit Deus? Nam si sic ille homo ut non Deus, de plenitudine Dei accipit etiam ipse, & sic non Deus est. Si autem omnes homines de plenitudine ejus accipiunt, ille est fons, illi bibentes. Qui bibunt fontem, & sitire possunt & bibere;

[a] In aliquot MSS. *Salim locus quidam, Aenon lacus.*
[b] Duo MSS. *veniebatur à Iohanne.*

fons numquam sitit, fons seipso non eget. Fonte egent homines; aridis visceribus, aridis faucibus currunt ad fontem ut reficiantur: fons fluit ut reficiat; ita Dominus Jesus.

9. Videamus ergo quid responderit Johannes: *Venerunt ad Johannem, & dixerunt ei, Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad illum:* hoc est, Quid dicis? Non sunt prohibendi, ut ad te potiùs veniant? *Respondit, & dixit, Non potest homo quidquam accipere, nisi ei datum fuerit de cælo.* De quo putatis hoc dixisse Johannem? de seipso: Quasi homo accepi, ait, de cælo. Intendat Caritas Vestra. *Non potest homo quidquam accipere, nisi fuerit ei datum de cælo.* * *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quòd dixerim, Ego non sum Christus.* Tamquam dicens, Quid vos fallitis? vosipsi mihi quomodo proposuistis istam quæstionem? Quid mihi dixistis? *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti.* Nostis ergo quale testimonium illi perhibui: modò dicturus sum non esse illum, quem dixi esse? [a] Ergo quia aliquid accepi de cælo ut aliquid essem, inanem me vultis esse, ut loquar contra veritatem? *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit illi datum de cælo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quòd dixerim, Ego non sum Christus.* Non es tu Christus? sed quid si major illo, quia tu illum baptizasti? *Missus sum*: ego præco sum, ille judex est.

10. Et audi testimonium multò vehementius, multò expressius. Videte quid nobiscum agitur; videte quid amare debeamus; videte quia aliquem hominem amare pro Christo, adulterium est. Quare hoc dico? Adtendamus vocem Johannis: poterat in illo errari, poterat ipse putari qui non erat: respuit à se falsum honorem, ut teneat solidam veritatem. Videte quid dicat Christum, quid se: *Qui habet sponsam, sponsus est.* Casti estote, sponsum amate. Quid autem tu es, qui nobis dicis, *Qui habet sponsam, sponsus est? Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Aderit Dominus Deus noster pro motu cordis mei, multo enim gemitu plenum est, dicere quod doleo: sed obsecro vos per ipsum Christum, ut quod dicere non potuero, vos cogitetis: novi enim dolorem meum exprimi satis dignè non posse. Multos enim adulteros video, qui sponsam tanto pretio emtam, amatam fœdam ut pulcra fieret, illo emtore, illo liberatore, illo decoratore, possidere volunt: & id agunt verbis suis, ut pro sponso amentur. De illo dictum est, Hic est qui baptizat. Quis huc exit & dicit, Ego baptizo? quis huc exit & dicit, Ego quod dedero hoc est sanctum? quis huc procedit qui dicit, Bonum est tibi ut nascaris ex me? Amicum sponsi audiamus, non adulteros sponsi: audiamus zelantem, sed non sibi.

11. Fratres, regredimini corde ad vestras domos, carnalia loquor, terrena loquor; humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Multi habetis conjuges, multi habere vultis, multi etsi non vultis, habuistis: multi qui omnino conjuges habere non vultis, de conjugibus patrum vestrorum nati estis: nullum cor est quod non iste tangat affectus; nullus in rebus humanis tam avius à genere humano est, qui quod dico non sentiat. Ponite aliquem peregrè profectum, commendasse amico suo sponsam suam: Vide, quæso te, carus meus es, ne fortè me absente pro me aliquis ametur. Qualis ergo ille, qui custodiens sponsam vel uxorem amici sui, dat quidem operam ut nullus alius ametur, sed si se amari pro amico voluerit, & uti voluerit commendatâ sibi, quàm derestandus universo humano generi apparet? Videat illam aliquantò petulantiùs per fenestram adtendere aut jocari cum aliquo, prohibet tamquam zelet: video zelantem, sed videam cui, utrùm amico absenti, an sibi præsenti. Putate hoc Dominum nostrum Jesum Christum fecisse. Commendavit amico suo sponsam suam, peregrè profectus est accipere regnum, sicut dicit ipse in Evangelio, & tamen præsens est majestate. Fallatur amicus qui trans mare profectus est; & si fallitur, væ illi qui fallit: quid Deum fallere conantur, Deum intuentem omnium corda, & omnium secreta rimantem? Exsistit aliquis hæreticus, & dicit, Ego do, ego sanctifico, ego justifico, nolo eas ad illam sectam. Bene quidem zelat, sed vide cui. Non eas ad idola, bene zelat: non ad sortilegos, bene zelat. Videamus cui zelat: Ego quod do sanctum est, quia ego do: ego quem baptizo baptizatus est, quem non baptizo non est baptizatus. Audi amicum sponsi, disce zelare amico tuo: audi vocem illius, Hic est qui baptizat. Quare tibi vis arrogare quod tuum non est? Usque adeo absens est qui hîc reliquit sponsam suam? Nescis quia ille qui à mortuis resurrexit, ad dexteram Patris sedet? Si contemserunt eum Judæi in ligno pendentem, tu contemnis in cælo sedentem? Noverit Caritas Vestra magnum dolorem me pati de hac re: sed, ut dixi, dimitto cetera cogitationibus vestris. Non enim dico, si loquar tota die; si plangam tota die, non sufficio: non dico, si habeam, sicut dicit Propheta, fontem lacrymarum: sed si convertar [b] in lacrymas, & lacrymæ fiam, in linguas, & linguæ fiam, parum est.

12. Redeamus, videamus quid dicit iste: *Qui habet sponsam, sponsus est*: non est mea sponsa. Et non gaudes in nuptiis? Immo gaudeo, ait: *Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Non, inquit, gaudeo propter vocem meam, sed propter vocem sponsi gaudeo. Ego sum in audiendo, ille in dicendo: ego sum enim illuminandus, ille lumen: ego sum in aure, ille Verbum. Ergo amicus sponsi stat, & audit eum. Quare stat? quia non cadit. Quare non cadit? quia humilis est. Vide stantem in solido: Non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere. Bene te humilias, meritò non cadis, meritò stas, meritò audis eum, & gaudio gaudes propter vocem sponsi. Sic & Apostolus amicus sponsi, zelat & ipse, non sibi, sed sponso. Audi vocem zelantis: Zelo Dei vos zelo, dixit: non meo, non mihi, sed zelo Dei. Unde? quomodo? quam zelas, vel cui zelas? Desponsavi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Quid ergo times? quare zelas? Timeo, inquit, ne sicut serpens seduxit Evam astutiâ suâ, sic & vestri sensus corrumpantur à castitate quæ est in Christo. Omnis Ecclesia virgo appellata est. Diversa esse membra Ecclesiæ, diversis donis pollere videtis atque gaudere: alij conjugati, aliæ conjugatæ, alij viduati uxores ultra non quærunt, aliæ viduatæ maritos ultrà non quærunt, alij integritatem ab ineunte ætate conservant, aliæ virginitatem suam Deo voverunt: Diversa sunt mu-

Iohan. 3. v. 26. — v. 27. — v. 28. — *Iohan.* 1. 33. — *Rom.* 6. 19. — *Iohan.* 3. 29. — *Luc.* 19. 12. — *Iohan.* 1. 33. — 2. *Cor.* 11. 2.

[a] In pluribus MSS. *Ego qui.*

[b] MSS. propè omnes omittunt, *in lacrymas & lacryma fiam.*

nera, sed omnes isti una virgo est. Ubi est ista virginitas? non enim in corpore. [a] Paucarum feminarum est, & si dici virginitas in viris potest, paucorum virorum sancta integritas etiam corporis est in Ecclesia, & honorabilius membrum est: alia autem membra non in corpore, sed omnia in mente servant virginitatem. Quæ est VIRGINITAS MENTIS? Integra fides, solida spes, sincera caritas. Hanc virginitatem timebat ille, qui zelabat sponso, à serpente corrumpi. Sicut enim membrum corporis violatur in quodam loco, sic seductio linguæ violat virginitatem cordis. In mente non corrumpatur, quæ non vult sine caussa tenere corporis virginitatem.

13. Quid ergo dicam, Fratres? Et hæretici habent virgines, & multæ sunt virgines hæreticorum? Videamus si sponsum amant, ut virginitas ista custodiatur. Cui custoditur? Christo, inquit. Videamus si Christo, non Donato: videamus cui servetur ista virginitas; citò probare poteritis. Ecce ostendo sponsum, quia ipse se ostendit: perhibet illi testimonium Johannes, Hic est qui baptizat. O tu virgo, si sponso huic servas virginitatem tuam, quare CURRIS ad eum qui dicit, Ego baptizo: cùm amicus sponsi tui dicat, Hic est qui baptizat? Deinde sponsus tuus totum orbem tenet, quare tu in parte corrumperis? Quis est sponsus? Quoniam rex omnis terræ Deus. Ipse sponsus tuus totum tenet, quia totum emit. Vide quanti emerit, ut intelligas quid emerit: quod pretium dedit? sanguinem dedit. Ubi dedit, ubi fudit sanguinem suum? in passione. Nonne sponso tuo cantas, aut cantare te fingis, quando emtus est totus orbis, Foderunt manus meas & pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi verò consideraverunt, & conspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem? Sponsa es, agnosce vestem sponsi tui. Super quam vestem missa est sors? Interroga Evangelium: vide cui desponsata sis, vide à quo arrhas accipias. Interroga Evangelium: vide quid tibi dicat in passione Domini. Erat ibi tunica: videamus qualis: desuper texta. Desuper texta tunica quid significat nisi caritatem? desuper texta tunica quid significat nisi unitatem? Hanc tunicam adtende, quam nec persecutores Christi diviserunt. Ait enim, Dixerunt inter se, Non dividamus eam, sed sortem super eam mittamus. Ecce unde audistis Psalmum. Vestem persecutores non conciderunt: Christiani Ecclesiam dividunt.

14. Sed quid dicam Fratres? Apertè videamus quid emerit. Ibi enim emit, [b] ubi pretium dedit. Pro quanto dedit? Si pro Africa dedit, simus Donatistæ, & non appellemur Donatistæ, sed Christiani; quia Christus solam Africam emit: quamquam & hîc non soli Donatistæ. Sed non tacuit in commercio suo quid emerit. Fecit tabulas: Deo gratias, non nos fefellit. Opus est ut audiat illa sponsa, & ibi intelligat cui voverit virginitatem. Ibi in ipso Psalmo, ubi dictum est, Foderunt manus meas & pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea: ubi passio Domini apertissimè declaratur: quod psalmus omni anno legitur novissimâ hebdomadâ intento universo populo, imminente passione Christi, & apud nos, & apud illos Psalmus iste legitur. Intendite Fratres quid ibi emit; recitentur tabulæ commerciales; quid ibi emit, audite: Commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terræ: & adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium: quoniam ipsius est regnum, & ipse dominabitur gentium. Ecce quid emit. Ecce quoniam rex omnis terræ Deus est sponsus tuus. Quid ergo ad pannos vis deduci talem divitem? Agnosce: totum emit, & tu dicis, Partem hîc habes. O si placeres sponso, ô si non corrupta loquereris, & corrupta, quod pejus est, corde, non corpore. Amas hominem pro Christo, amas dicentem, Ego baptizo: amicum sponsi non audis dicentem, Hic est qui baptizat: non audis dicentem, *Qui habet sponsam, sponsus est.* Ego non habeo sponsam, dixit: sed quid sum? *Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

15. Evidenter ergo, Fratres mei, nihil prodest istis servare virginitatem, habere continentiam, eleemosynas dare, omnia illa quæ laudantur in Ecclesia, nihil illis prosunt; quia conscindunt unitatem, id est, tunicam illam caritatis. Quid faciunt? Diserti sunt multi inter illos, magnæ linguæ, flumina linguarum. Numquid angelicè loquuntur? Audiant amicum sponsi zelantem sponso, non sibi: Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum ut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens.

16. Sed quid dicunt? Habemus baptismum. Habes, sed non tuum. Aliud est habere, aliud dominari. Baptismum habes, quia accepisti ut baptizatus sis, accepisti tamquam illuminatus; si tamen à te non tenebratus: & quando das, minister das, non possessor; præco clamas, non judex. Per præconem loquitur judex, & in Actis tamen non scribitur, Præco dixit; sed, Judex dixit. Proinde vide si tuum est quod das, potestate. Si autem accepisti, confitere cum amico sponsi, *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cælo.* Confitere cum amico sponsi, *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, & audit eum.* Sed ô si stares & audires eum, & non caderes ut audires te! Audiendo enim eum stares, & audires: nam loqueris, & tibi caput inflas. Ego, inquit, Ecclesia, si sponsa sum, si arrhas accepi, si pretio sanguinis illius redemta sum, audio vocem sponsi; & vocem amici sponsi tunc audio, si sponso meo det gloriam, non sibi. Dicat amicus, *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Ecce habes sacramenta, & ego concedo. Habes formam, sed sarmentum es de vite præcisum: tu formam ostendis, ego radicem quæro: de forma fructus non exit, nisi ubi est radix: ubi autem est radix, nisi in caritate? Et audi formam sarmentorum, Paulus loquatur: Si sciam, inquit, omnia sacramenta, & habeam omnem prophetiam & omnem fidem, (& quantam fidem?) ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum.

17. Nemo ergo vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum; & Donatus oravit, & respondit ei Deus de cælo. Primò, aut falluntur aut fallunt. Postremò fac illum montes transferre. Caritatem autem, inquit, non habeam, nihil sum. Videamus utrùm habuerit caritatem. Crederem, si non divisisset unitatem. Nam & contra istos, ut sic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus,

Iohan. 3. 29. — *Iohan.* 1. 27. — *Psal.* 21. 28. &c. — *Iohan.* 19. 23. — *Psal.* 21. 17. &c. — *Iohan.* 3. 29. — 1. *Cor.* 13. 1. — Pontij & Donati ficta miracula.

[a] Sic aliquot MSS. At editi, *Non enim in corpore. In corpore paucarum feminarum est.* Et pòst loco *sancta integritas*, habent *sanctitas*, | *integritas.*

[b] In plerisque MSS. *ubi pretium dedit.*

Marci 13. 22. dicens, In noviſſimis temporibus exſurgent pſeudo-prophetæ, facientes ſigna & prodigia, ut in errorem inducant, ſi fieri poteſt, etiam electos: ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit ſponſus, quia & miraculis decipi non debemus. Aliquando enim & deſertor terret Provincialem: ſed utrùm in caſtris ſit, & aliquid illi proſit character ille in quo ſignatus eſt, hoc attendit qui terreri & ſeduci non vult. Teneamus ergo unitatem, Fratres mei: præter unitatem & qui facit miracula nihil eſt. In unitate enim erat populus Iſraël, & non faciebat mi- B racula: præter unitatem erant magi Pharaonis, & faciebant ſimilia Moyſi. Populus Iſraël, ut dixi, non faciebat: qui erant ſalvi apud Deum, qui faciebant, an qui non faciebant? Petrus Apoſtolus reſuſcitavit mortuum: Simon Magus fecit multa: erant ibi quidam Chriſtiani qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon: ſed unde gaudebant? quia nomina eorum erant ſcripta in cælo. Nam & redeuntibus diſcipulis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus propter fi- C dem gentium hoc ait. Dixerunt enim gloriantes ipſi diſcipuli, Ecce Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis ſubjecta ſunt. Bene quidem confeſſi ſunt, detulerunt honorem nomini Chriſti: & tamen quid ait eis? Nolite in hoc gloriari, quia dæmonia vobis ſubjecta ſunt, ſed gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. Petrus dæmonia excluſit; neſcio quæ anicula vidua, neſcio quis homo qualiſcumque laïcus habens caritatem, tenens integritatem fidei, non facit hoc: Petrus in D corpore oculus eſt, ille in corpore digitus; in eo tamen corpore eſt, in quo & Petrus: & ſi minùs valet digitus quàm oculus, non eſt tamen præciſus à corpore. Melius eſt eſſe digitum & eſſe in corpore, quàm eſſe oculum & evelli de corpore.

Exod. 7. 12. & *cap.* 8. 7. *Act.* 9. 40. *Act.* 8. 10. *Luc.* 10. 17. &c.

18. Proinde, Fratres mei, nemo vos fallat, nemo vos ſeducat: amate pacem Chriſti, qui pro vobis crucifixus eſt, cùm Deus eſſet. Paulus dicit, *2. Cor.* 3. 7. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Et quiſquam noſtrûm E dicit quia aliquid eſt? Si dixerimus quia aliquid ſumus, & non illi gloriam dederimus, adulteri ſumus: nos amari volumus, non ſponſum. Vos Chriſtum diligite, & nos in illo, in quo & vos à nobis diligimini. Invicem ſe diligant membra, ſed omnia ſub capite vivant. Dolore quidem, Fratres mei, multa coactus ſum dicere, & [a] parva dixi: lectionem finire non potui, aderit Dominus ut opportunè finiatur. Nolui enim ampliùs onerare corda veſtra, quæ volo vacare gemitibus, & orationibus pro his F qui adhuc ſurdi ſunt, & non intelligunt.

[a] Sic MSS. At editi, *& pauca dixi: lectionem tamen finire.*

TRACTATUS XIV.

Ab eo Evangelij loco, Hoc ergo gaudium meum impletum eſt, *&c. uſque ad id*, Qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

1. LECTIO iſta de ſancto Evangelio excellentiam divinitatis Domini noſtri Jeſu G Chriſti, & humilitatem hominis qui meruit dici amicus ſponſi, nos docet: ut diſtinguamus quid interſit inter hominem hominem, & hominem Deum. Quia homo Deus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Deus ante omnia ſæcula, & homo in noſtro ſæculo: Deus de Patre, homo de virgine, A unus tamen atque idem Dominus & ſalvator Jeſus Chriſtus, Filius Dei, Deus & homo. Johannes verò excellentis gratiæ miſſus ante ipſum, illuminatus ab illo qui lumen eſt. De Johanne enim dictum eſt, Non erat ille lumen, ſed ut teſtimonium *Joan.* 1. 8. perhiberet de lumine. Poteſt quidem dici lumen, & bene dicitur & ipſe lumen: ſed illuminatum, non illuminans. Aliud eſt enim lumen quod illuminat, & aliud lumen quod illuminatur: nam & oculi noſtri lumina dicuntur, & tamen in tenebris patent, & non vident. Lumen autem illuminans à ſeipſo lumen eſt, & ſibi lumen eſt, & non indiget alio lumine ut lucere poſſit, ſed ipſo indigent cetera ut luceant.

2. Confeſſus eſt ergo Johannes, ſicut audiſtis, quia cùm diſcipulos multos faceret Jeſus, & perferretur ad eum veluti ut inſtigaretur; quaſi invido enim narraverunt, Ecce ille facit plures diſcipulos quàm tu: ille confeſſus eſt quid eſſet, & inde meruit ad ipſum pertinere, quia non eſt auſus ſe dicere quod eſt ille. Hoc ergo dixit Johannes, * *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi datum illi fuerit de cælo.* Ergo Chriſtus dat, homo accipit. * *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis quòd dixerim: Ego non ſum Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum.* * *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Non ſibi gaudium fecit de ſe. Qui enim vult gaudere de ſe, triſtis erit: qui autem de Deo vult gaudere, ſemper gaudebit; quia Deus ſempiternus eſt. Vis habere gaudium ſempiternum? Inhære illi qui ſempiternus eſt. Talem ſe dixit Johannes. Propter vocem ſponſi gaudet amicus ſponſi, ait, non propter vocem ſuam: & ſtat, & audit eum. Si ergo cadit, non audit eum: de illo enim quodam qui cecidit, dictum eſt, Et in veritate non ſtetit. de diabo- *Joan.* 8. lo dictum eſt. Ergo ſtare debet amicus ſponſi & au- 44. dire. Quid eſt ſtare? permanere in gratia ejus quam accepit. Et audit vocem ad quam gaudeat. Sic erat Johannes: noverat unde gaudebat, non ſibi arrogabat quod ipſe non erat: ſciebat illuminatum ſe, non illuminatorem. Erat autem lumen verum, ait *Joan.* 1. 9. Evangeliſta, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si ergo omnem hominem, & ipſum Johannem; quia & ipſe de hominibus. Etenim quamvis nemo exſurrexerit major Jo- *Matth.* 11. hanne in natis mulierum, unus tamen & ipſe ex his 11. qui nati ſunt ex mulieribus. Numquid comparandus eſt ei, qui quia voluit natus eſt? & ideo novo partu, quia novus natus? Ambæ enim generationes Domini inuſitatæ ſunt, & divina & humana: Divina non habet matrem, humana non habet patrem. Ergo unus de ceteris Johannes, ſed tamen majoris gratiæ, ita ut in natis mulierum nemo exſurgeret major illo, tantam teſtificationem tribuit Domino noſtro Jeſu Chriſto, ut illum dicat ſponſum, ſe amicum ſponſi, non dignum tamen ſolvere corrigiam calceamenti ipſius. Hinc audivit jam multa Caritas Veſtra: quod ſequitur videamus: aliquantum enim ſpiſſum eſt ad intelligendum. Sed quoniam dicit ipſe Johannes, quia *non poteſt homo accipere quidquam, niſi datum illi fuerit de cælo*: quidquid non intellexerimus, rogemus eum qui dat de cælo; quia homines ſumus, & non poſſumus accipere quidquam, niſi ille dederit qui homo non eſt.

3. Hoc ergo ſequitur, & dicit Johannes, *Hoc* *Johan.* 3. 29. *ergo gaudium meum impletum eſt.* Quod eſt gaudium

ipſius?

ipſius? ut gaudeat ad vocem ſponſi. Impletum eſt A in me, habeo gratiam meam, plus mihi non aſſumo, ne & quod accepi amittam. Quod eſt hoc gaudium? *Gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Intelligat ergo homo non ſe gaudere debere de ſapientia ſua, ſed de ſapientia quam accepit à Deo. Nihil plus quærat, & non amittit quod invenit. Multi enim ideo facti ſunt inſipientes, quia dixerunt ſe eſſe ſapientes. Arguit illos Apoſtolus, & dicit de ipſis, Quia quod notum eſt Dei, ait, manifeſtum eſt il- *Rom.* 1. 19. &c. lis: Deus enim illis manifeſtavit. De quibuſdam B ingratis, impiis, audite quid dicat. Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus ejus ac divinitas, ut ſint ipſi inexcuſabiles. Quare inexcuſabiles? Quia cognoſcentes Deum, (non dixit, quia non cognoverunt,) cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti C ſunt. Si enim Deum cognoverant, ſimul cognoverant quia non eos fecerat ſapientes niſi Deus. Non ergo ſibi tribuerent quod à ſe non habebant, ſed ei à quo acceperant. Non autem agendo gratias inſipientes facti ſunt. Ergo Deus quod dederat gratis, tulit ingratis. Noluit eſſe hoc Johannes, gratus eſſe voluit: confeſſus eſt accepiſſe ſe, & gaudere ſe dixit propter vocem ſponſi, & ait, *Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.*

Joan. 3. 30. 4. *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Quid D eſt hoc? Illum oportet exaltari, me autem humiliari. Quomodo creſcit Jeſus? quomodo creſcit Deus? Perfectus non creſcit. Deus autem nec creſcit, nec minuitur. Si enim creſcit, perfectus non eſt: ſi minuitur, Deus non eſt. Jeſus autem Deus quomodo creſcit? Si ad ætatem, quia dignatus eſt eſſe homo, & fuit puer; & cùm ſit Verbum Dei, infans in præſepi jacuit, & cùm ipſe matrem ſuam condiderit, lac infantiæ de matre ſuxit: quia crevit ergo Jeſus ætate carnis, ideo fortè dictum eſt, E *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Sed quare & hoc? Johannes & Jeſus, quod ad carnem perti- *Luc.* 1. 36. net, coævi erant: ſex menſes inter ſe habebant, pariter creverant: & ſi diutiùs ante mortem Dominus noſter Jeſus Chriſtus vellet hîc eſſe, & ipſum Johannem hîc ſecum eſſe, quomodo pariter creverant, ita pariter ſeneſcere poterant: quare ergo, *Illum oportet creſcere, me autem minui?* Primò, quia *Luc.* 3. 23. jam & Dominus triginta annorum erat: numquid juvenis, ſi jam triginta annorum ſit, adhuc creſ- F cit? Jam ab ipſa ætate vergere incipiunt homines, & declinare ad graviorem ætatem, & inde ad ſenectutem. Sed & ſi pueri eſſent ambo, non diceret, *Illum oportet creſcere, me autem minui*: ſed diceret, Simul nos oportet creſcere. Nunc autem triginta annorum ille, triginta & ille: ſex menſes qui intererant, nullam diſtinguunt ætatem: magis illud invenit lectio quàm adſpectio.

5. Quid ergo eſt, *Illum oportet creſcere, me autem minui?* Magnum hoc ſacramentum, intelligat G Caritas Veſtra. Antequam veniret Dominus Jeſus, homines gloriabantur de ſe: venit ille homo, ut minueretur hominis gloria, & augeretur gloria Dei. Etenim venit ille ſine peccato, & invenit omnes cum peccato. Si ſic venit ille ut dimitteret peccata, Deus largiatur, homo confiteatur. Etenim confeſſio hominis, humilitas hominis: miſeratio Dei, altitudo Dei. Si ergo venit ille dimittere homini peccata, agnoſcat homo humilitatem ſuam, & Deus faciat miſericordiam ſuam. *Illum oportet creſcere, me autem minui*: hoc eſt, illum oportet dare, me autem accipere: illum oportet glorificari, me autem confiteri. Intelligat homo gradum ſuum, & confiteatur Deo, & audiat Apoſtolum dicentem homini ſuperbienti & elato, extollere ſe volenti, Quid enim habes quod non accepiſti? ſi autem & *1. Cor.* 4. 7. accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Intelligat ergo homo quia accepit, qui volebat ſuum dicere quod non eſt ejus; & minuatur: bonum eſt enim illi ut Deus in illo glorificetur. Ipſe in ſe minuatur, ut in Deo augeatur. Hæc teſtimonia & hanc veritatem, etiam paſſionibus ſuis ſignificaverunt Chriſtus & Johannes. Nam Johannes capite minutus, Chriſtus in cruce exaltatus: ut & ibi appareret quid eſt, *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Deinde natus eſt Chriſtus cùm jam inciperent creſcere dies, natus eſt Johannes quando cœperunt minui dies. Adteſtata eſt ipſa creatura & ipſæ paſſiones verbis Johannis dicentis, *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Creſcat ergo in nobis gloria Dei, & minuatur gloria noſtra, ut in Deo creſcat & noſtra. Hoc enim dicit Apoſtolus, hoc dicit *1. Cor.* 1. 31. Scriptura ſancta: Qui gloriatur, in Domino glo- *Jerem.* 9. 23. rietur. In te vis gloriari? creſcere vis: ſed malo tuo malè creſcis. Qui enim malè creſcit, juſtè minuitur. Creſcat ergo Deus qui ſemper perfectus eſt, creſcat in te. Quantò enim magis intelligis Deum, & quantò magis capis, videtur in te creſcere Deus: in ſe autem non creſcit, ſed ſemper perfectus eſt. Intelligebas heri modicùm, intelligis hodie ampliùs, intelliges cras multò ampliùs: lumen ipſum Dei creſcit in te; ita velut Deus creſcit, qui ſemper perfectus manet. Quemadmodum ſi curarentur alicujus oculi ex priſtina cæcitate, & inciperet videre paululum lucis, & alia die plus videret, & tertia die amplius, videretur illi lux creſcere: lux tamen perfecta eſt, ſive ipſe videat, ſive non videat. Sic eſt & interior homo: proficit quidem [a] in Deo, & a Deus in illo videtur creſcere: ipſe tamen minuitur, ut à gloria ſua decidat, & in gloriam Dei ſurgat.

6. Et diſtinctè jam & manifeſtè apparet quod modò audivimus. *Qui de ſurſum venit, ſupra omnes* *Joan.* 3. 31. *eſt.* Vide quid dicat de Chriſto. Quid de ſe? *Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur. Qui de ſurſum venit, ſupra omnes eſt*, Chriſtus eſt: *Qui* autem *eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur*, Johannes eſt. Et hoc eſt totum, Johannes de terra eſt, & de terra loquitur? totum teſtimonium quod perhibet de Chriſto, de terra loquitur? non voces Dei audiuntur à Johanne, ubi teſtimonium perhibet de Chriſto? Quomodo ergo de terra loquitur? Sed de homine dicebat. Quantum ad ipſum hominem pertinet, de terra eſt, & de terra loquitur: ſi autem aliqua loquitur divina, illuminatus eſt à Deo. Nam ſi non eſſet illuminatus, terra terram loqueretur. Ergo ſeorſum eſt gratia Dei, ſeorſum natura hominis. Modò naturam hominis interroga: naſcitur & creſcit, uſitata iſta hominum diſcit. Quid novit niſi terram de terra? Humana loquitur, humana novit, humana ſapit; carnalis carnaliter æſtimat, carnaliter ſuſpicatur: ecce eſt totus homo. Veniat gratia Dei, illuminet tenebras illius, ſicut dicit, Tu illuminabis lucernam *Pſal.* 17. 29.

[a] Vindocinenſis MS. *in Deum.*

» meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas: assumat mentem humanam, [a] convertat ad lucem suam: incipit jam dicere, quod Apostolus dicit, 1. Cor. 15. 10. Non ego autem, sed gratia Dei mecum: &, Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus. Galat. 2. 20. Hoc est, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ergo Johannes, quod ad Johannem pertinet, de terra est, & de terra loquitur. Si quid divinum audisti à Johanne, illuminantis est, non recipientis.

Johan. 3. v. 31. v. 32. 7. * *Qui de cælo venit, supra omnes est:* * *& quod vidit & audivit, hoc testificatur, & testimonium ejus nemo accipit. De cælo venit, supra omnes est*, Dominus noster Jesus Christus: de quo superiùs dictum v. 13. est, Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo. Est autem super omnes; *& quod vidit & audivit, hoc loquitur.* Habet enim & Patrem ipse Filius Dei; habet & Patrem, & audit à Patre. Et quod audit à Patre quid est? quis hoc explicat? Quando lingua mea, quando cor meum sufficere potest, vel cor ad intelligendum, vel lingua ad proferendum, quid est quod Filius audivit à Patre? Fortè Filius Verbum Patris audivit? Immo Filius Verbum Patris est. Videtis quemadmodum hîc fatigetur omnis conatus humanus: videtis quemadmodum hîc deficiat omnis conjectura pectoris nostri, & omnis intentio mentis cajohan. 3. 32. & cap. 8. 26. ligantis. Audio dicentem Scripturam, quia Filius hoc loquitur, quod audit à Patre: & rursus audio Johan. 1. 1. dicentem Scripturam, quia ipse Filius Verbum Patris est: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Nos loquimur verba volantia & transeuntia: mox ut sonuerit ore tuo verbum tuum, transit, peragit strepitum suum & transit in silentium. Numquid potes sequi sonum tuum, & tenere ut stet? Cogitatio tamen tua manet, & de ipsa cogitatione manente dicis multa verba transeuntia. Quid dicimus, Fratres? Deus cùm loqueretur, adhibuit vocem, adhibuit sonos, adhibuit syllabas? Si adhibuit ista, qua linguâ locutus est? Hebræâ, an Græcâ, an Latina? Ibi necessariæ linguæ, ubi distinctio gentium. Ibi autem nemo potest dicere, illâ linguâ, vel illâ linguâ locutum esse Deum. Cor tuum adtende. Quando concipis verbum quod dicas: dicam enim, si potero, quod in nobis adtendamus, non unde illud comprehendamus: quando ergo concipis verbum quod proferas, rem vis dicere, & ipsa rei conceptio in corde tuo jam verbum est: nondum processit, sed jam natum est in corde, & manet ut procedat: adtendis autem ad quem procedat, cum quo loquaris: si Latinus est, vocem Latinam quæris; si Græcus est, verba Græca meditaris; si Punicus est, adtendis si nosti linguam Punicam; pro diversitate auditorum diversas linguas adhibes, ut proferas verbum conceptum: illud autem quod corde conceperas, nullâ linguâ tenebatur. Cùm ergo Deus loquens, b linguam non quæreret, & genus [b] locutionis non assumeret, quomodo auditus est à Filio, cùm ipsum Filium sit locutus Deus? Quomodo enim tu verbum quod loqueris, in corde habes, & apud te est, & ipsa conceptio spiritalis est: (nam sicut anima tua spiritus est, ita & verbum quod concepisti, spiritus est; nondum enim accepit sonum ut per syllabas dividatur, sed manet in conceptione cordis & c in [c] speculo mentis:) sic Deus edidit Verbum, hoc est, genuit Filium. Et tu quidem ex tempore gignis verbum etiam in corde: Deus sine tempore genuit Filium, per quem creavit omnia tempora. Cùm ergo Verbum Dei Filius sit, Filius autem locutus est nobis, non verbum suum, sed Verbum Patris, se nobis loqui voluit, qui Verbum Patris loquebatur. Hoc ergo quomodo decuit, & oportuit, dixit Johannes: quomodo potuimus, nos exposuimus. Cui ad cor nondum pervenit dignus de tanta re intellectus, habet quò se convertat, habet quò pulset, habet à quo quærat, habet à quo petat, habet à quo accipiat.

Johan. 1. v. 31. v. 32. 8. * *Qui de cælo venit, supra omnes est:* * *& quod vidit & audivit, hoc testatur; & testimonium ejus nemo accipit.* Si nemo, ut quid venit? Quorumdam ergo nemo. Est quidam populus præparatus ad iram Dei, damnandus cum diabolo: horum nemo accipit testimonium Christi. Nam si omnino nemo, nullus homo; quid est quod sequitur, *Qui au-* v. 33. *tem accepit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est?* Certè ergo non nemo, si tu ipse dicis, *Qui accepit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est.* Responderet ergo fortasse Johannes interrogatus, & diceret, Novi quid dixerim, nemo. Est enim quidam populus natus ad iram Dei, & ad hoc præcognitus. Qui sint enim crediturí, & qui non sint crediturí, novit Deus: qui sint perseveraturi in eo quod crediderunt, & qui sint lapsuri, novit Deus: & numerati sunt Deo omnes futuri in vitam æternam; & novit jam illum populum distinctum. Et si ipse novit, & Prophetis dedit nosse per Spiritum suum, dedit & Johanni. Adtendebat ergo Johannes, non oculo suo; nam quantum ad ipsum pertinet, terra est, & de terra loquitur: sed in ea gratia Spiritus, quam accepit à Deo, vidit quemdam populum impium, infidelem: adtendens illum in infidelitate sua, ait, Testimonium ejus qui venit de cælo, nemo accipit. Quorum nemo? Eorum qui ad sinistram futuri sunt, eorum quibus dicetur, Ite in Matth. 25. ignem æternum, qui præparatus est diabolo & an- 41. &c. gelis ejus. Qui ergo accipiunt? Illi qui ad dexteram futuri sunt, illi quibus dicetur, Venite benedicti « Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum « est ab origine mundi. Adtendit ergo in spiritu divi- « sionem, in genere autem humano commixtionem; & quod nondum locis separatum est, separavit intellectu, separavit cordis adspectu; & vidit duos populos, fidelium & infidelium: adtendit infideles, & ait, *Qui de cælo venit, supra omnes est, &* d *quod vidit & audivit, hoc* [d] *testatur, & testimonium ejus nemo accipit.* Deinde transtulit se à sinistra, & adspexit ad dexteram, & secutus ait, *Qui accepit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est.* Quid est, *signavit quia Deus verax est*, nisi homo mendax est, & Deus verax est? Quia nemo hominum potest dicere quod veritatis est, nisi illuminetur ab eo qui mentiri non potest. Deus ergo verax, Christus autem Deus. Vis probare? Accipe testimonium ejus, & invenis: *Qui enim accipit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est.* Quis? Ipse qui de cælo venit & supra omnes est, Deus verax est. Sed si nondum illum intelligis Deum, nondum accepisti testimonium ejus: accipe, & signas, præsumenter intelligis, definienter agnoscis, quia Deus verax est.

9. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Ipse Johan. 3. 34. est Deus verax, & misit illum Deus: Deus misit

a Editi, *convertatur*. Melius MS. *convertat*, scil. *gratia*.
b In omnibus MSS. *elocutionis*.
c Plerique MSS. *in spectaculo mentis*.
d MSS. *loquitur*: & pòst, loco *transtulit*, habent *tulit*.

Deum. Junge ambos, unus Deus, Deus verax missus à Deo. De singulis interroga, Deus: & de ambobus interroga, Deus. a Non singuli Deus & ambo dij, sed singulus quisque Deus & ambo Deus. Tanta enim ibi est caritas Spiritus-sancti, tanta pax unitatis, ut de singulis cùm interrogatur, Deus tibi respondeatur; de Trinitate cùm interrogatur, Deus tibi respondeatur. Si enim spiritus hominis quando inhæret Deo unus spiritus est, apertè Apostolo di- 1. Cor. 6. 17. cente, Qui adhæret Domino, unus spiritus est: quantò magis Filius æqualis adhærens Patri simul B cum illo unus Deus est? Audite alterum testimonium. Nostis quàm multi crediderunt, quando omnia quæ habebant, ad pedes Apostolorum vendita posuerunt, ut distribueretur unicuique sicut opus erat: & de illa congregatione sanctorum quid Act. 4. 32. dicit Scriptura? Erat illis anima una & cor unum in Domino. Si caritas de tot animis fecit animam unam, & de tot cordibus fecit cor unum: quanta est caritas inter Patrem & Filium? Major utique potest esse quàm inter illos homines quibus erat cor C unum. Si ergo multorum fratrum cor unum propter caritatem, & multorum fratrum anima una propter caritatem: Deus Pater & Deus Filius dicturus es quia duo sunt? Si duo dij sunt, non est ibi summa caritas. Si enim hîc tanta caritas est, ut animam tuam & animam amici tui unam animam faciat, quomodo ibi non est unus Deus Pater & Filius? absit ut hoc sentiat fides non ficta. Prorsus quantum excellat caritas illa, hinc intelligite: Multæ animæ sunt multorum hominum, & si se dili- D gunt, una anima est: sed possunt dici & multæ animæ, possunt in hominibus; quia non est tanta conjunctio. Ibi autem, unum Deum licet dicas: duos aut tres deos non licet dicas. Hinc tibi commendatur supereminentia & summitas caritatis tanta, ut major esse non possit.

Johan. 3. 34. 10. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Hoc utique de Christo dicebat, ut se ab illo distingueret. Quid enim? ipsum Johannem nonne Deus Ibidem 28. misit? An non ipse dixit, Missus sum ante eum: E Johan. 1. 33. &, Qui me misit baptizare in aqua: & de illo dictum Malach. 3. 1. est, Ecce mitto angelum meum ante te, & præparabit viam tuam? Nonne & ipse verba Dei loquitur, de quo etiam dictum est, quòd sit amplius quàm propheta? Si ergo & ipsum Deus misit, & verba Dei loquitur; quomodo ad distinctionem, Johan. 3. 34. de Christo eum dixisse accipimus, *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur?* Sed vide quid adjungat: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Quid est hoc, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum?* F Invenimus quia ad mensuram dat Deus Spiritum? Ephes. 4. 7. Audi Apostolum dicentem, Secundùm mensuram donationis Christi. Hominibus ad mensuram dat, unico Filio non dat ad mensuram. Quomodo ho- 1. Cor. 12. 8. minibus ad mensuram? Alij quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ secundùm eumdem spiritum: alij fides in eodem spiritu, alij prophetia, alij dijudicatio spirituum, alij genera linguarum, alij donatio curationum. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? num- G quid omnes Doctores? numquid omnes Virtutes? numquid omnes dona habent sanitatum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Aliud habet iste, aliud ille: & quod habet ille, non habet iste. Mensura est, divisio quædam donorum est. Ergo hominibus ad mensuram datur, & concordia ibi unum corpus facit. Quomodo aliud accipit manus ut operetur, aliud oculus ut videat, aliud auris ut audiat, aliud pes ut ambulet; anima tamen una est quæ agit omnia, in manu ut operetur, in pede ut ambulet, in aure ut audiat, in oculo ut videat: sic sunt etiam diversa dona fidelium, tamquam membris ad mensuram cuique propriam distributa. Sed Christus qui dat, non ad mensuram accipit.

11. Audi enim adhuc quid sequitur, quia de Filio dixerat, * *Non enim ad mensuram dat Deus Spi-* Johan. 3. v. 34. *ritum.* * *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu* v. 35. *ejus.* Adjecit, *Omnia dedit in manu ejus:* ut nosses & hîc [b] qua distinctione dictum sit, *Pater diligit Fi-* b *lium.* Quare enim? Pater non diligit Johannem? & tamen non omnia dedit in manu ejus. Pater non diligit Paulum? & tamen non omnia dedit in manu ejus. *Pater diligit Filium:* sed quomodo Pater Filium, non quomodo dominus servum: quomodo Unicum, non quomodo adoptatum. Itaque *omnia dedit in manu ejus.* Quid est, *omnia?* Ut tantus sit Filius, quantus est Pater. Ad æqualitatem enim sibi genuit cum, cui rapina non esset in forma Dei esse Philip. 2. 6. æqualem Deo. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* Ergo cùm ad nos dignatus est mittere Filium, non putemus aliquid minus nobis missum quàm est Pater. Pater mittens Filium, se alterum misit.

12. Namque putantes adhuc discipuli, quia Pater aliquid majus est quàm Filius, videntes carnem D & non intelligentes divinitatem, dixerunt ei, Do- Johan. 14. 8. mine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Tamquam dicerent, Jam novimus te, & benedicimus te, quia novimus te: gratias enim tibi agimus, quia ostendisti te nobis, sed Patrem nondum novimus: propterea cor nostrum ardet, & satagit concupiscentiâ quadam sanctâ videndi Patris tui qui te misit: ipsum nobis ostende, & nihil ampliùs à te desiderabimus: sufficit enim nobis cùm ille fuerit demonstratus, quo major esse nemo potest. Bona concupiscentia, bonum desiderium: sed parvus intellectus. Adtendens enim ipse Dominus Jesus, parvos magna quærentes, & se ipsum magnum inter parvos, & parvum inter parvos, ait Philippo qui hoc dixerat, uni ex discipulis, Tanto tempore vobis- « cum sum, & non cognovisti me, Philippe? Posset « hîc Philippus respondere, Cognovimus te: sed numquid diximus tibi, ostende nobis te? Te cognovimus, sed Patrem quærimus. Subjecit statim, Qui me vidit, vidit & Patrem. Si ergo æqualis Pa- « tri missus est, non eum æstimemus ex infirmitate carnis, sed cogitemus majestatem indutam carne, non oppressam carne. Manens enim Deus apud Patrem, apud homines factus est homo, ut tu per illum qui ad te factus est homo, fieres talis qualis capit Deum. Non enim homo poterat capere Deum: videre poterat homo hominem, capere Deum non poterat. Unde non poterat capere Deum? Quia oculum cordis unde caperet, non habebat. Erat ergo aliquid intus saucium, & aliquid foris sanum: corporis oculos habebat sanos, cordis oculos habebat saucios. Factus est ille homo ad corporis oculum: ut credens in eum qui videri corporaliter potuit, [c] curareris ad eum ipsum videndum quem spi- c ritaliter videre non poteras. Tanto tempore vobis-

a Sic omnes MSS. At editi, *Non singuli dij.*
b Remigensis MS. *quia ad distinctionem.*
c Editi, *curreres*: consentiunt MSS. exceptis duobus, qui ferunt, *curareris.*

cum sum, & non cognovistis me, Philippe? Qui me vidit, vidit & Patrem. Quare illi non illum videbant? Ecce videbant illum, & Patrem non videbant: videbant carnem, sed majestas latebat. Quod videbant discipuli qui amaverunt, viderunt & Judæi qui crucifixerunt. Intus ergo erat totus ille, & sic intus in carne, ut apud Patrem maneret: non enim deseruit Patrem quando venit ad carnem.

13. Carnalis cogitatio non capit quod dico: differat intellectum, & incipiat à fide: audiat quod
Johan. 3.36. sequitur: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Non dixit, ira Dei venit ad eum, sed *ira Dei manet super eum.* Omnes qui nascuntur mortales, habent secum iram Dei. Quam iram Dei? Quam accepit primus Adam.
Gen. 2. 17. Si enim peccavit primus homo, & audivit, Morte morieris: factus est mortalis ille, & cœpimus nasci mortales, cum ira Dei nati sumus. Venit inde Filius non habens peccatum, & indutus est carne, indutus est mortalitate. Si ille nobiscum communicavit iram Dei, nos pigri sumus cum illo communicare gratiam Dei? Qui ergo non vult credere in Filium, ira Dei manet super eum. Quæ ira Dei?
Ephes. 2. 3. De qua dicit Apostolus, Fuimus & nos naturâ filij iræ, sicut & ceteri. Omnes ergo filij iræ; quia de maledicto mortis venientes. Crede in Christum factum pro te mortalem, ut illum capias immortalem: quando enim ceperis ejus immortalitatem, nec tu eris mortalis. Vivebat, moriebaris: mortuus est, ut vivas. Adtulit gratiam Dei, abstulit iram Dei.
a Deus [a] vicit mortem, ne mors vinceret hominem:

*TRACTATUS XV.

** Habitus die proximo ante Tractat. subseq.*

Ab eo Evangelij loco, Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quia Jesus plures discipulos facit, *&c. usque ad id*, Et scimus quia hic est verè Salvator mundi.

1. NON rude est auribus Caritatis Vestræ, Evangelistam Johannem velut aquilam volare altiùs, caliginemque terræ transcendere, & lucem veritatis firmioribus oculis intueri. Multa enim jam ex Evangelio ejus per ministerium nostrum Domino adjuvante tractata sunt: ex ordine autem sequitur hæc lectio, quæ hodie recitata est. Ea quæ dicturus sum Domino donante multi sic audituri estis, ut magis recognoscatis quàm discatis. Non ideo tamen pigra debet esse intentio, quia non est cognitio, sed recognitio. Hoc lectum est, & hanc lectionem tractandam gestamus in manibus, quòd Dominus Jesus ad puteum Jacob loquebatur cum Samaritana muliere. Dicta enim ibi sunt magna mysteria, & magnarum similitudines rerum: pascentes animam esurientem, reficientes languentem.

Johan. 4. v. 1. & 2. 2. Dominus enim hæc *cùm audisset, cognovisse Pharisæos quòd plures discipulos faceret quàm Johannes, & plures baptizaret: quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus: reliquit Judæam terram, & abiit iterum in Galilæam.* Hinc diutiùs disputandum non est, ne immorantes in manifestis, angustias temporis patiamur ad obscura scrutanda & aperienda. Utique Dominus si sciret Pharisæos ita de se cognovisse, quòd plures discipulos faceret, & quòd plures baptizaret, ut hoc eis ad salutem valeret sequendi eum, ut & ipsi essent discipuli, & ipsi vellent ab eo baptizari; magis non relinqueret Judæam terram, sed propter illos maneret ibi: quia verò cognovit eorum scientiam, simul cognovit & invidentiam, quia non hoc propterea didicerunt ut sequerentur, sed ut persequerentur; abiit inde. Poterat quidem ille & præsens ab his non teneri, si nollet; non occidi, si nollet; quia potuit & non nasci, si nollet: sed quia in omni re quam gessit ut homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum; (quia unusquisque servus Dei non peccat, si
B recesserit in alium locum, videns furorem fortè persequentium se, aut quærentium in malum animam suam; videretur autem sibi servus Dei peccare si faceret, nisi in faciendo Dominus præcessisset:) fecit hoc ille magister bonus ut doceret, non quòd timeret.

3. Fortassis etiam hoc moveat, cur dictum sit, *Baptizabat Jesus plures quàm Johannes*: & postea quàm dictum est, *Baptizabat*, subjectum est, *Quamquam Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus.* Quid
C ergo? Falsum dictum erat, & correctum est, cùm additum est, *Quamquam Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus?* An utrumque verum est, quia & Jesus baptizabat, & non baptizabat? Baptizabat enim, quia ipse mundabat: non baptizabat, quia non ipse tinguebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis. Quando enim cessaret à baptizando, quamdiu non cessat à mundando? De quo dictum est ab eodem Johanne, per Johannis Baptistæ personam di-
D centis, Hic est qui baptizat. Ergo Jesus adhuc bap- *Johan. 1 33.*
tizat: & quò usque baptizandi sumus, Jesus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem ministrum: habet enim superiorem magistrum.

4. Sed fortè ait aliquis, Baptizat quidem Christus in spiritu, non in corpore. Quasi verò alterius dono quàm illius, quisquam etiam sacramento corporalis & visibilis baptismatis imbuatur. Vis nosse quia ipse baptizat, non solùm spiritu, sed etiam aquâ? Audi Apostolum: Sicut Christus, inquit, *Ephes. 5.25.*
dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Mundans eam. Unde? Lavacro aquæ in verbo. Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus: tolle verbum, non est baptismus.

5. Jam ergo his præjactis, per quæ venit ad collocutionem cum illa muliere, videamus quæ restant plena mysteriis, & gravida sacramentis. ** Oportebat autem*, inquit, *eum transire per Samariam:* *Johan. 4. v.* 5.
*Venit ergo in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob filio suo Joseph. * Erat autem ibi fons Jacob.* Puteus erat; sed omnis puteus fons, non omnis fons puteus, Ubi enim aqua de terra manat, & usui præbetur haurientibus, fons dicitur: sed si in promtu & superficie sit, fons tantùm dicitur; si autem in alto & profundo sit, ita puteus vocatur, ut fontis nomen non amittat. *v. 6.*

6. *Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora erat quasi sexta.* Jam incipiunt mysteria. Non enim frustra fatigatur Jesus; non enim frustra fatigatur Virtus Dei; non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur; non enim frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo præsente firmamur. Fatigatur tamen Jesus; *Ibidem.*

[a] Sic aliquot optimæ notæ MSS. At editi, *bibit mortem, ne mors biberet hominem.*

& fatigatur ab itinere, & sedet, & juxta puteum sedet, & horâ sextâ fatigatus sedet. Omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid; intentos nos faciunt, ut pulsemus hortantur. Ipse ergo aperiat & nobis & vobis, qui dignatus est ita
Matth. 7.7. hortari ut diceret, Pulsate, & aperietur vobis. Ti-
a bi fatigatus est ab itinere Jesus. Invenimus [a] Virtutem Jesum, & invenimus infirmum Jesum: fortem & infirmum Jesum: fortem, quia in principio erat
Johan. 1. 1. Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. B
v. 3. Vis videre quàm iste Filius Dei fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: & sine labore facta sunt. Quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis
v. 14. nosse? Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Fortitudo Christi te creavit, infirmitas Christi te recreavit. Fortitudo Christi fecit ut quod non erat esset: infirmitas Christi fecit ut quod erat non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsivit nos infirmitate sua.

7. Nutrit ergo ipse infirmus infirmos, tamquam
Matth. 23. 37. gallina pullos suos: huic enim se similem fecit: Quo-
» tiens volui, inquit ad Jerusalem, congregare filios
» tuos sub alas, tamquam gallina pullos suos, & noluisti? Videtis autem, Fratres, quemadmodum gallina infirmetur cum pullis suis. Nulla alia avis quòd sit mater agnoscitur. Videmus nidificare passeres quoslibet ante oculos nostros, hirundines; ciconias, columbas quotidie videmus nidificare, quos
D nisi quando in nidis videmus, parentes esse non hoc audaciùs me arbitremini dixisse quàm verius, agnoscimus. Gallina verò sic infirmatur in pullis suis, ut etiamsi ipsi pulli non sequantur, filios non videas, matrem tamen agnoscas. Ita fit alis demissis, plumis hispida, voce rauca, omnibus membris demissa & abjecta, ut quemadmodum dixi, etiamsi filios non videas, matrem tamen intelligas. Sic ergo infirmus Jesus, fatigatus ab itinere. Iter ipsius est caro pro nobis assumta. Quomodo enim iter habet qui ubique est, qui nusquam deest? Quò it, aut unde it, nisi quia non ad nos veniret, nisi for-
E mam visibilis carnis assumeret? Quia ergo venire ad nos eo modo dignatus est, ut in forma servi assumta carne appareret, ipsa carnis assumtio est iter ipsius. Ideo fatigatus ab itinere, quid est aliud, quàm fatigatus in carne? Infirmus in carne Jesus: sed noli tu infirmari; in illius infirmitate tu fortis
1. Cor. 1.25. esto: quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Rom. 5. 14. 8. Sub hac rerum imagine Adam qui erat forma futuri, præbuit nobis magnum indicium sacra-
F menti, immo Deus in illo præbuit. Nam & dormiens meruit accipere uxorem, & de costa ejus
Gen. 2. 21. facta est ei uxor: quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat Ecclesia de latere ejus, de latere scilicet dormientis: quia & de latere in cruce
Johan. 19. 34. pendentis lanceâ percusso sacramenta Ecclesiæ profluxerunt. Sed quare hoc dicere volui, Fratres? Quia infirmitas Christi nos facit fortes. Magna ibi imago præcessit. Potuit Deus carnem detrahere
G homini unde faceret feminam, & magis videtur quasi congruere potuisse. Fiebat enim sexus infirmior, & magis de carne infirmitas fieri debuit quàm de osse: ossa enim in carne firmiora sunt. Non detraxit carnem unde faceret mulierem; sed detraxit os, & detracto osse formata est mulier, & in locum ossis caro adimpleta est. Poterat pro osse os reddere, poterat ad faciendam mulierem non costam, sed carnem detrahere. Quid igitur significavit? Facta est mulier in costa tamquam fortis: factus est Adam in carne tamquam infirmus. Christus est & Ecclesia, illius infirmitas nostra est fortitudo.

9. Quare ergo horâ sextâ? Quia ætate sæculi sexta. Computa in Evangelio tamquam unam horam, unam ætatem ab Adam usque ad Noë: secundam à Noë usque ad Abraham: tertiam ab A-
B braham usque ad David: quartam à David usque ad transmigrationem Babyloniæ: quintam à transmigratione Babyloniæ usque ad baptismum Johannis: inde sexta agitur. Quid miraris? Venit Jesus, & humiliando se venit ad puteum. Fatigatus venit, quia infirmam carnem portavit. Horâ sextâ, quia ætate sæculi sexta. Ad puteum, quia ad profunditatem hujus habitationis nostræ. Unde dicitur in psalmis, De profundis clamavi ad te Do- *Psal. 129.1.*
b mine. Sedit, ut dixi, quia [b] humiliatus est.

C 10. Et *venit mulier*. Forma Ecclesiæ, non jam *Johan. 4. 7.* justificatæ, sed jam justificandæ, nam hoc agit sermo. Venit ignara, invenit eum, & agitur cum illa. Videamus quid, videamus quare: *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* Samaritani ad Judæorum gentem non pertinebant: alienigenæ enim fuerunt, quamvis vicinas terras incolerent. Longum est originem Samaritanorum retexere, ne nos multa teneant, & necessaria non loquamur: sufficit ergo ut Samaritanos inter alienigenas deputemus. Et ne
D audite ipsum Dominum Jesum, quid dixerit de illo Samaritano, uno de decem leprosis quos mundaverat, qui solus rediit ut gratias ageret: Nonne *Luca 17.17.*
decem mundati sunt? & novem ubi sunt? non « erat alius qui daret gloriam Deo, nisi alienigena « iste. Pertinet ad imaginem rei, quòd ab alienigenis venit ista mulier, quæ typum gerebat Ecclesiæ: ventura enim erat Ecclesia de gentibus, alienigena à genere Judæorum. Audiamus ergo in illa nos, &
E in illa agnoscamus nos, & in illa gratias Deo agamus pro nobis. Illa enim figura erat, non veritas: quia & ipsa præmisit figuram, & facta est veritas. Nam credidit in eum, qui de illa figuram nobis prætendebat. *Venit* ergo *haurire aquam.* Simpliciter venerat haurire aquam, sicut solent vel viri vel feminæ.

11. * *Dicit ei Jesus, Da mihi bibere.* * *Discipuli* *Johan. 4. v.* *enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.* * *Di-* *7. v 8.* *cit ergo ei mulier illa Samaritana, Quomodo tu Judæus* *v. 9.*
F *cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coütuntur Judæi Samaritanis.* Videtis alienigenas: omnino vasculis eorum Judæi non utebantur. Et quia ferebat secum mulier vasculum, unde aquam hauriret, eò mirata est, quia Judæus petebat ab ea bibere, quod non solebant facere Judæi. Ille autem qui bibere quærebat, fidem ipsius mulieris sitiebat.

12. Denique audi quis petat bibere. *Respondit* *v. 10.*
Jesus, & dixit ei, Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam. Petit bibere, & promittit bibere. Eget quasi accepturus, & affluit tamquam satiaturus. *Si scires*, inquit, *donum Dei.* Donum Dei est Spiritus sanctus. Sed adhuc mulieri tectè loquitur, & paulatim intrat in cor. Fortassis jam docet. Quid enim ista hortatione suavius &

[a] MSS. quatuor, *fortem.*

[b] Sic MSS. cum Bad. & Am. At Er. & Lov. *humilis venit.*

benignius? *Si scires donum Dei, & scires quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan peteres, & daret tibi aquam vivam.* huc usque suspendit. Viva aqua dicitur vulgò illa quæ de fonte exit. Illa enim quæ colligitur de pluvia in lacunas aut cisternas, aqua viva non dicitur. Et si de fonte manaverit, & in loco aliquo collecta steterit, nec ad se illud unde manabat admiserit, sed [a] interrupto meatu, tamquam à fontis tramite separata fuerit; non dicitur aqua viva: sed illa aqua viva dicitur, quæ manans excipitur. Talis aqua erat in illo fonte. Quid ergo promittebat quod petebat?

v. 11. 13. Tamen mulier suspensa ait, *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est.* Videte quomodo intellexerit aquam vivam, aquam scilicet, quæ erat in illo fonte. Tu mihi vis dare aquam vivam, & ego fero unde hauriam, & tu non fers. Aqua viva hîc est, quomodo mihi daturus es? Aliud intelligens & carnaliter sapiens quodammodo pulsat, ut aperiat magister quod clausum est. Pulsabat ignorantiâ, non studio: adhuc miseranda, non. dum instruenda.

v. 12. 14. Dicit aliquid evidentius Dominus de illa aqua viva. Dixerat enim mulier, *Numquid tu major es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij ejus & pecora ejus?* De hac aqua viva dare mihi non potes, quoniam hauritorium non habes: fortè alium fontem promittis? Patre nostro melior potes esse, qui hunc puteum fodit, & ipse cum suis usus est eo? Dominus ergo dicat,

v. 13. quid dixerit aquam vivam. *Respondit Iesus, & dixit ei, Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Apertiùs locutus est Dominus, *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Qui biberit de aqua ista, non sitiet in æternum.* Quid evidentius, quia non aquam visibilem, sed invisibilem promittebat? quid evidentius, quia non carnaliter, sed spiritaliter loquebatur?

15. Adhuc tamen illa mulier carnem sapit: delectata est non sitire, & putabat hoc secundùm carnem promissum sibi esse à Domino. Quod quidem fiet, sed in resurrectione mortuorum. Jam hoc volebat illa. Dederat enim Deus aliquando servo

3. Reg. 19. 8. suo Eliæ, ut per quadraginta dies nec esuriret, nec sitiret. Qui hoc potuit dare per quadraginta dies, non potuit dare semper? Suspirabat tamen illa, nolens indigere, nolens laborare. Assiduè venire ad illum fontem, onerari pondere, quò indigentia suppleretur; & finito quod hauserat, rursus redire cogebatur: & quotidianus ei fuit iste labor; quia indigentia illa reficiebatur, non exstinguebatur.

Iohan. 4. 15. Delectata ergo tali munere, rogat ut ei aquam vivam daret.

16. Verumtamen non prætereamus, quoniam Dominus spiritale aliquid promittebat. Quid est, *Qui biberit de aqua hac, sitiet iterum?* Et verum est secundùm hanc aquam; & verum est secundùm quod significabat illa aqua. Etenim aqua in puteo, voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa: hinc eam hauriunt homines hydriâ cupiditatum. Cupiditatem quippe proni submittunt, ut ad voluptatem haustam de profundo perveniant; & fruuntur voluptate, præcedente & præmissa cupiditate. Nam qui non præmiserit cupiditatem, pervenire non potest ad voluptatem. Pone ergo hydriam, cupiditatem; & aquam de profundo, voluptatem: cùm pervenerit quisque ad voluptatem sæculi hujus, cibus est, potus est, lavacrum est, spectaculum est, concubitus est; numquid non iterum sitiet? Ergo *de hac aqua qui biberit, iterum* inquit, *sitiet: si autem acceperit à me aquam, non sitiet in æternum.* Satiabimur, inquit, in bonis domus tuæ. Psal. 64. 5. De qua ergo aqua daturus est, nisi de illa de qua dictum est, Apud te est fons vitæ? Nam quomodo sitient qui inebriabuntur ab ubertate domus Psal. 35. 10. tuæ?

17. Promittebat ergo saginam quamdam & satietatem Spiritus-sancti: & illa nondum intelligebat; & non intelligens, quid respondebat? *Dicit ad eum mulier, Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Ad laborem indigentia cogebat, & laborem infirmitas recusabat. Utinam audiret, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Hoc enim Matth. 11. 28. ei dicebat Jesus, ut jam non laboraret: sed illa nondum intelligebat.

18. Denique volens ut intelligeret, *dicit ei Iesus, Vade voca virum tuum, & veni huc.* Quid est, *Voca virum tuum?* Per virum suum ei volebat aquam illam dare? An quia non intelligebat, per virum suum eam volebat docere? Fortè quomodo ait Apostolus de mulieribus, Si quid autem volunt 1. Cor. 14. discere, domi viros suos interrogent? Sed ibi dicitur, domi viros suos interrogent, ubi non est Jesus qui doceat: denique dicitur mulieribus quas prohibebat Apostolus loqui in Ecclesia. Cùm verò ipse Dominus aderat, & præsens præsenti loquebatur, quid opus erat ut per virum ejus ei loqueretur? Numquid per virum suum loquebatur Ma- Luca 19. 39. riæ sedenti ad pedes suos, & excipienti verbum suum, quando Martha circa multum ministerium etiam de sororis suæ felicitate occupatissima murmurabat? Ergo, Fratres mei, audiamus & intelligamus quod ait Dominus, *Voca virum tuum*, mulieri. Fortè enim & animæ nostræ dicit, *Voca virum tuum.* Quæramus & de viro animæ. Cur jam non ipse Jesus vir animæ verus est? Adsit intellectus, quoniam quod dicturi sumus, vix capitur nisi ab intentis: adsit ergo intellectus ut capiatur, & ipse intellectus erit fortasse vir animæ.

19. Videns ergo Jesus quia mulier non intelligebat, & volens eam intelligere, *Voca*, inquit, *virum tuum.* Ideo enim nescis quod dico, quia intellectus tuus non adest: loquor ego secundùm spiritum, tu audis secundùm carnem. Quæ loquor, nec ad voluptatem aurium pertinent, nec ad oculos, nec ad olfactum, nec ad gustum, nec ad tactum: mente sola capiuntur, intellectu solo hauriuntur: ille intellectus non tibi adest, quomodo capis quod dico? *Voca virum tuum*, præsenta intellectum tuum. Quid tibi est enim animam habere? Non est magnum, nam & pecus habet. Unde tu melior? Quia intellectum habes, quod pecus non habet. Quid est ergo, *Voca virum tuum?* Non me capis, non me intelligis: de dono Dei tibi loquor, tu autem carnem cogitas: secundùm carnem sitire non vis, ego spiritum alloquor: absens est intellectus tuus, *Voca virum tuum.* Noli esse sicut equus & mulus, qui- Psal. 31. 9. bus non est intellectus. Ergo, Fratres mei, animam habere, & intellectum non habere, hoc est, non adhibere, nec secundùm eum vivere, bestialis est vita. Est enim in nobis quiddam bestiale quo in

[a] MSS. *inrupto*, sive *irrupto*.

carne vivimus, sed intellectu regendum est. Motus enim animæ secundùm carnem se moventis, & in delicias carnales immoderatè diffluere cupientis, regit de super intellectus. Qui debet dici vir? qui regit, an qui regitur? Procul dubio cùm ordinata vita est, intellectus animam regit, ad ipsam animam pertinens. Non enim aliquid aliud est quàm anima, sed aliquid animæ est intellectus: quomodo non aliquid aliud quàm caro est oculus, sed aliquid carnis est oculus. Cùm autem carnis aliquid sit oculus, solus tamen luce perfruitur: cetera autem membra carnalia luce perfundi possunt, lucem sentire non possunt; solus eâ oculus & perfunditur & perfruitur. Sic in anima nostra quiddam est quod intellectus vocatur. Hoc ipsum animæ quod intellectus & mens dicitur, illuminatur luce superiore. Jam superior illa lux, qua mens humana

Iohan. 1. 9. illuminatur, Deus est: Erat enim verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Talis lux Christus erat, talis lux cum muliere loquebatur: & illa intellectu non aderat, qui illa luce illuminaretur, nec tantùm perfunderetur, verùm etiam frueretur. Ergo Dominus tamquam diceret, Illustrare volo, & non adest quem, *Voca*, inquit, *virum tuum*: adhibe intellectum per quem docearis, quo regaris. Ergo constitue animam excepto intellectu tamquam feminam: intellectum autem habere, tamquam virum. Sed iste vir non bene regit feminam suam, nisi cùm

1. Cor. 11. 3. à superiore regitur. Caput enim mulieris vir, caput autem viri Christus. Loquebatur caput viri cum femina, & non aderat vir. Et tamquam diceret Dominus, Adhibe caput tuum, ut ille suscipiat caput suum. Ergo *Voca virum tuum, & veni huc:* id est, adesto, præsens esto: velut enim absens es, dum non intelligis præsentis vocem veritatis: præsens esto, sed noli sola: cum viro tuo adesto.

20. Et adhuc illa nondum advocato illo viro, non intelligit, adhuc carnem sapit, absens est enim

Iohan. 4. 17. vir: *Non habeo*, inquit, *virum.* Et Dominus sequitur, & mysteria loquitur. Intelligas re vera istam mulierem non habuisse tunc virum: sed coütebatur nescio quo non legitimo viro, adultero magis quàm viro. *Et Dominus ei, Bene dixisti, quia non habeo virum.* Unde ergo tu dixisti, *Voca virum tuum?* Et audi, quia bene novit Dominus eam non habere virum, *Dicit ei*, &c. Ne fortè putaret mulier ideo dixisse Dominum, *Bene dixisti, quia non habeo virum*, quòd hoc à muliere didicerit, non quòd ipse istud divinitate cognoverit, audi aliquid quod

Iohan. 4. 18. non dixisti: *Quinque enim viros habuisti, & iste quem habes, non est vir tuus, hoc verè dixisti.*

21. Iterum cogit de istis quinque viris subtilius aliquid perscrutari. Multi quippe intellexerunt, non quidem absurdè, nec usquequaque improbabiliter, quinque viros mulieris hujus, [a] quinque libros Moysi. Utebantur enim eis Samaritani, & sub eadem Lege erant: nam inde illis & circumcisio inerat. Sed quoniam angustat nos quod sequitur, *Et nunc quem habes, non est vir tuus:* videtur mihi faciliùs nos posse accipere quinque viros priores animæ, quinque sensus corporis esse. Quando enim quisque nascitur, antequam uti possit mente atque ratione, non regitur nisi sensibus carnis. Anima in puero parvulo quod auditur, quod videtur, quod olet, quod sapit, quod tactu sentitur, hoc appetit aut fugit. Appetit quidquid mulcet, fugit quidquid offendit hos quinque sensus. Hos enim quinque sensus mulcet voluptas, offendit dolor. Secundùm hos quinque sensus, tamquam quinque viros, priùs vivit anima: quia istis regitur. Quare autem viri dicti sunt? quia legitimi. A Deo quippe facti, & à Deo donati animæ. Infirma est adhuc quæ istis quinque sensibus regitur, & sub istis quinque viris agit: at ubi venerit ad annos exferendæ rationis, si eam susceperit optima disciplina & doctrina sapientiæ; quinque illis viris ad regendum non succedit, nisi vir verus, legitimus & illis melior, & qui melius regat, & qui ad æternitatem regat, ad æternitatem excolat, ad æternitatem instruat. Nam isti quinque sensus non ad æternitatem nos regunt, sed ad ista temporalia vel appetenda vel fugienda. Ubi verò intellectus sapientiâ imbutus regere cœperit animam, scit jam non solùm fugere foveam, & ambulare in æquali quod oculi ostendunt animæ infirmæ: nec tantùm canoras voces suaviter audire, dissonasque repellere; vel blandis odoribus delectari, putoresque respuere; aut dulcedine capi, & amaritudine offendi; aut lenibus mulceri, & asperis lædi. Ista enim omnia infirmæ animæ sunt necessaria. Quid ergo regiminis adhibetur per illum intellectum? Non alba & nigra discreturus est, sed justa & injusta, bona & mala, utilia & inutilia, castitatem & impudicitiam, hanc ut amet, istam ut vitet; caritatem & odium, in hac ut sit, in illo ut non sit.

22. Hic vir quinque illis viris in ista muliere non successerat. Ubi enim non succedit ille, error dominatur. Nam cùm cœperit anima capax esse rationis, aut à sapiente mente regitur, aut ab errore: sed error non regit, sed perdit. Post istos ergo quinque sensus mulier illa adhuc errabat, & error eam ventilabat. Error autem iste non erat legitimus vir, sed adulter: ideo ei Dominus ait, *Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti:* quinque te sensus carnis primò rexerunt: venisti ad ætatem utendæ rationis, nec ad sapientiam pervenisti, sed in errorem incidisti. Ergo post illos quinque viros, *iste quem habes, non est tuus vir.* Et quid erat, si vir non erat, nisi adulter? *Voca* itaque, non adulterum, sed *virum tuum*: ut intellectu me capias, non errore de me aliquid falsum sentias. Adhuc enim errabat mulier, quæ aquam illam cogitabat: cùm jam Dominus de Spiritu-sancto loqueretur. Quare errabat, nisi quia adulterum, non virum habebat? Tolle ergo hinc istum adulterum qui te corrumpit, & *Vade, voca virum tuum.* Voca, & veni, ut intelligas me.

23. *Dicit ei mulier, Domine video quia propheta* Iohan. 4. 19. *es tu.* Cœpit venire vir, nondum plenè venit. Prophetam Dominum putabat. Erat quidem & propheta, nam de seipso ait, Non est propheta sine Luca 4. 24. honore, nisi in patria sua. Item de illo dictum est ad Moysen, Prophetam eis suscitabo de fratribus Deut. 18. 18. eorum, similem tui. Similem scilicet ad formam carnis, non ad eminentiam majestatis. Ergo invenimus Dominum Jesum dictum prophetam. Proinde jam non multùm errat mulier ista. *Video*, inquit, *quia propheta es tu.* Incipit vocare virum, adulterum excludere: *Video quia propheta es tu.* Et incipit quærere quod illam solet movere. Contentio quippe fuerat inter Samaritanos & Judæos, quia Judæi in templo à Salomone fabricato adorabant

[a] Sic intellexit Ambrosius in Lucæ cap. 14. & 20. At Origeni cum Augustino visum est significari sensus corporis.

Deum : Samaritani longè inde positi, non in eo adorabant. Ideo Judæi meliores se esse jactabant, quia in templo adorabant Deum. *Non enim coütuntur Judæi Samaritanis* : quia dicebant eis, Quomodo vos jactatis, & ideo vos meliores nobis esse perhibetis, quia templum habetis quod nos non habemus ? Numquid patres nostri qui Deo placuerunt, in illo templo adoraverunt ? nonne in monte isto adoraverunt, ubi nos sumus ? Meliùs ergo nos, inquiunt, in hoc monte Deum rogamus, ubi patres nostri rogaverunt. Contendebant utrique ignari, quia virum non habentes : illi pro templo, illi pro monte inflabantur adversùs invicem.

24. Dominus tamen modò quid docet mulierem, tamquam cujus vir cœperit præsens esse ? * *Dicit ei mulier, Domine, video quia propheta es tu.* * *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est* [a] *locus, ubi adorare oportet.* * *Dicit ei Jesus, Mulier crede mihi.* Veniet enim Ecclesia, sicut dictum est in Canticis canticorum, veniet & pertransiet ab initio fidei. Veniet ut pertransfeat, & pertransire non potest nisi ab initio fidei. Meritò jam præsente viro audit, *Mulier crede mihi.* Jam enim est in te ut credat, quia præsens est vir tuus. Cœpisti adesse intellectu, quando me prophetam appellasti. *Mulier crede mihi* : quia nisi credideritis, non intelligetis. Ergo * *Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.* * *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.*

* *Sed veniet hora.* Quando ? *& nunc est.* Quæ ergo hora ? *quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate* : non in monte isto, non in templo, sed in spiritu & veritate. *Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.* Quare Pater tales quærit qui adorent eum, non in monte, non in templo, sed in spiritu & veritate ? *Spiritus est Deus.* Si corpus esset Deus, oportebat eum adorari in monte, quia corporeus est mons : oportebat eum adorari in templo, quia corporeum est templum. *Spiritus est Deus : & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.*

25. Audivimus, & manifestum est : foras ieramus, intrò missi sumus. O si invenirem, dicebas, montem aliquem altum & solitarium : credo enim quia in alto est Deus, magis me exaudit ex alto. Quia in monte es, propinquum te Deo putas, & citò te exaudiri, quasi de proximo clamantem ? In excelsis habitat, sed humilia respicit. Propè est Dominus. Quibus ? fortè altis ? His qui obtriverunt cor. Mira res est : & in altis habitat, & humilibus propinquat : humilia respicit, excelsa autem à longè cognoscit : superbos longè videt, eò illis minùs propinquat, quò sibi videntur altiores. Quærebas ergo montem ? descende ut adtingas. Sed adscende re vis ? adscende : noli montem quærere. Adscensiones, inquit, in corde ejus, (hoc Psalmus dicit,) in convalle plorationis. Convallis humilitatem habet. Ergo intus age totum. Et si fortè quæris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te templum Deo. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. In templo vis orare, in te ora. Sed priùs esto templum Dei, quia ille in templo suo exaudiet orantem.

26. *Venit ergo hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nos adoramus quod scimus, vos adoratis quod nescitis : quoniam salus ex Judæis est.* Multum dedit Judæis : sed noli istos reprobos accipere. Parietem illum accipe cui adjunctus est alius, ut pacati in lapide angulari, quod est Christus, copulentur. Unus enim paries à Judæis, unus à Gentibus : longè à se isti parietes, sed donec in angulo conjungantur. Alienigenæ autem hospites erant, & peregrini à testamentis Dei. Secundùm hoc ergo dictum est, *Nos adoramus quod scimus.* Ex persona quidem Judæorum dictum est, sed non omnium Judæorum, non reproborum Judæorum : sed de qualibus fuerunt Apostoli, quales fuerunt Prophetæ, quales fuerunt illi omnes sancti, qui omnia sua vendiderunt, & pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum posuerunt. Non enim repulit Deus plebem suam quam præscivit.

27. Audivit hoc mulier ista, & addidit. Jam dudum prophetam dixerat : vidit talia dicere eum cum quo loquebatur, quæ jam plus essent [b] ad prophetam : & quid respondit, videte : *Dicit ei mulier, Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus : cùm ergo venerit ille, omnia nobis demonstrabit.* Quid est hoc ? Modò, inquit, de templo contendunt Judæi, & nos de monte contendimus : cùm ille venerit, montem spernet, & templum evertet ; docebit nos iste omnia, ut in spiritu & veritate noverimus adorare. Sciebat quis eam posset docere, sed jam docentem nondum agnoscebat. Jam ergo digna erat cui manifestaretur. Messias autem unctus est : unctus Græcè Christus est : Hebraicè Messias est : unde & Punicè, Messe dicitur ungue. Cognatæ quippe sunt linguæ istæ & vicinæ, Hebraica, Punica, & Syra.

28. Ergo *dicit ei mulier, Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus : cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* * *Dicit ei Jesus, Ego sum qui loquor tecum.* Vocavit virum suum, factus est vir ejus caput mulieris, factus est Christus caput viri. Jam mulier ordinatur in fide, & regitur bene victura. Postea quàm audivit hoc, *Ego sum qui loquor tecum*, jam ultrà quid diceret ? quando Christus Dominus manifestare se voluit mulieri, cui dixerat, *Crede mihi.*

29. *Et continuò venerunt discipuli ejus, & mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Quia quærebat perditam, qui venerat quærere quod perierat, hoc illi mirabantur. Bonum enim mirabantur, non malum suspicabantur. *Nemo tamen dixit, Quid quæris, aut quid loqueris cum ea ?*

30. *Reliquit ergo hydriam suam mulier.* Audito, *Ego sum qui loquor tecum*, & recepto in cor Christo Domino, quid faceret nisi jam hydriam dimitteret, & evangelizare curreret ? Projecit cupiditatem, & properavit annuntiare veritatem. Discant qui volunt evangelizare, projiciant hydriam ad puteum. Recordamini quid superiùs dixerim de hydria : vas erat unde aqua hauriebatur, Græco nomine appellatur hydria, quoniam Græcè ὕδωρ aqua dicitur ; tamquam si aquarium diceretur. Projecit ergo hydriam, quæ jam non usui, sed oneri fuit : avida quippe desiderabat aquâ illâ satiari. Ut nuntiaret Christum, onere abjecto, *cucurrit ad civitatem, & dicit illis hominibus,* * *Venite, & videte hominem, qui mihi dixit omnia quæcumque feci.* Pedetemtim, ne illi quasi irascerentur, & indignarentur, & persequerentur. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci : numquid ipse est Christus ?* * *Exierunt de civitate, & veniebant ad eum.*

31. *Et interea rogabant eum discipuli dicentes*, v. 31. *Rabbi,*

Johan. 4. v. 19. v. 20.
a v. 21.
Cant. 4. 8. sec. LXX.
Isa. 7. 9. sec. LXX. Johan. 4. v. 21.
v. 22.
v. 23.
v. 24.
1. Cor. 3. 17.
Ephes. 2. 14.
Act. 4. 34. Rom. 11. 2.
b Johan. 4. 25.
Linguæ cognatæ.
v. 26.
1. Cor. 11. 3.
Johan. 4. 27.
v. 28.
v. 29.
v. 30.

[a] In MSS. omittitur, *est locus ubi.*

[b] In sex MSS. *plus esset à propheta.*

Rabbi, manduca. Ierant enim emere cibos, & venerant. * *Ille autem dixit, Ego habeo cibum manducare quem vos non scitis.* * *Dicebant ergo discipuli ad invicem, Numquid aliquis adtulit ei manducare ?* Quid mirum si mulier illa non intelligebat aquam ? ecce discipuli nondum intelligunt escam. Audivit autem cogitationes illorum, & jam instruit ut magister : non per circuitum, sicut illam cujus adhuc virum requirebat, sed jam apertè : *Meus*, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Ergo & potus ipse erat in illa muliere, ut faceret voluntatem ejus, qui miserat eum. Ideo dicebat, *Sitio, da mihi bibere*, scilicet ut fidem in ea operaretur, & fidem ejus biberet, & eam in corpus suum trajiceret : corpus enim ejus Ecclesia. Ipse *est* ergo, inquit, *cibus meus, ut faciam voluntatem ejus qui me misit.*

32. *Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit ?* In opus fervebat, & operarios mittere disponebat. Vos quatuor menses computatis usque ad messem, ego vobis aliam messem albam & paratam ostendo. *Ecce dico vobis, Levate oculos vestros, & videte, quia jam albæ sunt regiones ad messem.* Ergo messores missurus est. *In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui metit, alius qui seminat :* * *ut & qui seminat simul gaudeat & qui metit.* * *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis : alij laboraverunt, & vos in laborem eorum introistis.* Quid ergo, messores misit, non seminatores ? Quò messores ? ubi jam alij laboraverunt. Nam ubi jam laboratum erat, utique seminatum erat : & quod seminatum erat, jam maturum erat factum, falcem & trituram desiderabat. Quò ergo erant messores mittendi ? ubi jam Prophetæ prædicaverant ; ipsi enim seminatores. Nam si ipsi non seminatores, unde ad illam mulierem pervenerat, *Scio quia Messias veniet ?* Jam ista mulier fructus maturus erat, & erant albæ messes, & falcem quærebant. *Misi vos* ergo : Quò ? *metere quod non seminastis : alij seminaverunt, & vos in labores eorum introistis.* Qui laboraverunt ? ipse Abraham, Isaac, & Jacob. Legite labores eorum : in omnibus laboribus eorum propheta Christi ; & ideo seminatores. Moyses & ceteri Patriarchæ & omnes Prophetæ, quanta pertulerunt in illo frigore quando seminabant ? Ergo jam in Judæa messis parata erat. Meritò ibi tamquam matura seges fuit, quando tot hominum millia pretia rerum suarum afferebant, & ad pedes Apostolorum ponentes, expeditis humeris à farcinis sæcularibus, Christum Dominum sequebantur. Verè matura messis. Quid inde factum est ? De ipsa messe ejecta sunt pauca grana, & seminaverunt orbem terrarum, & surgit alia messis quæ in fine sæculi metenda est. De ista messe dicitur, Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Ad istam ergo messem non Apostoli, sed Angeli mittentur. Messores, inquit, Angeli sunt. Ista ergo messis crescit inter zizania, & exspectat purgari in fine. Illa verò messis jam matura erat, quò priùs missi sunt discipuli, ubi Prophetæ laboraverunt. Sed tamen, Fratres, videte quid dictum sit : *Simul gaudeat & qui seminat & qui metit.* [a] Dispares temporis labores habuerunt : sed gaudio pariter perfruentur, mercedem simul accepturi sunt vitam æternam.

33. * *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritani, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcumque feci.* * *Cùm venissent autem ad eum Samaritani, rogaverunt ut apud eos maneret, & mansit ibi duos dies.* * *Et multò plures crediderunt propter sermonem ejus :* * *& mulieri dicebant, Quia jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim nos audivimus, & scimus, quia hic est verè Salvator mundi.* Et hoc paululùm animadvertendum est, quia lectio terminata est. Mulier primùm nuntiavit, & ad mulieris testimonium crediderunt Samaritani, & rogaverunt eum ut apud eos maneret, & mansit ibi biduo, & plures crediderunt : & cùm credidissent, dicebant mulieri, *Non jam propter verbum tuum credimus, sed ipsi cognovimus, & scimus, quia verè hic est Salvator mundi.* primò per [b] famam, postea per præsentiam. Sic agitur hodie cum eis qui foris sunt, & nondum sunt Christiani : Christus nuntiatur per Christianos amicos ; tamquam illa muliere, hoc est Ecclesia annuntiante, ad Christum veniunt, credunt per istam famam ; manet apud eos biduo, hoc est, dat illis duo præcepta caritatis ; & multò plures & firmiùs in eum credunt, quoniam verè ipse est Salvator mundi.

Johan. 4. v. 32.
v. 33.
v. 34.
Act. 4. 35.
Psal. 125. 5.
Matth. 13. 39.
a Johan. 4. v. 39.
v. 40.
v. 41.
v. 42.
b
Johan. 4. 43.
v. 44.
v. 43.

* TRACTATUS XVI.

* Habitus die proximo post Tract. præced. ex n. 1. & 3.

Ab eo Evangelij loco, Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam : *usque ad id*, Et credidit ipse, & domus ejus tota.

1. HODIERNA evangelica lectio, hesterni diei sequitur lectionem, quæ nobis ad disputandum proponitur. In qua quidem sensus non sunt investigatione difficiles, sed digni prædicatione, digni admiratione & laudatione. Proinde locum istum Evangelij cum commendatione commemoremus, potiùs quàm cum difficultate tractemus. *Abiit* enim Jesus post biduum quod fecerat in Samaria, *in Galilæam* ubi nutritus erat. Secutus autem Evangelista ait, *Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia propheta in patria sua honorem non habet.* Non propterea post biduum discessit Jesus de Samaria, quia honorem in Samaria non habebat : non enim Samaria patria ipsius erat, sed Galilæa. Cùm ergo istam deseruisset tam citò, & ad Galilæam venisset ubi nutritus erat : quomodo adtestatur, *quia propheta in patria sua honorem non habet ?* Magis videtur adtestari potuisse, quòd propheta in patria sua honorem non haberet, si contemneret pergere in Galilæam, & in Samaria remansisset.

2. Intendat ergo Caritas Vestra insinuatum nobis non modicum sacramentum, suggerente Domino & donante quod loquar. Quæstionem propositam cognovistis, solutionem ejus exquirite. Sed repetamus propositionem, ut solutionem desiderabilem faciamus. Movet nos cur Evangelista dixerit, *Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quòd propheta in patria sua honorem non habet.* Hoc permoti reteximus verba superiora, ut inveniamus cur hoc Evangelista dicere voluerit : & invenimus superiora verba ejus ita narrantis, quoniam post biduum profectus est de Samaria in Galilæam. Propter hoc ergo dixisti, ô Evangelista, testimonium perhibuisse Jesum, quòd propheta in patria sua honorem non haberet ; quia post biduum reliquit Samariam, & properavit venire in Galilæam ? Immo verò quasi videor mihi congruentiùs intelligere, quia si honorem in patria sua Jesus non haberet,

[a] In tribus MSS. *Disparis.*

[b] Lov. *per feminam* : dissentientibus editis aliis & MSS.

non ad eamdem relictâ Samariâ festinaret. Sed ni fallor, immo quia verum est, & non fallor, meliùs enim quàm ego, vidit Evangelista quid diceret, meliùs me veritatem videbat, qui eam de pectore *Johan. 13. 25.* Domini bibebat. Ipse est enim Johannes Evangelista, qui inter omnes discipulos super pectus Domini discumbebat; & quem Dominus caritatem debens omnibus, tamen præ ceteris diligebat. Ergo ille falleretur, & ego recta sentirem? Immo si piè sapio, obedienter audiam quod dixit, ut merear sentire quod sensit.

3. Accipite itaque Carissimi, quid hîc sentiam, sine præjudicio, si vos melius aliquid senseritis. Magistrum enim unum omnes habemus, & in una schola condiscipuli sumus. Hoc ergo sentio, & videte si non aut verum est, aut propinquat veritati quod sentio. In Samaria biduum fecit, & crediderunt in eum Samaritani: tot dies in Galilæa fecit, & non in eum crediderunt Galilæi. Retexite vel recolite memoriâ hesterni diei & lectionem & sermonem. Venit in Samariam, ubi eum primò mulier illa prædicaverat, cum qua ad puteum Jacob locutus erat magna mysteria: eo viso Samaritani & audito crediderunt in eum propter verbum mulieris, & firmiùs crediderunt propter verbum ejus, & plures crediderunt. sic scriptum est. Ibi facto biduo, (quo numero dierum mysticè commendatus est duorum numerus præceptorum, in quibus duo- *Matth. 22. 40.* bus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ, sicut hesterno die nos commendasse meministis:) pergit *Johan. 4. 46.* in Galilæam, & venit in civitatem Canam Galilææ, ubi aquam vinum fecit. Ibi autem quando aquam in *Johan. 2. 11.* vinum convertit, sicut scribit ipse Johannes, crediderunt in eum discipuli ejus: & utique plena erat domus turbis convivantium. Factum est tam magnum miraculum, & non in eum crediderunt nisi discipuli ejus. Hanc civitatem Galilææ modò repetivit. *Et ecce quidam Regulus, cujus filius infirmabatur, venit ad eum, & rogare cæpit ut descenderet,* ad illam civitatem vel domum, *& sanaret filium ejus, incipiebat enim mori.* Qui rogabat, non credebat? Quid à me exspectas audire? Dominum interroga, quid de illo senserit. Rogatus enim talia respondit, *v. 48.* *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Arguit hominem in fide tepidum, aut frigidum, aut omnino nullius fidei: sed tentare cupientem de sanitate filij sui, qualis esset Christus, quis esset, quantum posset. Verba enim rogantis audivimus, cor diffidentis non vidimus: sed ille pronuntiavit, qui & verba audivit & cor inspexit. Denique & ipse Evangelista testimonio narrationis suæ ostendit, quia nondum crediderat, qui venire ad domum suam Dominum cupiebat, ad sanandum filium ejus. Nam postea quàm ei nuntiatum est sanum esse filium ejus, & invenit eâ horâ sanatum, qua horâ *v. 50. v. 53.* Dominus dixerat, * *Vade, filius tuus vivit.* * *Et credidit*, inquit, *ipse & domus ejus tota.* Si ergo propterea credidit ipse & domus ejus tota, quia nuntiatus est ei filius ejus sanus, & comparavit horam nuntiantium horæ prænuntiantis; quando rogabat, nondum credebat. Samaritani nullum signum exspectaverant, verbo ejus tantummodo crediderant: cives autem ejus audire meruerunt, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis:* & ibi tamen facto tanto miraculo, non credidit nisi ipse & domus ejus. Ad solum sermonem crediderunt plures Samaritani: ad illud miraculum sola illa domus credidit, ubi factum est. Quid igitur, Fratres, quid nobis commendat Dominus? Tunc Galilæa Judææ patria erat Domini, quia ibi nutritus est: nunc verò quia portendit aliquid res illa; non enim sine caussa dicta sunt prodigia, nisi quia aliquid portendunt: prodigium enim appellatum est quasi [a] porrodicium, quòd porrò dicat, porrò significet, & aliquid futurum esse portendat: quia ergo aliquid illa omnia portendebant, aliquid illa omnia prædicebant, faciamus modò nos patriam Domini nostri Jesu Christi secundùm carnem: (non enim habuit patriam in terra, nisi secundùm carnem, quam accepit in terra:) faciamus ergo patriam Domini populum Judæorum. Ecce in patria sua honorem non habet. Modò adtende Judæorum turbas, adtende jam gentem illam dispersam toto orbe terrarum, & evulsam radicibus suis: adtende ramos *Rom. 11. 17.* fractos, concisos, dispersos, aridos, quibus fractis inseri meruit oleaster: vide turbam Judæorum, quid dicit modò? Quem colitis, quem adoratis, frater noster erat. Et nos respondeamus, *Propheta in patria sua honorem non habet.* Denique illi ambulantem Dominum Jesum in terra, facientemque miracula, cæcos illuminantem, surdis aures aperientem, mutorum ora solventem, paralyticorum membra stringentem, super mare ambulantem, ventis imperantem & fluctibus, mortuos suscitantem, tanta signa facientem viderunt, & vix inde pauci crediderunt. Populo Dei loquor: Tam multi credidimus, quæ signa vidimus? Illud ergo quod factum est tunc, hoc quod nunc agitur portendebat. Judæi fuerunt vel sunt similes Galilæis, nos similes illis Samaritanis. Evangelium audivimus, Evangelio consensimus, per Evangelium in Christum credidimus, nulla signa vidimus, nulla exigimus.

4. Quamvis enim unus ex duodecim electis & sanctis, tamen Israëlita fuit, de gente scilicet Domini, Thomas ille, qui in loca vulnerum digitos cupiebat mittere. Sic eum arguit Dominus quomodo istum Regulum. Huic dixit, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis:* illi autem dixit, Quia vidisti, credidisti. Ad Galilæos venerat, post Samaritanos qui sermoni ejus crediderant, apud quos nulla miracula fecerat, quos firmos in fide securus citò dimiserat, quia divinitatis præsentiâ non dimiserat. Ergo quando dicebat Dominus Thomæ, Veni mitte manum tuam, & noli esse incredulus, " sed fidelis; & cùm ille exclamaret tactis vulnerum locis, & diceret, Dominus meus & Deus meus: *v. 28.* increpatur & dicitur ei, Quia vidisti, credidisti. Quare, nisi *quia propheta in patria sua honorem non habet?* Quia verò apud alienigenas propheta iste honorem habet, quid sequitur? Beati qui non [b] vi- *b* *v. 29.* derunt & crediderunt. Prædicti sumus nos: & quod Dominus antè laudavit, & in nobis implere dignatus est. Viderunt qui crucifixerunt, palpaverunt, & sic pauci crediderunt: nos non vidimus, non contrectavimus, audivimus, credidimus. Fiat in nobis, perficiatur in nobis beatitudo quam promisit; & hîc, quia patriæ ipsius prælati sumus; & in futuro sæculo, quia pro ramis fractis inserti sumus.

5. Hos enim ramos se fracturum esse monstrabat, & hunc oleastrum inserturum, quando commotus Centurionis fide, qui ei dixit, Non sum di- *Matth. 8.* gnus ut sub tectum meum intres, sed tantùm dic " *8. &c.* verbo, & sanabitur puer meus: nam & ego homo "

[a] In plerisque MSS. *prodicium.*

[b] MSS. *qui non vident & credunt.*

" sum sub potestate constitutus, habens sub me mili- A
" tes, & dico huic, Vade, & vadit; & huic, Veni,
" & venit; & servo meo, Fac hoc, & facit: Conver-
" sus ad eos qui se sequebantur, dixit, Amen dico
" vobis, non inveni tantam fidem in Israël. Quare non invenit tantam fidem in Israël? Quia *propheta in patria sua honorem non habet.* Numquid non & illi Centurioni poterat dicere Dominus, quod dixit huic Regulo, *Vade, puer tuus vivit?* Videte distinctionem: Regulus iste Dominum ad domum suam B descendere cupiebat: ille Centurio indignum se *Ibidem 7.* esse dicebat. Illi dicebatur, Ego [a] venio, & cura- *a* bo eum: huic dictum est, *Vade, filius tuus vivit.* Illi præsentiam promittebat: hunc verbo sanabat. Iste tamen præsentiam ejus extorquebat: ille se præsentiâ ejus indignum esse dicebat. Hîc cessum est elationi: illic concessum est humilitati. Tamquam huic diceret, *Vade, filius tuus vivit*, noli mihi tædium facere: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis:* præsentiam meam vis in domo tua, C possum & verbo jubere: noli tu de signis credere: Centurio alienigena credidit me verbo posse facere, & antequam facerem credidit: vos *nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Ergo si ita est, frangantur superbi rami, humilis inseratur oleaster: maneat tamen radix, illis præcisis, istis receptis. Ubi manet radix? in Patriarchis. Etenim patria Christi populus Israël, quia ex eis venit secundùm carnem: sed hujus arboris radix, Abraham, Isaac, & Jacob, D patriarchæ sancti. Et ubi isti? In requie apud Deum, in honore magno: ut in Abrahæ sinum [b] adjutus *b* *Luc. 16. 22. &c.* ille pauper post corporis exitum levaretur, & in Abrahæ sinu de longinquo à superbo divite videretur. Ergo radix manet, radix laudatur: sed rami su- *Rom. 11. 17* perbi & præcidi & arescere meruerunt: oleaster autem humilis illorum præcisione invenit locum.

6. Audi ergo quemadmodum præcidantur rami naturales, quemadmodum inseratur oleaster, ex ipso Centurione, quem propter comparationem hujus E *Matth. 8.* Reguli commemorandum putavi. Amen, inquit, *10. &c.* " dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël: pro-
" pterea dico vobis, quia multi ab Oriente & Occi-
" dente. Quàm latè terram occupaverat oleaster! Amara silva mundus hic fuit: sed propter humilitatem, propter Non sum dignus ut sub tectum meum intres, Multi ab Oriente & Occidente venient. Et puta quia venient: quid de illis fiet? Si enim venient, jam præcisi sunt de silva: ubi inserendi sunt, ne aresc- *Ibidem.* cant? Et recumbent, inquit, cum Abraham & F Isaac & Jacob. In quo convivio; ne fortè non invites ad semper vivendum, sed ad multùm bibendum?
" Recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob. Ubi?
" In regno, inquit, cælorum. Et quid erit de illis qui venerunt de stirpe Abrahæ? quid fiet de ramis quibus arbor plena erat? quid, nisi quia præcidentur,
" ut isti inserantur? Doce quia præcidentur: Filij au-
" tem regni ibunt in tenebras exteriores.

7. Habeat ergo apud nos honorem propheta, quia non habuit honorem in patria sua. Non habuit G honorem in patria, in qua conditus est: habeat honorem in patria quam condidit. In illa enim conditus est conditor omnium, conditus in illa est secundùm formam servi. Nam ipsam civitatem in qua conditus est, ipsam Sion, ipsam Judæorum gentem, ipsam Jerusalem, ipse condidit cùm esset apud Pa-

[a] Lov. *Ego veniam.* Ceteri libri, *Ego venio.*

[b] Editi Am. Bad. & Er. *justus.* Vindocinensis MS. *ad justos.* At MSS. alij cum Lov. *adjutus*: quod nomen ipsum Lazari est interpretatum.

trem Verbum Dei: Omnia enim per ipsum facta *Johan. 1. 3.* sunt, & sine ipso factum est nihil. De illo ergo homine de quo hodie audivimus, unus mediator Dei *1. Tim. 2. 5.* & hominum homo Christus Jesus, etiam Psalmus *Psal. 86. 5.* prælocutus est, dicens, Mater Sion dicet homo, Quidam homo, mediator Dei & hominum homo, Mater Sion dicit. Quare Mater Sion dicit? Quia inde accepit carnem, inde virgo Maria, de cujus utero servi forma susceptа est, in qua dignatus est apparere humillimus. Mater Sion dicit homo, & B homo iste qui dicit Mater Sion, factus est in ea, homo factus est in ea. Nam Deus erat ante eam, & homo factus est in ea. Qui homo factus est in ea, ipse fundavit eam altissimus, non humillimus. Homo factus est in ea humillimus; quia Verbum caro fa- *Johan. 1. 14.* ctum est, & habitavit in nobis: ipse fundavit eam altissimus; quia in principio erat Verbum, & Ver- *Ibidem 1. &c.* bum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt. Quia verò condidit istam patriam, hîc habeat honorem. Repulit eum patria C in qua generatus est: susciпiat eum patria quam regeneravit.

TRACTATUS XVII.

Ab eo quod scriptum est, Post hæc erat dies festus Judæorum, & adscendit Jesus Jerosolymam: *usque ad id*, Quærebant eum Judæi interficere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. D

1. MIRUM non esse debet à Deo factum miraculum: mirum enim esset si homo fecisset. Magis gaudere [c] quàm mirari [c] debemus, quia Dominus noster & salvator Jesus Christus homo factus est, quàm quòd divina inter homines Deus fecit. Plus est enim ad salutem nostram quod factus est propter homines, quàm quod fecit inter homines: & plus est quod vitia sanavit animarum, quàm quod sanavit languores corporum morituorum. Sed quia ipsa anima non eum noverat à quo sananda erat, & oculos habebat in carne unde facta corporalia videret, nondum habebat sanos in corde, unde Deum latentem cognosceret: fecit quod videre poterat, ut sanaretur unde videre non poterat. Ingressus est locum ubi jacebat magna multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum: & cùm esset medicus & animarum & corporum, & qui venisset sanare omnes animas crediturorum, de illis languentibus F unum elegit quem sanaret, ut unitatem significaret. Si mediocri corde, & quasi humano captu & ingenio consideremus facientem, & quod ad potestatem pertinet, non magnum aliquid perfecit; & quod ad benignitatem, [d] parum fecit. Tot jace- *d* bant, & unus curatus est, cùm posset uno verbo omnes erigere. Quid ergo intelligendum est, nisi quia potestas illa & bonitas illa magis agebat, quid animæ in factis ejus pro salute sempiterna intelligerent, quàm quid pro temporali salute corpora mererentur? Corporum enim salus quæ vera exspectatur à Domino, erit in fine in resurrectione mortuorum: tunc quod vivet, non morietur; tunc quod sanabitur, non ægrotabit; tunc quod saziabitur, non esuriet aut sitiet; tunc quod renovabitur, non veterascet. Nunc verò in illis factis Domini & sa-

[c] Sic editi & MSS. ferunt. Fortè libratiorum lapsu, pro *& admirari*, sive uti olim scribebant, *& ammirari*, substituerunt fuit *quàm mirari.*

[d] In MSS. *parum.*

vatoris nostri Jesu Christi, & cæcorum aperti oculi, A morte clausi sunt; & paralyticorum membra constricta, morte dissoluta sunt; & quidquid sanatum est temporaliter in membris mortalibus, in fine defecit: anima verò quæ credidit, ad vitam æternam transitum fecit. Animæ ergo creditúræ, cujus peccata dimittere venerat, ad cujus languores sanandos se humiliaverat, de hoc languido sanato magnum signum dedit. Cujus rei & cujus signi profundum sacramentum, quantum Dominus donare dignatur, adtentis vobis & orando adjuvantibus infirmitatem nostram, loquar ut potero. Quidquid autem non possum, supplebit in vobis ipse, quo adjuvante facio quod possum.

2. De hac piscina quæ quinque porticibus cingebatur, in quibus jacebat magna multitudo languentium, assiduè nos tractasse memini; & rem dicturus sum, quam mecum plures recognoscant potiùs quàm cognoscant. Verùm nihil est ab re, etiam nota repetere, ut & qui non noverant instruantur; & qui noverant confirmentur. Proinde C tamquam nota breviter perstringenda sunt, non otiosè inculcanda. Pi cina illa & aqua illa populum mihi videtur significasse Judæorum. Significari enim populos nomine aquarum, apertè nobis indi- *Apoc.* 17 15. cat Apocalypsis Johannis: ubi ei cùm ostenderentur aquæ multæ, & interrogasset quid essent, responsum accepit, populos esse. Aqua ergo illa, id est, populus ille, quinque libris Moysi, tamquam quinque porticibus claudebatur. Sed illi libri prodebant languidos, non sanabant. Lex enim pec- D catores convincebat, non absolvebat. Ideo littera sine gratia reos faciebat, quos confitentes gratia li- *Gal.* 3. 21. berabat. Nam hoc dicit Apostolus: Si enim data » esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Quare ergo data est Lex? Sequitur, & » dicit, Sed concluſit Scriptura omnia sub peccato, » ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Quid evidentius? Nonne verba hæc exposuerunt nobis & quinque porticus, & languentium multitudinem? Quinque porticus Lex est. Quare E quinque porticus non sanabant languentes? quia si » data esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex » Lege esset justitia. Quare ergo continebant, quos » non sanabant? quia concluſit Scriptura omnia sub » peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur » credentibus.

3. Quid ergo fiebat ut in aqua illa turbata sanarentur, qui in porticibus sanari non poterant? Subitò enim videbatur aqua turbata, & à quo turbabatur, non videbatur. Credas hoc angelica virtute fieri solere, non tamen sine significante aliquo sacramento. Post aquam turbatam mittebat se unus qui poterat, & sanabatur solus: post illum quisquis se mitteret, frustra faceret. Quid sibi ergo hoc vult, nisi quia venit unus Christus ad populum Judæorum; & faciendo magna, docendo utilia, turbavit peccatores, turbavit aquam præsentiâ suâ, & excitavit ad passionem suam? Sed latens turbavit. Si *1. Cor.* 2. 8. enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Descendere ergo in aquam turba- G tam, hoc est, humiliter credere in Domini passionem. Ibi sanabatur unus, significans unitatem; postea quisquis veniret, non sanabatur: quia quisquis præter unitatem fuerit, sanari non poterit.

4. Videamus ergo quid voluerit significare in illo uno, quem etiam ipse servans unitatis mysterium, sicut prælocutus sum, de tot languentibus unum sanare dignatus est. Invenit in annis ejus numerum quemdam languoris: *Triginta-octo annos habebat in infirmitate.* Hic numerus quomodo magis ad languorem pertineat, quàm ad sanitatem, paulò diligentiùs exponendum est. Intentos vos volo: aderit Dominus, ut congruè loquar, & sufficienter audiatis. Quadragenarius numerus sacratus nobis in quadam perfectione commendatur. Notum esse arbitror Caritati Vestræ. Testantur sæpissime divinæ Scripturæ. Jejunium hoc numero consecratum est: *Johan.* 5. 5. B bene nostis. Nam & Moyses quadraginta diebus *Exod.* 34. jejunavit, & Elias totidem; & ipse Dominus noster & salvator Jesus Christus hunc jejunij numerum implevit. Per Moysen significatur Lex, per Eliam significantur Prophetæ, per Dominum significatur Evangelium. Ideo in illo monte tres appa- *Matth.* 17. 3. ruerunt, ubi se discipulis ostendit in claritate vultus & vestis suæ. Apparuit enim medius inter Moysen & Eliam, tamquam Evangelium testimonium haberet à Lege & Prophetis. Sive ergo in Lege, sive *Rom.* 3. 21. C in Prophetis, sive in Evangelio, quadragenarius numerus nobis in jejunio commendatur. JEJUNIUM *De consecr. dist.* 3. *cap.* Jejunium. autem MAGNUM ET GENERALE est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium: ut abnegantes impie- *Tit.* 2. 12. tatem & sæculares cupiditates, temperanter & « juste & piè vivamus in hoc sæculo. Huic jejunio quam *Ibidem* 13. mercedem addit Apostolus? Sequitur, & dicit, Ex- spectantes illam beatam spem, & manifestationem « gloriæ beati Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi. « D In hoc ergo sæculo quasi quadragesimam abstinentiæ celebramus, cùm bene vivimus, cùm ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus abstinemus. Sed quia hæc abstinentia sine mercede non erit, exspectamus beatam illam spem, & revelationem gloriæ magni Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi. In illa spe, cùm fuerit de spe facta res, accepturi sumus mercedem denarium. Ipsa enim merces redditur operariis in vinea laborantibus secundùm Evan- *Matt.* 20. 9. gelium, quod vos credo reminisci: neque enim E omnia commemoranda sunt, tamquam rudibus & imperitis. Denarius ergo qui accepit nomen à numero decem, redditur, & conjunctus quadragenario fit quinquagenârius: unde cum labore celebramus quadragesimam ante Pascha, cum lætitia verò tamquam accepta mercede quinquagesimam post Pascha. Nam huic tamquam salutari labori boni operis, qui pertinet ad quadragenarium numerum, additur quietis & felicitatis denarius, ut quinquagenarius fiat.

5. Significavit hoc & ipse Dominus Jesus multò apertiùs, quando post resurrectionem qua- *Act.* 1. 3. F draginta diebus conversatus est in terra cum discipulis suis, quadragesimo autem die cùm adscendisset in cælum, peractis decem diebus mi- *Act.* 2. 1. sit mercedem Spiritus-sancti. Significata sunt ista, & quibusdam significationibus res ipsæ præventæ sunt. Significationibus pascimur, ut ad res ipsas perdurantes pervenire possimus. Operarij enim sumus, & adhuc in vinea laboramus: finito die, finito opere, merces restituetur. Sed quis operarius perdurat ad accipiendam mercedem, nisi qui pascitur cùm laborat? Non enim & tu operario tuo G mercedem solam daturus es: non etiam afferes illi unde vires reparet in labore? Pascis utique cui mercedem daturus es. Proinde & nos Dominus in istis Scripturarum significationibus laborantes pascit. Nam si ista intelligendorum sacramentorum lætitia

subtrahatur à nobis, deficimus in labore, & non A erit qui perveniat ad mercedem.

6. Quomodo ergo quadragenario numero perficitur opus? Fortasse ideo, quia Lex in decem præceptis data est, & per totum mundum prædicanda erat Lex: qui totus mundus quatuor partibus commendatur, Oriente & Occidente, Meridie & Aquilone, unde denarius per quatuor multiplicatus, ad quadragenarium pervenit. Vel quia per Evangelium quod quatuor libros habet, impletur Lex: *Matt.* 5. 17. quia in Evangelio dictum est, Non veni solvere Le- B gem, sed adimplere. Sive ergo illâ, sive istâ causâ, sive aliâ aliquâ probabiliore, quæ nos latet, doctiores non latet; certum est tamen quadragenario numero significari quamdam perfectionem in operibus bonis, quæ maximè opera bona exercentur in a abstinentia quadam ab illicitis [a] cupiditatibus sæculi, hoc est, generali jejunio. Audi & Apostolum *Rom.* 13. 10. dicentem, Plenitudo legis caritas. Caritas unde? per gratiam Dei, per Spiritum sanctum. Non enim haberemus illam ex nobis, quasi facientes illam no- C bis. Dei donum est, & magnum donum: Quoniam *Rom.* 5. 5. caritas Dei, inquit, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Caritas ergo implet Legem, & verissimè dictum est, Plenitudo Legis caritas. Quæramus hanc caritatem, b [b] quemadmodum commendatur à Domino. Mementote quid proposuerim: numerum triginta octo annorum in illo languido volo exponere, quare numerus ille trigesimus octavus languoris fit potiùs quàm sanitatis. Ergo, ut dicebam, caritas implet D Legem. Ad plenitudinem Legis in omnibus operibus pertinet quadragenarius numerus: in caritate autem duo præcepta nobis commendantur. Intuemini obsecro, & figite memoriæ quod dico, ne fitis contemtores verbi, ne fiat anima vestra via, ubi *Marci* 4. 4. grana jacta non germinent: Et venient, inquit, volatilia cæli, & colligent ea. Percipite, & recondite in cordibus vestris. Caritatis præcepta duo sunt à *Matth.* 22. Domino commendata, Diliges Dominum Deum 37. » tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex E » tota mente tua: &, diliges proximum tuum tam- » quam teipsum. In his duobus præceptis tota Lex *Luc.* 21. 2. pendet & Prophetæ. Meritò & illa vidua omnes facultates suas, duo minuta misit in dona Dei: meri- *Luc.* 10. 35. tò & pro illo languido à latronibus sauciato, stabulario duos nummos accepit unde sanaretur: meri- *Johan* 4. 40. tò apud Samaritanos biduum fecit Jesus, ut eos caritate firmaret. Binario ergo isto numero cùm aliquid boni significatur, maximè bipertita caritas commendatur. Si ergo quadragenarius numerus F habet perfectionem Legis, & Lex non impletur nisi in gemino præcepto caritatis; quid miraris quia languebat, qui ad quadraginta, duo minus habebat?

7. Videamus proinde jam quo sacramento iste languidus curetur à Domino. Venit enim ipse Do- *Isa.* 10. 23. minus, caritatis doctor, caritate plenus, brevians, & 28 22. sicut de illo prædictum est, verbum super terram: *Rom.* 9. 28. & ostendit in duobus præceptis caritatis pendere Legem & Prophetas. Inde ergo pependit Moyses G quadragenario suo, inde Elias cum suo, hunc numerum adtulit Dominus in testimonio suo. Curatur iste languidus à præsente Domino, sed priùs *Johan.* 5. 6. quid ei dicit? *Vis sanus fieri?* Respondit ille hominem se non habere, à quo in piscinam mittatur. Verè necessarius erat illi homo ad sanitatem, sed homo ille qui & Deus est. Unus enim Deus, unus *1. Tim.* 2. 5. & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. Venit ergo homo qui erat necessarius: quare sanitas differretur? *Surge*, inquit, *tolle grabatum* *Johan.* 5. 8. *tuum, & ambula.* Tria dixit, *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Sed *Surge*, non operis imperium fuit, sed operatio sanitatis. Sano autem duo imperavit, *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Rogo vos, cur non sufficeret, *Ambula?* aut certè cur non sufficeret, *Surge?* Neque enim ille cùm sanus surrexisset, in loco remansisset. Nonne ad hoc surrexisset ut abiisset? Movet ergo me etiam quòd duo præcepit, qui illum jacentem duobus minus invenit: tamquam enim duo quædam jubendo, quod minus erat implevit.

8. Quomodo ergo inveniamus in his duobus Domini jussis, duo illa præcepta significata caritatis? *Tolle*, inquit, *grabatum tuum, & ambula.* Quæ sunt illa duo præcepta, Fratres, recolite mecum. Notissima enim esse debent, nec modò tantùm venire C in mentem cùm commemorantur à nobis, sed deleri numquam debent de cordibus vestris. Semper omnino cogitate, diligendum esse Deum & proxi- *Deut.* 6. 5. mum: Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex *Matth.* 22. tota mente; & proximum tamquam seipsum. HÆC 37. SEMPER COGITANDA, hæc meditanda, hæc retinenda, hæc agenda, hæc implenda sunt. Dei dilectio prior est ordine præcipiendi, proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim qui tibi præciperet dilectionem istam in duobus D præceptis, priùs tibi commendaret proximum, & postea Deum; sed priùs Deum, postea proximum. Tu autem quia Deum nondum vides, diligendo proximum promereris quem videas; diligendo proximum purgas oculum ad videndum Deum, evidenter Johanne dicente, Si fratrem quem vides non *1. Johan.* 4. diligis, Deum quem non vides quomodo diligere 20. poteris? Ecce dicitur tibi, Dilige Deum. Si dicas mihi, Ostende mihi quem diligam: quid respondebo, nisi quod ait ipse Johannes? Deum nemo *Johan.* 1. 18. vidit umquam. Et ne te alienum omnino à Deo videndo esse arbitreris: Deus, inquit, caritas est; & *1. Johan.* 4. qui manet in caritate, in Deo manet. Dilige ergo 16. proximum: & intuere in te unde diligis proximum; ibi videbis, ut poteris, Deum. Incipe ergo diligere proximum. Frange esurienti panem tuum, & *Isa.* 58. 7. egenum sine tecto induc in domum tuam: si videris « nudum, vesti, & domesticos seminis tui ne despe- « xeris. Faciens autem ista quid consequeris? Tunc *Ibidem* 8. erumpet velut matutina lux tua. Lux tua Deus tuus est, tibi matutina, quia post noctem sæculi tibi veniet: nam ille nec oritur, nec occidit; quia semper manet. Erit tibi matutinus redeunti, qui tibi occasum fecerat pereunti. Ergo, *Tolle grabatum tuum*, mihi videtur dixisse, Dilige proximum tuum.

9. Sed clausum est adhuc, & expositione indiget, quantùm arbitror, quare in tollendo grabato dilectio proximi commendetur: nisi fortè hoc nos offendit, quòd per grabatum, rem quamdam stolidam & insensatam, proximus commendatur. Non irascatur proximus, si commendatur nobis per rem quæ sine anima & sine sensu est. Ipse Dominus & salvator noster Jesus Christus lapis angularis dictus *Ephes.* 2. 15. est, ut duos conderet in se. Dictus est & petra, unde aqua profluxit: Petra autem erat Christus. *1. Cor.* 10. 4. Quid ergo mirum si petra Christus, lignum proximus? Non tamen qualecumque lignum: quomodo

[a] MSS. *voluptatibus.*

[b] Lov. *qua admodum.* Ceteri libri, *quemadmodum.*

nec illa qualiscumque petra, sed unde aqua profluxerat sitientibus: nec qualiscumque lapis, sed angularis, qui in semetipso copulavit duos parietes è diverso venientes. Sic nec qualecumque lignum proximum acceperis, sed grabatum. Quid ergo in grabato, obsecro te? quid, nisi quia ille languidus grabato portabatur? Sanus autem grabatum portat. Quid dictum est ab Apostolo? Invicem onera
Gal. 6. 2. » vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Lex ergo Christi caritas est, nec caritas impletur
Ephes. 4. 2. » nisi invicem onera nostra portemus. Sufferentes, inquit, invicem in dilectione, studentes servare » unitatem spiritus in vinculo pacis. Cùm esses languidus, portabat te proximus tuus: sanus factus es, » porta proximum tuum. Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Sic adimplebis ô homo quod tibi deerat. *Tolle ergo grabatum tuum.* Sed cùm tuleris, noli remanere, *ambula.* Diligendo proximum, & curam habendo de proximo tuo, iter agis. Quò iter agis, nisi ad Dominum
Deut. 6. 5. Matth. 22. 37. Deum, ad eum quem diligere debemus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente? Ad Dominum enim nondum pervenimus, sed proximum nobiscum habemus. Porta ergo eum, cum quo ambulas; ut ad eum pervenias, cum quo manere desideras. *Tolle* ergo *grabatum tuum, & ambula.*

10. Fecit hoc ille, & scandalizati sunt Judæi. Videbant enim hominem die sabbati portantem grabatum suum, nec calumniabantur Domino quòd sanum eum fecerat sabbato, ut eis responde-
Luc. 14. 5. re posset, quia si cujusquam eorum jumentum in puteum cecidisset, utique die sabbati erueret illud, & salvaret jumentum suum: non itaque jam illi objiciebant quòd die sabbati sanus factus esset homo; sed quòd portabat grabatum suum. Si sanitas non erat differenda, numquid & opus fuerat imperan-
Johan. 5. v. 10. dum? *Non licet tibi*, inquiunt, *facere quod facis, tollere grabatum tuum.* Et ille auctorem sanitatis suæ
v. 11. objiciebat calumniatoribus: *Qui*, inquit, *me fecit sanum, ipse mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula.* Non acciperem jussionem, à quo receperam
v. 12. sanitatem? Et illi, *Quis est ille homo qui tibi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula?*
v. 13. 11. *Sed qui sanus erat factus nesciebat quis esset*, à quo hoc audierat. *Jesus autem*, cùm hoc fecisset, & jussisset, *declinaverat ab eo in turba.* Videte quemadmodum & hoc impleatur. Portamus proximum, & ambulamus ad Deum: sed eum ad quem ambulamus, nondum videmus: ideo & ille nondum noverat Jesum. Sacramentum hoc commendatum est, quia in eum credimus quem nondum videmus: & ut non videatur, declinat in turba. Difficile est in turba videre Christum: solitudo quædam necessaria est menti nostræ: quadam solitudine intentionis videtur Deus. Turba strepitum habet: visio ista secretum desiderat. *Tolle grabatum tuum*, porta portatus proximum tuum; *& ambula*, ut pervenias. Noli Jesum quærere in turba, non est tamquam unus de turba: prævenit omnem turbam. Prior adscendit de mari piscis ille magnus, & in cælis sedet interpellans pro nobis: tamquam sacerdos magnus, unus intravit in interiora veli, turba foris stat. Ambula tu, qui portas proximum tuum; si didicisti portare, qui solebas portari. Denique modò nondum nosti Jesum, nondum vides Jesum: quid postea sequitur? Quoniam non destitit ille tollendo grabatum suum, & ambulando, *Vidit*
v. 14. *eum postea Jesus in templo.* In turba non eum vidit, in templo vidit. Dominus quidem Jesus & in turba eum videbat, & in templo: ille autem languidus Jesum in turba non cognoscit, in templo cognoscit. Pervenit ergo ille ad Dominum: vidit eum in templo, vidit eum in loco sacrato, in loco sancto. Et quid ab eo audit? *Ecce jam sanus factus es, noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.*

12. Tunc ille, postea quàm vidit Jesum, & cognovit Jesum auctorem sanitatis suæ, non fuit piger in evangelizando quem viderat: *Abiit, & nuntiavit* *v. 15.* *Judæis, quia Jesus esset, qui eum sanum fecerat.* Ille annuntiabat, & illi insaniebant: ille salutem suam prædicabat, illi salutem suam non quærebant.

13. *Persequebantur Judæi Dominum Jesum, quia* *v. 16.* *hæc faciebat in sabbato.* Quid ergo Dominus modò respondit Judæis, audiamus. De sanis factis hominibus sabbato, dixi quid soleat respondere, quia jumenta sua non contemnebant sabbato, vel liberando vel alendo. De portato grabato quid respondit? Manifestum opus corporale factum erat ante oculos Judæorum: non sanitas corporis, sed operatio corporis; quæ non videbatur ita necessaria, quemadmodum sanitas. Apertè ergo Dominus dicat sacramentum sabbati, & signum observandi unius diei ad tempus datum esse Judæis: impletionem verò ipsam sacramenti in illo venisse. *Pater* *v. 17.* *meus*, inquit, *usque modò operatur, & ego operor.* Misit in eos magnum tumultum; adventu Domini turbatur aqua: sed qui turbat, latet. Tamen sanandus est turbatâ aquâ æger unus magnus, passo Domino totus mundus.

14. Videamus ergo responsionem Veritatis: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Falsum ergo dixit Scriptura, quia Deus requievit ab *Gen. 2. 2.* omnibus operibus suis in die septimo? & contra hanc Scripturam per Moysen ministratam, loquitur Dominus Jesus, cùm ipse dicat Judæis, Si cre- *Johan. 5.* deretis Moysi, crederetis & mihi; de me enim ille *46.* scripsit? Videte ergo ne aliquid voluit significare Moyses, quòd Deus requievit in die septimo. Non enim defecerat Deus operando creaturam suam, & indigebat requie sicut homo. Quomodo defecerat qui verbo fecerat? Tamen & illud verum est, quia requievit Deus ab operibus suis in die septimo: & hoc verum est quod ait Jesus, *Pater meus usque modò operatur.* Sed quis explicet verbis, homo hominibus, infirmus infirmis, indoctus discere cupientibus, & fortè si quid sapit, promere & explicare non valens hominibus, difficilè fortè capientibus, etiam si explicari possit quod capitur? Quis, inquam, Fratres mei, explicet verbis, quomodo Deus & quietus operetur, & operans quiescat? Obsecro vos, ut hoc vobis proficientibus differatis; visio enim ista templum Dei quærit, sanctum locum quærit: portate proximum, & ambulate: ibi eum videbitis, ubi verba hominum non quæratis.

15. Hoc fortè potiùs dicere valemus, quia & in eo quod Deus in die septimo requievit, ipsum Dominum & salvatorem nostrum Jesum Christum, qui hæc loquebatur & dicebat, *Pater meus usque* *modò operatur, & ego operor*, magno sacramento significavit. Quia & Dominus Jesus utique Deus. Ipse est enim Verbum Dei, & audistis quia in princi- *Johan. 1. 1.* pio erat Verbum, & non qualecumque Verbum, sed Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt: fortè significatus est requieturus in die septimo ab omnibus operibus suis. Legite enim Evangelium, & videte quanta operatus sit Jesus. Operatus est salutem nostram in cruce, ut implerentur in eo omnia prædicta Prophetarum: coronatus est spinis, suspensus est ligno, dixit Sitio, accepit acetum in spongia, ut impleretur quod dictum est, Et
Psal. 68. 22. in siti mea potaverunt me aceto. At ubi impleta sunt omnia opera ejus, sextâ sabbati inclinato capite reddidit spiritum, & in sepulcro sabbato requievit ab omnibus operibus suis. Ergo tamquam diceret Judæis, Quid exspectatis ut non operer sabbato? Sabbati dies vobis ad significationem meam præceptus est. Opera Dei adtenditis: ego ibi eram cùm fierent, per me facta sunt omnia, ego novi: *Pater meus usque modò operatur.* Operatus est Pater
Gen. 1 3. lucem; sed dixit, ut fieret lux: si dixit, Verbo operatus est; Verbum ejus ego eram, ego sum: per me factus est mundus in illis operibus, per me regitur mundus in istis operibus: Pater meus & tunc operatus est cùm fecit mundum, & usque nunc operatur cùm regit mundum: ergo & per me fecit cùm fecit, & per me regit cùm regit. Dixit hæc, sed quibus? surdis, cæcis, claudis, languidis, medicum non agnoscentibus, & tamquam in phreneſi mente perdita occidere volentibus.
Johan. 5. 18. 16. Proinde quid secutus Evangelista dixit? *Hinc ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum.* Non quomodocumque: sed quid? *æqua-*
Matth. 6. 9. *lem se faciens Deo.* Nam omnes dicimus Deo, Pater noster qui es in cælis. Legimus & Judæos dixisse,
Isai. 63. 16. & 64. 8. Cùm tu sis pater noster. Ergo non hinc irascebantur, quia patrem suum dicebat Deum: sed quòd longè alio modo quàm homines. Ecce intelligunt
Ariani ex Judæorum sensu victi. Judæi quod non intelligunt Ariani. Ariani quippe inæqualem Patri Filium dicunt, & inde hæresis pulsat Ecclesiam. Ecce ipsi cæci, ipsi interfectores Christi, intellexerunt tamen verba Christi. Non eum intellexerunt esse Christum, nec eum intellexerunt Filium Dei: sed tamen intellexerunt in illis verbis, quia talis commendaretur Filius Dei, qui æqualis esset Deo. Quis erat nesciebant: talem tamen prædicari agnoscebant, quia *patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Non erat ergo æqualis Deo? Non ipse se faciebat æqualem, sed ille illum genuerat æqualem. Si se ipse faceret æqualem Deo, caderet per rapinam. Qui enim se
Isa. 14. 14. voluit æqualem facere Deo cùm non esset, cecidit, & ex angelo factus est diabolus: & hanc superbiam homini propinavit, unde ipse dejectus est. Nam
Gen. 3. 5. hoc dixit homini, cui stanti lapsus invidit, Gustate, & eritis sicut dij: id est, usurpatione rapite quod facti non estis; quia & ego rapiendo dejectus sum. Non hoc prodebat, sed hoc suadebat. Christus autem æqualis Patri natus erat, non factus: natus de substantia Patris. Unde illum sic commendat
Philip. 2. 6. Apostolus, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Quid est, non rapinam arbitratus est? Non usurpavit æqualitatem Dei: sed erat in illa, in qua natus erat. Et nos ad æqualem Deum quomodo perveniremus? Semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Non ergo se exinanivit amittens quod erat, sed accipiens quod non erat. Hanc formam servi contemnentes Judæi, Dominum Christum æqualem Patri intelligere non poterant: quamvis eum hoc de se dicere minimè dubitabant; & ideo sæviebant: & adhuc tamen eos ille perferebat, & sanitatem sævientium requirebat.

TRACTATUS * XVIII.

* Habitus die proximo post superiorem Tract. ex n. 1.

In eum Evangelij locum, Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.

1. JOHANNES Evangelista inter consortes & comparticipes suos alios Evangelistas, hoc præcipuum & proprium donum accepit à *Johan. 13. 23.* Domino, (super cujus pectus in convivio discumbebat, ut per hoc significaret, quia secreta altiora de intimo ejus corde potabat,) ut ea diceret de Filio Dei quæ parvulorum mentes fortassis intentas excitare possint; implere autem nondum capaces non possint: grandiusculis autem quibusque mentibus & ad ætatem quamdam interiùs virilem pervenientibus, dat aliquid verbis his, quo & exerceantur, & pascantur. Audistis cùm legeretur, & unde sermo iste venerit meministis. Hesterno enim die lectum est, quòd *propterea volebant Jesum Judæi* *Johan 5. 18.* *interficere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed etiam Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Quod Judæis displicebat, hoc ipsi Patri placebat. Hoc sine dubio placet etiam eis, qui honorificant Filium, sicut honorificant Patrem: quia si eis non placeat, displicebunt. Non enim Deus erit major, quia placet tibi: sed tu minor, si displicet tibi. Adversùs hanc autem eorum calumniam, venientem vel de ignorantia, vel de malitia, loquitur Dominus non omnino quod capiant, sed unde agitentur & conturbentur, & fortasse vel conturbati medicum quærant. Dicebat autem quæ scriberentur, ut etiam à nobis postea legerentur. Videmus ergo quid in Judæorum cordibus factum sit, cùm hæc audirent: quid in nobis fiat cùm hæc audimus, ampliùs cogitemus. Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene; & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. Itaque, Carissimi, valde cautè hæc audire debemus, ad quæ capienda parvuli sumus; & corde pio & cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes REGULAM SANITATIS, ut quod secundùm fidem qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tamquam de cibo gaudeamus: quod autem secundùm sanam fidei regulam intelligere nondum potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus; hoc est, ut etiam si quid sit nescimus, bonum tamen & verum esse minimè dubitemus. Et ego, Fratres, qui suscepi loqui vobis, cogitandus sum à vobis qui susceperim, & quæ susceperim: susceperim enim tractanda divina homo, spiritalia carnalis, æterna mortalis. Etiam à me, Carissimi, longè sit vana præsumtio, *1. Tim. 3. 15.* si volo sanus in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis: pro modulo meo capio quod vobis appono: ubi aperitur, pascor vobiscum; ubi clauditur, pulso vobiscum.

2. Commoti sunt ergo Judæi, & indignati sunt: meritò quidem, quòd audebat homo æqualem se facere Deo: sed ideo immeritò, quia in homine non intelligebant Deum. Carnem videbant, Deum nesciebant: habitaculum cernebant, habitatorem ignorabant. Caro illa templum erat, Deus inhabitabat intus. Non ergo Jesus carnem æquabat Patri,

non formam servi Domino comparabat: non quod factum est propter nos, sed quod erat quando fecit nos. Quis namque sit Christus, Catholicis loquor, nostis, quia bene credidistis: non Verbum tantùm, nec caro tantùm; sed Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Recenseo de Verbo quod
Johan. 1.1. nostis: In principio erat Verbum, & Verbum erat
apud Deum, & Deus erat Verbum: hîc æqualitas
v. 14. cùm Patre. Sed Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: hac carne major est Pater. Ita Pater & æqualis, & major: æqualis Verbo, major carne: æqualis ei per quem fecit nos, major eo qui factus est propter nos. Ad hanc regulam sanam catholicam, quam præcipuè nosse debetis, quam tenete qui nostis, à qua prorsus fides vestra labi non debet, quæ nullis hominum argumentis extorquenda est cordi vestro, dirigamus ea quæ intelligimus; & quæ fortè non intelligimus, dirigenda ad hanc regulam quandoque differamus, cùm idonei fuerimus. Novimus ergo æqualem Patri Filium Dei, quia novimus in principio Deum Verbum. Quid ergo *Iudæi volebant eum interficere? quia non solùm solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*: videntes carnem, non videntes Verbum. Loquatur ergo & contra eos Verbum per carnem, & interior habitator sonet per habitaculum suum: ut qui potest noverit quis intus habitet.

Johan. 5. 19. 3. Quid ergo eis dicit? *Respondit itaque Iesus, & dixit eis*, commotis quòd æqualem se faceret Deo, *Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ad hæc quid responderint Judæi, scriptum non est: & fortasse tacuerunt. Quidam tamen, qui Christianos se haberi volunt, non tacent, & quodammodo ex his verbis concipiunt quædam dicenda contra nos: quæ contemnenda non sunt, & propter
Arianos refellit. ipsos & propter nos. Ariani quippe hæretici dicentes, non per carnem, sed ante carnem, Filium ipsum qui suscepit carnem, minorem esse quàm Pater est, & non esse ejusdem substantiæ, cujus Pater est, capiunt ex his verbis ansam calumniæ, & respondent nobis: Videtis quia Dominus Jesus, cùm animadverteret Judæos ex hoc moveri, quòd Patri Deo æqualem se faceret, talia verba subjunxit, ut se æqualem non esse monstraret. Movebat enim Judæos, aiunt, adversùs Christum, quia æqualem se faciebat Deo, & volens eos corrigere ab hoc motu Christus, & eis demonstrare Filium non esse æqualem Patri, id est, æqualem Deo, ait, quasi dicens, Quid irascimini? Quid indignamini? Non sum æqualis, quia *non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Qui enim *non potest*, inquiunt, *facere à se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, utique minor est, non æqualis.

4. In hac regula cordis sui distorta & prava, hæreticus audiat nos nondum objurgantes, sed adhuc quasi quærentes, & explicet nobis quod sentit. Puto enim, ô quisquis ille es, (faciamus enim eum tamquam præsentem adesse,) tenes nobiscum, quia
Johan. 1. 1. in principio erat Verbum? Teneo, inquit. Et quia Verbum erat apud Deum? Et hoc, inquit, teneo. Sequere ergo, & hoc fortius tene, quia Deus erat Verbum. Et hoc, inquit, teneo: sed ille Deus major, ille Deus minor. Jam nescio quid paganum redolet: cum Christiano me loqui arbitrabar. Si est Deus major, & est Deus minor; duos deos colimus, non unum Deum. Quare, inquit? & tu non duos deos dicis æquales sibi? Hoc ego non dico: æqualitatem enim istam sic intelligo, ut ibi intelligam etiam individuam caritatem; & si individuam caritatem, perfectam unitatem. Si enim caritas quam misit hominibus Deus, de multis hominum cordibus facit cor unum, & multas hominum animas facit animam unam, sicut de credentibus seseque invicem diligentibus scriptum est in Actibus Apostolorum, Erat illis anima una, & cor unum in *Act.* 4. 32. Deum: si ergo anima mea & anima tua, cùm idem sapimus nosque diligimus, fit anima una; quantò magis Pater Deus & Filius Deus in fonte dilectionis Deus unus est?

5. Verùm ad hæc verba, quibus commotum est cor tuum, intende, & recole mecum quod de Verbo requirebamus. Jam tenemus, Deus erat Verbum: adjungo aliud, quia cùm dixisset, Hoc erat in principio apud Deum, continuò subjecit Evangelista, Omnia per ipsum facta sunt. Nunc te quærendo exagito, nunc te contra te moveo, & te contra te interpello: tene tantùm memoriter ista de Verbo, quia Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt. Audi jam verba quibus commotus es, ut minorem diceres Filium, nempe quia dixit, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ita, inquit. Expone hoc mihi paululùm: sic quantum opinor intelligis, quoniam quædam facit Pater, Filius autem adtendit quemadmodum faciat Pater, ut possit & ipse ea facere quæ viderit Patrem facientem. Duos quasi fabros constituisti: ita Patrem & Filium, ut etiam magistrum & discipulum, quomodo solent patres fabri docere filios suos artem suam. Ecce descendo ad carnalem sensum tuum, ita interim cogito ut tu: videamus si cogitatio hæc nostra inveniat exitum secundùm illa quæ jam de Verbo pariter locuti sumus pariterque sentimus, quia Deus Verbum, & omnia per ipsum facta sunt. Pone igitur Patrem tamquam fabrum, quædam opera facientem, Filium autem tamquam discipulum, qui *non potest facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: intendit enim quodammodo in manus Patris, ut quomodo viderit eum fabricare, sic & ipse tale aliquid fabricet in operibus suis. Sed Pater iste omnia illa quæ facit, & vult ut adrendat eum Filius & talia & ipse faciat, per quem facit? Eia nunc est ut adsis sententiæ tuæ priori, quam mecum recensuisti mecumque tenuisti, quia in principio Verbum, & apud Deum Verbum, & Deus Verbum, & omnia per ipsum facta sunt. Tu ergo cùm mecum tenueris, quia per Verbum facta sunt omnia; rursum carnali sapore & puerili motu facis tibi in animo Deum facientem, & Verbum adrendentem, ut cùm fecerit Deus, faciat & Verbum. Quid enim facit Deus præter Verbum? Si enim facit, non omnia per Verbum facta sunt, perdidisti quod tenebas: si autem omnia per Verbum facta sunt, corrige quod malè intelligebas. Fecit Pater, & non fecit nisi per Verbum: quomodo adtendit Verbum, ut videat Patrem facientem sine Verbo, quod similiter faciat Verbum? Quidquid fecit Pater, per Verbum fecit: aut falsum est, Omnia per ipsum facta sunt. Sed verum est, Omnia per ipsum facta sunt. Parum fortasse tibi videbatur? Et sine ipso factum est nihil.

6. Recede ergo ab ista carnis prudentia, & quæramus quemadmodum dictum sit, *Non potest Filius*

Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæramus, si digni sumus qui apprehendamus. Fateor enim, magna res est, ardua omnino, videre Patrem facientem per Filium, non singula opera facientem Patrem & Filium, sed quodlibet opus Patrem per Filium, ut nulla opera fiant vel à Patre sine Filio, vel à Filio sine Patre: quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quibus in fundamento fidei firmissimè constitutis, jam quale est videre, quia *non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem?* Quæris, ut opinor, nosse Filium facientem: quære priùs nosse Filium videntem. Certè enim quid ait? *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Intende quod dixit, *nisi quod viderit Patrem facientem.* Præcedit visio, & sequitur effectio: videt enim ut faciat. Tu quid quæris jam nosse quomodo faciat, dum nondum scias quomodo videat? Quid curris ad id quod posterius est, relicto quod prius est? Videntem se dixit & facientem; non, facientem & videntem: quia *non potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Vis ut explicem tibi quomodo faciat? Tu mihi explica quomodo videat. Si hoc tu explicare non potes, nec ego illud: si hoc tu percipere nondum es idoneus, nec ego illud. Uterque ergo nostrûm quærat, uterque pulset, ut uterque accipere mereatur. Quid quasi doctus calumniaris indocto? Ego ad faciendum, tu ad videndum, ambo indocti à magistro quæramus, non in schola ejus pueriliter litigemus. Tamen simul jam didicimus, quia omnia per ipsum facta sunt. Ergo manifestum est, quia non alia opera facit Pater, quæ videat Filius, ut ipse faciat similia: sed eadem opera facit Pater per Filium, quia omnia per Verbum facta sunt. Jam quomodo faciat Deus quis novit? non dico quomodo fecerit mundum, sed quomodo fecerit oculum tuum, cui carnaliter inhærens, visibilia invisibilibus comparas. Talia enim de Deo cogitas, qualia his oculis videre consuesti. Si autem istis oculis videri posset
Matth. 5. 8. Deus, non diceret, Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. Ergo habes oculum corporis ad videndum fabrum, sed nondum habes oculum cordis ad videndum Deum: ideo quod soles videre in fabro, transferre vis ad Deum. Pone in terra terrena, sursum cor.

7. Quid ergo, Carissimi, explicaturi sumus nos quod interrogavimus, quomodo videat Verbum, quomodo Pater videatur à Verbo, quid sit videre Verbi? Non sum tam audax, tam temerarius, ut hoc explicare pollicear & me & vos: utcumque suspicor modulum vestrum, novi tamen meum. Si ergo placet, non diutiùs immoremur, percurramus lectionem, & videamus verbis Domini turbari corda carnalia; ad hoc turbari, ne in eo quod tenent remaneant. Extorqueatur tamquam pueris ludicrum nescio quid, quo se malè avocant, ut possint inseri utiliora grandioribus, ut possint proficere qui repebant in terra. Surge, quære, suspira, anhela desiderio, & ad clausa pulsa. Si autem nondum desideramus, nondum inhiamus, nondum suspiramus, margaritas quibuscumque projecturi sumus, aut margaritas qualescumque nos ipsi inventuri sumus. Moverim ergo, Carissimi, desiderium in corde vestro. MORES PERDUCUNT ad intelligentiam: genus vitæ perducit ad genus vitæ. Alia vita terrena, alia vita cælestis; alia vita pecorum, alia vita hominum, alia vita Angelorum. Vita pecorum, terrenis voluptatibus æstuat, sola terrena conquirit, in ea prona atque projecta est: vita Angelorum sola cælestis: vita hominum media est inter Angelorum & pecorum. Si vivit homo secundùm carnem, pecoribus comparatur: si vivit secundùm spiritum, Angelis sociatur. Quando secundùm spiritum vivis, quære etiam in ipsa angelica vita, utrùm parvus an grandis sis. Si enim adhuc parvus es, dicunt tibi Angeli, Cresce, nos panem mandducamus, tu lacte nutrire, lacte fidei, ut pervenias ad cibum speciei. Si autem adhuc inhiatur sordidis voluptatibus, si adhuc fraudes cogitantur, si mendacia non vitantur, si mendacia perjuriis cumulantur: tam immundum cor audet dicere, Explica mihi quomodo videt Verbum? etiam si possim, etiam si ego jam videam. Porrò autem si fortè ego non sum in his moribus, & tamen ab ista visione longè sum: quantum ille qui nondum isto superno desiderio rapitur, terrenis desideriis prægravatus? Multum interest inter aversantem & desiderantem: & iterum multum interest inter desiderantem & fruentem. Vivis ut pecora, aversaris: Angeli perfruuntur. Tu autem si non vivis ut pecora, jam non aversaris: desideras aliquid, & non capis: inchoasti ipso desiderio vitam Angelorum. Crescat in te, & perficiatur in te: & capias hoc non à me, sed ab illo qui & me fecit, & te.

8. Tamen non utcumque nos dimisit & Dominus, qui voluit intelligi, quia in eo quod dixit, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, non alia opera Pater facit quæ videat Filius, & alia Filius cùm viderit Patrem facientem; sed eadem opera ipsa & Pater & Filius. Secutus enim ait, *Quæcumque enim ille fecerit, hæc* *Johan.* 5. 19 *& Filius similiter facit.* Non cùm ille fecerit, alia Filius similiter facit: sed *quæcumque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Si hæc facit Filius quæ fecerit Pater, per Filium facit Pater: si per Filium facit quæ facit Pater, non alia Pater, alia Filius facit; sed eadem opera sunt Patris & Filij. Et quomodo eadem facit & Filius? & eadem & similiter. Ne fortè eadem, sed dissimiliter: *eadem*, inquit, *& similiter.* Et quomodo posset eadem non similiter? Accipite exemplum, quod puto ad vos non sit grande: Cùm scribimus litteras, facit eas primò cor nostrum, & deinde manus nostra. Certè unde omnes acclamastis, nisi quia cognovistis? Certum est quod dixi, & manifestum omnibus nobis. Litteræ fiunt primò à corde nostro, deinde à corpore nostro: manus servit imperanti cordi, easdem litteras facit & cor & manus: numquid alias cor, alias manus? Easdem quidem facit manus, sed non similiter: cor enim nostrum facit eas intelligibiliter, manus autem visibiliter. Ecce quomodo fiunt eadem dissimiliter. Unde parum fuit Domino dicere, *Quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius facit*, nisi adderet; *& similiter.* Quid si enim hoc modo intelligeres quomodo quæcumque cor facit, hæc & manus facit, sed non similiter? Hîc verò addidit; *hæc & Filius similiter facit.* Si & hæc facit, & similiter facit, expergiscere, stringatur Judæus, credat Christianus, convincatur hæreticus, æqualis est Patri Filius.

9. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat* *v.* 20. *ei quæ ipse facit.* Ecce est illud, *demonstrat.* Demonstrat quasi cui? Utique quasi videnti. Redimus ad id quod explicare non possumus, quomodo Verbum videat. Ecce homo factus est per Verbum: sed

homo habet oculos, habet aures, habet manus, diversa membra in corpore: per oculos potest videre, per aures potest audire, per manus operari: diversa membra, diversa membrorum officia. Non potest illud membrum quod potest alterum: tamen propter corporis unitatem, oculus & sibi & auri videt, & auris sibi & oculo audit. Numquid tale aliquid in Verbo arbitrandum est esse, quoniam omnia per ipsum? Et dixit Scriptura in Psal-
Psal. 93. 8. mo, Intelligite qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite: Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat? Si ergo finxit oculum Verbum, quia omnia per Verbum; si plantavit aurem Verbum, quia omnia per Verbum: non possumus dicere, Non audit Verbum, non videt Verbum: ne objurget nos Psalmus, & dicat, Stulti aliquando sapite. Itaque si audit Verbum & videt Verbum, audit Filius & videt Filius: numquid tamen & in ipso diversis locis quæsituri sumus oculos & aures? Aliunde audit, aliunde videt; & auris ejus non potest quod oculus, & oculus non potest quod potest auris? An totus ille visus est, & totus auditus? Fortè ita: immo non fortè, sed verè ita: dum tamen & ipsum ejus videre, & ipsum ejus audire, longè alio modo quàm nostrum sit. Et videre & audire simul in Verbo est, nec aliud est ibi audire, & aliud videre: sed auditus visus, & visus auditus.

10. Et nos qui aliter audimus, aliter videmus, hoc unde novimus? Redimus fortè ad nos, si non sumus prævaricatores, quibus dictum est, Redite
Isa. 46. 8. prævaricatores ad cor. Redite ad cor: quid itis à vobis, & peritis ex vobis? quid itis solitudinis vias?
a Erratis vagando: redite. Quò? ad Dominum. [a] Citò est: primò redi ad cor tuum, exsul à te vagaris foris: teipsum non nosti, & quæris à quo factus es? Redi, redi ad cor, tolle te à corpore: corpus tuum habitatio tua est: cor tuum sentit etiam per corpus tuum: sed corpus tuum non quod cor tuum: dimitte & corpus tuum, redi ad cor tuum. In corpore tuo inveniebas alibi oculos, alibi aures: in corde tuo numquid hoc invenis? An in corde tuo non ha-
Luc. 8. 8. bes aures? De quibus ergo Dominus dicebat, Qui habet aures audiendi audiat? An in corde non ha-
Ephes. 1. 18. bes oculos? Unde dicit Apostolus, Illuminatos oculos cordis vestri? Redi ad cor: vide ibi quid sentias fortè de Deo, quia ibi est imago Dei. In interiore
Ephes. 3. 16. homine habitat Christus, in interiore homine renovaris ad imaginem Dei, in imagine sua cognosce auctorem ejus. Vide quemadmodum omnes corporis sensus cordi intrò nuntient quid senserint foris: vide quàm multos ministros habeat unus interior imperator, & quid apud se etiam sine his ministris agat. Renuntiant oculi cordi alba & nigra; renuntiant aures eidem cordi canora & dissona; renuntiant nares eidem cordi odora & putentia; renuntiat gustus eidem cordi amara & dulcia: renuntiat tactus eidem cordi lenia & aspera: renuntiat & sibi ipsum cor justa & injusta. Cor tuum & videt & audit, & cetera sensibilia dijudicat; & quò non adspirant corporis sensus, justa & injusta, mala & bona discernit. Ostende mihi oculos, aures, nares cordis tui. Diversa sunt quæ ad cor tuum referuntur, & diversa ibi membra non inveniuntur. In carne tua alibi audis, alibi vides: in corde tuo ibi audis, ubi vides. Si hoc imago, quantò potentiùs ille cujus imago? Ergo & audit Filius, & videt Filius, & ipsa visio & auditio Filius: & hoc est illi audire quod esse, & hoc est illi videre quod esse. Tibi non hoc est videre quod esse: quia & si perdas visum, potes esse; & si perdas auditum, potes esse.

11. Putamusne pulsavimus? Erectum est aliquid in nobis quo vel tenuiter suspicemur, unde lumen veniat nobis? Puto, Fratres, quia cùm loquimur ista, & cùm meditamur, exercemus nos. Et cùm exercemus nos in ipsis, & rursus quasi reflectimur pondere nostro ad ista consueta, tales sumus quales lippientes, cùm producuntur ad videndum lumen, si fortè antea visum omnino non habebant, & incipiunt eumdem visum per diligentiam medicorum utcumque reparare. Et cùm probare vult medicus quantum salutis eis accesserit, tentat eis ostendere quod videre desiderabant, & non poterant cùm cæci essent: & redeunte jam utcumque acie oculorum, producuntur ad lucem: & cùm viderint, fulgore ipso reverberantur quodammodo, & respondent medico demonstranti, Jam jam vidi, sed videre non possum. Quid ergo facit medicus? Revocat ad solita, & addit collyrium, ut ad illud quod visum est, & videri non potuit, desiderium nutriat, & ex ipso desiderio curetur plenius; & si qua mordacia reparandæ sanitati adhibentur, fortiter ferat, ut amore illius lucis accensus dicat sibi, Quando erit ut illud firmis oculis videam, quod sauciis infirmisque non potui? Urget medicum, & rogat ut curet. Ergo, Fratres, si fortè tale aliquid factum est in cordibus vestris, si utcumque erexistis cor vestrum ad videndum Verbum, & ipsius luce reverberati ad solita recidistis; rogate medicum ut adhibeat collyria mordacia, præcepta justitiæ. Est quod videas, sed non est unde videas. Non mihi antea credebas, quia est quod videas: duce quadam ratione adductus es, propinquasti, intendisti, palpitasti, refugisti. Scis certè esse quod videas, sed idoneum non te esse qui videas. Ergo curare. Quæ sunt collyria? Noli mentiri, noli perjurare, noli adulterare, noli furari, noli fraudare. Sed consuesti, & cum aliquo dolore à consuetudine revocaris: hoc est quod mordet, sed sanat. Nam dico tibi liberiùs, ex timore & meo & tuo: Si curari destiteris, & esse idoneus ad perfruendum hac luce neglexeris, valetudine oculorum tuorum; tenebras amabis; & amando tenebras, in tenebris remanebis; & remanendo in tenebris, etiam in tenebras exteriores projicieris: ibi erit fletus & stridor dentium. Si nihil in te faciebat amor lucis; faciat timor doloris. *Matth. 22. 13.*

12. Sufficienter me locutum arbitror, & lectionem tamen Evangelicam non finivi: si dicam reliqua, onerabo vos, & timeo ne etiam quod haustum est effundatur: sufficiant ergo ista Caritati Vestræ. Debitores sumus, non nunc, sed semper quamdiu vivimus: quia propter vos vivimus. Verumtamen vitam nostram istam infirmam, laboriosam, periculosam, in hoc mundo consolamini bene vivendo: nolite nos contristare & adterere malis moribus vestris. Cùm enim offendimur malâ vitâ vestrâ, si refugiamus à vobis, & separemus nos à vobis, & ad vos non accedamus; nonne conqueremini, & dicetis: Et si languebamus, curaretis; & si infirmabamur, visitaretis? Ecce curamus, ecce visitamus: sed non nobis fiat quomodo audistis ab Apostolo, Timeo ne sine caussa laboraverim in [b] vos. *Galat. 4. 11.*

[a] Lov. *ad Dominum citò*: omisso *est*, quod ceteri codices habent. [b] Lov. *in vobis*. Editi alij & MSS. *in vos*: juxta Græcum.

* TRACTATUS XIX.

* Habitus die proximo ante Tractat. subseq.

Ab eo quod scriptum est, Non potest à se Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: *usque ad id*, Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

1. SERMONE pristino quantum nostrum movit affectum & intelligendi pauperta-
Johan. 5. 19. tem, locuti sumus, ex occasione verborum Evangelicorum, ubi scriptum est, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, quid sit videre Filij, hoc est, videre Verbi, quia Filius Verbum: & quia per Verbum facta sunt omnia, quomodo possit intelligi quod videat Filius primò Patrem facientem, tunc demum & ipse faciat quæ facta conspexerit; cùm Pater nihil nisi
Johan. 1. 3. per Filium fecerit. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Non tamen explicatum aliquid diximus: sed quia nec explicatum aliquid intelleximus. Aliquando quippe sermo deficit, ubi etiam intellectus proficit: quantò magis sermo patitur defectionem, quando intellectus non habet perfectionem? Nunc itaque, quantum Dominus donat, breviter percurramus lectionem, & vel hodie expleamus debitum pensum. Si quid fortè remanserit vel temporis vel virium, retractabimus, si potuerimus, (quantum & à nobis & apud vos fieri potest,) quid sit videre Verbi, quid demonstrari Verbo. Omnia quippe dicta sunt hîc, quæ si intelligantur secundùm humanum sensum carnaliter, nihil aliud nobis facit anima plena phantasmatis, nisi quasdam imagines velut duorum hominum Patris & Filij, unius ostendentis, alterius videntis; unius loquentis, alterius audientis: quæ omnia idola cordis sunt: quæ si jam dejecta sunt de templis suis, quantò magis dejicienda sunt de pectoribus Christianis?

Johan. 5. 19. 2. *Non potest*, inquit, *Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Verum est hoc, tenete hoc: dum tamen non amittatis quod in ip-
Johan. 1. 1. &c. sius Evangelij exordio tenuistis, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & præcipuè quia omnia per ipsum facta sunt. Quod nunc enim audistis, conjungite illi auditui, & utrumque concordet in cordibus vestris. Sic itaque *non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, ut tamen Pater ea quæ facit non faciat nisi per Filium, quia Filius est ejus Verbum: & in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus
Johan. 5. v. 19. erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt. *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit:* non alia, sed hæc: nec dissimiliter, sed similiter.

v. 20. 3. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Ad hoc quod suprà dixit, *nisi quod viderit Patrem facientem*, videtur pertinere & quod *omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Sed si Pater demonstrat quæ facit; nec Filius potest facere nisi Pater demonstraverit, Paterque demonstrare non potest nisi fecerit; consequens erit ut non per Filium faciat omnia Pater: porrò si fixum atque inconcussum tenemus, quia per Filium omnia Pater facit, antequam faciat, demonstrat Filio. Nam si Pater cùm fecerit, demonstrat Filio, ut Filius demonstrata faciat, quæ demonstrata jam facta sunt; aliquid procul dubio Pater sine Filio facit. Sed non facit Pater aliquid sine Filio, quia Filius Dei Verbum Dei est, & omnia per ipsum facta sunt. Remanet igitur fortasse, ut quæ Pater facturus est, demonstret faciendo, ut per Filium sint facta. Nam si Filius ea facit, quæ Pater facta demonstrat; ea quæ Pater facta demonstrat, non utique per Filium fecit. Monstrari enim non possent Filio nisi facta: facere Filius non posset, nisi monstrata: ergo sine Filio facta? Sed verum est, Omnia per ipsum facta sunt: ergo antequam facta, monstrata sunt. Sed hoc diximus differendum esse, quò redeundum sit percursa lectione, si, ut diximus, aliquid vel temporis vel virium nobis remanserit, ad ea quæ distulimus retractanda.

4. Amplius audite & difficilius: *Et majora his*, inquit, *demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Majora his*: quibus majora? Facilè occurrit, iis quas modò audistis, curationibus languorum corporalium. De isto enim qui triginta & octo annos habebat in infirmitate, & Christi verbo sanatus est, nata est hujus occasio tota sermonis: & propter hoc Dominus dicere potuit, *Majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.* Sunt enim opera majora quàm ista, & demonstrabit ea Pater Filio. Non demonstravit, tamquam de præterito; sed *demonstrabit*, de futuro, hoc est, demonstraturus est. Rursus difficilis oritur quæstio. Est enim aliquid apud Patrem quod Filio nondum demonstratum sit? Est aliquid apud Patrem quod adhuc latebat Filium, quando ista Filius loquebatur? Si enim *demonstrabit*, hoc est, demonstraturus est; nondum demonstravit: & Filio tunc demonstraturus est, quando & istis: sequitur enim, *ut vos miremini.* Et hoc difficile est videre, quomodo tamquam temporaliter Filio coæterno aliqua demonstrat æternus Pater, omnia scienti quæ sunt apud Patrem.

5. Quæ sunt tamen illa majora? Hoc enim fortè facile est intelligere. *Sicut enim Pater*, inquit, *v. 21.* *suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius quos vult vivificat.* Majora ergo sunt opera mortuos suscitare, quàm languidos sanare. Sed *sicut suscitat Pater mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* Alios ergo Pater, alios Filius? Sed omnia per ipsum: ipsos itaque Filius, quos & Pater: quia non alia, nec aliter; sed *hæc & Filius similiter facit.* Ita planè intelligendum est, & ita tenendum: sed mementote quia *Filius quos vult vivificat.* Tenete hîc ergo non solùm potestatem Filij, verùm etiam voluntatem. Et Filius quos vult vivificat, & Pater quos vult vivificat; & ipsos Filius quos & Pater: ac per hoc eadem Patris & Filij & potestas est & voluntas. Quid est ergo quod sequitur? * *Ne-* *v. 22.* *que enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio*, * *ut omnes honorificent Filium*, *v. 23.* *sicut honorificant Patrem:* quod ita subjunxit, tamquam rationem reddens superioris sententiæ. Multùm moveret, intenti estote. Filius quos vult vivificat, Pater quos vult vivificat: Filius suscitat mortuos, sicut Pater suscitat mortuos. *Neque enim Pater judicat quemquam.* Si in judicio suscitandi sunt mortui, quomodo Pater suscitat mortuos, si non judicat quemquam? *Omne* quippe *judicium dedit Filio.* In illo autem judicio suscitantur mortui; & resurgunt alij ad vitam, alij ad pœnam: quod totum si Filius facit, Pater autem ideo non facit, quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, contrarium videbitur ei quod dictum est, *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* Simul ergo suscitant. Si simul

suscitant, simul vivificant. Simul ergo judicant: quomodo itaque verum est, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio?* Moveant interim propositæ quæstiones, præstabit Dominus ut solutæ delectent. Ita est, Fratres, omnis quæstio nisi intentum fecerit proposita, non delectabit exposita. Sequatur ergo ipse Dominus, ne fortè in iis quæ subnectit, aperiat se aliquantùm. Subtexit enim nubilo lucem suam: & difficile est
Eccli. 24.6. aquilæ more volare super omnem nebulam qua tegitur omnis terra, & videre in verbis Domini sinceriſſimam lucem. Ne fortè ergo calore radiorum suorum discutiat caliginem nostram, & aliquantùm se in consequentibus aperire dignetur, dilatis istis sequentia videamus.

Johan. 5. 23. 6. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Hoc verum est & planum est. *Omne* quippe *judicium dedit Filio*, sicut suprà dixit, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Quid si inveniuntur qui Patrem honorificant, & non honorificant Filium? Non potest, inquit, fieri: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Non potest ergo dicere aliquis, Ego Patrem honorificabam, quia Filium non noveram. Si nondum Filium honorificabas, nec Patrem honorificabas. Quid est enim honorificare Patrem, nisi quod habeat Filium? Aliud est enim cùm tibi commendatur Deus, quia Deus est; & aliud est cùm tibi commendatur Deus, quia Pater est. Cùm tibi quia Deus est commendatur, creator tibi commendatur, omnipotens tibi commendatur, spiritus quidam summus, æternus, invisibilis, incommutabilis tibi commendatur: cùm verò tibi quia Pater est commendatur, nihil tibi aliud quàm & Filius commendatur; quia Pater dici non potest, si Filium non habet; sicut nec Filius, si Patrem non habet. Sed ne fortè Patrem quidem honorifices tamquam majorem, Filium verò tamquam minorem, ut dicas mihi, Honorifico Patrem, scio enim quòd habeat Filium, & non erro in Patris nomine, non enim Patrem intelligo sine Filio; honorifico tamen & Filium tamquam minorem: corrigit te ipse Filius, & revocat te dicens, *ut omnes honorificent Filium*, non inferiùs, sed *sicut honorificant Patrem. Qui* ergo *non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Ego, inquis, majorem honorem volo dare Patri, minorem Filio. Ibi tollis honorem Patri, ubi minorem das Filio. Quid enim aliud tibi videtur ita sentienti, nisi quia Pater æqualem sibi Filium generare aut noluit, aut non potuit? Si noluit, invidit: si non potuit, defecit. Non ergo vides, quia ita sentiendo ubi majorem honorem vis dare Patri, ibi es contumeliosus in Patrem? Proinde sic honorifica Filium, quomodo honorificas Patrem, si vis honorificare & Patrem & Filium.

v. 24. 7. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam; & in judicium non venit, sed transit*, non nunc transit, sed jam *transit à morte in vitam.* Et hoc adtendite, *Qui verbum meum audit:* & non dixit, credit mihi; sed, *credit ei qui me misit.* Verbum ergo Filij audiat, ut Patri credat. Quare verbum audit tuum, & credit alteri? Nonne cùm verbum alicujus audimus, eidem verbum proferenti credimus, loquenti nobis fidem accommodamus? Quid ergo voluit dicere, *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me:* nisi quia verbum ejus est in me? Et quid est, *audit verbum meum*, nisi audit me? *Credit* autem *ei qui misit me:* quia cùm illi credit, verbo ejus credit: cùm autem verbo ejus credit, mihi credit; quia Verbum Patris ego sum. Pax ergo in Scripturis, & omnia disposita, nequaquam rixantia. Tu abjice litem cordis tui, intellige concordiam Scripturarum. Numquid contraria sibi diceret veritas?

8. *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam; & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam.* Meministis quod superiùs posueramus, quia *sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* Incipit jam aperire se, & loqui de resurrectione mortuorum, & ecce jam resurgunt mortui. *Qui enim verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet.* Proba quia resurrexit. Sed *transit*, inquit, *à morte in vitam.* Qui transiit à morte ad vitam, nullo dubitante utique resurrexit. Non enim transiret de morte ad vitam, nisi primò esset in morte, & non esset in vita: cùm autem transierit, erit in vita, & non erit in morte. Mortuus ergo erat, & revixit; perierat, & Luc. 15. 32. inventus est. Fit proinde jam quædam resurrectio, & transeunt homines à morte quadam ad quamdam vitam; à morte infidelitatis, ad vitam fidei; à morte falsitatis, ad vitam veritatis; à morte iniquitatis, ad vitam justitiæ. Est ergo & ista quædam resurrectio mortuorum.

9. Aperiat illam pleniùs, & diluceſcat nobis, ut cœpit. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est.* Nos exspectabamus in fine resurrectionem Johan. 5. 25. mortuorum, nam ita credidimus: immo non exspectabamus, sed planè exspectare debemus; neque enim falsum credimus in fine mortuos resurrecturos. Cùm ergo vellet Dominus Jesus insinuare nobis quamdam resurrectionem mortuorum ante resurrectionem mortuorum; non sicut Lazari, vel Johan. 11. filij illius viduæ, vel filiæ archisynagogi, qui resur- 43. Luc. 7. 14. rexerunt morituri: (nam & ipsorum mortuorum Marc. 5. 41. quædam resurrectio facta est ante resurrectionem mortuorum:) sed sicut hîc dicit, *Habet*, inquit, *vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte ad vitam.* Ad quam vitam? ad æternam. Non ergo sicut corpus Lazari: transiit enim & ille à morte sepulcri ad vitam hominum, sed non æternam, iterum morituras; resurrecturi autem in fine sæculi mortui, in vitam æternam transibunt. Cùm ergo vellet Dominus noster Jesus Christus, magister cælestis, Verbum Patris & veritas demonstrare nobis quamdam resurrectionem mortuorum in æternam vitam, ante resurrectionem mortuorum in æternam vitam: *Venit hora*, inquit. Tu procul dubio imbutus fide resurrectionis carnis, exspectabas horam illam finis sæculi, diem judicij, quam ne in isto loco exspectares, addidit, *& nunc est.* Quod ergo dicit, *Venit hora*, non dicit de illa hora novissima, ubi in jussu & in voce Archangeli, & in 1. Thess. 4. tuba Dei Dominus ipse descendet de cælo, & mor- 15. & 16. tui in Christo resurgent primò: deinde nos viventes qui reliqui sumus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, & ita semper cum Domino erimus. Veniet illa hora, sed non est nunc. Hora verò ista quæ sit, advertite: *Venit hora, & nunc est.* Quid in ea fit? quid nisi resurrectio mortuorum? Et qualis resurrectio? ut qui resurgunt, in æternum vivant. Hoc erit & in novissima hora.

10. Quid igitur? quomodo intelligimus duas istas resurrectiones? Numquid fortè qui nunc resurgunt, tunc non resurgent, ut aliorum fiat nunc resurrectio, aliorum tunc? Non est ita. Nam ista resurrectione, si rectè credidimus, resurreximus; & nos ipsi qui jam resurreximus, alteram in fine resurrectionem exspectamus. Sed & nunc in æternam vitam resurreximus, si in fide ipsa perseveranter manemus; & tunc in æternam vitam resurgemus, quando Angelis coæquabimur. Ipse ergo distinguat, ipse aperiat quod loqui ausi sumus: quomodo fiat resurrectio ante resurrectionem, non aliorum & aliorum, sed eorumdem: nec talis qualis Lazari, sed in vitam æternam. Aperiet planè. Audite dilucescentem magistrum, & illabentem cordibus nostris solem nostrum; non quem desiderant oculi carnis, sed cui æstuant aperiri oculi cordis. Ipsum ergo audiamus: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui*, videte exprimi resurrectionem, *quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent.* Quare addidit, *qui audierint vivent?* Possent enim audire nisi viverent? Sufficeret ergo, *Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei.* Jam nos intelligeremus viventes eos; quando nisi viverent, audire non possent. Non, inquit, quia vivunt audiunt, sed audiendo reviviscunt: *audient, & qui audierint vivent.* Quid est ergo, *audient*, nisi obaudient? Quantum enim pertinet ad auris auditum, non omnes qui audient vivent: multi enim audiunt & non credunt; audiendo & non credendo non obaudiunt; non obaudiendo non vivunt. Itaque hîc, *qui audient*, nihil est aliud quàm qui obaudient. Qui ergo obaudierint, vivent: certi sint, securi sint, vivent. Prædicatur Christus Verbum Dei, Filius Dei, per
* *f.* certæ. quem facta sunt omnia, * certè dispensationis gratiâ assumta carne natus ex virgine, infans in carne, juvenis in carne, patiens in carne, moriens in carne, resurgens in carne, adscendens in carne, promittens resurrectionem carni, promittens resurrectionem menti, menti ante carnem, carni post mentem. Qui audit & obaudit, vivet: qui audit & non obaudit, id est, audit & contemnit, audit & non credit, non vivet. Quare non vivet? quia non audit. Quid est, non audit? non obaudit. Ergo *qui audierint, vivent.*

11. Adtende nunc quod dixeramus differendum, ut nunc si fieri potuerit aperiatur. Subjecit
Johan. 5. 26. continuò de hac ipsa resurrectione, *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Quid est, *habet vitam Pater in semetipso?* Non alibi habet vitam, sed in semetipso. Vivere quippe suum in illo est: non aliunde, non alienum est: non quasi mutuatur vitam, nec quasi participes sit vitæ, ejus vitæ quæ non est quod ipse: sed *habet vitam in semetipso*, ut ipsa vita sibi sit ipse. Si potuero adhuc modicum quid inde dicere, exemplis propositis ad intelligentiam vestram informandam, Domino adjuvante potero, & pietate intentionis vestræ. Vivit Deus, vivit & anima: sed vita Dei immutabilis est, vita animæ mutabilis est. Deus nec proficit, nec deficit, sed est ipse semper in se, est ita ut est: non aliter nunc, aliter postea, aliter antea. Animæ verò vita, valde aliter atque aliter: vivebat stulta, vivit sapiens; vivebat iniqua, vivit justa: nunc meminit, nunc oblivisciturnunc discit, nunc discere non potest; nunc perdit quod didicerat, nunc percipit quod amiserat. mutabilis vita animæ. Et cùm vivit anima in iniquitate, mors ejus est: cùm autem fit justa, fit particeps alterius vitæ, quæ non est quod ipsa: erigendo se quippe ad Deum & inhærendo Deo, ex illo justificatur. Dictum est enim, Credenti in eum qui justificat impium, deputatur Rom. 4. 5. fides ejus ad justitiam. Deficiendo ab illo fit iniqua, proficiendo ad illum fit justa. Nonne videtur tibi quasi aliquid frigidum igni admotum fervescere, remotum ab igne torpescere? Nonne videtur tibi quiddam tenebrosum, admotum luci clarescere, remotum à luce nigrescere? Tale quiddam est anima, non tale aliquid Deus. Potest & homo dicere, habere se lucem nunc in oculis suis. Dicant ergo quasi quadam voce propria oculi tui si possunt, Habemus lucem in nobis ipsis. Contrà dicitur, Non propriè dicitis, habere vos lucem in vobis ipsis: habetis lucem, sed in cælo: habetis lucem si fortè nox est, sed in luna, in lucernis, non in vobis ipsis: nam clausi amittitis, quod aperti percipitis: non in vobis ipsis habetis lucem: sole occidente tenete lucem, si potestis: nox est, & lumine nocturno perfruimini; subductâ lucernâ tenete lucem: cùm verò subtractâ lucernâ in tenebris remanetis, non lucem in vobis ipsis habetis. Hoc est ergo habere lucem in semetipso, non indigere luce ex altero. Ecce ubi, si quis intelligat, ostendit Filium æqualem Patri, ubi ait, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso:* ut hoc solum interfit inter Patrem & Filium, quia Pater habet vitam in semetipso, quam nemo ei dedit; Filius autem habet vitam in semetipso, quam Pater dedit.

12. Sed etiam hîc oritur aliquod nubilum discutiendum. Non deficiamus, intenti simus: pascua mentis sunt, non fastidiamus, ut vivamus. Ecce, inquis, fateris ipse quòd vitam Filio Pater dedit, ut habeat eam quidem in semetipso, sicut habet Pater vitam in semetipso, non indigens ille, non indigeat & iste; ut sit ille vita, sit & iste; & utrumque conjunctum una vita, non duæ; quia unus Deus, non duo dij: & hoc ipsum sit esse vitam. Quomodo ergo dedit Filio vitam Pater? Non sic quasi antè fuerit Filius sine vita, atque ut viveret à Patre acceperit vitam: nam si hoc esset, non haberet vitam in semetipso. Ecce de anima loquebar. Est anima: etsi non sit sapiens, etsi non sit justa, anima est; etsi non sit pia, anima est. Aliud illi ergo est esse animam, aliud verò esse sapientem, esse justam, esse piam. Est ergo aliquid quo nondum est sapiens, nondum justa, nondum pia, non tamen nihil est, non tamen nulla vita est: nam ex operibus quibusdam suis ostendit se vitam, etsi non se ostendit sapientem, piam, justam. Nisi enim viveret, corpus non moveret, pedibus gressum, manibus opus, oculis intuitum, auribus auditum non imperaret, non aperiret os ad vocem, linguam ad distinctionem vocum non moveret. His itaque operibus vivere se ostendit, & esse aliquid quod sit corpore melius: sed numquid his peribus, sapientem, piam, justam se ostendit? Nonne ambulant, operantur, vident, audiunt, loquuntur & stulti, & impij, & injusti? Cùm verò se erigit ad aliquid quod ipsa non est, & quod supra ipsam est, & à quo ipsa est, percipit sapientiam, justitiam, pietatem: sine quibus cùm esset, mortua erat, nec vitam habebat qua ipsa viveret, sed qua corpus vivificaret. Aliud est enim in anima unde corpus vivificatur, aliud unde ipsa vivificatur. Melius quippe est quàm corpus: sed melius quàm ipsa est Deus. Est ergo ipsa, etiamsi sit insipiens injusta impia, vita corporis. Quia verò vita ejus est Deus, quomodo cùm ipsa est in corpore, præstat illi

vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: sic cùm vita ejus Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatem, justitiam, caritatem. Aliud est ergo quod præstatur corpori de anima; aliud quod præstatur animæ de Deo: Vivificat, & vivificatur: mortua vivificat, si ipsa non vivificatur. Veniente itaque verbo & infuso audientibus, factisque illis non solùm audientibus, sed etiam obedientibus, resurgit anima à morte sua ad vitam suam, hoc est, ab iniquitate, ab insipientia, ab impietate ad Deum suum, qui est illi sapientia, justitia, cla- *Psal. 33. 5.* ritas. Surgat ad illum, illuminetur ab illo. Accedite, inquit, ad eum. Et quid nobis erit? & illuminamini. Si ergo accedendo illuminamini, & recedendo tenebramini; non erat in vobis lumen vestrum, sed in Deo vestro. Accedite, ut resurgatis: si receseritis, moriemini. Si ergo accedendo vivitis, recedendo morimini; non erat in vobis vita vestra. Ipsa est enim vita vestra, quæ est lux vestra. *Psal. 35 10.* Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

13. Non ergo sicut anima aliquid aliud est antequam illuminetur, & fit melius cùm illuminatur participatione melioris, ita & Verbum Dei, Filius Dei, aliquid aliud erat antequam acciperet vitam, ut participando habeat vitam: sed vitam habet in semetipso; ac per hoc ipse est ipsa vita. Quid ergo ait? *Dedit Filio vitam habere in semetipso?* Breviter dixerim, Genuit Filium. Neque enim erat sine vita, & accepit vitam: sed nascendo vita est. Pater vita est non nascendo: Filius vita est nascendo. Pater de nullo patre, Filius de Deo Patre. Pater quod est, à nullo est: quod autem Pater est, propter Filium est. Filius verò & quod Filius est, propter Patrem est; & quod est, à Patre est. Hoc ergo dixit, *Vitam dedit Filio, ut haberet eam in semetipso:* tamquam diceret, Pater qui est vita in semetipso, genuit Filium qui esset vita in semetipso. Pro eo enim quod est genuit, voluit intelligi *dedit.* Tamquam si cuiquam diceremus, Dedit tibi Deus esse. Cui dedit? Si alicui jam existenti dedit esse, non ei dedit esse: quia erat, antequam ei daretur, qui posset accipere. Cùm ergo audis, Dedit tibi esse, non eras qui acciperes, & existendo accepisti ut esses. Dedit structor domui huic ut esset. Sed quid ei dedit? ut domus esset. Cui dedit? huic domui. Quid ei dedit? ut domus esset. Quomodo potuit dare domui ut domus esset? Etenim si domus erat: cui daret, ut domus esset, quando jam domus erat? Quid est ergo, Dedit ei ut domus esset? fecit ut domus esset. Quid ergo Filio dedit? dedit ei ut Filius esset, genuit ut vita esset: hoc est, *Dedit ei habere vitam in semetipso*, ut esset vita non egens vitâ, ne participando intelligatur habere vitam. Si enim participando haberet vitam, posset & amittendo esse sine vita: hoc in Filio ne accipias, ne cogites, ne credas. Manet ergo Pater vita, manet & Filius vita: Pater vita in semetipso, non à Filio: Filius vita in semetipso, sed à Patre. A Patre genitus ut esset vita in semetipso: Pater verò non genitus vita in semetipso. Nec minorem Filium genuit, qui crescendo fieret æqualis. Non enim ad sui perfectionem adjutus est tempore, per quem perfectum creata sunt tempora. Ante omnia tempora Patri coæternus est. Non enim umquam Pater sine Filio: æternus autem Pater est: ergo coæternus & Filius. Quid tu anima? Mortua eras, amiseras vitam, audi Patrem per Filium. Surge, recipe vitam: ut in eo recipias vitam quam non habes in te, qui habet vitam in semetipso. Vivificat ergo te Pater, & Filius: & agitur prima resurrectio, quando resurgis ad participandam vitam quod tu non es, & participando efficeris vivens. Resurge à morte tua in vitam tuam, qui est Deus tuus; & transi à morte in vitam æternam. Habet enim vitam æternam Pater in semetipso: & nisi Filium talem generaret, qui haberet vitam in semetipso, non sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vellet vivificaret.

14. Quid ergo de illa resurrectione corporis? Nam isti qui audiunt & vivunt, unde nisi audiendo vivunt? Amicus enim sponsi stat, & audit eum, & *Iohan. 3. 29.* gaudio gaudet propter vocem sponsi, non propter vocem suam: hoc est, participando, non exsistendo audiunt & vivunt: & omnes qui audiunt vivunt; quia omnes qui obediunt vivunt. Dic aliquid Domine etiam de resurrectione carnis. Fuerunt enim qui eam negarent, & dicerent quia ista sola est resurrectio, quæ fit per fidem. Cujus resurrectionis modò Dominus fecit commemorationem, & inflammavit nos, quia [a] quidam *mortui audient vocem Filij Dei, & vivent.* Non eorum qui audierint *Iohan. 5 25.* alij morientur, & alij vivent: sed omnes *qui audierint vivent*, quia omnes qui obedierint vivent. Ecce videmus resurrectionem mentis: non ergo amittamus fidem de resurrectione carnis. Et nisi tu Domine Jesu dixeris eam, quem opponemus contradictoribus? Omnes enim sectæ, quæ se [b] aliquam religionem hominibus inferere præsumserunt, non negaverunt istam mentium resurrectionem: ne diceretur eis, Si non resurgit anima, quare mihi loqueris? quid in me facere vis? si non facis ex deteriore meliorem, quare loqueris? si non facis ex iniquo justum, quare loqueris? si autem facis ex iniquo justum, ex impio pium, ex stulto sapientem; fateris resurgere animam meam, si tibi obtemperavero, si tibi credidero. Volentes ergo sibi credi omnes qui instituerunt alicujus etiam falsæ religionis sectam, negare istam mentium resurrectionem non potuerunt, omnes de illa consenserunt: sed multi carnis resurrectionem negaverunt, dixerunt in fide jam factam esse resurrectionem. Talibus resistit Apostolus, dicens, Ex quibus est Hymenæus & Phi- *2. Tim. 2.* letus, qui circa veritatem aberraverunt, dicentes « *17.* resurrectionem jam factam esse, & fidem quorum- «
dam subvertunt. Jam factam esse resurrectionem «
dicebant, sed eo modo ut alia non speraretur: & reprehendebant homines qui sperabant resurrectionem carnis, velut jam resurrectio quæ promissa erat, credendo impleretur in mente. Reprehendit eos Apostolus. Cur eos reprehendit? Nonne hoc dicebant quod modò Dominus loquebatur, *Venit* *Iohan. 5. 25.* *hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent?* Sed de vita mentium loquor adhuc, ait tibi Jesus: nondum loquor de vita corporum; sed loquor de vita vitæ corporum, id est, de animarum, in quibus est vita corporum: nam scio esse corpora in monumentis jacentia, scio & corpora vestra in monumentis futura; nondum de illa resurrectione loquor: de ista loquor, in ista resurgite, ne ad pœnam in illa resurgatis. Sed ut noveritis, quia de illa loquor, quid addo? *Sicut enim* *v. 26.* *habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Hæc vita quòd Pater est, quòd Filius est, ad quid pertinet? ad animam, an

[a] In quatuor MSS. *quidem.*

[b] Sic MSS. At editi, *se aliqua religione inferere.*

ad corpus? Non enim vitam illam sapientiæ sentit corpus, sed mens rationalis. Nam nec omnis anima potest sentire sapientiam. Habet enim & pecus animam: sed pecoris anima non potest sentire sapientiam. Ergo anima humana potest sentire istam vitam, quam habet Pater in semetipso, & dedit Filio vitam habere in semetipso: quia illud est verum lumen quod illuminat, non omnem animam, sed omnem hominem venientem in hunc mundum. Cùm ergo ipsi menti loquor, audiat, id est, obediat, & vivat.

15. Noli itaque Domine tacere de resurrectione carnis; ne non eam credant homines, & remaneamus nos argumentatores, non prædicatores. Ergo *sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Intelligant qui audiunt, credant ut intelligant, obediant ut vivant. Audiant adhuc aliud, ne hîc finitam esse resurre-
v. 27. ctionem putent. *Et dedit ei potestatem & judicium facere.* Quis? Pater. Cui dedit? Filio. Cui enim dedit habere vitam in semetipso, potestatem dedit ei & judicium facere. *Quia filius hominis est.* Iste enim Christus, & Filius Dei & filius hominis est. In
Iohan. 1. 1. &c. principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Ecce quomodo dedit ei vitam habere in semetipso. Sed quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, ex virgine Maria homo factus, filius hominis est. Proinde quia filius hominis est, quid accepit? potestatem & judicium facere. Quod judicium? in fine sæculi: & ibi erit resurrectio mortuorum, sed corporum. Animas ergo suscitat Deus, per Christum Filium Dei: corpora suscitat Deus, per eumdem Christum filium hominis. *Dedit ei potestatem.* Hanc potestatem non haberet nisi acciperet, & esset homo sine potestate.
Filius Dei & filius hominis una persona. Sed ipse est filius hominis, qui & Filius Dei. Hærendo enim ad unitatem personæ filius hominis Filio Dei, facta est una persona, eademque Filius Dei, quæ & filius hominis. Quid autem propter quid habeat, dignoscendum est. Filius hominis habet animam, habet corpus. Filius Dei, quod est Verbum Dei, habet hominem, tamquam anima corpus. Sicut anima habens corpus, non facit duas personas, sed unum hominem: sic Verbum habens hominem, non facit duas personas, sed unum Christum. Quid est homo? Anima rationalis habens corpus. Quid est Christus? Verbum Dei habens hominem. Video de quibus rebus loquar, & quis loquar, & quibus loquar.

16. Nunc audite de resurrectione corporum, non me, sed Dominum locuturum, propter eos qui resurrexerunt surgendo à morte, inhærendo vitæ. Cui vitæ? quæ non novit mortem. Quare non novit mortem? quia nescit mutabilitatem. Quare nescit mutabilitatem? quia vita est in semet-
Iohan. 5 v. 27. ipso. *Et potestatem dedit ei & judicium facere, quia filius hominis est.* Quod judicium, quale judicium?
v. 28. *Nolite mirari hoc*, quia dixi, *dedit ei potestatem & judicium facere. Quia venit hora.* Non addidit, *& nunc est*: ergo horam quamdam vult insinuare in fine sæculi. Hora nunc est ut resurgant mortui, hora erit in fine sæculi ut resurgant mortui: sed resurgant nunc in mente, tunc in carne: resurgant nunc in mente per Verbum Dei Filium Dei, resurgant tunc in carne per Verbum Dei carnem factum, filium hominis. Neque enim ad judicium vivorum & mortuorum Pater ipse venturus est: nec tamen recedit à Filio Pater. Quomodo ergo non ipse ventu-
Iohan. 19 37. rus est? quia non ipse videbitur in judicio? Videbunt in quem pupugerunt. Forma illa erit judex, quæ sterit sub judice: illa judicabit quæ judicata est: judicata est enim iniquè, judicabit justè. Veniet ergo forma servi, & ipsa apparebit. Etenim forma Dei quomodo appareret justis & iniquis? Nam si judicium non fieret nisi inter solos justos, appareret tamquam justis forma Dei: quia verò judicium futurum est justorum & iniquorum, nec
Matth. 5. 8. licet ut iniqui videant Deum; Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt: talis apparebit judex, qualis videri possit & ab eis quos coronaturus est, & ab eis quos damnaturus est. Forma ergo servi videbitur, occulta erit forma Dei. Occultus erit in servo Filius Dei, & apparebit filius hominis: quia *potestatem dedit ei & judicium facere, quia filius hominis est.* Et quia ipse solus apparebit in forma servi, Pater autem non apparebit, quia non est indutus formâ servi; ideo superiùs ait, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Bene ergo dilatum est, ut ipse esset expositor qui propositor. Superiùs enim occultum erat: nunc jam, ut arbitror, manifestum est, quia *dedit ei potestatem & judicium facere*, quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio*: quia judicium per illam formam futurum est, quam non habet Pater. Et quale judicium? *Nolite mirari hoc; quia venit hora*: non ea quæ nunc est, ut resurgant animæ: sed quæ futura est, ut resurgant corpora.

17. Expressiùs hoc dicat, ut calumniam hæreticus negator resurrectionis corporis non inveniat: quamquam jam intellectus elucescat. Cùm superiùs dictum esset, *Venit hora*; addidit, *& nunc est*: modò autem, *Venit hora*; non addidit, *& nunc est.* Tamen omnes ansas, omnes claviculas calumniarum, omnes nodos laqueorum aperta veritate disrumpat. *Nolite mirari hoc; quia venit hora, in qua* *Iohan. 5. 28.* *omnes qui in monumentis sunt.* Quid evidentius? quid expressius? Corpora sunt in monumentis: animæ non sunt in monumentis, nec justorum, nec iniquorum. Justi anima in sinu Abrahæ fuit, iniqui anima apud inferos torquebatur: in monumento, nec illa, nec illa. Superiùs quando ait, *Venit hora, & nunc est*: obsecro intendite. Nostis Fratres, quia ad panem ventris cum labore pervenitur, quantò magis ad panem mentis? Cum labore statis, & auditis; sed nos cum majore stamus, & loquimur. Si laboramus propter vos, collaborare non debetis propter eosdem vos? Superiùs ergo cùm diceret, *Venit hora*, & adderet, *& nunc est*, quid subjecit? *quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent.* Non dixit, Omnes mortui audient, & qui audierint vivent: mortuos enim iniquos voluerit intelligi. Et numquid omnes iniqui obaudiunt Evangelio? Apertè dicit Apostolus, Sed non omnes obaudiunt Evangelio. Tamen qui *Rom. 10. 16.* audiunt, vivent: quia omnes qui obaudiunt Evangelio, transient ad vitam æternam per fidem: non tamen omnes obaudiunt, & hoc nunc est. At verò in fine, *omnes qui sunt in monumentis*, hoc est justi & injusti, *audient vocem ejus*, * *& procedent.* Quo- *v. 29.* modo noluit dicere, *& vivent?* Omnes enim procedent, sed non omnes vivent. In eo quippe quod suprà dixit, *Et qui audierint vivent*: in ipsa obauditione vitam æternam intelligi voluit & beatam, quam non omnes habebunt qui de monumentis

dixit, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Hîc erigit cervicem hæretica vanitas, eorum scilicet qui dicunt Filium minorem esse quàm Patrem, minoris potestatis, majestatis, possibilitatis, non intelligentes mysterium verborum Christi. Adtendat autem Caritas Vestra, & videte quemadmodum in carnali suo intellectu modò turbentur in ipsis verbis Christi. Hoc autem paulò antè prælocutus sum, quia OMNIA PERVERSA CORDA perturbat, sicut pia corda exercet verbum Dei, maximè quod per Johannem Evangelistam dicitur. Alta enim per illum dicuntur, non qualiacumque, non quæ facilè intelligantur. Ecce jam hæreticus si fortè audit verba ista, erigit se, & dicit nobis: Ecce minor est Filius quàm Pater, ecce audi verba Filij, qui dicit, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Exspecta, quemadmodum scriptum est, Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas. Puta enim me conturbatum esse his verbis, quoniam dico æqualem potestatem majestatemque esse Patris & Filij, cùm audivi, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Turbatus his verbis quæro abs te, qui jam tibi videris intellexisse: Novimus in Evangelio Filium ambulasse super mare, ubi Patrem vidit ambulasse super mare? Hîc jam ille turbatur. Pone ergo quod intellexeras, & simul quæramus. Quid ergo facimus? Verba Domini audivimus, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ambulavit ipse super mare, Pater numquam ambulavit super mare. Certè *non facit Filius quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.*

Arianos revincit.

Eccli. 5. 13.

Matth. 14. 25.

6. Redi ergo mecum ad id quod dicebam, ne fortè sic intelligendum sit, ut de quæstione ambo exeamus. Nam ego secundùm fidem catholicam video quomodo exeam sine offensione, sine scandalo: tu autem circumclusus, quæris quà exeas. Quà intraveras vide. Fortè non intellexisti & hoc quod dixi, Quà intraveras vide: ipsum audi dicentem, Ego sum janua. Non sine caussa ergo quæris quà exeas, & non invenis, nisi quia non per januam intrasti, sed per maceriam cecidisti. Ergo quemadmodum potes, à ruina tua collige te, & intra per januam, ut sine offensione intres, & sine errore exeas. Per Christum veni, nec ex corde tuo afferas quod dicas: sed quod ille ostendit, hoc loquere. Ecce fides catholica quemadmodum exit de ista propositione: Ambulavit Filius super mare, pedes carnis fluctibus imposuit: caro ambulabat, & divinitas gubernabat: quando ergo caro ambulabat & divinitas gubernabat, Pater absens erat? Si absens erat, quomodo ipse Filius dicit, Pater autem in me manens, ipse facit opera sua? Si ergo Pater in Filio manens, ipse facit opera sua; ambulatio illa carnis supra mare, à Patre fiebat, per Filium fiebat. Ergo illa ambulatio opus est Patris & Filij inseparabile. Utrumque ibi operantem video: nec Pater filium deseruit, nec Filius à Patre discessit. Ita quidquid facit Filius, non facit sine Patre: quia quidquid facit Pater, non facit sine Filio.

Iohan. 10. 7.

Iohan. 14. 10.

7. Exitum est hinc. Videte quia rectè nos dicimus inseparabilia esse opera Patris & Filij & Spiritus-sancti. Nam quomodo tu intelligis, ecce fecit Deus lucem, & vidit Filius Patrem facientem lucem, secundùm carnalem intellectum tuum, qui ideo vis minorem intelligere, quia dixit, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Fecit Deus Pater lucem, quam lucem aliam fecit Filius? Fecit Deus Pater firmamentum, cælum inter aquas & aquas, vidit eum Filius secundùm intelligentiam tuam tardam & grossam: quia vidit Filius Patrem facientem firmamentum, & dixit, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, da mihi alterum firmamentum. An tu amisisti fundamentum? Superædificati autem supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo lapide angulari existente Christo Jesu, pacantur in Christo; nec contendunt & errant in hæresi. Intelligimus ergo lucem factam à Deo Patre, sed per Filium; firmamentum factum à Deo Patre, sed per Filium. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Excute intelligentiam tuam; nec intelligentiam vocandam, sed planè stultitiam. Deus Pater fecit mundum: quem fecit Filius alterum mundum? da mihi mundum Filij. Iste in quo sumus, cujus est? dic nobis, à quo factus est? Si dixeris, à Filio, non à Patre; errasti à Patre: si dixeris, à Patre, non à Filio; respondet tibi Evangelium, Et mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit. Agnosce ergo eum per quem factus est mundus, & noli esse inter illos, qui eum qui fecit mundum non cognoverunt.

Ephes. 2. 20.

Iohan. 1. 3.

Ibidem 10.

8. Inseparabilia sunt ergo opera Patris & Filij. Sed hoc est, *Non potest Filius à se quidquam facere*, quod esset si diceret, Non est Filius à se. Etenim si Filius est, natus est: si natus est, ab illo est de quo natus est. Sed tamen æqualem sibi genuit. Non enim defuit aliquid generanti, aut tempus quæsivit ut generaret, qui genuit coæternum; aut matrem quæsivit ut generaret, qui de se protulit Verbum; aut Pater generans ætate præcesserat Filium, ut minorem Filium generaret. Et fortè dicit aliquis, quia post multa sæcula in senecta sua Deus suscepit Filium. Sicut Pater sine senectute, sic & Filius sine incremento: nec ille senuit, nec ille crevit: sed æqualis æqualem genuit, æternus æternum. Quomodo, inquit aliquis, æternus æternum? Quomodo flamma temporalis generat lucem temporalem. Coæva est autem flamma generans luci quam generat, nec præcedit tempore flamma generans lucem generatam: sed ex quo incipit flamma, ex illo incipit lux. Da mihi flammam sine luce, & do tibi Deum Patrem sine Filio. Hoc est ergo, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: quia videre Filij, hoc est natum esse de Patre. Non alia visio ejus & alia substantia ejus: nec alia potentia ejus, alia substantia ejus. Totum quod est, de Patre est: totum quod potest, de Patre est: quoniam quod potest & est, hoc unum est; & de Patre totum est.

9. Sequitur & ipse in verbis suis, & malè intelligentes conturbat, ut ad rectum intellectum revocet errantes. Cùm dixisset, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: ne fortè carnalis subreperet intellectus, & averteret mentem, & faceret sibi homo quasi duos fabros, unum magistrum, alterum discipulum quasi adtendentem ad magistrum, verbi gratiâ, facientem arcam; ut quomodo ille fecit arcam, faciat & iste alteram arcam secundùm visionem quam inspexit in magistro operante. Sed ne tale aliquid sibi duplicaret in illa simplici divinitate intellectus carnalis, secutus ait, *Quæcumque enim Pater facit,* Iohan. 5. 19.

hæc eadem & Filius facit similiter. Non facit Pater alia, & alia Filius similia, sed eadem similiter. Non enim ait, Quæcumque facit Pater, facit & Filius alia similia: sed, *Quæcumque*, inquit, *Pater facit, hæc eadem & Filius facit similiter.* Quæ ille, hæc & ipse: mundum Pater, mundum Filius, mundum Spiritus-sanctus. Si tres dij, tres mundi: si unus Deus Pater & Filius & Spiritus-sanctus, unus mundus factus est à Patre per Filium in Spiritu-sancto. Hæc ergo facit Filius, quæ facit & Pater, & non dissimiliter facit: & hæc facit, & similiter facit.

10. Jam dixerat, *hæc facit*: quare addidit, *similiter facit*? Ne alius pravus intellectus vel error in animo nasceretur. Vides enim hominis opus, animus est in homine & corpus: animus imperat corpori, sed multum interest inter corpus & animum: corpus visibile est, animus invisibilis: inter potentiam virtutemque animi, & cujusvis licèt cælestis corporis multum interest. Imperat tamen animus corpori suo, & facit corpus: & quod videtur animus facere, hoc facit & corpus. Videtur ergo corpus hoc idem facere quod animus, sed non similiter. Quomodo hoc idem facit, sed non similiter? Facit animus verbum apud se, jubet linguæ, & profert verbum quod fecit animus: fecit animus, fecit & lingua; fecit dominus corporis, fecit & servus: sed ut faceret servus, à domino accepit quod faceret, & jubente domino fecit. Hoc idem ab utroque factum est: sed numquid similiter? Quomodo non similiter, ait aliquis? Ecce verbum quod fecit animus meus, manet in me: quod fecit lingua mea, percusso aëre transiit, & non est. Cùm dixeris verbum in animo tuo, & sonuerit per linguam tuam, redi ad animum tuum, & vide quia ibi est verbum quod fecisti. Numquid sicut mansit in animo tuo, mansit in lingua tua? Quod sonuit per linguam tuam, fecit lingua sonans, fecit animus cogitans: sed quod sonuit lingua, transiit; quod cogitavit animus, permanet. Hoc ergo fecit corpus, quod fecit animus, sed non similiter. Fecit enim animus quod teneat animus: fecit autem lingua quod sonat, & per aërem aurem verberat. Numquid sequeris syllabas, & facis ut maneant. Non ergo sic Pater & Filius: sed hæc eadem facit, & similiter facit. Si fecit Deus cælum quod manet: hoc fecit Filius cælum quod manet. Si fecit Deus Pater hominem qui moritur, eumdem Filius hominem fecit qui moritur. Quæcumque fecit Pater stantia, hæc fecit & Filius stantia; quia similiter fecit: & quæcumque fecit Pater temporalia, hæc eadem fecit Filius temporalia; quia non solùm ipsa fecit, sed & similiter fecit. Pater enim fecit per Filium, quia per Verbum fecit Pater omnia.

11. Quære in Patre & Filio separationem, non invenis: sed si assurrexisti, tunc non invenis: si aliquid supra mentem tuam tetigisti, tunc non invenis. Nam si in his versaris, quæ sibi errans animus facit; cum imaginibus tuis loqueris, non cum Verbo Dei: fallunt te imagines tuæ. Transcende & corpus, & sæpe animum: transcende & animum, & sæpe Deum. Non tangis Deum, nisi & animum transieris: quantò minùs tangis, si in carne manseris? Illi ergo qui sapiunt carnem, quàm longè sunt à sapiendo quod Deus est: quia non ibi essent, etiam si animum saperent. Recedit homo multùm à Deo quando sapit carnaliter, & multum interest inter carnem & animum: plus tamen interest inter animum & Deum. Tu si in animo es, in medio es: si infrà adtendis, corpus est: si suprà adtendis, Deus est. Adtolle te à corpore, transi etiam te. Vide enim quid dixit Psalmus, & admoneris quemadmodum sapiendus sit Deus: Factæ sunt, inquit, mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, cùm dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus. Tamquam pagani dicant, Ecce dij nostri, Deus vester ubi est? Ostendunt enim illi quod videtur: nos colimus quod non videtur. Et cui ostendamus? homini qui non habet unde videat? Nam utique si ipsi deos suos vident oculis: habemus & nos alios oculos, unde videamus Deum nostrum. Ipsi oculi mundandi sunt à Deo nostro, ut videamus Deum nostrum: Beati enim mundo corde; quia ipsi Deum videbunt. Ergo cùm se conturbatum dixisset, cùm dicitur illi quotidie, Ubi est Deus tuus: Hæc memoratus sum, inquit, quia dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus: & quasi volens adprehendere Deum suum, Hæc memoratus sum, inquit, & effudi super me animam meam. Ut ergo adtingerem Deum meum, de quo mihi dicebatur, Ubi est Deus tuus, non effudi animam meam super carnem meam, sed super me: transcendi me, ut illum tangerem. Ille enim est super me, qui fecit me: nemo eum adtingit, nisi qui transierit se.

Psal. 42. 4.

Matth. 5. 8.

Psal. 41. 5.

12. Cogita corpus, mortale est, terrenum est, fragile est, corruptibile est: abjice. Sed fortè caro temporalis est? Alia corpora cogita, cælestia corpora cogita; majora, meliora, splendida sunt: adtende & ipsa, volvuntur ab Oriente ad Occidentem, non stant; videntur oculis, non solùm ab homine, sed etiam à pecore: transi & ipsa. Et quomodo, inquies, transeo cælestia corpora, cùm ambulo in terra? Non carne transis, sed mente. Abjice & ipsa: quamvis luceant, corpora sunt; quamvis de cælo fulgeant, corpora sunt. Veni, quoniam fortè non te putas habere quò eas, cùm consideras ista omnia. Et ultra cælestia corpora quò iturus sum, inquis, & quid mente transiturus sum? Considerasti ista omnia? Consideravi, inquis. Unde considerasti? Ipse considerator apparet. Ipse enim considerator istorum omnium, discriminator, distinctor & quodammodo appensor in libra sapientiæ, animus est. Sine dubio melior est animus quo ista omnia cogitasti, quàm ista omnia quæ cogitasti. Animus ergo iste spiritus est, non corpus: transi & ipsum. Compara ipsum animum primò, ut videas quò transeas; compara illum carni. Absit, ne digneris comparare. Compara illum fulgori solis, lunæ, stellarum: major fulgor est animi. Primò celeritatem animi ipsius vide. Vide si non vehementior scintilla est animi cogitantis, quàm splendor solis lucentis. Solem orientem tu vides animo: motus ipsius quàm tardus est ad animum tuum? Citò tu potuisti cogitare quod facturus est sol. Ab Oriente ad Occidentem venturus est, jam ex alia parte cras oritur. Ubi hoc fecit cogitatio tua, adhuc ille tardus est, & tu omnia peragrasti. Magna ergo res est animus. Sed quomodo dico, est? Transi & ipsum: quia & ipse animus mutabilis est, quamvis melior sit omni corpore. Modò novit, modò non novit: modò obliviscitur, modò recordatur: modò vult, modò non vult: modò peccat, modò justus est. Transi ergo omnem mutabilitatem: non solùm omne quod videtur, sed & omne quod mutatur. Transisti enim carnem quæ videtur, transisti cælum, solem, lunam, & stellas

quæ videntur : transi & omne quod mutatur. Jam A enim istis transactis veneras ad animum tuum, sed & ibi invenisti mutabilitatem animi tui. Numquid mutabilis est Deus? Transi ergo & animum tuum. Effunde super te animam tuam, ut contingas Deum, de quo tibi dicitur, Ubi est Deus tuus?

13. Ne putes te aliquid facturum quod homo non possit. Hoc fecit ipse Johannes Evangelista. Transcendit carnem, transcendit terram quam calcabat, transcendit maria quæ videbat, transcendit aërem ubi alites volitant, transcendit so- B lem, transcendit lunam, transcendit stellas, transcendit omnes spiritus qui non videntur, transcendit mentem suam[a] ipsa ratione animi sui. Transcendens ista omnia, super se effundens animam suam, *Johan. 1. 1.* quò pervenit? Quid vidit? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Si ergo separationem non vides in luce, quid separationem quæris in opere? Vide Deum, vide Verbum ejus[b] inhærere Verbo dicenti: quia ipse dicens non syllabis dicit; sed splendore sapientiæ fulgere, hoc C est dicere. Quid dictum est de sapientia ipsius? *Sap. 7. 26.* Candor est lucis æternæ. Adtende candorem solis. In cælo est, & expandit candorem per terras omnes, per maria omnia: & utique corporalis lux est. Si separas candorem solis à sole, separa Verbum à Patre. De sole loquor. Lucernæ una flammula tenuis, quæ uno flatu possit exstingui, spargit lucem suam super cuncta quæ subjacent. Vides lucem sparsam à flammula generatam, emissionem vides, separationem non vides. Intelligite ergo Fratres D Carissimi, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum inseparabiliter sibi cohærere, Trinitatem hanc unum Deum; & omnia opera unius Dei, hæc esse Patris, hæc esse Filij, hæc esse Spiritus-sancti. Cetera quæ consequuntur, quæ pertinent ad sermonem ipsius Domini nostri Jesu Christi in Evangelio, quoniam & crastino die sermo debetur vobis, adestote ut audiatis.

a

b

*TRACTATUS XXI.

*Habitus die proximo post superiorem Tractatum.

E

Ab eo quod scriptum est, Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit: *usque ad id*, Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.

1. HESTERNO die quantum Dominus donare dignatus est, qua potuimus facultate tractavimus, & qua potuimus capacitate intellexímus, quomodo inseparabilia sunt F opera Patris & Filij; nec alia facit Pater, alia Filius, sed omnia Pater facit per Filium, tamquam *Johan. 1. 3.* per Verbum suum, de quo scriptum est, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sequentia verba hodie videamus, & ab eodem Domino ejus misericordiam & deprecemur, & speremus, ut primùm si dignum ipse judicat, intelligamus quod verum est: si autem hoc non potuerimus, non eamus in illud quod falsum est. Melius est enim nescire, quàm errare: sed scire est melius G quàm nescire. Itaque ante omnia conari debemus ut sciamus: si potuerimus, Deo gratias: si autem non potuerimus interim pervenire ad veritatem, non eamus ad falsitatem. Quid enim simus, & quid tractemus, considerare debemus. Homines sumus carnem portantes, in hac vita ambulantes: & si jam de semine verbi Dei renati, tamen ita in Christo innovati, ut nondum penitus ab Adam exspoliati. Quod enim nostrum mortale & corruptibile *Sap. 9. 15.* aggravat animam, ex Adam esse apparet, & manifestum est: quod autem nostrum spiritale sublevat animam, de Dei dono & de misericordia ejus, qui Unicum suum misit communicare nobiscum mortem nostram, & ducere nos ad immortalitatem suam. Hunc habemus magistrum, ut non peccemus; & defensorem, si peccaverimus & confessi atque conversi fuerimus; & interpellatorem pro nobis, si quid boni à Domino desideraverimus; & datorem cum Patre, quia Deus unus est Pater & Filius. Sed loquebatur ista homo hominibus; Deus occultus, homo manifestus, ut manifestos homines faceret deos; & Filius Dei, factus hominis filius, ut hominum filios faceret filios Dei. Qua hoc arte sapientiæ suæ faciat, in ejus verbis agnoscimus. Loquitur enim parvulis parvus: sed ipse ita parvus ut & magnus; nos autem parvi, sed in illo magni: loquitur ergo tamquam fovens & nutriens lactentes, & amando crescentes.

2. Dixerat, *Non potest Filius à se facere quidquam,* *Johan. 5. 19.* *nisi quod viderit Patrem facientem.* Intelleximus autem quia non seorsum aliquid Pater facit, quod cùm viderit Filius, faciat & ipse aliquid tale inspecto opere Patris sui; sed quòd dixit, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, quia de Patre est totus Filius, & tota substantia & potentia ejus ex illo est qui genuit eum. Modò autem cùm dixisset, se hæc facere similiter quæ facit Pater, ut non intelligamus alia facere Patrem, alia Filium, sed simili potentiâ facere Filium eadem ipsa quæ Pater facit, cùm Pater facit per Filium; secutus ait quod hodie lectum audivimus, *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ* *v. 20.* *ipse facit.* Rursus mortalis cogitatio perturbatur. Demonstrat Pater Filio quæ ipse facit: ergo, ait aliquis, seorsum Pater facit, ut possit Filius videre quod facit. Rursus occurrunt humanæ cogitationi tamquam artifices duo, velut si faber doceat filium suum artem suam, & demonstret ei quidquid facit, ut possit etiam ipse facere, *Omnia*, inquit, *demonstrat ei quæ ipse facit.* Cùm ergo Pater facit, Filius non facit, ut possit videre Filius quod Pater facit? Certè omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso fa- *Johan. 1. 3.* ctum est nihil. Hinc videmus quemadmodum Pater demonstrat Filio quod facit; cùm Pater nihil faciat, nisi quod per Filium facit. Quid fecit Pater? mundum. Itane factum mundum demonstravit Filio, ut & ipse tale aliquid faceret? Detur ergo mundus nobis quem fecit & Filius. Sed, & omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & mundus per eum factus est. Si factus per eum est *Ibidem 10.* mundus, & omnia per ipsum facta sunt, & nihil facit Pater quod non per Filium faciat: ubi demonstrat Filio Pater quod facit, nisi in ipso Filio per quem facit? Quis enim locus ubi demonstretur opus Patris Filio, quasi extrà faciat & extrà sedeat, & Filius adtendat manum Patris quemadmodum faciat? Ubi est illa inseparabilis Trinitas? ubi est Verbum de quo dictum est, quòd ipse est Virtus & Sa- *1. Cor. 1. 24.* pientia Dei? ubi quod de ipsa Sapientia Scriptura dicit, Candor est enim lucis æternæ? ubi quod de *Sap. 7. 26.* illa iterum dicitur, Adtingit à fine usque ad finem *Sap. 8. 1.* fortiter, & disponit omnia suaviter? Si quid facit Pater, per Filium facit; si per sapientiam suam, &

a Unus codex, *ipsam rationem*: alius, *ipsamque rationem*.

b Sic MSS. At editi, *vide verbum ejus: inhare verbo dicenti.*

virtutem suam facit: non extrà illi ostendit quod A videat, sed in ipso illi ostendit quod facit.

3. Quid videt Pater, vel potiùs quid videt Filius in Patre ut faciat & ipse? Possim fortè dicere; sed da qui possit capere: aut fortè possim cogitare, nec dicere; aut fortè nec cogitare. Excedit enim nos illa divinitas tamquam Deus homines, tamquam immortalis mortales, tamquam æternus temporales. Inspiret & donet, de fonte illo vitæ nunc aliquid irrorare dignetur & distillare in sitim nostram, B ne in hac eremo arescamus. Dicamus ei, Domine, cui didicimus dicere, Pater. Audemus enim hoc, quia ipse voluit ut auderemus: si tamen sic vivamus, *Malach. 1. 6.* ut non nobis dicat, Si Pater sum, ubi est honor meus; si Dominus sum, ubi est timor meus? Dicamus ergo illi, Pater noster. Cui dicimus, Pater noster? Patri Christi. Qui ergo Patri Christi dicit, Pater noster, quid dicit Christo nisi, Frater noster? Non tamen sicut Christi Pater, ita & noster Pater: numquam enim Christus ita nos conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos & se. Ille enim C Filius æqualis Patri, ille æternus cum Patre, Patrique coæternus: nos autem facti per Filium, adoptati per Unicum. Proinde numquam auditum est de ore Domini nostri Jesu Christi, cùm ad discipulos loqueretur, dixisse illum de Deo summo Patre suo, Pater noster: sed, aut Pater meus dixit, aut Pater vester. Pater noster non dixit, usque adeo ut *Johan. 20. 17.* quodam loco poneret hæc duo: Vado ad Deum meum, inquit, & Deum vestrum. Quare non dixit, Deum nostrum? Et Patrem meum dixit, & D Patrem vestrum, non dixit Patrem nostrum. Sic jungit ut distinguat, sic distinguit ut non sejungat. Unum nos vult esse in se, unum autem Patrem & se.

4. Quantumcumque ergo intelligamus & quantumcumque videamus, etiam cùm Angelis æquati fuerimus, non videbimus sicut videt Filius. Nos enim & quando non videmus, sumus aliquid. Et quid aliud sumus quando non videmus, nisi non videntes? Sumus tamen vel non videntes; & ut videamus, convertimus nos ad eum quem videamus; & E fit in nobis visio quæ non erat, quando nos tamen eramus. Est enim homo non videns, & idem ipse cùm viderit, dicitur homo videns. Non ergo hoc est illi videre, quod esse hominem: nam si hoc illi esset videre quod esse hominem, numquam esset homo nisi videns. Cùm verò est homo non videns, & quærit videre quod non videt; est qui quærat, & est qui se convertat ut videat: & cùm se bene converterit & viderit, fit homo videns, qui priùs erat homo non videns. Videre ergo accedit illi, & rece- F dit ab illo: accedit illi cùm se converterit, recedit ab illo cùm se averterit. Numquid ita Filius? absit. Numquam fuit Filius non videns, & postea factus est videns: sed videre Patrem, hoc illi est esse Filium. Nos enim avertendo ad peccatum, amittimus illuminationem; & convertendo nos ad Deum, percipimus illuminationem. Aliud est enim lumen quo illuminamur, aliud nos qui illuminamur. Lumen autem ipsum quo illuminamur, nec avertitur a se, nec perdit[a] lucem, quia lux est. Sic ergo de- G monstrat Pater rem quam facit Filio, ut in Patre videat omnia Filius, & in Patre sit omnia Filius. Videndo enim natus est, & nascendo videt. Sed non aliquando non erat natus, & postea natus est; sicut non aliquando non vidit, & postea vidit: sed in eo quod est illi videre, in eo est illi esse, in eo est illi natum esse, in eo est illi permanere, in eo est illi non mutari, in eo est illi sine initio & sine fine persistere. Non ergo carnaliter accipiamus quia sedet Pater, & facit opus, & demonstrat Filio; & videt Filius opus quod Pater facit, & facit illud in alio loco, aut ex alia materia. Omnia enim per ipsum facta *Johan. 1. 3.* sunt, & sine ipso factum est nihil. Verbum Patris est Filius, nihil dixit Deus quod non dixit in Filio. Dicendo enim in Filio quod facturus erat per Filium, ipsum Filium genuit per quem faceret omnia.

5. *Et majora his demonstrabit ei opera, ut vos mire-* *Johan. 5. 20.* *mini.* Rursus hîc turbat. Et quis est qui dignè perscrutetur hoc tantum secretum? Sed jam quoniam nobis loqui dignatus est, ipse aperit. Neque enim vellet dicere quod nollet intelligi: quia dicere dignatus est, sine dubio excitavit audientiam: numquid quem excitavit ut audiret, excitatum deserit? Diximus ut potuimus, non temporaliter scire Filium, nec aliud esse Filij scientiam, aliud ipsum Filium; & aliud esse Filij visionem, & aliud ipsum Filium: sed ipsam visionem esse Filium, & ipsam scientiam vel sapientiam Patris esse Filium, eamque sapientiam & eam visionem æternam esse ab æterno, & ei à quo est coæternam; nec ibi per tempus aliquid variari; nec aliquid nasci quod non erat; nec aliquid perire quod erat. Diximus ut potuimus. Quid ergo hîc modò facit tempus, ut diceret, *majora his demonstrabit ei opera?* id est demonstraturus est, hoc est demonstrabit. Aliud est demonstravit, aliud est demonstrabit: demonstravit, de præterito dicimus; demonstrabit, de futuro dicimus. Quid ergo hîc agimus, Fratres? Ecce quem dixeramus Patri coæternum, nihil in illo variari per tempus, nihil moveri per spatia vel momentorum vel locorum, manere semper cum Patre videntem, videntem Patrem & videndo exsistentem, rursus nobis tempora nominans, *demonstrabit ei*, inquit, *his majora.* Ergo demonstraturus est adhuc aliquid Filio, quod non novit Filius? Quid ergo facimus? quomodo hoc intelligimus? Ecce Dominus noster Jesus Christus sursum erat, deorsum est. Quando sursum erat? Quando dixit, *Quæcumque facit Pater,* *v. 19.* *hæc eadem & Filius facit similiter.* Unde modò deorsum? *Majora his demonstrabit ei opera.* O Domine Jesu Christe, salvator noster, Verbum Dei per quod facta sunt omnia, quid tibi Pater demonstraturus est quod adhuc nescis? quid te latet Patris? quid te latet in Patre, quem non latet Pater? quæ opera tibi majora demonstraturus est? aut quibus operibus majora sunt quæ demonstraturus est? Cùm enim dixit, *majora his*, debemus priùs intelligere quibus majora.

6. Recordemur unde sermo iste processit. Quando curatus est ille qui triginta & octo annos habebat in infirmitate, & jussit eum salvum tollere grabatum suum, & ire in domum suam. Hinc enim Judæi commoti, cum quibus loquebatur: (loquebatur verbis, & tacebat intellectu; quodammodo innuebat intelligentibus, celabat irascentibus:) hinc ergo cùm essent commoti Judæi, quia hoc sabbato Dominus faceret, dederunt occasionem sermoni huic. Non ergo sic audiamus hæc tamquam obliti quæ suprà dicta sunt, sed respiciamus illum languidum triginta & octo annorum subitò factum sanum, admirantibus Judæis & irascentibus. Quærebant tenebras magis de sabbato, quàm lumen de miraculo. His ergo indignantibus loquens, ait hoc,

a In decem MSS. *nec perdit lucere.*

Majora his demonstrabit ei opera. His majora : quibus? Quod vidistis hominem factum sanum, cujus languor duraverat usque ad triginta & octo annos, his majora Pater demonstraturus est Filio. Quæ
v. 21. sunt majora? sequitur, & dicit: *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* Planè majora sunt ista. Valde enim plus est ut resurgat mortuus, quàm ut convalescat ægrotus. majora sunt ista. Sed quando ea Pater demonstraturus est Filio? Nescit enim ea Filius? & ille qui loquebatur, non noverat mortuos suscitare? adhuc habebat discere resuscitare mortuos, per quem facta sunt omnia? qui fecit ut viveremus, qui non eramus, adhuc habebat discere ut resuscitaremur? Quid est ergo quod vult dicere?

7. Descendit enim ad nos, & qui paulò antè loquebatur ut Deus, cœpit loqui ut homo. Ipse est tamen homo qui Deus, quia Deus factus est homo: sed factus quod non erat, non amittens quod erat. Ergo accessit homo Deo, ut esset homo qui erat Deus; non ut jam homo esset, & non esset
a Deus. Audiamus ergo eum & fratrem, [a] qui audiebamus conditorem: conditorem, quia Verbum in principio; fratrem, quia natum ex virgine Maria: conditorem ante Abraham, ante Adam, ante tetram, ante cælum, ante omnia corporalia & spiritalia; fratrem autem ex semine Abrahæ, ex tribu Juda, ex virgine Israëlitica. Si ergo novimus hunc, qui nobis loquitur, & Deum & hominem, intelligamus verba Dei & hominis: aliquando enim talia nobis dicit quę pertineant ad majestatem, aliquando quæ pertineant ad humilitatem. Ipse enim excelsus,
b qui [b] humilis ut nos humiles faciat excelsos. Quid ergo ait?
v. 20. *Demonstrabit mihi Pater his majora, ut vos miremini.* Ergo nobis est demonstraturus, non illi. Cùm ergo nobis sit demonstraturus Pater: propterea dixit, *ut vos miremini.* Expositum enim quod voluit dicere, *Demonstrabit mihi Pater.* Quare non dixit, Demonstrabit vobis Pater, sed Demonstrabit Filio? Quia & nos membra sumus Filij; & nos membra tamquam quod discimus, ipse discit quodammodo in membris suis. Quomodo discit in nobis? Quomodo patitur in nobis? Unde probamus quia patiAct. 9. 4. tur in nobis. Ex illa voce de cælo, Saule, Saule quid me persequeris? Nonne ipse est qui judex in fine sæculi residebit, & justos ad dexteram ponens,
Matth. 25. iniquos autem ad sinistram, dicturus est, Venite
34. &c. » benedicti Patris mei, percipite regnum, esurivi » enim & dedistis mihi manducare? cùmque illi respon» derint, Domine, quando te vidimus esurientem? dicturus est eis, Cùm uni ex minimis meis de» distis, mihi dedistis. Qui ergo dixit, Cùm uni ex minimis meis dedistis, mihi dedistis: & nunc interrogetur à nobis, & dicamus illi, Domine quando
c [c] eris discens, cùm tu doceas omnia? Statim enim nobis in fide nostra respondet, Cùm unus ex minimis meis discit, ego disco.

8. Ergo gratulemur & agamus gratias, non solùm nos Christianos factos esse, sed Christum. Intelligitis, Fratres, gratiam Dei super nos capitis? Admiramini, gaudete, Christus facti sumus. Si enim caput ille, nos membra; totus homo, ille & nos.
Ephes. 4. 14. Hoc est quod apostolus dicit Paulus, Ut ultrà jam non simus parvuli, jactati & circumdati omni vento
Ibidem 13. doctrinæ. Superiùs autem dixerat, Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & in agnitionem Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis « plenitudinis Christi. Plenitudo ergo Christi, caput « & membra. Quid est caput & membra? Christus & Ecclesia. Arrogaremus enim nobis hoc superbè, nisi ipse dignaretur hoc promittere, qui per Apostolum eumdem dicit, Vos autem estis corpus Chri- 1. Cor. 12. sti & membra. 27.

9. Cùm ergo ostendit Pater membris Christi, Christo ostendit. Fit quoddam miraculum magnum, sed tamen verum: ostenditur Christo quod noverat Christus, & ostenditur Christo per Christum. Res mira est & magna, sed Scriptura sic loquitur. Contradicturi sumus divinis eloquiis, & non potius intellecturi, & ex ipsius dono ei qui donavit gratias acturi? Quid est quod dixi, demonstratur Christo per Christum? Demonstratur membris per caput. Ecce vide illud in te: pone te clausis oculis velle aliquid tollere: nescit manus quò eat, & utique manus tua membrum tuum est, non enim cà corpore tuo separata est: aperi oculos, videt jam manus quò eat, demonstrante capite membrum secutum est. Si ergo in te potuit inveniri tale aliquid, ut corpus tuum ostenderet corpori tuo, & per corpus tuum demonstraretur aliquid corpori tuo: noli mirari quia dictum est, demonstratur Christo per Christum. Demonstrat enim caput ut membra videant, & docet caput ut membra discant: unus tamen homo caput & membra. Noluit se separare, sed dignatus est adglutinari. Longè à nobis erat, & multùm longè: quid tam longè, quàm conditum & Conditor? quid tam longè, quàm Deus & homo? quid tam longè, quàm justitia & iniquitas? quid tam longè, quàm æternitas & mortalitas? Ecce quàm longè erat Verbum in principio Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia. Quomodo ergo factus est propè, ut esset quod nos, & nos in illo? Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

10. Hoc ergo est nobis demonstraturus: hoc demonstravit discipulis suis, qui eum in carne viderunt. Quid est hoc? *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat: sic & Filius quos vult vivificat.* Aliosne Pater, aliosne Filius? Certè omnia per ipsum facta sunt. Quid dicimus Fratres mei? Lazarum suscitavit Christus: quem mortuum suscitavit Pater, ut videret Christus quemadmodum Lazarum suscitaret? An quando resuscitavit Lazarum Christus, non eum resuscitavit Pater, & sine Patre fecit Filius solus? Legite ipsam lectionem, & videte quia Patrem ibi invocat ut resurgat Lazarus. Sicut homo, invocat Patrem: sicut Deus, facit cum Patre. Ergo & Lazarus qui resurrexit, & à Patre & à Filio suscitatus est in dono & gratia Spiritus-sancti: & illud mirabile opus Trinitas fecit. Non ergo sic intelligamus, *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat*, ut alios à Patre resuscitari & vivificari, alios à filio existimemus: sed eosdem quos Pater suscitat & vivificat, ipsos & Filius suscitat & vivificat; quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et ut ostenderet habere se quamvis à Patre [d] datam, tamen parem potestatem, ideo ait, *Sic & Filius quos vult vivificat*, ut ostenderet ibi voluntatem suam: & ne quis diceret, Suscitat Pater mortuos per Filium, sed ille

Iohan. 5. 22.
Iohan. 11. 43.

d

a In duobus MSS. *quem.*
b Sic Bad. Am. Er. & 7. MSS. At Lov. *qui humiles facit excelsos.*
c Lov. *esuris.* & infrà, *Intelligitis, Fratres, gratiam Dei super nos? Capitis, admiramini* &c. Emendatur uterque locus ad editiones antiquiores & ad MSS.
d Ita MSS. quatuor. Alij plures cum editione Lov. omittunt, *datam*; habentque, *tamen apud Patrem potestatem.* At apud Am. Bad. & Er. legitur sic, *datam tamen Patris potestatem.*

tamquam potens, tamquam potestatem habens, iste tamquam ex aliena potestate, tamquam minister facit aliquid, sicut Angelus: potestatem significavit ubi ait, *Sic & Filius quos vult vivificat.* Non enim vult Pater aliud quàm Filius; sed sicut illis una substantia, sic & una voluntas est.

11. Et qui sunt isti mortui quos vivificat Pater
Iohan. 11. 43. & Filius? An ipsi sunt de quibus diximus, Lazarus,
Luca 7. 14. vel filius illius viduæ, vel filia archisynagogi? novi-
Luca 8. 54. mus enim istos à Christo Domino suscitatos. Aliud aliquid nobis vult insinuare, resurrectionem scilicet B mortuorum, quam omnes exspectamus: non illam quam quidam habuerunt ut crederent ceteri. Resurrexit enim Lazarus moriturus, resurgemus nos semper victuri. Talem resurrectionem Pater facit, an Filius? Immo verò Pater in Filio. Ergo Filius, & Pater in Filio. Unde probamus, quia de ista dicit resurrectione? Cùm dixisset, *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat:* ne intelligeremus illam mortuorum resurrectionem quam facit ad miraculum, non ad vitam C
Iohan. 5. 22. æternam, secutus ait, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Quid hoc est? De mortuorum resurrectione dicebat, quia *sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat:* unde continuò tamquam rationem subjecit de judicio, dicens, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio,* nisi quia de illa resurrectione mortuorum dixerat, quæ futura est in judicio?

12. *Neque enim,* ait, *Pater judicat quemquam,* D *sed omne judicium dedit Filio,* Paulò antè putabamus aliquid facere Patrem, quod non facit Filius; quando dicebat, *Pater enim diligit Filium & omnia demonstrat ei quæ ipse facit:* tamquam Pater faciebat, & Filius videbat. Sic erat subrepens menti nostræ intellectus carnalis, quasi Pater faceret quod Filius non faceret: Filius autem videret Patrem demonstrantem, quod fieret à Patre. Ergo velut Pater faciebat, quod Filius non faciebat: modò jam videmus aliquid facere Filium, quod non facit Pa- E ter. Quomodo nos versat, & mentem nostram pertractat, huc atque illuc ducit, uno carnis loco remanere non sinit, ut versando exerceat, exercendo mundet, mundando capaces reddat, capaces factos impleat. Quid de nobis faciunt verba hæc? quid loquebatur? quid loquitur? Paulò antè dicebat, quia demonstrat Filio Pater quidquid facit: videbam quasi Patrem facientem, Filium exspectantem: modò rursus video Filium facientem, Patrem vacantem: *Non enim Pater judicat quem- F quam, sed omne judicium dedit Filio.* Quando ergo Filius judicaturus est, Pater vacabit & non judicabit? Quid est hoc? quid intelligam? Domine quid dicis? Verbum Deus es, homo sum. Dicis quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio?* Lego alio loco te dicentem, Ego non
Iohan. 8. 15. & 50. judico quemquam, est qui quærat & judicet: de quo dicis, Est qui quærat & judicet, nisi de Patre? Ille quærit injurias tuas, ille judicat de injuriis tuis. Quomodo hîc *Pater non judicat quemquam, sed om- G ne judicium dedit Filio?* Interrogemus & Petrum,
1. Pet. 2. 21. audiamus eum loquentem in Epistola sua: Christus » pro nobis passus est, inquit, relinquens nobis exem» plum, ut sequamur vestigia ejus; qui peccatum » non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus; qui » cùm malediceretur, non remaledicebat, cùm in» juriam acciperet, non minabatur, sed commenda» bat illi qui justè judicat. Quomodo verum est quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio?* Turbamur hâc, turbati defudemus, desudantes purgemur. Conemur utcumque, donante ipso, penetrare alta secreta verborum istorum. Temere fortasse facimus, quia discutere & scrutari volumus verba Dei. Et quare dicta sunt, nisi ut sciantur? quare sonuerunt, nisi ut audiantur? quare audita sunt, nisi ut intelligantur? Confortet ergo nos, & donet nobis aliquid quantum ipse dig- B natur: & si nondum penetramus ad fontem, de rivulo bibamus. Ecce ipse Johannes nobis tamquam rivulus emanavit, perduxit ad nos de alto Verbum, humiliavit, & quodammodo stravit, ut non horreamus altum, sed accedamus ad humilem.

13. Omnino est quidam intellectus verus, fortis, si quo modo eum tenere possumus, quia *Pater* 4. Sent. dist. *non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Fi-* 48. cap. Sed *lio.* Hoc enim dictum est, quia hominibus in judi- cùm. cio non apparebit nisi Filius. Pater occultus erit, Filius manifestus. In quo erit Filius manifestus? in forma qua adscendit. Nam in forma Dei cum Patre occultus est, in forma servi hominibus manifestus. *Non* ergo *Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, sed manifestum: in quo manifesto judicio Filius judicabit, quia ipse judicandis apparebit. Evidentiùs nobis ostendit Scriptura, quia ipse apparebit. Quadragesimo die post resur- Act. 1. 3. rectionem suam adscendit in cælum, videntibus &c. discipulis suis: & vox illis angelica, Viri, inquit, « Galilæi, quid statis adspicientes in cælum? Iste « qui assumtus est à vobis in cælum, sic veniet quem- « admodum vidistis eum euntem in cælum. Quomo- « do eum videbant ire? In carne, quam tetigerunt, quam palpaverunt, cujus etiam cicatrices tangendo probaverunt, in illo corpore in quo cum eis intravit & exivit per quadraginta dies, manifestans se eis in veritate; non in aliqua falsitate: non phantasma, non umbra, non spiritus; sed quemadmodum ipse dixit non fallens, Palpate, & videte, quia Luca 24. 39. spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Est quidem illud jam corpus dignum cælesti habitatione, non subjacens morti, non mutabile per ætates. Non enim sicut ad illam ætatem ab infantia creverat, sic ab ætate quæ juventus erat, vergit in senectutem: manet sicut adscendit, venturus ad eos quibus antequam veniat, verbum suum voluit prædicari. Sic ergo veniet in forma humana: hanc videbunt & impij: videbunt & ad dexteram positi, videbunt & ad sinistram separati; sicut scriptum est, Videbunt in quem pupugerunt. Si vi- Iohan. 19. debunt in quem pupugerunt, corpus ipsum vide- 37. bunt, quod lanceâ percusserunt: lanceâ non per- Zach 12. 10. cutitur verbum: hoc ergo impij videre poterunt, quod & vulnerare potuerunt. Latentem Deum in corpore non videbunt: post judicium videbitur ab his qui ad dexteram erunt. Hoc est ergo quod ait, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio:* quia manifestus ad judicium veniet Filius, in humano corpore apparens hominibus, dicens dextris, Venite benedicti Patris mei, percipite re- Matth. 25. gnum: dicens sinistris, Ite in ignem æternum, qui « 34. &c. paratus est diabolo & angelis ejus. «

14. Ecce videbitur forma hominis à piis & impiis, à justis & ab injustis, à fidelibus & ab infidelibus, à gaudentibus & à plangentibus, à confisis & à confusis: ecce videbitur. Cùm visa fuerit illa forma in judicio, & fuerit peractum judicium, ubi

dictum est *Patrem non judicare quemquam, sed omne judicium dedisse Filio*, ob hoc, quia Filius apparebit in judicio in forma quam ex nobis accepit, quid postea futurum est? Quando videbitur forma Dei, quam sitiunt omnes fideles? quando videbitur illud quod erat in principio Verbum, Deus apud Deum, per quod facta sunt omnia? quando videbitur illa forma Dei, de qua dicit Apostolus, Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo? Magna enim illa forma ubi adhuc æqualitas Patris & Filij cognoscitur: ineffabilis, incomprehensibilis, maximè parvulis. Quando videbitur? Ecce ad dexteram sunt justi, ad sinistram sunt injusti: omnes pariter hominem vident, filium hominis vident, qui punctus est vident, qui crucifixus est vident, humiliatum vident, natum ex virgine vident, Agnum de tribu Juda vident: Verbum Deum apud Deum quando videbunt? Ipse erit & tunc, sed forma servi apparebit. Forma servi servis demonstrabitur: forma Dei filiis servabitur. Fiant ergo servi filij; qui sunt ad dexteram, eant in æternam hereditatem olim promissam, quam non videntes Martyres crediderunt, pro cujus promissione sanguinem suum sine dubitatione fuderunt: eant illuc & videant ibi. Quando illuc ibunt? dicat ipse Dominus: Sic ibunt illi in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam.

Philip. 2. 6.

Matth. 25. 46.

15. Ecce vitam æternam nominavit. Numquid hoc nobis dixit, quia ibi videbimus & cognoscemus Patrem & Filium? Quid si vivemus in æternum, sed illum Patrem & Filium non videbimus? Audi alio loco ubi vitam æternam nominavit, & expressit quid sit vita æterna. Noli timere, non te fallo: non sine caussa promisi dilectoribus meis dicens, Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me; & qui me diligit, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ostendam meipsum illi. Respondeamus Domino, & dicamus, Quid Domine Deus noster magnum, quid magnum? Nobis demonstraturus es teipsum? Quid enim, & Judæis te non demonstrasti? Non te viderunt & qui crucifixerunt? Sed demonstrabis te in judicio, cùm stabimus ad dexteram tuam: numquid & illi qui ad sinistram stabunt non te videbunt? Quid est quòd demonstrabis nobis teipsum? Nunc enim non te videmus cùm loqueris? Respondet, Demonstrabo meipsum in forma Dei, videtis modò formam servi. Non te fraudabo, ô homo fidelis, crede quia videbis. Amas, & non vides: amor ipse non te perducet ut videas? Ama, perseverа in amando: non fraudabo, inquit, amorem tuum, qui mundavi cor tuum. Ut quid enim mundavi cor tuum, nisi ut Deus à te possit videri? Beati enim mundo corde; quia ipsi Deum videbunt. Sed hoc, inquit servus tamquam cum Domino disputans, non expressisti cùm dixisti, Ibunt justi in vitam æternam: non dixisti, Ibunt ut videant me in forma Dei, videant Patrem cui æqualis sum. Alibi adtende quid dixit, Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

Johan. 17. 3.

Matth. 5. 8.

Johan. 17. 3.

16. Et[a] modò ergo post commemoratum judicium, quod omne dedit Filio Pater non judicans quemquam, quid futurum est? Quid sequitur? *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Judæis honorificatur Pater, contemnitur Filius. Filius enim videbatur ut servus, Pater honorificabatur ut Deus. Apparebit & Filius æqualis Patri, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Modò ergo hoc habemus in fide. Nec dicat Judæus, Patrem honorifico, quid mihi est cum Filio? Respondeat illi, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.* Mentiris omnino, Filium blasphemas, & Patri facis injuriam. Pater enim Filium misit, tu contemnis quem misit: quomodo honorificas mittentem, qui blasphemas missum?

Johan. 5. 23.

17. Ecce, inquit aliquis, missus est Filius: & major est Pater, quia misit. Recede à carne. Vetus homo suggerit [b] vetustatem, tu in novo agnosce novitatem. Novus tibi à sæculo antiquus, perpetuus, æternus, revocet ad hoc intellectum. Minor est Filius, quia missus dictus est Filius? Missionem audio, non separationem. Sed hoc, inquit, videmus in rebus humanis, quia major est qui mittit, quàm ille qui mittitur. Sed res humanæ fallunt hominem, res divinæ purgant. Noli adtendere ad res humanas, ubi major videtur qui mittit, & minor qui mittitur: quamquam & ipsæ res humanæ dicunt contra te testimonium. Velut verbi gratiâ, si quis uxorem velit petere, & per se non possit, amicum majorem mittit qui ei petat. Et sunt multa in quibus ipse major eligitur, qui mittatur à minore. Quid ergo jam calumniam vis facere, quia ille missus est? Sol radium mittit, & non separat; luna splendorem mittit, & non separat; lucerna lumen fundit, & non separat: video ibi missionem, & nullam video separationem. Nam si de rebus humanis quæris exempla, ô hæretica vanitas, quamquam, sicut paulò antè dixi, & ipsæ res humanæ in quibusdam exemplis coarguunt & convincunt te: tamen adtende quàm sit aliud in rebus humanis, unde vis ducere exempla ad res divinas. Homo qui mittit, manet ipse, & pergit ille qui mittitur: numquid pergit homo cum eo quem mittit? Pater autem qui misit Filium, non recessit à Filio. Ipsum Dominum audi dicentem, Ecce veniet hora, ut unusquisque discedat ad sua, & me solum relinquatis: sed non solus sum, quia Pater mecum est. Quomodo eum misit cum quo venit? quomodo eum misit à quo non recessit? Alio loco dixit, Pater autem in me manens facit opera sua. Ecce in illo est, ecce operatur. Non recessit à misso mittens, quia missus & mittens unum sunt.

Johan. 16. 32.

Johan. 14. 10.

*TRACTATUS XXII.

** Habitus die proximo post superiorem Tractatum.*

Ab eo quod scriptum est, Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam: *usque ad id*, Quòd non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit.

1. NUDIUSTERTIANI & hesterni diei sermones redditos vobis sequitur hodierna evangelica lectio, quam ex ordine pertractemus, non pro ejus dignitate, sed pro viribus nostris: quia & vos non pro inundantis fontis largitate, sed pro vestro modulo capitis. Et nos non tantum dicimus in aures vestras, quantum ipse

[a] MSS. plures, *Et quomodo ergo post.* Alij verò, *Et qiomodo? Ergo & post.*

[b] Sic tres MSS. Alij autem habent, *vetustate*: vel cum editis, *vetustati.* Paulò pòst in editis legitur, *novus tibi, sæculo antiquus*, absque præpositione, *à*, quæ tamen est in omnibus MSS. Denique infrà Lov. habet, *revocet ab hoc intellectu*: refragantibus editis aliis & MSS.

fons manat; sed quantum capere possumus, quod in vestros sensus trajiciamus, abundantiùs operante ipso in cordibus vestris, quàm nobis in auribus vestris. Res enim magna tractatur, & non à magnis, immo multùm parvis: spem tamen & fiduciam dat nobis, qui magnus propter nos factus est parvus. Si enim ab illo non exhortaremur, nec invitaremur ad eum intelligendum, sed desereret nos tamquam contemtibiles; quia capere non possumus divinitatem ipsius, si non caperet ipse mortalitatem nostram, & perveniret ad nos ut loqueretur nobis Evangelium; si quod in nobis abjectum & minimum est, noluisset communicare nobiscum; putaremus eum noluisse nobis dare magnum suum, qui susceperit parvum nostrum. Hæc dixi, ne quis vel nos reprehendat ista tractantes, quasi multùm audaces: vel de se desperet quòd possit capere donо Dei, quod illi dignatus est loqui Filius Dei. Ergo quod loqui nobis dignatus est, debemus credere, quia voluit ut intelligamus. Sed si non possumus, præstat intellectum rogatus, qui verbum præstitit non rogatus.

2. Ecce quæ verborum ista secreta sint, adtendite. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam.* Ad vitam certè æternam omnes tendimus: & ait, *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam.* Numquid ergo audire nos voluit verbum suum, & intelligere noluit? Quandoquidem si in audiendo & credendo vita æterna est, multò magis in intelligendo. Sed gradus pietatis est fides, fidei fructus intellectus, ut perveniamus ad vitam æternam, ubi non nobis legatur Evangelium; sed ille qui nobis modò Evangelium dispensavit, remotis omnibus lectionis paginis, & voce lectoris & tractatoris, appareat omnibus suis purgato corde adsistentibus, & in corpore immortali jam numquam morituris, mundans eos, & illuminans viventes, & videntes quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Nunc ergo qui sumus adtendamus, & quem audiamus cogitemus. Deus est Christus; & cum hominibus loquitur: capi se vult, faciat capaces: videri se vult, aperiat oculos. Non tamen sine caussa loquitur nobis, nisi quia verum est quod promittit nobis.

Johan 5.24.

3. *Verba mea*, inquit, *qui audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam, & in judicium non veniet, sed transit à morte ad vitam.* Ubi, quando venimus de morte ad vitam, ut non in judicium veniamus? In hac vita transitur à morte ad vitam: in hac vita quæ nondum est vita, hinc transitur à morte ad vitam. Qui est ille transitus? *Qui audit verba mea*, dixit, *& credit ei qui misit me.* Servans ista credis, & transis. Et est qui stando transit? Planè est: stat enim corpore, transit mente. Ubi erat, unde transiret, & quò transit? Transit à morte ad vitam. Vide unum hominem stantem, in quo agatur totum hoc quod dicitur. Stat, audit, fortè non credebat, audiendo credit: paulò antè non credebat, modò credit: quasi de regione infidelitatis ad regionem fidei transitum fecit, moto corde, non moto corpore, moto in melius: quia iterum qui deserunt fidem, moventur in deterius. Ecce in hac vita, quæ, sicut dixi, nondum est vita, transitur à morte ad vitam, ut in judicium non veniatur. Quare autem dixi, quia nondum est vita? Si vita esset ista, non diceret Dominus cuidam, Si vis venire ad vitam, serva mandata. Non enim ait illi, Si vis venire ad vitam, non addidit æternam, sed tantùm dixit, vitam. Ergo ista nec vita nominanda est, quia non est vera vita. Quæ est vera vita, nisi quæ est æterna vita? Audi Apostolum discentem ad Timotheum, Præcipe divitibus hujus sæculi, non superbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: bene faciant, divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent. Ut quid hoc? Audi quod sequitur: Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Si debent sibi thesaurizare fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam; profectò ista in qua erant, falsa vita est. Nam ut quid velis apprehendere veram, si jam tenes veram? Apprehendenda est vera? migrandum est à falsa. Et quà migrandum? quò? Audi, crede: & transitum facis à morte ad vitam, & in judicium non venis.

Matth. 19. 17.

Vera vita, quæ.

1. Tim. 6. 17. &c.

4. Quid est hoc, Et in judicium non venis? Et quis melior erit Paulo apostolo, qui ait, Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum? Paulus dicit, Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi: & tu tibi audes promittere, quia in judicium non venies? Absit, inquis, ut ego mihi hoc promittere audeam: sed credo promittenti. Salvator loquitur, Veritas pollicetur, ipse dixit mihi, *Qui audit verba mea, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam, & transitum facit de morte in vitam, & in judicium non veniet.* Ego ergo audivi verba Domini mei, credidi: jam infidelis cùm essem, factus sum fidelis: sicut me monuit, transij à morte ad vitam, ad judicium non venio; non præsumtione mea, sed ipsius promissione. Paulus autem contra Christum loquitur, servus contra Dominum, discipulus contra magistrum, homo contra Deum, ut cùm Dominus dicat, quia *qui audit & credit, transit à morte ad vitam, & in judicium non veniet*, dicat apostolus, Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi? Aut si ad judicium non venit, qui ad tribunal exhibetur; nescio quomodo intelligam.

2. Cor. 5. 10.

5. Revelat ergo Dominus Deus noster, & per Scripturas suas admonet nos, quomodo intelligatur, quando dicitur judicium. Hortor ergo ut adtendatis. Aliquando judicium pœna dicitur: aliquando judicium discriminatio dicitur. Secundùm illum modum quo dicitur judicium discriminatio, oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat homo quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum: ipsa est enim discriminatio, ut bonis bona, malis mala distribuantur. Nam si judicium semper in malo acciperetur, non diceret Psalmus, Judica me Deus. Audit fortè aliquis dicentem, Judica me Deus, & miratur. Solet enim homo dicere, Ignoscat mihi Deus, Parce mihi Deus: quis est qui dicat, Judica me Deus? Et aliquando in Psalmo versus ipse in diapsalmate ponitur, qui præbeatur à lectore, & respondeatur à populo. Non fortè alicui cor percutitur, & timet cantare Deo & dicere, Judica me Deus? Et tamen cantat populus credens, nec putat se malè optare quod didicit à divina lectione: & si parum intelligit, credit aliquid boni esse quod cantat. Et tamen & ipse Psalmus non dimisit hominem sine intellectu. Secutus enim, verbis posterioribus ostendit quale judicium diceret, quia non est damnationis, sed dis-

Judicium duplex, discretionis & damnationis.

Psal. 42. 1.

cretionis. Ait enim, Judica me Deus. Quid est, Judica me Deus? Et discerne causam meam à gente non sancta. Ergo secundùm hoc judicium discretionis, oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Secundùm judicium autem damnationis, *Qui audit verba mea*, inquit, *& credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet, sed transitum facit à morte ad vitam.* Quid est, *in judicium non veniet?* in damnationem non veniet. Probemus de Scripturis, quia dictum est judicium ubi pœna intelligitur: quamquam & in hac ipsa le-
Infrà n. 13. ctione paulò pòst audietis ipsum verbum judicij non positum nisi pro damnatione & pœna. Tamen Apostolus dicit quodam loco, scribens ad eos qui Corpus quod fideles nostis, malè tractabant; & propter quod malè tractabant, corripiebantur flagello Domini: ait enim illis, Propterea multi in
1. Cor. 11. 30. &c. vobis infirmi & ægroti dormiunt [a] sufficienter. Multi enim propterea etiam moriebantur. Et secutus est, Si enim nos ipsos judicaremus, à Domino non judicaremur: hoc est, si nos ipsos corriperemus, à Domino non corriperemur. Cùm judicamur autem, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Sunt ergo secundùm pœnam qui judicantur hîc, ut parcatur illis ibi: sunt quibus parcitur hîc, ut abundantiùs torqueantur ibi: sunt autem quibus distribuuntur ipsæ pœnæ sine flagello pœnæ, si flagello Dei correcti non fuerint; ut cùm hîc contemserint patrem verberantem, ibi sentiant judicem punientem. Ergo est judicium quo missurus est Deus, id est Filius Dei, in fine diabolum & angelos ejus, & omnes infideles & impios cum eo: ad hoc judicium non veniet, quì modò credens transitum facit à morte ad vitam.

6. Etenim ne putares credendo te non moriturum secundùm carnem, & accipiendo carnaliter diceres tibi, Dominus meus mihi dixit, *Qui audit verba mea, & credit ei qui misit me, transit à morte ad vitam:* ergo ego credidi, non sum moriturus. Scias te mortem quam debes supplicio Adam, persoluturum: accepit enim ille, in quo tunc omnes
Gen. 2. 17. fuimus, Morte morieris; nec potest evacuari divina sententia. Sed cùm persolveris mortem veteris hominis, suscipieris in vitam æternam novi hominis, & transitum facies à morte ad vitam. Modò interim fac transitum vitæ. Quæ est vita tua? Fides:
Habac. 2. 4. Rom. 1. 17. Justus ex fide vivit. Infideles quid? mortui sunt. Inter tales mortuos erat ille corpore, de quo dicit
Matth. 8. 22. Dominus, Dimitte mortuos, sepeliant mortuos suos. Ergo & in hac vita sunt mortui, sunt vivi, & quasi omnes vivunt. Qui sunt mortui? qui non crediderunt. Qui sunt vivi? qui crediderunt. Quid di-
Ephes. 5. 14. citur mortuis ab Apostolo? Surge qui dormis. Sed somnum, inquit, dixit, non mortem. Audi sequentia: Surge qui dormis, & exsurge à mortuis. Et quasi diceret, Quò ibo? Et illuminabit te Christus. Jam cùm te credentem illuminaverit Christus, transitum facis à morte ad vitam: mane in eo quò transisti, & non venies ad judicium.

Johan 5. 25. 7. Exponit illud jam ipse, & sequitur: *Amen, amen dico vobis.* Ne fortè quia dixit, *transit à morte ad vitam*, intelligamus hoc in futura resurrectione, ostendere volens quomodo transit qui credit; & hoc esse transire de morte ad vitam, transire ab infidelitate ad fidem, ab injustitia ad justitiam, à superbia ad humilitatem, ab odio ad caritatem: nunc ait, *Amen, amen dico vobis, quia* [b] *venit hora, & nunc est.* Quid evidentius? Jam certè aperuit quod dicebat, quia modò fit quò nos Christus hortatur. *Venit hora.* Quæ hora? *Et nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent.* Jam de his mortuis locuti sumus. Quid putamus, Fratres mei, in ista turba quæ me audit, nulline sunt mortui? Qui enim credunt & secundùm veràm fidem agunt, vivunt & mortui non sunt: qui autem vel non credunt, vel sicut dæmones credunt, tremen-
Jacobi 2. 19. tes & malè viventes, Filium Dei confitentes & caritatem non habentes, mortui potiùs deputandi sunt. Et tamen agitur adhuc hora ista. Non enim hora de qua locutus est Dominus, una erit hora de duodecim horis unius diei. Ex quo locutus est usque ad hoc tempus, & usque ad finem sæculi, ipsa una hora agitur, de qua dicit in Epistola sua Johannes, Filioli, novissima hora est. Ergo nunc
1. Johan. 2. 19. est. Qui vivit, vivat: qui mortuus erat, vivat; audiat vocem Filij Dei qui mortuus jacebat, surgat, & vivat. Clamavit Dominus ad sepulcrum Lazari, *Johan. 11.* & quatriduanus mortuus resurrexit. Qui putebat, in auras processit: sepultus erat, lapis superpositus erat, vox Salvatoris irrupit duritiam lapidis: & cor tuum ita durum est, ut nondum illa vox divina te rumpat. Surge in corde tuo, procede de sepulcro tuo. Etenim mortuus in corde tuo tamquam in sepulcro jacebas, & tamquam saxo malæ consuetudinis gravabaris. Surge, & procede. Quid est, Surge, & procede? Crede, & confitere. Qui enim credidit, surrexit: qui confitetur, processit. Quare processisse diximus confitentem? Quia antequam confiteretur, occultus erat: cùm autem confitetur, procedit de tenebris ad lucem. Et cùm confessus fuerit, quid dicitur ministris? quod dictum
Ibidem 44. est ad funus Lazari, Solvite illum, & sinite abire.
Matth. 18. 18. Quomodo? Dictum est ministris Apostolis, Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo.

Johan. 5. 25. 8. *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent.* Unde vivent? de vita. De qua vita? de Christo. Unde probamus quia de vita Christo? Ego sum, inquit, via,
Johan. 14. 6. veritas & vita. Ambulare vis? ego sum via. Falli non vis? ego sum veritas. Mori non vis? ego sum vita. Hoc dicit tibi Salvator tuus: Non est quò eas, nisi ad me; non est quà eas, nisi per me. Nunc ergo ista hora agitur, hoc & agitur planè, & omnino non cessatur. Surgunt homines qui mortui erant, transeunt ad vitam, ad vocem Filij Dei vivunt, de illo, perseverantes in fide ipsius. Habet enim Filius vitam, unde vivant credentes habet.

9. Et quomodo habet? sicut habet Pater. Audi
Johan. 5. 26. ipsum dicentem, *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Fratres, ut potero dicam. Hæc sunt enim illa verba, quæ parvum intellectum perturbant. Quare addidit, *in semetipso?* Sufficeret ut diceret, *Sicut enim Pater habet vitam, sic dedit & Filio habere vitam.* Addidit, *in semetipso:* habet enim in semetipso Pater vitam, habet & Filius in semetipso. Aliquid intelligere nos voluit, in eo quod ait, *in semetipso.* Et hîc secretum in verbo hoc clausum est: pulsetur, ut aperiatur. O Domine, quid est quod dixisti? *In semetipso*, quare addidisti? Etenim Paulus

[a] Sic omnes codices, licèt apud Apostolum sit, non *infirmi sufficienter*, sed *ægroti sufficientes* sive *multi*.

[b] In hac voce verticuli 25. vix unum codicem reperias sibi ipsi consentientem: nam editi & MSS. aliàs habent, *veniet*; aliàs, *venit*. Sic postea etiam in 28. vers. capitis ejusdem Johan. 5. vocem istam inconstanter permutant.

apostolus quem vivere fecisti, non habebat vitam? Habebat, inquit. * Quantum homines mortui ut reviviscant, & ad verbum tuum credendo transeant: cùm transierint, non in te habebunt vitam?
v. 24. Habebunt: nam & ego paulò antè dixi, *Qui audit verba mea, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam.* Ergo illi qui in te credunt, habent vitam: & non dixisti, in semetipsis. Cùm autem de Patre loquereris, *Sicut Pater habet vitam in semetipso:* rursus cùm de te loquereris, dixisti, *sic & Filio dedit habere vitam in semetipso.* Sicut habet, sic dedit habere. Ubi habet? in semetipso. Ubi dedit habere? in semetipso. Paulus ubi habet? non in semetipso, sed in Christo. Tu fidelis ubi habes? non in temetipso, sed in Christo. Videamus si hoc dicit
Gal. 2. 20. Apostolus, Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. VITA NOSTRA tamquam nostra, id est, de voluntate propria nostra, non erit nisi mala, peccatrix, iniqua: vita verò bona de Deo in nobis est, non à nobis; à Deo nobis datur, non à nobis. Christus autem in semetipso habet vitam sicut Pater, quia Verbum Dei. Non modò malè vivit, & modò bene vivit: homo autem, modò malè, modò bene. Qui malè vivebat, in vita sua erat: qui bene vivit, ad vitam Christi transiit. Particeps factus vitæ, non eras quod accepisti, & eras qui acciperes: Filius autem Dei non quasi primò fuit sine vita, & accepit vitam. Si enim sic illam acciperet, non eam haberet in semetipso. Quid est enim, *in semetipso?* ut ipsa vita ipse esset.

10. Adhuc aliud planius fortasse dicam. Lu-
a cernam quisque accendit: Exempli gratiâ, [a] lucerna illa quantum pertinet ad flammulam quæ ibi lucet, ignis ille habet lucem in semetipso: oculi autem tui qui lucernâ absente jacebant & nihil videbant, jam & ipsi habent lucem, sed non in semetipsis. Proinde si se à lucerna averterint, tenebrantur: si se converterint, illuminantur. At verò ille ignis quamdiu est, lucet: si volueris illi lucem tollere, simul & ipsum exstinguis; nam sine luce non potest remanere. Sed lux Christus inexstinguibilis & coæternus Patri, semper candens, semper lucens, semper fervens: nam si non ferveret, num-
Psal. 18. 7. quid diceretur in Psalmo, Nec est qui se abscondat à calore ejus? Tu autem in peccato tuo frigidus eras, converteris ut fervescas: si recesseris, frigescis. In peccato tuo tenebrosus eras, converteris ut illumineris: si averteris te, obscuraberis. Proinde quia in te tenebræ eras, cùm illuminaberis, non eris lumen, quamvis sis in lumine. Ait enim
Ephes. 5. 8. Apostolus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Cùm dixisset, nunc autem lux: addidit, in Domino. In te ergo tenebræ, lux in Domino. Lux quare? Quia participatione lucis illius lux es. Si autem à luce qua illuminaris, recesseris, ad tenebras tuas redis. Non sic Christus,
Johan. 5. 26. non sic Verbum Dei. Sed quomodo? *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso:* ut non participatione vivat, sed incommutabiliter vivat; & omnino ipse vita sit. *Sic dedit & Filio habere vitam.* Sicut habet, sic dedit. Quid interest? Quia ille dedit, iste accepit. Numquid jam erat quando accepit? Numquid intelligimus Christum aliquando fuisse sine luce, cùm ipse sit sapientia Patris, de qua dictum est,
Sap. 7. 26. Candor est lucis æternæ? Ergo quod dicitur, *dedit Filio*, tale est ac si diceretur, genuit filium: generando enim dedit. Quomodo dedit ut esset, sic dedit ut vita esset, & sic dedit ut in semetipso vita esset. Quid est, in semetipso vita esset? Non aliunde vitâ indigeret, sed ipse esset plenitudo vitæ, unde credentes alij viverent dum viverent. *Dedit* ergo *illi habere vitam in semetipso:* dedit tamquam cui? tamquam Verbo suo, tamquam ei qui in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.

11. Deinde quia homo factus, quid illi dedit? *Et potestatem dedit ei judicium facere, quoniam filius* *Johan. 5. 27.*
hominis est. Secundùm quod Filius Dei est, *sicut habet Pater vitam in semetipso, sic & dedit Filio vitam habere in semetipso:* secundùm autem quod filius hominis est, *potestatem dedit ei judicium faciendi.* Hoc est quod hesterno die exposui Caritati Vestræ, quia *In superiori Tractatu.* in judicio homo videbitur, Deus autem non videbitur: sed post judicium videbitur Deus ab his qui vicerint in judicio; ab impiis autem non videbitur Deus. Quia ergo homo videbitur in judicio formâ illâ, qua sic veniet sicut adscendit, ideo suprà dixerat: Pater non judicat quemquam, sed omne judi-
v. 22. cium dedit Filio. Hoc etiam in isto loco repetit, cùm
v. 27. dicit, *Et potestatem dedit ei judicium faciendi, quoniam filius hominis est.* Tamquam diceres tu, *Potestatem dedit ei judicium faciendi*, quare? Quando non habuit istam potestatem judicium faciendi? Quando
Johan. 1. 1. &c. in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, quando omnia per ipsum facta sunt, numquid non habebat potestatem judicium faciendi? Sed secundùm hoc dico, *Potestatem dedit ei judicium faciendi, quia Filius hominis est:* secundùm hoc accepit potestatem judicandi, *quia Filius hominis est.* Nam secundùm quòd Dei Filius est, semper habuit hanc potestatem. Accepit qui crucifixus est. Qui fuit in morte, est in vita: Verbum Dei numquam in morte, semper in vita.

12. Jam ergo de resurrectione fortè aliquis nos-
1 Johan. 5. 24. &c. trûm dicebat: Ecce resurreximus, Qui audit Christum, qui credit, & transit de morte ad vitam & in judicium non veniet; venit hora, & nunc est, ut qui audit vocem Filij Dei, vivat; mortuus erat, audivit, ecce resurgit: quid est quod dicitur postea resurrectio futura? Parce tibi, noli præcipitare sententiam, ne pergas post illam. Est quidem ista resurrectio quæ fit nunc: mortui erant infideles, mortui erant iniqui; vivunt justi, transeunt à morte infidelitatis ad vitam fidei: sed noli inde credere nullam futuram postea resurrectionem corporis, crede futuram & resurrectionem corporis. Audi enim quid sequatur post commendatam resurrectionem istam quæ fit per fidem, ne quis putaret istam solam esse, & incideret in illam desperationem & errorem hominum, qui pervertebant aliorum sensus, dicentes resurrectionem jam factam esse, de quibus dicit Apostolus, Et fidem
2. Tim. 2. 18. quorumdam pervertunt. Credo enim quia talia verba illis dicebant: Ecce Dominus ubi ait, *Et qui credit in me, transit à morte ad vitam:* jam facta est
Johan. 5. 24. resurrectio in hominibus fidelibus qui fuerant infideles: quomodo altera dicitur resurrectio? Gratias Domino Deo nostro, fulcit nutantes, dirigit hæsitantes, confirmat dubitantes. Audi quid sequitur, quia non habes unde tibi facias caliginem mortis. Si credidisti, totum crede. Quid totum,

[a] Subobscurè significat hunc sermonem se ad lucernam dixisse, cùm eum tamen æstate habuerit, uti ex XXVII. Tractatu in Laurentij martyris celebritate pronuntiato colligitur.

v. 28. inquis, credo ? Audi quid dicit : *Nolite mirari hoc,* quia dedit potestatem Filio faciendi judicij. In fine dico, ait. Quomodo in fine ? *Nolite mirari hoc: quia venit hora.* Hìc non dixit, *& nunc est.* In illa re-
v. 25. surrectione fidei quid dixit ? *Venit hora, & nunc est.* In ista resurrectione quam commendat futuram corporum mortuorum, *Venit hora*, dixit : non dixit, *nunc est* : quia in fine sæculi ventura est.

13. Et unde, inquis, mihi probas, quia de ipsa resurrectione dixit ? Si patienter audias, tu ipse ti-
v. 28. bi modò probabis. Sequamur ergo : *Nolite mirari* B *hoc : quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt.* Quid evidentius ista resurrectione ? Jam du-
v. 25. dum non dixerat, *qui in monumentis sunt :* sed, *mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent.* Non dixit, alij vivent, alij damnabuntur : quia omnes qui credunt vivent. De monumentis autem
v. 28. quid dicit ? *Omnes qui sunt in monumentis, audient vo-*
v. 29. *cem ejus,* * *& procedent.* Non dixit, *audient & vivent.* Si enim malè vixerunt & jacebant in monumentis, ad mortem surgent, non ad vitam. Ergo C videamus qui procedent. Licèt paulò antè mortui audiendo & credendo vivebant, non ibi facta est discretio : non dictum est, Audient mortui vocem Filij Dei, & cùm audierint, alij vivent, alij dam-
v. 25. nabuntur : sed, *Omnes qui audierint, vivent :* quia qui credunt vivent, qui habent caritatem vivent, & nemo morietur. De monumentis autem, *audient*
v. 29. *vocem, & procedent qui bene fecerunt, ad resurrectionem vitæ ; qui malè fecerunt, ad resurrectionem judicij.* Hoc est judicium, pœna illa de qua paulò D antè dixerat, *Qui credit in me, transiit à morte ad vitam, & in judicium non veniet.*

v. 30. 14. *Non possum ego à meipso facere quidquam : sicut audio judico, & judicium meum justum est.* Si sicut audis judicas, à quo audis ? Si à Patre, certè Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Quando tu quodammodo præco Patris, quod audis, hoc dicis ? Quod audio hoc dico, quia quod est Pater, hoc sum : dicere enim meum esse est ; quia Verbum Patris sum. Hoc enim tibi E
* *f.* in corde tuo. dicit Christus. * Inde de tuo. Quid est, *Sicut audio, ita judico*, nisi, Sicut sum ? Quomodo enim audit Christus ? Fratres, quæramus rogo vos. Audit Christus à Patre ? Quomodo illi dicit Pater ? Utique si dicit illi, verba ad illum facit : omnis enim qui aliquid alicui dicit, verbo dicit. Quomodo Pater Filio dicit, quando Filius Verbum Patris est ? Quidquid nobis Pater dicit, verbo suo dicit : Verbum Patris Filius est, ipsi Verbo quo alio verbo di-
cit ? Unus est Deus, unum Verbum habet, in uno F Verbo omnia continet. Quid est ergo, *Sicut audio, ita judico ?* Sicut de Patre sum, ita judico. Ergo *judicium meum justum est.* Nam si nihil facis ex te, ô Domine Jesu, quomodo sentiunt carnales ; si nihil facis ex te, quomodo paulò antè dixisti, Sic & Filius quos vult vivificat ? Modò dicis, Ex me facio nihil. Sed quid commendat Filius, nisi quia de Patre est ? Qui est de Patre, non est de se. Si de se Filius esset, non esset Filius : de Patre est. Pater ut sit non est de Filio, Filius ut sit de Patre est. Æ- G
Ibidem. qualis Patri : sed tamen iste de illo, non ille de isto.

15. *Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Filius unicus dicit, *Non quæro voluntatem meam :* & homines volunt facere voluntatem suam ? Ille tantum se humiliat qui æqua-

a In omnibus MSS. *voluntatem Christi.*

lis est Patri : & tantum se extollit qui in imo jacet, & nisi ei manus porrigatur, non surgit ? Faciamus ergo voluntatem Patris, [a] voluntatem Filij, a
voluntatem Spiritus-sancti : quia Trinitatis hujus una voluntas, una potestas, una majestas est. Ideo tamen dicit Filius, *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* : quia Christus non est de se, sed de Patre suo est. Quod autem habuit ut homo appareret, de creatura assumsit quam ipse formavit.

*TRACTATUS XXIII.

* Habitus die proximo post superiorem Tractarum ex n. 5.

In illam lectionem Evangelij, Si ego testimonium perhibeo de me &c. *usque ad id*, Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. *Tum etiam repetuntur superiores lectiones jam antè tractatæ, scilicet ab his verbis*, Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam *&c.*

1. QUODAM loco in Evangelio Dominus *Matth. 7.* 24.
ait, prudentem auditorem verbi sui similem esse debere homini, qui volens ædificare, fodit altiùs, donec perveniat ad fundamentum stabilitatis petræ, & ibi securus constituat quod fabricat adversùs impetum fluminis : ut cùm venerit, repercutiatur potiùs firmitate ædificij, quàm impulsu suo ruinam faciat illi domui. Putemus Scripturam Dei tamquam agrum esse, ubi volumus aliquid ædificare. Non simus pigri, nec superficie contenti : fodiamus altiùs, donec perve-
niamus ad petram : Petra autem erat Christus. *1. Cor. 10. 4.*

2. Hodierna lectio de testimonio Domini nobis locuta est, quia non habeat necessarium ab hominibus testimonium, sed habeat majus quàm sunt homines : atque id testimonium dixit quid sit : *Opera*, inquit, *quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* *Johan. 5. 36.*
Deinde adjunxit, *Et testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Ipsa quoque opera quæ facit, à Patre se accepisse dicit. Testimonium ergo perhibent opera, testimonium perhibet Pater. Nullumne testimonium perhibuit Johannes ? Perhibuit planè, sed tamquam lucerna, non ad satiandos amicos, sed confundendos inimicos : jam enim antea prædictum erat à persona Patris, Paravi lucer- *Psal. 131.* 17. & 18.
nam Christo meo ; inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Esto tamquam in nocte positus, adtendisti in lucernam, & miratus es lucernam, & exsultasti ad lumen lucernæ : sed illa lucerna dicit esse solem, in quo exsultare debeas ; & quamvis ardeat in nocte, diem te jubet exspectare. Non ergo quia illius homi-
nis testimonio non erat opus. Nam ut quid mitteretur, si non erat opus ? Sed ne in lucerna remaneat homo, & lumen lucernæ sufficere sibi arbitretur : ideo Dominus nec lucernam illam superfluam dicit fuisse, nec tamen te dicit in lucerna debere remanere. Dicit aliud testimonium Scriptura Dei : ibi utique Deus perhibuit testimonium Filio suo, & in illa Scriptura Judæi spem posuerant, in Lege scilicet Dei, ministrata sibi per Moysen famulum
Dei. * *Scrutamini*, inquit, *Scripturam, in qua vos pu-* *Johan. 5.*
tatis vitam æternam habere, ipsa testimonium perhibet *v. 39.*
de me, * *& non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* *v. 40.*
Quid vos putatis habere in Scriptura vitam æternam ? Ipsam interrogate, cui perhibet testimonium ; & intelligite quæ sit vita æterna. Et quia propter Moysen volebant repudiare Christum,

tamquam adversarium institutis præceptisque A Moysi ; rursus eosdem ipse convincit tamquam de alia lucerna.

3. Omnes enim homines lucernæ, quia & accendi possunt & exstingui. Et lucernæ quidem cùm sapiunt, lucent, & spiritu fervent : nam & si ardebant & exstinctæ sunt, etiam putent. Permanserunt enim servi Dei lucernæ bonæ, ex oleo misericordiæ illius, non ex viribus suis. Gratia quippe Dei gratuita, illa oleum lucernarum est.
1. Cor. 15. 10. Plus enim illis omnibus laboravi, ait quædam lu- B
cerna : & ne viribus suis arderet videretur, adjunxit, Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Om-
» nis ergo prophetia ante Domini adventum, luce-
2. Petr. 1. 19. » rna est : de qua dicit Petrus Apostolus, Habemus
» certiorem propheticum sermonem, cui bene faci-
» tis intendentes quemadmodum lucernæ lucenti in
» obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oria-
» tur in cordibus vestris. Lucernæ itaque Prophetæ, & omnis prophetia una magna lucerna. Quid Apostoli, non lucernæ etiam ipsi ? planè lucernæ. C
Solus enim ille non lucerna. Non enim accenditur & exstinguitur : quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso. Lucernæ ergo & Apostoli : & gratias agunt, quia & accensi sunt lumine Veritatis, & fervent Spiritu caritatis, & suppetit illis oleum gratiæ Dei. Si non es-
Matth. 5. 14. sent lucernæ, non diceret illis Dominus, Vos estis lumen mundi. Nam postea quàm dixit, Vos estis lumen mundi : ostendit ne tale lumen se putarent,
Johan. 1. 9. quale dictum est, Erat lumen verum, quod illumi- D
» nat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tunc autem hoc de Domino dictum est, cùm à Johanne distingueretur. De Johanne quippe Bap-
Ibidem 8. tista dictum erat, Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Et ne diceres, Quomodo lumen non erat, de quo Christus dicit,
Johan. 5. 35. quia lucerna erat ? In comparatione alterius lumi-
» nis non erat lumen. Erat enim verum lumen, quod
» illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ergo cùm & discipulis diceret, Vos estis E
lumen mundi, ne sibi aliquid tributum putarent, quod de solo Christo intelligendum esset, & ita lucernæ vento superbiæ exstinguerentur ; cùm dixisset, Vos estis lumen mundi : continuò subjunxit,
Matth. 5. 14. & 15. Non potest civitas abscondi supra montem consti-
» tuta, neque accendunt lucernam & ponunt eam
» sub modio, sed super candelabrum, ut luceat om-
» nibus qui in domo sunt, Sed quid, si Apostolos non dixit lucernam, sed accensores lucernæ quam ponerent super candelabrum ? Audi quia ipsos di- F
Ibidem 16. xit lucernam. Sic luceat, inquit, lumen vestrum
» coram hominibus, ut videntes bona opera vestra
» glorificent, non vos, sed Patrem vestrum qui in
» cælis est.

4. Ergo & Moyses perhibuit testimonium Christo, & Johannes perhibuit testimonium Christo, & ceteri Prophetæ & Apostoli perhibuerunt testimonium Christo. His omnibus testimoniis præponit testimonium operum suorum. Quia & per illos nonnisi Deus perhibuit testimonium Filio suo. Sed G perhibet alio modo Deus testimonium Filio suo : per ipsum Filium suum indicat Deus Filium, indicat se per Filium. Ad hunc si potuerit homo pervenire, nec lucernis indigebit, & verè fodiendo altiùs, ædificium perducet ad petram.

5. Facilis est ergo, Fratres, hodierna lectio : sed propter hesternum debitum, (scio enim quid distulerim, non abstulerim, & Dominus dignatus est donare etiam hodie loqui ad vos) recordamini quid reposcere debeatis, si fortè aliquo modo servata pietate & salubri humilitate, extendamus nos non adversùs Deum, sed ad Deum ; & levemus ad eum animam nostram, effundentes eam super nos, sicut ille in Psalmo, cui dicebatur, Ubi est Deus *Psal. 41. 4.* tuus ? Hæc, inquit, meditatus sum, & effudi su- *& 5.*
per me animam meam. Levemus ergo animam ad Deum, non contra Deum : quia & hoc dictum est, Ad te Domine levavi animam meam. Et levemus *Psal. 24. 1.*
adjuvante ipso ; nam gravis est. Unde autem gravis est ? Quia corpus quod corrumpitur, aggravat ani- *Sap. 9. 15.*
mam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ne fortè ergo possimus sensum nostrum à multis colligere ad unum, & evulsum à multis relevare ad unum : (quod quidem non poterimus, ut dixi, nisi adjuvet ille qui ad se vult levari animas nostras :) & contingamus ex aliqua parte, quomodo Verbum Dei unicus Patri, coæternus & æqualis C Patri, non faciat nisi quod viderit Patrem facientem, cùm tamen Pater ipse non faciat aliquid nisi per Filium videntem. Videtur mihi quoniam Dominus Jesus in hoc loco magnum quiddam insinuare volens intentis, & infundere capacibus, incapaces autem excitare ad studium, ut nondum intelligentes bene vivendo capaces fiant, insinuavit nobis animam humanam & mentem rationalem, quæ inest homini, non inest pecori, non vegetari, non beatificari, non illuminari, nisi ab ipsa substantia Dei : eamque animam facere aliquid per corpus & de corpore, atque habere subjectum corpus, & per corporalia mulceri posse sensus corporis vel offendi, & propter hoc, id est propter consortium quoddam animæ & corporis in hac vita atque complexu, delectari animam lenitis, vel contristari offensis corporis sensibus : beatitudinem tamen ejus qua fit beata ipsa anima, non fieri nisi participatione illius vitæ semper vivæ, incommutabilis, æternæque substantiæ, quæ Deus est : ut quomo- E
do anima quæ inferior Deo est, id quod ipsâ inferius est, hoc est corpus, facit vivere ; sic eamdem animam non faciat beatè vivere, nisi quod ipsâ animâ est superius. Superior enim anima quàm corpus, & superior quàm anima Deus. Præstat aliquid inferiori, præstatur illi à superiore. Serviat Domino suo, ne conculcetur à servo suo. Hæc est, Fratres mei, religio Christiana, quæ prædicatur per totum mundum horrentibus inimicis, & ubi vincuntur murmurantibus, ubi prævalent sævientibus. Hæc F
est religio Christiana, ut colatur unus Deus, non multi dij : quia non facit animam beatam nisi unus Deus. Participatione Dei fit beata. Non participatione sanctæ animæ fit beata infirma anima ; nec participatione Angeli fit beata sancta anima : sed si quærit beata esse infirma anima, quærat unde beata sit sancta anima. Non enim beatus efficeris ex Angelo tu : sed unde Angelus, inde & tu.

6. His præmissis atque firmissimè constitutis, animam rationalem non beatificari nisi à Deo, corpus non vegetari nisi per animam, atque esse quamdam medietatem inter Deum & corpus, animam : intendite & recolite mecum, non hodiernam, de qua sufficienter locuti sumus, sed hesternam lectionem, quam ecce jam triduo versamus atque tractamus, & pro viribus fodimus, donec ad petram perveniamus. Verbum Christus, Verbum Dei Christus apud Deum, Verbum Christus & Deus Ver-

bum, Christus & Deus & Verbum unus Deus. Illuc perge anima contemtis ceteris, vel etiam transcensis, illuc perge. Nihil potentius istâ creaturâ, quæ mens dicitur rationalis, nihil hac creaturâ sublimius: quidquid supra istam est, jam Creator est. Dicebam autem quia Verbum Christus, & Verbum Dei Christus, & Deus Verbum Christus: *Johan. 1.14.* sed non tantùm Verbum Christus, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: ergo & *Philip. 2. 6.* bum & caro Christus. Cùm enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Et quid nos in imo, qui non poteramus infirmi & humi repentes adtingere Deum, numquid relinquendi eramus? absit. Semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Non ergo formam Dei amittens. Factus est ergo homo qui erat Deus, accipiendo quod non erat, non amittendo quod erat: ita factus est homo Deus. Ibi habes aliquid propter infirmitatem tuam, ibi habes aliud propter perfectionem tuam. Erigat te Christus per id quod homo est, ducat te per id quod Deus homo est, perducat te ad id quod Deus est. Et tota prædicatio dispensatioque per Christum hæc est, Fratres, & alia non est, ut resurgant animæ, resurgant & corpora. Utrumque quippe mortuum erat, corpus ex infirmitate, anima ex iniquitate. Quia utrumque mortuum erat, resurgat utrumque. Quid utrumque? anima & corpus. Per quid ergo anima nisi per Deum Christum? Per quid corpus, nisi per hominem Christum? Erat enim & in Christo anima humana, tota anima: non irrationale tantùm animæ, sed etiam rationale quod mens dicitur. Fuerunt enim quidam * hæretici, & pulsi sunt ab Ecclesia, qui putarent non habere mentem rationalem corpus Christi, sed quasi animam belluinam: exceptâ quippe rationali mente, vita belluina est. Sed quia expulsi sunt, & veritate expulsi sunt: accipe totum Christum, Verbum mentem rationalem & carnem. Hoc totum Christus est. Resurgat anima tua ab iniquitate per id quod Deus est, resurgat corpus tuum à corruptione per id quod homo est. Proinde, Carissimi, audite magnam lectionis hujus, quantum mihi videtur, profunditatem; & videte quemadmodum loquatur hîc Christus, nihil aliud quàm quare venerit Christus, ut resurgant animæ ab iniquitate, resurgant corpora à corruptione. Jam dixi animæ per quid resurgant, per ipsam substantiam Dei: corpora per quid resurgant, per dispensationem humanam Domini nostri Jesu Christi.

* Apollinaristæ.

Iohan. 5.19. 7. *Amen, amen dico vobis, non potest à se Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit:* cælum, terram, mare, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari, visibilia, invisibilia, animalia in terris, frutecta in agris, natantia in aquis, in aëre volantia, in cælo lucentia; præter hæc omnia, Angelos, Virtutes, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates: omnia per ipsum facta sunt. Numquid Deus omnia hæc fecit, & demonstravit ea facta Filio, ut & ipse faceret alterum mundum his omnibus plenum? non utique. Sed quid? *Quæcumque enim ille fecerit, hæc*, non alia, sed *hæc & Fi-* *v. 20.* *lius*, nec dissimiliter, sed *similiter facit.* * *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Demonstrat Pater Filio ut animæ suscitentur, quia per Patrem & Filium animæ suscitantur: nec possunt vivere animæ, nisi earum vita sit Deus. Si ergo non possunt vivere animæ, nisi earum vita sit Deus, sicut ipsæ sunt vita corporum: quod demonstrat Pater Filio, id est, quod facit, per Filium facit. Non enim faciendo demonstrat Filio, sed demonstrando facit per Filium. Videt enim Filius Patrem demonstrantem antequam aliquid fiat, & ex demonstratione Patris & visione Filij fit quod fit à Patre per Filium. Sic animæ suscitantur, si potuerint videre istam unitatis conjunctionem, Patrem demonstrantem, Filium videntem, & per Patris demonstrationem & Filij visionem fieri creaturam: atque id fieri per Patris demonstrationem & Filij visionem, quod nec Pater sit nec Filius, sed infra Patrem & Filium, quidquid fit à Patre per Filium. Quis hoc videt?

8. Ecce iterum ad carnales sensus, ecce rursus humiliamus nos, & descendimus ad vos, si tamen aliquid aliquando adscenderamus à vobis. Vis demonstrare aliquid filio tuo, ut faciat quod facis: facturus es tu, & sic demonstraturus. Quod igitur facturus es ut demonstres filio, non utique facis per filium: sed tu solus facis quod ipse factum videat, & aliud tale similiter faciat. Non est hoc ibi: quid pergis ad similitudinem tuam, & deles in te similitudinem Dei? Ibi omnino non est hoc. Inveni aliquid, quomodo demonstres filio tuo quod facis, antequam facis; ut cùm demonstraveris, per filium facias hoc quod facis. Jam fortè quasi occurrit tibi: Ecce, inquis, cogito facere domum, & volo ut per filium meum fabricetur: antequam eam ipse fabricem, ostendo filio meo quod facere volo; & facit ipse, atque ego per ipsum, cui ostendi voluntatem meam. Recessisti quidem à pristina similitudine, sed adhuc jaces in magna dissimilitudine. Ecce enim antequam facias domum, indicas filio tuo, & demonstras quid facere velis; ut te demonstrante antequam facias, faciat ipse quod demonstraveris, & tu per ipsum: sed verba dicturus es filio tuo, inter te & ipsum verba cursura sunt; & inter demonstrantem & videntem, vel loquentem & audientem sonus articulatus volat, qui non est quod tu, non est quod ipse. Sonus quippe ille qui exit de ore tuo, & verberato aëre tangit aurem filij tui, & impleto sensu audiendi perducit ad cor cogitationem tuam; sonus ergo ille non est ipse tu, non est ipse filius tuus. Signum datum est ab animo tuo animo filij tui, quod signum non sit nec animus tuus, nec animus filij tui, sed aliud aliquid. Itane putamus Patrem locutum esse cum Filio? Fuerunt verba inter Deum & Verbum? quomodo istud est? An quidquid vellet Pater dicere Filio, si verbo vellet dicere, ipse Filius est Verbum Patris, numquid per verbum loqueretur ad Verbum? An quia Filius magnum Verbum, minora verba cursura erant inter Patrem & Filium? Sonus aliquis & quasi creatura quædam temporalis atque volatica, exitura erat ex ore Patris, & percussura aurem Filij? Numquid habet Deus corpus, ut quasi ex ejus labiis hoc procedat; & habet aures corporis Verbum, in quas sonus veniat? Remove omnia corporalia, simplicitatem vide, si simplex es. Quomodo autem eris simplex? Si te non mundo implicaveris, sed ex mundo explicaveris: explicando enim te simplex eris. Et vide si potes quod dico, aut si non potes, crede quod non vides. Dicis filio tuo, verbo dicis: verbum quod sonat, nec tu es, nec filius tuus.

9. Habeo, inquis, aliud quo ostendam: ita enim est eruditus filius meus, ut nec loquente me audiat,

sed nutu ostendo ei quod faciat. Ecce nutu ostende quod vis, certè animus tuus vult ostendere quod in se habet. Unde facis nutum? de corpore, scilicet, labiis, vultu, superciliis, oculis, manibus. Hæc omnia non sunt quod animus tuus; etiam ista media sunt: intellectum est aliquid per hæc signa, quæ non sunt quod animus tuus, nec quod animus filij tui: sed hoc totum quod corpore agis, infra animum tuum est, & infra animum filij tui; nec potest cognoscere animum tuum filius tuus, nisi dederis ei signa de corpore. Quid igitur facio? Non est hoc ibi, simplicitas ibi est. Pater ostendit Filio quod facit, & ostendendo Filium gignit. Video quid dixerim: sed quia video & quibus dixerim; fiat in vobis intellectus iste quandoque. Nunc si non potestis comprehendere quid sit Deus, vel hoc comprehendite quid non sit Deus: multùm profeceritis, si non aliud quàm est, de Deo senseritis. Nondum potes pervenire ad quid sit, perveni ad quid non sit. Non est Deus corpus, non terra, non cælum, non luna, non sol, non stellæ, non corporalia ista. Si enim non cælestia, quantò minùs terrena? Tolle omne corpus. Adhuc audi aliud: Non est Deus mutabilis spiritus. Nam fateor, & fatendum est, *Johan. 4. 24.* quia Evangelium loquitur, Deus spiritus est. Sed transi omnem mutabilem spiritum, transi spiritum qui modò scit, modò nescit, modò meminit, & obliviscitur; vult quod nolebat, non vult quod volebat: sive patiatur jam istas mutabilitates, sive pati possit: transi hæc omnia. Non invenis in Deo aliquid mutabilitatis, non aliquid quod aliter nunc sit, aliter paulò antè fuerit. Nam ubi invenis aliter & aliter, facta est ibi quædam mors: mors enim est, non esse quod fuit. Immortalis dicitur anima: est quidem, quia vivit semper anima, & est in illa quædam vita permanens, sed mutabilis vita. Secundùm mutabilitatem vitæ hujus & mortalis dici potest: quia si vivebat sapienter, & desipit, mortua est in deterius; si vivebat insipienter, & sapit, mortua est in melius. Nam esse mortem in deterius, esse mortem in melius Scriptura nos docet. Utique in *Matt. 8. 22.* deterius mortui erant, de quibus dicitur, Sine mor- *Ephes. 5.14.* tuos, sepeliant mortuos suos: &, Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus: & *Iohan. 5.25.* de hac lectione, *Quando mortui audient, & qui audierint vivent.* In deterius mortui erant, ideo reviviscunt. Reviviscendo moriuntur in melius, quia & reviviscendo non erunt quod erant: non esse autem quod erat, mors est. Sed fortè, si in melius est, non appellatur mors? Appellavit illam mortem A- *Coloss. 2.20.* postolus: Si autem mortui estis cum Christo ab ele- » mentis hujus mundi, quid adhuc velut viventes de *Coloss. 3. 3.* » hoc mundo decernitis? & iterum, Mortui enim » estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Mori nos vult ut vivamus, quia viximus ut moreremur. Quidquid ergo & à meliore in deterius, & à deteriore in melius moritur, non est hoc Deus: quia neque in melius ire potest summa bonitas, neque in deterius vera æternitas. Vera enim æternitas est, ubi temporis nihil est. Erat autem modò hoc, & modò illud? jam tempus admissum est, æternum non est. Nam ut noveritis, quia non sic Deus quomodo anima: certè immortalis est ani- *1. Tim. 6. 16.* ma; quid ergo est quod ait Apostolus de Deo, Qui solus habet immortalitatem: nisi quia hoc apertè dixit, solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram æternitatem? Ergo ibi nulla mutabilitas.

10. Agnosce in te aliquid, quod volo dicere, intus, intus in te; non in te quasi in corpore tuo, nam & ibi potest dici in te. In te est enim sanitas, in te quælibet ætas, sed secundùm corpus; in te est manus, pes tuus: sed aliud est in te intus, aliud in te tamquam in veste tua. Sed relinque foris & vestem tuam & carnem tuam, descende in te, adi secretarium tuum, mentem tuam, & ibi vide quod volo dicere, si potueris. Si enim tu ipse à te longè es, Deo propinquare unde potes? Dicebam de Deo, & intellecturum te arbitrabaris: de anima dico, de te dico; intellige, ibi te probabo. Non enim valde longè pergo in exempla, quando de mente tua volo aliquam similitudinem dare ad Deum tuum: quia utique non in corpore, sed in ipsa mente factus est homo ad imaginem Dei. In similitudine sua Deum quæramus, in imagine sua Creatorem agnoscamus. Ibi intus, si potuerimus, inveniamus hoc quod dicimus: quomodo demonstrat Pater Filio, & Filius videat quod demonstrat Pater, antequam fiat aliquid à Patre per Filium. Sed cùm dixero & intellexeris, nec sic putes jam illud aliquid tale esse, ut serves ibi pietatem, quam volo à te servari, & præcipuè moneo: id est, ut si non vales comprehendere Deus quid sit, parum non tibi putes esse scire quid non sit.

11. Ecce in mente tua video aliqua duo, memoriam tuam & cogitationem tuam, id est, quasi aciem quamdam & obtutum animæ tuæ. Vides aliquid, & per oculos percipis, & commendas memoriæ: ibi est intus quod memoriæ commendasti, in abdito reconditum quasi in horreo, quasi in thesauro, quasi in secretario quodam & penetrali interiore. Cogitas aliunde, intentio tua alibi est: illud quod vidisti in memoria tua est, & non videtur à te, quia cogitatio tua in aliud intenditur. Modò probo, scientibus loquor: Carthaginem nomino, omnes modò intus quicumque eam nostis, vidistis Carthaginem. Numquid tot sunt Carthagines quot animæ vestræ? Omnes vidistis per nomen hoc: per quatuor has syllabas notas vobis, erumpentes ex ore meo, tactæ sunt aures vestræ, tactus est sensus animæ per corpus, & ab alia intentione reflexus est animus ad id quod ibi erat, & vidit Carthaginem. Numquid tunc est ibi Carthago facta? Jam ibi erat, sed latebat. Quare ibi latebat? Quia animus tuus in aliud adtendebat: cùm verò reflexa est cogitatio tua ad id quod erat in memoria, inde formata est, & visio quædam animi facta est. Antea non erat visio, sed erat memoria: reflexâ cogitatione ad memoriam, facta est visio. Demonstravit ergo memoria tua cogitationi tuæ Carthaginem, & quod in illa erat antequam intenderes, conversæ ad se intentioni cogitationis ostendit. Ecce facta est à memoria demonstratio, facta est in cogitatione visio; & nullà verba in medio cucurrerunt, nullum ex corpore signum datum est: nec innuisti, nec scripsisti, nec sonuisti; & tamen cogitatio vidit quod memoria demonstravit. Ejusdem autem substantiæ est, & quæ demonstravit, & cui demonstravit. Sed Carthaginem ut haberet memoria tua, per oculos hausta est imago hæc: vidisti enim quod in memoria reconderes. Sic arborem quam meministi vidisti, sic montem, sic fluvium, sic amici faciem, sic inimici, sic patris, matris, fratris, sororis, filij, vicini; sic litterarum in codice conscriptarum, sic ipsius codicis, sic hujus basilicæ: omnia ista vidisti, & visa quia jam erant, me-

moriæ commendasti ; & tamquam posuisti illic quæ videres cogitando cùm velles, etiam cùm ab istis corporis oculis abfuissent. Vidisti enim Carthaginem cùm esses Carthagini, accepit speciem per oculos anima tua ; hæc species recondita est in memoria tua, & servasti aliquid intus homo apud Carthaginem constitutus, quod posses apud te videre etiam cùm ibi non esses. Hæc omnia forinsecùs accepisti. Pater quæ demonstrat Filio, non accipit extrinsecùs : intus totum agitur ; quia nihil creaturarum esset extrinsecùs, nisi hoc Pater faceret per Filium. Creatura omnis à Deo facta est ; antequam fieret non erat. Non ergo facta visa est & retenta memoriter, ut eam Pater Filio tamquam memoria cogitationi monstraret : sed faciendam Pater monstravit, faciendam Filius vidit, & eam Pater demonstrando fecit, quia per Filium videntem fecit. Et ideo movere non debet, quia dictum est, *nisi quod viderit Patrem facientem* : non dictum est, demonstrantem. Per hoc enim significatum est, id esse Patri facere, quod est demonstrare : ut ex hoc intelligatur per Filium videntem omnia facere. Nec illa demonstratio, nec illa visio temporalis est. Quia enim per Filium fiunt omnia tempora, non utique aliquo tempore possent ei demonstrari facienda. Sic autem demonstratio Patris Filij visionem gignit, quemadmodum Pater Filium gignit. Demonstratio quippe generat visionem, non visio demonstrationem. Quod si puriùs & perfectiùs intueri valeremus, fortasse inveniremus, nec aliud esse Patrem, aliud ejus demonstrationem ; nec aliud Filium, aliud ejus visionem. Sed si vix hoc cepimus, vix explicare potuimus, quomodo memoria quod cepit extrinsecùs, ostendat cogitationi ; quantò minùs capere aut explicare poterimus, quomodo Pater Deus demonstrat Filio quod non habet aliunde, vel quod non est aliud quàm ipse ? Parvuli sumus : loquor vobis quid non sit Deus, non ostendo quid sit : ergo ut capiamus quid sit, quid faciemus ? Numquid à me, numquid per me poteritis ? Dicam hoc parvulis, & vobis & mihi : Est per quem possimus : modò cantavimus, modò audivimus, Jacta in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Ideo enim non potes, ô homo, quia parvulus es : si parvulus es, nutriendus es : nutritus, grandis eris ; & quod parvulus non poteras, grandis videbis : sed ut nutriaris, Jacta in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.

Psal. 54. 23.

12. Modò ergo percurramus breviter quæ restant, & videte hîc quæ commendavi, quomodo Dominus insinuet. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Ipse suscitat animas, sed per Filium, ut fruantur animæ suscitatæ substantiâ Dei, hoc est Patris & Filij. *Et majora his demonstrabit ei opera.* Quibus majora ? sanitatibus corporum. Jam & antea tractavimus, nec immorari debemus. Major est enim resurrectio corporis in æternum, quàm hæc quæ ad tempus facta est in illo languido sanitas corporis. *Et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Demonstrabit*, quasi temporaliter : ergo quasi homini facto in tempore, quia Verbum Deus non est factus, per quem omnia facta sunt tempora ; sed homo factus Christus in tempore. Apparet quo Consule, quo die conceptum de Spiritu-sancto virgo Maria peperit Christum : ergo homo factus est in tempore, per quem Deum facta sunt tempora. Ideo tamquam in tempore demonstrabit ei opera majora, id est, resurrectionem corporum, ut vos miremini factam per Filium resurrectionem corporum.

Johan. 5. 20.

In Tractatu 19. & 21.

13. Deinde redit ad illam resurrectionem animarum : *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat*, sed secundùm spiritum. Vivificat Pater, vivificat Filius ; quos vult Pater, quos vult Filius : sed ipsos Pater quos Filius ; quia omnia per ipsum facta sunt. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* De resurrectione animarum dictum est hoc : quid de resurrectione corporum ? Redit, & dicit, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Resurrectio animarum fit per substantiam Patris & Filij æternam & incommutabilem : resurrectio verò corporum fit per dispensationem humanitatis Filij temporalem, non Patri coæternam. Ideo cùm commemoraret judicium, ubi fieret resurrectio corporum, *Non enim Pater*, inquit, *judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* : de resurrectione autem animarum, *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* Illud ergo simul Pater & Filius : hoc autem de resurrectione corporum, *Non judicat Pater quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* * *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Hoc redditum est resurrectioni animarum. *Vt omnes honorificent Filium.* Quomodo ? *sicut honorificant Patrem.* Animarum enim resurrectionem sic operatur Filius, quomodo Pater : sic vivificat Filius, quomodo Pater. Ergo in animarum resurrectione *omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Quid de honorificatione propter resurrectionem corporis ? *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Non dixit, sicut : sed *honorificat* & *honorificat.* Honoratur enim homo Christus, sed non sicut Pater Deus. Quare ? Quia secundùm hoc dixit, Pater major me est. Quando autem honorificatur Filius, sicut honorificatur Pater ? Cùm in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & omnia per ipsum facta sunt. Et ideo in hac honorificatione secunda quid ait ? *Qui non honorificat Filium, nec honorificat Patrem qui misit illum.* Non est missus Filius, nisi quia factus est homo.

v. 21. *v.* 22. *v.* 23. *Johan.* 14. 28.

14. *Amen, amen dico vobis.* Iterum redit ad resurrectionem animarum, ut assiduè dicentem capiamus : quia velut volantem sermonem sequi non poteramus ; ecce immoratur nobiscum sermo Dei, ecce quasi habitat cum infirmitatibus nostris : redit rursum ad commendationem resurrectionis animarum. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam* : sed tamquam ex Patre ? *Quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me*, ex Patre *habet vitam æternam*, credendo in eum qui misit illum. *Et in judicium non veniet, sed transit à morte ad vitam* : sed ex Patre vivificatur, cui credit. Quid, tu non vivificas ? Vide quia & Filius quos vult vivificat. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent.* Hîc non dixit, credent ei qui misit me, & ideo vivent : sed audiendo vocem Filij Dei, *qui audierint*, hoc est obaudierint Filio Dei, *vivent.* Ergo & ex Patre vivent, cùm credent Patri ; & ex Filio vivent, cùm audient vocem Filij Dei. Quare & ex Patre vivent & ex Filio vivent ? *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.*

Johan. 5. 24. *v.* 25. *v.* 26.

15. Implevit de resurrectione animarum, restat evidentiùs

evidentiùs dicere de resurrectione corporum. *Et potestatem dedit ei & judicium facere.* Non solùm animas per fidem & sapientiam suscitare, sed & judicium facere. Quare autem hæc ? *Quia filius hominis est.* Facit ergo aliquid Pater per Filium hominis, quod non facit ex substantia sua cui æqualis est Filius ; sicut ipsum nasci, sicut ipsum crucifigi, sicut ipsum mori, sicut ipsum resurgere : non enim aliquid horum Patri contigit. Sic & resuscitationem corporum. Nam resuscitationem animarum ex substantia sua Pater [a] facit per substantiam Filij, qua illi æqualis est ; animæ quippe fiunt participes illius incommutabilis lucis, non corpora : resuscitationem autem corporum Pater facit per filium hominis. *Et potestatem* enim *dedit ei & judicium facere, quia filius hominis est* : secundùm illud quod suprà dixit, *Neque enim Pater judicat quemquam.* Et ut ostendat quia de resurrectione corporum hoc dixit : *Nolite mirari hoc, quia venit hora.* Non *nunc est* ; sed venit hora, *in qua omnes qui in monumentis sunt* : jam hoc & hesterno die satiatissimè audistis : *audient vocem ejus*, * *& procedent.* Et ubi ? in judicium ? *qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui malè egerunt, in resurrectionem judicij.* Et tu hoc facis solus, quia omne judicium Filio Pater dedit, & non judicat quemquam ? Ego, inquit, facio. Sed quomodo facis ? *Non possum à me facere quidquam : sicut audio judico ; & judicium meum justum est.* Cùm ageretur de resurrectione animarum, non dicebat, *audio* ; sed, *video.* Audio enim, tamquam præcipientis Patris imperium. Jam ergo sicut homo, sicut quo major est Pater ; jam ex forma servi, non ex forma Dei, *sicut audio judico, & judicium meum justum est.* Unde est judicium justum hominis ? Fratres mei adtendite : *Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*

a

v. 27. *v.* 22. *v.* 28. In superiori Tractatu. *v.* 29. *v.* 30.

* Habitus die proximo ante Tractatum subseq.

TRACTATUS * XXIV.

Ab eo quod scriptum est, Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis : *usque ad id*, Hic est verè propheta qui venit in mundum.

1. MIRACULA quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, sunt quidem divina opera, & ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia quæ videri oculis possit, & miracula ejus quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut penè nemo dignetur adtendere opera Dei mira & stupenda in quolibet seminis grano : secundùm ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quàm saturatio quinque millium hominum de quinque panibus : & tamen hæc nemo miratur : illud mirantur homines non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim & nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat ? Fecit ergo quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi : panes autem illi quinque, quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata. Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, & exhibitum oculis ubi exerceretur intellectus, ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur, & erecti ad fidem & purgati per fidem, etiam ipsum invisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibilem nosceremus.

Johan. 6. 10. *v.* 9.

2. Nec tamen sufficit hæc intueri in miraculis Christi. Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo : habent enim si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est. Hoc ergo miraculum, sicut audivimus quàm magnum sit, quæramus etiam quàm profundum sit : non tantùm ejus superficie delectemur, sed etiam altitudinem perscrutemur. Habet enim aliquid intus, hoc quod miramur foris. Vidimus, spectavimus magnum quiddam, præclarum quiddam, & omnino divinum, quod fieri nisi à Deo non posset : laudavimus de facto factorem. Sed quemadmodum si litteras pulcras alicubi inspiceremus, non nobis sufficeret laudare scriptoris articulum, quoniam eas pariles, æquales decorasque fecit, nisi etiam legeremus quid nobis per illas indicaverit : ita factum hoc qui tantùm inspicit, delectatur pulcritudine facti ut admiretur artificem ; qui autem intelligit, quasi legit. Aliter enim videtur pictura, aliter videntur litteræ. Picturam cùm videris, hoc est totum vidisse, laudasse : litteras cùm videris, non hoc est totum ; quoniam commoneris & legere. Etenim dicis, cùm videris litteras, si fortè non eas nosti legere, Quid putamus esse quod hîc scriptum est ? Interrogas quid sit, cùm jam videas aliquid. Aliud tibi demonstraturus est, à quo quæris agnoscere quod vidisti. Alios ille oculos habet, alios tu. Nonne similiter apices videtis ? Sed non similiter signa cognoscitis. Tu ergo vides & laudas : ille videt, laudat, legit & intelligit. Quia ergo vidimus, quia laudavimus, legamus & intelligamus.

v. 3.

3. Dominus in monte : multò magis intelligamus, quia Dominus in monte Verbum est in alto. Proinde non quasi humiliter jacet, quod in monte factum est ; nec transeunter prætereundum est, sed suspiciendum. Turbas vidit, esurientes agnovit, misericorditer pavit : non solùm pro bonitate, verùm etiam pro potestate. Quid enim sola prodesset bonitas, ubi non erat panis, unde turba esuriens pasceretur ? Nisi bonitati adesset potestas, jejuna illa turba & esuriens remaneret. Denique & discipuli qui erant cum Domino in fame, & ipsi turbas volebant pascere, ut non remanerent inanes, sed unde pascerent non habebant. Interrogavit Dominus unde emerentur panes ad turbas pascendas. Et ait Scriptura, *Hoc autem dicebat tentans eum* : discipulum scilicet Philippum, quem interrogaverat. *Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Cui ergo bono tentabat, nisi quia ignorantiam discipuli demonstrabat ? Et fortè in demonstratione ignorantiæ discipuli aliquid significavit. Apparebit ergo, cùm ipsum sacramentum de quinque panibus cœperit nobis loqui, & quid significet indicare : ibi enim videbimus, quare Dominus in hoc facto ignorantiam discipuli voluit interrogando quod sciebat, ostendere. Nam interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes ut discamus ; aliquando interrogamus quod scimus, scire volentes utrùm &

v. 4.

[a] In undecim MSS. *ex substantia sua Pater, ex substantia sua Filius, qua illi* &c. omisso verbo, *facit.*

illesciat quem interrogamus: utrumque hoc noverat Dominus; & quod interrogabat sciebat, quid enim esset facturus ipse noverat; & hoc nescire Philippum sciebat similiter. Quare itaque interrogabat, nisi quia illius ignorantiam demonstrabat? Et hoc quare fecerit, ut dixi, postea intelligemus.

v. 9. 4. *Andreas ait, Est hic puer quidam qui habet quinque panes, & duos pisces, sed hæc quid sunt ad tantos?* Cùm dixisset Philippus interrogatus, ducentorum denariorum panes non sufficere, quibus tanta illa turba reficeretur, erat ibi quidam puer portans
v. 10. quinque panes hordeaceos & duos pisces. * *Et ait Iesus, Facite homines discumbere. Erat autem ibi fœnum multum, & discubuerunt ferme quinque millia ho-*
v. 11. *minum.* * *Accepit autem Dominus Iesus panes, gratias egit*, jussit, fracti sunt panes, positi ante discumbentes. Non jam quinque panes, sed quod adjecerat, qui creaverat quod auctum erat. *Et de piscibus quantum sufficiebat.* Parum est turbam illam fuisse satiatam, etiam fragmenta resederunt: & ipsa col-
v. 13. ligi jussa sunt, ne perirent. *Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.*

5. Breviter ut curramus, quinque panes intelliguntur quinque libri Moysi: meritò non triticei, sed hordeacei; quia ad vetus Testamentum pertinent. Nostis autem hordeum ita creatum, ut ad medullam ejus vix perveniatur: vestitur enim eadem medulla tegmine paleæ, & ipsa palea tenax & inhærens, ut cum labore exuatur. Talis est littera veteris Testamenti, vestita tegminibus carnalium sacramentorum: sed si ad ejus medullam perveniatur, pascit & satiat. Ferebat ergo puer quidam quinque panes & duos pisces. Si quæramus quis fuerit puer iste, fortè populus Israël erat: sensu puerili portabat, nec manducabat. Illa enim quæ portabat, clausa onerabant, aperta pascebant. Duo autem pisces, videntur nobis significare duas illas in veteri Testamento sublimes personas, quæ unguebantur ad populum sanctificandum & regendum, sacerdotis & regis. Et ipse in mysterio venit aliquando, qui per illas significabatur: venit aliquando qui per medullam hordei ostendebatur, per paleam verò hordei occultabatur. Venit ipse unus utramque personam in se portans, sacerdotis & regis: sacerdotis per victimam, quam seipsum obtulit pro nobis Deo: regis, quia regimur ab eo: & aperiuntur quæ clausa portabantur. Gratias illi, implevit per se quod per vetus Testamentum promittebatur. Et frangi jussit panes: frangendo multiplicati sunt. Nihil verius. Quinque enim illi libri Moysi, quàm multos libros cùm exponuntur, tamquam frangendo, id est, differendo, fecerunt? Sed quia in illo hordeo ignorantia primi populi tegeba-
2. Cor. 3 15. tur, de quo primo populo dictum est, Quamdiu legitur Moyses, velamen supra corda eorum positum est: (nondum enim ablatum erat velamen, quia nondum venerat Christus; nondum velum templi fuerat illo in cruce pendente conscissum:) quia ergo ignorantia populi erat in Lege, propterea illa Domini tentatio ignorantiam discipuli demonstrabat.

6. Nihil igitur vacat, omnia innuunt, sed intellectorem requirunt: nam & iste numerus pasti populi, populum significabat sub Lege constitutum. Cur enim quinque millia erant, nisi quia sub Lege erant, quæ Lex quinque libris Moysi explicatur? Unde & quinque illis porticibus languidi prodebantur, non sanabantur. Ille autem ibi curavit langui-
Johan. 5. 2. &c.
dum, qui & hîc turbas de quinque panibus pavit. Nam & super fœnum discumbebant: carnaliter ergo sapiebant, & in carnalibus quiescebant. Omnis enim caro fœnum. Quæ sunt autem illa fragmenta, nisi quæ populus non potuit manducare? Intelliguntur ergo quædam secretiora intelligentiæ, quæ multitudo non potest capere. Quid ergo restat, nisi ut secretiora intelligentiæ, quæ non potest capere multitudo, illis credantur qui idonei sunt & alios docere, sicut erant Apostoli? Unde duodecim cophini impleti sunt. Factum est hoc & mirabiliter, quia magnum factum est; & utiliter, quia spiritale factum est. Qui tunc viderunt, admirati sunt: nos autem non miramur cùm audimus. Factum est enim ut illi viderent, scriptum est autem ut nos audiremus. Quod in illis oculi valuerunt, hoc in nobis fides. Cernimus quippe animo, quod oculis non potuimus: & prælati sumus illis, quoniam de nobis dictum est, Beati qui non vident & credunt. Addo autem, quia fortè & intelleximus quod illa turba non intellexit. Et verè nos pasti sumus, qui ad medullam hordei pervenire potuimus.

Johan. 6 10. Isa. 40. 6. Johan. 6 13. Johan. 20. 29.

7. Denique homines illi qui viderunt hoc, quid putaverunt? *Illi*, inquit, *homines cùm vidissent quod fecerat signum, dicebant, quia hic est verè Propheta.* Fortè adhuc ideo Christum Prophetam putabant, quia super fœnum discubuerant. Erat autem ille Dominus Prophetarum, impletor Prophetarum, sanctificator Prophetarum, sed & Propheta: nam & Moysi dictum est, Suscitabo eis Prophetam simi-
Deut. 18. 18.
lem tui. Similem secundùm carnem, non secundùm majestatem. Et de ipso Christo illam Domini promissionem habere intellectum, apertè in Actibus Apostolorum exponitur & legitur. Et ipse Do-
Act. 7. 37.
minus de se ait, Non est Propheta sine honore, nisi
Johan. 4. 44.
in patria sua. Propheta Dominus, & Verbum Dei Dominus, & nullus Propheta sine Verbo Dei prophetat: cum Prophetis Verbum Dei, & Propheta Verbum Dei. Meruerunt priora tempora Prophetas afflatos, & impletos Verbo Dei: meruimus nos Prophetam ipsum Verbum Dei. Sic autem Propheta Christus, Dominus Prophetarum: sicut Angelus Christus, Dominus Angelorum. Nam & ipse dictus est magni consilij Angelus. Verumtamen
Isa. 9. 6. sec. LXX.
alibi quid dicit Propheta? Quia non legatus neque Angelus, sed ipse veniens salvos faciet eos: id est,
Isa. 35. 4.
ad salvos eos faciendos non mittet legatum, non mittet Angelum, sed veniet ipse. Quis veniet? Ipse Angelus. Certè non per Angelum, nisi quia iste sic Angelus, ut etiam Dominus Angelorum. Etenim Angeli Latinè nuntij sunt. Si Christus nihil annuntiaret, Angelus non diceretur: si Christus nihil prophetaret, Propheta non diceretur. Exhortatus est nos ad fidem, & ad capessendam vitam æternam: aliquid præsens annuntiavit, aliquid futurum prædixit: ex eo quod præsens annuntiavit, Angelus erat: ex eo quod futurum prædixit, Propheta erat: ex eo quod Verbum Dei caro factum est, & Angelorum & Prophetarum Dominus erat.

* TRACTATUS XXV.

* Habitus die proximo post superiorem Tractatū.

Ab eo quod scriptum est, Jesus ergo cùm cognovisset, quòd venissent ut raperent eum: *usque ad id*, Et ego resuscitabo eum in novissimo die.

1. HESTERNAM ex Evangelio lectionem, ista est hodierna quæ sequitur, unde hodiernus sermo debetur. Facto illo mira-

culo, ubi quinque millia hominum de quinque panibus pavit Jesus, cùm admiratæ essent turbæ, & eum magnum Prophetam dicerent qui venit in
Johan. 6. 15. mundum, sequitur hoc: *Iesus ergo cùm cognovisset quia* * *venturi erant ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Datur ergo intelligi, quòd Dominus cùm sederet in monte cum discipulis suis, & videret turbas ad se venientes, descenderat de monte, & circa inferiora loca turbas paverat. Nam quomodo fieri potest, ut rursus illuc fugeret, nisi antè de monte descenderet? Significat ergo aliquid, quòd Dominus de alto descendit ad pascendas turbas. Pavit, & adscendit.

* f. venirent.

2. Quare autem adscendit, cùm cognovisset quòd eum vellent rapere & regem facere? Quid enim? Non erat rex, qui timebat fieri rex? Erat omnino: nec talis rex qui ab hominibus fieret, sed talis qui hominibus regnum daret. Numquid fortè
Facta Christi nobis verba sunt. & hîc aliquid significat nobis Jesus, cujus facta verba sunt? Ergo in hoc quòd voluerunt eum rapere & regem facere, & propter hoc fugit in montem ipse solus, hoc in illo factum tacet, nihil loquitur, nihil significat? An fortè hoc erat rapere eum, prævenire velle tempus regni ejus? Etenim venerat modò, non jam regnare, quomodo regnaturus est
Matth. 6. 10. in eo quod dicimus, Adveniat regnum tuum. Semper quidem ille cum Patre regnat secundùm quod est Filius Dei, Verbum Dei, Verbum per quod facta sunt omnia. Prædixerunt autem Prophetæ regnum ejus, etiam secundùm id quod homo factus est Christus, & fecit fideles suos Christianos. Erit ergo regnum Christianorum quod modò colligitur, quod modò comparatur, quod modò emittur sanguine Christi: erit aliquando manifestum regnum ejus, quando aperta erit claritas sanctorum ejus post judicium ab eo factum: quod judicium suprà ipse dixit, quod filius hominis facturus sit. De
Johan. 5. 22. 1. Cor. 15. 24. Matth. 25. 34. quo regno etiam Apostolus dixit, Cùm tradiderit regnum Deo & Patri. Unde etiam ipse ait, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. Discipuli autem & turbæ credentes in eum, putaverunt illum sic venisse ut jam regnaret: hoc est velle rapere & regem facere, prævenire velle tempus ejus, quod ipse apud se occultabat, ut opportunè proderet, & opportunè in fine sæculi declararet.

3. Nam ut noveritis, quia regem eum volebant facere, id est, antevenire, & jam habere manifestum Christi regnum, quem primò oportebat judicari, & deinde judicare: ubi crucifixus est, & illi qui in eum sperabant, spem resurrectionis ejus perdiderant, resurgens à mortuis invenit inde duos cum desperatione sibi sermocinantes, & cum gemitu quæ gesta fuerant colloquentes: & apparens eis velut incognitus, cùm oculi eorum tenerentur ne ab eis agnosceretur, sermonem tractantibus miscuit: at illi narrantes ei unde sermocinarentur, dixerunt quia ille magnus Propheta in factis & dictis
Luca 24. 21. occisus esset à principibus sacerdotum. Et nos, inquiunt, sperabamus, quia ipse esset redemturus Israël. Rectè sperabatis, verum sperabatis: in illo est redemtio Israël. Sed quid festinatis? Rapere vultis. Illud etiam indicat nobis hunc sensum, quia cùm ab eo quærerent discipuli de fine, dixerunt ei,
Act. 1. 6. a Si hoc in tempore[a] præsentabis, & quando regnum Israël? Jam enim esse cupiebant, jam volebant; hoc est rapere velle, & regem facere. Sed ait discipulis, quia adhuc solus adscensurus erat: Non, inquit, Ibidem 7. est vestrûm scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem « ex alto, [b] Spiritum sanctum supervenientem in vos, « & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa « & Samaria, & usque in fines terræ. Vultis ut jam « exhibeam regnum; priùs colligam quod exhibeam: altitudinem amatis, & altitudinem adipiscemini; sed per humilitatem me sequimini. Sic de illo etiam
Psal. 7. 8. prædictum est, Et congregatio populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere: id est, ut circumdet te congregatio populorum, ut multos colligas, regredere in altum. Sic fecit, pavit, & adscendit.

4. Quare autem dictum est, *fugit?* Neque enim verè si nollet teneretur, si nollet raperetur, qui si nollet nec agnosceretur. Nam ut noveritis hoc mysticè factum, non ex necessitate, sed ex significante dispositione, modò in consequenti videbitis, quia eisdem turbis quæ eum quærebant apparuit, & cum
Johan. 6. 26. &c. eis loquens multa eis dixit, multa de pane cælesti disputavit: nonne cum ipsis de pane disputans erat, à quibus ne teneretur aufugerat? Non ergo & tunc poterat agere ut non ab eis comprehenderetur, quemadmodum postea quando cum eis loquebatur? Aliquid ergo significavit fugiendo. Quid est, *fugit?* Non potuit intelligi altitudo ejus. Quidquid enim non intellexeris, Fugit me, dicis. Ergo *fugit*
v. 15. *iterum in montem ipse solus.* Primogenitus à mortuis
Coloss. 1. 18. Rom. 8. 34. adscendens super omnes cælos, & interpellans pro nobis.

5. Interea illo sursum posito solo sacerdote magno, qui intravit in interiora veli, foris populo constituto: (hunc enim sacerdos ille in Lege veteri significavit, qui hoc semel in anno faciebat:) illo
Hebr. 9. 11. ergo sursum posito, discipuli in navicula quid patiebantur? Nam illo in altis constituto, navicula illa Ecclesiam præsignabat. Si non hoc primò in Ecclesia intelligimus, quod illa navicula patiebatur; non erant illa significantia, sed simpliciter transeuntia: si autem videmus exprimi in Ecclesia veritatem illarum significationum; manifestum est, quia facta Christi genera sunt locutionum. * *Vt autem serò factum est*, inquit, *descenderunt discipuli ejus*
Johan. 6. v. 16. v. 17. *ad mare:* * *& cùm adscendissent naviculam, venerunt trans mare in Capharnaum.* Citò dixit finitum quod postea factum est. *Venerunt trans mare in Capharnaum.* Et redit, ut exponat quomodo venerunt, quia per stagnum navigantes transierunt. Et dum navigarent ad eum locum, quò eos venisse jam dixit, recapitulando exponit quid acciderit: *Tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus.* Meritò tenebræ, quia lux non venerat. *Tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus.* QUANTUM ACCEDIT FINIS MUNDI, crescunt errores, crebrescunt terrores, crescit iniquitas, crescit infidelitas: lux denique quæ caritas apud Johannem ipsum Evangelistam satis apertéque demonstratur, ita ut diceret, Qui odit fratrem suum, in tenebris
1. Johan. 2. 11. est, creberrimè exstinguitur: crescunt istæ tenebræ odiorum fraternorum, quotidie crescunt; & nondum venit Jesus. Unde apparet quia crescunt? Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas
Matth. 24. 12. multorum. Crescunt tenebræ, & nondum venit Jesus. Crescentibus tenebris, refrigescente caritate, abundante iniquitate, ipsi sunt fluctus navem

[a] In plerisque MSS. *præsentaberis*: in uno, *præsentaveris*.

[b] Duo MSS. *Spiritu-sancto supervenientem*.

turbantes: tempestates & venti, clamores sunt maledicorum. Inde caritas refrigescit, inde fluctus augentur, & turbatur navis.

Johan.6.18. 6. *Vento magno flante mare exsurgebat.* Tenebræ crescebant, intelligentia minuebatur, iniquitas augebatur. *v. 19.* *Cùm remigassent ergo quasi stadia viginti-quinque aut triginta.* Interea ambulabant, promovebant, nec venti illi & tempestates & fluctus & tenebræ id agebant, ut vel navis non promoveretur, vel soluta mergeretur: sed inter illa omnia mala ibat. Etenim quia abundavit iniquitas, & refrigescit caritas multorum, crescunt fluctus, augentur tenebræ, sævit ventus: sed tamen navis ambulat. *Matth. 10. 22.* Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Nec ipse stadiorum numerus contemnendus est. Neque enim verè posset nihil significare quod dictum est, *Cùm remigassent stadia viginti-quinque aut triginta, tunc ad eos venit Iesus.* Sufficeret *viginti-quinque*, sufficeret *triginta*, maximè quia æstimantis erat, non affirmantis. Numquid periclitaretur veritas in æstimante, si diceret stadia fermè triginta, aut stadia fermè viginti-quinque? Sed ex viginti quinque fecit triginta. Quæramus numerum vicesimum-quintum. Unde constat, unde fit? de quinario. Quinarius ille numerus ad Legem pertinet. Ipsi sunt quinque libri Moysi, ipsæ sunt quinque porticus illæ languidos continentes, ipsi quinque panes quinque millia hominum pascentes. Ergo Legem significat numerus vicesimus-quintus: quoniam quinque per quinque, id est, quinquies quini, faciunt viginti quinque, quadratum quinarium. Sed huic Legi antequam Evangelium veniret, deerat perfectio. Perfectio autem in senario numero comprehenditur. Propterea sex *Gen. 1. 31.* diebus Deus mundum perfecit, & quinque ipsa per sex multiplicantur, ut Lex per Evangelium adimpleatur, ut fiant sexies quini triginta. Ad eos ergo *Johan.6.19.* qui implent Legem, venit Jesus. Et venit. Quomodo? Calcans fluctus, omnes tumores mundi sub pedibus habens, omnes celsitudines sæculi premens. Hoc agitur quantum additur tempori, & quantum accedit ætas sæculi. Augentur in isto mundo tribulationes, augentur mala, augentur contritiones, exaggerantur hæc omnia: Jesus transit, calcans fluctus.

7. Et tamen tantæ sunt tribulationes, ut etiam ipsi qui crediderunt in Jesum, & qui conantur perseverare usque in finem, expaveſcant ne deficiant: Christo fluctus calcante, sæculi ambitiones & altitudines deprimente, expaveſcit Christianus. Nonne hæc illi prædicta sunt? Meritò & Jesu in fluctibus ambulante, *timuerunt*: quomodo Christiani quamvis habentes spem in futuro sæculo, quando viderint deprimi altitudinem sæculi hujus, plerumque conturbantur de contritione rerum humanarum. Aperiunt Evangelium, aperiunt Scripturas, & inveniunt ibi ista omnia prædicta, quia hoc Dominus facit. Deprimit celsitudines sæculi, ut ab humilibus glorificetur. De quorum altitudine præ- *Psal. 9. 7.* dictum est, Civitates firmissimas destrues: &, Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates destruxisti. Quid ergo timetis Christiani? Christus *Johan.6.20.* loquitur: *Ego sum, nolite timere.* Quid hæc expaveſcitis? Quid timetis? Ego ista prædixi, ego facio, *v. 21.* necesse est ut fiant. *Ego sum, nolite timere.* * *Voluerunt ergo eum accipere in navim*, agnoscentes ac gaudentes, securi facti. *Et statim fuit navis ad terram, in quam ibant.* Factus est finis ad terram: de humido ad solidum, de turbato ad firmum, de itinere ad finem.

8. * *Alterà die turba quæ stabat trans mare*, unde *v. 22.* illi venerant: *vidit quia navicula non erat ibi nisi una, & quia non introisset cum discipulis suis in navem, sed soli discipuli ejus abiissent:* * *aliæ verò supervenerunt naves à Tiberiade, juxta locum ubi manducaverunt panem, gratias agente Domino.* * *Cùm ergo vidissent turbæ, quia Iesus non esset ibi, neque discipuli ejus, adscenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaüm quærentes Iesum.* Insinuatum tamen est illis tam magnum miraculum. Viderunt enim quòd discipuli soli adscendissent in navem, & quia alia navis non ibi erat. Venerunt autem inde & naves juxta locum illum ubi manducaverunt panem, in quibus eum turbæ secutæ sunt. Cum discipulis ergo non adscenderat, alia navis illic non erat: unde subitò trans mare factus est Jesus, nisi quia super mare ambulavit, ut miraculum monstraret?

9. *Et cùm invenissent eum turbæ?* Ecce præsentat *v. 25.* se turbis, à quibus se rapi timuerat, & in montem fugerat. Omnino confirmat & insinuat nobis in mysterio dicta esse illa omnia: & facta in magno sacramento, ut aliquid significarent. Ecce est ille qui in montem fugerat turbas: nonne cum ipsis turbis loquitur? Modò teneant, modò regem faciant. *Et cùm invenissent eum trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando huc venisti?*

10. Ille post miraculi sacramentum, & sermonem infert, ut si fieri potest, qui pasti sunt, pascantur, & quorum satiavit panibus ventres, satiet & sermonibus mentes; sed si capiunt. Et si non capiunt, sumatur quod non capiunt, ne fragmenta pereant. Loquatur ergo, & audiamus: *Respondit* *v. 26.* *Iesus, & dixit, Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis.* Propter carnem me quæritis, non propter spiritum. Quàm multi non quærunt Jesum, nisi ut illis faciat bene secundùm tempus. Alius negotium habet, quærit intercessionem clericorum: alius premitur à potentiore, fugit ad ecclesiam: alius pro se vult interveniri apud eum, apud quem parum valet: ille sic, ille sic; impletur quotidie talibus ecclesia. Vix quæritur Jesus propter Jesum. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis.* * *Operamini non cibum qui perit, sed* *v. 27.* *qui permanet in vitam æternam.* Quæritis me propter aliud, quærite me propter me. Seipsum enim insinuat istum cibum, quod in consequentibus illucescit. *Quem filius hominis dabit vobis.* Exspectabas credo iterum panes manducare, iterum discumbere, iterum saginari. Sed dixerat *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*: quomodo dictum fuerat mulieri illi Samaritanæ, Si scires qui *Iohan. 4.* petit à te bibere, tu forsitan postulasses ab eo, & *10. &c.* daret tibi aquam vivam: cùm illa diceret, Unde « tibi, quandoquidem non habes hauritorium, & « puteus altus est? Samaritanæ respondit: Si scires « qui à te petit bibere, tu petisses ab eo, & daret tibi « aquam, unde qui biberit, ampliùs non sitiet: nam « de hac aqua qui biberit, sitiet iterum. Et gavisa est « illa, & voluit accipere, quasi non passura sitim corporis, quæ labore hauriendi fatigabatur: & sic inter hujusmodi sermocinationes pervenit ad potum spiritalem: omnino isto modo & hîc.

11. Hunc ergo *cibum, non qui perit, sed qui perma-* *Iohan. 6.* *net in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis:* *27.* *hunc enim Pater signavit Deus.* Istum filium homi-

nis nolite sic accipere, quasi alios filios hominum, de A *Psal. 35. 8.* quibus dictum est, Filij autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Iste filius hominis sequestratus quadam gratiâ spiritûs, & secundùm carnem filius hominis, exceptus à numero hominum, filius hominis est. Iste filius hominis & Filius Dei est, iste homo etiam Deus est. Alio loco inter- *Matth. 16. 13. &c.* rogans discipulos ait, Quem me dicunt esse homines » filium hominis? Et illi, Alij Johannem, alij Eliam, » alij Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Et ille, Vos » verò quem me dicitis esse? Respondit Petrus, Tu B » es Christus Filius Dei vivi. Ille dixit se filium hominis, & Petrus eum dixit Filium Dei vivi. Optimè ille commemorabat quod misericorditer exhibuerat: ille commemorabat quod in claritate permanebat. Verbum Dei commendat humilitatem suam, homo agnoscit claritatem Domini sui. Et re vera, Fratres, puto quia justum est: humiliavit se propter nos, glorificemus illum nos. Non enim filius hominis propter se est, sed propter nos. Ergo erat filius hominis illo modo, cùm Verbum C caro factum est, & habitavit in nobis. Ideo enim *hunc Deus Pater signavit.* Signare quid est, nisi proprium aliquid ponere? Hoc est enim signare, imponere aliquid quod non confundatur cum ceteris. Signare, est signum rei ponere. Cuicumque rei ponis signum, ideo ponis signum, ne confusa cum aliis, à te non possit agnosci. *Pater* ergo *eum signavit.* Quid est, *signavit*? Proprium quiddam illi dedit, ne ceteris comparetur hominibus. Ideo de il- *Psal. 44. 8.* lo dictum est, Unxit te Deus Deus tuus oleo exD sultationis, præ participibus tuis. Ergo signare quid est? Exceptum habere: hoc est, præ participibus tuis. Itaque nolite, inquit, me contemnere, quia filius sum hominis: & quæritè à me *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Sic enim filius hominis sum, ut non sim unus ex vobis: sic sum filius hominis, ut Pater Deus me signaret. Quid est, signaret? Proprium aliquid mihi daret, quo non confunderer cum genere humano, sed per me liberaretur genus humanum?

Iohan.6.28. 12. *Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus ut operemur opera Dei?* Dixerat enim illis, *Operamini escam, non quæ perit, sed quæ permanet in vitam æternam. Quid faciemus*, inquiunt? quid observando *v. 29.* hoc præceptum implere poterimus? *Respondit Iesus, & dixit eis, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Hoc est ergo manducare *cibum non* *De consecrat. dist. 2. cap. Ut quid.* *qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Ut quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti. F Discernitur quidem ab operibus fides, sicut Apo- *Rom. 3. 28.* stolus dicit, justificari hominem per fidem sine ope- Opera sine fide. ribus Legis: & sunt opera quæ videntur bona, sine fide Christi; & non sunt bona, quia non referun- *Rom. 10. 4.* tur ad eum finem ex quo sunt bona: Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti. Ideo noluit discernere ab opere fidem, sed ipsam fidem *Galat. 5. 6.* dixit esse opus. Ipsa est enim fides quæ per dilectio- Fides opus Dei. nem operatur. Nec dixit, Hoc est opus vestrum, sed, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit* *1. Cor. 1. 31* *ille*: ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia G ergo invitabat eos ad fidem, illi adhuc quærebant signa quibus crederent. Vide si non Judæi signa *Iohan. 6. 30.* petunt. Dixerunt ergo ei, *Quod ergo tu facis signum, ut videamus & credamus tibi? quid operaris?* Parumne erat quod de quinque panibus pasti sunt? Sciebant hoc quidem, sed huic cibo manna de cælo præferebant. Dominus autem Jesus talem se dicebat, ut Moysi præponeret. Non enim ausus est Moysen de se dicere, quòd daret *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Aliquid plus iste promittebat quàm Moyses. Per Moysen quippe promittebatur regnum, & terra fluens lac & mel, temporalis pax, abundantia filiorum, salus corporis, & cetera omnia, temporalia quidem, in figura tamen spiritalia: quia veteri homini in vetere Testamento promittebantur. Adtendebant ergo promissa per Moysen, & adtendebant promissa per Christum. Ille plenum ventrem promittebat in terra, sed cibo qui perit: iste promittebat *cibum non qui perit, sed qui permanet in æternum.* Adtendebant eum plus promittentem, & quasi nondum videbant majora facientem. Adtendebant itaque qualia fecisset Moyses, & adhuc aliqua majora volebant fieri ab eo qui tam magna pollicebatur. Quid, inquiunt, facis ut credamus tibi? Et ut noveris quia miracula illa huic miraculo comparabant, & ideo quasi minora ista judicabant quæ fa- *v. 31.* ciebat Jesus: *Patres*, inquiunt, *nostri manna manducaverunt in deserto.* Sed quid est manna? Fortè contemnitis. *Sicut scriptum est, Dedit illis manna manducare.* Per Moysen patres nostri panem de cælo acceperunt, & non eis dictum est à Moyse, *Operamini cibum non qui perit.* Tu promittis *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, & non talia opera operaris qualia Moyses. Panes hordeaceos ille non dedit, sed dedit manna de cælo.

13. * *Dixit ergo eis Iesus, Amen, amen dico vobis,* *v. 32.* *non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dedit vobis panem de cælo.* * *Verus enim panis est qui* *v. 33.* *de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Verus ergo ille panis est, qui dat vitam mundo: & ipse cibus est, de quo paulò antè locutus sum, *Operamini cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Ergo & illud manna hoc significabat, & illa omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis: qui significabatur, contemnitis? Non ergo Moyses dedit panem de cælo: Deus dat panem. Sed quem panem? E fortè manna? Non, sed panem quem significavit manna, ipsum scilicet Dominum Jesum. *Pater meus dat vobis panem verum. Panis enim Dei est qui descendit de cælo, & dat vitam mundo.* * *Dixerunt ergo ad* *v. 34.* *eum, Domine da nobis semper panem hunc.* Quomodo mulier illa Samaritana, cui dictum est, Qui bibe- *Johan. 4. 13.* rit de hac aqua, non sitiet umquam: continuò illa *&c.* secundùm corpus accipiens, sed tamen carere indigentiâ volens, Da mihi, inquit, Domine de hac « aqua: sic & isti, *Domine, da nobis panem hunc*, qui nos reficiat, nec deficiat.

14. *Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis vitæ:* *Iohan. 6. 35.* *qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet umquam. Qui venit ad me*, hoc est quod ait, & *qui credit in me*: & quod dixit, *non esuriet*, hoc intelligendum est, *non sitiet umquam.* Utroque enim illa significatur æterna satietas, ubi nulla est egestas. Panem de cælo desideratis: ante vos habetis, & non manducatis. *Sed dixi vobis, quia & vidistis* *v. 36.* *me, & non credidistis.* Sed non ideo ego populum perdidi. Numquid enim infidelitas vestra fidem *Rom. 3. 3.* Dei evacuavit? Vide enim quod sequitur: *Omne* *Johan. 6. 37.* *quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venerit ad me, non ejiciam foras.* Quale est intus illud, unde non exitur foras? Magnum penetrale, & dulce secretum. O secretum sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum & dolorum! Nonne illud secretum

Matth. 25. 23. est quò intrabit ille, cui dicturus est Dominus servo bene merito, Intra in gaudium Domini tui?

15. *Et eum qui veniet ad me, non ejiciam foras.* Johan. 6. 38. * *Quia descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ideo ergo eum qui veniet ad te, non ejicies foras, quia descendisti de cælo, non facere voluntatem tuam, sed voluntatem ejus qui te misit? Magnum sacramentum. Obsecro vos, simul pulsemus, exeat ad nos aliquid quod nos pascat, secundùm quod nos delectavit. Magnum illud & dulce secretum: *Qui veniet ad me.* Adtende, adtende, & appende: *Qui veniet ad me, non ejiciam foras.* Ergo, *qui veniet*, inquit, *non ejiciam foras.* Quare? *Quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ipsa est ergo caussa quare non ejicias eum foras qui venit ad te, quia non voluntatem tuam facere descendisti de cælo, sed voluntatem ejus qui te misit? Ipsa. Quid quærimus utrùm ipsa sit? Ipsa est, ipse loquitur. Non enim nobis fas est aliud suspicari quàm loquitur: *Qui venerit ad me, non ejiciam foras.* Et quasi quæreres, Quare? *Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Timeo ne foras propterea exierit anima à Deo, quia superba erat; immo non dubito. Scriptum est enim, Initium omnis peccati superbia: &, Initium superbiæ hominis apostatare à Deo. Scriptum est, firmum est, verum est. Deinde quid de superbo dicitur mortali, accincto pannis carnis, prægravato pondere corporis corruptibilis, & tamen extollenti se, & obliviscenti qua pelle vestitus sit, quid ei dicit Scriptura? Quid superbit terra & cinis? Quid superbit? Dicat quid superbit. Quoniam in vita sua projecit intima sua. Quid est, projecit, nisi porrò jecit? Hoc est exire foras. Etenim intrare intrò, appetere intima; projicere intima, foras exire est. Intima projicit superbus, intima appetit humilis. Si superbiâ ejicimur, humilitate regredimur.

Eccli. 10. 15. Superbia malorum omnium caput. Ibidem 9. & 10.

Humilitate sua Christus superbiam nostram curat.

16. Caput omnium morborum superbia est, quia caput omnium peccatorum superbia. Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliquam caussam factum est, & ipsam caussam qua factum est non curet, ad tempus videtur mederi, caussâ manente morbus repetitur. Verbi gratiâ, expressiùs hoc dicam, Humor in corpore scabiem vel ulcera gignit: in corpore fit magna febris, & non parvus dolor: exhibentur quædam medicamenta quæ scabiem compescant & fervorem illum ulceris sedent; & adhibentur & proficiunt: vides hominem qui fuit ulcerosus & scabiosus, sanatum; sed quia humor ille non ejectus est, rursus ad ulcus reditur. Cognoscens hoc medicus, purgat humorem, detrahit caussam, & nulla erunt ulcera. Unde abundat iniquitas? per superbiam. Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Ut ergo caussa omnium morborum curaretur, id est superbia, descendit & humilis factus est Filius Dei. Quid superbis homo? Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, & humilis factus est: præcipitur tibi ut sis humilis, non tibi præcipitur ut ex homine fias pecus: ille Deus factus est homo, tu homo cognosce quia es homo: tota humilitas tua, ut cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit, *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus voluntatem qui misit me.* Hæc enim commendatio humilitatis est. Superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. Ideo *qui ad me venerit, non ejiciam foras.* Quare? *Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Humilis veni, humilitatem docere veni, magister humilitatis veni: qui ad me venit, incorporatur mihi; qui ad me venit, humilis fit; qui mihi adhæret, humilis erit: quia non facit voluntatem suam, sed Dei: & ideo non ejicietur foras, quia cùm superbus esset, projectus est foras.

Psal. 35. 8. 17. Vide illa interiora commendari in Psalmo: Filij autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Vide quid sit ire intrò, vide quid sit ad illius protectionem confugere, vide quid sit etiam sub verbera patris currere: flagellat enim omnem filium quem recipit. Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Et quid est intus? Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Cùm miseris intrò, intrantes in gaudium Domini sui; inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ. Non foris extra te, sed intus apud te, ibi est fons vitæ. Et in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam his qui recto sunt corde. Qui sequuntur voluntatem Domini sui, non quærentes sua, sed quæ Domini Jesu Christi, ipsi sunt recti corde, ipsis non commoventur pedes. Bonus enim Deus Israël rectis corde. Mei autem, inquit ille, penè commoti sunt pedes. Quare? Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Ergo quibus bonus est Deus, nisi rectis corde? Nam mihi torto corde displicuit Deus. Quare displicuit? Quia dedit felicitatem malis: & ideo nutaverunt mihi pedes, quasi sine caussa servissem Deo. Ideo ergo mei penè commoti sunt pedes, quia non fui rectus corde. Quid est ergo rectus corde? sequens voluntatem Dei. Felix est ille, laborat ille: ille malè vivit & felix est, ille justè vivit & laborat. Non indignetur justè vivens & laborans: intus habet quod felix ille non habet: non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat. Felix ille habet ipse aurum in arca, iste Deum in conscientia. Compara nunc aurum & Deum, arcam & conscientiam. Ille illud habet quod perit, & ibi habet unde perit: iste Deum habet qui perire non potest, & ibi habet unde auferri non potest: sed si sit rectus corde; tunc enim intrat, & non exit. Ideo ille quid dicebat? Quoniam apud te est fons vitæ: non apud nos. Ideo intrare debemus ut vivamus, non quasi nobis sufficere ut pereamus, non quasi de nostro velle satiari ut arescamus: sed os ad ipsum fontem ponere, ubi aqua non deficit. Quia voluit suo consilio vivere Adam, & lapsus est per eum qui antè ceciderat per superbiam, qui ei calicem ipsius superbiæ propinavit. Quia ergo apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen: intus bibamus, intus videamus. Quare enim inde exitum est? Audi quare: Non veniat mihi pes superbiæ. Ergo ille exiit, cui venit pes superbiæ. Ostende quia ideo exiit. Et manus peccatorum non moveant me: propter pedem superbiæ. Quare hoc dicis? Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Ubi ceciderunt? in ipsa superbia. Expulsi sunt, nec potuerunt stare. Si ergo superbia expulit eos, qui non potuerunt stare: humilitas intromittit, qui possint in perpetuum stare. Ideo etenim ille qui dixit, Exsultabunt ossa humiliata: prædixit, Auditui meo dabis exsultationem &

Psal. 35. v. 9. v. 10. v. 11. Psal. 72. v. 1. v. 2. v. 3. Rectus corde quis. Psal. 35. v. 10. v. 12. v. 13. Psal. 50. 10.

lætitiam. Quid est, auditui meo? Audiendo te felix sum, de voce tua felix sum: intus bibendo felix sum. Ideo non cado, ideo exsultabunt ossa humiliata: ideo amicus sponsi stat, & audit eum; ideo stat, quia audit. De interiore fonte bibit, ideo stat. Illi qui noluerunt de interiore bibere, ibi ceciderunt, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Johan. 3. 29.

18. Doctor itaque humilitatis venit non facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum. Veniamus ad eum, intremus ad eum, incorporemur ei, ut nec nos faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei: & non nos ejiciet foras, quia membra ejus sumus, quia caput nostrum esse voluit docendo humilitatem. Ad extremum, ipsum audite concionantem: Venite ad me qui laboratis & onerati estis: tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde: & cùm hoc didiceritis, invenietis requiem animabus vestris, unde non ejiciamini foras: *quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*: humilitatem doceo, ad me venire non potest nisi humilis. Non mittit foras nisi superbia: quomodo exit foras qui servat humilitatem, & non labitur à veritate? Dicta sunt quanta dici potuerunt de absconditо sensu, Fratres: satis enim hîc latet sensus, & nescio utrùm congruis verbis à me sit depromtus & exsculptus, quare ideo non ejiciat foras qui venit ad illum, quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum. Matth. 11. 28. 29.

19. *Hæc est autem*, inquit, *voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Ipse illi datus est, qui servat humilitatem; hunc accipit: qui non servat humilitatem, longè est à magistro humilitatis. *Ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Sic non est voluntas in conspectu Patris vestri, ut pereat unus de pusillis istis. De tumentibus potest perire, de pusillis nihil perit: quia nisi fueritis sicut pusillus iste, non intrabitis in regnum cælorum. *Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo; sed resuscitabo illud in novissimo die.* Videte quemadmodum & hîc geminam illam resurrectionem delineet. *Qui venit ad me*, modò resurgit humilis factus in membris meis: sed & *resuscitabo eum in novissimo die*, secundùm carnem. *Hæc est enim voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Superiùs dixit, Qui audit verbum meum, & credit ei qui misit me: modò autem, *Qui videt Filium, & credit in eum.* Non dixit, Videt Filium, & credit in Patrem: hoc est enim credere in Filium, quod & in Patrem. Quia sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. *Ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam:* credendo & transeundo ad vitam, tamquam prima illa resurrectione. Et quia non est sola, *& resuscitabo ego eum*, inquit, *in novissimo die.* Matth. 18. 14. Ibidem 4. Johan. 6. 40. Johan. 5. 24. Ibidem 26.

TRACTATUS XXVI.

Ab eo quod scriptum est, Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset, Ego sum panis, qui de cælo descendi: *usque ad id*, Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

1. CUM Dominus noster Jesus Christus, sicut in Evangelio cùm legeretur, audivimus, panem se esse dixisset, qui de cælo descendit, murmuraverunt Judæi, & dixerunt, *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem? Quomodo ergo hic dicit, quia descendi de cælo?* Isti à pane de cælo longè erant, nec eum esurire noverant. Fauces cordis languidas habebant, auribus apertis surdi erant, videbant & cæci stabant. Panis quippe iste interioris hominis quærit esuriem: unde alio loco dicit, Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Justitiam verò nobis esse Christum Paulus Apostolus dicit. Ac per hoc qui esurit hunc panem, esuriat justitiam; sed justitiam quæ de cælo descendit, justitiam quam dat Deus, non quam sibi facit homo. Si enim nullam sibi homo faceret justitiam, non diceret idem Apostolus de Judæis, Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Inde erant isti qui panem de cælo descendentem non intelligebant, quia suâ justitiâ saturati, justitiam Dei non esuriebant. Quid est hoc, justitia Dei & justitia hominis? Justitia Dei hîc dicitur, non qua justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum. Quæ autem erat illorum justitia? Qua de suis viribus præsumebant, & quasi impletores Legis seipsos ex sua virtute dicebant. Nemo autem implet Legem, nisi quem adjuverit gratia, id est panis qui de cælo descendit. Legis enim plenitudo, compendio, ut ait Apostolus, caritas est: caritas non nummi, sed Dei; Caritas non terræ, non cæli, sed ejus qui fecit cælum & terram. Unde ista caritas homini? Ipsum audiamus: caritas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. Daturus ergo Dominus Spiritum-sanctum, dixit se panem qui de cælo descendit, hortans ut credamus in eum. Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit, manducat: invisibiliter faginatur, quia invisibiliter renascitur. Infans intus est, novus intus est: ubi novellatur, ibi satiatur. Johan. 6. 42. Matth. 5. 6. 1. Cor. 1. 30. Rom. 10. 3. Justitia Dei & justitia hominis. Rom. 13. 10. Rom. 5. 5. De consecrat. dist. 2. cap. Credere. 4. Sent. dist. 9. c. 1.

2. Quid ergo talibus murmurantibus respondit Jesus? *Nolite murmurare ad invicem.* Tamquam dicens, Scio quare non esuriatis, & istum panem non intelligatis neque quæratis. *Nolite murmurare ad invicem: nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* MAGNA GRATIÆ COMMENDATIO. Nemo venit nisi tractus. Quem trahat & quem non trahat, quare illum trahat & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige: [a] Nondum traheris? ora ut traharis. Quid hîc dicimus, Fratres? * Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. * Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: sed non corpore creditur. Apostolum audi: Corde creditur ad justitiam. Et quid sequitur? Ore autem confessio fit ad salutem. De radice cordis surgit ista confessio. Aliquando audis confitentem, & nescis credentem. [b] Sed nec debes vocare confitentem, quem judicas non credentem. Hoc est enim confiteri, dicere quod habes in corde: si autem aliud in corde habes, aliud dicis; loqueris, non confiteris. Cùm ergo in Christum corde credatur, quod nemo utique facit invitus, qui autem trahitur, tamquam invitus cogi videtur; quomodo istam solvimus quæ- a Johan. 6. 44. Difficultas. Solutio. 2. Sent. dist. 26. c. Non est tamen. Rom. 10. 10.

a Editi, *Non traheris.* MSS. *Nondum traheris.* b Am. Bad. & Er. addunt, *vocat confitentem, & nescis credentem.*

stionem, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum?*

Objectio. * Responsio. 3. Si trahitur, ait aliquis, invitus venit. * Si invitus venit, nec credit; si non credit, nec venit. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideo illa mulier quæ fimbriam tetigit, magis tetigit quàm turba quæ pressit. Ideo Dominus dixit, Quis me tetigit? Et mirantes discipuli, dixerunt, Turbæ te comprimunt, & dicis, Quis me tetigit? Et ille repetivit, Tetigit me aliquis. Illa tangit, turba premit. Quid est tetigit, nisi credidit? Unde & mulieri illi post resurrectionem dixit volenti se mittere ad pedes ejus, Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem. Quod vides, hoc solum me esse putas, noli me tangere. Quid est? Hoc solum me esse putas quod tibi appareo, noli sic credere: hoc est, Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem: tibi non adscendi, nam inde numquam recessi. In terra non tangebat stantem, quomodo tangeret ad Patrem adscendentem? Sic tamen, sic se tangi voluit: sic tangitur ab eis à quibus bene tangitur, adscendens ad Patrem, manens cum Patre, æqualis Patri.

Luca 8. 45. &c.

Johan. 20. 17.

4. Inde & hîc si advertis, *Nemo venit ad me, nisi quem Pater adtraxerit.* Noli [a] te cogitare invitum trahi: trahitur animus & amore. Nec timere debemus ne ab hominibus qui verba perpendunt, & à rebus maximè divinis intelligendis longè remoti sunt, in hoc Scripturarum sanctarum evangelico verbo forsitan reprehendamur, & dicatur nobis, Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porrò si poëtæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitiâ, delectatur sempiternâ vitâ, quod totum Christus est? An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur, Filii autem hominum, sub tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? Da amantem, & sentit quod dico. Da desiderantem, da [b] esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem: da talem, & scit quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit quid loquor. Tales erant isti qui invicem murmurabant. *Pater*, inquit, *quem traxerit, venit ad me.*

Virg. Eclog. 2.

Psal. 35. 8. &c.

5. Quid est autem, *Pater quem traxerit:* cùm ipse Christus trahat? Quare voluit dicere, *Pater quem traxerit?* Si trahendi sumus, ab illo trahamur cui dicit quædam quæ diligit, Post odorem unguentorum tuorum curremus. Sed quid intelligi voluit, advertamus, Fratres, & quantum possumus capiamus. Trahit Pater ad Filium eos qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum: Deus enim Pater æqualem sibi genuit Filium: ut qui cogitat, atque in fide sua sentit & ruminat æqualem esse Patri eum in quem credidit, ipsum trahit Pater ad Filium. Arius credidit creaturam, non eum traxit Pater; quia non considerat Patrem, qui Filium non credit æqualem. Quid dicis ô Arî? quid hæretice loqueris? quid est Christus? Non, inquit, Deus verus; sed quem fecit Deus verus. Non te traxit Pater; non enim intellexisti Patrem, cujus Filium negas: aliud cogitas, non est ipse Filius; nec à Patre traheris, nec ad Filium traheris: aliud est enim Filius, aliud quod tu dicis. Photinus dixit, Homo solùm est Christus, non est & Deus. Qui sic credit, non Pater eum traxit. Quem Pater traxit, Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi. Non sicut Propheta, non sicut Johannes, non sicut aliquis magnus justus, sed sicut unicus, sicut æqualis, tu es Christus Filius Dei vivi. Vide quia tractus est, & à Patre tractus est. Beatus es Simon Bar-Jona, quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est. Ista revelatio, ipsa est adtractio. Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur: & [c] quò currit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt; quoniam verum est, Trahit sua quemque voluptas. non trahit revelatus Christus à Patre? Quid enim fortiùs desiderat anima quàm veritatem? Quò avidas fauces habere debet, unde optare ut sanum sit intus palatum vera judicandi, nisi ut manducet & bibat sapientiam, justitiam, veritatem, æternitatem?

Arii hæresis.

Photini error.

Matth. 16. 16.

Ibidem 17.

c

6. Ubi autem hoc? Ibi meliùs, veriùs ibi, plenìùs ibi. Nam hîc faciliùs possumus esurire, & hoc si bonam spem habemus, quàm satiari: Beati enim, inquit, qui esuriunt & sitiunt justitiam, sed hîc: quoniam saturabuntur, sed ibi. Ideo cùm dixisset, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, quid subjecit? * *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Reddo illi quod amat, reddo quod sperat: videbit quod adhuc non videndo credidit; manducabit quod esurit, saturabitur eo quod sitit. Ubi? In resurrectione mortuorum, quia *ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Matth. 5. 6.

Johan. 6. 44.

7. *Scriptum est enim in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei.* Quare hoc dixi, ô Judæi? Pater vos non docuit: quomodo potestis me agnoscere? Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient. Et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus revelatur. Quid faciunt homines forinsecùs annuntiantes? quid facio ego modò cùm loquor? Strepitum verborum ingero auribus vestris. Nisi ergo revelet ille qui intus est, quid dico, aut quid loquor? Exterior cultor arboris, interior est Creator. Qui plantat & qui rigat, extrinsecùs operatur: hoc facimus nos. Sed neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: hoc est, *Erunt omnes docibiles Dei.* Qui omnes? *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo. Ecce quomodo trahit. *Erunt omnes docibiles Dei*, trahere Dei est. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*, trahere Dei est.

v. 45. *Johan.* 6. 45.

1. *Cor.* 3. 7.

8. Quid igitur fratres? Si omnis qui audivit à Patre

[a] MSS. plures, *Nolite cogitare invitum trahi invitum.*

[b] Plerique MSS. *da fervorem.* Paulòque pòst, omnes omisso *nescit*, habent ita, *Si autem frigido loquor, quid loquor?*

[c] Aliquot MSS. *Et quò currit.*

tre & didicit, ipse venit ad Christum, Christus nihil hîc docuit? Quid quòd Patrem magistrum homines non viderunt, Filium viderunt? Filius docebat, sed Pater docebat. Ego cùm homo sim, quem docco? quem, Fratres, nisi eum, qui audit verbum meum? Si ego cùm homo sim, illum doceo qui audit verbum meum; illum docet & Pater, qui audit Verbum ejus: si illum docet Pater qui audit Verbum ejus; quære quid sit Christus, & invenies Verbum ejus: In principio erat Verbum. Non, In principio fecit Deus Verbum; quomodo, In principio fecit Deus cælum & terram: ecce quia non est creatura. Disce trahi ad Filium à Patre, doceat te Pater, audi Verbum ejus. Quod Verbum ejus, inquis, audio? In principio erat Verbum: non factum est, sed erat: Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quomodo homines in carne constituti audiant tale Verbum? Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

Johan. 1. 1. *Gen.* 1. 1.

9. Exponit hoc & ipse, & ostendit nobis quid dixerit, *Qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Continuò subjecit quod cogitare possemus: *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Quid est quod ait? Ego vidi Patrem, vos non vidistis Patrem; & tamen non venitis ad me, nisi trahamini à Patre. Quid est autem vos trahi à Patre, nisi discere à Patre? quid est discere à Patre, nisi audire à Patre? quid est audire à Patre, nisi audire Verbum Patris, id est me? Ne fortè ergo cùm dico vobis, *Omnis qui audivit à Patre & didicit*, dicatis apud vos, Sed numquam vidimus Patrem, quomodo discere potuimus à Patre? A meipso audite: *Non quia Patrem vidit quisquam, sed qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Ego novi Patrem, ab illo sum: sed quomodo verbum ab illo, cujus est verbum, non quod sonat & transit, sed quod manet cum dicente, & trahit audientem.

Johan. 6. 46.

10. Admoneat quod sequitur: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Revelare se voluit quid esset: nam compendio dicere potuit, Qui credit in me, habet me. Ipse enim Christus verus Deus est & vita æterna. Qui ergo credit in me, inquit, [a] it in me; & qui it in me, habet me. Quid est autem habere me? habere vitam æternam. Vita æterna mortem assumsit, vita æterna mori voluit; sed de tuo, non de suo: accepit à te, ubi moreretur pro te. Ab hominibus enim carnem assumsit, sed non more hominum. Nam Patrem habens in cælo, matrem elegit in terra: & illic natus sine matre, & hîc sine Patre. Assumsit ergo vita mortem, ut vita occideret mortem. Nam *qui in me credit*, inquit, *habet vitam æternam*: non quod patet, sed quod latet. Vita enim æterna Verbum in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & vita erat lux hominum. Ipse vita æterna, dedit & carni susceptæ vitam æternam. Mori venit, sed die tertio resurrexit. Inter Verbum suscipiens, & carnem resurgentem, mors media consumta est.

v. 47.

11. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ.* Et unde illi superbiebant? *Patres vestri*, inquit, *manducaverunt in deserto manna, & mortui sunt.* Quid est unde superbitis? *Manducaverunt manna, & mortui sunt.* Quare manducaverunt, & mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum. [b] Nam quantum pertinet, Fratres mei, ad mortem istam visibilem & corporalem, numquid nos non morimur qui manducamus panem de cælo descendentem? Sic sunt mortui & illi, quemadmodum nos sumus morituri; quantum adtinet, ut dixi, ad mortem hujus corporis visibilem atque carnalem. Quantum autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus, qua mortui sunt patres istorum; manducavit manna & Moyses, manducavit manna & Aaron, manducavit manna & Phinees, manducaverunt ibi multi qui Domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustaverunt, ut spiritaliter satiarentur. Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Unde dicit Apostolus, Judicium sibi manducat, & bibit. [c] Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ. Et tamen accepit, & cùm accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo, Fratres, PANEM CÆLESTEM spiritaliter manducare, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, adtendite quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum. Sed vide si dimittis: nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Novit ille quid [d] agat. Intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus judicat, intus aut damnat, aut coronat. Patres autem istorum, id est, mali patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores patres murmuratorum. Nam de nulla re magis Dominum offendisse ille populus dictus est, quàm contra Deum murmurando. Ideo & Dominus eos volens ostendere talium filios, hinc ad eos cœpit: *Quid murmuratis in invicem*, murmuratores Filii murmuratorum? *Patres vestri manna manducaverunt, & mortui sunt:* non quia malum erat manna, sed quia malè manducaverunt.

v. 48. v. 49.

Johan. 6. 50. *1. Cor.* 11. 29. *De consecrat. dist.* 2. *cap.* Panem de altari. *Matth.* 6. 12.

12. *Hic est panis qui de cælo descendit.* Hunc panem significavit manna, hunc panem [e] significavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in signis diversa sunt: in re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi: Nolo enim vos, inquit, ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes [f] in Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eamdem: nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: spiritalem verò, quam nos. Sed patres nostri, non patres illorum: quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Et adjun-

1. Cor. 10. 1. &c. *De consecrat. dist.* 2. *cap.* Initio quis.

[a] Vindocinenſis MS. *vivit in me, & qui vivit in me.* At Am. Bad & Er. carent hac sententiâ, *Qui credit in me, inquit, it in me; & qui it in me, habet me*: quæ tamen exstat in ceteris codicibus.

[b] Hîc in decem MSS. additur, *& infidelium filiorum infideles patres.*

[c] Sic Bad. Am. & omnes MSS. At Er. & Lov. *Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ?* Vide suprà Tract. 6. n. 15.

[d] Er. & Lov. *agat*: refragantibus editis aliis & MSS.

[e] MSS. plerique, *significat altare Dei.*

[f] Editi, *per Moysen.* Aliquot MSS. *in Moyse.* Alii plerique, *in Moysen*: juxta Græcum, εἰς τὸν Μωυσῆν, id est, Chrysostomo interprete, βαπτισθέντες τῷ Μωυσῇ, scilicet Moysi fidentes Israëlitæ, sub nube & per mare iter ingressi sunt, ipso præeunte: ac sic nos, qui in Christum credentes baptizamur, præsignatur.

» git, Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali. Quomodo » enim eumdem potum? Bibebant, inquit, de spi» ritali sequente petra: petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in Verbo & in carne. Et quomodo
Num. 20. 11. biberunt? Percussa est petra de virga bis: gemina
Crucis figura. percussio, duo ligna crucis significat. *Hic est* ergo
Iohan. 6. 50. *panis de cælo descendens, ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur.* Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum: qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.

v. 51. 13. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Ideo vivus, quia de cælo descendi. De cælo descendit & manna: sed manna umbra erat, iste veri*v.* 52. tas est. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hoc quando caperet caro, quod dixit panem, carnem? Vocatur caro, quod non capit caro: & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putaverunt. *Caro mea est*, inquit, *pro mundi vita.* Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spi
a ritu Christi. De Spiritu Christi non [a] vivit, nisi corpus Christi. Intelligite fratres mei quid dixerim. Homo es, & spiritum habes, & corpus habes. Spiritum dico quæ anima vocatur, qua constat quod homo es: constas enim ex anima & corpore. Habes itaque spiritum invisibilem, corpus visibile. Dic mihi quid ex quo vivat: spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis qui vivit: (qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit:) quid respondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo & tu vivere de Spiritu Christi? In corpore esto Christi. Numquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, & tuum de tuo. Non potest vivere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi. Inde est quod exponens no*1. Cor.* 10. 17. bis Apostolus Paulus hunc panem, Unus panis, in*De consecrat. dist.* 2. *cap.* Hoc Sacramentum. quit, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, ô signum unitatis, ô vinculum caritatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, b [b] incorporetur ut vivificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum de quo erubescatur: sit pulcrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori, vivat Deo de Deo: nunc laboret in terra, ut postea regnet in cælo.

Iohan. 6. 53. 14. *Litigabant ergo Iudæi ad invicem, dicentes, Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* Litigabant utique ad invicem, quoniam panem concordiæ non intelligebant, nec sumere volebant: nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem; quoniam unus panis, unum
Psal. 67. 7. corpus multi sumus. Et per hunc facit Deus unius modi habitare in domo.

15. Quod autem ad invicem litigantes quærunt, quomodo possit Dominus carnem suam dare ad manducandum, non statim audiunt: sed adhuc eis
v. 54. dicitur, *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quomodo quidem edatur, & quisnam modus sit manducandi istum panem, ignoratis: verumtamen *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hæc non utique cadaveribus, sed viventibus loquebatur. Unde ne istam vitam intelligentes, & de hac re litigarent, secutus adjunxit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Hanc ergo non habet, qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit: nam temporalem vitam sine illo habere homines possunt, æternam verò omnino non possunt. Qui ergo non manducat ejus carnem, nec bibit ejus sanguinem, non habet in se vitam: & qui manducat ejus carnem, & bibit ejus sanguinem, habet vitam. Ad utrumque autem respondet quod dixit, *æternam.* Non ita est in hac esca, quam sustentandæ hujus temporalis vitæ caussâ sumimus. Nam qui eam non sumserit, non vivet: nec tamen qui eam sumserit, viver. Fieri enim potest, ut senio, vel morbo, vel aliquo casu, plurimi & qui eam sumserint moriantur. In hoc verò cibo & potu, id est, corpore & sanguine Domini, non ita est. Nam & qui eam non sumit, non habet vitam: & qui eam sumit, habet vitam, & hanc utique æternam. Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis & vocatis, & justificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus ejus. Quorum primum jam factum est, id est, prædestinatio: secundum & tertium factum est, & fit, & fiet, id est, vocatio & justificatio: quartum verò nunc in spe est, in re autem futurum est, id est, glorificatio. Hujus rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensâ præparatur, & de mensâ Dominica sumitur; quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res verò ipsa cujus sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.

16. Ne autem putarent sic in isto cibo & potu promitti vitam æternam, ut qui eam sumerent, jam nec corpore morerentur; huic cogitationi dignatus est occurrere. Nam cùm dixisset, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam:* continuò subjecit, *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ut habeat interim secundùm spiri- Vita æterna in requie ante resurrectionem. tum vitam æternam in requie, quæ sanctorum spiritus suscipit: quod autem ad corpus adtinet, nec ejus vitâ æternâ fraudetur, sed in resurrectione mortuorum novissimo die.

17. *Caro enim mea*, inquit, *verè est cibus, & sanv. 56. guis meus verè est potus.* Cùm enim cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant: hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit, id est societas ipsa sanctorum, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt [c] homi- c
nes Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit: aliud in unum ex multis acinis confluit.

18. Denique jam exponit quomodo id fiat quod

[a] Omnes MSS. *De Spiritu Christi non vivit, nisi sit corpus Christi.*
[b] MSS. decem, *credat, vivat in Deo, de Deo; incorporetur* &c.
[c] Ita Cyprianus ad Cœcilium epist. 63. & ad Magnum epist. 76.

loquitur, & quid sit manducare corpus ejus, & san- A
v. 57. guinem bibere. *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in
De consecrat. dist. 2. *cap.* Qui discordat. a se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat [a spiritaliter] carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, [licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi:] sed magis tantæ rei sacramentum ad judi- B mentibus vestris, & hodierno diei non importunus cium sibi manducat & bibit, [quia immundus præsumsit ad Christi accedere sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est: de quibus
Matth. 5. 8. dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.]

Iohan. 6. 58. 19. *Sicut*, inquit, *misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Non ait, Sicut manduco Patrem, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Non enim Filius participa- C tione Patris fit melior, qui est natus æqualis: sicut participatione Filii per unitatem corporis ejus & sanguinis, quod illa manducatio potatioque significat, nos b [b] efficimur meliores. Vivimus ergo nos b
propter ipsum, manducantes eum, id est, ipsum accipientes æternam vitam, quam non habebamus ex nobis: vivit autem ipse propter Patrem, missus
Philip. 2. 8. ab eo; quia semetipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem crucis. Si enim secundùm id acci-
Iohan. 14. 28. pimus, *Vivo propter Patrem*, quod alibi ait, Pater D major me est; sicut & nos vivimus propter ipsum, qui major est nobis: hoc ex eo quod missus est, factum est. Missio quippe ejus exinanitio suimetipsius est, & formæ servilis acceptio: quod rectè intelligitur, servatâ etiam Filii cum Patre æqualitate naturæ. Major enim est Pater homine filio, sed æqualem habet Deum Filium: cùm idem ipse sit & Deus & homo, Dei Filius & hominis filius, unus Christus Jesus. In quam sententiam si rectè accipiuntur hæc verba, ita dixit, *Sicut me misit vivens Pa- E ter, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me:* ac si diceret, Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tamquam majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit: ut autem quisque vivat propter me, participatio facit qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est, *Vivo propter Patrem*, quia ipse de illo, non ille de ipso est: sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen di- F cendo, *& qui manducat me, & ipse vivet propter me*, eamdem suam & nostram æqualitatem significavit: sed gratiam mediatoris ostendit.

Iohan. 6. 59. 20. *Hic est panis, qui de cælo descendit:* ut illum manducando vivamus, quia æternam vitam ex nobis habere non possumus. *Non sicut*, inquit, *manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quod ergo illi mortui sunt, ita vult intelligi, ut non vivant in æternum. Nam temporaliter & hi G profectò morientur, qui Christum manducant: sed vivunt in æternum, quia Christus est vita æterna.

[a] Sic editi quidem: at MSS. nostri omnes habent hoc modo, *nec manducat carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, etiamsi tanta rei sacramentum ad judicium sibi manducet & bibat. Sicut, inquit, misit me vivens Pater* &c. carentque verbis ceteris, quæ hic ansulis concluduntur: quæ verba nullo etiam è suis MSS. contineri testantur Lovanienses: habentur ipsa in Bedæ & Alcuini commentariis super Johannem.
[b] In omnibus ferè MSS. *non efficit*

* TRACTATUS XXVII. * Habitus in celebritate S. Laurentii.

Ab eo quod scriptum est, Hæc dixit in synagoga docens sabbato in Capharnaüm: *usque ad id*, Ille enim traditurus erat eum, cùm esset unus ex duodecim.

1. VERBA Domini ex Evangelio, quæ sermonem pristinum consequuntur, audivimus. Hinc sermo debetur auribus & mentibus vestris, & hodierno diei non importunus est: est enim de corpore Domini, quod dicebat se dare ad manducandum propter æternam vitam. Expositurus autem modum adtributionis hujus & doni sui, quomodo daret carnem suam manducare, dicens, *Qui manducat carnem meam, & bibit sangui-* *Iohan.* 6. 57. *nem meum, in me manet & ego in illo.* Signum quia manducavit & bibit, hoc est, si manet & manetur, si habitat & inhabitatur, si hæret ut non deseratur. Hoc ergo nos docuit & admonuit mysticis verbis, C ut simus in ejus corpore sub ipso capite in membris ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus. Sed qui aderant plures non intelligendo scandalizati sunt: non enim cogitabant hæc audiendo, nisi carnem, quod ipsi erant. Apostolus autem dicit, & verum dicit, Sapere secundùm car- *Rom.* 8. 6. nem, mors est. Carnem suam dat nobis Dominus manducare, & sapere secundùm carnem mors est: cùm de carne sua dicat, quia ibi est vita æterna. Ergo nec carnem debemus sapere secundùm car- D nem, sicut in his verbis:

2. *Multi itaque audientes:* non ex inimicis, sed *Iohan.* 6. 61. *ex discipulis ejus dixerunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Si discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Et tamen sic oportebat ut diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non adversos. Isti autem citò defecerunt, talia loquente Domino Jesu: non crediderunt aliquid magnum dicentem, & verbis illis aliquam gratiam coope- E rientem: sed prout voluerunt ita intellexerunt, & more hominum, quia poterat Jesus, aut hoc disponebat Jesus, carnem qua indutum erat Verbum, veluti concisam distribuere credentibus in se. *Durus est*, inquiunt, *hic sermo, quis potest eum audire?*

3. *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia mur-* *v.* 62. *murarent de eo discipuli ejus.* Sic enim apud se ista dixerunt, ut ab illo non audirentur: sed ille qui eos noverat in seipsis, audiens apud semetipsum, respondit, & ait, *Hoc vos scandalizat:* quia dixi, car- F nem meam do vobis manducare, & sanguinem meum bibere, hoc vos nempe scandalizat. *Si ergo* *v.* 63. *videritis filium hominis adscendentem ubi erat prius?* Quid est hoc? Hinc solvit quod illos moverat? hinc aperuit unde fuerant scandalizati? hinc planè, si intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum, ille autem dixit se adscensurum in cælum, utique integrum. *Cùm videritis filium hominis adscendentem ubi erat prius;* certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum; certè vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non consumitur morsibus.

4. Et ait, *Spiritus est qui vivificat, caro non pro-* *v.* 64. *dest quidquam.* Hoc antequam exponamus, ut Dominus donat, illud non negligenter prætereundum

est, quod ait, *Si ergo videritis filium hominis adscendentem ubi erat priùs.* Filius enim hominis Christus, ex virgine Maria. Ergo filius hominis hic cœpit esse in terra, ubi carnem assumsit ex terra. Unde
Psal. 84. 12. propheticè dictum erat, Veritas de terra orta est. Quid sibi ergo vult quod ait, *Cùm videritis filium hominis adscendentem ubi erat priùs?* Nulla enim esset quæstio si ita dixisset, *Si videritis Filium Dei adscendentem ubi erat priùs:* cùm verò filium hominis dixit adscendentem ubi erat priùs, numquid filius hominis in cælo erat priùs, quando in terra esse cœpit? Hîc quidem dixit, *ubi erat priùs*, quasi tunc non ibi esset quando hæc loquebatur. Alio autem loco ait, Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo: non dixit erat, sed filius, inquit, hominis qui est in cælo. In terra loquebatur, & in cælo se esse dicebat.
Johan. 3. 13. Et non ita dixit, Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius Dei qui est in cælo.
Una persona Christus Deus & homo. Quò pertinet, nisi ut intelligamus, quod etiam pristino sermone commendavi Caritati Vestræ, unam personam esse Christum Deum & hominem, non duas; ne fides nostra non sit Trinitas, sed quaternitas? Christus ergo unus est: Verbum, anima & caro unus Christus: Filius Dei & filius hominis unus Christus. Filius Dei semper, filius hominis ex tempore; tamen unus Christus secundùm unitatem personæ. In cælo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cælo, quomodo Filius Dei erat in terra: Filius Dei in terra in susceptа carne, filius hominis in cælo in unitate personæ.

Johan. 6. 64. 5. Quid est ergo quod adjungit, *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam?* Dicamus ei, (patitur enim nos non contradicentes, sed nosse cupientes:) O Domine, magister bone, quomodo *ca-*
v. 54. *ro non prodest quidquam*, cùm tu dixeris, *Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam?* An vita non prodest quidquam? & propter quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? quid est ergo, *non prodest quidquam caro?* Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, *Caro non prodest quidquam:* quomodo dictum est,
1. *Cor.* 8. 1. Scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam? absit. Et quid est, Scientia inflat? sola, sine caritate. Ideo adjunxit, Caritas verò ædificat. Adde ergo scientiæ caritatem, & utilis erit scientia: non per se, sed per caritatem. Sic etiam nunc, *caro non prodest quidquam*, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad scientiam, & prodest plurimùm. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multùm profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per carnem Spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit: quod habebat adtende, non quod erat. Apostoli missi sunt, numquid caro ipsorum nihil nobis profuit? Si caro Apostolorum nobis profuit, caro Domini potuit nihil prodesse? Unde enim ad nos sonus verbi, nisi per vocem carnis? unde stilus, unde conscriptio? Ista omnia opera carnis sunt, sed agitante spiritu tamquam organum suum. *Spiritus* ergo *est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam:* sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam.

6. Proinde, *Verba*, inquit, *quæ ego locutus sum* *Johan.* 6. *vobis, spiritus & vita est.* Diximus enim, Fratres, 64. hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suæ & potatione sanguinis sui, ut in illo maneamus, & ipse in nobis. Manemus autem in illo, cùm sumus membra ejus: manet autem ipse in nobis, cùm sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, unitas nos compaginat. Ut compaginet unitas, quæ facit nisi caritas? Et caritas Dei unde? Apostolum interroga: Caritas, inquit, Dei *Rom.* 5. 5. diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ergo *Spiritus est qui vivificat:* spiritus enim facit viva membra. Nec viva membra spiritus facit, nisi quæ in corpore quod vegetat ipse spiritus, invenerit. Nam spiritus qui est in te, ô homo, quo constas ut homo sis, numquid vivificat membrum quod separatum invenerit à carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam: anima tua non vivificat nisi membra quæ sunt in carne tua; unum si tollas, jam non vivificatur ex anima tua, quia unitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur ut amemus unitatem, & timeamus separationem. Nihil enim sic debet formidare Christianus, quàm II. q. 3. cap. separari à corpore Christi. Si enim separatur à cor- Nihil. pore Christi, non est membrum ejus; si non est membrum ejus, non vegetatur Spiritu ejus: Quis- *Rom.* 8. 9. quis autem, inquit Apostolus, Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. *Spiritus* ergo *est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Quid est, *spiritus & vita sunt?* Spiritaliter intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter? *spiritus & vita sunt.* Intellexisti carnaliter? etiam sic illa *spiritus & vita sunt*, sed tibi non sunt.

7. *Sed sunt quidam*, inquit, *in vobis qui non cre-* *Johan.* 6. *dunt.* Non dixit, Sunt quidam in vobis qui non in- 65. telligunt: sed caussam dixit, quare non intelligant. *Sunt enim quidam in vobis qui non credunt:* & ideo non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit, Nisi crediderit is, non intelligetis. Per fidem *Isa.* 7. 9. copulamur, per intellectum vivificamur. Priùs hæ- *sec.* LXX. reamus per fidem, ut sit quod vivificetur per intellectum. Nam qui non hæret, resistit: qui resistit, non credit. Nam qui resistit, quomodo vivificatur? Adversarius est radio lucis, quo penetrandus est: non avertit aciem, sed claudit mentem. *Sunt* ergo *quidam qui non credunt.* Credant & aperiant, aperiant & illuminabuntur. *Sciebat enim ab initio Jesus* *Johan.* 6. *qui essent credentes, & quis traditurus esset eum.* Ibi 65. enim erat & Judas. Nam quidam scandalizati sunt: ille autem mansit ad insidiandum, non ad intelligendum. Et quia ideo manserat, non de illo tacuit Dominus. Non illum expressit, sed nec siluit: ut omnes timerent, quamvis unus periret. Sed postea quàm dixit & distinxit credentes à non credentibus, expressit caussam quare non credant: *Propterea di-* *v.* 66. *xi vobis*, inquit, *quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Ergo & credere datur nobis: non enim nihil est credere. Si autem magnum aliquid est, gaude quia credidisti, sed noli extolli: Quid enim habes quod accepisti? 1. *Cor.* 4. 7.

8. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro,* *Johan.* 6. *& jam non cum illo ambulaverunt. Abierunt retro*, sed 67. post Satanam, non post Christum. Nam aliquando Dominus Christus Petrum appellavit Satanam, magis quia volebat præcedere Dominum suum, & consilium dare ne moreretur ille, qui venerat ut moreretur, ne nos in æternum moreremur: & ait

Matth. 16. 23. illi, Redi post me Satanas, non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominis sunt. Non illum repulit retroire post Satanam, & appellavit Satanam: sed fecit post se ire, ut non esset Satanas ambulando post Dominum. Isti autem sic redierunt retro, quomo-
1. *Tim.* 5. 15. do de quibusdam feminis dicit Apostolus, Quædam enim conversæ sunt retro post Satanam. Ulteriùs cum illo non ambulaverunt. Ecce præcisi à corpore vitam perdiderunt, quia fortè in corpore nec fuerunt. Inter non credentes & ipsi deputandi sunt, quamvis discipuli dicerentur. Abierunt retro, non pauci, sed multi. Hoc fortè factum est ad consolationem, quoniam aliquando contingit ut dicat homo verum, & quod dicit, non capiatur, atque illi qui audiunt, scandalizentur & discedant. Pœnitet autem hominem dixisse quod verum est: dicit enim apud se homo, Non debui sic dicere, non hoc dicere debui. Ecce Domino contigit: dixit, & perdidit multos, remansit ad paucos. Sed non turbabatur ipse, quia ab initio noverat & qui credentes essent, & qui non credentes: nos si nobis contingat, perturbamur. Solatium in Domino inveniamus, & tamen cautè verba dicamus.

Johan. 6. 68. 9. Atque ille ad paucos qui remanserant: *Dixit ergo Jesus duodecim:* id est illis duodecim qui remanserunt: *Numquid & vos*, inquit, *vultis ire?* Non discessit nec Judas. Sed quare manebat, Domino jam apparebat, nobis postea manifestatus est. Respondit Petrus pro omnibus, unus pro multis,
v. 69. unitas pro universis: *Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus?* Repellis nos à te, da nobis alterum te. *Ad quem ibimus?* Si à te recedimus, ad quem ibimus? *Verba vitæ æternæ habes.* Videte quemadmodum Petrus dante Deo, recreante Spiritu sancto, intellexit. Unde, nisi quia credidit? *Verba vitæ æternæ habes.* Vitam enim æternam ha-
v. 70. bes in ministratione corporis & sanguinis tui. *Et nos credidimus, & cognovimus.* Non cognovimus, & credidimus, sed *credidimus, & cognovimus.* Credidimus enim ut cognosceremus: nam si priùs cognoscere, & deinde credere vellemus, nec cognoscere nec credere valeremus. Quid credidimus, & quid cognovimus? *Quia tu es Christus Filius Dei.* id est, quia ipsa vita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo nisi quod es.

v. 71. 10. Ait ergo Dominus Jesus, *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est?* Ergo *un-*
decim elegi diceret: an eligitur & diabolus, & in electis est diabolus? Electi in laude solent dici: an electus est & iste, de quo nolente & nesciente magnum aliquid boni fieret? Hoc est proprium Dei: contrarium iniquis. Sicut enim iniqui malè utuntur bonis operibus Dei, sic contrà Deus bene utitur malis operibus hominum iniquorum. Quàm bonum est membra corporis ita esse, quemadmodum disponi non possunt nisi ab artifice Deo. Petulantia tamen quàm malè utitur oculis? Fallacia quàm malè utitur linguâ? Falsus testis nonne linguâ suâ, & animam suam priùs trucidat, & alterum lædere se peremto conatur? Malè utitur linguâ, nec ideo malum est lingua: opus Dei est lingua, sed bono opere Dei malè utitur illa nequitia. Quomodo utuntur pedibus qui currunt ad scelera, quomodo utuntur manibus homicidæ, & illis adjacentibus forinsecùs bonis creaturis Dei quàm malè utuntur mali? Auro judicia corrumpunt, innocentes opprimunt. Luce ista mali malè utuntur: malè vivendo

Electi dicuntur in laude.

enim etiam ipsam lucem qua vident, ad ministerium scelerum suorum usurpant. Iens enim ut faciat aliquid mali malus, lucere sibi vult ne offendat, qui jam intus offendit & cecidit: quod timet in corpore, jam incurrit in corde. Omnibus ergo bonis Dei, ne per singula currere longum sit, malè utitur malus: contrà, malis hominum malorum bene utitur bonus. Et quid tam bonum quàm unus Deus? Quandoquidem ipse Dominus dixit, Ne- *Marci* 10. mo bonus nisi unus Deus. Quantò ergo ille melior, 18. tantò meliùs utitur & malis nostris. Quid Juda pejus? Inter omnes adhærentes magistro, inter duodecim, loculi illi commissi sunt, & dispensatio pauperum distributa: ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit justitiam: tradidit vitam mortuus, quem ut discipulus secutus, ut inimicus persecutus est. Totum hoc malum Judæ, sed malo ejus bene usus est Dominus. Tradi se pertulit, ut redimeret nos. Ecce malum Judæ in bonum conversum est. Satanas quantos Martyres per-
secutus est? Si satanas persequendo cessaret, hodie tam gloriosam coronam sancti Laurentii non cele- S. Laurentii celebritas. braremus. Si ergo ipsius diaboli malis operibus bene utitur Deus: quod facit malus, malè utendo, sibi nocet; non bonitati Dei contradicit. Artifex illo utitur; & magnus artifex, si illo uti non nosset, nec eum esse permitteret. Ergo *unus ex vobis diabolus est*, ait, *cùm ego vos duodecim elegerim.* Potest & sic intelligi quod ait, *duodecim elegi*, quia sacratus est numerus. Non enim quia periit inde unus, ideo illius numeri honor demtus est: nam in locum pereuntis, alius subrogatus est. Mansit numerus con- *Act.* 1. 26. secratus; numerus duodenarius: quia per universum mundum, hoc est per quatuor cardines mundi, Trinitatem fuerant annuntiaturi. Ideo [a] ter a quaterni. Se ergo exterminavit Judas, non duodenarium numerum violavit: ipse defuit præceptorem, nam Deus illi apposuit successorem.

11. Hoc totum quod Dominus de carne & de sanguine suo locutus est, & quòd in ejus distributionis gratia vitam nobis promisit æternam, & quòd hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & sanguinis sui, ut in illo maneant & ipse in illis, & quòd non intellexerunt qui non crediderunt, & quòd spiritalia carnaliter sapiendo scandalizati sunt, & quòd eis scandalizatis & pereuntibus [b] consolationi Dominus adfuit discipulis qui re- b manserant, ad quos probandos interrogavit, *Numquid & vos vultis ire?* ut responsio permansionis eorum innotesceret nobis; nam ille noverat quia manebant: hoc ergo totum ad hoc nobis valeat; Dilectissimi, ut carnem Christi & sanguinem Christi non edamus tantùm in sacramento, quod & multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus & bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur, & non scandalizemur, etiam si multi modò nobiscum manducant & bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. Modò enim corpus Christi mixtum est tamquam in area: sed novit Dominus qui sunt ejus. 2. *Tim.* 2. Si tu nosti quid trituras, quia ibi est latens massa, 19. nec consumit triturатio quod purgatura est ventilatio: certi sumus, Fratres, quia omnes qui sumus in corpore Domini, & manemus in illo, ut & ipse maneat in nobis, in hoc sæculo necesse habemus usque in finem inter malos vivere. Non inter illos

[a] Editi hactenus, *Ideo & quaterni.* emendantur hîc ad MSS.

[b] Sic MSS. Editi verò, *consolatio Domini adfuit.*

dico malos, qui blasphemant Christum: rari enim jam inveniuntur qui linguâ blasphemant, sed multi qui vitâ. Necesse est ergo ut inter illos usque in finem vivamus.

Johan. 6. 57. & cap. 15. 5. 12. Sed quid est quod ait, *Qui manet in me, & ego in illo?* quid nisi quod Martyres audiebant, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit? Quomodo mansit in illo sanctus Laurentius, cujus hodie festa celebramus? Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interrogationem, mansit usque ad acerrimam comminationem, mansit usque ad peremtionem: parum est, usque ad immanem excruciationem mansit. Non enim occisus est citò, sed cruciatus est in igne: diu vivere permissus est; immo non diu vivere permissus est, sed tardè mori compulsus est. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat & bene biberat, tamquam illâ escâ saginatus & illo calice ebrius, tormenta non sensit. *Johan. 6. 64.* Ibi enim erat qui dixit, *Spiritus est qui vivificat.* Caro enim ardebat, sed spiritus animam vegetabat. Non cessit, & in regnum successit. Dixerat autem illi Xystus martyr sanctus, cujus diem quinto ab hinc retrò die celebravimus, Noli mærere fili. Episcopus enim erat ille, iste diaconus. Noli mærere, inquit, sequêris me post triduum. Triduum autem dixit medium inter diem passionis sancti Xysti, & diem hodiernæ passionis sancti Laurentii. Triduum est medium. O consolatio! non ait, Noli mærere fili, desinet persecutio, & securus eris: sed, Noli mærere, quò ego præcedo, tu sequêris; nec consecutio tua differtur: triduum medium erit, & mecum eris. Accepit oraculum, vicit diabolum, pervenit ad triumphum.

* Habitus die proximo ante Tractat. subseq.

TRACTATUS * XXVIII.

Ab eo loco Evangelij, Et post hæc ambulabat Jesus in Galilæam: *usque ad id*, Nemo tamen palàm loquebatur de eo, propter metum Judæorum.

1. IN isto Evangelii capitulo, Fratres, Dominus noster Jesus Christus secundùm hominem se plurimùm commendavit fidei nostræ. Etenim semper hoc agit dictis & factis suis, ut Deus credatur & homo: Deus qui nos fecit, homo qui nos quæsivit: Deus cum Patre semper, homo nobiscum ex tempore. Non enim quæreret quem fecerat, nisi fieret ipse quod fecerat. Verùm hoc mementote, & de cordibus vestris nolite dimittere, sic esse Christum hominem factum, ut non destiterit Deus esse. Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem. Quando ergo latuit ut homo, non potentiam perdidisse putandus est, sed exemplum infirmitati præbuisse. Ille enim quando voluit detentus est, quando voluit occisus est. Sed quoniam futura erant membra ejus, id est fideles ejus, qui non haberent illam potestatem quam habebat ipse Deus noster: quòd latebat, quòd se tamquam ne occideretur occultabat, hoc indicabat factura esse membra sua, in quibus utique membris suis ipse erat. Non enim Christus in capite & non in corpore, sed Christus totus in capite & in corpore. Quod ergo membra ejus, ipse: quod autem ipse, non continuò membra ejus. Nam si non ipse essent membra ejus, non diceret, Saule quid me persequeris? *Act. 9. 4.* Non enim Saulus ipsum, sed membra ejus, id est, fideles ejus in terra persequebatur. Noluit tamen dicere sanctos meos, servos meos; postremò honorabiliùs, fratres meos: sed, me, hoc est membra mea, quibus ego sum caput.

2. His prædictis puto nos in hoc capitulo quod modò lectum est, non esse laboraturos: sæpe enim significatum est in capite, quod futurum erat in corpore. *Post hæc*, inquit, *ambulabat Jesus in Galilæam: non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* Hoc est quod dixi, infirmitati nostræ præbebat exemplum. Non ipse perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem. Futurum enim erat, ut dixi, ut aliquis fidelis ejus absconderet se, ne à persecutoribus inveniretur: & ne illi pro crimine objiceretur latibulum, præcessit in capite quod in membro confirmaretur. Sic enim dictum est, *Nolebat ambulare in Judæam, quia quærebant eum Judæi occidere*: quasi non posset Christus & ambulare inter Judæos, & non occidi à Judæis. Hanc enim potentiam quando voluit demonstravit: nam cùm eum jam passurum tenere vellent, ait illis, Quem quæritis? Responderunt, Jesum. Et ille, Ego sum: non se occultans, sed manifestans. Ad eam tamen manifestationem illi non substiterunt, sed redeuntes retrò ceciderunt. Et tamen quia pati venerat, surrexerunt, tenuerunt, ad judicem adduxerunt, & occiderunt. Sed quid fecerunt? Quod ait quædam Scriptura, Terra tradita est in manus impii: caro data est in potestatem Judæis. Et hoc propterea, ut quasi saculus conscinderetur, unde nostrum pretium manaret. *Johan. 18. 5. &c.* *Job. 9. 24.*

3. *Erat autem in proximo dies festus Judæorum Scenopegia.* Quid sit Scenopegia, Scripturas qui legerunt, noverunt. Faciebant die festo tabernacula, ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitaverant cùm ex Ægypto educti peregrinarentur in eremo. Iste erat dies festus, magna sollemnitas. Celebrabant hoc Judæi, velut reminiscentes beneficia Domini, qui occisuri erant Dominum. Hoc ergo die festo, (quia plures erant dies festi; sic enim appellabatur apud Judæos dies festus, ut non esset dies unus, sed plures:) Locuti sunt *fratres ejus* ad Dominum Christum. *Fratres ejus* sic accipite, sicut nostis: non enim novum est quod auditis. Consanguinei virginis Mariæ, fratres Domini dicebantur. Erat enim consuetudinis Scripturarum, appellare fratres quoslibet consanguineos & cognationis propinquos, & extra usum nostrum, non quo more nos loquimur. Nam quis dicat fratres avunculum & filium sororis? Scriptura tamen etiam hujusmodi cognationes fratres appellat. Nam Abraham & Lot fratres sunt dicti, cùm esset Abraham patruus Lot: & Laban & Jacob fratres sunt dicti, cùm esset Laban avunculus Jacob. Cùm ergo auditis fratres Domini, Mariæ cogitate consanguinitatem, non iterum parientis ullam propaginem. Sicut enim in sepulcro ubi positum est corpus Domini, nec antea nec postea mortuus jacuit: sic uterus Mariæ nec antea nec postea quidquam mortale concepit. *Johan. 7. 2.* *Gen. 14. 14.* *Gen. 29. 15.*

4. Diximus, Fratres, qui fuerint: audiamus quid dixerint. *Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ tu facis.* Opera Domini discipulos non latebant, sed istos latebant. Isti enim fratres, id est consanguinei, Christum consanguineum habere potuerunt, credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt. Dictum est in Evangelio: non enim hoc nos audemus opinari, modò audistis. Addunt, & monent, *Nemo enim in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse: si hæc* *Johan. 7. 3.* *v. 4.*

v. 5. facis, manifesta teipsum mundo. Et continuò, *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Quare in eum non credebant? quia humanam gloriam requirebant. Nam & quòd eum videntur monere fratres, gloriæ ipsius consulunt: Facis mirabilia, innotesce, id est, appare omnibus ut laudari possis ab omnibus. Loquebatur caro carni: sed caro sine Deo, carni cum Deo. Loquebatur enim prudentia carnis Verbo quod caro factum est & habitavit in nobis.

v. 6. 5. Quid ad hæc Dominus? *Dicit ergo eis Jesus, Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Quid est hoc? Nondum venerat tempus Christi? Quare ergo Christus venerat, si tempus ejus nondum venerat? Nonne audivimus *Galat. 4. 4.* Apostolum dicentem, Cùm autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum? Si ergo in plenitudine temporis missus est; quando debuit missus est, quando oportuit venit: quid est, *Tempus meum nondum venit?* Intelligite Fratres quo animo illi loquebantur, qui quasi fratrem suum monere videbantur. Dabant ei consilium consequendæ gloriæ, veluti sæculariter & terreno affectu monentes, ne esset ignobilis & latitaret: quòd ergo ait Dominus, *Tempus meum nondum venit*, illis respondit qui ei consilium de gloria dabant, Tempus gloriæ meæ nondum venit. Videte quàm profundum sit: de gloria illi admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere. Nam & illi discipuli utique gloriam requirebant, qui volebant sedere unus ad dexteram ejus, & alter ad sinistram: adtendebant quò, & non videbant quà: Dominus eos ut ordinatè venirent ad patriam, revocavit ad viam. Excelsa est enim patria, humilis via. Patria est vita Christi, via est mors Christi: patria est mansio Christi, via est passio Christi. Qui recusat viam, quid quærit patriam? Denique & illis hoc *Matth. 20. 22.* respondit, quærentibus altitudinem, Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Ecce quà venitur ad celsitudinem quam desideratis. Calicem quippe commemorabat humilitatis atque passionis.

6. Ergo & hîc, *Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum*, id est, mundi gloria, *semper est paratum.* Hoc est tempus de quo in prophetia loquitur Christus, id est, corpus Christi: Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo. Modò enim non est tempus judicandi, sed iniquos tolerandi. Ferat igitur modò corpus Christi, & toleret iniquitatem malè viventium. Habeat tamen justitiam modò, antequam habeat judicium: per justitiam enim perveniet ad judicium. Tolerantibus quippe membris iniquitatem sæculi hujus, quid *Psal. 93. 14.* Scriptura sancta dicit in Psalmo? Non repellet Dominus plebem suam. Laborat quippe plebs ejus inter indignos, inter iniquos, inter blasphemantes, inter murmurantes, detrahentes, insectantes, & si liceat perimentes. Laborat quidem: sed non repellet Dominus plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet, quoad usque justitia convertatur in judicium. Quoad usque justitia quæ modò est in sanctis ejus, convertatur in judicium, cùm imple- *Matth. 19. 28.* bitur quod eis dictum est, Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël. Habebat justitiam Apostolus, sed nondum illud judi- *1. Cor. 6. 3.* cium de quo dicit, Nescitis quoniam angelos judicabimus? Sit ergo modò tempus justè vivendi, postea erit tempus eos qui malè vixerint, judicandi. Quoad usque justitia, inquit, convertatur in judicium. Hoc erit tempus judicii, de quo Dominus modò dixit, *Tempus meum nondum venit.* Erit enim tempus gloriæ, ut qui venit in humilitate, veniat in altitudine. Qui venit judicandus, veniet judicaturus: qui venit occidi à mortuis, veniet judicare de vivis & mortuis. Deus, inquit Psalmus, manifestus veniet, Deus noster & non silebit. Quid est, manifestus veniet? quia venit occultus. Tunc non silebit: nam quando venit occultus, sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum. Veniet & non silebit, Tacui, inquit, numquid semper tacebo? *Psal. 49. 3.* *Isa. 53. 7.* *Isa. 42. 14. sec. Lxx.*

7. Modò autem quid necessarium est eis, qui habent justitiam? Quod in illo ipso Psalmo legitur, Quoadusque justitia convertatur in judicium, & qui habent eam, omnes recti corde. Quæritis fortasse qui sunt recti corde? Illos invenimus in Scriptura rectos corde, qui mala sæculi tolerant, & non accusant Deum. Videte Fratres, rara avis est ista quam loquor. Nescio quo enim modo quando evenit homini aliquid mali, Deum currit accusare, qui deberet se. Quando boni aliquid agis, te laudas: quando mali aliquid pateris, Deum accusas. Hoc est ergo cor tortum, non rectum. Ab ista distortione & pravitate si corrigaris, converteretur in contrarium quod faciebas. Antea enim quid faciebas? Laudabas te in bonis Dei, accusabas Deum in malis tuis: converso corde & directo, laudabis Deum in bonis suis, accusabis te in malis tuis. Isti sunt recti corde. Denique ille nondum recto corde, cui displicebat felicitas malorum & labor bonorum, ait correctus, Quàm bonus Deus Israël rectis corde! Mei autem, quando non eram recto corde, penè commoti sunt pedes, paulò minùs effusi sunt gressus mei. Quare? Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Vidi, inquit, malos felices, & displicuit mihi Deus: hoc enim volebam, ut non permitteret Deus malos esse felices. Intelligat homo: numquam hoc permittit Deus: sed ideo malus felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur. Simus ergo recti corde: tempus gloriæ nostræ nondum venit. Dicatur amatoribus hujus sæculi, quales erant fratres Domini, *Tempus vestrum semper est paratum: tempus nostrum nondum venit.* Audeamus enim hoc dicere & nos. Et quoniam corpus Domini nostri Jesu Christi sumus, quoniam membra ejus sumus, quoniam caput nostrum gratanter agnoscimus, dicamus prorsus: quoniam propter nos & ipse hoc dignatus est dicere. Quando nobis insultant amatores hujus sæculi, dicamus eis, *Tempus vestrum semper est paratum: tempus nostrum nondum venit.* Nobis enim dixit Apostolus, Mortui *Colos. 3. 3.* enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quando veniet tempus nostrum? Cùm Christus, inquit, apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. *Recti corde qui.*

8. Quid deinde addit? *Non potest mundus odisse vos.* Quid est hoc, nisi, Non potest mundus odisse amatores suos, falsos testes? Bona enim dicitis quæ mala sunt, & mala quæ bona sunt. *Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt.* Vos adscendite ad diem festum hunc.* Quid est *hunc*? Ubi gloriam humanam quæritis. Quid est *hunc*? Ubi extendere vultis carnalia gaudia, non æterna cogitare. *Ego non adscendo ad diem festum hunc, quia meum tempus nondum impletum est.* In die festo hoc gloriam vos humanam quæritis: *Johan. 7. 7.* *v. 8.*

meum verò tempus, id est gloriæ meæ, nondum A venit. Ipse erit dies festus meus, non diebus istis præcurrens & transiens, sed permanens in æternum: ipsa erit festivitas, gaudium sine fine, æter-
v. 9. nitas sine labe, serenitas sine nube. * *Hæc cùm di-*
v. 10. *xisset, ipse mansit in Galilæa.* * *Ut autem adscenderunt fratres ejus, tunc & ipse adscendit ad diem festum; non manifestè, sed quasi in occulto.* Ideo *non ad diem festum hunc*, quia non gloriari temporaliter, sed aliquid docere salubriter, corrigere homines, de die festo æterno admonere, amorem ab hoc sæculo averte- B re, & in Deum convertere cupiebat. Quid est autem, *quasi latenter adscendit ad diem festum?* Non vacat & hoc Domini. Videtur mihi, Fratres, etiam hinc, quòd quasi latenter ascendit, aliquid significare voluisse: nam consequentia docebunt, sic eum adscendisse mediato die festo, id est, mediatis illis diebus, ut etiam palàm doceret. Sed *quasi latenter* dixit, ne se ostenderet hominibus. Non vacat quòd latenter adscendit Christus ad diem festum, quia ipse latebat in illo die festo. Adhuc etiam ego quod C dixi in latibulo est. Manifestetur ergo, tollatur velum, & appareat quod erat secretum.

9. Omnia quæ dicta sunt antiquo populo Israël in multiplici scriptura sanctæ Legis, quæ agerent, sive in sacrificiis, sive in sacerdotiis, sive in diebus festis, & omnino in quibuslibet rebus quibus Deum colebant, quæcumque illis dicta & præcepta sunt, umbræ fuerunt futurorum. Quorum futurorum? quæ implentur in Christo. Unde dicit
1.Cor.1.20. Apostolus, Quotquot enim promissiones Dei, in D illo etiam: id est, in illo impletæ sunt. Deinde di-
3. Cor. 10. cit alio loco, Omnia in figura contingebant illis,
11. " scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæcu-
Rom. 10.4. lorum obvenit. Dixit & alibi, Finis enim Legis
Coloss. 2.16. Christus est. Item alio loco, Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quod est umbra futurorum. Si ergo omnia illa umbræ fuerunt futurorum; & Scenopegia umbra erat futurorum, Hic ergo dies festus, quæramus cujus futuri umbra erat. Expo- E sui quid erat Scenopegia: celebratio erat tabernaculorum, propterea quia populus de Ægypto liberatus tendens per desertum ad terram promissionis, in tabernaculis habitavit. Quid sit animadvertamus, & nos erimus; nos, inquam, qui membra Christi sumus, si sumus: illo autem dignante sumus, non nobis promerentibus. Adtendamus ergo nos, Fratres: educti sumus de Ægypto, ubi diabolo tamquam Pharaoni serviebamus, ubi lutea opera in terrenis desideriis agebamus, & in eis mul- F tùm laborabamus. Etenim nobis Christus quasi la-
Matth. 11. teres facientibus clamavit, Venite ad me omnes qui
28. laboratis & onerati estis. Hinc educti per baptismum tamquam per mare rubrum, ideo rubrum, quia Christi sanguine consecratum, mortuis omnibus inimicis nostris qui nos insectabantur, id est, deletis omnibus peccatis nostris, transjecti sumus. Modò ergo antequam ad patriam promissionis, id est, æternum regnum veniamus, in deserto in tabernaculis sumus. Qui ista agnoscunt, in taberna- G culis sunt: futurum enim erat, ut quidam hoc agnoscerent. Ille enim est in tabernaculis, qui se esse in mundo intelligit peregrinum. Ille se intelligit peregrinantem, qui se videt patriæ suspirantem. Cùm autem corpus Christi est in tabernaculis, Christus est in tabernaculis. Sed tunc non evidenter, sed latenter. Adhuc enim umbra lucem obscurabat: veniente luce, umbra remota est. Christus erat in occulto, in Scenopegia Christus erat, sed latens Christus. Modò jam cùm manifestata sunt ista, agnoscimus nos iter agere in eremo: si enim agnoscamus, in eremo sumus. Quid est in eremo? in deserto. Quare in deserto? quia in isto mundo, ubi sititur in via inaquosa. Sed sitiamus, ut saturemur. Beati enim qui esuriunt & sitiunt justi- *Matth. 5.6.*
tiam, quoniam ipsi saturabuntur. Et sitis nostra de petra impletur in eremo: Petra enim erat Christus, *1.Cor 10.4.*
& virgâ percussa est, ut aqua manaret. Ut autem *Num. 20.*
manaret, bis percussa est: quia duo ligna sunt cru- *11.*
cis. Omnia ergo hæc quæ fiebant in figura, manifestantur in nobis. Et non vacat quod de Domino dictum est, *Adscendit ad diem festum, non manifestè, sed tamquam in occulto.* Figuratum enim erat ipsum in occulto, quia in ipso die festo Christus latebat: quia ipse dies festus, Christi membra peregrinatura significabat.

10. *Judæi ergo quærebant eum in die festo:* ante- *Johan. 7.11.*
C quam adscenderet. Priores enim fratres adscenderunt, & non tunc adscendit ille, quando illi putabant & volebant: ut etiam hoc impleretur quod
v. 8. ait, *Non ad hunc*, id est, ad quem vos vultis, primum vel secundum diem. Adscendit autem postea,
v. 14. ut Evangelium loquitur, *mediato die festo*, id est, cùm jam illius diei festi tot dies præteriissent quot remansissent. Ipsam enim festivitatem, quantum intelligendum est, diebus pluribus celebrabant.

11. * *Dicebant ergo, Ubi est ille?* * *Et murmur mul-* v. 11. v. 12.
tum de eo erat in turba. Unde murmur? de contentione. Quæ fuit contentio? *Quidam enim dicebant quia Bonus est; alii autem, Non, sed seducit turbas.* De omnibus servis ejus intelligendum: hoc dicitur modò. Quicumque enim eminuerit in aliqua gratia * spiritali, profectò alii dicunt, *Bonus est*; alii, * *f.* & spi-
Non, sed seducit turbas. Unde hoc? Quia vita no- rituli pro-
stra abscondita est cum Christo in Deo. Ideo licet *Coloss. 3. 3.*
dicere hominibus per hyemem, Mortua est ista arbor, verbi gratiâ, arbor fici, arbor pyri, & hujusmodi pomorum, similis est aridæ; & quamdiu E hyems est, non apparet. Æstas probat, judicium probat. Æstas nostra, revelatio Christi est: Deus
Psalm. 49.3. manifestus veniet, Deus noster & non silebit, ignis ante eum præibit: iste ignis inflammabit inimicos ejus; aridas arbores ignis comprehendet. Tunc enim aridæ apparebunt, quando eis dicetur, Esurivi, & non dedistis mihi manducare: in *Matth. 25.*
alia verò parte, hoc est in dextera, apparebit fe- *42.*
cunditas fructuum, dignitasque foliorum; viF riditas, æternitas erit. Illis ergo tamquam aridis dicetur, Ite in ignem æternum. Ecce enim, *v. 41.*
inquit, securis ad radicem arborum posita est. Om- *Matth. 3.10.*
nis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Dicant ergo de te, si proficis in Christo, dicant homines, *Seducit turbas.* De ipso, de toto corpore Christi hoc dicitur. Cogita corpus Christi adhuc in mundo, cogita corpus Christi adhuc in area, vide quemadmodum blasphemetur à palea. Simul quidem triturantur, sed G paleæ conteruntur, frumenta purgantur. Quod dictum est ergo de Domino, valet ad consolationem, de quocumque hoc dictum fuerit Christiano.

12. *Nemo tamen palàm loquebatur de illo propter* *Johan. 7.13.*
metum Judæorum. Sed qui non loquebantur de illo propter metum Judæorum? Utique qui dicebant, *Bonus est*: non qui dicebant, *Seducit turbas.* Qui dicebant,

dicebant, *Seducit turbas*, sonitus eorum audiebatur A tamquam aridorum foliorum. *Seducit turbas*, clariùs sonabant; *Bonus est*, pressiùs susurrabant. Modò autem, Fratres, quamvis nondum venerit illa gloria Christi, quæ nos æternos factura est; modò tamen ita crescit Ecclesia ejus, ita eam dignatus est per cuncta diffundere, ut jam susurretur, *Seducit turbas*; & clariùs personet, *Bonus est.*

* Habitus die proximo post superiorem Tractatũ.

*TRACTATUS XXIX.

In illud Evangelii, Jam autem die festo mediante, B adscendit Jesus in templum: *usque ad id*, Qui misit illum, hic verax est, & injustitia in illo non est.

1. QUOD sequitur de Evangelio & hodie lectum est, consequenter & nos videamus; & quod Dominus donaverit, hinc dicamus. Hesterno die huc usque lectum erat, quia licèt non vidissent Dominum Jesum in templo per
Johan.7.12. diem festum, loquebantur tamen de illo: *Et alii dicebant, Bonus est; alii autem, Non, sed seducit tur-* C *bas.* Dictum enim hoc est ad eorum solatium, qui postea prædicantes verbum Dei, futuri erant ut se-
2. Cor. 6.8. ductores & veraces. Si enim seducere decipere est; nec Christus seductor, nec Apostoli ejus, nec quisquam seductor debet esse Christianus: si autem seducere aliunde aliquem ad aliud persuadendo ducere est, quærendum est unde & quò: si à malo ad bonum, bonus seductor est; si à bono ad malum, malus seductor est. In hanc ergo partem qua seducuntur homines de malo ad bonum, utinam omnes D seductores & vocemur & simus.

Johan. 7. 2. * *Adscendit* ergo postea Dominus ad diem festum,
v. 14. *mediante die festo, & docebat.* * *Et mirabantur Judæi*
v. 15. *dicentes, Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Ille qui latebat, docebat; & palàm loquebatur, & non tenebatur. Illud enim ut lateret, erat caussa exempli, hoc potestatis. Sed cùm doceret, *mirabantur Judæi.* Omnes quidem, quantum arbitror, mirabantur; sed non omnes convertebantur. Et unde admiratio? Quia multi noverant ubi natus, quem- E te, Deus erat Verbum; & videbitis verum dictum admodum fuerit educatus; numquam eum viderant litteras discentem, audiebant autem de Lege disputantem, Legis testimonia proferentem, quæ nemo posset proferre nisi legisset, nemo legere nisi litteras didicisset: & ideo mirabantur. Eorum autem admiratio Magistro facta est insinuandæ altiùs veritatis occasio. Ex eorum quippe admiratione & verbis, dixit Dominus profundum aliquid, & diligentiùs inspici & discuti dignum. Propter quod intentam facio Caritatem Vestram, non solùm ad F audiendum pro vobis, sed etiam ad orandum pro nobis.

3. Quid ergo Dominus respondit eis, admirantibus quomodo sciret litteras, quas non didicerat?
v 16. *Mea*, inquit, *doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Hæc est profunditas prima: videtur enim paucis verbis quasi contraria locutus. Non enim ait, Ista doctrina non est mea; sed, *Mea doctrina non est mea.* Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis utrumque, & *mea doctri-* G *na* & *non mea.* Nam si dixisset, Ista doctrina non est mea, nulla esset quæstio. Nunc verò, Fratres, primitus intendite quæstionem, & sic ordine exspectate solutionem. Nam qui non videt quæstionem quæ proponitur, quomodo intelligit quod exponitur? Hoc est ergo in quæstione, quod ait, *mea non mea*: hoc videtur esse contrarium, quomodo *mea*, quomodo *non mea.* Si ergo intueamur diligenter quod ipse in exordio dicit sanctus Evan-
Johan. 1. 1. gelista, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: inde pendet hujus solutio quæstionis. Quæ est ergo doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus: & suam doctrinam dixit, seipsum; & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum quàm tu? & quid tam non tuum quàm tu, si alicujus est quod es?

4. Verbum ergo & Deus est, & doctrinæ stabilis Verbum est, non sonabilis per syllabas & volatilis, sed manentis cum Patre, ad [a] quam con- d
vertamur manentem, sonis transeuntibus admoniti. Non enim nos ita admonet quod transit, ut ad transitoria vocet. Admonemur ut diligamus Deum. Totum hoc quod dixi, syllabæ fuerunt, percussum aërem verberaverunt, ut ad sensum vestrarum aurium pervenirent, sonando transierunt: non tamen illud quod vos admonui, transire debet; quia ille quem vos diligere admonui, non transit; & cùm transeuntibus syllabis admoniti, conversi ad eum fueritis, nec vos transibitis, sed cum manente manebitis. Hoc est ergo in doctrina magnum, altum & æternum quod manet; quò [b] vo- b
cant omnia quæ temporaliter transeunt, quando bene significant, nec mendaciter proferuntur. Omnia quippe signa quæ proferimus sonis, aliquid significant quod non est sonus. Non enim duæ breves syllabæ Deus est, & duas breves syllabas colimus, & duas breves syllabas adoramus, & ad duas breves syllabas pervenire desideramus: quæ penè antè desinunt sonare, quàm cœperint; nec in eis secundæ locus est, nisi prima transierit. Manet ergo aliquid magnum quod dicitur Deus, quamvis non maneat sonus cùm dicitur Deus. Sic intendite doctrinam Christi, & pervenietis ad Verbum Dei: cùm autem perveneritis ad Verbum Dei, intendi-
1. Cor. 3. 6. dare. *Mea*, inquit, *doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Audiat consilium, qui dicit, Nondum intellexi. Magna quippe res & profunda cùm fuisset

[a] Lov. *ad quem*: refragantibus editis aliis & MSS.

[b] Sic MSS, At editi Am. Bad. Er. *quod vocant*: Lov. *quò vocantur.*

Intellectus ex fide, fides ex Dei dono.

dicta, vidit utique ipse Dominus Christus hoc tam A profundum non omnes intellecturos, & in consequenti dedit consilium. Intelligere vis? Crede.

Isa. 7. 9. sec. LXX.

Deus enim per Prophetam dixit, Nisi credideritis, non intelligetis. Ad hoc pertinet quod etiam hîc

Iohan. 7. 17.

Dominus secutus adjunxit, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar.* Quid est hoc, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*? Sed ego dixeram, Si quis crediderit; & hoc consilium dederam, Si non intellexisti, inquam, Crede. INTELLECTUS enim B merces est fidei. Ergo noli quærere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas: quoniam nisi credideritis, non intelligetis. Cùm ergo ad possibilitatem intelligendi consilium dederim obedientiam credendi, & dixerim Dominum Jesum Christum hoc ipsum adjunxisse in consequenti sententia, invenimus eum dixisse, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina.* Quid est, *cognoscet*? hoc est intelliget. Quod est autem, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*, hoc est credere. Sed quia *co-* C *gnoscet*, hoc est intelliget, omnes intelligunt: quia verò quod ait, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*, hoc pertinet ad credere, ut diligentiùs intelligatur, opus est nobis ipso Domino nostro expositore, ut indicet nobis utrùm re vera ad credere pertineat facere voluntatem Patris ejus. Quis nesciat hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus ejus, id est, quod illi placet? Ipse autem Dominus apertè

Iohan. 6. 29.

alio loco dicit, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit. Ut credatis in eum; non, ut cre- D datis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei: non autem continuò qui credit ei, credit in eum. Nam & dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere, Credimus Paulo; sed non, Credimus in Paulum: Credimus Petro, sed non, Credimus in Petrum.

Rom. 4. 5.

Credenti enim in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam. QUID EST ergo

3. Sent. dist. 23. cap. Aliud est.

CREDERE IN EUM? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris E incorporari. Ipsa est ergo fides quam de nobis exigit Deus: & NON INVENIT QUOD EXIGAT, nisi donaverit quod inveniat. Quæ fides, nisi quam

Gal. 5. 6.

definivit alio loco Apostolus plenissimè dicens, Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur? Non qualiscumque fides, sed fides quæ per dilectionem operatur: hæc in te sit, & intelliges de doctrina. Quid enim intelliges? Quia doctrina ista non est mea, sed F ejus qui misit me: id est, intelliges quia Christus Filius Dei, qui est doctrina Patris, non est ex seipso, sed Filius est Patris.

Sabellii hæresis.

7. Sabellianam hæresim sententia ista dissoluit. Sabelliani enim dicere ausi sunt, ipsum esse Filium qui est & Pater; duo esse nomina, sed unam rem. Si duo essent nomina, & res una, non diceretur, *Mea doctrina non est mea.* Utique si tua doctrina non est tua, ô Domine, cujus est, nisi alius sit cujus sit? Quod dixisti, Sabelliani non intelligunt: non enim G Trinitatem viderunt, sed sui cordis errorem secuti sunt. Nos cultores Trinitatis & unitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti, & unius Dei, intelligamus de doctrina Christi, quoniam non est ejus. Et ideo dixit non se à seipso loqui; quoniam Christus Patris est Filius, & Pater Christi est Pater, & Filius de Deo Patre Deus est: Pater autem Deus, non de Filio Deo Deus est.

Iohan. 7. 18.

8. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Hoc erit ille qui vocatur Antichristus, extollens se, sicut Apostolus ait, supra omne quod dici-

1. Thess. 2. 4.

tur Deus, & quod colitur. Ipsum quippe annuntians Dominus gloriam suam quæsiturum, non gloriam Patris, ait ad Judæos, Ego veni in nomine

Johan. 5. 43.

Patris mei, & non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis. Significavit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflatus, non solidus; & ideo non stabilis, sed utique ruinosus. Dominus autem noster Jesus Christus magnum exemplum nobis præbuit humilitatis: nempe æqualis est Patri, nempe in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; nempe ipse dixit, & verissimè dixit, Tanto tempore vobiscum sum, &

Johan. 14. 8.

non cognovistis me? Philippe, qui vidit me, vidit & Patrem; nempe ipse dixit, & verissimè dixit, Ego & Pater unum sumus. Si ergo ille cum Patre

Johan. 10. 30.

unum, æqualis Patri, Deus de Deo, Deus apud Deum, coæternus, immortalis, pariter incommutabilis, pariter sine tempore, pariter creator & dispositor temporum; tamen quia venit in tempore, & formam servi accepit, & habitu est inventus ut

Philip. 2. 7.

homo, quærit gloriam Patris, non suam: quid tu homo facere debes, qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quæris; quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? Intende tibi, creatura es, agnosce Creatorem: servus es, ne contemnas Dominum: adoptatus es, sed non meritis tuis; quære ejus gloriam, à quo habes hanc gratiam, homo adoptatus; cujus gloriam quæsivit qui est ab illo unicus natus. *Qui autem quærit gloriam*

Iohan. 17. 18.

ejus qui misit illum, hic verax est, & injustitia in illo non est. In Antichristo autem injustitia est, & verax non est; quia gloriam suam quæsiturus est, non ejus à quo missus est: non enim est missus, sed venire permissus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Christi, ne inducamur in laqueos Antichristi, non quæramus gloriam nostram. Sed si ille quæsivit gloriam ejus qui eum misit, quantò magis nos ejus qui nos fecit?

TRACTATUS XXX.

Ab eo loco, Nonne Moyses dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem? *usque ad id*, Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.

1. EVANGELII sancti lectionem, de qua pridem Caritati Vestræ locuti sumus, ista quæ modò lecta est, hodierna consequitur. Dominum loquentem audiebant & discipuli & Judæi; veritatem loquentem audiebant, & veraces & mendaces; caritatem loquentem audiebant & amici & inimici; bonum loquentem audiebant & boni & mali. Illi audiebant, sed ille discernebat; & quibus sermo prodesset & profuturus esset, videbat & prævidebat. In illis enim qui tunc erant videbat, in nobis qui futuri eramus prævidebat. Nos itaque sic audiamus Evangelium, quasi præsentem Dominum; nec dicamus, O illi felices qui eum videre potuerunt! quia multi in eis qui viderunt & occiderunt; multi autem in nobis qui non viderunt, & crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est, & nobis servatum, & propter nos recitatum, & recitabitur etiam propter posteros nostros, & donec

sæculum finiatur. Sursum est Dominus: sed etiam A hîc est veritas Dominus. Corpus enim [a] Domini in quo resurrexit, uno loco esse potest: veritas ejus ubique diffusa est. Dominum ergo audiamus, & quod ipse donaverit de verbis ejus, & nos dicamus.

Iohan. 7. v. 19. v. 20.

2. * *Nonne Moyses*, inquit, *dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem?* * *Quid me quæritis interficere?* Ideo enim quæritis me interficere, quia nemo ex vobis facit Legem: nam si Legem faceretis, in ipsis litteris Christum agnosceretis, & præsentem non occideretis. Et illi responderunt: *Respondit ei turba.* Respondit quasi turba non pertinen- B tia ad ordinem, sed ad perturbationem: denique turba turbata videte quid responderit: *Dæmonium habes, quis te quærit occidere?* Quasi non pejus fuerit dicere, *Dæmonium habes*, quàm eum occidere. Ei quippe dictum est quòd dæmonium haberet, qui dæmones expellebat. Quid possit aliud dicere turba turbulenta? Quid possit aliud olere cœnum commotum? Turba turbata est, unde? à veritate. Turbam lippitudinis turbavit claritas lucis. Oculi enim non habentes sanitatem, non possunt ferre C luminis claritatem.

1. Pet. 3. 9.

3. Dominus autem non planè turbatus, sed in sua veritate tranquillus; non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Quibus si diceret, Dæmonium habetis vos; verum utique diceret. Non enim talia illi veritati dicerent, nisi eos diaboli falsitas irritaret. Quid ergo respondit? Audiamus tranquillè, & tranquillum bibamus:

Iohan. 7. 21.

Unum opus feci, & omnes miramini. Tamquam dicens, Quid si omnia opera mea videretis? Ipsius D enim opera erant quæ in mundo videbant, & ipsum qui fecit omnia non videbant: fecit unam rem, & turbati sunt, quia salvum fecit hominem sabbato. Quasi verò si quisquam [b] ægrotus sabbato sinceraret, alius illum sanum fecisset quàm ille, qui eos scandalizavit, quia unum hominem salvum fecit sabbato. Quis enim alius alios salvos fecit quàm ipsa salus: qui illam salutem quam dedit huic homini, dat & jumentis? Salus enim corporalis erat. Salus carnis & reparatur, & moritur; & cùm reparatur, E mors differtur, non aufertur. Tamen, Fratres, etiam ipsa salus à Domino est, per quemlibet detur: quocumque curante & ministrante impertiatur, ab illo datur à quo est omnis salus, cui dicitur

Psal. 35. 7.

in Psalmo, Homines & jumenta salvos facies Domine, sicut multiplicasti misericordiam tuam Deus. Quia enim Deus es, multiplicata misericordia tua pervenit etiam ad salutem carnis humanæ, pervenit etiam ad salutem mutorum animalium: sed qui das salutem carnis hominibus jumentisque communem, F numquid nulla salus est quam servas hominibus? Est certè alia quæ non solùm communis non est hominibus & jumentis, sed nec ipsis hominibus communis est bonis & malis. Denique cùm ibi de ista salute dixisset, quam communiter accipiunt pecora & homines; propter illam salutem quam sperare debent homines, sed boni homines, secutus adjun-

Ibidem &c.

xit, » Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quo- G niam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Hæc est salus quæ ad bonos pertinet, quos appellavit filios hominum; cùm suprà dixisset, Homines & jumenta salvos facies Domine. Quid enim? Illi homines non erant filii hominum, ut cùm dixisset homines, sequeretur & diceret, Filii autem hominum: quasi aliud erant homines, & aliud filii hominum? Non tamen arbitror sine aliqua significatione distinctionis hoc dixisse Spiritum-sanctum. [* Homines ad primum Adam, filii hominum ad Christum.] Fortè enim homines pertinent ad primum hominem: filii autem hominum pertinent ad filium hominis.

** Hæc redundare videntur.*

Johan. 7. 22.

4. *Unum opus feci, & omnes miramini.* Et continuò subjungit, *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem.* Bene factum est ut acciperetis circumcisionem à Moyse. *Non quia ex Moyse est, sed ex Patribus.* Abraham quippe primus accepit circumci-

Gen. 17. 10.

sionem à Domino. *Et in sabbato circumciditis.* Convicit vos Moyses. In Lege accepistis ut circumcidatis octavo die: accepistis in Lege ut vacetis septimo die: si octavus dies illius qui natus est occurret ad diem septimum sabbati, quid facietis? Vacabitis ut servetis sabbatum, an circumcidetis ut impleatis sacramentum diei octavi? Sed novi, inquit, quid faciatis. *Circumciditis hominem.* Quare? Quia circumcisio pertinet ad aliquod signaculum salutis, & non debent homines sabbato vacare à salute. Ergo nec *mihi irascamini, quia salvum feci totum hominem sabbato: si circumcisionem*, inquit, *accipit homo*

Johan. 7. 23.

in sabbato, ut non solvatur Lex Moysi: (aliquid enim per Moysen in illa constitutione circumcisionis salubriter institutum est:) mihi operanti salutem in sabbato quare indignamini?

5. Fortè enim illa circumcisio ipsum Dominum significabat, cui isti curanti & sananti indignaban-

Levit. 12. 3.

tur. Jussa est enim adhiberi octavo die circumcisio: & quid est circumcisio, nisi carnis exspoliatio? Significat ergo ista circumcisio exspoliationem à corde cupiditatum carnalium. Non ergo sine caussa data est, & in eo membro jussa fieri: quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium. Et

1. Cor. 15. 21.

per unum hominem mors, sicut per unum hominem resurrectio mortuorum: & per unum homi-

Rom. 5. 12.

nem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. Ideo quisque cum præputio nascitur, quia omnis homo cum vitio propaginis nascitur: & non mundat Deus sive à vitio cum quo nascimur, sive à vitiis quæ malè vivendo addimus, nisi per cul-

1. Cor. 10. 4.

tellum petrinum, Dominum Christum. Petra enim erat Christus. Cultellis enim petrinis circumcidebant, & petræ nomine Christum figurabant: & præsentem non agnoscebant, sed insuper eum occidere cupiebant. Quare autem octavo die, nisi quia post septimum sabbati Dominus die Dominico resurrexit? Ergo resurrectio Christi, quæ facta est tertio quidem die passionis, sed octavo die in diebus hebdomadis, ipsa nos circumcidit. Audi

Col. 3. 1. & 3.

circumcisos verâ petrâ, Apostolo admonente, Si ergo resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Circumcisis loquitur: Resurrexit Christus, abstulit vobis desideria carnalia, abstulit concupiscentias malas, abstulit superfluum cum quo nati eratis, & multò pejus quod malè vivendo addideratis: circumcisi per petram quare adhuc sapitis terram? Et ad extremum quia Legem dedit Moyses, & cir-

a Nonnulli codices omittunt, *Domini*: at postea in verbis istis, *uno loco esse potest*, Editi & MSS. quos considerare nobis licuit, omnes conveniunt: tametsi Ivo Decr. p. 2. c. 8. Gratianus de consecr. dist. 2. c. *Prima quidem*. Magister 4. Sent. dist. 10. c. 1. postque illos Thomas Aquinas 3. p q. 75. a. 1. sic sententiam hanc referant, *uno loco esse oportet*.

b In tribus MSS. *ægrotum*: in ceteris, *ægrotus sabbato sinceraret*, id est seipso, neque medici accedente operâ, sanus fieret.

cumciditis hominem sabbato, intelligite hoc significari opus bonum, quod ego feci totum hominem salvum sabbato: quia & curatus est ut sanus esset in corpore, & credidit ut sanus esset in anima.

Johan. 7. 24. 6. *Nolite judicare personaliter, sed rectum judicium judicate.* Quid est hoc? Modò qui per Legem Moysi circumciditis sabbato, non irascimini Moysi; & quia ego die sabbati salvum feci hominem, irascimini mihi. Personaliter judicatis, veritatem attendite. Ego non me præfero Moysi, ait Dominus, *Johan. 5. 46.* qui erat & ipsius Moysi Dominus. Sic adtendite quomodo homines nos duos, tamquam ambos homines: judicate inter nos, sed verum judicium judicate: nolite me honorato illum damnare, sed illo intellecto me honorate. Hoc enim eis alio loco dixit, Si credideretis Moysi, credideretis utique & mihi; de me enim ille scripsit. Sed hoc loco noluit hoc dicere, tamquam se & Moyse ante illos constitutis. Propter Legem Moysi circumciditis, quando etiam sabbatum occurrerit; & ego sanitatum faciendarum beneficentiam non vultis ut exhibeam per sabbatum? Quia Dominus circumcisionis & Dominus sabbati, salutis est auctor: & servilia opere prohibiti estis facere sabbato; si verè intelligatis *Johan. 8. 34.* servilia opera, non peccatis. Qui enim facit peccatum, servus est peccati. Numquid servile opus est, hominem sanare per sabbatum? Manducatis & bibitis, (ut aliquid dicam ex admonitione Domini nostri Jesu Christi, & ex verbis ejus,) utique quare manducatis & bibitis in sabbato, nisi quia pertinet ad salutem quod facitis? Per hoc ostenditis operа salutis non esse ullo modo die sabbati omittenda. Ergo *nolite personaliter judicare, sed rectum judicium judicate.* Adtendite me quomodo hominem, adtendite Moysen quomodo hominem: si secundùm veritatem judicetis, neque Moysen, neque me condemnabitis: & veritate cognita me cognoscetis; *Johan. 14. 6.* quia ego sum veritas.

7. Hoc vitium, Fratres, quod Dominus notavit hoc loco, evadere in hoc sæculo magni laboris est, non personaliter judicare, sed rectum judicium retinere. Admonuit quidem Dominus Judæos, sed monuit & nos: illos convicit, nos instruxit: illos redarguit, nos exacuit. Non putemus hoc nobis non ideo dictum, quia tunc ibi non fuimus. Scriptum est, legitur, cùm recitaretur audivimus; sed tamquam Judæis dictum audivimus: non nos ponamus post nos, & quasi intueamur inimicos reprehendere, & ipsi nos faciamus quod in nobis veritas ipsa reprehendat. Judæi quidem personaliter judicabant, sed ideo non pertinent ad novum Testamentum, ideo non habent in Christo regnum cælorum, ideo non junguntur sanctorum societati Angelorum: terrena quærebant à Domino: terra enim promissionis, victoria ab inimicis, fecunditas pariendi, multiplicatio filiorum, abundantia fructuum, quæ illis omnia à Deo quidem vero & bono, tamen ut carnalibus promissa sunt, omnia hæc fecerunt illis vetus Testamentum. Quid est vetus Testamentum? quasi hereditas pertinens ad hominem veterem. Nos innovati sumus, homo novus facti sumus; quia & ille homo novus venit. Quid tam novum quàm nasci de virgine? Quia ergo non erat quid in illo innovaret præceptum, quia nullum habebat peccatum; novus partus est datus. In illo partus novus, in nobis homo novus. Quid est homo novus? à vetustate innovatus. Ad quam rem innovatus? ad desideranda cælestia, ad concupiscenda sempiterna, ad patriam quæ sursum est & hostem non timet, desiderandam, ubi non perdimus amicum, non timemus inimicum; ubi vivimus cum bono affectu, sine ullo defectu; ubi nemo nascitur; quia nemo moritur; ubi nemo jam proficit, & nemo deficit; ubi non esuritur, & non sititur, sed satietas est immortalitas, & cibus veritas. Hæc habentes promissa, & ad novum Testamentum pertinentes, & novæ hereditatis facti heredes, & ipsius Domini coheredes, aliam spem valde habemus: non personaliter judicemus, sed rectum judicium teneamus.

8. Quis est qui non judicat personaliter? qui diligit æqualiter. Dilectio æqualis facit non acceptari personas. Non cùm homines diverso modo pro suis gradibus honoramus, tunc timendum est ne personas accipiamus. Sed quando inter duos judicamus, & aliquando inter necessarios: fit nonnumquam judicium inter patrem & filium; queritur pater de malo filio, aut queritur filius de duro patre: servamus honorificentiam patri, quæ debetur à filio; non æquamus filium patri in honore; sed præponimus, si bonam caussam habet: filium æquemus patri in veritate; & sic tribuemus honorem debitum, ut non perdat æquitas meritum. Ita verbis Domini proficimus, & ut proficiamus gratiâ illius adjuvamur. *2. q. 7. cap.* Queritur.

TRACTATUS XXXI.

Ab eo loco, Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis, Nonne hic est, quem quærebant Judæi interficere: *usque ad id*, Quæretis me, & non invenietis; & ubi sum ego, vos non potestis venire.

1. MEMINIT Caritas Vestra pristinis sermonibus & lectum esse in Evangelio, & à nobis ut potuimus disputatum, quòd Dominus Jesus ideo velut occultè adscendit ad diem festum, non quia timebat ne teneretur, cujus potestas erat ne teneretur; sed ut significaret etiam in ipso die festo qui celebrabatur à Judæis, se occultari, & suum esse mysterium: hodierna ergo lectione apparuit potestas, quæ putabatur timiditas: loquebatur enim palàm in die festo, ita ut mirarentur turbæ, & dicerent quod audivimus, cùm lectio legeretur, * *Nonne hic est quem quærebant interficere? * Et ecce palàm loquitur, & nihil illi dicunt: numquid verè cognoverunt principes quia hic est Christus?* Qui noverant qua sævitiâ quærebatur, mirabantur qua potentiâ non tenebatur. Deinde non plenè intelligentes illius potentiam, putaverunt principum esse scientiam, quòd ipsi cognoverant eumdem esse Christum: ideo pepercerunt ei, quem tantopere occidendum quæsierunt. *Johan. 7. v. 25. v. 26.*

2. Deinde illi ipsi apud seipsos, qui dixerant, *Numquid cognoverunt principes quia hic est Christus?* fecerunt sibi quæstionem qua eis videretur non ipse esse Christus: adjungentes enim dixerunt, *Sed ipsum novimus unde sit, Christus autem cùm venerit, nemo scit unde sit.* Hæc opinio apud Judæos unde nata fuerit, quòd *Christus cùm venerit, nemo scit unde sit:* (non enim inaniter nata est) si consideremus Scripturas, invenimus Fratres, quoniam sanctæ Scripturæ dixerunt de Christo, quoniam Nazaræus vocabitur. Ergo prædixerunt unde sit. Rursus si locum nativitatis ejus quæramus, tamquam inde sit ubi natus est; nec hoc latebat Judæos, propter Scripturas quæ ista prædixerant. Nam cùm eum visâ stellâ Magi quærerent adorare, ve- *v. 27. Matth. 2. 23.*

Matth. 2. 2. nerunt ad Herodem, & dixerunt quid quærerent & quid vellent: ille autem convocatis eis qui Legem sciebant, quæsivit ab eis ubi Christus nascerетur: illi dixerunt, in Bethleem Judæ; & testimo- *Mich. 5. 2.* nium etiam propheticum protulerunt. Si ergo Prophetæ prædixerant & locum unde erat origo carnis ejus, & locum ubi eum peperit mater ejus; unde nata est ista opinio apud Judæos, quam modò audivimus, *Christus cùm venerit, nemo scit unde sit*, nisi quia utrumque prædicaverant & prænuntiaverant Scripturæ? Secundùm hominem prædixerant Scripturæ unde esset: secundùm Deum latebat impios, & quærebat pios. Ad hoc enim & isti dixerunt, *Christus cùm venerit, nemo scit unde sit*: quia hanc illis opinionem generaverat quod per Isaiam *Isa. 53 8.* dictum est, Generationem autem ejus quis enarrabit? Denique & ipse Dominus ad utrumque respondit, & quia noverant eum unde esset, & quia non noverant; ut adtestaretur prophetiæ sanctæ quæ de illo antè prædicta est, & secundùm humanitatem infirmitatis, & secundùm divinitatem majestatis.

3. Audite ergo Verbum Domini, Fratres, videte quemadmodum confirmavit eis & quod dixerunt, *Istum novimus unde sit*: & quod dixerunt, *Johan. 7. 28.* *Christus cùm venerit, nemo scit unde sit.** *Clamabat ergo docens in templo Jesus, Et me scitis, & unde sim scitis; & à meipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescatis.* Hoc est dicere, Et me scitis, & me nescitis: hoc est dicere, Et unde sim scitis, & unde sim nescitis. Unde sim scitis, Jesus à Nazareth, cujus etiam parentes nostis. Solus enim in hac caussa latebat virginis partus, cui tamen testis erat maritus: ipse enim hoc poterat fideliter indicare, qui a * posset mariteliter & zelare. Hoc ergo excepto virginis partu, totum noverant in Jesu quod ad hominem pertinet: facies ipsius nota erat, patria ipsius nota erat, genus ipsius notum erat, ubi natus est sciebatur. Rectè ergo dixit, *Et me nostis, & unde sim scitis*, secundùm carnem & effigiem hominis quam gerebat: secundùm autem divinitatem, *Et à me ipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis*: sed ut eum sciatis, credite in eum quem misit, & scietis. Deum enim nemo vidit umquam, nisi *Johan. 1. 18.* unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse narravit: &, Patrem non cognoscit nisi Filius, & cui *Matth. 11. 27.* voluerit Filius revelare.

4. Denique cùm dixisset, *Sed est verus qui misit me, quem vos nescitis*; ut ostenderet eis unde possent scire quod nesciebant, subjecit, *Ego scio eum.* *Johan. 7. 29.* Ergo à me quærite, ut sciatis eum. Quare autem scio eum? *Quia ab ipso sum, & ipse me misit.* Magnificè utrumque monstravit. *Ab ipso*, inquit, *sum*; quia Filius de Patre, & quidquid est Filius, de illo est cujus est Filius. Ideo Dominum Jesum dicimus DEUM DE DEO; Patrem non dicimus Deum de Deo, sed tantùm Deum: & dicimus Dominum Jesum LUMEN DE LUMINE; Patrem non dicimus lumen de lumine, sed tantùm lumen. Ad hoc ergo pertinet, quod dixit, *Ab ipso sum.* Quod autem videtis me in carne, *ipse me misit.* Ubi audis *ipse me misit*, noli intelligere naturæ dissimilitudinem, sed generantis auctoritatem.

v. 30. 5. *Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus:* hoc est, quia nolebat. Quid est enim, *nondum venerat hora ejus?* Non enim Dominus sub fato natus est. Hoc nec de te credendum est, nedum de illo per quem factus es? Si tua hora voluntas est illius, illius hora quæ est nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. Tempus enim exspectabat quo moreretur, quia & tempus exspectavit quo nasceretur. De hoc tempore Apostolus loquens, ait, Cùm autem ve- *Galat. 4. 4.* nit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Ideo multi dicunt, Quare non antè venit Christus? Christus cur non antè venerit. Quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo per quem facta sunt tempora: sciebat enim quando venire deberet. Primò per multam seriem temporum & annorum prædicendus fuit; non enim aliquid parvum venturum fuit: diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quantò major judex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat. Denique ubi venit plenitudo temporis, venit & ille qui nos liberaret à tempore. Liberati enim à tempore, venturi sumus ad æternitatem illam, ubi non est tempus: Nec dicitur ibi, Quando veniet hora; dies est enim sempiternus, qui nec præceditur hesterno, nec excluditur crastino. In hoc autem sæculo volvuntur dies, & alii transeunt, & alii veniunt, nullus manet: & momenta quibus loquimur, invicem se expellunt, nec stat prima syllaba, ut sonare possit secunda. Ex quo loquimur aliquantùm senuimus, & sine ulla dubitatione senior sum modò quàm manè: ita nihil stat, nihil fixum manet in tempore. Amare itaque debemus per quem facta sunt tempora, ut liberemur à tempore, & figamur in æternitate, ubi jam nulla est mutabilitas temporum. Magna igitur misericordia Domini nostri Jesu Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora; factum esse inter omnia, per quem facta sunt omnia: factum esse quod fecit. Factus est enim quod fecerat; factus est enim homo qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. Secundùm hanc dispensationem jam venerat hora nativitatis, & natus erat: sed nondum venerat hora passionis, ideo nondum passus erat.

6. Denique ut noveritis non necessitatem, sed *Confer Tract. 37. n. 8. & seq.* potestatem morientis: propter nonnullos hoc loquor, qui cùm audierint, *nondum venit hora ejus*, ædificantur ad credenda fata, & fiunt corda eorum fatua: ut ergo noveritis potestatem morientis, ipsam passionem recolite, crucifixum in tuemini. Dixit in ligno pendens, Sitio. Illi hoc audito, in arun- *Johan. 19. 28. &c.* dine per spongiam obtulerunt ei acetum in cruce: accepit, & ait, Perfectum est: & inclinato capite, reddidit spiritum. Videtis potestatem morientis, quia hoc exspectabat, donec omnia complerentur quæ de illo prædicta fuerant ante mortem futura. Dixerat enim Propheta, Dederunt in escam meam *Psal. 68. 22.* fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Exspectabat ut hæc omnia complerentur: postea quàm completa sunt, dixit, Perfectum est: & abscessit potestate, quia non venerat necessitate. Ideo quidam plus mirati sunt istam potestatem morientis, quàm potentiam miracula facientis. Ventum est enim ad crucem, ut corpora deponerentur de ligno, quoniam sabbatum illucescebat: & inventi sunt latrones viventes. Supplicium quippe crucis ideo durius erat, quia diutiùs cruciabat, & omnes crucifixi longa morte necabantur. Illi autem, ne remanerent in ligno, cruribus fractis coacti sunt mori, ut possent inde deponi. Dominus autem in-

a Sic MSS. cum editis Am. & Bad. At Er. & Lov. habent, *qui potuit maritaliter & celare.*

ventus est mortuus, & admirati sunt homines : & A qui eum vivum contemserunt, mortuum sic admirati sunt, ut dicerent quidam, Verè Filius Dei est hic. Unde est & illud, Fratres, ubi ait quærentibus se, Ego sum : & illi retrò redeuntes omnes ceciderunt. Erat ergo in illo potestas summa. Nec horâ cogebatur mori ; sed horam exspectabat, qua opportunè fieret voluntas, non qua inviti impleretur necessitas.

Matth. 27. 54. *Johan.* 18. 6.

Johan. 7. 31. 7. *De turbâ autem multi crediderunt in eum.* Humiles & pauperes salvos faciebat Dominus. Principes insaniebant : & ideo medicum non solùm non agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant. Erat quædam turba quæ suam ægritudinem citò vidit, & illius medicinam sine dilatione cognovit. Videte quid sibi dixerit turba ipsa commota miraculis. *Numquid Christus cùm venerit, plura signa facturus est ?* Utique si duo non erunt, hic est. Crediderunt ergo in eum dicentes ista.

8. Principes verò illi audita multitudinis fide, & eo murmure quo Christus glorificabatur, *miserunt ministros, ut apprehenderent eum.* Quem apprehenderent ? Adhuc nolentem ? Quia ergo non poterant apprehendere nolentem, missi sunt ut audirent docentem. Quid docentem ? *Dicit ergo Jesus, Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Quod modò vultis facere, facturi estis, sed non modò : quia modò nolo. Quare adhuc modò nolo ? quia *adhuc modicum tempus vobiscum sum : & tunc vado ad eum qui me misit.* Implere debeo dispensationem meam, & sic pervenire ad passionem meam.

v. 32. *v.* 33.

v. 34. 9. *Quæretis me, & non invenietis ; & ubi sum ego, vos non potestis venire.* Hîc jam resurrectionem suam prædixit : noluerunt enim agnoscere præsentem, & postea quæsierunt, cùm viderunt in eum multitudinem jam credentem. Magna enim signa facta sunt, etiam cùm Dominus resurrexit, & adscendit in cælum. Tunc per discipulos facta sunt magna ; sed ille per illos, qui & per seipsum : ipse quippe illis dixerat, Sine me nihil potestis facere. Quando claudus ille qui sedebat ad portam, ad vocem Petri surrexit, & suis pedibus ambulavit, ita ut homines mirarentur, sic eos allocutus est Petrus, quia non in sua potestate ista fecit, sed in virtute illius, quem ipsi occiderunt. Multi compuncti dixerunt, Quid faciemus ? Viderunt enim se ingenti crimine impietatis adstrictos, quando illum occiderunt, quem venerari & adorare debuerunt : & hoc putabant esse inexpiabile. Magnum enim facinus erat, cujus consideratio illos faceret desperare : sed non debebant desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus est dignatus orare. Dixerat enim, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Videbat quosdam suos inter multos alienos ; illis jam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat injuriam. Non enim adtendebat quòd ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. Multum est quod illis concessum est, & ab ipsis, & pro ipsis ; ut nemo de sui peccati dimissione desperet, quando illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt. Mortuus est Christus pro nobis, sed numquid à nobis ? At verò illi viderunt Christum suo scelere morientem : & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem. Quousque biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperaverunt. Ergo hoc dixit, *Quæretis me, & non invenietis ; & ubi sum ego, vos non potestis venire* : quia quæsituri illum erant post resurrectionem compuncti. Nec dixit, ubi ero ; sed, *ubi sum.* Semper enim ibi erat Christus, quò fuerat rediturus : sic enim venit, ut non recederet. Unde alio loco ait, Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo : non dixit, qui fuit in cælo. In terra loquebatur, & in cælo se esse dicebat. Sic venit, ut inde non abscederet : sic rediit, ut nos non derelinqueret, Quid miramini ? Deus hoc facit. Homo enim secundùm corpus in loco est, & de loco migrat, & cùm ad alium locum venerit, in eo loco unde venit non erit : Deus autem implet omnia, & ubique totus est. non secundùm spatia tenetur locis. Erat tamen Dominus Christus secundùm visibilem carnem in terra, secundùm invisibilem majestatem in cælo & in terra : ideo ait, *Ubi ego sum, vos non potestis venire.* Nec dixit, non poteritis, sed, *non potestis* : tales enim tunc erant qui non possent. Nam ut sciatis non hoc ad desperationem dictum, & discipulis suis dixit tale aliquid ; Quò ego vado, vos non potestis venire : cùm pro illis orans dixerit, Pater, volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum. Denique hoc Petro exposuit, & ait illi, Quò ego vado, non potes me sequi modò, sequêris autem postea.

Johan. 3. 13.

Johan. 13. 33. *Johan.* 17. 24. *Johan.* 13. 36.

10. *Dixerunt ergo Judæi*, non ad ipsum ; sed, *ad seipsos : Quò hic iturus est, quia non inveniemus eum ? numquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes ?* Non enim sciebant quod dixerunt ; sed quia ille voluit, prophetaverunt. Iturus enim erat Dominus ad gentes, non præsentiâ corporis sui, sed tamen pedibus suis. Qui erant pedes ejus ? Quos pedes conculcare volebat persequendo Saulus, quando ei caput clamavit, Saule, Saule, quid me persequeris. *Quis est hic sermo, quem dixit, Quæretis me & non invenietis, & ubi ego sum, vos non potestis venire ?* Unde hoc dixit Dominus, nescierunt, & tamen aliquid quod futurum erat, nescientes prænuntiaverunt. Dixit enim hoc Dominus, quia locum, si tamen dicendus est locus, id est, sinum Patris unde numquam discedit unigenitus Filius, non illi noverant ; nec cogitare idonei erant ubi erat Christus, unde non recessit Christus, quò rediturus erat Christus, ubi manebat Christus. Unde hoc cordi humano cogitare, nedum linguâ explicare ? Hoc ergo illi nullo modo intellexerunt ; & tamen ex hac occasione salutem nostram prædixerunt, quòd Dominus iturus esset ad dispersionem gentium, & impleturus quod legebant & non intelligebant, Populus quem non cognovi, servivit mihi, in obauditu auris obaudivit mihi. Illi non audierunt in quorum oculis fuit, illi audierunt in quorum auribus sonuit.

Johan. 7. 35. *Act.* 9. 4. *Johan.* 7. 36. *Psal.* 17. 34.

11. Illius enim Ecclesiæ venturæ de gentibus typum gerebat mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur : tangebat & non videbatur, nesciebatur & sanabatur. Figurâ quippe erat, quod Dominus interrogavit, Quis me tetigit ? Quasi ignorans ignoratam sanavit : sic fecit & gentibus. Non eum didicimus in carne, & meruimus carnem ejus mandücare, & in carne ejus membra esse. Quare ? quia misit ad nos. Quos ? præcones suos, discipulos suos, servos suos, redemtos suos quos creavit, sed quos & redemit fratres suos : totum parum dixi : membra sua, seipsum ; misit enim ad nos membra sua, & fecit nos membra sua. Tamen secundùm speciem corporis quam Judæi viderunt & contemserunt, non apud nos fuit Christus : quia & hoc de illo di-

Luc. 8. 45.

De consens. dist. 2. *cap.* Accesserunt.

Rom. 15. 8. ctum erat, sicut & Apostolus dicit, Dico enim » Christum ministrum fuisse circumcisionis propter » veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Ad illos debuit venire, à quorum patribus & quorum patribus est promissus : ideo & ipse sic ait, *Matth.* 15. 24. Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Sed quid dicit Apostolus in sequenti ? *Rom.* 15. 9. Gentes autem super misericordia glorificare Deum. *Johan.* 10. 16. Quid & ipse Dominus ? Habeo alias oves quæ non » sunt ex hoc ovili. Qui dixerat, Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël : quomodo habet alias oves ad quas non est missus, nisi quia significavit præsentiam corporalem non se missum exhibere nisi solis Judæis, qui viderunt & occiderunt ? Et multi tamen inde & antea & postea crediderunt. Messis prima de cruce ventilata est, ut esset semen unde alia messis consurgeret. Nunc verò cùm famâ Evangelii & bono ejus odore excitati credunt fideles ejus per omnes gentes, erit exspectatio gentium, quando veniat qui jam venit ; quando ab omnibus videatur, qui tunc à quibusdam visus non est, à quibusdam visus est ; quando veniat judicaturus qui venit judicandus ; quando veniat discreturus, qui venit ut non discerneretur. Non enim ab impiis Christus est discretus, sed cum impiis judicatus : de illo enim dictum est, Inter iniquos reputatus est. *Isa.* 53. 12. *Marci* 15. 15. Latro evasit : Christus damnatus est. Accepit indulgentiam criminosus, damnatus est qui omnium crimina confitentium relaxavit. Tamen & ipsa crux, si adtendas, tribunal fuit : in medio enim judice constituto, unus latro qui credidit liberatus, alter qui insultavit damnatus est. Jam significabat quod facturus est de vivis & mortuis, alios posituras ad dexteram, alios ad sinistram : similis ille latro futuris ad sinistram, similis alter futuris ad dexteram. Judicabatur, & judicium minabatur.

Gen. 49. 10.

Crux tribunal fuit.

TRACTATUS XXXII.

Ab eo loco, In novissimo autem die festivitatis stabat Jesus & clamabat, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat : *usque ad id*, Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.

Johan. 7. 37. 1. INTER dissensiones & dubitationes Judæorum de Domino Jesu Christo, inter cetera quæ dixit, quibus alii confunderentur, alii docerentur, *novissimo* illius *festivitatis die*, (tunc enim ista agebantur,) quæ appellatur Scenopegia, id est tabernaculorum constructio, de qua festivitate jam antea meminit Caritas Vestra fuisse dissertum, vocat Dominus Jesus Christus, & hoc non utcumque loquendo, sed clamando, ut qui sitit veniat ad eum. Si sitimus, veniamus ; & non pedibus, sed affectibus ; nec migrando, sed amando veniamus. Quamquam secundùm interiorem hominem, & qui amat migrat. Et aliud est migrare corpore, aliud corde : migrat corpore, qui motu corporis mutat locum ; migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amas, aliud amabas ; non ibi es, ubi eras.

2. Clamat ergo nobis Dominus : *Stabat* enim, *& clamabat, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* *v.* 38. * *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quid hoc esset, quando Evangelista exposuit, immorari non debemus. Unde enim dixerit Dominus, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat,* & *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ,* consequenter exposuit Evangelista, dicens, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem* *v.* 39. *accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Est ergo sitis interior & venter interior, quia est homo interior. Et ille quidem interior invisibilis, exterior autem visibilis : sed melior interior quàm exterior. Et quod non videtur, hoc plus amatur : constat enim plus amari hominem interiorem quàm exteriorem. Unde hoc constat ? Unusquisque in seipso probet. Quamvis enim qui malè vivunt, animos suos corpori addicant : vivere tamen volunt, quod non est nisi animi, magisque seipsos indicant qui regunt, quàm illa quæ reguntur. Regunt enim animi, reguntur corpora. Gaudet quisque voluptate, & capit de corpore voluptatem : sed separa animum, nihil restat in corpore quod gaudeat ; & si de corpore gaudet, animus gaudet. Si gaudet de domo sua, de se non debet gaudere ? & si habet animus unde oblectetur extrinsecùs, sine deliciis manet intrinsecùs ? Omnino constat plus amare hominem animam suam quàm corpus suum. Sed & in alio homine plus amat homo animam quàm corpus. Quid enim amatur in amico, ubi est amor sincerior & castior ? Quid amatur in amico, animus an corpus ? Si fides amatur, animus amatur : si benevolentia amatur, benevolentiæ sedes animus est : si hoc amas in altero, quia & ipse amat te, animum amas ; quia non caro, sed animus amat. Ideo enim amas, quia te amat : quære unde te amet, & vide quid ames. Plus ergo amatur, & non videtur.

3. Aliquid etiam volo dicere, ubi magis appareat Dilectioni Vestræ quantum ametur animus, & quemadmodum corpori præponatur. Illi ipsi lascivi amatores, qui pulcritudine corporum delectantur, & formâ membrorum accenduntur, tunc amant ampliùs quando amantur. Nam si amet & sentiat quia odio habetur, magis irascitur quàm diligit. Quare magis irascitur quàm diligit ? quia non ei redditur quod impendit. Si ergo ipsi corporum amatores redamari se volunt, & hoc eos magis delectat si amentur, quales sunt amatores animorum ? Et si magni sunt amatores animorum, quales sunt amatores Dei, qui pulcros animos facit ? Sicut enim animus facit decus in corpore, sic Deus in animo. Non enim facit corpori unde ametur nisi animus : qui cùm migraverit, cadaver horrescis ; & quantumcumque pulcra illa membra dilexeris, sepelire festinas. Decus ergo corporis, animus : decus animi, Deus.

4. Clamat ergo Dominus ut veniamus & bibamus, si intus sitiamus ; & dicit, quia cùm biberimus, flumina aquæ vivæ fluent de ventre nostro. Venter interioris hominis conscientia cordis est. Bibito ergo iste liquore vivescit purgata conscientia ; & hauriens, fontem habebit ; etiam ipsa fons erit. Quid est fons, & quid est fluvius, qui manat de ventre interioris hominis ? Benevolentia, qua vult consulere proximo. Si enim putet quia quod bibit soli ipsi debet sufficere, non fluit aqua viva de ventre ejus : si autem proximo festinat consulere ; ideo non siccat, quia manat. Videbimus nunc quid sit quod bibunt, qui credunt in Domino : quia utique Christiani sumus, & si credimus, bibimus. Et unusquisque in seipso debet agnoscere si bibit, & si vivit ex eo quod bibit : non enim nos deserit fons, si non deseramus fontem.

5. Exposuit Evangelista, ut dixi, unde Dominus clamasset, ad qualem potum invitasset, quid bibentibus propinasset, dicens, *Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Quem dicit Spiritum, nisi sanctum Spiritum? Nam unusquisque homo habet in se proprium spiritum, de quo loquebar cùm animum commendarem. Animus enim cujusque, proprius est spiritus ejus: de quo dicit Paulus apostolus, 1. *Cor.* 2. 11. Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? deinde adjunxit, Sic & quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei. Nostra nemo scit nisi spiritus noster. Non enim novi quid cogitas, aut tu quid cogito: ipsa enim sunt propria nostra, quæ interiùs cogitamus; & cogitationum uniuscujusque hominis ipsius spiritus testis est. Sic & quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei. Nos cum spiritu nostro, Deus cum suo: ita tamen ut Deus cum suo Spiritu sciat etiam quid agatur in nobis; nos autem sine ejus Spiritu scire non possumus quid agatur in Deo. Deus autem scit in nobis, & quod ipsi nescimus in nobis. Nam infirmitatem *Matth.* 26. 33. *&c.* suam Petrus nesciebat, quando à Domino quòd ter esset negaturus audiebat, & æger se ignorabat, medicus ægrum sciebat. Sunt ergo quædam quæ Deus novit in nobis, nescientibus nobis. Tamen quantum ad homines pertinet, nemo sic se novit quomodo ipse homo: alius nescit quid in illo agatur, sed spiritus ejus novit. Accepto autem Spiritu Dei, discimus & quid agatur in Deo: non totum, quia non accepimus totum. De pignore multa novimus: pignus enim accepimus, & hujus pignoris plenitudo postea dabitur. Interim in hac peregrinatione pignus nos consoletur, quia qui nos dignatus est oppignerare, multum paratus est dare. Si talis est arrha, quid est cujus est arrha?

6. Sed quid est quod ait, *Non enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus?* In evidenti est intellectus. Non enim non erat Spiritus Dei, qui erat apud Deum: sed nondum erat in eis qui crediderant in Jesum. Ita enim disposuit Dominus Jesus, non eis dare Spiritum istum de quo loquimur, nisi post resurrectionem suam; & hoc non sine caussa. Et fortè si quæramus, annuet ut inveniamus; & si pulsemus, aperiet ut intremus. Pietas pulsat, non manus: quamquam pulsat & manus, si ab operibus misericordiæ non cesset manus. Quæ igitur caussa est, cur Dominus Jesus Christus statuerit non nisi cùm esset glorificatus, dare Spiritum sanctum? Quod antequam dicamus ut possumus, priùs quærendum est, ne quem fortè moveat, quomodo nondum erat Spiritus in hominibus sanctis, cùm de ipso Domino recèns nato legatur in Evangelio, quòd eum in Spiritu-sancto agnoverit Simeon, agnoverit etiam Anna vidua prophetissa; agnoverit Johannes ipse, qui eum baptizavit: impletus Spiritu-sancto Zacharias multa dixit: Spiritum-sanctum ipsa Maria, ut Dominum conciperet, accepit. Multa ergo indicia præcedentia Spiritus-sancti habemus, antequam Dominus glorificaretur resurrectione carnis suæ. Non enim alium spiritum etiam Prophetæ habuerunt, qui Christum venturum prænuntiaverunt. Sed modus quidam futurus erat dationis hujus, qui omnino antea non apparuerat: de ipso hîc dicitur. Nusquam enim legimus antea congregatos homines accepto Spiritu-sancto, linguis omnium gentium locutos fuisse. Post resurrectionem autem suam, primùm quando apparuit discipulis suis, dixit illis, Accipite Spiritum-sanctum. De hoc ergo dictum est, *Non erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Et insufflavit in faciem eorum, qui flatu primum hominem vivificavit, & de limo erexit, quo flatu animam membris dedit; significans eum se esse, qui insufflavit in faciem eorum, ut à luto exsurgerent, & luteis operibus renuntiarent. Tunc primùm post resurrectionem suam Dominus, quam dicit Evangelista glorificationem, dedit discipulis suis Spiritum-sanctum. Deinde commoratus cum eis quadraginta dies, ut liber Actuum Apostolorum demonstrat, ipsis videntibus, & videndo deducentibus, adscendit in cælum. Ibi peractis decem diebus, die Pentecostes misit de super Spiritum-sanctum. Quo, sicut dixi, qui fuerant in uno loco congregati, accepto impleti, omnium gentium linguis locuti sunt. *Iohan.* 20. 22. *Gen.* 2. 7. *Act.* 1. 3. *& 9.* *Act.* 2. 1. *&c.*

7. Quid ergo, Fratres, quia modò qui baptizatur in Christo, & credit in Christum, non loquitur omnium gentium linguis, non est credendus accepisse Spiritum-sanctum? Absit ut istâ perfidiâ tenetur cor nostrum. Certi sumus omnem hominem accipere: sed quantum vas fidei adtulerit ad fontem, tantum implet. Cùm ergo & modò accipiatur, dixerit aliquis, Quare nemo loquitur linguis omnium gentium? Quia jam ipsa Ecclesia linguis omnium gentium loquitur. Antea in una gente erat Ecclesia, ubi omnium linguis loquebatur. Loquendo linguis omnium, significabat futurum, ut crescendo per gentes, loqueretur linguis omnium. In hac Ecclesia qui non est, nec modò accipit Spiritum-sanctum. Præcisus enim & divisus ab unitate membrorum, quæ unitas linguis omnium loquitur, renuntiet sibi: non habet. Nam si habet, det signum quod tunc dabatur. Quid est, det signum quod tunc dabatur? Loquatur omnibus linguis. Respondet mihi, Quid enim, tu loqueris omnibus linguis? Loquor planè, quia omnis lingua mea est, id est, ejus corporis cujus membrum sum. Diffusa Ecclesia per gentes loquitur omnibus linguis: Ecclesia est corpus Christi, in hoc corpore membrum es: cùm ergo membrum sis ejus corporis quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis. Unitas enim membrorum caritate concordat: & ipsa unitas loquitur, quomodo tunc unius homo loquebatur. In Ecclesiæ unitate linguis omnium gentium loquimur.

8. Accipimus ergo & nos Spiritum-sanctum si amamus Ecclesiam, si caritate compaginamur, si catholico nomine & fide gaudemus. Credamus, Fratres, Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum-sanctum. Datus est enim Spiritus, sicut Apostolus dicit, ad manifestationem. Quam manifestationem? Sicut ipse idem dicit, Quia alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donatio curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum in eodem Spiritu. Multa enim dantur ad manifestationem, sed tu forsitan eorum omnium quæ dixi nihil habes. Si amas, non nihil habes: si enim amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illa habet aliquid. Tolle invidiam, & tuum est quod habeo: tollam invidiam, & meum est quod habes. Livor separat, sanitas jungit. Oculus solus videt in corpore: sed numquid soli sibi oculus videt? Et manui videt, & pedi videt, & ceteris membris videt: non enim si aliquis Spiritum-S. quisque tantum habet, quantum Ecclesiam diligit. 1. *Cor.* 12. 7. *Ibidem* 8. *&c.*

Spiritus S. quomodo non erat datus ante Christi resurrectionem. *Luca* 2. 25. *& 36.* *Luca* 1. 41. *Ibidem* 67. *Ibidem* 35.

aliquis ictus in pedem veniat, avertit se oculus inde ut non præcaveat. Rursus sola manus operatur in corpore: sed numquid sibi soli operatur? Et oculo operatur: nam si ictus aliquis veniens non eat in manum, sed tantùm in faciem, numquid dicit manus, Non me moveo, quia non tendit ad me? Sic pes ambulando omnibus membris militat: membra cetera tacent, & lingua omnibus loquitur. Habemus ergo Spiritum-sanctum, si amamus Ecclesiam: amamus autem, si in ejus compage & caritate consistimus. Nam ipse Apostolus cùm dixisset diversa dona dari diversis hominibus, tamquam officia 1. *Cor.* 12. 31. quorumque membrorum, Adhuc, inquit, supereminentiorem viam vobis demonstro: & cœpit loqui de caritate. Præposuit eam linguis hominum & Angelorum, præposuit miraculis fidei, præposuit scientiæ & prophetiæ, præposuit etiam illi magno operi misericordiæ, quo sua quæ possidet distribuit quisque pauperibus; & ad extremum præposuit eam etiam corporis passioni: his omnibus tam magnis rebus præposuit caritatem. IPSAM HABETO, & cuncta habebis: quia sine illa nihil proderit, quidquid habere potueris. Quia verò ad Spiritum-sanctum pertinet caritas de qua loquimur, (quæstio enim modò in Evangelio de Spiritu-sancto retractatur,) audi Apostolum dicentem, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. *Rom.* 5. 5.

Spiritus quare non datus ante Christi resurrectionem.

9. Quare ergo Dominus Spiritum, cujus maxima beneficia sunt in nobis, quia caritas Dei per ipsum diffusa est in cordibus nostris, post resurrectionem suam dare voluit? quid significavit? Ut in resurrectione nostra caritas nostra flagret, & ab amore sæculi separet, ut tota currat in Deum. Hîc enim nascimur, & morimur, hoc non amemus: caritate migremus, caritate sursum habitemus, caritate illa qua diligimus Deum. Nihil aliud in hac vitæ nostræ peregrinatione meditemur, nisi quia & hîc non semper erimus, & ibi nobis locum bene vivendo præparabimus, unde numquam migremus. Dominus enim noster Jesus Christus, postea quàm *Rom.* 6. 9. resurrexit, jam non moritur, mors illi ultrà, sicut Apostolus dicit, non dominabitur. Ecce quod amemus. Si vivimus, si in ipsum credimus qui resurrexit, dabit nobis, non quod hîc amant homines, qui Deum non amant, aut tantò plus amant, quantò illum minùs amant: tantò autem hoc minùs amant, quantò illum plus amant. Sed videamus quid nobis promisit: non divitias terrenas & temporales, non honores & potestates in sæculo isto: videtis enim omnia hæc dari & hominibus malis, ne magnipendantur à bonis. Non ipsam postremò corporis sanitatem: non quia ipse illam non dat, sed quia ut videtis & pecoribus dat. Non vitam longam. Quid est enim longum quod aliquando finitur? Non pro magno nobis credentibus promisit longævitatem, aut decrepitam senectutem; quam omnes optant antequam veniat, omnes de illa cùm venerit murmurant. Non pulcritudinem corporis, quam vel corporis morbus, vel ipsa senectus quæ optatur, exterminat. Vult esse pulcher, & vult esse senex: ista duo desideria sibi invicem concordare non possunt: si senex eris, pulcher non eris: quando senectus venerit, pulcritudo fugiet; & in uno habitare non possunt vigor pulcritudinis, & gemitus senectutis. Omnia ergo ista non nobis promisit, qui dixit, *Qui credit in me, veniat, & bibat, & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Vitam æternam promisit, ubi nihil timeamus, ubi non conturbemur, unde non migremus, ubi non morianur; ubi nec decessor plangatur, nec successor speretur. Quia ergo tale est quod nobis promisit amantibus, & Spiritus-sancti caritate ferventibus; ideo ipsum Spiritum noluit dare, nisi cùm esset glorificatus: ut in suo corpore ostenderet vitam, quam modò non habemus, sed in resurrectione speramus.

TRACTATUS XXXIII.

Ab eo loco Evangelii, Ex illa ergo turba cùm audissent hos sermones ejus *&c. usque ad id*, Nec ego te condemnabo, vade, & ampliùs noli peccare.

1. MEMINIT Caritas Vestra, sermone pristino ex occasione lectionis Evangelicæ locutos nos esse vobis de Spiritu-sancto. Ad hunc potandum cùm Dominus invitasset credentes in se, loquens inter eos qui illum tenere cogitabant, & interficere cupiebant, nec valebant, quia ille nolebat: cùm ergo hæc locutus esset, nata est de illo in turba dissensio, aliis putantibus quòd ipse esset Christus, aliis dicentibus, quia de Galilæa non exsurget Christus. Qui verò missi fuerant, ut eum tenerent, redierunt inimunes à crimine, & pleni admiratione. Nam & testimonium perhibuerunt divinæ doctrinæ ejus, cùm dicerent à quibus missi fuerant, *Quare non adduxistis eum?* *Iohan.* 7. Responderunt enim numquam se audisse hominem 45. sic locutum: *Non enim quisquam sic loquitur homo.* *v.* 46. Ille autem sic locutus est, quia Deus erat & homo. Tamen Pharisæi testimonium eorum repellentes, dixerunt eis, *Numquid & vos seducti estis?* Videmus e- *v.* 47. nim delectatos vos esse sermonibus illius.* *Numquid* *v.* 48. *aliquis de principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis?* * *Sed turba hæc quæ non novit Legem, maledicti sunt.* *v.* 49. Qui non noverant Legem, ipsi credebant in eum qui miserat Legem; & eum qui miserat Legem, contemnebant illi qui docebant Legem: ut impleretur quod dixerat ipse Dominus, Ego veni ut non videntes videant, & videntes cæci fiant. Cæci enim facti sunt Pharisæi doctores, illuminati sunt populi nescientes Legem, & in auctorem Legis credentes.

2. *Nicodemus* tamen *unus ex Pharisæis, qui ad* *v.* 50. *Dominum nocte venerat*, & ipse non quidem incredulus, sed timidus; nam ideo nocte venerat ad lucem, quia illuminari volebat, & scire timebat: respondit Judæis, *Numquid Lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso priùs & cognoverit quid faciat?* *v.* 51. Volebant enim illi perversè antè esse damnatores quàm cognitores. Sciebat enim Nicodemus, vel potiùs credebat, quia si tantummodo eum vellent patienter audire, fortè similes fierent illis qui missi sunt tenere, & maluerunt credere. *Illi respon-* *v.* 52. *derunt*, ex præjudicio cordis sui, quod & illis: *Numquid & tu Galilæus es?* Id est, quasi à Galilæo seductus. Dominus enim Galilæus dicebatur, quoniam de Nazareth civitate erant parentes ejus. Secundùm Mariam dixi parentes, non secundùm virile semen: non enim quæsivit in terra nisi matrem, qui jam habebat de super Patrem. Nam utraque ejus nativitas mirabilis fuit, divina sine matre, humana sine patre. Quid ergo illi quasi Legis doctores ad Nicodemum dixerunt? *Scrutare Scripturas, & vide quia Propheta à Galilæa non surgit.* Sed Dominus Prophetarum inde surrexit. *Reversi sunt*, inquit E- *v.* 53. vangelista, *unusquisque in domum suam.*

5. Exposuit Evangelista, ut dixi, unde Dominus clamasset, ad qualem potum invitasset, quid bibentibus propinasset, dicens, *Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Quem dicit Spiritum, nisi sanctum Spiritum? Nam unusquisque homo habet in se proprium spiritum, de quo loquebar cùm animum commendarem. Animus enim cujusque, proprius est spiritus ejus: de quo dicit Paulus apostolus,
1. Cor. 2. 11. » Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spi-
» ritus hominis qui in ipso est? deinde adjunxit, Sic
» & quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei. Nostra nemo scit nisi spiritus noster. Non enim novi quid cogitas, aut tu quid cogito: ipsa enim sunt propria nostra, quæ interiùs cogitamus; & cogitationum uniuscujusque hominis ipsius spiritus testis est. Sic & quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei. Nos cum spiritu nostro, Deus cum suo: ita tamen ut Deus cum suo Spiritu sciat etiam quid agatur in nobis; nos autem sine ejus Spiritu scire non possumus quid agatur in Deo. Deus autem scit in nobis, & quod ipsi nescimus in nobis. Nam infirmitatem
Matth. 26. 33. &c. suam Petrus nesciebat, quando à Domino quòd ter esset negaturus audiebat, & æger se ignorabat, medicus ægrum sciebat. Sunt ergo quædam quæ Deus novit in nobis, nescientibus nobis. Tamen quantum ad homines pertinet, nemo sic se novit quomodo ipse homo: alius nescit quid in illo agatur, sed spiritus ejus novit. Accepto autem Spiritu Dei, discimus & quid agatur in Deo: non totum, quia non accepimus totum. De pignore multa novimus: pignus enim accepimus, & hujus pignoris plenitudo postea dabitur. Interim in hac peregrinatione pignus nos consoletur, quia qui nos dignatus est oppignerare, multum paratus est dare. Si talis est arrha, quid est cujus est arrha?

6. Sed quid est quod ait, *Non enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus?* In evidenti est intellectus. Non enim non erat Spiritus Dei, qui erat apud Deum: sed nondum erat in eis qui crediderant in Jesum. Ita enim disposuit Dominus Jesus, non eis dare Spiritum istum de quo loquimur, nisi post resurrectionem suam; & hoc non sine caussa. Et fortè si quæramus, annuet ut inveniamus; & si pulsemus, aperiet ut intremus. Pietas pulsat, non manus: quamquam pulsat & manus, si ab operibus misericordiæ non cessat manus. Quæ igitur caussa est, cur Dominus Jesus Christus statuerit non nisi cùm esset glorificatus, dare Spiritum
Spiritus S. quomodo non erat datus ante Christi resurrectionem. sanctum? Quod antequam dicamus ut possumus, priùs quærendum est, ne quem fortè moveat, quomodo nondum erat Spiritus in hominibus sanctis, cùm de ipso Domino recèns nato legatur in Evangelio, quòd eum in Spiritu-sancto agnoverit Simeon; agnoverit etiam Anna vidua prophetissa; agnoverit Johannes ipse, qui eum baptizavit: impletus Spiritu-sancto Zacharias multa dixit: Spiritum-sanctum ipsa Maria, ut Dominum conciperet, accepit. Multa ergo indicia præcedentia Spiritus-sancti habemus, antequam Dominus glorificaretur resurrectione carnis suæ. Non enim alium spiritum etiam Prophetæ habuerunt, qui Christum venturum prænuntiaverunt. Sed modus quidam futurus erat dationis hujus, qui omnino antea non apparuerat: de ipso hîc dicitur. Nusquam enim legimus antea congregatos homines accepto Spiritu-sancto, linguis omnium gentium locutos fuisse.
Luca 2. 25. & 36. Luca 1. 41. Ibidem 67. Ibidem 35.

Post resurrectionem autem suam, primùm quando apparuit discipulis suis, dixit illis, Accipite Spiritum-sanctum. De hoc ergo dictum est, *Non erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Et insufflavit in faciem eorum, qui flatu primum hominem vivificavit, & de limo erexit, quo flatu animam membris dedit; significans eum se esse, qui insufflavit in faciem eorum, ut à luto exsurgerent, & luteis operibus renuntiarent. Tunc primùm post resurrectionem suam Dominus, quam dicit Evangelista glorificationem, dedit discipulis suis Spiritum-sanctum. Deinde commoratus cum eis quadraginta dies, ut liber Actuum Apostolorum demonstrat, ipsis videntibus, & videndo deducentibus, adscendit in cælum. Ibi peractis decem diebus, die Pentecostes misit de super Spiritum-sanctum. Quo, sicut dixi, qui fuerant in uno loco congregati, accepto impleti, omnium gentium linguis locuti sunt.
Iohan. 20. 22. Gen. 2. 7. Act. 1. 3. & 9. Act. 2. 1. &c.

7. Quid ergo, Fratres, quia modò qui baptizatur in Christo, & credit in Christum, non loquitur omnium gentium linguis, non est credendus accepisse Spiritum-sanctum? Absit ut istâ perfidiâ tenetur cor nostrum. Certi sumus omnem hominem accipere: sed quantum vas fidei adtulerit ad fontem, tantum implet. Cùm ergo & modò accipiatur, dixerit aliquis, Quare nemo loquitur linguis omnium gentium? Quia jam ipsa Ecclesia linguis omnium gentium loquitur. Antea in una gente erat Ecclesia, ubi omnium linguis loquebatur. Loquendo linguis omnium, significabat futurum, ut crescendo per gentes, loqueretur linguis omnium. In hac Ecclesia qui non est, nec modò accipit Spiritum-sanctum. Præcisus enim & divisus ab unitate membrorum, quæ unitas linguis omnium loquitur, renuntiet sibi: non habet. Nam si habet, det signum quod tunc dabatur. Quid est, det signum quod tunc dabatur? Loquatur omnibus linguis. Respondet mihi, Quid enim, tu loqueris omnibus linguis? Loquor planè, quia omnis lingua mea est, id est, ejus corporis cujus membrum sum. Diffusa Ecclesia per gentes loquitur omnibus linguis: Ecclesia est corpus Christi, in hoc corpore membrum es: cùm ergo membrum sis ejus corporis quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis. Unitas enim membrorum caritate concordat: & ipsa unitas loquitur, quomodo tunc unius homo loquebatur.
In Ecclesiæ unitate linguis omnium gentium loquimur.

8. Accipimus ergo & nos Spiritum-sanctum si amamus Ecclesiam, si caritate compaginamur, si catholico nomine & fide gaudemus. Credamus, Fratres, Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum-sanctum. Datus est enim Spiritus, sicut Apostolus dicit, ad manifestationem. Quam manifestationem? Sicut ipse idem dicit, Quia alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donatio curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum in eodem Spiritu. Multa enim dantur ad manifestationem, sed tu forsitan eorum omnium quæ dixi nihil habes. Si amas, non nihil habes: si enim amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illa habet aliquid. Tolle invidiam, & tuum est quod habeo: tollam invidiam, & meum est quod habes. Livor separat, sanitas jungit. Oculus solus videt in corpore: sed numquid soli sibi oculus videt? Et manui videt, & pedi videt, & ceteris membris videt: non enim si aliquis
Spiritum-S. quisque tantum habet, quantum Ecclesiam diligit. 1. Cor. 12. 7. Ibidem 8. &c. " "

aliquis ictus in pedem veniat, avertit se oculus inde ut non præcaveat. Rursus sola manus operatur in corpore: sed numquid sibi soli operatur? Et oculo operatur: nam si ictus aliquis veniens non eat in manum, sed tantùm in faciem, numquid dicit manus, Non me moveo, quia non tendit ad me? Sic pes ambulando omnibus membris militat: membra cetera tacent, & lingua omnibus loquitur. Habemus ergo Spiritum-sanctum, si amamus Ecclesiam: amamus autem, si in ejus compage & caritate consistimus. Nam ipse Apostolus cùm dixisset diversa dona dari diversis hominibus, tamquam officia
1. Cor. 12. 31. quorumque membrorum, Adhuc, inquit, supereminentiorem viam vobis demonstro: & cœpit loqui de caritate. Præposuit eam linguis hominum & Angelorum, præposuit miraculis fidei, præposuit scientiæ & prophetiæ, præposuit etiam illi magno operi misericordiæ, quo sua quæ possidet distribuit quisque pauperibus; & ad extremum præposuit eam etiam corporis passioni: his omnibus tam magnis rebus præposuit caritatem. IPSAM HABETO, & cuncta habebis: quia sine illa nihil proderit, quidquid habere potueris. Quia verò ad Spiritum-sanctum pertinet caritas de qua loquimur, (quæstio enim modò in Evangelio de Spiritu-sancto retractatur,) audi Apostolum dicentem, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.
Rom. 5. 5.

Spiritus quare non datus ante Christi resurrectionem. 9. Quare ergo Dominus Spiritum, cujus maxima beneficia sunt in nobis, quia caritas Dei per ipsum diffusa est in cordibus nostris, post resurrectionem suam dare voluit? quid significavit? Ut in resurrectione nostra caritas nostra flagret, & ab amore sæculi separet, ut tota currat in Deum. Hîc enim nascimur, & morimur, hoc non amemus: caritate migremus, caritate sursum habitemus, caritate illa qua diligimus Deum. Nihil aliud in hac vitæ nostræ peregrinatione meditemur, nisi quia & hîc non semper erimus, & ibi nobis locum bene vivendo præparabimus, unde numquam migremus. Dominus enim noster Jesus Christus, postea quàm
Rom. 6. 9. resurrexit, jam non moritur, mors illi ultrà, sicut Apostolus dicit, non dominabitur. Ecce quod amemus. Si vivimus, si in ipsum credimus qui resurrexit, dabit nobis, non quod hîc amant homines, qui Deum non amant, aut tantò plus amant, quantò illum minùs amant: tantò autem hoc minùs amant, quantò illum plus amant. Sed videamus quid nobis promisit: non divitias terrenas & temporales, non honores & potestates in sæculo isto: videtis enim omnia hæc dari & hominibus malis, ne magnipendantur à bonis. Non ipsam postremò corporis sanitatem: non quia ipse illam non dat, sed quia ut videtis & pecoribus dat. Non vitam longam. Quid est enim longum quod aliquando finitur? Non pro magno nobis credentibus promisit longævitatem, aut decrepitam senectutem; quam omnes optant antequam veniat, omnes de illa cùm venerit murmurant. Non pulcritudinem corporis, quam vel corporis morbus, vel ipsa senectus quæ optatur, exterminat. Vult esse pulcher, & vult esse senex: ista duo desideria sibi invicem concordare non possunt: si senex eris, pulcher non eris: quando senectus venerit, pulcritudo fugiet; & in uno habitare non possunt vigor pulcritudinis, & gemitus senectutis. Omnia ergo ista non nobis promisit, qui dixit, *Qui credit in me, veniat, & bibat, & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Vitam æternam promisit, ubi nihil timeamus, ubi non conturbemur, unde non migremus, ubi non moriamur; ubi nec decessor plangatur, nec successor speretur. Quia ergo tale est quod nobis promisit amantibus, & Spiritus-sancti caritate ferventibus; ideo ipsum Spiritum noluit dare, nisi cùm esset glorificatus: ut in suo corpore ostenderet vitam, quam modò non habemus, sed in resurrectione speramus.

TRACTATUS XXXIII.

Ab eo loco Evangelii, Ex illa ergo turba cùm audissent hos sermones ejus *&c. usque ad id*, Nec ego te condemnabo, vade, & ampliùs noli peccare.

1. MEMINIT Caritas Vestra, sermone pristino ex occasione lectionis Evangelicæ locutos nos esse vobis de Spiritu-sancto. Ad hunc porrò dandum cùm Dominus invitasset credentes in se, loquens inter eos qui illum tenere cogitabant, & interficere cupiebant, nec valebant, quia ille nolebat: cùm ergo hæc locutus esset, nata est de illo in turba dissensio, aliis putantibus quòd ipse esset Christus, aliis dicentibus, quia de Galilæa non exsurget Christus. Qui verò missi fuerant, ut eum tenerent, redierunt immunes à crimine, & pleni admiratione. Nam & testimonium perhibuerunt divinæ doctrinæ ejus, cùm dicerent
Iohan. 7. 45. à quibus missi fuerant, *Quare non adduxistis eum?* Responderunt enim numquam se audisse hominem
v. 46. sic locutum: *Non enim quisquam sic loquitur homo.* Ille autem sic locutus est, quia Deus erat & homo. Tamen Pharisæi testimonium eorum repellentes,
v. 47. dixerunt eis, *Numquid & vos seducti estis?* Videmus e-
v. 48. nim delectatos vos esse sermonibus illius.* *Numquid aliquis de principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis?*
v. 49. * *Sed turba hæc quæ non novit Legem, maledicti sunt.* Qui non noverant Legem, ipsi credebant in eum qui miserat Legem; & eum qui miserat Legem, contemnebant illi qui docebant Legem: ut impleretur quod dixerat ipse Dominus, Ego veni ut non videntes videant, & videntes cæci fiant. Cæci enim facti sunt Pharisæi doctores, illuminati sunt populi nescientes Legem, & in auctorem Legis credentes.

2. *Nicodemus* tamen *unus ex Pharisæis, qui ad*
v. 50. *Dominum nocte venerat*, & ipse non quidem incredulus, sed timidus; nam ideo nocte venerat ad lucem, quia illuminari volebat, & sciri timebat: respondit Judæis, *Numquid Lex nostra judicat hominem,*
v. 51. *nisi audierit ab ipso priùs & cognoverit quid faciat?* Volebant enim illi perversè antè esse damnatores quàm cognitores. Sciebat enim Nicodemus, vel potiùs credebat, quia si tantummodo eum vellent patienter audire, fortè similes fierent illis qui missi sunt tenere, & maluerunt credere. *Illi respon-*
v. 52. *derunt*, ex præjudicio cordis sui, quod & illis: *Numquid & tu Galilæus es?* Id est, quasi à Galilæo seductus. Dominus enim Galilæus dicebatur, quoniam de Nazareth civitate erant parentes ejus. Secundùm Mariam dixi parentes, non secundùm virile semen: non enim quæsivit in terra nisi matrem, qui jam habebat de super Patrem. Nam utraque ejus nativitas mirabilis fuit, divina sine matre, humana sine patre. Quid ergo illi quasi Legis doctores ad Nicodemum dixerunt? *Scrutare Scripturas, & vide quia Propheta à Galilæa non surgit.* Sed Dominus Prophetarum inde surrexit. *Reversi sunt*, inquit E-
v. 53. vangelista, *unusquisque in domum suam.*

Psal. 3. 9. tuam: Domini est salus, & ista Deus salvat. Movet te, interrogas, miror quid dubitas. Dedignabitur salvare, qui dignatus est creare? Domini est salus Angelorum, hominum, pecorum: Domini est salus. Sicut nemo est à seipso, ita nemo salvus est à seipso. Proinde verissimè Psalmus atque optimè ait, Homines & jumenta salvos facies Domine. *Psal.* 35. 7. &c. » Quare? Sicut multiplicata est misericordia tua Deus. Tu enim es Deus, tu creasti, tu salvas: tu dedisti esse, tu das sanum esse.

4. Si ergo sicut multiplicata est misericordia Dei, ab illo homines & jumenta salvantur: nonne homines habent aliquid aliud quod eis Deus præstet creator, quod jumentis non præstat? Nullane discretio est inter animal factum ad imaginem Dei, & animal subditum imagini Dei? Est planè: præter salutem istam communem nobis cum animantibus mutis, est quod nobis præstet Deus, illis autem non præstat. Quid est hoc? Sequere in eodem » Psalmo, Filii autem hominum, sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Habentes modò salutem communem cum pecoribus suis, filii hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Aliam habent salutem in re, aliam in spe. Salus ista quæ in præsenti est, hominibus pecoribusque communis est: sed est alia quam sperant homines; & accipiunt qui sperant, non accipiunt qui desperant. Filii enim » hominum sub tegmine, inquit, alarum tuarum sperabunt. Qui autem perseveranter sperant, à te proteguntur, ne de spe à diabolo dejiciantur: sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Si ergo spera- D bunt, quid sperabunt nisi quod pecora non habebunt? Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quale vinum est, unde inebriari laudabile est? quale vinum est, quod non turbat, sed dirigit mentem? quale vinum est, quod facit perpetuò sanum, non inebriando » facit insanum? Inebriabuntur. Unde? ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Unde? Quoniam apud te fons vitæ. Ipse fons vitæ *Johan.* 7. 37. ambulabat in terra, ipse dicebat, Qui sitit, veniat E ad me. Ecce fons. Sed nos de lumine loqui cœperamus, & propositam ex Evangelio quæstionem de lumine tractabamus. Lectum est enim nobis dicente Domino, *Ego sum lux mundi*. Inde quæstio, ne quis carnaliter sapiens solem istum intelligendum putaret: venimus inde ad Psalmum, quo considerato, invenimus interim Dominum fontem vitæ. Bibe & vive. Apud te, inquit, fons vitæ: ideo sub umbraculo alarum tuarum sperant filii hominum, inebriari isto fonte quærentes. Sed de lumine dice- F bamus. Sequere ergo: nam Propheta cùm dixisset, Apud te fons vitæ, secutus adjunxit, In lumine tuo videbimus lumen: Deum de Deo, lumen de lumine. Per hoc lumen factum est solis lumen: & lumen quod fecit solem, sub quo fecit & nos, factum est sub sole propter nos. Factum est, inquam, propter nos sub sole lumen quod fecit solem. Noli contemnere nubem carnis: nube tegitur, non ut obscuretur, sed ut temperetur.

5. Loquens ergo per nubem carnis lumen inde- G *Johan.* 8. 12. ficiens, lumen sapientiæ, ait hominibus, *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris: sed habebit lumen vitæ.* Quomodo te abstulit ab oculis carnis, & revocavit ad oculos cordis? Non enim sufficit dicere, *Qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen*: addidit enim, *vitæ*; sicut ibi dictum est, Quoniam apud te fons vitæ. A Videte itaque, Fratres mei, quomodo verba Domini cum illius Psalmi veritate concordant: & ibi lumen positum est cum fonte vitæ, & à Domino dictum est *lumen vitæ*. In istis autem usibus corporalibus aliud est lumen, aliud fons: fontem fauces quærunt, lumen oculi: quando sitimus, quærimus fontem; quando in tenebris sumus, quærimus lumen; & si fortè nocte sitiamus, lumen accendimus ut ad fontem veniamus. Non sic apud Deum: quod lumen est, hoc est fons: qui tibi lucet ut videas, ipse tibi manat ut bibas.

6. Videtis ergo Fratres mei, videtis, si intus videtis, quale hoc lumen est de quo Dominus dicit, *Qui me sequitur, non ambulabit in tenebris.* Sequere istum solem, videamus si non ambulabis in tenebris. Ecce oriundo exit ad te: ille cursu suo ad Occidentem pergit, tibi fortè ad Orientem profectio est: nisi tu in contrariam partem pergas, non quà ille tendit, sequendo eum profectò errabis, & pro Oriente Occidentem tenebis. Tu eum in terra si se- C quaris, errabis: nauta si eum in mari sequatur, errabit. Postremò videtur tibi sequendum esse solem, & tendis etiam ipse ad Occidentem, quò & ille tendit: videamus cùm occiderit, si non ambulabis in tenebris. Vide quemadmodum etsi nolueris eum tu deserere, ipse te deseret, servitutis suæ necessitate peragens diem. Dominus autem noster Jesus Christus interim & cùm per carnis nubem non omnibus apparebat, per sapientiæ potestatem omnia tenebat. Deus tuus ubique totus est: si non ab illo facias casum, numquam à te ipse facit occasum.

7. Qui ergo *me*, inquit, *sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quod promisit, futuri temporis verbo posuit: non enim ait, habet; sed *habebit*, inquit, *lumen vitæ.* Nec ait tamen, qui sequetur me; sed, *qui sequitur me.* In eo quod facere debemus, præsens tempus posuit: quod autem promisit facientibus, futuri temporis verbo significavit. *Qui sequitur, habebit.* Modò sequitur, pòst habebit: modò sequitur per fidem, pòst habebit per speciem. Quamdiu enim sumus in corpo- *2. Cor. 5. 6.* re, ait Apostolus, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem. Quando per speciem? Cùm habuerimus lumen vitæ, cùm ad illam visionem venerimus, quando nox ista transierit. De illo quippe die qui exorturus est, dictum *Psal. 5. 5.* est, Manè adstabo tibi, & contemplabor. Quid est, manè? Transacta nocte sæculi hujus, transactis terroribus tentationum, superato illo leone qui *1. Petri 5. 8.* nocte rugiens circuit, quem devoret quærens. Manè adstabo tibi, & contemplabor. Nunc verò quid putamus, Fratres, huic tempori congruere, nisi quod rursus in Psalmo dicitur? Lavabo per singu- *Psal. 6. 7.* las noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Per singulas noctes, inquit, flebo: desiderio lucis ardebo. Videt Dominus desiderium meum; quoniam dicit illi alter Psalmus, Ante te *Psal. 37. 10.* est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Desideras aurum? videri potes; quærens enim aurum manifestus eris hominibus. Desideras frumentum? interrogas qui habeat, cui & cupiens pervenire ad id quod desideras, indicas, Desideras Deum? quis videt, nisi Deus? A quo enim petis Deum, sicut panem, sicut aquam, sicut aurum, sicut argentum, sicut frumentum? à quo petis Deum nisi à Deo? Ipse petitur à seipso, qui promittit seipsum. Extendat anima cupiditatem suam: & sinu capaciore quærat comprehendere

1. Cor. 2. 9. quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in A cor hominis adscendit. Desiderari potest, concupisci potest, suspirari in illud potest: dignè cogitari, & verbis explicari non potest.

8. Ergo, Fratres mei, quoniam Dominus breviter ait, *Ego sum lux mundi, qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ*: quibus verbis aliud est quod jussit, aliud quod promisit: faciamus quod jussit, ne impudenti fronte desideremus quod promisit: ne dicat nobis in judicio suo, Fecisti enim quod jussi, ut expetas quod promisi? B Quid ergo jussisti Domine Deus noster? Dicit tibi, Ut sequereris me. Consilium vitæ petiisti. Cujus *Psal. 35. 10.* vitæ, nisi de qua dictum est, Apud te fons vitæ? *Matth. 19. 21.* Audivit quidam, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. Tristis abscessit, non est secutus: quæsivit magistrum bonum, interpellavit doctorem, & contemsit docentem: tristis abscessit, ligatus cupiditatibus suis: tristis abscessit, habens grandem sarcinam avaritiæ super humeros suos. C Laborabat, æstuabat: & qui ab illo sarcinam deponere voluit, non est sequendus putatus, sed deserendus. Postea verò quàm Dominus per Evange- *Matth. 11. 28. & 29.* lium clamavit, Venite ad me omnes qui laboratis » & onerati estis, & ego vos reficiam; tollite jugum » meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde: quàm multi fecerunt audito Evangelio, quod ex ore ipsius auditum dives ille non fecit? Ergo modò faciamus, sequamur Dominum; solvamus compedes, quibus impedimur sequi. Et D quis idoneus solvere tales nodos, nisi ille adjuvet *Psal. 115. 17.* cui dictum est, Disrupisti vincula mea? De quo alius *Psal. 145. 8.* Psalmus dicit, Dominus solvit compeditos, Dominus erigit elisos.

9. Et quid sequuntur soluti & erecti, nisi lumen à quo audiunt, *Ego sum lumen mundi: qui me sequitur, non ambulabit in tenebris?* quia Dominus illuminat cæcos. Illuminamur ergo modò, Fratres, habentes collyrium fidei. Præcessit enim ejus saliva *Johan. 9. 6.* cum terra, unde inungueretur qui cæcus est natus. E Et nos de Adam cæci nati sumus, & illo illuminan- *Johan. 1 14.* te opus habemus. Miscuit salivam cum terra: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Miscuit *Psal. 84 12.* salivam cum terra; ideo prædictum est, Veritas de *Johan. 14. 6.* terra orta est: ipse autem dixit, Ego sum via, veritas & vita. Veritate perfruemur, cùm viderimus facie ad faciem: quia & hoc promittitur nobis. Nam quis auderet sperare, quod Deus non dignatus esset vel polliceri vel dare? Videbimus facie ad *1. Cor. 13. 12.* faciem. Apostolus dicit, Nunc scio ex parte, nunc F in ænigmate per speculum, tunc autem facie ad fa- *1. Johan. 3. 2.* ciem. Et Johannes apostolus in epistola sua, Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit » quid erimus: scimus quia cùm apparuerit, similes » ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Hæc est magna promissio: si amas, sequere. Amo, inquis: sed quâ sequor? Si dixisset tibi Dominus Deus tuus, Ego sum veritas & vita: desiderans veritatem, concupiscens vitam, viam qua ad hæc pervenire posses profectò quæreres, & diceres tibi, Magna G res veritas, magna res vita, si esset quomodo illuc perveniret anima mea. Quæris quâ? audi eum dicentem primò, Ego sum via. Antequam diceret tibi quò, præmisit quâ: Ego sum, inquit, via. Quò via? Et veritas & vita. Primò dixit quâ venias, postea dixit quò venias. Ego sum via, ego sum veritas, ego vita. Manens apud Patrem, veritas & vita: induens se carnem, factus est via. Non tibi dicitur, labora quærendo viam, ut pervenias ad veritatem & vitam; non hoc tibi dicitur. Piger surge, via ipsa ad te venit, & te de somno dormientem excitavit, si tamen excitavit: surge, & ambula. Fortè conaris ambulare, & non potes, quia dolent pedes. Unde dolent pedes? an jubente avaritiâ per aspera cucurrerunt? Sed Dei Verbum sanavit & claudos. Ecce, inquis, sanos habeo pedes, sed ipsam viam non video. Illuminavit & cæcos.

10. Hoc totum per fidem, quamdiu peregrinamur à Domino, manentes in corpore: cùm autem perambulaverimus viam, & ad ipsam patriam venerimus, quid erit nobis lætius? quid erit nobis beatius? Quia nihil pacatius: nihil enim adversùs hominem rebellabit. Nunc verò, Fratres, difficilè sine rixa sumus. Ad concordiam quidem vocati sumus, jubemur pacem habere inter nos; ad hoc conandum est, omnibusque nitendum viribus, ut aliquando veniamus ad perfectissimam pacem: modò autem litigamus plerumque cum eis, quibus consulere volumus. Ille errat, tu vis ducere ad viam; resistit tibi, litigas: resistit paganus, disputas contra errores idolorum & dæmoniorum: resistit hæreticus, disputas contra alias doctrinas dæmoniorum: malus catholicus non vult bene vivere, corripis etiam interiorem fratrem tuum: tecum manet in domo, & perditas vias quærit; æstuas quomodo corrigas, ut de illo bonam rationem Domino amborum reddas. Quantæ undique rixarum ne- D cessitates? Plerumque homo tædio affectus, dicit apud semetipsum, Quid mihi est pati contradictores, pati eos qui reddunt mala pro bonis? Ego volo consulere, illi volunt perire: consumo vitam meam litigando; pacem non habeo: inimicos insuper facio, quos amicos habere deberem, si benevolentiam consulentis adtenderent: quid mihi est ista perpeti? redeam ad me, mecum ero, Deum meum invocabo. Redi ad teipsum, ibi invenis rixam: si cœpisti Deum sequi, ibi invenis rixam. Quam rixam, inquis, invenio? Caro concupiscit adversùs *Galat. 5 17.* spiritum, & spiritus adversùs carnem. Ecce tu ipse es, ecce tu solus es, ecce tecum es, ecce alium nullum hominem pateris: sed vides aliam legem in *Rom. 7. 23.* membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ, & captivantem te in lege peccati quæ est in membris tuis. Exclama ergo, & à rixa interiore clama ad Deum, ut tibi pacificet te, Miser ego homo, quis *Rom. 7. 24.* » me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei » per Jesum Christum Dominum nostrum. Quia *qui me*, inquit, *sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Finitâ totâ rixâ, immortalitas consequetur, quia novissima inimica destruetur mors. Et qualis pax erit? Oportet corruptibile hoc *1. Cor. 15.* induere incorruptionem, & mortale hoc induere » 53. immortalitatem. Quò ut veniamus, quia tunc erit in re, nunc sequamur in spe eum qui dixit, *Ego sum lux mundi: qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

*TRACTATUS XXXV.

* Habitus die proximo post Tractatum superiorem.

Ab eo quod legitur, Dixerunt ergo Pharisæi, Tu de te ipso testimonium perhibes, &c. *usque ad id*, Verum est testimonium meum, quia scio unde veni & quò vado.

1. DE verbis Domini nostri Jesu Christi, ubi ait, *Ego sum lux mundi: qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit* *Johan. 8. 12.*

1. Cor. 4. 5. lus, illuminaverit occulta tenebrarum, & manifestaverit cogitationes cordis, ut laus sit unicuique à Deo, tunc præsente tali die lucernæ non erunt necessariæ: non legetur nobis Propheta, non aperietur codex Apostoli, non requiremus testimonium Johannis, non ipso indigebimus Evangelio. Ergo omnes Scripturæ tollentur de medio, quæ nobis in hujus sæculi nocte tamquam lucernæ accendebantur, ne in tenebris remaneremus: istis omnibus sublatis, ne quasi nobis luceant indigentibus, & ipsis hominibus Dei, per quos hæc ministrata sunt, nobiscum lumen illud verum clarumque videntibus, remotis ergo his adjumentis quid videbimus? Unde pascetur mens nostra? unde obtutus ille lætabitur? unde erit illud gaudium, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit? quid videbimus? Obsecro vos, amate mecum, currite credendo mecum: patriam supernam desideremus, supernæ patriæ suspiremus, peregrinos nos esse hîc sentiamus. Quid tunc videbimus? Dicat nunc Evangelium: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Unde tibi ros inspersus est, ad fontem venies: unde radius per obliqua & per anfractuosa tibi ad cor tenebrosum missus est, nudam ipsam lucem videbis, cui videndæ ferendæque mundaris. Dilectissimi, quod & hesterno commemoravi, Johannes ipse dicit, Filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Sentio vestros affectus adtolli mecum in superna: sed corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Depositurus sum & ego codicem istum, discessuri estis & vos quisque ad sua. Bene nobis fuit in luce communi, bene gavisi sumus, bene exsultavimus: sed cùm ab invicem recedimus, ab illo non recedamus.

Isa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9. Johan. 1. 1. 1. Johan. 3. 2. Sap. 9. 15.

* Habitus die proximo post superiorem Tractatū.

* TRACTATUS XXXVI.

Ab eo quod scriptum est, Vos secundùm carnem judicatis, ego non judico quemquam: *usque ad id*, Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.

1. IN quatuor Evangeliis, vel potiùs quatuor libris unius Evangelii sanctus Johannes apostolus, non immeritò secundùm intelligentiam spiritalem aquilæ comparatus, altiùs multóque sublimiùs aliis tribus erexit prædicationem suam: & in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam ceteri tres Evangelistæ, tamquam cum homine Domino in terra ambulabant, de divinitate ejus pauca dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se, non solùm super terram & super omnem ambitum aeris & cæli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, & pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Huic tantæ sublimitati principii etiam cetera congrua prædicavit, & de Domini divinitate quomodo nullus alius est locutus. Hoc ructabat quod biberat. Non enim sine caussa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia & in convivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto bibebat: sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit, ut perveniat ad omnes gentes non solùm incarnatio Filii Dei, & passio, & resurrectio; sed etiam quid erat ante incarnationem Unicus Patri, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei à quo missus est; sed in ipsa missione minor factus, quo major esset Pater.

Johan. 1. 1. &c. Johan. 13. 23. Prov. 27. 2.

2. Quidquid ergo humiliter positum audistis de Domino Jesu Christo, susceptæ carnis dispensationem cogitate; qualis factus est propter nos, non qualis erat ut faceret nos: quidquid autem sublime & supra omnes creaturas excelsum atque divinum, & Patri æquale atque coæternum de illo audieritis in Evangelio poni, vel legeritis, scitote vos hoc legere quod ad formam Dei pertinet, non quod ad formam servi. Quia si istam regulam tenueritis qui capere potestis, non autem omnes capere potestis, sed omnes credere debetis: si ergo hanc regulam tenueritis, adversùs calumnias tenebrarum hæreticarum, tamquam in lumine ambulantes, securi pugnabitis. Non enim defuerunt qui sola evangelica testimonia legendo sectarentur, quæ de humilitate Christi posita sunt, qui adversùs ea testimonia quæ divinitatem ejus locuta sunt, surdi fuerunt: ideo surdi, ut malè verbosi. Item quidam illa sola adtendentes quæ de Domini sublimitate dicta sunt, etiam ipsi misericordiam ejus, qua homo factus est propter nos, & si legerunt, non crediderunt, & ab hominibus inducta, atque falsa esse putaverunt, contendentes Deum tantummodo fuisse Dominum nostrum Christum, non etiam hominem. Alii sic, alii sic, utrique in errore. Catholica autem fides ex utroque verum tenens quod tenet, & prædicans quod credit, & Deum Christum intellexit, & hominem credidit: utrumque enim scriptum est, & utrumque verum est. Si Deum tantùm dixeris Christum, medicinam negas qua sanatus es: si hominem tantùm dixeris Christum, potentiam negas qua creatus es. Utrumque igitur tene anima fidelis & cor catholicum, utrumque tene, utrumque crede, utrumque fideliter confitere. Et Deus Christus est, & homo Christus. Qualis Deus Christus? æqualis Patri, unum cum Patre. Qualis homo Christus? de virgine natus, trahens de homine mortalitatem, non trahens iniquitatem.

3. Isti ergo Judæi videbant hominem, nec intelligebant nec credebant Deum: atque inter cetera audistis jam quemadmodum ei dixerint, *Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum.* Audistis etiam quid ille responderit, cùm hesterno die lectum esset, & pro nostris viribus disputatum. Hodie verba ejus hæc lecta sunt, *Vos secundùm carnem judicatis.* Ideo, inquit, mihi dicitis, *Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum*, quia *secundùm carnem judicatis*, quia Deum non intelligitis, & hominem videtis, & hominem persequendo, Deum latentem offenditis. Ergo *secundùm carnem judicatis.* Ideo vobis arrogans videor, quia ego de me testimonium perhibeo. Omnis enim homo quando de se vult perhibere testimonium laudabile, arrogans & superbus videtur. Ideo scriptum est, Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui. Sed hoc homini dictum est. Infirmi enim sumus, & apud infirmos loquimur. Verum dicere & mentiri possumus: etsi verum dicere debemus, & mentiri tamen possumus cùm volumus. Lux mentiri

Johan. 8. 13. v. 15.

tiri non potest: absit ut in lucis divinæ splendore tenebræ mendacii reperiantur. Loquebatur ille tamquam lux, loquebatur tamquam veritas, sed lux in tenebris lucebat, & tenebræ eam non comprehenderunt: ideo secundùm carnem judicabant.

Johan. 8. 15. *Vos*, inquit, *secundùm carnem judicatis.*

Ibidem. 4. *Ego non judico quemquam.* Non ergo judicat quemquam Dominus Jesus Christus? Nonne ipse est quem confitemur resurrexisse tertia die, adscendisse in cælum, ibi sedere ad dexteram Patris, inde esse venturum ad judicandos vivos & mortuos? Nonne ipsa est fides nostra, de qua dicit Apostolus, Rom. 10. 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem? Ergo quando ista confitemur, contra Dominum loquimur? Nos dicimus venturum judicem vivorum & mortuorum: ipse autem dicit, *Ego non judico quemquam.* Quæstio ista duobus modis solvi potest, ut aut hoc intelligamus, *non judico quemquam*, id est modò: sicut dicit alio loco, Ego Johan. 3. 17. non veni ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum: non judicium suum negando, sed differendo. Aut certè quia dixerat, *Vos secundùm carnem judicatis*: ita subjunxit, *Ego non judico quemquam*, ut subaudias, secundùm carnem. Nullus ergo nobis contra fidem quam tenemus & annuntiamus de judice Christo, scrupulus dubitationis in corde remaneat. Venit Christus, sed primò salvare, postea judicare: eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt; eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt. Prima ergo dispensatio Domini nostri Jesu Christi medicinalis est, non judicialis: nam si primò venisset judicaturus, neminem invenisset cui præmia justitiæ redderet. Quia ergo vidit omnes peccatores, & omnino neminem esse immunem à morte peccati: priùs erat ejus misericordia præroganda, & pòst exserendum Psal. 100. 1. judicium: quia de illo cantaverat Psalmus, Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Non enim judicium ait & misericordiam; nam si primò esset judicium, nulla esset misericordia: sed primò misericordia, postea judicium. Quæ est primò misericordia? Creator hominis, homo esse dignatus est: factus est quod fecerat, ne periret quem fecerat. Quid huic misericordiæ addi potest? Et tamen * Scripsit, addidit. addidit. Parum fuit ei hominem fieri; sed * etiam ab hominibus reprobari: parum erat reprobari; & exhonorari: parum erat exhonorari; & occidi: sed & hoc parum est; morte crucis. Nam & cùm ejus obedientiam usque ad mortem factam commendaret Apostolus, parum illi fuit dicere, Factus obPh. lip. 2. 8. diens usque ad mortem: non enim qualemcumque mortem, sed addidit, mortem autem crucis. Illa Crux genus mortis pessimum. morte pejus nihil fuit inter omnia genera mortium. Denique ubi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, à cruce nominatus. Pendentes enim in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus manibusque confixi, producta morte necabantur. Non enim crucifigi hoc erat occidi: sed diu vivebatur in cruce; non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citiùs finiretur. Mori voluit pro nobis: parum dicimus, crucifigi dignatus est, usque ad mortem crucis obediens factus. Elegit extremum & pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem: de morte pessima occidit omnem mortem. Pessima enim erat non intelligentibus Judæis; nam à Domino electa erat. Ipsam enim crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem de diabolo superato tamquam trophæum in frontibus fidelium positurus, ut diceret Apostolus, Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid servat fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo? Denique modò in pœnis reorum non est apud Romanos: ubi enim Domini crux honorata est, putatum est quòd & reus honoraretur, si crucifigeretur. Qui ergo ideo venit, neminem judicavit: & malos passus est. Pertulit injustum judicium, ut ageret justum. Sed in eo quod pertulit injustum, misericordiæ fuit. Denique ita humilis factus ut veniret ad crucem, distulit quidem potentiam, sed publicavit misericordiam. Unde distulit potentiam? Quia de cruce noluit descendere, qui potuit de sepulcro resurgere. Unde publicavit misericordiam? Quia pendens in cruce dixit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid fa- Luca 23. 34. ciunt. Sive ergo propter hoc, quia non venerat judicare mundum, sed salvare mundum, dixit, *Ego non judico quemquam*: sive quemadmodum commemoravi, quoniam dixerat, *Vos secundùm carnem judicatis*, addidit, *Ego non judico quemquam*, ut intelligamus Christum non secundùm carnem judicare, sicut ab hominibus judicatus est.

5. Nam ut agnoscatis jam & judicem Christum, audite quod sequitur: *Et si judico ego, judicium meum verum est.* Ecce habes & judicem, sed agnosce salvatorem, ne sentias judicem. Quare autem dixit judicium suum verum esse? *Quia solus*, inquit, *non sum, sed ego & qui misit me Pater.* Dixi vobis, Fratres, quia Johannes iste Evangelista sanctus multùm altè volat: vix est eum mente comprehendere. Mysterium autem altiùs volantis opus est ut commemorem Caritatem Vestram. Et apud Ezechielem prophetam, & in Apocalypsi ipsius Johannis, cujus est hoc Evangelium, commemoratur animal quadruplex, habens quatuor personas, hominis, vituli, leonis, aquilæ. Qui ante nos Scripturarum sanctarum mysteria tractaverunt, plerique in hoc animali, vel potiùs in his animalibus quatuor Evangelistas intellexerunt. Leonem pro rege positum, quoniam videtur leo rex esse quodammodo bestiarum, propter potentiam & terribilem fortitudinem. Hæc persona tributa est Matthæo, quia in generationibus Domini regiam seriem prosecutus est, quemadmodum esset Dominus per stirpem regiam de semine David regis. Lucas autem quoniam cœpit à sacerdotio Zachariæ sacerdotis, faciens mentionem patris Johannis Baptistæ, vitulo deputatus est: quia magna victima vitulus erat in sacrificio sacerdotum. Marco homo Christus meritò adsignatus est, quia neque de regia potestate aliquid dixit, neque de sacerdotali cœpit, sed tantùm ab homine Christo exorsus est. Hi omnes propè de terrenis, id est de iis quæ in terra gessit Dominus noster Jesus Christus, non recesserunt: de divinitate ejus perpauca locuti sunt, tamquam in terra cum illo ambulantes. Restat aquila: ipse est Johannes, sublimium prædicator, & lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator. Dicuntur enim & pulli aquilarum à paren- Aquilæ in probandis pullis proprietas. tibus sic probari, patris scilicet ungue suspendi, & radiis solis opponi: qui firmè contemplatus fuerit, filius agnoscitur; si acie palpitaverit, tamquam adulterinus ab ungue dimittitur. Jam ergo videte quàm sublimia loqui debuit, qui est aquilæ compa-

Ezech. 1. 5. &c. Apoc. 4. 6. &c.

ratus: & tamen etiam nos humi repentes, infirmi & vix ullius momenti inter homines, audemus tractare ista; & ista exponere; & putamus nos aut capere posse cùm cogitamus, aut capi dum dicimus.

6. Quare ista dixi? Fortè enim post hæc verba quisquam mihi justè dicat, Pone ergo codicem. Quod excedit mensuram tuam, quid fumis in manum tuam? quid ei committis linguam tuam? Ad hoc respondeo, Multi hæretici abundant, & ad hoc eos Deus abundare permisit, ne semper lacte nutriamur, & in bruta infantia remaneamus. Quia enim non intellexerunt quomodo commendaretur divinitas Christi, sapuerunt sicut voluerunt: non autem rectè sapiendo, fidelibus catholicis quæstiones molestissimas intulerunt: cœperunt exagitari & fluctuare corda fidelium. Jam tunc necessitas facta est spiritalibus viris, qui aliquid secundùm divinitatem Domini nostri Jesu Christi, non solùm legerant in Evangelio, sed etiam intellexerant, ut contra arma diaboli Christi arma proferrent: & de Christi divinitate adversùs falsos fallaceſque doctores, quantis possent viribus, apertissima conflictatione pugnarent; ne cùm ipsi tacerent, alii perirent. Quicumque enim senserunt Dominum nostrum Jesum Christum, aut diversæ substantiæ esse quàm Pater est, aut tantùm esse Christum solum, ut ipse sit Pater, ipse sit Filius, ipse sit Spiritus-sanctus: quicumque etiam sentire voluerunt hominem fuisse solùm, non Deum factum hominem, aut ita Deum ut in sua divinitate mutabilem, aut ita Deum ut non & hominem; à fide naufragaverunt, & de portu Ecclesiæ projecti sunt, ne inquietudine sua naves secum positas frangerent. Quæ res coegit, ut etiam nos minimi, & quantum ad nos pertinet prorsus indigni, quantum autem ad illius misericordiam in aliquo dispensatorum ejus numero constituti, non vobis taceamus, quod aut intelligatis, mecumque gaudeatis; aut si intelligere nondum valetis, credendo securi in portu maneatis.

7. Dicam ergo, capiat qui potest, credat qui non potest: tamen dicam quod ait Dominus, *Vos secundùm carnem judicatis, ego non judico quemquam*, aut modò, aut secundùm carnem. *Sed & si ego judico, judicium meum verum est.* Quare judicium tuum verum est? *Quia solus non sum*, inquit, *sed ego & qui misit me Pater.* Quid ergo Domine Jesu? Si solus esses, falsum esset judicium tuum; & ideò verum judicas, quia solus non es, sed tu & qui te misit Pater? Quid respondeat, *Verum est*, inquit, *judicium meum.* Quare? *Quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.* Si tecum est, quomodo te misit? Et te misit, & tecum est? Itane & missus non recessisti? Itane & ad nos venisti, & ibi mansisti? Quomodo istud creditur, quomodo capitur? Ad hæc duo respondeo, Quomodo capitur, rectè dicis: quomodo creditur, non rectè dicis. Immo ideo bene creditur, quia non citò capitur: nam si citò caperetur, non opus erat ut crederetur; quia videretur. Ideo credis, quia non capis; sed credendo fis idoneus ut capias. Nam si non credis, numquam capies; quia minùs idoneus remanebis. Fides ergo mundet te, ut intellectus impleat te. *Verum est*, inquit, *judicium meum; quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.* Ergo Domine Deus noster Jesu Christe, missio tua incarnatio tua est. Sic video, sic intelligo: postremò sic credo, ne arrogantiæ sit dicere, sic intelligo. Prorsus & hîc est Dominus noster Jesus Christus; immo hîc erat secundùm carnem, modò hîc est secundùm divinitatem: & cum Patre erat, & à Patre non recesserat. Quod ergo dicitur missus venisse ad nos, incarnatio ipsius commendatur, quia Pater non est incarnatus.

8. Nam Sabelliani dicti sunt quidam hæretici, qui vocantur & Patripassiani, qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse. Noli tu Catholice: si enim fueris Patripassianus, non eris sanus. Ergo intellige missionem Filii nominatam incarnationem Filii: Patrem autem incarnatum esse non credas, sed à Filio incarnato Patrem recessisse non credas. Ille carnem portabat, ille cum Filio erat. Si in cælo Pater, in terra Filius; quomodo Pater cum Filio erat? Quia & Pater & Filius ubique erant: non enim in cælo sic est Deus, ut non sit in terra. Audi illum qui volebat fugere judicium Dei, & non inveniebat quà. Quò abibo, inquit, à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si adscendero in cælum, tu ibi es. De terra erat quæstio: audi quid sequitur: Si descendero ad infernum, ades. Si ergo & in inferno dicitur quod adsit, quid rerum remanet ubi non sit? Vox enim Dei est apud Prophetam, Cælum & terram ego impleo. Ubique ergo est, qui nullo clauditur loco. Noli ab illo averti, & tecum est. Si vis ad eum pervenire, noli piger esse amare: non enim pedibus, sed affectibus curris. Uno loco manens venis, si credis & diligis. Ergo ubique est: si ubique est, quomodo cum Filio non est? Itane cum Filio non est, qui si credis & tecum est?

9. Unde ergo verum est judicium ejus, nisi quia verus est Filius? Hoc enim dixit, *Et si judico, verum est judicium meum; quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.* Tamquam diceret, *Verum est judicium meum*; quia Filius Dei sum. Unde probas quia Filius Dei es? *Quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.* Erubesce Sabelliane, audis Filium, audis Patrem. Pater, Pater est: Filius, Filius est. Non dixit, Ego sum Pater, & ego ipse sum Filius: sed *solus non sum*, inquit. Quare solus non es? Quia mecum est Pater. *Ego sum, & qui misit me Pater:* audis, *Ego sum, & qui me misit.* Ne perdas personam, distingue personas. Distingue intelligentiâ, noli separare perfidiâ; ne iterum quasi fugiens Charybdim, in Scyllam incurras. Vorabat enim te gurges impietatis Sabellianorum, ut diceres ipsum esse Patrem qui est Filius: modò didicisti, *Solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.* Agnoscis quia Pater, Pater est; & Filius, Filius est. Bene agnoscis: sed noli dicere, Pater major est, Filius minor est: noli dicere, Pater aurum est, Filius argentum est. Una substantia est, una divinitas, una coæternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. Nam si tantummodo alterum credideris esse Christum, non eum qui Pater est, in aliquo tamen distantem secundùm naturam esse putaveris, à Charybdi quidem evasisti, sed in Scyllæis scopulis naufragasti. In medio naviga, utrumque periculosum latus evita. Pater, Pater est; Filius, Filius est. Jam dicis, Pater, Pater est; Filius, Filius est: bene periculum absorbentis gurgitis evasisti: quid vis ire in alteram partem, ut dicas, Aliud est Pater, Filius aliud? Alius est, rectè dicis: aliud, non rectè. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater; & alius Pater, quia non ipse qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius. Quid est, hoc ipsum est? Unus Deus est. Audisti, *quia non sum*

Sabellianorum seu Patripassianorum error.

Arianorum error.

solus, sed ego & qui misit me Pater: audi quomodo credas Patrem & Filium, audi ipsum Filium: Ego & Pater unum sumus. Non dixit, Pater ego sum; aut, Ego & Pater [a] unus est: sed cùm dicit, Ego & Pater unum sumus; utrumque audi, & unum, & sumus, & à Charybdi & à Scylla liberaberis. In duobus istis verbis quòd dixit, unum, liberat te ab Ario: quòd dixit, sumus, liberat te à Sabellio. Si unum, non ergo diversum: si sumus, ergo & Pater & Filius. Sumus enim, non diceret de uno: sed & unum non diceret de diverso. Ergo ideo *verum est*, inquit, *judicium meum*, breviter ut audias, quia Filius Dei sum. Sed sic tibi persuadeo, inquit, quia Filius Dei sum, ut intelligas quia mecum est Pater: non sic sum Filius ut ipsum deseruerim; non ita hîc sum, ut cum ipso non sim; non ita ibi ille est, ut mecum non sit: formam servi accepi, sed formam Dei non amisi: *Solus* ergo, inquit, *non sum, sed ego & qui misit me Pater.*

10. Dixerat de judicio, de testimonio vult dicere. * *In Lege*, inquit, *vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* * *Ego sum qui de me testimonium perhibeo, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Exposuit illis & Legem, si ingrati non essent. Magna enim quæstio est, Fratres mei, & valde mihi videtur in mysterio res esse constituta, ubi Deus dixit, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Veritas quæritur per duos testes? Ita planè, sic se habet humani generis consuetudo: sed tamen fieri potest ut & duo mentiantur. Susanna casta duobus falsis testibus urgebatur: numquid quia duo erant, ideo falsi testes non erant? De duobus dicimus aut de tribus? universus populus mentitus est contra Christum. Si ergo populus constans ex magna hominum multitudine, falsis testis inventus est; quomodo accipiendum est, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum:* nisi quia hoc modo per mysterium Trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis? Vis habere bonam caussam? Habeto duos vel tres testes, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum. Denique quando Susanna casta femina fidelisque conjunx duobus falsis testibus urgebatur, Trinitas illi in conscientia atque in occulto suffragabatur: illa Trinitas de occulto unum testem Danielem excitavit, & duos convicit. Ergo quia *in Lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium verum esse*, accipite nostrum testimonium, ne sentiatis judicium. *Ego* enim, inquit, *non judico quemquam*, sed *testimonium perhibeo de me:* differo judicium, non differo testimonium.

11. Eligamus nobis, Fratres, contra linguas hominum, contra infirmas suspiciones generis humani Deum judicem, Deum testem. Non enim dedignatur testis esse qui judex est, aut promovetur cùm fit judex, quoniam qui testis est, ipse judex erit. Quare ipse testis? Quia non quærit alium unde cognoscat qui sis. Quare ipse judex? Quia ipse habet potestatem mortificandi & vivificandi, damnandi & absolvendi, in gehennas præcipitandi & in cælos levandi, diabolo conjungendi & cum Angelis coronandi. Cùm ergo ipse habeat hanc potestatem, judex est. Quia verò ut te cognoscat non quærit alium testem: qui tunc judicabit te, modò videt te: non est unde illum fallas, cùm cœperit judicare. Non enim adhibes tibi aliquos falsos testes, qui judicem ante illum possint circumvenire, quando te cœperit judicare. Deus hoc tibi dicit: Quando contemnebas, ego videbam; & quando non credebas, sententiam meam non frustrabam: differebam, non auferebam. Noluisti audire quod præcepi, senties quod prædixi. Si autem audias quæ præcepi, non mala senties quæ prædixi, sed bona percipies quæ promisi.

12. Ne aliquem sanè moveat quod ait, *Verum est judicium meum; quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater:* cùm alibi dixerit, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Jam in eisdem verbis Evangelii disputavimus, & nunc admonemus, non hoc ideo dictum, quia Pater non erit cum Filio judicante; sed quoniam bonis & malis in judicio solus Filius apparebit, in ea forma in qua passus est, & resurrexit, & adscendit in cælum. Discipulis quippe tunc conspicientibus adscendentem, vox angelica sonuit, Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum: id est, in forma hominis in qua judicatus est judicabit, ut etiam illud Propheticum impleatur, Videbunt in quem pupugerunt. Cùm verò euntibus justis in vitam æternam, videbimus eum sicuti est; non erit illud judicium vivorum & mortuorum, sed præmium tantummodo vivorum.

13. Item ne moveat quod ait, *In Lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est*, & ideo quisquam existimet non fuisse illam Legem Dei, quia non dictum est, In Lege Dei: sciat ita dictum esse, *In Lege vestra*, tamquam diceret, in Lege quæ vobis est data: à quo nisi à Deo? Sicut dicimus, Panem nostrum quotidianum: & tamen dicimus, Da nobis hodie.

TRACTATUS * XXXVII.

Ab eo quod scriptum est, Dicebant ergo, Ubi est Pater tuus? *usque ad id*, Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.

1. Quod in sancto Evangelio breviter dicitur, non breviter oportet exponi, ut quod auditur, intelligatur. Verba enim Domini pauca, sed magna sunt; non numero æstimanda, sed pondere: nec ideo contemnenda, quia pauca; sed ideo quærenda, quia magna. Qui adfuistis hesterno die, audistis, ut potuimus disputavimus ex eo quod ait Dominus, * *Vos secundùm carnem judicatis, ego non judico quemquam.* * *Sed & si judico ego, judicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.* * *In Lege vestra scriptum est, quòd duorum hominum testimonium verum est.* * *Ego sum qui testimonium perhibeo de me, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Ex his verbis hesterno, ut dixi, die redditus est sermo auribus & mentibus vestris. Hæc cùm Dominus dixisset; illi qui audierunt, *Vos secundùm carnem judicatis*, manifestaverunt quod audierunt. Responderunt enim Domino loquenti de Deo Patre suo, & dixerunt, *Ubi est Pater tuus?* Patrem Christi carnaliter acceperunt, quia verba Christi secundùm carnem judicaverunt. Erat autem qui loquebatur in aperto caro, in occulto Verbum: homo manifestus, Deus occultus. Videbant indumentum, & contemnebant indutum: contemnebant, quia nesciebant: nesciebant, quia non videbant: non

* Habitus proximo post superiorem Tract. die ex n. 1. qui dies Dominicus erat ex subseq. Tract. n. 13.

Johan. 10. 30. a

Philip. 2. 7.

Johan. 8. v. 17. v. 18.

Deut. 19. 15. Matth. 18. 16.

Daniel. 13. 36.

Luc. 23. 1.

Psal. 138. 7. & 8.

Jer. 23. 24.

Johan. 8. v. 15. v. 16. v. 17. v. 18.

Zach. 12. 10. Johan. 19. 37.

Matth. 6. 11.

Johan. 8. 19.

[a] Editi, *unum est*: & paulò infrà, *unum non diceret de diversis.* At MSS. omnes habent *unus est*, & postea, *de diverso*: quibus codicibus id favet quod in Tract. 37. n. 6. legitur, *Non ergo diversum, quia unum: non unus, quia sumus.*

videbant, quia cæci erant: cæci erant, quia non credebant.

2. Videamus ergo & ad hæc Dominus quid responderit. *Vbi est*, inquiunt, *Pater tuus?* Audivimus enim te dicere, *Solus non sum, sed ego & qui me misit Pater:* nos solum te videmus, Patrem tuum tecum non videmus: quomodo te dicis solum non esse, sed cum Patre tuo esse? aut ostende nobis tecum esse Patrem tuum. Et Dominus, Numquid me videtis, ut Patrem ostendam vobis? Hoc enim sequitur, hoc suis verbis ipse respondit, quorum verborum expositionem nos antè præmisimus. Videte enim quid dixerit, *Neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Dicitis ergo, *Vbi est Pater tuus?* quasi jam me sciatis; quasi totum hoc sim quod videtis. Ergo quia me non nostis, ideo vobis Patrem meum non ostendo. Me quippe hominem putatis, ideo Patrem meum hominem quæritis, quia secundùm carnem judicatis. Quia verò secundùm quod videtis aliud sum, & aliud secundùm quod non videtis; Patrem autem meum loquor occultus occultum; priùs est ut me noveritis, tunc & Patrem meum scietis.

3. *Si enim me sciretis, & Patrem meum forsitan sciretis.* Ille qui omnia scit, quando dicit *forsitan*, non dubitat, sed increpat. Adtende enim quomodo increpativè dicatur ipsum *forsitan*, quod videtur esse verbum dubitationis. Sed dubitationis verbum est quando dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente: cùm verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cùm Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas. Homines enim de his rebus quas certas habent, aliquando increpativè dubitant, id est, verbum dubitationis ponunt, cùm corde non dubitent: velut si indigneris servo tuo & dicas, Contemnis me, considera, forsitan dominus tuus sum. Hinc & Apostolus ad quosdam contemtores suos loquens ait, Puto autem, & ego Spiritum Dei habeo. Qui dicit, puto, dubitare videtur: sed ille increpabat, non dubitabat. Et ipse Dominus Christus alio loco increpans infidelitatem futuram generis humani, Cùm venerit, inquit, filius hominis, putas inveniet fidem in terra?

4. Jam quantum existimo, intellexistis quomodo sit positum, *forsitan*: ne quis verborum appensor & syllabarum examinator, veluti Latinè loqui sciens, reprehendat verbum quod dixit Dei Verbum; & reprehendendo Dei Verbum, non eloquens, sed mutus remaneat. Quis enim loquitur sic, quomodo loquitur Verbum quod erat in principio apud Deum? Noli verba ista considerare, & ex his verbis assuetis illud Verbum metiri velle quod Deus est. Audis enim Verbum & contemnis: audi Deum & time: In principio erat Verbum. Tu revocas ad usum sermocinationis tuæ, & dicis apud te, Quid est verbum? quid magnum est verbum? sonat & transit; verberato aëre aurem percutit, postea non erit. Audi adhuc, Verbum erat apud Deum: manebat, non sonando transibat. Adhuc fortè contemnis: Deus erat Verbum. Apud teipsum, ô homo, cùm est in corde tuo verbum, aliud est quàm sonus: sed verbum quod est apud te, ut transeat ad me, sonum quasi vehiculum quærit. Assumit ergo sonum, imponit se quodammodo in vehiculum, transcurrit aerem, venit ad me, nec recedit à te. Sonus autem ut veniret ad me, recessit à te, nec perstitit apud me. Verbum ergo quod erat in corde tuo, numquid sono prætereunte præteriit? Quod cogitabas dixisti; & ut ad me perveniret quod apud te latebat, syllabas sonuisti: sonus syllabarum perduxit ad aurem meam cogitationem tuam; per aurem meam descendit in cor meum cogitatio tua, sonus medius transvolavit: verbum verò illud quod assumsit sonum, antequam sonares, erat apud te; quia sonuisti, est apud me, & non recessit à te. Hoc adtende, quisquis es examinator sonorum. Verbum Dei contemnis, qui verbum hominis non comprehendis.

5. Scit ergo omnia per quem facta sunt omnia, & tamen dubitando increpat: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Increpat infideles. Nam talem sententiam dixit discipulis: sed ibi non est verbum dubitationis, quia non fuit caussa increpandæ infidelitatis. Nam quod modò dixit Judæis, *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*: dixit & discipulis quando eum Philippus interrogavit, immo postulavit & ait, Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis: quasi diceret, Et ipsi te jam novimus, apparuisti nobis, vidimus te, dignatus es eligere nos, secuti sumus te, mirabilia tua vidimus, verba salutis audivimus, præcepta suscepimus, promissa speramus; multum nobis conferre præsentiâ tuâ ipse dignatus es: sed tamen cùm te noverimus, quia Patrem nondum novimus, inflammamur desiderio illius videndi quem nondum novimus: ac per hoc quia te novimus, sed non nobis sufficit, donec & Patrem noverimus; ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Et Dominus ut sciret non se nosse quod se putabant jam nosse: Tanto tempore vobiscum sum, & me nescitis? Philippe, qui me vidit, vidit & Patrem. Numquid habet ista sententia verbum dubitationis? numquid dixit, Qui me vidit, forsitan vidit & Patrem? Quare? Quia fidelis audiebat, non fidei persecutor: ideo non erat Dominus increpator, sed doctor. Qui me vidit, vidit & Patrem: & hîc, *Si me sciretis, & Patrem meum sciretis:* tollamus verbum quo notata est infidelitas audientium, & ipsa sententia est.

6. Jam hesterno die commendavimus Caritati Vestræ, & diximus sententias Johannis Evangelistæ, quibus nobis narrat quod à Domino didicit, nec discutiendas fuisse si fieri posset, nisi hæreticorum commenta compellerent. Breviter ergo hesterno die insinuavimus Caritati Vestræ esse hæreticos qui vocantur Patripassiani, vel à suo auctore Sabelliani: hi dicunt ipsum esse Patrem qui est Filius; nomina diversa, unam verò esse personam. Cùm vult, Pater est, inquiunt; cùm vult, Filius: tamen unus est. Item sunt alii hæretici qui vocantur Ariani. Confitentur quidem unicum Patris Filium Dominum nostrum Jesum Christum, illum Patrem Filii, istum Filium Patris; eum qui Pater est non esse Filium, eum qui Filius est non esse Patrem: confitentur generationem, sed negant æqualitatem. Nos, id est, catholica fides veniens de doctrina Apostolorum, plantata in nobis, per seriem successionis accepta, sana ad posteros transmittenda, inter utrosque, id est, inter utrumque errorem tenuit veritatem. In errore Sabellianorum unus est solus, ipse est Pater qui Filius: in errore Arianorum, alius est quidem Pater, alius Filius; sed ipse Filius non solùm alius, sed etiam aliud est: tu in medio quid? Exclusisti Sabellianum, exclude &

1. Cor. 7. 40. *Luca 18. 8.* *Johan. 1. 1. &c.* *Sabelliani.* *Ariani.*

Arianum. Pater, Pater est; Filius, Filius est: alius, alius non aliud; quia ego & Pater, inquit, unum sumus: sicut etiam hesterno die, quantum potui, commendavi. Cùm audit, sumus, abscedat confusus Sabellianus; cùm audit, unum, abscedat confusus Arianus: gubernet catholicus inter utrumque fidei suæ navigium, quoniam cavendum est in utroque naufragium. Dic ergo tu, quod dicit Evangelium, Ego & Pater unum sumus. Non ergo diversum, quia unum: non unus, quia sumus.

Johan. 10. 30.

7. Paulò antè dixit, *Judicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater:* tamquam diceret, Ideo judicium meum est verum, quia Filius Dei sum, quia verum loquor, quia ipsa veritas ego sum. Isti carnaliter intelligentes, dixerunt, *Vbi est pater tuus?* Modò audi Ariane: *Neque me scitis, neque Patrem meum:* quia *si me sciretis, & Patrem meum sciretis.* Quid est, *si me sciretis & Patrem meum sciretis*, nisi ego & Pater unum sumus? Quando vides aliquem alicui similem, intendat Caritas Vestra, quotidiana locutio est, non sit vobis arduum, quod esse advertitis usitatum: quando ergo vides aliquem alicui similem, & nosti tu cui similis sit, admirans dicis, Quomodo iste homo similis est illi homini? Hoc non diceres, nisi duo essent. Hîc ille qui eum ignorat, cui tu istum similem dicis, Itane, inquit, similis est? Et tu ad eum, Quid enim, tu illum non nosti? At ille, Non novi, inquit. Jam tu, ut illum quem nescit, ei notum facias ex præsente quem cernit, respondes & dicis, Hunc vidisti, illum vidisti. Non utique quia hoc dixisti, unum esse asseverasti, & duos negasti: sed propter similitudinem tale dedisti responsum, Istum nosti & illum nosti; valde enim similis est, & nihil distat omnino. Hinc & Dominus, *Si me*, inquit, *sciretis, & Patrem meum sciretis*, non quia Pater est Filius, sed quia Patri similis Filius. Erubescat Arianus. Gratias Domino, quia & ipse Arianus recessit ab errore Sabelliano, & non est Patripassianus: non dicit ipsum Patrem indutum carne venisse ad homines, ipsum esse passum, ipsum resurrexisse, & quodammodo ad se adscendisse, hoc non dicit: agnoscit mecum Patrem, Patrem esse; & Filium, Filium esse. Sed, ô Frater, evasisti illud naufragium, quare tendis in alterum? Pater Pater est, Filius Filius est: quare dicis dissimilem? quare diversum? quare aliam substantiam? Si dissimilis esset, numquid diceret discipulis suis, Qui me vidit, vidit & Patrem? numquid diceret Judæis, *Si me sciretis, & Patrem meum sciretis?* Unde hoc verum esset, nisi & illud verum, Ego & Pater unum sumus?

Johan. 8. 16. *v. 19.*

8. *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo:* magnâ fiduciâ, sine timore. Non enim pateretur quod nollet, qui nec nasceretur si nollet. Denique quid sequitur? *Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.* Hoc item nonnulli cùm audiunt, sub fato fuisse Dominum Christum credunt, & dicunt, Ecce Christus habebat fatum. O si cor tuum non esset fatum, non crederes fatum! Si fatum, sicut nonnulli intellexerunt, à fando dictum est, id est à loquendo; Verbum Dei quomodo habet fatum, quando in ipso Verbo omnia sunt quæ condita sunt? Non enim aliquid Deus constituit, quod antè nescivit: in Verbo ipsius erat quod factum est. Mundus factus est; & factus est, & ibi erat. Quomodo & factus est, & ibi erat? Quia domus quam ædificat structor, priùs in arte erat; & ibi meliùs erat, sine vetustate, sine ruina: tamen ut ostendat artem, fabricat domum; & processit quodammodo domus ex domo; & si domus ruat, ars manet. Ita apud Dei Verbum erant omnia quæ condita sunt; quia omnia in sapientia fecit Deus, & cuncta nota fecit: non enim quia fecit didicit, sed quia noverat fecit. Nobis quia facta sunt, nota sunt: illi nisi nota essent, facta non essent. Præcessit ergo Verbum. Et quid ante Verbum Dei? nihil omnino. Nam si esset aliquid antè, non dictum esset, In principio erat Verbum; sed, In principio factum est Verbum. Denique de mundo quid ait Moyses? In principio fecit Deus cælum & terram. Fecit quod non erat: si ergo fecit quod non erat, antè quid erat? In principio erat Verbum. Et unde cælum & terra? Omnia per ipsum facta sunt. Tu ergo ponis Christum sub fato? Ubi sunt fata? In cælo, inquis, in ordine & conversionibus siderum. Quomodo ergo fatum habet, per quem factum est cælum & sidera; cùm tua voluntas, si rectè sapias, transcendat & sidera? An quia nosti Christi carnem fuisse sub cælo, ideo putas & potestatem Christi subditam cælo?

Fatum credere fatuū est. *Psal. 103. 24.* *Johan. 1. 1. &c.* *Gen. 1. 31.*

9. Audi stulte: *Nondum venerat hora ejus*, non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. Noverat enim ipse quando deberet mori: intendit omnia quæ prædicta sunt de illo, & exspectabat finiri omnia quæ prædicta sunt ante ejus passionem futura; ut cùm impleta essent, tunc veniret & passio, dispositionis ordine, non fatali necessitate. Denique audite, ut probetis: Inter cetera quæ de illo prophetata sunt, scriptum est etiam. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Quomodo facta sint, in Evangelio novimus. Priùs dederunt fel; accepit, gustavit, & despuit: postea in cruce pendens, ut omnia prædicta complerentur, ait, Sitio: acceperunt spongiam aceto plenam, in arundine ligaverunt, & admoverunt pendenti; accepit ille & ait, Perfectum est. Quid est, Perfectum est? Impleta sunt omnia quæ ante passionem meam fuerant prophetata: ergo adhuc quid hîc facio? Denique postea quàm dixit, Perfectum est, inclinato capite tradidit spiritum. Numquid illi latrones juxtà confixi, quando voluerunt, exspiraverunt? Tenebantur vinculis carnis, quia non erant creatores carnis: clavis confixi diu cruciabantur, quia infirmitati non dominabantur. Dominus autem quando voluit, carnem in utero virginali accepit; quando voluit, ad homines processit; quamdiu voluit, inter homines vixit; quando voluit, à carne discessit: hoc est potestatis, non necessitatis. Hanc ergo horam ille exspectabat, non fatalem, sed opportunam & voluntariam: ut priùs omnia complerentur, quæ ante passionem ipsius compleri oportebat. Nam quomodo sub fati necessitate positus erat, qui alio loco dixit, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam à me, sed ego ipse pono eam à me, & iterum sumo eam? Ostendit hanc potestatem, quando eum Judæi quærebant. Quem quæritis, inquit? Et illi, Jesum. Et ille, Ego sum. Qua voce audita, redierunt retrò & ceciderunt.

Psal. 68. 22. *Johan. 19. 28. &c.* *Johan. 18. 4. &c.*

10. Dicit aliquis, Si hæc in illo potestas erat, quare cùm Judæi insultarent pendenti & dicerent, Si filius Dei est, descendat de cruce, non descendit, ut eis suam potestatem descendendo monstraret? Quia patientiam docebat, ideo potentiam dif-

Matth. 27. 40.

ferebat. Si enim quasi commotus ad eorum verba A
descenderet, victus conviciorum dolore putaretur.
Prorsus non descendit, fixus permansit, quando
vellet abscessurus. Nam quid ei magnum fuit de
cruce descendere, qui potuit de sepulcro resurge-
re? Intelligamus ergo nos quibus hoc ministratum
est, potentiam Domini nostri Jesu Christi occul-
tam tunc, manifestam futuram in judicio: de quo
Psal. 49. 3. dictum est, Deus manifestus veniet, Deus noster
& non silebit. Quid est, manifestus veniet? Quia
venit occultus, veniet manifestus Deus noster, hoc B
est Christus. Et non silebit, quid est, non silebit?
quia primò siluit. Ubi siluit? quando judicatus est,
ut etiam hoc impleretur, quod & Propheta præ-
Isa. 53. 7. dixerat, Sicut ovis ad immolandum ductus est, &
sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non
aperuit os suum. Si ergo pati nollet, non patere-
tur; si non pateretur, sanguis ille non funderetur;
si sanguis ille non funderetur mundus non redime-
retur. Agamus itaque gratias & potestati divini-
tatis, & miserationi infirmitatis ejus: & de occulta C
potentia quam Judæi non noverant, unde illis mo-
Johan. 8. 19. dò dictum est, *Neque me nostis, neque Patrem meum:*
& de carne susceptа quam Judæi noverant, & cu-
Johan. 7. 28. jus patriam sciebant, unde illis alio loco dixit, Et
me nostis, & unde sim nostis. Utrumque noveri-
mus in Christo, & unde æqualis est Patri, & unde
illo major est Pater. Illud Verbum est, illud caro;
illud Deus est, illud homo: sed unus est Christus
Deus & homo.

* Habitus die proximo ante Tractat. subseq.

TRACTATUS * XXXVIII.

Ab eo quod scriptum est, Dixit ergo eis Jesus, Ego
vado, & quæretis me: *usque ad id*, Dixit eis Je-
sus, Principium quia & loquor vobis.

Johan. 8. 20. 1. LECTIO sancti Evangelii quæ præcessit
hodiernam, ita concluserat, quia *locutus*
est docens in gazophylacio Dominus, quæ vo-
luit, & quæ audistis: *& nemo apprehendit eum, quia*
nondum venerat hora ejus. Hinc disputatum est Do- E
minico die, quod ipse donare dignatus est. Intima-
vimus Caritati Vestræ quare dictum sit, *Nondum*
venerat hora ejus: ne positum Christum sub aliqua
necessitate fatali ulla impietas auderet improbè
suspicari: Nondum enim venerat hora, qua ex or-
dine suo, secundùm ea quæ prædicta sunt de il-
lo, non mori cogeretur invitus, sed occideretur
paratus.

2. Modò autem de ipsa passione sua, quæ po-
sita erat, non in ejus necessitate, sed potestate, F
v. 21. locutus est Judæis dicens, *Ego vado.* Christo enim
Domino mors profectio fuit illò unde venerat, &
unde non discesserat. *Ego*, inquit, *vado, & quæ-*
retis me: non desiderio, sed odio. Nam illum po-
stea quàm abscessit ab oculis hominum, inquisie-
runt, & qui oderant, & qui amabant: illi perse-
quendo, illi habere cupiendo. In Psalmis ait ipse
Psal. 141. 5. Dominus per Prophetam, Periit fuga à me, & non
est qui requirat animam meam: & iterum ait alio
Psal. 39. 15. loco in Psalmo, Confundantur & revereantur re- G
quirentes animam meam. Culpavit qui non requi-
rerent, damnavit qui requirerent. Malum est enim
non quærere animam Christi, sed quomodo eam
quæsierunt discipuli; & malum est quærere animam
Christi, sed quomodo eam Judæi quæsierunt: illi
enim ut haberent, isti ut perderent. Denique isti

a Abest, *nec*, ab omnibus MSS.

quia sic quærebant more malo, corde perverso,
quid secutus adjunxit? *Quæretis me*, &, ne putetis
quia bene me quæretis, *in peccato vestro moriemini.*
Hoc est Christum malè quærere, in peccato suo
mori: hoc est illum odisse, per quem posset solum
salvus esse. Cùm enim homines quorum spes in
Deo est, non debeant mala reddere [a] nec pro a
malis, reddebant isti mala pro bonis. Prænuntia-
vit ergo illis Dominus, dixitque sententiam præ-
scius, quòd in suo peccato morerentur. Deinde
adjungit, *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Hoc B
& discipulis alio loco dixit: nec tamen eis dixit, *in*
peccato vestro moriemini. Quid autem dixit? quod &
istis: *Quò ego vado, vos venire non potestis.* Non ab- *Johan. 13. 33.*
stulit spem, sed prædixit dilationem. Quando enim
hoc discipulis Dominus loquebatur, tunc non po-
terant venire quò ille ibat, sed postea venturi
erant: isti autem numquam, quibus præscius di-
xit, *In peccato vestro moriemini.*

3. His autem auditis verbis, quomodo solent
carnea cogitantes, & secundùm carnem judican-
tes, & totum carnaliter audientes atque sapientes,
dixerunt, *Numquid interficiet semetipsum; quia dixit,* *Johan. 8.*
Quò ego vado, vos non potestis venire? Stulta verba, *22.*
& omnino insipientiæ plena. Quid enim, non po-
terant illò venire quò ille perrexisset, si interficeret
semetipsum? Numquid ipsi non erant morituri?
Quid est, ergo, *Numquid interficiet semetipsum; quia*
dixit, Quò ego vado, vos non potestis venire? Si de
morte hominis diceret, quis homo non moritur? b
D Ergo *quò ego vado* dixit, non [b] cùm itur ad mortem,
sed quò ibat ipse post mortem. Illi itaque non in-
telligentes, ista responderunt.

4. Et Dominus ad eos qui terram sapiebant,
quid ait? *Et dicebat eis, Vos de deorsum estis.* Ideo *v. 23.*
terram sapitis, quia sicut serpentes terram manduca-
tis. Quid est, terram manducatis? Terrenis pas-
cimini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sur-
sum cor non habetis. *Vos de deorsum estis: ego de su-*
pernis sum. Vos de mundo hoc estis: ego non sum de hoc
mundo. Quomodo enim erat de mundo, per quem
factus est mundus? Omnes de mundo post mun-
dum; quia priùs mundus, & sic homo de mundo:
priùs autem Christus, deinde mundus; quoniam
ante mundum Christus, ante Christum nihil: quia *Johan. 1. 1.*
in principio erat Verbum, omnia per ipsum facta *& 3.*
sunt. Sic ergo erat ille de supernis. De quibus su-
pernis? de aëre? Absit: ibi & aves volitant. De
cælo quod videmus? Et hoc absit; ibi & stellæ &
sol & luna circumeunt. De Angelis? Neque hoc
intelligatis: per illum & Angeli facti sunt, per F
quem omnia facta sunt. De quibus ergo supernis
Christus? Ab ipso Patre. Nihil illo Deo superius,
qui Verbum genuit æquale sibi, coæternum sibi,
unigenitum, sine tempore, per quem conderet
tempora. Sic ergo accipe Christum de supernis, ut
excedas cogitatione tua omne quod factum est,
universam omnino creaturam, omne corpus, om-
nem conditum spiritum, omnem rem quoquo mo-
do mutabilem: totum excede, sicut excessit Jo-
hannes, ut contingeret, In principio erat Ver- G
bum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat
Verbum.

5. *Ego* ergo, inquit, *de supernis sum. Vos de hoc*
mundo estis: ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vo-* *Johan. 8.*
bis quia moriemini in peccatis vestris. Exposuit no- *24.*
bis, Fratres, quid intelligi voluerit, *Vos de hoc*

I I b Aliquot MSS. *non quò itur.*

mundo estis. Ideo quippe dixit, *Vos de hoc mundo* A
estis: quia peccatores erant, quia iniqui erant, quia
infideles erant, quia terrena sapiebant. Nam quid
vobis videtur de sanctis Apostolis? Quantum inte-
rerat inter Judæos & Apostolos? quantum inter te-
nebras & lucem, quantum inter fidem & infideli-
tatem, quantum inter pietatem & impietatem,
quantum inter spem & desperationem, quantum
inter caritatem & cupiditatem: multum ergo in-
tererat. Quid ergo quia tantum intererat, Apostoli
de mundo non erant? Si cogites quomodo nati B
sint, & unde venerint; quia omnes ex Adam ve-
Johan. 15. 19. nerant, de hoc mundo erant. Sed quid eis ait ip-
se Dominus? Ego vos de mundo elegi. Qui ergo
de mundo erant, facti sunt non de mundo, & per-
tinere cœperunt ad eum per quem factus est mun-
dus. Isti autem remanserunt esse de mundo, qui-
bus dictum est, *Moriemini in peccatis vestris.*

6. Nemo ergo dicat, Fratres, De hoc mundo non
sum. Quisquis es homo, de hoc mundo es: sed ve-
nit ad te qui fecit mundum, & liberavit te de hoc C
mundo. Si delectat te mundus, semper vis esse im-
mundus: si autem jam non te delectat hic mundus,
jam tu es mundus. Verumtamen si per aliquam in-
firmitatem adhuc te delectat mundus, habitet in
te qui mundat, & eris mundus. Si autem fueris
mundus, non remanebis in mundo; nec audies
quod audierunt Judæi, *Moriemini in peccatis vestris.*
Omnes enim cum peccato nati sumus; omnes vi-
vendo ad id quod nati eramus, addidimus, magis-
que de mundo facti sumus, quàm tunc quando de D
parentibus nostris nati sumus. Et ubi essemus, si il-
le non veniret, qui non habebat omnino peccatum,
ut solveret omne peccatum? In quem Judæi quia
non credebant, meritò audierunt, *Moriemini in pec-*
catis vestris: quia non habere peccatum nullo modo
potuistis, qui cum peccato nati estis: sed tamen si
in me, inquit, credideritis, cum peccato quidem
nati estis, sed in peccato vestro morituri non estis.
Tota ergo infelicitas Judæorum ipsa erat, non pec-
catum habere, sed in peccatis mori. Hoc est quod E
debet fugere omnis Christianus: propter hoc ad
baptismum curritur; propter hoc qui ægritudine
vel aliunde periclitantur, sibi desiderant subveniri;
propter hoc etiam fugens parvulus à matre piis ma-
nibus ad Ecclesiam fertur, ne sine baptismo exeat,
& in peccato quo natus est moriatur. Infelicissima
conditio, misera sors istorum, qui de ore veridico
audierunt, *In peccatis vestris moriemini.*

Johan. 8. 24. 7. Unde tamen hoc eis contingat, exponit: *Si*
enim non credideritis quia ego sum, moriemini in pecca- F
tis vestris. Credo, Fratres, in illa multitudine quæ
Dominum audiebat, & eos fuisse qui crediturі
erant. Quasi autem in omnes processerat severissi-
ma illa sententia, *In peccato vestro moriemini*: ac per
hoc & illis qui crediturі erant, spes erat ablata: illi
sæviebant, illi timebant; immo non timebant, sed
jam desperabant. Revocavit eos in spem; adjun-
xit enim, *Si non credideritis quia ego sum, moriemini*
in peccatis vestris. Ergo si credideritis quia ego sum,
non moriemini in peccatis vestris. Reddita est spes G
desperantibus, excitatio facta est dormientibus,
cordibus evigilaverunt: inde plurimi crediderunt,
sicut Evangelii ipsius consequentia testantur. Erant
enim illic membra Christi, quæ nondum adhæse-
rant corpori Christi: & in illo populo à quo cruci-
fixus est à quo in ligno suspensus est, à quo pen-
dens irrisus est, à quo lanceâ vulneratus est, à

quo felle & aceto potatus est, erant membra Chri-
sti, pro quibus dixit, Pater ignosce illis, quia nes- *Luc. 23. 34.*
ciunt quid faciunt. Quid autem conversò non ig-
noscitur, si fusus Christi sanguis ignoscitur? Quis
homicida desperet, si in spem redditus est à quo
etiam Christus occisus est? Crediderunt inde mul-
ti; donatus est eis sanguis Christi, ut magis eum
biberent quo liberarentur, quàm rei de illo effuso
tenerentur: quis desperet? Et si in cruce latro sal-
vatus est, ante paululum homicida, post paululum
accusatus, convictus, damnatus, suspensus, libe- B
ratus, noli mirari. Ubi convictus, ibi damnatus: sed
ibi liberatus, ubi mutatus. In hoc ergo populo cui
Dominus loquebatur, erant qui in peccato suo fue-
rant morituri: erant etiam qui in ipsum qui loquebа-
tur, fuerant crediturі, & ab omni peccato liberandi.

8. Tamen hoc adtende, quod ait Dominus
Christus: *Si non credideritis quia ego sum, moriemini*
in peccatis vestris. Quid est, *Si non credideritis quia*
ego sum? Ego sum, quid? Nihil addidit: & quia ni-
chil addidit, multum est quod commendavit. Ex- C
spectabatur enim ut diceret quid esset, nec tamen
dixit. Quid exspectabatur ut diceret? Fortè, *Nisi*
credideritis quia ego sum Christus, *nisi credideritis quia*
ego sum Dei Filius, *nisi credideritis quia ego sum* Ver-
bum Patris; *nisi credideritis quia ego sum* conditor
mundi, *nisi credideritis quia ego sum* hominis forma-
tor & reformator, creator & recreator, factor &
refactor, *nisi* hoc *crediderit is, quia ego sum, moriemi-*
ni in peccatis vestris. Multum est quod ait, ipsum
ego sum: quia sic dixerat & Deus Moysi, Ego sum *Exod. 3. 14.*
qui sum. Quis dignè eloquatur, quid sit, *sum?*
Mittebat Deus per Angelum suum, servum suum
Moysen ad liberandum ex Ægypto populum suum:
(legistis quod audistis & nostis, commemoro ta-
men:) mittebat trementem, excusantem, sed obe-
dientem. Cùm ergo excusaret, ait Deo, quem lo-
qui in Angelo intelligebat, Si dixerit mihi populus,
Et quis est Deus qui misit te, quid eis dicam? Et
Dices filiis Israël, Qui est, misit me ad vos. Non E
ait & ibi, Ego sum Deus; aut Ego sum mundi fa-
bricator; aut, Ego sum omnium rerum creator;
aut, Ego sum ipsius populi liberandi propagator:
sed hoc tantùm, Ego sum qui sum; &, Dices filiis
Israël, Qui est; non addidit, Qui est Deus vester,
qui est Deus patrum vestrorum, sed tantùm hoc
dixit, Qui est misit me ad vos. Fortè multum erat
& ad ipsum Moysen, sicut multum est & ad nos, &
multò magis ad nos, intelligere quid dictum sit,
Ego sum qui sum, &, Qui est misit me ad vos. Et si F
fortè caperet Moyses, illi ad quos mittebatur quan-
do caperent? Distulit ergo Dominus quod capere
homo non posset, & addidit quod capere posset:
adjunxit enim & ait, Ego sum Deus Abraham, & *Ibidem 15.*
Deus Isaac, & Deus Jacob. Hoc potes capere:
Nam Ego sum qui sum, quæ mens potest capere?

9. Quid ergo nos? Audebimus-ne aliquid dice-
re ex hoc quod dictum est, Ego sum qui sum: vel
potiùs ex hoc quod Dominum dicere audistis, *Nisi* G
credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris?
Itane his viribus meis tantillis & penè nullis, aude-
bo disputare, quid sit quod ait Dominus Chri-
stus, *Nisi credideritis quia ego sum?* Audebo ipsum
Dominum interrogare? audite me interrogantem
potiùs quàm disputantem, magis quærentem quàm
præsumentem, potiùs discentem quàm docentem,
& certè in me vel per me etiam vos interrogate.

Præstò est etiam ipse Dominus qui ubique est, audiat interrogandi affectum, & intelligendi præstet effectum. Nam ego quibus verbis, & si fortè aliquid capio, perducere possum quod capio ad corda vestra? Quisnam sufficit sonus? quæ suppetit eloquentia? quæ vires intelligendi? quæ facultas proferendi?

10. Dicam ergo Domino nostro Jesu Christo, dicam, & audiat me. Credo præsentem, omnino non dubito; ipse enim dixit, Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi. O Domine Deus noster, quid est quod audisti, *Nisi credideritis quia ego sum?* Quid enim non est eorum quæ fecisti? Numquid cælum non est? numquid terra non est? numquid non sunt ea quæ in terra & in cælo sunt? numquid homo ipse cui loqueris non est? numquid Angelus quem mittis non est? Si omnia sunt hæc quæ per te facta sunt, quid est quod tibi proprium quiddam tenuisti ipsum esse, quod aliis non dedisti, ut tu solus esses: Nam quomodo audio, Ego sum qui sum: quasi alia non sint? Et quomodo audio, *Nisi credideritis quia ego sum?* Illi enim non erant qui audiebant? Et si peccatores erant, homines erant. Quid ergo facio? Quid sit ipsum esse, dicat cordi, intus dicat, intus loquatur, homo interior audiat, mens capiat verè esse: est enim semper eodem modo esse. Res enim aliqua, quælibet omnino, (quasi cœpi disputare, & destiti quærere, fortè quod audivi volo loqui, auditui meo det exsultationem & vestro cùm loquor:) res enim quælibet, prorsus qualicumque excellentiâ, si mutabilis est, non verè est: non enim est ibi verum esse, ubi est & non esse. Quidquid enim mutari potest, mutatum non est quod erat: si non est quod erat, mors quædam ibi facta est; peremtum est aliquid ibi quod erat, & non est. Nigredo mortua est in capite albescentis senis, pulcritudo mortua est in corpore fessi & incurvi senis, mortuæ sunt vires in corpore languentis, mortua est statio in corpore ambulantis, mortua est ambulatio in corpore stantis, mortua est ambulatio & statio in corpore jacentis, mortua est locutio in lingua tacentis: quidquid mutatur & est quod non erat, video ibi quamdam vitam in eo quod est, & mortem in eo quod fuit. Denique de mortuo cùm dicitur, Ubi est homo ille? respondetur, Fuit. O veritas quæ verè es! Nam in omnibus actionibus & motibus nostris, & in omni prorsus agitatione creaturæ duo tempora invenio, præteritum & futurum. Præsens quæro, nihil stat: quod dixi, jam non est; quod dicturus sum, nondum est: quod feci, jam non est; quod facturus sum, nondum est: quod vixi, jam non est; quod victurus sum, nondum est. Præteritum & futurum invenio in omni motu rerum: in veritate quæ manet, præteritum & futurum non invenio, sed solum præsens, & hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est. Discute rerum mutationes, invenies fuit & erit: cogita Deum, invenies est, ubi fuit & erit esse non possit. Ut ergo & tu sis, transcende tempus. Sed quis transcendet viribus suis? Levet illuc ille qui Patri dixit, Volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum. Hoc itaque promittens ne moriamur in peccatis nostris, nihil aliud Dominus Jesus Christus mihi videtur his verbis dixisse, *Nisi credideritis quia ego sum:* prorsus nihil aliud mihi videtur his verbis dixisse quàm hoc, *Nisi credideritis quia ego Deus sum, moriemini in peccatis vestris.* Bene, Deo gratias, quia dixit, *Nisi credideritis*: non dixit, Nisi ceperitis. Quis enim hoc capiat? Aut verè, quia ausus sum dicere, & visi estis intelligere, aliquid de tanta ineffabilitate cepistis? Si ergo non capis, fides te liberat. Ideo & Dominus non ait, Nisi ceperitis quia ego sum: sed quod poterant dixit, *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.*

Matth. 28. 20.

Iohan. 17. 24.

11. Et illi semper terrena sapientes & semper secundùm carnem audientes & respondentes, quid ei dixerunt? *Tu qui es?* Non enim cùm dixisti, *Nisi credideritis, quia ego sum*, addidisti quid esses. Quis es, ut credamus? Et ille, *Principium*. Ecce quod est esse. Principium mutari non potest: principium in se manet, & innovat omnia: principium est, cui dictum est, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. *Principium*, ait, [a] *quia & loquor vobis.* Principium me credite, ne moriamini in peccatis vestris. Tamquam enim in eo quod dixerunt, *Tu quis es*, nihil aliud dixerint, quàm Quid te esse credimus: respondit, *Principium*, id est, Principium me credite. In Græco namque eloquio discernitur, quod non potest in Latino. Apud Græcos enim feminini generis est principium, sicut apud nos lex generis feminini est, quæ apud illos est masculini: sicut sapientia & apud nos & apud illos generis feminini est. Consuetudo locutionis ideo per diversas linguas variat genera vocabulorum, quia in ipsis rebus non invenis sexum. Non enim sapientia verè femina est, cùm Christus sit Dei sapientia, & Christus appelletur genere masculino, sapientia feminino. Cùm ergo dicerent Judæi, *Tu quis es*: ille qui sciebat esse ibi quosdam credituros, & ideo dixisse, *Tu quis es*, ut scirent quid illum credere deberent, respondit, *Principium*: non tamquam diceret, Principium sum; sed tamquam diceret, Principium me credite. Quod in sermone [b] Græco, ut dixi, evidenter apparet, ubi feminini generis est principium. Velut si vellet dicere se esse veritatem, & dicentibus Tu quis es, responderet, Veritatem; cùm videatur ad id quod dictum est Tu quis es, respondere debuisse, Veritas, id est, Veritas sum. Sed altiùs respondit, cùm videret eos ita dixisse, *Tu quis es?* ac si dicerent, Quoniam abs te audivimus, *Nisi credideritis quia ego sum*, quid te esse credemus? ad hoc respondit, *Principium*: tamquam diceret, Principium me credite. Et addidit, *quia & loquor vobis*: id est, quia humilis propter vos factus ad ista verba descendi. Nam si principium sicuti est, ita maneret apud Patrem, ut non acciperet formam servi & homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent; cùm infirma corda intelligibile Verbum sine voce sensibili audire non possent? Ergo, inquit, credite me esse principium; quia, ut credatis, non solùm sum, sed & loquor vobis. Sed de hac re jam multum est loqui vobis: placeat itaque Caritati Vestræ, ut quod restat, illo adjuvante fervemus, crastino reddituri.

Iohan. 8. 25.

Psal. 101. 28.

a

b

TRACTATUS * XXXIX.

* Habitus die proximo post superiorem Tractatū.

Ab eo quod scriptum est, Multa habeo de vobis loqui & judicare: *usque ad id*, Et non cognoverunt quia Patrem eis dicebat Deum.

1. [a] VERBA Domini nostri Jesu Christi quæ habuit cum Judæis, ita moderans loquelam suam, ut cæci non viderent, & fideles

1. Cor. 1. 24.

[a] Editi, *qui*. At plerique MSS. *quia*: juxta Græcum ὅτι.

[b] In Græco est μὴ ἄρθρον: quod nonnullis adverbii sonum hic habet, ut Latinis *principiò* & *primùm*: sic certè sonabat Chrysostomo. At in interpretatione Augustini favet Ambrosius, Bernardus &c.

fideles oculos aperirent, quæ hodie de sancto Evangelio recitata sunt, ista sunt: *Dicebant ergo Judæi, Tu quis es?* Quia dixerat suprà Dominus, *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Ad hoc ergo illi, *Tu quis es?* Veluti quærentes nosse in quem deberent credere, ne in suo peccato morerentur. Respondit dicentibus *Tu quis es*, & ait, *Principium, quia & loquor vobis.* Si se dixit Dominus esse principium, quæri potest utrùm & Pater principium sit. Si enim Filius principium est qui habet Patrem, quantò faciliùs intelligendus est Deus Pater esse principium, qui habet quidem Filium cui Pater sit, sed non habet de quo sit? Filius enim Patris est Filius, & Pater utique Filii Pater est: sed Deus de Deo Filius dicitur, lumen de lumine Filius dicitur: Pater dicitur lumen, sed non de lumine; Pater dicitur Deus, sed non de Deo. Si ergo Deus de Deo, lumen de lumine principium est; quantò faciliùs intelligitur principium lumen de quo lumen, & Deus de quo Deus? Videtur itaque absurdum, Carissimi, ut Filium dicamus principium, & Patrem principium non dicamus.

Iohan. 8. 25. v. 24.

a

Trinitas Deus unus.

2. Sed quid agemus? Numquid duo erunt principia? Cavendum est hoc dicere. Quid ergo, si & Pater principium & Filius principium, quomodo non duo principia? Quomodo dicimus Patrem Deum & Filium Deum, nec tamen dicimus duos deos. Nefas est enim dicere duos deos, nefas est dicere tres deos: & tamen qui Pater est, non est Filius; qui Filius est, non est Pater: Spiritus autem sanctus Patris & Filii Spiritus, nec Pater est nec Filius. Quamvis ergo, sicut aures catholicæ sunt eruditæ in gremio matris Ecclesiæ, nec ille qui est Pater sit Filius, nec ille qui est Filius sit Pater, nec Spiritus-sanctus Patris & Filii sit vel Filius vel Pater, tres deos tamen esse non dicimus: quamvis de singulis si quæratur, necesse est de quocumque interrogati fuerimus, Deum esse fateamur.

3. Et absurda ista videntur hominibus solita trahentibus ad insolita, visibilia ad invisibilia, creaturam comparantibus Creatori. Interrogant enim nos aliquando infideles & dicunt, Patrem quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus, Deum. Filium quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus, Deum. Spiritum-sanctum quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus, Deum. Ergo, inquiunt, Pater & Filius & Spiritus-sanctus tres sunt dii? Respondemus, Non. Turbantur, quia non illuminantur: cor clausum habent, quia clavim fidei non habent. Nos ergo, Fratres, fide præcedente, quæ sanat oculum cordis nostri, quod intelligimus, sine obscuritate capiamus; quod non intelligimus, sine dubitatione credamus: à fundamento fidei non recedamus, ut ad culmen perfectionis veniamus. Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus-sanctus: & tamen Pater non est qui Filius, nec Filius est qui Pater, nec Spiritus-sanctus Patris & Filii Spiritus aut Pater est aut Filius. Trinitas unus Deus: Trinitas, una æternitas, una potestas, una majestas; tres, [a] sed non dii. Non mihi calumniator respondeat, Quid ergo tres? Si enim tres, ait, oportet dicas quid tres. Respondeo. Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Ecce, inquit, tres dixisti; sed quid tres exprime. Immo tu numera: nam ego compleo tres, cùm dico Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Id enim quod Pater ad se est, Deus est; quod ad Filium est, Pater est: quod Filius ad seipsum est, Deus est; quod ad Patrem est, Filius est.

a

4. Ista quæ dico potestis de similitudinibus agnoscere quotidianis. Homo & alter homo, si ille sit pater, ille filius; quod homo est, ad seipsum est; quod pater est, ad filium est: & filius quod homo est, ad seipsum est; quod autem filius est, ad patrem est. Pater enim nomen est dictum ad aliquid, & filius ad aliquid: sed isti duo homines sunt. At verò Pater Deus ad aliquid est Pater, id est ad Filium; & Filius Deus ad aliquid est Filius, id est ad Patrem: sed non quomodo illi duo homines sunt, sic isti duo dii. Quare hoc non ita est ibi? Quia illud aliud, hoc autem aliud est: quia illa divinitas est. Est ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, ut & numerus sit, & numerus non sit. Videte enim si non quasi apparet numerus, Pater & Filius & Spiritus-sanctus Trinitas. Si tres, quid tres? Deficit numerus. Ita Deus nec recedit à numero, nec capitur numero. Quia tres sunt, tamquam est numerus: si quæris quid tres, non est numerus. Unde dictum est, Magnus Dominus noster & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Ubi cogitare cœperis, incipis numerare: ubi numeraveris, quid numeraveris non potes respondere. Pater, Pater est; Filius, Filius est; Spiritus sanctus, Spiritus-sanctus est: quid sunt isti tres, Pater & Filius & Spiritus-sanctus? Non tres dii? non. Non tres omnipotentes? non. Non tres mundi creatores? non. Ergo omnipotens Pater? omnipotens planè. Ergo & Filius non omnipotens? planè & Filius omnipotens. Ergo & Spiritus-sanctus non omnipotens? & ipse omnipotens. Tres ergo omnipotentes? non, sed unus omnipotens. Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt. Quia enim Deus Pater ad se est Deus simul cum Filio & Spiritu-sancto, non sunt tres dii; quia ad se est omnipotens simul cum Filio & Spiritu-sancto, non sunt tres omnipotentes: quia verò non ad se est Pater, sed ad Filium; nec Filius ad se est, sed ad Patrem; nec Spiritus ad se, in eo quod dicitur Spiritus Patris & Filii; non est quid dicam tres, nisi Patrem & Filium & Spiritum-sanctum unum Deum, unum omnipotentem. Ergo unum principium.

5. Accipite aliquid de Scripturis sanctis, unde hoc quod dicitur utcumque capiatis. Postea quàm Dominus noster Jesus Christus resurrexit, & cùm voluit adscendit in cælum, decem diebus illic impletis misit inde Spiritum-sanctum: quo impleti qui aderant in conclavi uno, omnium gentium linguis cœperunt loqui. Miraculo exterriti Domini interfectores, compuncti doluerunt, dolentes mutati sunt, mutati crediderunt: accesserunt corpori Domini, id est, numero fidelium, tria millia hominum. Item alio facto quodam miraculo, accesserunt alia quinque millia, facta est plebs una non parva: in qua omnes accepto Spiritu-sancto, quo amor spiritalis accensus est, caritate ipsa & fervore spiritus in unum redacti, cœperunt in ipsâ societatis unitate vendere omnia quæ habebant, & pretia ponere ad pedes Apostolorum, ut distribueretur unicuique, sicut cuique opus erat. Et hoc de illis Scriptura dicit, quòd erat eis anima una & cor unum in Deum. Adtendite ergo Fratres, & hinc agnoscite mysterium Trinitatis, quomodo dicamus & Pater est, & Filius est, & Spiritus-sanctus est, & tamen unus Deus est. Ecce illi tot millia erant,

Act. 2. 1. &c.

Act. 4. 4. &c.

Ibidem 32.

[a] Editi *tres personæ*. At MSS. omnes carent voce, *personæ*: eamque expungi Lovanienses in Castigationib. Tom. 9. præceperant.

& cor unum erat; ecce tot millia erant, & una anima erat. Sed ubi? in Deo. Quantò magis ipse Deus? Numquid erro in verbo, quando dico duos homines duas animas, aut tres homines tres animas, aut multos homines multas animas? Rectè utique dico. Accedant ad Deum, una anima est omnium. Si accedentes ad Deum, multæ animæ per caritatem una anima est, & multa corda unum cor; quid agit ipse fons caritatis in Patre & Filio? Nonne ibi magis Trinitas unus est Deus? Inde enim nobis caritas venit, de ipso Spiritu-san- B
Rom. 5. 5. cto, sicut dicit Apostolus, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. Si ergo caritas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis, multas animas facit unam animam, & multa corda facit unum cor; quantò magis Pater & Filius & Spiritus-sanctus, Deus unus, lumen unum, unumque principium?

6. Audiamus ergo principium quod loquitur nobis. *Multa*, inquit, *habeo loqui de vobis & judicare.* C
Johan. 8. 26. v. 16. Meministis quod ait, Ego non judico quemquam: ecce modò dicit, *Multa habeo de vobis loqui & judicare.* Sed aliud est, non judico; aliud, *habeo judicare.* Non judico, dixit ad præsens; venerat enim ut salvaret mundum, non ut judicaret mundum: quod autem dicit, *Multa habeo de vobis loqui & judicare*, judicium futurum dicit. Ideo enim adscendit, ut veniat judicare vivos & mortuos. Nemo justiùs judicabit, quàm qui injustè judicatus est. *Multa*, inquit, *habeo de vobis loqui & judicare: sed* D
qui me misit, verax est. Videte quemadmodum Patri det gloriam æqualis Filius. Exemplum enim nobis præbet, & tamquam in cordibus nostris loquitur: O homo fidelis, si Evangelium meum audis, dicit tibi Dominus Deus tuus, ubi ego in principio Verbum Deus apud Deum, æqualis Patri, coæternus gignenti, do gloriam ei cujus sum Filius; quomodo tu superbus es adversùs eum cujus servus es?

7. *Multa habeo*, inquit, *de vobis loqui & judi-* E
care, sed qui me misit, verax est: tamquam diceret, Ideo verum judico, quia Filius veracis veritas sum. Pater verax, Filius veritas, quid putamus esse amplius? Cogitemus si possimus, quid est amplius, verax an veritas. De quibusdam quæramus: Pius homo plus est, an pietas? sed plus est ipsa pietas: pius enim à pietate, non pietas à pio. Potest enim esse pietas, etsi ille qui pius erat, factus est impius. Ipse perdidit pietatem, pietati nihil abstulit. Quid item pulcher & pulcritudo? Plus est pulcritudo quàm pulcher: F
pulcritudo enim facit pulcrum, non pulcher facit pulcritudinem. Castus & castitas? Castitas planè plus est quàm castus. Si enim castitas non esset, unde esset iste castus, non haberet: si autem noluerit esse castus, castitas integra perseverat. Si ergo plus pietas quàm pius, plus pulcritudo quàm pulcher, plus castitas quàm castus; numquid dicturi sumus plus veritas quàm verax? Si hoc dixerimus, Filium incipiemus dicere Patre majorem. Ait enim aper-
Johan. 14. 6. tissimè ipse Dominus, Ego sum via, & veritas, & G
vita. Ergo si Filius veritas: Pater quid, nisi quod ait ipsa veritas, *Qui me misit, verax est?* Filius veritas, Pater verax: quid plus sit quæro, sed æqualitatem invenio. Verax enim Pater non ab ea veritate verax est cujus partem cepit, sed quam totam genuit.

8. Video planiùs esse dicendum. Et certè ne vos A diu teneam, hodie huc usque tractetur: cùm finiero quod volo dicere, adjuvante Deo, sermo claudatur. Hoc ideo dixi, ut intentos vos facerem. Omnis anima quoniam res est mutabilis, & quamvis magna creatura, tamen creatura; quamvis corpore melior, tamen facta: omnis ergo anima quoniam mutabilis est, hoc est modò credit, modò non credit; modò vult, modò non vult; modò adultera est, modò casta; modò bona, modò mala; mutabilis est: Deus autem hoc est quod est: ideo pro-
Exod. 3. 14. prium nomen sibi tenuit, Ego sum qui sum. Hoc & B
Johan. 8. 24. v. 25. Filius, dicendo, *Nisi credideritis quia ego sum.* Ad hoc pertinet, & *Tu quis es? Principium.* Deus igitur incommutabilis est, anima mutabilis. Quando capit anima ex Deo unde sit bona, participando fit bona: quomodo tuus oculus participando videt. Nam lumine subtracto non videt, cujus particeps factus videt. Quia ergo anima participando fit bona, si mutata cœperit esse mala, bonitas manet cujus erat particeps bona. Bonitatis enim cujusdam particeps facta est cùm bona esset: qua mutatâ in pejus, integra bonitas permanet. Si recedat anima & mala fiat, non minuitur bonitas: si revertatur & bona fiat, non crescit bonitas. Factus est oculus tuus particeps lucis hujus, & vides: clausus est? hanc lucem non minuisti: apertus est? hanc lucem non auxisti. Hac data similitudine, Fratres, intelligite, quia si pia est anima, est pietas apud Deum, cujus sit particeps anima; si est casta anima, est castitas apud Deum, cujus est particeps anima; si est bona anima, est bonitas apud Deum, cujus est particeps anima; si est verax anima, est veritas apud Deum, cujus est particeps anima. Cujus particeps si non fuerit anima, omnis homo mendax: si om-
Psal. 115. 11. nis homo mendax, nullus homo de suo verax. Pater autem verax, de suo est verax: quia genuit veritatem. Aliud est, verax est homo iste, quia jam percepit veritatem; aliud est, verax Deus, quia genuit veritatem. Ecce quomodo verax est Deus, non participando, sed generando veritatem. Video E
vos intellexisse & gaudeo: sufficiat vobis hodie, cetera quando Domino placuerit, sicut donaverit, exponemus.

TRACTATUS XL.

Ab eo loco, Dixit ergo eis Jesus, Cùm exaltaveritis filium hominis: *usque ad id*, Et cognoscetis veritatem & veritas liberabit vos.

1. DE sancto Evangelio secundùm Johannem, quod gestare nos videtis in manibus, jam multa audivit Caritas Vestra, quæ Deo donante sicut potuimus disputavimus, commendantes vobis maximè istum Evangelistam de Domini divinitate, secundùm quam æqualis est Patri & Filius unicus Dei, loqui elegisse, & propterea aquilæ comparatum: nulla quippe avis volare altiùs perhibetur. Proinde quæ ex ordine subsequuntur, sicut ea Dominus tractare donaverit, intentissimè audite.

2. Locuti sumus vobis de præcedenti lectione, insinuantes quomodo intelligatur Pater verax, Filius veritas. Cùm autem dixisset Dominus Jesus, *Verax est qui me misit:* non intellexerunt Judæi quòd *Johan. 8. 26.* de Patre illis diceret. Et ait illis quod modò cùm legeretur audistis: *Cùm exaltaveritis filium hominis, v. 28. tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Quid est hoc?

Nihil enim aliud videtur dixisse, nisi eos post passionem suam cognituros quis esset. Procul dubio ergo videbat ibi aliquos, quos ipse noverat, quos ipse cum ceteris sanctis suis ante constitutionem mundi præsciendo elegerat, post passionem suam esse credituros. Ipsi sunt illi quos assiduè commendamus, & ad imitationem cum magna exhortatione proponimus. Missò enim de super Spiritu-sancto post Domini passionem & resurrectionem & adscensionem, cùm miracula fierent in ejus nomine, quem tamquam mortuum persequentes Judæi con-
Act. 2. 37. temserant, compuncti sunt corde; & qui sævientes occiderunt, mutati crediderunt; & quem sanguinem sæviendo fuderunt, credendo biberunt: illa
Ibidem 41. Act. 4. 4. Johan. 8. 28. tria millia, & illa quinque millia Judæorum, quos ibi videbat, quando dicebat, *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Tamquam dicens, Differo cognitionem vestram, ut impleam passionem meam: ordine vestro cognoscetis qui sim. Non quia omnes tunc erant crediturі ex iis qui audiebant, id est, post passionem Domini: nam
v. 30. paulò pòst dicit, *Hæc eo loquente, multi crediderunt in eum*, & nondum exaltatus erat filius hominis. Exaltationem quippe dicit passionis, non glorificationis; crucis, non cæli: quia & ibi exaltatus est, quando pependit in ligno. Sed illa exaltatio humi-
Philip. 2. 8. liatio fuit. Tunc enim factus est obediens usque ad mortem crucis. Hoc oportebat impleri per eorum manus qui postea fuerant crediturі, quibus dicit, *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Quare hoc, nisi ut nemo desperaret in quo- D
cumque scelere malè sibi conscius, quando videbat eis donari homicidium qui occiderant Christum?

3. Hos ergo in illa turba agnoscens Dominus,
Johan. 8. 28. dixit, *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Jam nostis quid sit, *sum*; nec assiduè repetendum est, ne pariat res tanta fastidium.
Exod. 3. 14. Recolite illud, Ego sum qui sum, &, Qui est misit me: & agnoscetis quid dictum sit, *Tunc scietis quia ego sum:* sed & Pater est, & Spiritus-sanctus est. E
Ad ipsum esse pertinet tota Trinitas. Sed quia Dominus sicut Filius loquebatur, ne fortè in eo quod dixit, *Tunc cognoscetis quia ego sum*, subintraret er-
Sabellliani. ror Sabellianorum, hoc est Patripassianorum, quem vobis errorem commendavi non tenendum, sed cavendum, eorum scilicet qui dixerunt, Ipse est Pater, ipse est Filius; duo sunt nomina, sed res una: propter istum ergo cavendum errorem cùm dixisset Dominus, *Tunc cognoscetis quia ego sum:* ne
Johan. 8. 28. ipse intelligeretur Pater, continuò subjunxit, *Et à* F
meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. Jam gaudere cœperat Sabellianus, erroris sui occasione comperta: statim ut se tamquam in obscuro extulit, sequentis sententiæ luce confusus est. Putaveras eum esse Patrem, quia dixit, *Ego sum:* audi quia Filius est, *Et à meipso facio nihil.* Quid est, *A meipso facio nihil?* A meipso non sum. Filius enim de Patre est Deus; Pater autem non est de Filio Deus: Filius est Deus de Deo; Pater autem Deus, sed non de Deo: Filius est lumen de lumine; Pater G
autem lumen, sed non de lumine: Filius est, sed est de quo est; Pater autem est, sed non est de quo est.

4. Quod ergo addidit, *Sicut docuit me Pater, hæc loquor:* nemini vestrûm obrepat cogitatio carnalis, Fratres mei. Non enim potest humana infirmitas cogitare, nisi quod consuevit facere vel audire. Nolite ergo vobis quasi duos homines ante oculos ponere, unum patrem, alterum filium, & loquentem patrem ad filium: sicut facis tu quando verba aliqua dicis filio tuo, monens eum & instruens eum quomodo loquatur, ut quæcumque audivit à te, commendet memoriæ; cùm commendaverit memoriæ, proferat & linguâ, distinguat per sonos, inferat auribus alienis quod percepit in suis. Nolite ita cogitare, ne in corde vestro idola Humana forma in Trinitate, nisi ut ad Verbi incarnationem pertinet, non est cogitanda.
fabricetis. Humanam formam, humanorum lineamenta membrorum, figuram carnis humanæ, sen- B
sus istos conspicuos, staturam motusque corporis, linguæ officium, distinctiones sonorum, nolite in illa Trinitate cogitare, nisi quod pertinet ad formam servi, quam accepit unigenitus Filius, cùm Verbum caro factum est ut habitaret in nobis. Ibi non te prohibeo, humana infirmitas, cogitare quod nosti; immo etiam compello. Si fides in te vera est, talem Christum cogita: sed ex Maria virgine, non de Deo Patre talem cogita. Infans fuit, crevit ut C
homo, ambulavit ut homo, esurivit, sitivit ut homo, dormivit ut homo, postremò passus ut homo, suspensus in ligno, occisus, sepultus ut homo, in eadem forma resurrexit, in eadem forma ante oculos discipulorum adscendit in cælum, in eadem forma venturus est ad judicium. Angelorum enim vox est in Evangelio expressa: Sic veniet quomodo eum *Act. 1. 11.* vidistis euntem in cælum. Quando ergo de forma servi cogitas in Christo, humanam effigiem cogitas; si est in te fides: quando autem cogitas, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & D
Deus erat Verbum, pereat de corde tuo omnis humana figuratio: pellatur de cogitationibus tuis quidquid fine corporeo terminatur, quidquid loci spatio continetur, vel quantalibet mole diffunditur, de corde tuo figmentum tale dispereat. Cogita, si potes, pulcritudinem sapientiæ, occurrat tibi pulcritudo justitiæ. Forma est? Statura est? Color est? Nihil horum est, & tamen est: nam si non esset, nec amaretur, nec meritò laudaretur, nec amata nec laudata corde moribusque teneretur: nunc verò fiunt homines sapientes, unde fierent nisi esset sapientia? Porrò autem, ô homo, si sapientiam tuam videre carnis oculis non potes, nec tali imaginatione cogitare quali corporalia cogitantur, sapientiæ Dei audes ingerere humani corporis formam?

5. Quid ergo dicimus, Fratres? Quomodo locutus est Pater Filio, quoniam Filius ait, *Sicut docuit me Pater, hæc loquor?* Locutus est illi? Quan-
Johan. 8. 28. do docuit Pater Filium, verba fecit, quomodo tu, F
quando doces filium tuum, verba facis? Quomodo facit verba Verbo? Quæ verba multa fierent unico Verbo? Verbum enim Patris aures habuit ad os Patris? Carnalia sunt ista, pereant de cordibus vestris. Hoc enim diço, ecce si intellexistis quod ego dixi, ego certè locutus sum, & mea verba sonuerunt, sonisque aures pepulerunt, & per sensum auditus vestri ad cor sententiam perduxerunt, si intellexistis. Facite aliquem audisse Latinæ linguæ homi- G
nem, tantummodo audisse, nec tamen intellexisse quod dixi: quantum ad strepitum pertinet emissum ex ore meo, sic ejus ille particeps factus est qui non intellexit, quomodo & vos: eum sonum audivit, eædem syllabæ aures ejus percusserunt, sed in corde ipsius nihil genuerunt. Quare? quia non intellexit. Vos autem si intellexistis, unde intellexistis? Ego ad aurem sonui, numquid ego in corde

lumen accendi? Procul dubio si verum est quod dixi, & hoc verum non solùm audistis, verùm etiam intellexistis, duæ res ibi factæ sunt, discernite illas, auditus & intellectus. Auditus per me factus est, intellectus per quem? Ego ad aurem dixi ut audiretis, ad cor vestrum quis dixit ut intelligeretis? Sine dubio aliquis & ad cor vestrum aliquid dixit, ut non solùm strepitus iste verborum percuteret aurem vestram, sed etiam in cor vestrum aliquid descenderet veritatis: dixit aliquis & ad cor vestrum, sed non eum videtis: si intellexistis Fratres, dictum est & cordi vestro. Munus Dei est intelligentia. Quis hoc dixit in corde vestro, si intellexistis? Cui dicit *Psal.* 118. 73. Psalmus, Da mihi intellectum ut discam mandata tua. Verbi gratiâ, episcopus locutus est. Quid locutus est, aliquis ait? Respondes quid locutus sit, & addis, Verum dixit. Tunc alius qui non intellexit, Quid dixit, inquit, aut quid est quod laudas? Ambo me audierunt, ambobus ego dixi: sed uni ipsorum Deus dixit. Si parva magnis comparare conceditur, quoniam nos ad eum quid sumus? tamen nescio quid incorporaliter & spiritaliter facit in nobis Deus, quod nec sonus est qui aurem percutiat, nec color qui oculis discernatur, nec odor est qui naribus capiatur, nec sapor qui faucibus judicetur, nec durum & molle quod tangendo sentiatur: tamen aliquid est quod sentire facile est, explicare impossibile est. Si ergo Deus, ut dicere cœperam, loquitur in cordibus nostris sine sono, quomodo loquitur Filio suo? Sic ergo, Fratres, sic cogitate, quantum potestis, ut dixi, si licet parva magnis modo aliquo comparare: sic cogitate. Incorporaliter Pater locutus est Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium. Nec eum sic docuit quasi indoctum genuerit: sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse; & hoc est, *docuit me Pater*, quod est, scientem me genuit Pater. Si enim, quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis; hoc est Filio esse quod nosse. Ab illo ergo habet ut noverit, à quo habet ut sit: non ut priùs ab illo esset, & ab illo postea nosset; sed quemadmodum illi gignendo dedit ut esset, sic gignendo dedit ut nosset: quia simplici, ut dictum est, naturæ veritatis esse & nosse non est aliud atque aliud, sed hoc ipsum.

Iohan. 8. 29. 6. Dixit ergo ista Judæis, & addidit, *Et qui me misit mecum est.* Jam hoc & antè dixerat, sed rem magnam assiduè commemorat: *misit me*, & *mecum est.* Si ergo tecum est, ô Domine, non unus ab alio missus est, sed ambo venistis. Et tamen cùm ambo simul sint, unus missus est, alter misit: quoniam missio incarnatio est, & ipsa incarnatio Filii tantùm est, non & Patris. Misit itaque Pater Filium, sed non recessit à Filio. Non enim quò misit Filium, non ibi erat Pater. Ubi enim non est qui fecit omnia? *Jerem.* 23. 24. Ubi non est qui dixit, Cælum & terram ego impleo? Sed fortè Pater ubique, & Filius non ubique est? *Iohan.* 1. 10. Evangelistam audi: In hoc mundo erat, & mundus per eum factus est. Ergo, inquit, *qui misit me*, cujus auctoritate tamquam paterna incarnatus sum: *mecum est, non me reliquit.* Quare non me reliquit? *Non me reliquit*, inquit, *solum*, *quia ego quæ placita sunt ei facio semper.* Ipsa est æqualitas *semper*, non ex quodam initio & deinceps, sed sine initio, sine fine. Dei enim generatio non habet initium temporis, quia per genitum facta sunt tempora.

Johan. 8. 30. 7. *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.* Utinam & me loquente multi qui aliud sapiebant A intelligant, & credant in eum. Quidam enim fortasse sunt in ista multitudine Ariani. Non audeo suspicari esse Sabellianos qui ipsum Patrem dicunt esse qui Filius est: hæresis quippe ista nimis antiqua est, & paulatim eviscerata. Arianorum autem adhuc videtur habere aliquas motiones quasi cadaveris putrescentis, aut certè, ut multùm, quasi hominis animam agentis: oportet inde reliquos liberari, sicut inde multi liberati sunt. Et quidem ista civitas eos non habebat: sed postea quàm multi B peregrini advenerunt, nonnulli & ipsi venerunt. Ecce hæc Domino loquente multi Judæi crediderunt in eum: ecce & me loquente Ariani credant, non in me, sed mecum.

8. *Dicebat ergo Dominus ad eos qui crediderant in eum Judæos, Si vos manseritis in verbo meo.* *v.* 31. Ideo *manseritis*, quia initiati estis, quia & ibi esse cœpistis. *Si manseritis*, hoc est in fide quæ in vobis esse credentibus cœpit: quò pervenietis? Vide quale initium, quò perducit. Amasti fundamentum, culmen C adtende, & ex ista humilitate aliam celsitudinem quære. Fides enim humilitatem habet: cognitio & immortalitas & æternitas non habet humilitatem, sed celsitudinem; erectionem, nullam defectionem; æternam stabilitatem, nullam ab inimicò expugnationem, nullum deficiendi timorem. Magnum est quod incipit à fide, sed contemnitur. Fundamentum solet etiam in ædificio ab imperitis contemni. Fossa fit grandis, lapides quoquo modo passim mittuntur, nulla ibi expolitio, nulla pulcritudo D apparet: quomodo nec in arboris radice, non apparet aliqua pulcritudo: totum tamen quidquid te delectat in arbore, de radice surrexit. Sed vides radicem, & non delectaris; vides arborem & miraris. Stulte, quod miraris inde surrexit quo non delectaris. Parum aliquid videtur fides credentium, non habes stateram unde appendas. Audi ergo quò perveniat, & vide quanta sit: sicut & ipse Dominus alio loco dicit, Si habueritis fidem sicut granum sinapis. *Matth.* 17. 19. Quid humilius, quid vehementius? E Quid minutius, quid ferventius? Ergo & *vos*, ait, *si manseritis in verbo meo*, in quo credidistis, quò perducemini? *Iohan.* 8. 31. *Verè discipuli mei eritis.* Et quid nobis prodest? *Et cognoscetis veritatem.* *v.* 32.

9. Quid promittit credentibus, Fratres? *Et cognoscetis veritatem.* Quid enim? Non illam cognoverant, quando Dominus loquebatur? Si non cognoverant, quomodo crediderunt? Non quia cognoverunt crediderunt, sed ut cognoscerent crediderunt. Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus F ut credamus. Quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit. *Isa.* 64. 4. 1. *Cor.* 2. 9. QUID EST enim FIDES, nisi credere quod non vides? Fides ergo est quod non vides credere, veritas quod credidisti videre: sicut ipse quodam loco ait. Ideo Dominus priùs ad faciendam fidem ambulavit in terra. Homo erat, humilis factus erat, ab omnibus videbatur, nec ab omnibus cognoscebatur, à multis reprobabatur, à turba occidebatur, à paucis dolebatur: sed tamen G & ab eis à quibus dolebatur, nondum sicut erat agnoscebatur. Totum hoc quasi initium est lineamentorum fidei & structuræ futuræ. Quod Dominus ipse adtendens quodam loco ait, Qui diligit me, mandata mea custodit; & qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ostendam meipsum illi. *Johan.* 14. 21. Quem qui audiebant, utique jam videbant: eis tamen, si diligebant, videndum

se promittebat. Sic & hîc, *Cognoscetis veritatem.* A Quid enim? Quod dixisti non est veritas? Veritas est, sed adhuc creditur, nondum videtur. Si maneatur in eo quod creditur, pervenitur ad id quod videatur. Inde Johannes ipse sanctus Evangelista in *1. Iohan.* 3. 2. Epistola sua, Dilectissimi, inquit, filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Jam sumus, & aliquid erimus. Quid plus erimus quàm sumus? » Audi: Nondum apparuit quid erimus: scimus quia » cùm apparuerit, similes ei erimus. Unde? Quoniam videbimus eum sicuti est. Magna promissio, sed B merces est fidei. Quæris mercedem, opus præcedat. Si credis, mercedem exige fidei: si autem non credis, fidei mercedem qua fronte quæris? *Si* ergo *manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis*: ut contemplemini ipsam veritatem sicuti est: non per verba sonantia, sed per lucem splendentem, cùm [a] satiaverit nos, quod legitur in Psalmo, *Psal.* 4. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Moneta Dei sumus, nummus à thesauro oberravimus. Errore detritum est quod in nobis fuerat impressum: venit C qui reformet, quia ipse formaverat: quærit & ipse nummum suum, sicut Cæsar nummum suum; ideo *Matth.* 22. 21. ait, Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt: Cæsari nummos, Deo vos ipsos. Tunc ergo exprimetur veritas in nobis.

10. Quid dicam Caritati Vestræ? O si cor esset qualitercumque suspirans in illam ineffabilem gloriam! O si peregrinationem nostram in gemitu sentiremus, & sæculum non amaremus, & ad eum qui nos vocavit, pia mente perpetuò pulsaremus! D Desiderium, sinus cordis est: capiemus, si desiderium quantum possumus extendamus. Hoc nobiscum agit Scriptura divina, hoc congregatio populorum, hoc celebratio sacramentorum, hoc baptismus sanctus, hoc cantica laudis Dei, hoc ipsa nostra disputatio, ut hoc desiderium non solùm seminetur & germinet, verùm etiam in modum tantæ capacitatis augeatur, ut idoneum sit sumere quod *Isa.* 64. 4. oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor ho- 1. *Cor.* 2. 9. minis adscendit. Sed amate mecum. Non amat E multùm nummum, qui amat Deum. Et ego palpavi infirmitatem, non ausus sum dicere, non amat nummum; sed, non multùm amat nummum: quasi amandus sit nummus, sed non multùm. O si Deum dignè amemus, nummos omnino non amabimus! Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, non irritamentum cupiditatis; quo utaris ad necessitatem, non quo fruaris ad delectationem. Deum ama, si aliquid in te egit quod audis & laudas. Utere mundo, non te capiat mundus. [b] Quòd intrasti, F iter agis, exiturus venisti, non remansurus: iter agis, stabulum est hæc vita. Utere nummo, quomodo viator in stabulo utitur mensâ, calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus. Si tales fueritis, erigite cor qui potestis, & audite me: si tales fueritis, ad ejus promissa venietis. Non enim multum est ad vos, quia magna est manus ejus qui vos vocavit. Vocavit, invocetur: dicatur illi, Vocasti nos, invocamus te; ecce audivimus vocantem, audi invocantes: perduc quò promisisti, perfice G quod inchoasti: noli deserere munera tua, noli deserere agrum tuum, germina tua intrent in horreum. Abundant tentationes in mundo, sed major est qui fecit mundum: abundant tentationes, sed non deficit qui in illo spem ponit, in quo defectus nullus est.

11. Ad hoc hortatus sum ista, Fratres, quia libertas de qua loquitur Dominus noster Jesus Christus, non hujus temporis est. Videte quid adjunxit. * *Verè discipuli mei eritis*, * *& cognoscetis veritatem,* *Iohan.* 8. *v.* 31. *v.* 32. *& veritas liberabit vos.* Quid est, *liberabit vos?* Liberos vos faciet. Denique Judæi carnales, & secundùm carnem judicantes, non hi qui crediderant, sed in illa turba qui erant qui non credebant, injuriam sibi factam putaverunt, quia dixit eis, *Veritas liberabit vos.* Indignati sunt servos se esse significatos. Et verè servi erant. Et exponit illis quæ sit servitus, & quæ sit futura libertas, quam ipse promittit. Sed de hac libertate & de illa servitute nimis longum est ut hodie disputemus.

TRACTATUS XLI.

Rursum in illud, Dicebat autem Jesus ad eos qui crediderant: *usque ad id*, Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.

1. QUOD de lectione pristina sequitur, & de sancto Evangelio hodie nobis recitatum est, tunc distuli dicere, quoniam multa jam dixeram, & de libertate in quam nos vocat gratia Salvatoris, non prætereunter neque negligenter fuerat differendum: hinc hodie Domino adjuvante statuimus loqui vobis. Quibus enim loquebatur Dominus Jesus Christus, Judæi erant, ex magna quidem parte inimici, sed etiam amici ex quadam parte jam facti, & futuri: nam quosdam D ibi videbat, sicuti jam diximus, qui post ejus passionem fuerant credituri. Hos intuens dixerat, *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* *Iohan.* 8. 28. Erant ibi etiam qui hæc loquente illo continuò crediderunt, ipsis locutus est quod audivimus hodie: *Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderant ei Judæos, Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis.* *v.* 31. Manendo eritis: quia enim nunc credentes estis, manendo videntes eritis. Ideo sequitur, *Et cognoscetis veritatem.* *v.* 32. Veritas incommutabilis est. E Veritas panis est, mentes reficit, nec deficit: mutat vescentem, non ipsa in vescentem mutatur. Ipsa est veritas Verbum Dei, Deus apud Deum unigenitus Filius. Hæc veritas carne induta est propter nos, ut de Maria virgine nasceretur, & impleretur prophetia, Veritas de terra orta est. *Psal.* 84. 12. Hæc ergo veritas cùm Judæis loqueretur, latebat in carne: latebat autem non ut negaretur, sed ut differretur; differretur, ut in carne pateretur; in carne autem pateretur, ut caro peccati redimeretur. Stans ita- F que conspicuus secundùm infirmitatem carnis Dominus noster Jesus Christus, & secundùm majestatem divinitatis occultus, dixit ad eos qui ei cùm hæc loqueretur crediderant, *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis.* Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *Matth.* 10. 22. *Et cognoscetis veritatem*, quæ modò vos latet, & loquitur vobis. *Et veritas liberabit vos.* Hoc verbum Dominus à libertate posuit, *liberabit vos.* Nihil est enim aliud propriè liberat, nisi liberum facit: quomodo salvat ni- G hil est aliud quàm salvum facit; quomodo sanat nihil est aliud quàm sanum facit; ditat, nihil est aliud quàm ditem, id est, divitem facit: sic liberat nihil est aliud quàm liberum facit. Hoc in verbo Græco planius est. *Græc.* ἐλευθερώσει. Nam in Latina consuetudine plerumque dicimus hominem liberari, quod ad libertatem non pertinet, sed tantùm ad salutem: sicut

[a] Sic omnes MSS. At editi, *cùm signaverit nos.*

[b] Duo MSS. *mundus quem intrasti*: alii totidem, *quò intrasti.*

quisquam dicitur liberari ab infirmitate; usitatè dicitur, non tamen propriè. Sic autem posuit Dominus hoc verbum, ut diceret, *Et veritas liberabit vos*, ut in Græca lingua nemo dubitet eum de libertate dixisse.

2. Denique & Judæi sic intellexerunt, *& responderunt ei:* non illi qui jam crediderant, sed illi
Johan. 8.33. qui in turba erant nondum credentes, *responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus umquam, quomodo tu dicis, Liberi eritis?* Non autem dixerat Dominus, *Liberi eritis*; sed, *Veritas liberabit vos.* In quo tamen verbo illi, quia, sicut dixi, patet in Græco, non intellexerunt nisi libertatem, & extulerunt se quòd semen essent Abrahæ, & dixerunt, *Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus umquam, quomodo tu dicis, Liberi eritis?* O pellis inflata! Non est ista magnitudo, sed tumor. Et hoc ipsum secundùm hujus temporis libertatem quomodo verum dixistis, *Nemini servivimus umquam?*
Gen. 37.28. Joseph non est venumdatus? Prophetæ sancti in
4. Reg. 24. captivitatem non sunt ducti? Deinde nonne ipse
Exodi 1. 14. ille est populus qui in Ægypto lateres faciebat, & regibus duris non saltem in auro & argento, sed in luto serviebat? Si nemini servistis umquam, ô ingrati, quid est quod assiduè vobis imputat Deus,
Exod. 13. 3. &c. quòd vos de domo servitutis liberavit? An fortè
Deut. 5. 6. &c. patres vestri servierunt, vos autem qui loquimini, nemini umquam servistis? Quomodo ergo solvebatis jam tributa Romanis, unde & ipsi veritati laqueum quasi captionis proposuistis, ut diceretis, Licet reddere tributum Cæsari? ut si dixisset, licet; teneretis eum quasi malè optasset libertati seminis Abrahæ: si autem diceret, non licet; calumniaremini apud reges terræ, quòd prohiberet regibus tributa persolvi. Meritò prolato nummo victi estis, & captioni vestræ vos ipsi estis respon-
Matth. 22. 21. dere compulsi. Ibi enim vobis dictum est, Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt: cùm vos ipsi respondissetis quòd nummus haberet imaginem Cæsaris. Quia sicut quærit Cæsar in nummo imaginem suam, sic Deus quærit in homine suam. Hæc ergo respondit Judæis. Movet enim me, Fratres, hominum vana superbia, qui etiam de ipsa, quam carnaliter intelligebant, sua libertate mentiti sunt dicentes, *Nemini servivimus umquam.*

3. Dominus autem quid responderit, hoc potiùs & intentiùs audiamus, ne & nos ipsi servi in-
Johan. 8.34. veniamur. *Respondit* enim *eis Iesus, Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Servus est, utinam hominis & non peccati. Quis non sub his verbis contremiscat? Præstet nobis Dominus Deus noster, id est, & mihi & vobis, ut pro sententia loquar de hac libertate appetenda, & de illa servitute vitanda. *Amen, amen dico vobis*, veritas dicit: & quale est Domini Dei nostri dicere, *Amen, amen dico vobis*? Multùm commendat quod ita pronuntiat: quodammodo, si dici fas est, juratio ejus est, *Amen, amen dico vobis. Amen* quippe interpretatur Verum: & tamen non est interpretatum, cùm potuisset dici, Verum dico vobis. Nec Græcus hoc interpres ausus est facere, nec Latinus: nam hoc verbum quod est *Amen*, nec Græcum est nec Latinum, sed Hebræum. Sic mansit, non est interpretatum, ut honorem haberet velamento secreti: non ut esset negatum, sed ne vilesceret nudatum. Nec semel tamen, sed bis à Domino dictum est, *Amen, amen dico vobis.* Jam
Amen quid.

quantum hoc commendatum sit, ex ipsa geminatione cognoscite.

4. Quid est ergo commendatum? Verum, verum dico vobis, veritas dicit; quæ utique etsi non diceret, Verum dico, mentiri omnino non posset: tamen commendat, inculcat; dormientes quodammodo excitat, intentos facit, contemni non vult. Quid dicens? *Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* O miserabilis servitus! Plerumque homines cùm dominos malos patiuntur, venales se petunt; non quærentes Dominum non habere, sed saltem mutare: servus peccati quid faciat? quem interpellet? apud quem interpellet? apud quem se venalem petat? Deinde servus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit: servus peccati quò fugit? Secum se trahit quocumque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quò eat, sequitur se; immo non recedit à se: peccatum enim quod facit, intus est. Fecit peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem: voluptas transit, peccatum manet: præteriit quod delectabat, remansit quod pungat. Mala servitus. Aliquando fugiunt homines ad Ecclesiam, & plerumque eos patimur tamquam indisciplinatos: volentes carere dominis, qui nolunt carere peccatis. Aliquando autem etiam illicito jugo & improbo subjecti fugiunt ad Ecclesiam, quia retinentur ingenui ad servitutem, & interpellatur episcopus: & nisi curet operam impendere, ne ingenuitas opprimatur, immisericors deputatur. Ad Christum omnes fugiamus, contra peccatum Deum liberatorem interpellemus: venales nos petamus, ut ejus sanguine redimamur. Dicit enim Dominus, Gratis venumdati estis, & sine argento *Isa. 52. 3.* redimemini. Sine pretio, sed vestro: quia meo. Hoc Dominus dicit: ipse enim pretium dedit, non argentum, sed sanguinem suum. Nam nos & servi & egeni remanseramus.

5. Liberat ergo ab hac servitute solus Dominus: qui illam non habuit, ipse de illa liberat; solus enim in hac carne venit sine peccato. Nam quos videtis in manibus matrum parvulos ferri, nondum ambulant, & jam sunt compediti, traxerunt enim de Adam quod solvatur à Christo. Pertinet etiam ad ipsos cùm baptizantur, ista gratia quam Dominus pollicetur: quia de peccato solus liberare potest, qui venit sine peccato, & factus est sacrificium pro peccato. Audistis enim cùm Apostolus legeretur: Pro Christo, inquit, legatione fungi- *1. Cor. 5. 20.*
» mur, tamquam Deo exhortante per nos, obsecra-
» mus pro Christo: id est, tamquam vos Christus obsecret. Quid? reconciliari Deo. Si exhortatur & obsecrat Apostolus ut reconciliemur Deo, inimici eramus Deo. Nemo enim reconciliatur nisi ex inimicitiis. Inimicos autem nos non natura, sed peccata fecerunt. Unde inimici illius, inde servi peccati. Non habet Deus liberos inimicos, necesse est servi sint: & servi remanebunt, nisi ab illo liberentur, cui peccando inimici esse voluerunt. Obsecramus ergo, inquit, pro Christo, reconciliari Deo. Quomodo autem reconciliamur, nisi solvatur quod inter nos & ipsum separat? Ait enim per Prophetam, Non gravavit aurem ne audiat, *Isa. 59. 1. & 2.* sed peccata vestra separant inter vos & Deum. Quia ergo non reconciliamur nisi ablato quod in medio est, & posito quod in medio sit. Est enim medium separans, sed contrà est mediator reconcilians: medium separans est peccatum, mediator reconcilians est Dominus Jesus Christus: unus
1. Tim. 2. 5. enim Deus, & unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. Ut ergo tollatur maceria separans quod est peccatum, venit ille mediator, & factus est sacrificium sacerdos ipse. Et quia sacrificium factus est pro peccato, offerens seipsum in holocaustum in cruce passionis suæ, sequitur Apo-
2. Cor. 5. 20. stolus & dicit, cùm dixisset, Obsecramus pro Christo reconciliari Deo: quasi diceremus, quo-
Ibidem 21. modo poterimus reconciliari? Eum, inquit, id est,
» ipsum Christum, qui non noverat peccatum, pec-
» catum pro nobis fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso. Eum ipsum, inquit, Christum Deum, qui non noverat peccatum. Venit enim in carne, hoc
Rom. 8. 3. est in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati; non habens ullum omnino peccatum: & ideo factus est verum sacrificium pro peccato, quia nullum habebat ipse peccatum.

6. Sed fortè de sensu meo dixi, quia peccatum sacrificium est pro peccato. Qui legerunt, agnoscant; qui non legerunt, non sint pigri: non sint, inquam, pigri ad legendum, ut veraces sint ad judicandum. Cùm de sacrificiis enim præciperet Deus offerendis pro peccato, in quibus sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum, eadem ipsa sacrificia, easdem ipsas hostias, easdem ipsas victimas, eadem ipsa animalia quæ admovebantur mactanda pro peccatis, in quorum sanguine sanguis ille figurabatur, peccata Lex appellat: usque adeo ut in quibusdam locis scriptum sit ita, ut sacerdotes immolaturi ponerent manus suas super caput peccati, id est, super caput victimæ immolandæ pro peccato. Tale ergo peccatum, id est, sacrificium pro peccato, factus est Dominus noster Jesus Christus, qui non noverat peccatum.

7. Meritò liberat ab hac servitute peccati ille
Psal. 87. 5. & 6. qui dicit in Psalmis, Factus sum tamquam homo sine adjutorio, inter mortuos liber. Solus enim liber, quia non habebat peccatum. Ipse enim dicit in
Johan. 14. 30. Evangelio, Ecce venit princeps hujus mundi, diabolum significans venturum in Judæis persecutoribus: ecce, inquit, venit, & in me nihil inveniet. Non quomodo in eis quos occidit etiam justos, invenit qualecumque peccatum, in me nihil inveniet. Et tamquam ei diceretur, si nihil in te inveniet, quare
» te occidet? Subjecit, & ait, Sed ut sciant omnes
» quia voluntatem Patris mei facio, surgite eamus hinc. Non, inquit, mortem mei peccati necessitate persolvo, sed in eo quòd morior, voluntatem Patris mei facio: plusque ibi facio quàm patior, quia si nollem, nec passus essem. Habes illum alio
Johan. 10. 18. loco dicentem, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Ecce verè in mortuis liber.

8. Cùm ergo omnis qui facit peccatum, servus sit peccati, quæ sit spes nobis libertatis audite.
Johan. 8.35. *Servus autem*, inquit, *non manet in domo in æternum.* Ecclesia est domus, servus peccator est. Intrant multi in Ecclesiam peccatores. Non ergo dixit, *Servus* non est in domo: sed, *non manet in domo in æternum.* Si ergo nullus ibi servus erit, quis ibi erit?
Prov. 20. 8. & 9. Cùm enim rex justus sederit in throno, sicut Scriptura loquitur, quis gloriabitur castum se habere cor; aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Multùm nos terruit, ô Fratres mei, dicendo, *Servus non manet in domo in æternum.* Adjungit autem, & dicit, *Filius autem manet in æternum.* Ergo solus in domo sua erit Christus? nullus illi populus cohærebit? Cui erit caput, si non erit corpus? An fortè totum hoc Filius, caput & corpus? Non enim sine caussa & terruit, & spem dedit: terruit, ne peccatum amaremus; spem dedit, ne de peccati solutione diffideremus: *Omnis*, inquit, *qui facit* *Iohan. 8. 34.* *peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum.* Quæ ergo nobis spes est, qui non sumus sine peccato? Audi spem tuam, *Filius manet in æternum. Si ergo vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Hæc spes nostra est, Fratres, ut à libero liberemur, & liberando servos nos faciat: servi enim eramus cupiditatis, liberati servi efficimur caritatis. Hoc & Apostolus dicit, Vos autem *Galat. 5. 13.* fratres in libertatem vocati estis, tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per caritatem servite invicem. Non ergo dicat Christianus, Liber sum, in libertatem vocatus sum: servus eram, sed redemtus sum, & ipsa redemtione liber effectus sum, faciam quod volo, nemo me prohibeat à voluntate mea, si liber sum. Sed si ista voluntate peccatum facis, servus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum, sed utere ad non peccandum. Erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia. Eris liber, si fueris servus; liber peccati, servus justitiæ: dicente Apostolo, Cùm servi esse- *Rom. 6. 20.* tis peccati, liberi eratis justitiæ: nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Hoc conemur, id agamus.

9. PRIMA LIBERTAS est carere criminibus. Intendite Fratres mei, intendite: ne fortè possim perducere vobis ad sensum & qualis modò sit, & qualis futura sit ista libertas. Quemlibet valde justum discutias in hac vita, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato: audi ipsum sanctum Johannem, cujus & hoc Evan-
1. Johan. 1. 8. gelium est, in Epistola sua dicentem, Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Solus hoc dicere potuit in mortuis liber, de solo dici potuit qui non noverat peccatum, de solo dici potuit: etenim expertus est omnia secundùm similitudinem sine peccato. Solus dicere potuit, Ecce veniet princeps *Iohan. 14.* mundi, & in me nihil inveniet. Quemcumque alium *30.* licèt justum discusseris, non omnimodo est sine peccato. Nec qualis erat Job, cui Dominus tale testimonium perhibebat, ut diabolus invideret, & *Job. 1. 8.* &c. postularet tentandum, tentans superaretur ut ille probaretur. Ideo autem ille probatus est, non quia latebat Deum coronandus, sed ut innotesceret hominibus imitandus. Etiam ipse Job quid dicit? Quis enim mundus? Nec infans, cujus est unius diei vita *Iob. 14. 4.* super terram. Sed planè multi justi dicti sunt sine querela, quod intelligitur sine crimine: nulla enim querela justa est de his in rebus humanis, qui non habent crimen. Crimen autem est peccatum grave, accusatione & damnatione dignissimum. Non ergo Deus quædam peccata damnat, quædam justificat & laudat: nulla laudat, odit omnia. Quomodo odit medicus ægritudinem ægroti, & id agit curando ut ægritudo pellatur, æger levetur: sic Deus gratiâ suâ hoc in nobis agit, ut peccatum consumatur, homo liberetur. Sed quando consumitur, inquies? Si minuitur, quare non consumitur? Minuitur autem in vita proficientium, quod in vita consumitur perfectorum.

10. Prima est ergo libertas, carere criminibus. A
Distinct. 81. cap. Apostolus. Ideo & Apostolus Paulus quando elegit ordinandos vel presbyteros vel diacones, & quicumque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait, Si quis sine peccato est: hoc enim si diceret, omnis
1. Tim. 3. 10. homo reprobaretur, nullus ordinaretur: sed ait, Si
Tit. 1. 7. quis sine crimine est, sicuti est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cetera hujusmodi. Cùm cœperit ea non habere homo, (debet autem non habere omnis Christianus homo,) incipit caput erigere ad libertatem: sed ista inchoata est, non perfecta libertas. Quare, inquit aliquis, non est per-
Rom. 7. 23. fecta libertas? Quia video aliam legem in membris
Ibidem 19. meis, repugnantem legi mentis meæ: non enim quod volo ago, ait, sed quod odi illud facio. Ca-
Galat. 5. 17. ro, inquit, concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, ut non ea quæ vultis illa faciatis. Ex parte libertas, ex parte servitus: nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum æternitas. Habemus enim ex parte C infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quidquid peccatum est à nobis, antea deletum est in baptismo. Numquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hîc viveremus. Quis autem audeat hoc dicere nisi superbus, nisi misericordiâ liberatoris indignus, nisi qui seipsum vult decipere, & in quo veritas non est? Ergo ex eo quod remansit aliquid infirmitatis, audeo dicere, ex qua parte servimus Deo, liberi sumus: ex qua parte servimus legi peccati, adhuc servi sumus. Unde dicit Apostolus quod D
Rom. 7. 22. dicere cœperamus: Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Ecce unde liberi, unde condelectamur legi Dei. Libertas enim delectat. Nam quamdiu timore facis quod justum est, non
a Deus te delectat. Quamdiu adhuc servus facis, te non delectat: delectet te, & liber es. Noli timere pœnam, sed ama justitiam. Nondum potes amare justitiam? time vel pœnam, ut pervenias ad amandam justitiam.

11. Ergo jam ille ex parte superiore liberum
» se esse sentiebat, unde dicebat, Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Delectat me lex, delectat me quod jubet lex, delectat me ipsa
Ibidem 23. justitia. Video autem aliam legem in membris meis:
» hæc est quæ remansit infirmitas: repugnantem legi
» mentis meæ, & captivantem me in lege peccati,
» quæ est in membris meis. Ex hac parte sentit captivitatem, ubi non est impleta justitia: nam ubi condelectatur legi Dei, non captivus, sed legis F amicus est; & ideo liber, quòd amicus. Quid ergo ex eo quod restat? Quid, nisi respiciamus ad illum qui dixit, *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis?* Denique & ipse qui loquebatur, ad illum
Ibidem 24. & 25. » respexit: Infelix ego homo, quis me liberabit, in-
» quit, de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Je-
» sum Christum Dominum nostrum. Ergo *si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Denique ita concluserit: Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Ipse ego, inquit. Non G enim duo sumus inter nos contrarii de diversis principiis venientes: sed ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati, quamdiu languor oblectatur saluti.

12. Sed si carne servis legi peccati, fac quod ait ipse Apostolus: Non ergo regnet peccatum in ve-
Rom. 6. 12. & 13. stro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, « neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis « peccato. Non ait, Non sit; sed, Non regnet. Quamdiu peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur, non fiat quod jubet. Surgit ira? noli dare iræ linguam ad maledicendum; noli dare iræ manum aut pedem ad feriendum. Non surgeret ira ista irrationabilis, nisi peccatum esset in membris: sed tolle illi regnum, B non habeat arma unde contra te pugnet: discet etiam non surgere, cùm arma cœperit non invenire. Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: alioquin toti captivi eritis, & non erit dicere, Mente servio legi Dei. Mens enim si teneat arma, membra non moventur in ministerium furentis peccati. Teneat arcem imperator interior, quia sub majore imperatore juvandus adsistit: frenet iram, coërceat concupiscentiam. Inest tamen quod frenetur, inest quod coërceatur, inest quod teneatur. Quid autem volebat ille justus mente serviens legi Dei, nisi ut omnino non esset quod frenaretur? Et hoc debet conari omnis qui tendit ad perfectionem, ut & ipsa concupiscentia cui non dantur ad obediendum membra, quotidie in proficiente minuatur. Velle, inquit, adjacet mihi, perficere autem bonum non. Numquid dixit, Non mihi adjacet facere bonum? Si hoc dixisset, spes nulla esset. Non ait, Non mihi adjacet facere: sed, Non mihi adjacet perficere. Quæ est enim perfectio boni, nisi consumtio & finis mali? Quæ est autem consumtio mali, nisi quod Lex dicit, Non *Exod. 20.* concupisces? Omnino non concupiscere perfectio *17.* boni est, quia consumtio mali est. Hoc dicebat ille, Perficere bonum non mihi adjacet; quia non poterat facere ut non concupisceret: faciebat tantùm ut concupiscentiam refrenaret, ut concupiscentiæ non consentiret, & concupiscentiæ membra ad satellitium non præberet. Perficere ergo, inquit, bonum non mihi adjacet: non possum im- E plere quod dictum est, Non concupisces. Quid ergo opus est? Ut impleas, Post concupiscentias tuas non eas. Hoc age interim quamdiu insunt illicitæ concupiscentiæ in carne tua, Post concupiscentias *Eccli. 18. 30.* tuas non eas. Mane in servitute Dei, in libertate Christi, mente servi legi Dei tui. Noli te dare concupiscentiis tuis. Sequendo eas, vires eis addis: dando eis vires quomodo vincis, quando contra te inimicos nutris viribus tuis?

13. Quæ igitur libertas plena atque perfecta in illo Domino Jesu qui dixit, *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis:* quando plena & perfecta libertas erit? Quando nullæ inimicitiæ, quando novissima inimica destruetur mors. Oportet enim *1. Cor. 15.* corruptibile hoc induere incorruptionem, & mor- « *53.* tale hoc induere immortalitatem: cùm autem mor- « tale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo « qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. « Ubi est mors contentio tua? Quid est, Ubi est mors contentio tua? Caro concupiscebat adver- *Galat. 5. 17.* sùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, sed quando peccati caro vigebat: Ubi est mors contentio tua? Jam vivemus, jam non moriemur, in illo qui pro nobis mortuus est & resurrexit: ut qui vivunt, inquit, jam non sibi vivant, sed ei qui pro *2. Cor. 5. 15.* ipsis mortuus est & resurrexit. Precemur medicum

a Unus è MSS. omittit *Deus*: fortè legendum, *nondum te delectat.* Mox veteres codices Fossatensis & Carcassonensis prosequuntur sic, *Quamdiu te non delectat, adhuc servus facis.*

saucii

Luc. 10. 34. saucii, portemur in stabulum curandi. Ille est enim A qui promittit sanitatem, qui miseratus est in via semivivum à latronibus derelictum: infudit oleum & vinum, curavit vulnera, levavit in jumentum, perduxit in stabulum, stabulario commendavit.
2. Cor. 5. 20. Cui stabulario? Fortè illi qui dixit, Pro Christo legatione fungimur. Dedit etiam duos nummos, qui impenderentur saucio curando: fortè ipsa sunt
Matth. 22. 40. duo præcepta, in quibus tota Lex pendet & Prophetæ. Ergo Fratres, & Ecclesia hoc tempore, in qua saucius sanatur, stabulum est viatoris: sed ipsi B Ecclesiæ sursum est hereditas possessoris.

TRACTATUS XLII.

Ab eo quod scriptum est, Scio quia filii Abraham estis, sed quæritis me interficere: *usque ad id*, Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

1. DOMINUS noster etiam in forma servi non servus, sed in forma etiam servi do- C minus, (fuit quippe illa carnis forma
Rom. 8. 3. servilis, sed quamvis esset similitudo carnis peccati, non erat caro peccati,) libertatem promisit credentibus in se: Judæi verò tamquam de sua libertate superbientes, dedignati sunt fieri liberi, cùm essent servi peccati. Ideo autem se liberos esse dixerunt, quia semen erant Abrahæ. Quid ergo eis ad hæc responderit Dominus, hodierna lectio cùm
Johan. 8. 37. recitaretur, audivimus. *Scio*, inquit, *quia filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus* D *non capit in vobis.* Agnosco vos, inquit: *filii Abrahæ estis, sed quæritis me interficere.* Agnosco carnis originem, non cordis fidem. *Filii Abrahæ estis*, sed secundùm carnem. Ideo, inquit, *quæritis me occidere: sermo* enim *meus non capit in vobis.* Si sermo meus caperetur, caperet: si caperemini, intra retia fidei tamquam pisces concluderemini. Quid est ergo, *non capit in vobis*? Non capit cor vestrum, quia non recipitur à corde vestro. Sic enim est sermo Dei, & sic esse debet fidelibus, tamquam pisci E hamus: tunc capit quando capitur. Nec fit injuria illis qui capiuntur: ad salutem quippe, non ad perniciem capiuntur. Unde Dominus discipulis suis
Matth. 4. 19. ait, Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Non ergo isti erant tales: & tamen filii Abrahæ erant; filii hominis Dei, homines iniqui. Trahebant enim carnis genus, sed degeneres facti erant, non imitando fidem illius cujus filii erant.

2. Audistis certè Dominum dicentem, *Scio*
Johan. 8. 38. *quia filii Abrahæ estis*: audite quid dicat postea: *Ego* F *quod vidi apud Patrem meum loquor, & vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis.* Jam dixerat, *Scio quia filii Abrahæ estis.* Quid autem faciunt? quod eis dixit, *Quæritis me occidere.* Hoc apud Abraham numquam viderunt. Dominus autem Patrem Deum vult intelligi cùm dicit, *Quæ vidi apud Patrem meum loquor:* Veritatem vidi, veritatem loquor, quia veritas sum. Si enim Dominus veritatem loquitur quam vidit apud Patrem: se vidit, se loquitur; quia ipse est veritas Patris, quam vidit G apud Patrem: ipse est enim Verbum, quod Verbum erat apud Deum. Isti ergo malum quod faciunt, quod Dominus objurgat & corripit, ubi viderunt? apud patrem suum. Cùm audierimus in consequentibus apertiùs dictum quis sit eorum pater, tunc intelligemus qualia viderint apud talem patrem: adhuc enim non nominat patrem ipsorum. Paulò superiùs Abraham commemoravit, sed carnis origine, non vitæ similitudine: dicturus est alterum patrem illorum, qui nec genuit eos, nec creavit ut homines essent; sed tamen filii erant ejus in quantum mali erant, non in quantum homines erant; in quo imitati, non quod creati.

3. *Responderunt, & dixerunt ei, Pater noster Abra-* *v. 39.*
ham est. Quasi, Quid tu dicturus es contra Abraham? aut, Si aliquid potes, aude reprehendere Abraham. Non quia Dominus non audebat reprehendere Abraham; sed talis erat Abraham qui non reprehenderetur à Domino, sed potiùs laudaretur: tamen isti videbantur eum provocare, ut aliquid mali diceret de Abraham, & esset occasio faciendi quod cogitabant. *Pater noster Abraham est.*

4. Audiamus quomodo eis responderit Dominus, cum illorum damnatione laudans Abraham:
Dicit eis Jesus, Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ fa- *cite.** *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui* *v. 40.*
veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo: hoc Abraham non fecit. Ecce ille laudatus, isti damnati. Abraham non erat homicida. Non dico, inquit, Ego Dominus sum Abrahæ: quod si dicerem, verum dicerem. Nam dixit alio loco, Ante Abra- *v. 58.* ham ego sum: tunc cum illi lapidare voluerunt, non dixit hoc. Interim quod videtis, quod adspicitis, quod me solum putatis, homo sum: hominem dicentem vobis quod audivit à Deo, quare vultis occidere, nisi quia non estis filii Abrahæ? Et tamen superiùs ait, *Scio quia filii Abrahæ estis.* Non negat eorum originem, sed facta condemnat: caro eorum ex illo erat, sed vita non erat.

5. Nos autem, Carissimi, numquid de genere venimus Abrahæ, aut ullo modo Abraham pater noster fuit secundùm carnem? Originem de carne ejus caro Judæorum ducit, non caro Christianorum: nos de aliis gentibus venimus; & tamen imitando, Abrahæ filii facti sumus. Audi Apostolum: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus. *Galat. 3. 16.* « Non dicit, inquit, Et seminibus, tamquam in mul- « tis; sed tamquam in uno, Et semini tuo, quod est « Christus. Si autem vos Christi, ergo semen Abra- *Ibidem 29.* hæ estis, secundùm promissionem heredes. Nos ergo facti sumus semen Abrahæ gratiâ Dei. Non de carne Abrahæ fecit illi coheredes Deus. Illos exheredavit, istos adoptavit: & de arbore illa oliva, cujus radix est in Patriarchis, ramos naturales *Rom. 11. 17.* superbos amputavit, humilem oleastrum inseruit. Ideo cùm venirent ad Johannem baptizandi Judæi, erupit in illos, & ait illis, Generatio viperarum. *Matth. 3. 7.* *&c.* Maximè quippe de altitudine originis gloriabantur: ille autem generationem eos dixit viperarum; non saltem hominum, sed viperarum. Hominum formam videbat, sed venenum agnoscebat. Venerant tamen a mutandi, quia utique baptizandi: & a ait illis, Generatio viperarum, quis vobis ostendit « fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos « pœnitentiæ. Et nolite dicere intra vos ipsos, Pa- « trem habemus Abraham: potens est enim Deus de « lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Si fructus di- « gnos pœnitentiæ non feceritis, nolite vobis de illa stirpe blandiri: potens est Deus & vos damnare, & Abraham filiis non fraudare. Habet enim unde excitet filios Abrahæ: fient filii qui fidem fuerint imitati: potens est Deus de lapidibus istis suscitare

a Sic in omnibus MSS. At in editis, *mundandi.*

filios Abrahæ. Nos sumus : in parentibus nostris A lapides eramus, quando pro Deo lapides colebamus ; de talibus lapidibus familiam Deus fecit Abrahæ.

6. Quid se ergo extollit inanis & vana jactatio ? Filii Abrahæ gloriari jam desinant : audierunt quod audire debuerunt, *Si filii Abrahæ estis*, factis probate, non verbis. *Quæritis me occidere hominem* : interim non dico Filium Dei, non dico Deum, non dico Verbum, quia non moritur Verbum : hoc dico quod videtis, quia & quod videtis potestis occi- B dere, & quem non videtis offendere. *Hoc* ergo
Johan.8.41. *Abraham non fecit.* * *Vos facitis opera patris vestri.* Et adhuc non dicit, quis est iste pater eorum.

7. Modò illi quid responderunt. Cœperunt enim utcumque cognoscere, non de carnis generatione Dominum loqui, sed de vitæ institutione. Et quia consuetudo Scripturarum est, quas legebant, fornicationem spiritaliter appellare, cùm diis multis & falsis anima tamquam prostituta subjicitur, ad
Ibidem. hoc responderunt : *Dixerunt itaque ei, Nos ex for-* C *nicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum.* Jam viluit Abraham. Repulsi enim sunt, quomodo repelli debuerunt ore veridico : quia talis erat Abraham, cujus facta non imitabantur, & de illius genere gloriabantur. Et mutaverunt responsionem ; credo, dicentes apud semetipsos, Quotiescumque nominaverimus Abraham, dicturus est nobis, Quare non imitamini eum, de cujus genere gloriamini? Nos sanctum, justum, innocentem, tantum virum imitari non possumus : Deum dicamus patrem D nostrum, videamus quid nobis dicturus est.

8. Prorsus falsitas invenit quod diceret, & non inveniret veritas quid responderet ? Audiamus quid dicant, audiamus quid audiant : *Vnum*, in-
v. 42. quiunt, *patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus, Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me : ego enim ex Deo processi & veni. Neque enim à meipso veni, sed ille me misit.* Dicitis Deum patrem, agnoscite me vel fratrem. Verumtamen erexit intelligentibus cor, & illud tetigit quod solet dicere, *Non à meip-* E *so veni, ille me misit, à Deo processi & veni.* Mementote quid soleamus dicere, Ab illo venit ; & à quo
Missio Christi. Processio Verbi. venit, cum illo venit. Christi ergo missio, est incarnatio. Quod verò de Deo processit Verbum, æterna processio est : non habet tempus, per quem factum est tempus. Nemo dicat in corde suo, Antequam esset Verbum, quomodo erat Deus ? Numquam dicas, Antequam esset Verbum Dei. Numquam Deus sine Verbo fuit ; quia Verbum est manens, non transiens ; Deus, non sonus ; per quem factum F est cælum & terra, non quod præteriit cum iis quæ facta sunt super terram. Ergo ab illo processit ut Deus, ut æqualis, ut Filius unicus, ut Verbum Patris : & venit ad nos, quia Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Adventus ejus, humanitas ejus : mansio ejus, divinitas ejus : divinitas ejus quò imus, humanitas ejus quà imus. Nisi nobis fieret quà iremus, numquam ad illum manentem perveniremus.

v. 43. 9. *Quare*, inquit, *loquelam meam non cognoscitis?* G *Quia non potestis audire sermonem meum.* Ideo non poterant cognoscere, quia non poterant audire. Sed unde audire non poterant, nisi quia corrigi credendo nolebant ? Et hoc unde ? *Vos à patre diabolo estis.* Quamdiu patrem commemoratis ? Quamdiu patres mutatis, modò Abraham, modò Deum ? Audite à Filio Dei, cujus sitis filii. *A patre diabolo estis.*

10. Hîc jam cavenda est hæresis Manichæorum, Manichæorum hæresis. quæ dicit esse quamdam naturam mali & quamdam gentem tenebrarum cum principibus suis, quæ ausa est pugnare contra Deum : illum verò Deum, ne debellaret gens adversa regnum ejus, misisse contra eam tamquam viscera sua principes de luce sua ; eamque gentem fuisse debellatam, unde diabolus originem ducit. Hinc dicunt ducere originem carnem nostram ; & secundùm hoc putant dictum à Domino, *Vos à patre diabolo estis*, quòd es- B sent illi velut naturâ mali, ducentes originem de gente contraria tenebrarum. Sic errant, sic excæcantur, sic seipsos faciunt gentem tenebrarum, credendo quod falsum est contra eum à quo creati sunt. Bona est enim omnis natura, sed vitiata est hominis natura per voluntatem malam. Quod fecit Deus non potest esse malum, si ipse homo non sit sibi malus : sed planè Creator, Creator est ; creatura, creatura est ; æquari creatura non potest Creatori. Discernite cum qui fecit, ab eo quod fecit. Æquari non potest fabro scamnum, æquari non potest columna structori : & tamen faber si scamnum fecit, lignum ipse non creavit. Dominus autem Deus noster quia omnipotens est, & Verbo fecit quod fecit : omnia quæ fecit non habuit unde faceret, & tamen fecit. Facta sunt enim quia voluit, facta sunt quia dixit : sed facta factori comparari non possunt. Quæris quod compares, Filium unicum agnosce. Unde ergo Judæi filii diaboli ? Imitando, non nascendo. Audite Scripturæ san- C ctæ consuetudinem : Propheta dicit ad ipsos Judæos, Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. *Ezech.16.3.* Amorrhæi gens erat quædam, unde originem Judæi non ducebant : Cethæi & ipsi gentem suam habebant, omnino alienam à genere Judæorum. Sed quia erant impii Amorrhæi & Cethæi, Judæi autem imitati sunt impietates illorum ; invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur. Quæritis autem fortasse, unde ipse diabolus ? Inde utique unde & ceteri Angeli. Sed ceteri Angeli in sua obe- E dientia perstiterunt : ille inobediendo & superbiendo lapsus est angelus, & factus est diabolus.

11. Sed modò audite quid dicat Dominus : *Vos*, *Iohan. 8.* inquit, *à patre diabolo estis, & desideria patris vestri* 44. *vultis facere.* Ecce unde filii ejus : quia talia desideratis, non quia de illo nati estis. Quæ sunt illius desideria ? *Ille homicida erat ab initio.* Ecce quod est, *desideria patris vestri facere vultis : Quæritis me occidere, hominem qui veritatem vobis dico.* Et ille invi- dit homini, & occidit hominem. Diabolus enim F cùm invideret homini, serpente indutus locutus est *Gen. 3.1.* mulieri, & de muliere venenavit & virum. Mortui sunt diabolum audiendo, quem non audissent, si Dominum audire voluissent : positus enim homo inter eum qui creavit, & eum qui lapsus est, obtemperare debuit Creatori, non deceptori. Ergo *ille homicida erat ab initio.* Videte genus homicidii, Fratres. Homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem venit, verbum malum seminavit, & occidit. Noli ergo *De pœn. dist.* putare te non esse homicidam, quando fratri tuo *1. cap.* Noli. mala persuades : si fratri tuo mala persuades, occidis. Et ut scias quia occidis, audi Psalmum, Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lin- *Psal. 56.5.* gua eorum machæra acuta. Vos ergo *desideria patris vestri vultis facere* : ideo sævitis in carnem, quia *Iohan. 8.* non potestis in mentem. *Ille homicida erat ab initio:* 44.

utique in primo homine. Ex illo ille homicida, ex A quo potuit fieri homicidium : ex illo potuit fieri homicidium, ex quo factus est homo. Non enim posset occidi homo, nisi priùs fieret homo. *Homicida* ergo *ille ab initio.* Et unde homicida ? *Et in veritate non stetit.* Ergo in veritate fuit, sed non stando cecidit. Et quare *in veritate non stetit? Quia veritas non est in eo.* Non quomodo in Christo, sic est veritas, ut Christus ipse sit veritas. Si ergo iste in veritate stetisset, in Christo stetisset : sed *in veritate non stetit, quia veritas non est in eo.* B

Ibidem. 12. *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est & pater ejus.* Quid est hoc ? Audistis verba Evangelii, intenti accepistis : ecce repeto ut agnoscatis quid exigatis. De diabolo Dominus ea dicebat, quæ de diabolo dici à Domino debuerunt. *Ille homicida erat ab initio*, verum est : nam primum hominem occidit : *& in veritate non stetit*, quia de veritate lapsus est. *Cùm loquitur mendacium,* utique ipse diabolus, *de propriis loquitur ; quia men-* C *dax est, & pater ejus.* In his verbis quidam patrem diabolum habere putaverunt, & quæsierunt quis
Manichæorum error. esset diaboli pater. Hîc verò detestabilis error Manichæorum invenit adhuc quà deciperet imperitos. Solent enim dicere, Puta diabolus angelus fuit, & lapsus est : ab illo cœpit peccatum, sicut dicitis : Pater ejus quis erat ? Nos contrà, Quis enim nostrûm aliquando dixit diabolum habere patrem ? Et illi contrà, Dominus dicit, Evangelium loquitur, de diabolo dicens, ait, *Ille homicida erat ab initio,* D *& in veritate non stetit ; quia veritas non est in eo : cùm loquitur mendactum, de propriis loquitur ; quia mendax est & pater ejus.*

13. Audi, intellige ; non te longè mitto, in ipsis verbis intellige. Diabolum Dominus dixit patrem mendacii. Quid est hoc ? Audi quid sit, replica modò ipsa verba, & intellige. Non omnis enim qui mentitur, pater mendacii sui est. Si enim ab alio mendacium accepisti, & dixisti ; tu quidem mentitus es proferendo mendacium : sed pater mendacii ipsius non es, quia ab altero accepisti E mendacium. Diabolus autem à seipso mendax fuit : mendacium suum ipse genuit, à nemine audivit. Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem : sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium. His auditis, replica nunc & recole verba Domini : mens catholica quid audieris adverte, quid dicat adtende. *Ille*, Quis ? Diabolus : *homicida erat ab initio.* Agnoscimus, occidit Adam. *Et in veritate non stetit.* Agnoscimus, quia de veritate lapsus est. *Quia veritas non est in eo.* Verum est, recedendo à F veritate, non habet veritatem. *Cùm loquitur mendacium, de propriis loquitur.* Non aliunde accipit unde loquatur. *Cùm loquitur mendacium, de propriis loquitur ; quia mendax est, & pater ejus.* Et mendax est, & pater mendacii. Nam tu fortè mendax es, quia mendacium loqueris : sed non es pater ejus. Si enim quod dicis à diabolo accepisti, & diabolo credidisti ; mendax es, pater mendacii non es : ille verò quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tamquam veneno serpens hominem occide- G ret, pater est mendacii ; sicut Deus Pater est veritatis. Recedite à patre mendacii, currite ad Patrem veritatis : amplectimini veritatem, ut accipiatis libertatem.

14. Illi ergo Judæi apud patrem suum viderunt quod loquebantur : quid, nisi mendacium ? Dominus autem apud Patrem suum vidit quod loquere-

tur : quid, nisi seipsum ? quid, nisi Verbum Patris ? quid, nisi veritatem Patris æternam, & Patri coæternam ? *Ille* ergo *homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas non est in eo : cùm loquitur mendacium, de propriis loquitur ; quia mendax est.* Et non solùm mendax est, sed *& pater ejus est* : id est, ipsius mendacii quod loquitur, pater est, quia ipse genuit mendacium suum. * *Ego autem quia* *v. 45.* *veritatem dico, non creditis mihi.* * *Quis ex vobis ar-* *v. 46.* *guit me de peccato ?* quomodo ego arguo & vos & patrem vestrum. *Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi ?* nisi quia filii diaboli estis.

15. * *Qui est ex Deo, verba Dei audit : propterea* *v. 47.* *vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Iterum nolite adtendere naturam, sed vitium. Sic sunt isti ex Deo, & non sunt ex Deo : naturâ ex Deo, vitio non ex Deo. Obsecro vos adtendite : in Evangelio habetis unde sanemini contra errores venenosos & nefarios hæreticorum. Quoniam & de his verbis solent Manichæi dicere, Ecce, quia duæ naturæ sunt, Manichæus refellit. una bona, & altera mala : Dominus dicit. Quid dicit Dominus ? *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Dicit hæc Dominus. Quid ergo, inquit, tu ad ista dicis ? Audi quæ dicam. Et ex Deo sunt, & ex Deo non sunt : naturâ ex Deo sunt, vitiò non sunt ex Deo : natura enim bona quæ ex Deo est ; peccavit voluntate, credendo quod diabolus persuasit, & vitiata est : ideo medicum quærit, quia sana non est. Ecce quod dico. Sed impossibile tibi videtur ut ex Deo sint, & ex Deo non sint : audi quia non est impossibile. Sic sunt ex Deo, & non sunt ex Deo, quomodo & filii Abrahæ sunt, & non sunt filii Abrahæ. Hîc habetis, non est quod dicatis. Ipsum Dominum audi, ipse illis dixit, *Scio* *v. 37.* *quia filii Abrahæ estis.* Numquid Dominus mentiretur ? absit. Ergo verum est quod Dominus dixit : verum est. Verum est ergo quòd illi Abrahæ filii erant : verum est. Audi ipsum negantem. Qui dixit, *Filii Abrahæ estis*, ipse illos negavit filios Abrahæ. * *Si filii Abrahæ estis, facta Abrahæ facite.* * *Nunc* *v. 39. v. 40.* *autem quæritis me occidere, hominem qui veritatem vobis dico, quam audivi à Deo : hoc Abraham non fecit.* * *Vos facitis opera patris vestri*, id est diaboli. Quo- *v. 41.* modo ergo & filii Abrahæ erant, & filii Abrahæ non erant ? Utrumque in illis ostendit : & filii Abrahæ erant, propter originem carnis ; & non erant filii Abrahæ, propter vitium diabolicæ persuasionis. Sic & Dominum & Deum nostrum adtendite : & ex illo erant, & ex illo non erant. Quomodo ex illo erant ? quia ipse creavit hominem de quo nati erant. Quomodò ex illo erant ? quia ipse est conditor naturæ, ipse est creator carnis & animæ. Quomodo ergo ex illo non erant ? quia vitiosi à seipsis facti erant. Ex illo non erant, quia imitando diabolum, filii diaboli facti erant.

16. Venit ergo Dominus Deus ad hominem peccatorem. Duo nomina audisti, & hominem, & peccatorem. Quod homo est, ex Deo est : quod peccator est, non est ex Deo. A natura vitium secernatur : agnoscatur natura, unde Creator laudetur : agnoscatur vitium, propter quod medicus invocetur. Quod ergo ait Dominus, *Qui est ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis :* non naturarum merita discrevit, aut præter suam animam & carnem, aliquam naturam in hominibus quæ peccato vitiata non esset, invenit : sed quoniam præscierat qui fuerant crediturí, ipsos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adop-

tione renascerentur ex Deo. Ad hos pertinet, *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Quod verò sequitur, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis:* eis dictum est, qui non solùm peccato vitiosi erant, (nam hoc malum commune erat omnibus,) sed etiam præcogniti quòd non fuerant credituri, ea fide qua sola possent à peccatorum obligatione liberari. Quapropter præsciebat illos quibus talia dicebat, in eo permansuros quod ex diabolo erant, id est, in suis peccatis atque impietate morituros, in qua ei similes erant: nec venturos ad regenerationem in qua essent filii Dei, hoc est ex Deo nati, à quo erant homines creati. Secundùm hanc prædestinationem locutus est Dominus: non quòd aliquem hominum invenerit, qui vel secundùm regenerationem jam esset ex Deo, vel secundùm naturam jam non esset ex Deo.

TRACTATUS XLIII.

Ab eo quod scriptum est, Responderunt igitur Judæi & dixerunt ei: *usque ad id,* Tulerunt ergo lapides Judæi ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

1. IN ista lectione sancti Evangelii, quæ hodie recitata est, à potentia discimus patientiam. Quid enim sumus servi ad Dominum, peccatores ad justum, creatura ad Creatorem? Tamen quomodo si quid mali sumus, à nobis sumus: ita quidquid boni sumus, ab illo & per illum sumus. Et nihil sic quærit homo quomodo potentiam: habet Dominum Christum magnam potentiam: sed priùs ejus imitetur patientiam, ut perveniat ad potentiam. Quis nostrûm patienter audiret si alicui diceretur, *Dæmonium habes?* Quod dictum est ei qui non solùm homines salvabat, sed etiam dæmonibus imperabat.

Johan. 8. 48. 2. Hoc enim cùm dixissent Judæi, *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* Horum duorum sibi objectorum unum negavit, alterum non negavit. Respondit enim, & ait, *v. 49. Ego dæmonium non habeo.* Non dixit, Samaritanus non sum: & utique duo fuerant objecta. Quamvis maledictum maledicto non reddiderit, quamvis convicium non convicio refutaverit: pertinuit tamen ad eum negare unam rem, alteram non negare. Non frustra, Fratres: Samaritanus enim interpretatur custos. Noverat se ille nostrum esse custo- *Psal. 120 4.* dem. Non enim dormit neque dormitat qui custo- *Psal. 126, 1.* dit Israël: &, Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabunt qui custodiunt. Est ergo ille custos noster, qui creator noster. Num enim pertinuit ad eum ut redimeremur, & non pertineret ut servaremur? Denique ut pleniùs noveritis mysterium quare se Samaritanum negare non debuit, *Luc. 10. 30.* parabolam illam notissimam adtendite, ubi homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui eum graviter vulnerantes, semivivum in via reliquerunt. Transiit sacerdos, neglexit eum: transiit Levites, & ipse præteriit: transiit quidam Samaritanus, ipse est custos noster, ipse accessit ad saucium, ipse impendit misericordiam, eique se præstitit proximum, quem non deputavit alienum. Ad hoc ergo solum quòd dæmonium non haberet, non autem se Samaritanum non esse, respondit.

Johan. 8. 49. 3. Deinde post tale convicium, hoc solum dixit de gloria sua, *Sed honorifico,* inquit, *Patrem meum, & vos inhonoratis me.* Hoc est, Ego me non honorifico, ne vobis arrogans videar, habeo quem honorificem: sed si vos me agnosceretis, sicut ego honorifico Patrem, sic & vos honorificaretis me: ego facio quod debeo, vos non facitis quod debetis.

4. *Ego autem,* inquit, *non quæro gloriam meam,* *v. 50.* *est qui quærat & judicet.* Quem vult intelligi, nisi Patrem? Quomodo ergo alio loco dicit, Pater non *Johan. 5. 22.* judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio: & hîc dicit, *Non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet?* Si ergo judicat Pater, quomodo non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio?

5. Hanc quæstionem ut solvamus, adtendite: simili locutione solvi potest. Scriptum habes, Deus *Jac. 1. 13.* neminem tentat: & iterum scriptum habes, Ten- *Deut. 13. 3.* tat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum. Nempe quæstio est, videtis. Quomodo enim Deus neminem tentat, & quomodo tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum? Item scriptum est, Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem: & alio loco scriptum est, Timor Domini castus permanens in sæculum sæculi. Et ipsa quæstio est. Quomodo enim perfecta caritas foras mittit timorem, si timor Domini castus permanet in sæculum sæculi? *1. Johan. 4. 18.* *Psal. 18. 10.*

6. Intelligimus ergo duas esse tentationes, unam quæ decipit, alteram quæ probat: secundùm eam quæ decipit, Deus neminem tentat; secundùm eam quæ probat, tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum. Sed iterum & hîc alia nascitur quæstio, quomodo tentat ut sciat, quem latere nihil potest antequam tentet. Non ergo Deus nescit: sed dictum est, ut sciat, quod est ut scire vos faciat. Locutiones tales & in sermonibus nostris sunt, & in auctoribus eloquentiæ reperiuntur. De sermone nostro aliquid dicam. Fossa cæca dicitur, non quia ipsa oculos perdidit, sed quia latendo non videntes facit. Aliquid & de illis auctoribus dicam. Tristes lupinos ait quidam, hoc est amaros: non *Virg. 1. Georgic.* quia ipsi sunt tristes, sed quia gustati contristant, hoc est tristes faciunt. Sunt ergo & in Scripturis locutiones ejusmodi. Qui in talibus quæstionibus cognoscendis laborant, in solvendis talibus quæstionibus non laborant. Ergo tentat vos Dominus Deus vester ut sciat: quid est, ut sciat? Ut scire vos faciat, si diligitis eum. Job latebat se, sed Deum non latebat: admisit tentatorem, & fecit eum sui cognitorem. Tentatio alia deceptionis, alia probationis.

7. Quid de duobus timoribus? Est timor servilis, & est timor castus: est timor ne patiaris pœnam, est alius timor ne amittas justitiam. Timor ille ne patiaris pœnam, servilis est. Quid magnum est timere pœnam? Hoc & nequissimus servus, hoc & crudelissimus latro. Non est magnum timere pœnam, sed magnum est amare justitiam. Qui ergo amat justitiam, nihil timet? Timet planè: non ne incidat in pœnam, sed ne amittat justitiam. Fratres mei, credite, & conjicite ex eo quod amatis. Amat aliquis vestrûm pecuniam. Putas invenio aliquem qui non amet? Ex hoc tamen ipso quod amat, intelligat quod dico. Timet damnum: quare timet damnum? quia pecuniam diligit. Quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam. Ergo invenitur aliquis amator justitiæ, qui plus in corde damnum pertimescat, qui plus timeat exspoliari justitiâ, quàm tu pecuniâ. Ipse est timor castus, ipse permanet in sæculum sæculi: non eum tollit caritas, nec foras mittit, sed magis comple- Timor servilis & timor castus.

ctitur, & comitem tenet simul & possidet. Venimus enim ad Dominum, ut videamus facie ad faciem: ibi timor castus nos servat: timor enim ille non perturbat, sed confirmat. Timet mulier adultera ne vir ejus veniat, timet & casta ne vir ejus abscedat.

8. Ergo sicut secundùm aliam tentationem, Deus neminem tentat; secundùm aliam verò, tentat vos Dominus Deus vester: & secundùm alium timorem, timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem; secundùm verò alium timorem, timor Domini castus permanet in sæculum sæculi: sic & hoc loco secundùm alterum judicium Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio; secundùm verò alterum judicium, *Ego,* inquit, *non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet.*

9. Et de ipso verbo quæstio ista solvatur. Habes in Evangelio commemoratum pœnale judicium, *Johan. 3. 18.* Qui non credit, jam judicatus est: & alio loco, *Johan. 5. 28.* Veniet hora quando ii qui sunt in monumentis audient vocem ejus, & procedent qui bene fecerunt in resurrectionem vitæ, qui malè egerunt in resurrectionem judicii. Videte quemadmodum judicium pro damnatione & pœna posuit. Et tamen si semper judicium pro damnatione acciperetur, numquid audiremus in Psalmo, Judica me Deus? Ibi judicium secundùm afflictionem, hîc judicium secundùm discretionem positum est. Quomodo secundùm discretionem? Quomodo exponit ipse qui ait, Judica me Deus. Lege enim & vide quid sequitur. Quid est, Judica me Deus? Et discerne causam meam, inquit, de gente non sancta. Quod ergo dictum est, Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, secundùm hoc ait modò Dominus Christus, *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet.* Quomodo *est qui quærat & judicet?* Est Pater qui gloriam meam à vestra gloria discernat & separet. Vos enim secundùm hoc sæculum gloriamini: ego non secundùm *Johan. 17. 5.* hoc sæculum glorior, qui Patri dico, Pater, glorifica me eâ gloriâ, quam habui apud te, antequam mundus esset. Quid est, eâ gloriâ? ab humana inflatione discreta. Secundùm hoc judicat Pater. Quid est, judicat? discernit. Quid discernit? gloriam Filii sui à gloria hominum, quia ideo dictum *Psal. 44. 8.* est, Unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis. Non enim quia homo factus est, jam comparandus est nobis. Nos homines cum peccato, ille sine peccato: nos homines trahentes de Adam & mortem & delictum, ille de virgine carnem mortalem, nullam iniquitatem. Denique nos nec quia volumus nati sumus, nec quamdiu volumus vivimus, nec quomodo volumus morimur! ille antequam nasceretur elegit de qua nasceretur, natus fecit ut à Magis adoraretur, crevit infans, & miraculis se Deum ostendebat, & infirmitate hominem præferebat. Postremò elegit & genus mortis, hoc est, ut in cruce penderet, & ipsam crucem in frontibus fidelium figeret: ut dicat Christianus, *Galat. 6. 14.* Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. In ipsa cruce quando voluit, corpus dimisit, & abscessit: in ipso sepulcro quamdiu voluit, jacuit; quando voluit, tamquam de lecto surrexit. Ergo, Fratres, secundùm ipsam formam servi, (nam illud quis dignè loquitur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum?) secundùm ipsam, inquam, Judicium aliud damnationis, aliud discretionis. *Psal. 42. 1.*

formam servi multum interest inter gloriam Christi, & gloriam hominum ceterorum. De ipsa gloria dicebat, quando quòd dæmonium haberet audiebat, *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet.*

10. Tu autem de te Domine quid dicis? *Amen,* *Johan. 8. 51.* *amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Vos, inquit, dicitis, *Dæmonium habes:* ego vos ad vitam voco: servate sermonem meum, & non moriemini. Illi audiebant, *Mortem non videbit in æternum qui sermonem meum servaverit:* & irascebantur, quia jam mortui erant illa morte, quæ vitanda erat. *Dixerunt ergo* *v. 52.* *Judæi, Nunc cognovimus quia dæmonium habes: Abraham mortuus est & Prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.* Videte locutionem Scripturarum: *Mortem non videbit,* id est *gustabit. Mortem videbit, mortem gustabit.* Quis videt? quis gustat? Quos oculos habet homo, ut videat quando moritur? Quando veniendo mors ipsos oculos claudit ne aliquid videant: quomodo dicitur *non videbit mortem?* Item quo palato, quibus faucibus mors gustatur, ut quid sapiat dignoscatur? Quando totum sensum tollit, quid in palato remanebit? Sed *videbit* dictum est, & *gustabit,* pro eo quod est experietur.

11. Hæc Dominus, parum est si dicam, moriturus, loquebatur moriturus: quia & Domini exitus mortis, sicut loquitur Psalmus. Cùm ergo & *Psal. 67. 21.* moriturus loqueretur, & moriturus loqueretur, quid sibi vult quod ait, *Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum:* nisi quia videbat Dominus aliam mortem, de qua nos liberare venerat, mortem secundam, mortem æternam, mortem gehennarum, mortem damnationis cum diabolo & angelis ejus? Ipsa est vera mors: nam ista migratio est. Quid est ista mors? Relictio corporis, depositio sarcinæ gravis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gehennas præcipitetur. De ipsa ergo morte Dominus dixit, *Mortem non videbit in æternum, qui sermonem meum servaverit.*

12. Non expaveſcamus istam mortem, sed illam timeamus. Quod est autem gravius, multi perversè timendo istam, inciderunt in illam. Dictum est aliquibus, Adorate idola, quòd si non feceritis, interficiemini: aut quemadmodum ille Nabuchodonosor dixit, Si non feceritis, mittemini in cami- *Dan. 3. 15.* num ignis ardentis. Multi timuerunt & adoraverunt, nolentes mori mortui sunt: timendo mortem quæ non evaditur, inciderunt in mortem quam evadere feliciter possent, si istam quæ non evaditur infeliciter non timerent. Natus es homo, moriturus es. Quà ibis, ut non moriaris? quid facies ut non moriaris? Ut Dominus tuus necessitate morituram consolaretur, voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum mortuum, dedignaris mori? Ergo moriturus es: quà evadas hoc, non habes. Hodie sit, cras sit, futurum est, debitum est reddendum. Quid ergo agit homo timens, fugiens, occultans se ne inveniatur ab inimico? Numquid agit ut non moriatur? Sed ut paulò seriùs moriatur. Non accipit debiti securitatem, sed postulat dilationem. Quantumlibet diu differatur, veniet quod differtur. Illam mortem timeamus quam timuerunt tres viri, quando dixerunt regi, Potens est *ibidem 17.* Deus etiam de ista flamma liberare nos, sed & si non. Ibi fuit timor illius mortis, quam modò Dominus comminatur, quando dixerunt, Sed & si Mors non corporis, sed animæ timenda.

noluerit apertè liberare, potest in occulto corona-
re. Unde & ipse Dominus facturus Martyres, & ca-
Matth. 10. 28. put Martyrum futurus ait, Nolite timere eos qui
Luc. 12 4. occidunt corpus, & postea non habent quid fa-
ciant. Quomodo non habent quid faciant? Quid si
cùm occiderint, corpus bestiis lacerandum & diri-
piendum alitibus projiciant? videtur adhuc sævitia
habere quod faciat. Sed cui facit? qui migravit.
Inest corpus, sed nullus est sensus. Habitatio jacet,
habitator abscessit. Ergo postea non habent quid
faciant: non sentienti enim nihil faciunt. Sed eum
» timete qui habet potestatem & corpus & animam
» occidere in gehenna ignis. Ecce de qua morte lo-
quebatur, cùm diceret, *Qui sermonem meum serva-
verit, mortem non videbit in æternum.* Servemus er-
go, Fratres, sermonem ipsius in fide: perventuri
ad speciem, cùm acceperimus plenissimam liber-
tatem.

13. Isti autem indignantes mortui, & morti
sempiternæ prædestinati, respondebant convicio-
Iohan. 8 52. sè, & dicebant, *Modò cognovimus quia dæmonium
habes: Abraham mortuus est & Prophetæ.* Sed ista
morte quam Dominus vult intelligi, nec Abraham
mortuus est, nec Prophetæ. Illi enim mortui sunt,
& vivunt: isti vivebant, & mortui erant. Nam res-
pondens quodam loco Sadducæis moventibus quæ-
stionem de resurrectione, hoc ait ipse Dominus,
Matth. 22. 31. & 32. *Exod.* 3. 6. De resurrectione autem mortuorum non legistis,
quomodo ait Dominus de rubo ad Moysen, Ego
» sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Ja-
» cob? Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Si
a ergo illi vivunt, laboremus sic vivere, [a] ut cum il-
Iohan. 8 53. lis vivere possimus cùm mortui fuerimus. *Quem te-
ipsum facis*, inquiunt, ut dicas, *Mortem non videbit
in æternum qui sermonem meum servaverit:* cùm scias
& Abraham mortuum & Prophetas?

v. 54. 14. *Respondit Iesus, Si ego glorifico meipsum, glo-
ria mea nihil est: est Pater meus qui glorificat me.* Hoc
ait propter illud quod dixerunt, *Quem teipsum fa-
cis?* Refert enim gloriam suam ad Patrem, de quo
Ariani. est quod Deus est. Aliquando Ariani & de isto
verbo calumniantur fidei nostræ, & dicunt, Ecce
major est Pater, quia utique glorificat Filium. Hæ-
retice, non legisti & ipsum Filium dicentem, quòd
Iohan. 17. 4. glorificet Patrem suum? Si & ille Filium glorificat,
& Filius Patrem glorificat: pone pervicaciam,
agnosce æqualitatem, corrige perversitatem.

15. *Est* ergo, inquit, *Pater meus qui glorificat
Iohan.* 8 55. *me, quem vos dicitis, quia Deus noster est,* * *& non
cognovistis eum.* Videte, Fratres mei, quemadmo-
dum ostendat ipsum Deum Patrem esse Christi,
qui annuntiatus est & Judæis. Propterea dico, quia
rursus quidam hæretici dicunt Deum annuntiatum
in veteri Testamento, non esse Patrem Christi:
sed nescio quem principem malorum angelorum.
Manichæi. Marcionitæ. Manichæi sunt qui ista dicunt, Marcionitæ sunt qui
ista dicunt. Sunt & alii fortasse hæretici, quos
commemorare vel non opus est, vel à me omnes
recoli in præsentia non possunt: non defuerunt ta-
men qui hoc dicerent. Itaque adtendite, ut habeatis
quid dicatis & contra ipsos. Eum dicit Patrem suum
Dominus Christus, quem illi dicebant Deum suum,
& non cognoverunt: si enim ipsum cognovissent,
ejus Filium recepissent. *Ego autem*, inquit, *novi
eum.* Secundùm carnem judicantibus potuit & hinc
arrogans videri, quia dixit, *Ego novi eum.* Sed vi-

[a] Am. Bad. Er. & plures MSS. *& cum illis vivere*: omisso, *possimus.*

dete quid sequatur: *Si dixero quia non novi eum, ero
similis vobis mendax.* Ergo ARROGANTIA non
ita caveatur, ut veritas relinquatur. *Sed scio eum,
& sermonem ejus servo.* Sermonem Patris tamquam
Filius loquebatur: & ipse erat Verbum Patris, quod
hominibus loquebatur.

16. *Abraham pater vester exsultavit ut videret* *v.* 56.
diem meum, & vidit, & gavisus est. Magnum te-
stimonium perhibet Abrahæ, semen Abrahæ, crea-
tor Abrahæ: *Abraham exsultavit*, inquit, *ut vide-
ret diem meum.* Non timuit, sed *exsultavit ut vide-
ret.* Erat enim in illo caritas, quæ foras mittit ti- 1. *Iohan.* 4.
morem. Non ait, exsultavit quia vidit: sed, *exsul-* 18.
tavit ut videret. Credens utique exsultavit sperando, ut videret intelligendo. *Et vidit.* Et quid potuit plus dicere, vel quid debuit plus dicere Dominus Jesus Christus? *Et vidit*, inquit, *& gavisus est.* Quis explicat hoc gaudium, Fratres mei? Si gavisi sunt illi quibus Dominus oculos carnis aperuit, quale gaudium fuit [b] videntis cordis oculis lucem ineffa- b
bilem, Verbum manens, splendorem piis mentibus
refulgentem, sapientiam indeficientem, apud Pa-
trem manentem Deum, & aliquando in carne ven-
turum, nec de Patris gremio recessurum? Totum
hoc vidit Abraham. Nam quod ait *diem meum*, in-
certum potest esse unde dixerit, utrùm diem Do-
mini temporalem quo erat venturus in carne, an
diem Domini qui nescit ortum, nescit occasum.
Sed ego non dubito patrem Abraham totum scisse.
Et ubi inveniam? An sufficere nobis debet testi-
monium Domini nostri Jesu Christi? Putemus nos
invenire non posse, quia fortè difficile est, quomo-
do manifestum sit quòd Abraham *exsultavit ut vi-
deret diem* Christi, *& vidit & gavisus est.* Et si nos
non invenimus, numquid mentiri veritas posset?
Credamus veritati, & de Abrahæ meritis minimè
dubitemus. Tamen audite unum locum, qui mihi
interim occurrit. Pater Abraham quando misit ser-
vum suum, ut peteret uxorem filio suo Isaac, hoc
eum sacramento obstrinxit, ut fideliter quod ju-
bebatur impleret, & sciret etiam ipse quid faceret.
Magna enim res agebatur, quando Abrahæ semini
conjugium quærebatur. Sed ut hoc cognosceret
servus quod noverat Abraham, quia nepotes non
carnaliter desiderabat, nec de genere suo aliquid
carnale sapiebat; ait servo suo quem mittebat, Po- *Gen.* 24. 2.
ne manum sub femore meo, & jura per Deum cæli.
Quid vult Deus cæli ad femur Abrahæ? Jam intel-
ligitis sacramentum: per femur, genus. Ergo quæ
fuit illa juratio, nisi quia significabatur de genere
Abrahæ venturum in carne Deum cæli? Stulti re-
prehendunt Abraham, quia dixit, Mitte manum
sub femore meo. Qui reprehendunt carnem Chri-
sti, reprehendunt factum Abrahæ. Nos autem, Fra-
tres, si agnoscimus carnem Christi venerandam,
illud femur non contemnamus, sed in prophetia di-
ctum accipiamus. Etenim propheta erat Abraham.
Cujus propheta? Seminis sui & Domini sui. Semen
suum significavit dicendo. Mitte manum sub femo-
re meo: Dominum suum significavit addendo, &
jura per Deum cæli.

17. Irati Judæi responderunt, *Quinquaginta an-* *Iohan.* 8. 57.
nos nondum habes, & Abraham vidisti? Et Domi-
nus: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fie-* *v.* 58.
ret, ego sum. Appende verba, & cognosce mys-
terium. *Antequam Abraham fieret.* Intellige, *fieret* ad

[b] Sic MSS. At editi, *videntibus cordis oculis.* Quamquam vox *oculis* abest à Bad. & MSS. nonnullis.

humanam facturam, *sum* verò ad divinam perti-
nere substantiam. *Fieret*, quia creatura est Abra-
ham. Non dixit, Antequam Abraham esset ego
eram; sed, *Antequam Abraham fieret*, qui nisi per
me non fieret, *ego sum.* Neque hoc dixit, Ante-
Gen. 1. 1. quam Abraham fieret, ego factus sum. In principio
Iohan. 1. 1. enim fecit Deus cælum & terram: nam in principio
erat Verbum. *Antequam fieret Abraham, ego sum.*
Agnoscite Creatorem, discernite creaturam. Qui
loquebatur, semen Abrahæ factus erat; & ut A-
braham fieret, ante Abraham ipse erat. B

18. Hinc jam velut Abrahæ apertissimo convi-
cio commoti sunt acriùs. Blasphemasse quippe illis
visus est Dominus Christus, quoniam dixit, *Ante-*
Iohan. 8. 59. *quam Abraham fieret, ego sum.* * *Tulerunt ergo lapi-
des ut jacerent in eum.* Tanta duritia quò curreret,
nisi ad similes? *Jesus autem*, tamquam homo, tam-
quam in forma servi, tamquam humilis, tamquam
passurus, tamquam moriturus, tamquam nos suo
sanguine redemturus: non tamquam ille qui est,
non tamquam in principio Verbum, & Verbum C
apud Deum. Nam cùm illi lapides tulerunt ut mit-
terent in eum, quid magnum erat ut eos continuò
dehiscens terra sorberet, & pro lapidibus inferos
invenirent? Non erat magnum Deo: sed magis
erat commendanda patientia, quàm exserenda po-
tentia. *Abscondit se* ergo ab eis, ne lapidaretur. Tam-
quam homo à lapidibus fugit: sed væ illis à quorum
lapideis cordibus Deus fugit.

TRACTATUS XLIV.

Ab eo quod scriptum est, Et præteriens vidit homi-
nem cæcum à nativitate: *usque ad id*, Nunc verò
dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet.

1. DE homine quem Dominus Jesus illumi-
navit, qui cæcus natus fuit, prolixa lec-
tio recitata est: quam si universam per-
tractare conemur, pro sui dignitate, sicut valemus,
singula considerantes, non sufficit dies. Proinde
pete & admoneo Caritatem Vestram, ut in iis quæ E
aperta sunt, sermonem nostrum non requiratis:
nam nimis longum erit in singulis immorari. Bre-
viter ergo cæci hujus illuminati commendo myste-
rium. Ea quippe quæ fecit Dominus noster Jesus
Miracula Christi & opera & verba sunt. Christus stupenda atque miranda, & opera &
verba sunt: opera, quia facta sunt; verba, quia si-
gna sunt. Si ergo quid significet hoc quod factum
est cogitemus, genus humanum est iste cæcus: hæc
enim cæcitas contigit in primo homine per pecca-
tum, de quo omnes originem duximus, non solùm F
mortis, sed etiam iniquitatis. Si enim cæcitas est in-
fidelitas, & illuminatio fides; quem fidelem quan-
do venit Christus invenit? Quandoquidem Apo-
Ephes. 2. 3. stolus natus in gente Prophetarum dicit, Fuimus
» & nos aliquando naturâ filii iræ, sicut & ceteri. Si
filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ.
Quomodo naturâ, nisi quia peccante primo homi-
ne, vitium pro natura inolevit? Si vitium pro natu-
ra inolevit, secundùm mentem omnis homo cæcus
natus est. Si enim videt, non opus habet ductore: G
si opus habet ductore & illuminatore, cæcus est er-
go à nativitate.

2. Venit Dominus: quid fecit? Magnum my-
sterium commendavit. *Exspuit in terram*, de saliva
Iohan. 9. 6. sua lutum fecit: quia Verbum caro factum est. Et
inunxit oculos cæci. Inunctus erat, & nondum vi-

[a] Sic omnes propè MSS. At editi, *vigilabat.*

debat, Misit illum ad piscinam quæ vocatur Siloë. *v.* 7.
Pertinuit autem ad Evangelistam commendare
nobis nomen hujus piscinæ; & ait, *Quod interpreta-
tur missus.* Jam quis sit missus agnoscitis: nisi enim
ille fuisset missus, nemo nostrùm esset ab iniquitate
dimissus. Lavit ergo oculos in ea piscina, quæ in-
terpretatur missus, baptizatus est in Christo. Si ergo
quando eum in seipso quodammodo baptizavit,
tunc illuminavit; quando inunxit, fortasse cate-
chumenum fecit. Potest quidem aliter atque aliter
tanti sacramenti exponi profunditas & pertracta-
ri: sed hoc sufficiat Caritati Vestræ; audistis gran-
de mysterium. Interroga hominem, Christianus
es? Respondet tibi: Non sum. Si Paganus es aut
Judæus? Si autem dixerit, Non sum: adhuc quæ-
ris ab eo, Catechumenus, an fidelis? Si respon-
derit, Catechumenus: inunctus est, nondum lotus.
Sed unde inunctus? Quære, & respondet; quære
ab illo in quem credat: eo ipso quo catechumenus
est, dicit, In Christum. Ecce modò loquor & fi-
delibus & catechumenis. Quid dixi de sputo & lu-
to? Quia Verbum caro factum est. Hoc & cate-
chumeni audiunt: sed non eis sufficit ad quod
inuncti sunt: festinent ad lavacrum, si lumen in-
quirunt.

3. Jam ergo propter quasdam in hac ipsa lec-
tione quæstiones, verba Domini & ipsius univer-
sæ lectionis percurramus potiùs quàm tractemus.
Johan. 9. *v.* 1. * *Exiens vidit hominem cæcum:* non utcumque cæ-
v. 2. cum, sed, *à nativitate.* * *Et interrogaverunt eum dis-* D
cipuli ejus, Rabbi. Scitis *Rabbi* quia magister est.
Magistrum appellabant, quia discere desiderabant:
quæstionem quippe Domino proposuerunt tam-
quam magistro, *Quis peccavit, hic, an parentes ejus,*
v. 3. *ut cæcus nasceretur?* * *Respondit Jesus, Neque hic pecca-
vit, neque parentes ejus,* ut cæcus nasceretur. Quid est
quod dixit? Si nullus homo sine peccato, numquid
parentes hujus cæci sine peccato erant? Numquid
ipse vel sine originali peccato natus erat, vel viven-
do nihil addiderat? An quia oculos clausos habe-
bat, concupiscentiæ minimè [a] vigilabant? Quan- a
ta mala committunt cæci? A quo malo abstinet
mens mala etiam clausis oculis? Non poterat vide-
re, sed noverat cogitare, & fortè concupiscere ali-
quid quod cæcus non posset implere, sed in corde
judicari à cordis perscrutatore. Si ergo & parentes
ejus habuerunt peccatum, & iste habuit peccatum,
quare Dominus dixit, *Neque hic peccavit, neque pa-
rentes ejus:* nisi ad rem de qua interrogatus est, *ut
cæcus nasceretur?* Habebant enim peccatum pa-
rentes ejus, sed non ipso peccato factum est ut cæ-
cus nasceretur. Si ergo non peccato factum est pa-
rentum ut cæcus nasceretur, quare cæcus natus est?
Audi magistrum docentem: quærit credentem, ut
faciat intelligentem. Ipse causam dicit, quare ille
cæcus sit natus: *Neque hic peccavit*, inquit, *neque
parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

4. Deinde quid sequitur? *Me oportet operari ope-* *v.* 4.
ra ejus qui misit me. Ecce est ille missus, in quo fa-
ciem lavit cæcus. Et videte quid dixerit, *Me opor-
tet operari opera ejus qui misit me, donec dies est.* Me-
mentote quomodo universam gloriam illi dat de
quo est: quia ille habet Filium qui de illo sit, ipse
non habet de quo sit. Sed quare dixisti Domine,
donec dies est? Audi quare. [b] *Venit nox quando nemo* b
potest operari. Nec tu Domine? Itane tantum vale-
bit nox illa, ut nec tu possis in ea operari, cujus

[b] MSS. plerique, *Veniet.*

opus nox est? Puto enim, Domine Jesu, immo non A puto, sed credo atque confirmo te ibi fuisse, quando dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux. Si enim Verbo fecit, per te fecit: & ideo dictum est, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Divisit Deus inter lucem & tenebras: lucem vocavit diem, & tenebras vocavit noctem.

Gen. 1. 3. *Johan. 1. 3.*

5. Quæ est illa nox, quæ cùm venerit, nemo poterit operari? Audi quid sit dies, & tunc intelliges quæ sit nox. Unde sumus audituri quisnam sit dies iste? Ipse dicat, *Quamdiu in hoc mundo sum, lux* B *sum mundi.* Ecce ipse est dies. Lavet oculos cæcus in die, ut videat diem. *Quamdiu*, inquit, *in mundo sum, lux sum mundi.* Ergo nescio quæ nox erit, quando ibi Christus non erit, ideo nemo poterit operari. Restat inquirere, Fratres mei, patienter accipite inquirentem me: vobiscum quæro, vobiscum inveniam à quo quæro. Constat, expressum ac definitum est, diem commemorasse Dominum hoc loco seipsum, id est lumen mundi. *Quamdiu*, inquit, *sum in hoc mundo, lux sum mundi.* C Ergo ipse operatur. Quamdiu est autem in hoc mundo? Putamus eum, Fratres, fuisse hîc tunc, & modò non hîc esse? Si ergo hoc putamus, jam ergo post adscensum Domini facta est nox ista metuenda, ubi nemo possit operari: si post adscensum Domini facta est nox ista, unde Apostoli tanta operati sunt? Numquid ista nox erat, quando Spiritus-sanctus veniens, & omnes qui in uno loco erant adimplens, dedit eis loqui omnium gentium linguis? Numquid nox erat quando claudus ille ad D verbum Petri salvus effectus est, immo ad verbum Domini habitantis in Petro? Numquid nox erat quando transeuntibus discipulis ægri cum lectulis ponebantur, ut vel umbrâ transeuntium tangerentur? Dominus autem cùm hîc esset, neminem transiens umbrâ suâ salvum fecit: sed ipse discipulis dixerat, Majora horum facietis. Dixerat quidem Dominus, Majora horum facietis: sed non se extollat caro & sanguis, audiat dicentem, Sine me nihil potestis facere.

Johan. 9. 5. *Act. 2. 3.* *Act. 3. 6.* *Act. 5. 15.* *Johan. 14. 12.* *Johan. 15. 5.*

6. Quid igitur? Quid dicemus de nocte ista? Quando erit, quando nemo poterit operari? Nox ista impiorum erit: nox ista eorum erit quibus in fine dicetur, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Sed nox dicta est, non flamma, non ignis. Audi quia & nox est. De quodam servo dicit, Ligate illi manus & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores. Operetur ergo homo dum vivit; ne illa nocte præveniatur, ubi nemo possit operari. Modò est ut operetur fides per di- F lectionem: & si modò operamur, hic est dies, hic est Christus. Audi promittentem, & ne arbitreris absentem. Ipse dixit, Ecce ego vobiscum sum. Quamdiu? Non sit in nobis sollicitudo qui vivimus: si fieri posset, de hac etiam voce posteros qui futuri sunt securissimos faceremus. Ecce, inquit, ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi. Dies iste qui circuitu solis hujus impletur, paucas horas habet: dies præsentiæ Christi usque in consummationem sæculi extenditur. Post resurre- G ctionem verò vivorum & mortuorum, cùm positis ad dexteram dixerit, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: positis autem ad sinistram dixerit, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: ibi erit nox ubi nemo poterit operari, sed recipere quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis: reddet enim Dominus unicuique secundùm opera sua. Cùm vivis, fac, si facturus es: erit enim tunc nox valida, quæ involvat impios. Sed & modò omnis infidelis, quando moritur, illa nocte suscipitur: non est ut illic aliquid operetur. In illa nocte dives ardebat, & stillam aquæ de digito pauperis requirebat: dolebat, angebatur, fatebatur, nec ei subveniebatur; & conatus est benefacere. Ait enim Abrahæ, Pater Abraham, mitte Lazarum ad fratres meos, ut dicat illis quid hîc agatur, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. O infelix, quando vivebas, tunc erat tempus operandi: modò jam in nocte es, in qua nemo possit operari.

Matth. 25. 41. *Matth. 22. 13.* *Matth. 28. 20.* *Luc. 16. 27.*

7. * *Hæc cùm dixisset, exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus,* * *& dixit ei, Vade, & lava in natatoria Siloë, quod interpretatur missus. Abiit ergo, & lavit, & venit videns.* Hæc quia manifesta sunt, transeamus. *Johan. 9. v. 6. v. 7.*

8. * *Itaque vicini, & qui videbant eum priùs quia mendicus erat, dicebant, Nonne hic est qui sedebat, & mendicabat? Alii dicebant, Quia hic est: * alii, Nequaquam, sed similis est ejus.* Aperti oculi vultum mutaverant. *Ille dicebat, Quia ego sum.* Vox grata, ne damnaretur ingrata. * *Dicebant ergo ei, Quomodo aperti sunt oculi tui? * Respondit, Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad natatoriam Siloë, & lavâ. Et abii, & lavi, & vidi.* Ecce annuntiator factus est gratiæ: ecce evangelizat, confitetur videns. Cæcus ille confitebatur, & cor impiorum [a] frangebatur: quia non habebant in corde, quod jam ille habebat in facie. *Dixerunt ei, Ubi est ille, qui tibi aperuit oculos? Ait, Nescio.* In his verbis animus ipsius adhuc inuncto similis erat, nondum videnti. Sic ponamus, Fratres, tamquam illam inunctionem in animo habuerit. Prædicat, & nescit quem prædicat. *v. 8. v. 9. v. 10. v. 11.*

[a] frangebatur

9. * *Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat.* * *Erat autem sabbatum quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus.* * *Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis, Lutum posuit mihi super oculos, & lavi, & video.* * *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam.* Non omnes, sed quidam: jam enim inunguebantur quidam. Quid ergo dicebant, nec videntes, nec inuncti? *Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* Ipse potiùs custodiebat, qui sine peccato erat. Sabbatum enim [b] spiritale hoc est, non habere peccatum. Denique Fratres, hoc admonet Deus, quando commendat sabbatum, Omne opus servile non facietis. Hæc sunt verba Dei sabbatum commendantis, Omne opus servile non facietis. Jam superiores * lectiones interrogare, quid sit opus servile; & Dominum audire, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Sed isti nec videntes, ut dixi, nec inuncti, sabbatum carnaliter observabant, spiritaliter violabant. *Alii dicebant, Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Ecce sunt inuncti. *Et schisma erat in eis.* Dies ille diviserat inter lucem & tenebras. *Dicunt ergo cæco iterum, Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos?* Quid de illo sentis? quid existimas? quid judicas? Quærebant quemadmodum homini calumniarentur, ut de synagoga pelleretur, sed à Christo inveniretur. Sed ille constanter quod sentiebat expressit. *Ait enim, quia propheta est.* Adhuc quidem inunctus in corde, nondum Dei Filium confitetur, nec mentitur tamen. Ipse enim Dominus

v. 13. *Sabbatum spiritale. b* *Levit. 23. 8.* *Consule Tract. 20. n. 2.* *Johan. 8. 34.* *Johan. 9. 16.* *v. 17.*

[a] In duobus MSS. *stringebatur.* [b] In aliquot MSS. *spiritaliter.*

Matth. 13. 57. *Marc. 6. 4.* *Johan. 9. 18.* minus de seipso ait, Non est propheta sine honore, A nisi in patria sua.

10. *Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocarent parentes ejus qui viderat:* id est, qui cæcus fuerat & viderat. * *Et interrogaverunt eos, dicentes, Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt?* * *Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt, Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est:* * *quomodo autem nunc videat nescimus, aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus. Et dixerunt, Ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur.* Filius quidem noster est, sed justè cogeremur loqui pro infante, quia ipse pro se loqui non posset: olim loquitur, modò videt: cæcum à nativitate novimus, loquentem olim scimus, videntem modò videmus: ipsum interrogate, ut instruamini: quid nobis calumniamini? *Hæc dixerunt parentes ejus, quia timebant Judæos. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret.* Jam non erat malum fieri extra synagogam. Illi ex- C pellebant, sed Christus excipiebat. *Propterea parentes ejus dixerunt, quia ætatem habet, ipsum interrogate.*

v. 19. *v. 20.* *v. 21.* *v. 22.* *v. 23.*

11. *Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, Da gloriam Deo.* Quid est, *Da gloriam Deo?* Nega quod accepisti. Hoc planè non est gloriam Deo dare, sed Deum potiùs blasphemare. *Da*, inquiunt, *gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est.* * *Dixit ergo ille, Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cùm essem, modò vi-* D *deo.* * *Dixerunt ergo illi, Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?* Et ille jam stomachans adversùs duritiam Judæorum, & ex cæco videns, non ferens cæcos, *respondit eis, Dixi jam vobis, & audistis: quid iterum vultis audire? Numquid & vos vultis discipuli ejus fieri?* Quid est, *Numquid & vos*, nisi quia ego jam sum? *Numquid & vos vultis?* Jam video, sed non invideo.

v. 24. *v. 25.* *v. 26.* *v. 27.*

12. *Maledixerunt ei, & dixerunt, Tu discipulus ejus sis.* Tale maledictum super nos, & super fi- E lios nostros. Maledictum enim est, si cor discutias, non si verba perpendas. *Nos autem Moysi discipuli sumus: nos scimus quia Moysi locutus est Deus, istum autem nescimus unde sit.* Utinam sciretis, *quia Moysi locutus est Deus:* sciretis quia per Moysen prædicatus est Deus. Habetis enim Dominum dicentem, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit. Itane sequimini servum, & dorsum ponitis contra Dominum? Sed nec servum sequimini, nam per illum ad Dominum duceremini.

v. 28. *v. 29.* *Johan. 5. 46.*

13. * *Respondit ille homo, & dixit eis, In hoc mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit oculos meos.* * *Scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Adhuc inunctus loquitur. Nam & peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens & pectus suum percutiens dice- *Luc. 18. 13.* ret, Domine propitius esto mihi peccatori. Et ista G confessio meruit justificationem, quomodo iste cæcus illuminationem. * *A sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati.* * *Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.* Liberè, constanter, veraciter. Hæc enim quæ facta sunt à Domino, à quo fierent nisi à Deo? Aut quando à discipulis talia fierent, nisi in eis Dominus habitaret?

Johan. 9. v. 30. *v. 31.* *v. 32.* *v. 33.* *v. 34.*

14. *Responderunt, & dixerunt ei, In peccatis natus es totus. Totus* quid est? cum oculis clausis. Sed qui aperuit oculos, salvat & totum: ipse dabit ad dexteram resurrectionem, qui in facie dedit illuminationem. *In peccatis totus natus es, & tu doces nos?* *Et ejecerunt eum foras.* Ipsi illum magistrum fecerunt, ipsi ut discerent toties interrogaverunt, & ingrati docentem projecerunt.

15. Sed quod dixi jam dudum, Fratres, illi pellunt, excipit Dominus: magis enim quia expulsus est, Christianus factus est. *Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras, & cùm invenisset eum, dixit ei, Tu credis in Filium Dei?* Modò lavat faciem cordis. *Respondit ille, & ait,* quasi adhuc inunctus, *Quis est, Domine, ut credam in eum?* * *Et dixit ei Jesus, Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est.* Missus est ille, iste lavans faciem in Siloë, quod interpretatur missus. Denique jam facie lota cordis & mundatâ conscientiâ, agnoscens eum non filium hominis tantùm, quod antè crediderat, sed jam Filium Dei qui carnem susceperat, *ait, Credo Domine* Pa- *v. 38.* rum est, *Credo*: vis videre qualem credat? *Procidens adoravit eum.*

v. 35. *v. 36.* *v. 37.*

16. *Et dixit ei Jesus.* Modò dies ille est, inter *v. 39.* lucem & tenebras discernens. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Quid est hoc Domine? Magnam quæstionem fessis intulisti: sed erige vires nostras, ut possimus intelligere quod dixisti, Venisti *ut qui non vident videant*: rectè, quia lumen es; rectè, quia dies es; rectè, quia de tenebris liberas: hoc omnis anima accipit, omnis intelligit. Quid est hoc quod sequitur, *Et qui vident, cæci fiant*? Ergone quia venisti, cæci fient qui videbant? Audi quid sequitur, & fortassis intelliges.

17. Commoti sunt ergo verbis istis, *quidam ex pharisæis, & dixerunt ei, Numquid & nos cæci sumus?* Audi jam quid est quod movebat, *Et qui vident, cæci fiant.* * *Dixit eis Jesus, Si cæ-* *v. 41.* *ci essetis, non haberetis peccatum.* Cùm sit cæcitas ipsa peccatum. *Si cæci essetis*, id est, si vos cæcos adverteretis, si vos cæcos diceretis, & ad medicum curreretis, *si* ergo ita *cæci essetis, non haberetis peccatum:* quia veni ego auferre peccatum. *Nunc verò dicitis, Quia videmus: peccatum vestrum manet.* Quare? Quia dicendo, *Videmus*, medicum non quæritis, in cæcitate vestra remanetis. Hoc est ergo quod paulò antè non intellexeramus quod ait, *Ego veni ut qui non vident videant:* quid est, *ut qui non vident videant?* Qui se non videre confitentur, & medicum quærunt, ut videant. *Et qui vident, cæci fiant:* quid est, *qui vident, cæci fiant?* Qui F se putant videre, & medicum non quærunt, in sua cæcitate permaneant. Ergo istam discretionem vocavit judicium, cùm ait, *In judicium veni in hunc mundum*, quo discernit caussam credentium & confitentium à superbis, se videre putantibus, & ideo gravius excæcatis; tamquam dixerit ei peccator confitens & medicum quærens, Judica me Deus, *Psal. 42. 1.* & discerne caussam meam de gente non sancta: illorum scilicet qui dicunt, *Videmus*, & eorum peccatum manet. Non autem illud judicium jam intulit mundo, quo de vivis & mortuis in fine sæculi judicabit. Secundùm hoc enim dixerat, Ego *Johan. 8. 15.* non judico quemquam: quoniam priùs venit, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per *Johan. 3. 17.* ipsum.

* Habitus die proximo ante Tractat. subseq. adeoque sabbato.

* TRACTATUS XLV.

Ab eo quod scriptum est, Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed adscendit aliunde, ille fur est & latro: *usque ad id*, Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.

1. DE illuminato illo qui natus est cæcus, sermo ad Judæos Domini exortus est. Huic itaque lectioni hodiernam esse contextam, scire debuit & commoneri Caritas
Johan.9.39. Vestra. Cùm enim Dominus dixisset, *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*: quod eo tempore, quando lectum est, ut potuimus exposuimus: quidam ex
v. 40. Pharisæis dixerunt, *Numquid & nos cæci sumus?*
v. 41. Quibus respondit, *Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, Quia videmus, peccatum vestrum manet.* His verbis subjunxit ea, quæ hodie cùm recitarentur, audivimus.

Johan.10.1. 2. AMEN, *amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed adscendit aliunde, ille fur est & latro.* Dixerunt enim se cæcos non esse: videre autem tunc possent, si oves Christi essent. Unde sibi usurpabant lumen qui furebant contra diem? Propter illorum ergo vanam & superbam & insanabilem arrogantiam Dominus Jesus ista contexuit: in quibus salubriter nos, si advertamus, admonuit. Multi enim sunt, qui secundùm quamdam vitæ hujus consuetudinem dicuntur boni homines, boni viri, bonæ feminæ, innocentes, & quasi observantes ea quæ in Lege præcepta sunt, deferentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum testimonium adversùs quemquam perhibentes, & cetera quæ Lege mandata sunt velut observantes Christiani non sunt: & plerumque se jactant quomodo isti, *Numquid & nos cæci sumus?* Quia verò ista omnia quæ faciunt, & nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt, Dominus de grege suo, & de ostio quo intratur ad ovile, similitudinem proposuit in hodierna lectione. Dicant ergo Pagani, Bene vivimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vivere: nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere? Quia nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitare nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera & certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam quòd est Christus; & per
Fures & latrones Pagani. januam intret in ovile.

3. Quærunt ergo plerumque tales homines etiam persuadere hominibus ut bene vivant, & Christiani non sint. Per aliam partem volunt adscendere, rapere & occidere; non ut pastor, conservare atque salvare. Fuerunt ergo quidam philosophi, de virtutibus & vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes: qui etiam dicere auderent hominibus, Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè vivere. Sed non intrarant per ostium: perdere volebant, mactare & occidere.

Fures & latrones Pharisæi. 4. Quid de istis dicam? Ecce ipsi Pharisæi legebant, & in eo quod legebant, Christum sonabant, venturum sperabant, & præsentem non agnoscebant: jactabant se etiam ipsi inter videntes, hoc est inter sapientes, & negabant Christum, & non intrabant per ostium. Ergo & ipsi, si quos fortè seducerent, mactandos & occidendos, non liberandos seducerent. Et hos dimittamus: videamus illos si fortè ipsi intrant per ostium, qui ipsius Christi nomine gloriantur.

Fures & latrones hæretici. 5. Innumerabiles enim sunt, qui se videntes non solùm jactant, sed à Christo illuminatos videri volunt: sunt autem hæretici. Fortè ipsi per
Sabellius. januam intraverunt? absit. Sabellius dicit, Qui Filius est, ipse est Pater: sed si Filius, non est Pater. Non intrat per ostium, qui Filium dicit Patrem.
Arius. Arius dicit, Aliud est Pater, aliud est Filius. Rectè diceret, si diceret, alius; non, aliud. Quando enim dicit aliud, ei contradicit à quo audit, Ego & Pa-
Johan. 10. 30. ter unum sumus. Nec ipse ergo per ostium intrat: prædicat enim Christum qualem sibi fingit, non qualem veritas dicit. Nomen habes, rem non habes. Alicujus rei nomen est Christus: tene ipsam
Photinus. rem, si vis prodesse tibi nomen. Alius nescio unde, sicut Photinus, Christus homo est, inquit, Deus non est. Nec ipse intrat per ostium, quia Christus & homo & Deus est. Et quid opus est multa percurrere, & multa vana hæresum enumerare? Hoc tenete, ovile Christi esse catholicam Ecclesiam. Quicumque vult intrare ad ovile, per ostium intret, Christum verum prædicet. Non solùm Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam: nam multi quærendo gloriam suam, Oves Christi sparserunt potiùs quàm congregaverunt. Humilis est enim janua Christus Dominus: qui intrat per hanc januam, oportet humilier se, ut sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult adscendere: qui autem per maceriam adscendit, ideo exaltatur ut cadat.

6. Tectè tamen adhuc loquitur Dominus Jesus, nondum intelligitur: nominat ostium, nominat ovile, nominat oves: commendat hæc omnia, sed nondum exponit. Legamus ergo, quia venturus est ad ea verba, in quibus nobis aliqua quæ dixit dignetur exponere: ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa quæ non exposuit, intelligere. Pascit enim manifestis, exercet obscuris. *Qui* *Johan.*10.1. *non intrat per ostium in ovile ovium, sed adscendit aliunde.* Væ misero, quia casurus est. Sit ergo humilis, per ostium intret: plano pede veniat, & non offendet. *Ille*, inquit, *fur est & latro.* Oves suas vult dicere oves alienas: ad hoc suas, id est, furto ablatas, non ut salvet, sed ut occidat. Ergo fur est, quia quod alienum est, suum dicit: latro, quia & quod est furatus, occidit. * *Qui autem intrat per* *v. 2.* *ostium, pastor est ovium:* * *huic ostiarius aperit.* *v. 3.* De ostiario isto tunc quæramus, quando ab ipso Domino audierimus quod sit ostium, & qui sit pastor. *Et oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim.* Habet enim nomina earum scripta in libro vitæ. *Proprias oves vocat nominatim.* Hinc dicit Apostolus, Novit Dominus qui sunt ejus. *Et* *2. Tim. 2.* *educit eas.* * *Et cùm proprias oves emiserit, ante eas va-* *19.* *dit: & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.* *Johan. 10.* *v. 4.* * *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia* *v. 5.* *non noverunt vocem alienorum.* Tecta sunt hæc, plena quæstionibus, gravida sacramentis. Sequamur ergo & audiamus magistrum ex his obscuris aliquid aperientem; & per id quod aperit, nos fortè intrare facientem.

v. 6. 7. *Hoc proverbium dixit illis Jesus, illi autem non* A *cognoverunt quid loqueretur eis.* Fortè nec nos. Quid ergo interest inter illos & nos, antequam ista verba agnoscamus & nos? Quia nos pulsamus ut aperiatur nobis: illi autem Christum negando nolebant intrare servandi, sed foris remanere perdendi. Quòd ergo nos audimus hæc piè, quòd antequam illa intelligamus, credimus vera esse atque divina, magnâ ab istis diversitate distamus. Cùm enim duo audiunt verba Evangelii, unus impius, alter pius, & talia sunt ut fortè ambo non intelli- B gant, unus dicit, Nihil dixit: alius dicit, Verum dixit, & bonum est quod dixit, sed nos non intelligimus: iste quia credit jam pulsat, & dignus est cui aperiatur, si pulsare perstitat: ille verò adhuc
Isa. 7. 9. audit, Nisi credideritis, non intelligetis. Quare ista commendo? Quia etiam cùm verba hæc obscura sicut possum exposuero, aut quia valde sunt abdita, vel ego eorum non apprehendero intelligentiam, vel explicandi quod intelligo non habuero facultatem, vel tam fuerit quisque tardus, ut etiam exponentem non sequatur, non de se desperet: maneat in fide, ambulet in via, audiat Apo-
Phili. 3. 15. stolum dicentem, Et si quid aliter sapitis, hoc quo- » que vobis Deus revelabit, verumtamen in quod » pervenimus, in eo ambulemus.

8. Incipiamus ergo audire exponentem, quem
Johan.10.7. audivimus proponentem. *Dixit ergo iterum eis Jesus, Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.* Ecce ipsum ostium quod clausum posuerat, aperuit. Ipse est ostium. Agnovimus, intremus, aut D
v. 8. nos intrasse gaudeamus. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones.* Quid est hoc Domine, *Omnes quotquot venerunt?* Quid enim, tu non venisti? Sed intellige: *Omnes quotquot venerunt* dixi, utique præter me. Recolamus ergo. Ante adventum ipsius venerunt Prophetæ, numquid fures & latrones fuerunt? absit. Non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus præcones mittebat, sed eorum corda quos miserat, possidebat. Vultis nosse quia cum illo venerunt, qui est ipse semper? E Carnem quippe accepit ex tempore. Quid est ergo semper? In principio erat Verbum. Cum illo
Johan.14.6. ergo venerunt, qui cum verbo Dei venerunt. Ego sum, inquit, via, & veritas & vita. Si ipse est veritas, cum illo venerunt qui veraces fuerunt. Quotquot ergo præter illum, *fures, & latrones*, id est, ad furandum & occidendum.

Johan.10.8. 9. *Sed non audierunt eos oves.* Major hæc quæstio est, *non audierunt eos oves.* Ante adventum Domini nostri Jesu Christi, quo humilis venit in carne, F
Fides antiquorum justorum eadem quæ nostra. præcesserunt justi, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides. Quia & ipsa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur: alium sonum habet, venturus est; alium sonum habet, venit: mutatus est sonus, venturus est, & venit: eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos qui venturum esse, & eos qui eum venisse crediderunt. Diversis quidem temporibus, sed utrosque per unum fidei ostium, hoc est per Christum, videmus G ingressos. Nos credimus Dominum Jesum Christum natum ex virgine, venisse in carne, passum esse, resurrexisse, in cælum adscendisse: totum hoc, sicut verba auditis præteriti temporis, impletum esse jam credimus. In ejus sunt fidei societate nobiscum & illi Patres, qui crediderunt de virgine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cælum adscensurum: illos enim ostendit Apostolus ubi ait, Ha- *2. Cor. 4. 13.*
bentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum « est, Credidi propter quod locutus sum, & nos cre- « dimus, propter quod & loquimur. Propheta dixit, « Credidi propter quod locutus sum: Apostolus di- *Psal. 115. 10.* cit, Et nos credimus, propter quod & loquimur. « Ut scias autem quòd una sit fides, audi dicentem, « Habentes eumdem spiritum fidei, & nos credimus. « Sic & alio loco, Nolo enim vos ignorare fratres, *1. Cor. 10. 1.* quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & om- *&c.* « nes per mare transierunt, & omnes in Moysen bap- « tizati sunt, in nube & in mari, & omnes eamdem « escam spiritalem manducaverunt, & omnes eum- « dem potum spiritalem biberunt. Mare rubrum si- « gnificat baptismum; Moyses ductor per mare ru- brum significat Christum; populus transiens significat fideles; mors Ægyptiorum significat abolitionem peccatorum. In signis diversis eadem fides: sic in signis diversis, quomodo in verbis diversis; quia verba sonos mutant per tempora, & uti- C que nihil aliud sunt verba quàm signa. Significando enim verba sunt: tolle significationem verbo; strepitus inanis est. Significata ergo sunt omnia. Numquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem quæ credimus, prophetata prænuntiabantur? Utique credebant: sed illi ventura esse, nos autem venisse. Ideo & sic ait, Eumdem potum spiritalem biberunt. Spi- « ritalem eumdem, nam corporalem non eumdem. *Ibidem 4.* Quid enim illi bibebant? Bibebant enim de spirituli sequente petra: petra autem erat Christus. Videte « ergo, fide manente, signa variata. Ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno sacramento ejusdem Christi bibe- runt aquam profluentem de petra, nos quid biba- mus non rut fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est: si intelligibilem significationem, eumdem potum spiritalem biberunt. Quotquot ergo illo Oves Christi ante ejus adventum tempore crediderunt vel Abrahæ, vel Isaac, vel vocem ipsius audierunt, non alienorum. Jacob, vel Moysi, vel aliis Patriarchis, aliisque Prophetis Christum prænuntiantibus, oves erant, & Christum audierunt: non alienam vocem, sed ipsius audierunt. Judex fuerat in præcone. Quia & quando judex loquitur per præconem, exceptor non * facit, Præco dixit; sed, Judex dixit. Alii sunt ** f. non scribit.* ergo quos non audierunt oves, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes.

10. Quid est ergo quod dixi, Major hæc est quæstio? Quid habet obscurum & ad intelligendum Difficultas. difficile? Audite obsecro. Ecce Dominus ipse Jesus Christus venit, prædicavit: utique multò magis vox pastoris erat, expressa ipso ore pastoris. Si enim per Prophetas vox pastoris erat; quantò magis vocem pastoris proferebat lingua ipsa pastoris? Non omnes audierunt. Sed quid putamus? Qui audierunt, oves erant? Ecce audivit Judas, & lupus erat: sequebatur, sed pelle ovina tectus pastori insidiabatur. Aliqui verò eorum qui Christum crucifixerunt, non audiebant, & oves erant: ipsos enim videbat in turba, quando dicebat, Cùm exaltave- *Johan. 8.* ritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego *28.* sum. Quomodo enim ista solvitur quæstio? Audiunt non oves, & non audiunt oves; sequuntur vocem pastoris quidam lupi, & ei quædam contradicunt oves; postremò pastorem occidunt oves. Solvitur quæstio: respondet enim aliquis, & dicit; Soluris. Sed quando non audiebant, oves nondum erant,

tunc lupi erant; vox audita eos mutavit, & ex lupis oves fecit: quando ergo factæ sunt oves, audierunt, & pastorem invenerunt, pastoremque secutæ sunt; pastoris promissa speraverunt, quia jussa fecerunt.

Alia difficultatis caussa.

11. Soluta est utcumque ista quæstio, & cuiquam fortè sufficiat. Me autem adhuc movet, & quid me moveat communico vobiscum, ut quodammodo quærens vobiscum, revelante illo vobiscum merear invenire. Quid ergo me moveat, accipite. Per Ezechielem prophetam Dominus objurgat pastores, & dicit inter cetera de ovibus, Errantem ovem non revocastis.

Ezech. 34. 4.

Et errantem dicit, & ovem appellat. Si quando errabat ovis erat, cujus vocem ut erraret audiebat? Procul dubio enim non erraret, si vocem pastoris audiret: sed ideo erravit, quia vocem audivit alieni; vocem furis & latronis audivit. Certè latronum vocem non audiunt oves: *Qui venerunt*, inquit, & intelligimus præter me, id est, Qui venerunt præter me, *fures sunt & latrones, & non audierunt eos oves*. Domine, si non audierunt eos oves, quomodo errant oves? Si oves non audiunt nisi te, tu autem veritas es: quisquis veritatem audit, non utique errat. Illi autem errant, & oves appellantur. Nam si in errore ipso oves non appellarentur, non diceretur per Ezechielem, Errantem ovem non revocastis. Quomodo & errat, & ovis est? Vocem alieni audivit? Certè *non audierunt eos oves*. Deinde modò multi colliguntur ad ovile Christi, & ex hæreticis fiunt catholici; à furibus tolluntur, pastori redduntur: & aliquando murmurant, tædium patiuntur ad revocantem, & non intelligunt jugulantem: verumtamen etiam cùm renitentes venerint quæ oves sunt, agnoscunt vocem pastoris, & se venisse lætantur, & errasse erubescunt. Quando ergo in illo errore tamquam in veritate gloriabantur, & utique non audiebant vocem pastoris, & alienum ideo sequebantur, oves erant an non erant? Si oves erant, quomodo alienos oves non audiunt? Si oves non erant, quare objurgantur illi quibus dicitur, Errantem ovem non revocastis? In ipsis etiam jam factis catholicis Christianis, bonæ spei fidelibus; aliquando mala contingunt; seducuntur in errorem, & post errorem revocantur: quando seducti sunt in errorem, & rebaptizati sunt, aut post ovilis Dominici societatem rursus in errorem pristinum revoluti sunt, oves erant an non erant? Utique catholici erant. Si catholici, fideles erant, oves erant. Si oves erant, quomodo vocem alieni audire potuerunt, cùm Dominus dicat, *non audierunt eos oves?*

Solvitur quæstio.

12. Audistis Fratres altitudinem quæstionis. Dico ergo, Novit Dominus qui sunt ejus:

2. *Tim.* 2. 19.

Novit præscitos, novit prædestinatos: de illo quippe dicitur, Quos autem præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, ipsos & vocavit; & quos vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Adde adhuc, Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donavit? Sed quibus nobis? Præscitis, prædestinatis, justificatis, glorificatis: de quibus sequitur, Quis accusabit adversùs electos Dei?

Rom. 8 30. *&c.*

Oves prædestinati.

Novit ergo Dominus, qui sunt ejus, ipsæ sunt oves. Aliquando se ipsæ nesciunt, sed pastor novit eas, secundùm istam prædestinationem, secundùm istam Dei præscientiam, secundùm electionem ovium, ante constitutionem mundi: nam & hoc dicit Apostolus, Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi.

Ephes. 1. 4.

Secundùm istam ergo præscientiam Dei & prædestinationem, quàm multæ oves foris, quàm multi lupi intus; & quàm multæ oves intus, & quàm multi lupi foris. Quid est quod dixi, quàm multæ oves foris? Quàm multi modò luxuriantur, casti futuri; quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum; quàm multi se inebriant, futuri sobrii; quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas: verumtamen modò vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intus laudant, blasphematuri; casti sunt, fornicaturi; sobrii sunt, se vino postea sepulturi; stant, casuri: non sunt oves. (De prædestinatis enim loquimur: de his loquimur quos novit Dominus, qui sunt ejus.) Et tamen ipsi quamdiu rectè sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi: & tamen secundùm prædestinationem non oves isti, oves illi.

Vox Pastoris in qua solæ oves Christum audiunt, non alienū.

13. Adhuc manet quæstio, quæ mihi interim nunc videtur ita posse dissolvi. Est aliqua vox, est, inquam, vox aliqua pastoris, in qua oves non audiunt alienos, in qua non oves non audiunt Christum. Quæ est ista vox? Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Matth. 10. 22.

Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus: nam & ille hoc ei prædicat, ut perseveret apud ipsum usque in finem, sed non apud eum perseverando non audit hanc vocem. Venit ad Christum, audivit alia & alia verba, illa & illa, omnia vera, sana omnia: inter quæ omnia est & illa vox, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Istam qui audierit, ovis est. Sed audiebat illam nescio quis, & desipuit, refriguit, audivit alienam: si prædestinatus est, ad tempus erravit, in æternum non periit; redit ut audiat quod neglexit, faciat quod audivit. Si enim de his est qui prædestinati sunt, & errorem ipsius Deus præscivit, & conversionem futuram; si aberravit, redit ut audiat illam vocem pastoris, & sequatur dicentem, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Bona vox, Fratres, vera, pastoralis, ipsa est vox salutis in tabernaculis justorum. Nam facile est audire Christum, facile est laudare Evangelium, facile adclamare disputatori: perseverare usque in finem, hoc est ovium vocem pastoris audientium. Tentatio accidit, persevera usque in finem: [a] quia tentatio non perseverat usque in finem. Usque in quem finem perseverabis? quousque finias viam. Quamdiu enim non audis Christum, adversarius tuus est in ista via, hoc est in ista mortali vita. Sed quid dicit? Concorda cum adversario tuo citò, dum es cum eo in via.

Matth. 5. 25.

Audisti, credidisti, concordasti. Si adversabaris, concorda. Si tibi præstitum est concordare, noli ulteriùs litigare. Quando enim finiatur via nescis, sed tamen scit ille. Si ovis es, & si perseveraveris usque in finem, salvus eris: ac per hoc istam vocem non contemnunt sui, non audiunt alieni. Ut potui, ut ipse donavit, profundam multùm quæstionem aut exposui vobis, aut tractavi vobiscum. Si qui minùs intellexerunt, maneat pietas, & revelabitur veritas: qui autem intellexerunt, non se extollant quasi celeriores super tardiores, ne extollendo se exorbitent, & faciliùs perveniant tardiores. Omnes autem perducat cui dicimus, Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua.

Psal. 85. 11.

[a] Isthæc sententia, *quia tentatio non perseverat usque in finem*, abest à MSS. plerisque.

14. Per hoc ergo quod exposuit Dominus, quia ipse est ostium, intremus ad ea quæ proposuit, nec exposuit. Et pastor quidem quisnam sit, quamvis non dixerit in ista lectione quæ hodie recitata est, tamen in ea quæ sequitur apertissimè dicit: *Ego sum pastor bonus*. Quod etsi non diceret, quem alium præter ipsum intelligere deberemus in eis verbis, ubi ait, * *Qui intrat per ostium, pastor est ovium.* * *Huic ostiarius aperit: & oves vocem ejus audiunt: & proprias oves vocat nominatim, & educit eas.* * *Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit: & oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus?*

Johan. 10. *v.* 2. *v* 3. *v.* 4.

Quis enim alius oves proprias vocat nominatim, & educit eas hinc ad vitam æternam, nisi qui novit nomina prædestinatorum? Unde ait discipulis suis, Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo:

Luca 10. 20.

hinc enim vocat eas nominatim. Et quis alius eas emittit, nisi qui earum peccata dimittit, ut eum sequi duris liberatæ vinculis possint? Et quis eas præcessit quò eum sequantur, nisi qui surgens à mortuis jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur:

Rom. 6 9.

& cùm hîc conspicuus esset in carne ait, Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum?

Johan. 17. 24.

Unde illud est quod ait, *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur; & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet*. In hoc evidenter ostendit, non solùm pastorem, sed etiam oves intrare per ostium.

Iohan 10. 9.

15. Sed quid est, *ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet?* Ingredi quippe in Ecclesiam per ostium Christum, valde bonum est: exire autem de Ecclesia, sicut ait iste ipse Johannes Evangelista in Epistola sua, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis:

1. *Johan.* 2 20.

non est utique bonum. Talis ergo egressus non posset à bono pastore laudari: ut diceret, *& ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Est ergo aliquis non solùm ingressus, verùm etiam egressus bonus per ostium bonum, quod est Christus. Sed quis est iste laudabilis & beatus egressus? Possem quidem dicere ingredi nos, quando interiùs aliquid cogitamus; egredi autem, quando exteriùs aliquid operamur: & quoniam, sicut dicit Apostolus, per fidem habitat Christus in cordibus nostris,

Ephes. 3.17.

ingredi per Christum esse secundùm ipsam fidem cogitare; egredi autem per Christum, secundùm ipsam fidem etiam foris, id est, coram hominibus operari. Unde & in Psalmo legitur, Exiet homo ad opus suum.

Psal. 103. 23.

Et ipse Dominus dicit, Luceant opera vestra coram hominibus.

Matth. 5. 16.

Sed plus me delectat quod ipsa veritas tamquam pastor bonus, & ideo bonus doctor, quodammodo nos admonuit, quemadmodum intelligere debeamus quod ait, *ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet*, cùm secutus adjunxit, *Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat: ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

Iohan. 10. 10.

Videtur enim mihi dixisse, ut vitam habeant ingredientes, & abundantiùs habeant egredientes. Non autem potest quisque per ostium, id est, per Christum egredi ad vitam æternam, quæ erit in specie, nisi per ipsum ostium, hoc est per eumdem Christum in Ecclesiam ejus, quod est ovile ejus, intraverit ad vitam temporalem, quæ est in fide. Ideo ait, *Ego veni ut vitam habeant*, hoc est fidem, quæ per dilectionem operatur,

Gal. 5. 6.

per quam fidem in ovile ingrediuntur ut vivant, quia justus ex fide vivit:

Habac. 2. 4. *Rom.* 1. 17.

& abundantiùs habeant, qui perseverando usque in finem, per illud ostium, id est, per fidem Christi egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur; & abundantiùs habebunt vitam, veniendo quò pastor ille præcessit, ubi numquam deinde moriantur. Quamvis ergo & hîc in ipso ovili non desunt pascua, quoniam ad utrumque possumus intelligere quod dictum est, *& pascua inveniet*, id est, & ad ingressum & ad egressum: tamen tunc vera pascua invenient, ubi saturentur qui esuriunt & sitiunt justitiam,

Matth. 5. 6.

qualia pascua invenit cui dictum est, Hodie mecum eris in paradiso.

Luca 23. 43.

Quomodo autem ipse sit ostium, ipse pastor, ut per seipsum quodammodo etiam ipse ingredi & egredi intelligatur, & quisnam sit ostiarius, longum est hodie quærere, & differendo sicut ipse donaverit explicare.

TRACTATUS * XLVI.

* Habitus die proximo post superiorem Tractatū, ex n. 1. qui Dominicus erat, ex Tract. subseq. n. 1.

Ab eo quod scriptum est, Ego sum pastor bonus, &c. *usque ad id*, Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.

1. LOQUENS Dominus Jesus ovibus suis, & præsentibus, & futuris quæ tunc aderant; quia erant ubi jam oves ejus erant, quæ futuræ erant ejus oves: item præsentibus & futuris & illis & nobis, & quotquot etiam post nos fuerint oves ejus, quis ad eas missus esset, ostendit. Omnes ergo audiunt vocem pastoris sui dicentis, *Ego sum pastor bonus*. Non adderet *bonus*, nisi essent pastores mali.

Iohan. 10. 11.

Sed pastores mali, ipsi sunt fures & latrones: aut certè, ut multùm, mercenarii. Omnes enim hîc personas quas posuit, requirere, distinguere, nosse debemus. Aperuit enim jam duas res Dominus, quas quodammodo clausas proposuerat: jam scimus quia ostium ipse est, scimus quia pastor ipse est. Fures & latrones qui sint, in hesterna lectione patefactum est: hodie autem audivimus mercenarium, audivimus & lupum: heri nominatus est & ostiarius. In bonis ergo ostium est, ostiarius, pastor & oves: in malis fures & latrones, mercenarii, lupus.

2. Ostium Dominum Christum accipimus, pastorem ipsum: ostiarium quem? Hæc enim duo ipse exposuit, ostiarium nobis reliquit quærendum. Et quid ait de ostiario? *Huic*, inquit, *ostiarius aperit.*

v. 3.

Cui aperit? Pastori. Quid aperit pastori? Ostium. Et quis est ipsum ostium? Ipse pastor. Numquid si Dominus Christus non exposuisset, non ipse dixisset, *Ego sum pastor*, & *Ego sum ostium*, auderet quisquam nostrûm dicere quòd ipse Christus sit & pastor & ostium? Si enim diceret, *Ego sum pastor*, & non diceret, *Ego sum ostium:* quæsituri eramus quid esset ostium, & fortè aliud putantes ante ostium remansuri. Gratia illius & misericordia nobis exposuit pastorem, seipsum dixit; exposuit ostium, seipsum dixit: ostiarium quærendum nobis reliquit. Quem nos dicturi sumus ostiarium? Quemlibet invenerimus, cavendum est ne major existimetur quàm ipsum ostium: quia ostiarius in domibus hominum major est ostio. Ostiarius enim ostio, non ostium præponitur ostiario; quia ostiarius ostium, non ostium custodit ostiarium. Non audeo dicere aliquem ostio majorem, audivi enim jam quid sit ostium: non me latet, non sum dimissus conjecturæ meæ, non mihi humana est relaxata suspicio, Deus dixit, veritas dixit, mutari non potest quod immutabilis dixit.

3. Dicam ergo in hujus profunditate quæstionis quid mihi videatur: eligat unusquisque quod placet; piè tamen sentiat, sicut scriptum est, Sentite

Sap. 1. 1.

» de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Ostiarium fortè ipsum Dominum debemus accipere. Multò sunt enim inter se diversa in rebus humanis pastor & ostium, quàm ostiarius ad ostium: & tamen Dominus & pastorem se dixit, & ostium. Cur ergo non intelligamus ipsum & ostiarium? Si enim consideremus proprietates, Dominus Christus nec pastor est, sicut consuevimus nosse & videre pastores; nec ostium est, non enim eum faber fecit: si autem secundùm aliquam similitudinem, & ostium & pastor est; audeo dicere, & ovis est: ovis nempe sub pastore est, tamen ille & pastor est & ovis. Ubi est pastor? Ecce hîc habes, lege Evangelium: *Ego sum pastor bonus.* Ubi
Isa 53 7. est ovis? Interroga Prophetam: Sicut ovis ad immolandum ductus est. Interroga amicum sponsi:
*Iohan.*1.29. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Adhuc aliquid secundùm istas similitudines mirabilius sum dicturus. Et agnus enim & ovis & pastor inter se amica sunt, contra leones autem à pastoribus oves custodiri solent: & tamen de Christo, cùm
Apoc. 5. 5. sit ovis & pastor, legimus dictum, Vicit leo de tribu Juda. Hæc omnia, Fratres, secundùm similitudines accipite, non secundùm proprietates. Solemus videre pastores sedere supra petram, & inde commissa sibi pecora custodire: utique melior pastor quàm petra, super quam sedet pastor: & tamen Christus & pastor & petra. Totum hoc secundùm similitudinem. Proprietatem autem si quæras à me, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Si quæras à me proprietatem, Filius unicus de Patre in æternum ab æterno genitus, æqualis gignenti, per quem facta sunt omnia, cum Patre incommutabilis, & acceptâ formâ hominis non mutatus, ex incarnatione homo, filius hominis & Filius Dei. Hoc totum quod dixi, non similitudo, sed res est.

4. Non ergo pigeat nos, Fratres, secundùm quasdam similitudines ipsum accipere ostium, ipsum ostiarium. Quid est enim ostium? quà intramus. Quis est ostiarius? qui aperit. Quis ergo se aperit, nisi qui seipsum exponit? Ecce Dominus dixerat ostium, non intellexeramus; quando non intelleximus, clausum erat: qui aperuit, ipse est ostiarius. Nulla est ergo necessitas aliquid aliud quærere, nulla necessitas: sed fortasse est voluntas. Si est voluntas, noli exorbitare, noli à Trinitate discedere. Si personam aliam quæris ostiarii, Spiritus-sanctus occurrat: non enim dedignabitur ostiarius esse Spiritus sanctus, quando ipsum ostium esse dignatus est Filius. Vide ostiarium fortè Spiritum-sanctum: ipse Dominus discipulis suis de Spiritu-
Johan. 16. 13. sancto dicit, Ipse vos docebit omnem veritatem. Ostium quid est? Christus. Quid est Christus? Veritas. Quis aperit ostium, nisi qui docet omnem veritatem?

5. De mercenario autem quid dicimus? Non
Johan. 10. *v.* 11. *v.* 12. in bonis hic commemoratus est. * *Pastor bonus*, ait, *animam suam dat pro ovibus.* * *Mercenarius, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit; & lupus rapit, & dispergit oves.* Non hîc bonam personam mercenarius gerit, & tamen in aliquo utilis est: nec mercenarius diceretur, nisi acciperet à conducente mercedem. Quis est ergo iste mercenarius, & culpabilis & necessarius? Hîc verò, Fratres, luceat nobis ipse Dominus, ut & mercenarios intelligamus, & mercenarii non simus. Quis est ergo mercenarius? Sunt in Ecclesia quidam præpositi, de
Philip 2.21. quibus Paulus apostolus dicit, Sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Quid est, sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda consectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur à præposito, & propter hæc servitur Deo; quisquis est talis, mercenarius est, inter filios se non computet. De talibus
Matth. 6.5. enim & Dominus dicit, Amen dico vobis, percepérunt mercedem suam. Audi de Timotheo sancto
*Philip.*2.19. &c. quid dicat apostolus Paulus: Spero autem in Domino Jesu Timotheum citò mittere vobis, ut & » ego bono animo sim, cùm cognovero quæ circa » vos sint: neminem enim habeo [a] unianimem, qui » germanè de vobis sollicitus sit. Omnes enim sua » quærunt, non quæ Jesu Christi. Inter mercenarios » pastor ingemuit: quæsivit aliquem qui sinceriter diligeret gregem Christi, & circa se in eis qui cum illo eo tempore fuerant, non invenit. Non enim in Ecclesia Christi tunc præter Paulum apostolum & Timotheum nemo erat, qui germanè de grege sollicitus esset: sed contigerat, ut eo tempore quo Timotheum misit, circa se alium de filiis non haberet; sed soli mercenarii cum illo essent, sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Et tamen ipse germanè de grege sollicitus, maluit filium mittere, & inter mercenarios remanere. Invenimus & mercenarios, non eos discutit nisi Dominus; qui cor inspicit, ipse discutit: tamen aliquando intelliguntur à nobis. Non enim frustra dixit ipse Dominus etiam de lupis, Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Multos
Matth. 7. 16. interrogant tentationes, & tunc apparent cogitationes: multi autem latent. [b] Habeat ovile Domini præpositos, & filios & mercenarios. Præpositi autem qui filii sunt, pastores sunt. Si pastores sunt, quomodo unus pastor, nisi quia sunt illi omnes unius membra pastoris, cujus sunt oves propriæ? Nam
Isai. 53.7. & ipsi membra sunt ipsius unius ovis; quia sicut ovis ad immolandum ductus est.

6. Audite autem, quia & mercenarii necessarii sunt. Multi quippe in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi auditur: & sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Audite mercenarios ab ipso Domino demonstratos: Scribæ, inquit, & Pharisæi cathedram Moysi
Matth. 23. 2. sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Quid aliud dixit, nisi, Per mercenarios vocem pastoris audite? Sedendo enim cathedram Moysi Legem Dei docent: ergo per illos Deus docet. Sua verò illi si velint docere, nolite audire, nolite facere. Certè enim tales sua quærunt, non quæ Jesu Christi: nullus tamen mercenarius ausus est dicere populo Christi, Tua quære, non quæ Jesu Christi. Quod enim facit malè, non prædicat de cathedra Christi: inde lædit unde mala facit, non unde bona dicit. Botrum carpe, spinam cave. Bene, quia intellexistis, sed propter tardiores dicam hoc idem planiùs. Quomodo dixi, Botrum carpe, spinam cave? cùm Dominus dicat, Numquid col-
Matth. 7. 16. ligunt de spinis uvam, aut de tribulis ficum. Verum est omnino, & tamen etiam verum ego dixi, Botrum carpe, spinam cave. Quia botrus aliquando

[a] Sic MSS. Editi verò, *tam unanimem.*
[b] Editi, *Habet.* At MSS. *Habeat*: quo significatur necessaria Ecclesiæ etiam mercenariorum opera.

de radice vitis exortus, pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum. Non enim spinam vitis adtulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare nisi radices. Quære radicem spinæ, extrà invenis à vite: quære originem uvæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moysi vitis erat: Pharisæorum mores spinæ erant. Doctrina vera per malos, palmes in sepe, botrus inter spinas. Cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum: & cùm audis bona
Matth. 23. 3. dicentem, ne imiteris mala facientem. Quæ dicunt facite, legite uvas: quæ autem faciunt, facere nolite, cavete spinas. Etiam per mercenarios vocem pastoris audite, sed nolite esse mercenarii, cùm sitis membra pastoris. Ipse autem Paulus sanctus apostolus, qui dixit, Neminem habeo qui germanè de vobis sollicitus sit, omnes enim sua quæ-
Philip. 2. 20. & 21. » runt, non quæ Jesu Christi: alio loco inter mercenarios filiosque distinguens, videte quid dixerit,
Philip. 1.15. *&c.* Quidam per invidiam & contentionem; quidam » verò & per bonam voluntatem Christum prædi- » cant: quidam ex caritate, scientes quia in defen- » sionem Evangelii positus sum; quidam verò & per » contumaciam Christum annuntiant, non castè, » existimantes tribulationem suscitari vinculis meis. Isti mercenarii erant, Paulo apostolo invidebant. Quare invidebant, nisi quia temporalia requirebant? Sed quid adjungat, adtendite: Quid enim, » dum omni modo, sive occasione, sive veritate Christus annuntietur? Et in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Veritas est Christus: veritas à mercenariis occasione annuntietur, veritas à filiis veritate annuntietur: filii æternam hereditatem Patris patienter exspectant, mercenarii temporalem mercedem conducentis festinanter exoptant: mihi humana gloria, cui mercenarios invidere video, minuatur; & tamen per linguas & mercenariorum & filiorum divina Christi gloria diffametur, cùm sive occasione, sive veritate Christus annuntietur.

7. Vidimus qui sit etiam mercenarius. Quis est lupus, nisi diabolus? Et quid dictum est de mercenario? *Cùm viderit lupum venientem, fugit: quia non*
Johan. 10. 32. *sunt ejus oves propriæ, nec ei cura est de ovibus.* Numquid talis erat apostolus Paulus? absit. Numquid talis Petrus? absit. Numquid tales ceteri Apostoli, excepto Juda filio perditionis? absit. Pastores ergo illi? planè pastores. Et unde unus pastor? Jam dixi, pastores, quia membra pastoris. Illo capite gaudebant, sub illo capite concordabant, uno spiritu in unius corporis compage vivebant: ac per hoc omnes ad unum pastorem pertinebant. Si ergo pastores, non mercenarii, quare fugiebant quando persecutionem patiebantur? Expone nobis, ô Domi-
3. ne. Vidi in Epistola fugientem Paulum: per murum in sporta submissus est, ut manus persequentis evaderet. Non ergo illi cura fuit de ovibus, quas lupo veniente deserebat? Fuit planè, sed eas pastori in cælo sedenti orationibus commendabat: se autem utilitati earum fugiendo servabat, sicut quo-
*Philip.*1 24. dam loco ait, Manere in carne necessarium propter vos. Ab ipso namque pastore omnes audierant, Si
Matth. 10. 23. vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Hanc nobis quæstionem Dominus dignetur exponere. Domine tu dixisti eis, quos fideles pastores esse utique volebas, quos tua membra esse formabas, Si vos persecuti fuerint, fugite. Injuriam ergo illis facis, quando reprehendis mercenarios, qui vident lupum venientem & fugiunt. Rogamus indices nobis, quid habeat altitudo quæstionis: pulsemus, aderit qui aperiat se ostiarius ostii, quod est ipse.

8. Quis est mercenarius? Qui videt lupum venientem & fugit, qui sua quærit, non quæ Jesu *Philip* 2.21. Christi: peccantem non liberè audet arguere. Ec- *1. Tim.* 5. 20. ce nescio quis peccavit, graviter peccavit, increpandus est, excommunicandus est: sed excommunicatus, inimicus erit, insidiabitur, nocebit cùm potuerit. Jam ille qui sua quærit, non quæ Jesu Christi, ne perdat quod sectatur, humanæ amicitiæ commoditatem, & inimicitiarum humanarum incurrat molestiam, tacet, non corripit. Ecce lupus ovi guttur apprehendit: diabolus fideli adulterium persuasit, tu taces, non increpas: ô mercenarie, lupum venientem vidisti & fugisti. Respondet fortè & dicit, Ecce hîc sum, non fugi. Fugisti, quia tacuisti: tacuisti, quia timuisti. Fuga animi, timor est. Corpore stetisti, spiritu fugisti: quod ille non faciebat qui dicebat, Et si corpore absens sum, *Coloss.* 2. 5. spiritu vobiscum sum. Quomodo enim spiritu fugiebat, qui etiam corpore absens, fornicatores litteris arguebat? Affectiones nostræ motus animorum sunt. Lætitia, animi diffusio; tristitia, animi contractio; cupiditas, animi progressio; timor, animi fuga est. Diffunderis enim animo, cùm delectaris; contraheris animo, cùm molestaris; progrederis animo, cùm appetis; fugis animo, cùm metuis. Ecce unde ille mercenarius viso lupo dicitur fugere. Quare? *Quia non est ei cura de ovibus.* Quare *non* *Johan.* 10. *est ei cura de ovibus? Quia mercenarius est.* Quid est, 12. *v.* 13. *mercenarius est?* Temporalem mercedem quærens, & in domo in æternum non habitabit. Sunt hîc adhuc quærenda, & discutienda vobiscum, sed onerare vos non est consilii. Dominica enim cibaria conservis ministramus: in pascuis Dominicis oves pascimus, & simul pascimur. Sicut non est negandum quod necessarium est, sic non est cor infirmum pabuli multitudine prægravandum. Non sit ergo molestum Caritati Vestræ, quia omnia quæ hîc adhuc discutienda arbitror, hodie non discutio: sed iterum nobis in nomine Domini diebus reddendi sermonis eadem lectio recitabitur, & diligentiùs, illo adjuvante, tractabitur.

TRACTATUS XLVII.

Ab eo quod scriptum est, Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, &c. *usque ad id*; Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

1. QUI sermonem Dei nostri non solùm libenter, sed etiam diligenter auditis, promissionis nostræ procul dubio meministis. Ipsa quippe lectio Evangelica & hodie lecta est, quæ lecta fuerat proximo Dominico die: propterea quoniam in quibusdam necessitatibus immorati, non potuimus omnia discutere, quæ vestris sensibus debebamus. Proinde quæ jam dicta atque tractata sunt, hodie non quærimus: ne adhuc eadem repetendo, ad illa quæ nondum dicta sunt pervenire minimè permittamur. Nostis jam in nomine Domini qui sit bonus pastor, & quemadmodum pastores boni membra sint ejus, & ideo pastor sit unus: nostis qui sit mercenarius ferendus; quis lupus & fures & latrones cavendi; quæ sint oves, quod sit ostium quo & oves ingrediuntur & pastor; quomodo sit intelligendus ostiarius: nostis etiam quoniam quisquis non per ostium intraverit, fur est

& latro, nec venit nisi ut furetur, & occidat, & perdat. Hæc omnia dicta sufficienter, quantum existimo, pertractata sunt. Hodie debemus dicere quantum adjuvat Dominus, (quoniam ipse Jesus Christus salvator noster & pastorem se esse dixit, & ostium, & pastorem bonum dixit intrare per ostium) quomodo ipse per seipsum intret. Si enim nemo pastor bonus est, nisi qui per ostium intrat, & ipse est præcipuè pastor bonus, & ipse est ostium; intelligere non possum, nisi & ipsum per seipsum ad oves suas intrare, & vocem suam illis dare ut sequantur eum, easque intrantes & exeuntes pascua invenire, quod est vita æterna.

Quæstio tractanda.

2. Citò ergo dico. Ego quærens intrare ad vos, id est, ad cor vestrum, Christum prædico: si aliud prædicem, per aliam partem conabor adscendere. Christus itaque mihi janua est ad vos: per Christum intro, non ad parietes vestros, sed ad corda vestra. Per Christum intro, Christum in me libenter audistis. Quare Christum in me libenter audistis? Quia oves Christi estis, sanguine Christi comparati estis. Agnoscitis pretium vestrum: quod non à me datur, sed per me prædicatur. Ille quippe emit, qui pretiosum sanguinem fudit: pretiosus sanguis est illius sine peccato. Fecit tamen ipse etiam suorum sanguinem pretiosum, pro quibus dedit sanguinis pretium: nam si suorum sanguinem non faceret pretiosum, non diceretur, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Itaque etiam quod ait, *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus*, non ipse unus hoc fecit: & tamen si illi qui fecerunt membra ejus sunt, idem ipse unus hoc fecit. Ipse enim potuit facere sine illis, ipsi sine illo unde potuerunt, cùm ipse dixerit, Sine me nihil potestis facere? Hinc autem ostendimus quòd & alii fecerint, quia ipse apostolus Johannes, qui hoc quod audistis Evangelium prædicavit, in Epistola sua dixit, Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, » sic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Debemus dixit: debitores nos fecit, qui primus exhibuit. Ideo quodam loco scriptum est, Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige » quæ apponuntur tibi: & mitte manum tuam, sciens » quia talia te oportet præparare. Mensa potentis quæ sit, nostis; ibi est corpus & sanguis Christi: qui accedit ad talem mensam, præparet talia. Et quid est, præparet talia? Quomodo ipse pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus, [a] ad ædificandam plebem & asserendam fidem, animas pro fratribus ponere. Ideo Petro quem facere volebat pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait: Petre, amas me? pasce oves meas. Hoc semel, hoc iterum, hoc tertiò usque ad ejus tristitiam. Et cùm tantum interrogasset Dominus, quantum interrogandum esse judicavit, ut ter confiteretur qui ter negaverat, & ei suas oves pascendas tertiò commendasset; ait illi, Cùm junior esses, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm » autem senueris, extendes manus tuas, & alter te » cinget, & ducet quò tu non vis. Et exposuit Evangelista quid Dominus dixerit: Hoc autem, inquit, » dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Ad hoc ergo pertinet, Pasce oves meas: ut ponas animam tuam pro ovibus meis.

Psal. 115. *Johan.* 15. 5. *1. Johan.* 3. 16. *Prov.* 23. 1. *sec.* Lxx. *Johan.* 21. 17. *Johan.* 10. 15.

3. Jam illud quod ait, *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*, quis nescit? Ipse enim agnoscit Patrem per se, nos per illum. Quia ipse per se agnoscit, novimus: quia & nos per illum, etiam hoc novimus: quia & hoc per illum novimus. Ipse enim dixit, Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Ergo & nos per ipsum, quibus enarravit. Item alibi ait, Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quisquam novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Sicut ergo ipse per se novit Patrem, nos autem per illum novimus Patrem: sic intrat in ovile per semetipsum, & nos per ipsum. Ostium dicebamus per Christum nos habere ad vos: quare? Quia Christum prædicamus. Nos Christum prædicamus; & ideo per ostium intramus. Christus autem Christum prædicat, quia seipsum prædicat; & ideo pastor per seipsum intrat. Lumen cùm alia monstrat quæ videntur in lumine, numquid aliquo alio indiget ut monstretur? Lumen ergo & alia demonstrat & seipsum. Quæcumque intelligimus, intellectu intelligimus; & ipsum intellectum unde nisi intellectu intelligimus? Numquid sic oculo carnis & alia vides & ipsum? Quamvis enim videant homines oculis suis, non tamen vident oculos suos. Oculus carnis alia videt, se non potest: intellectus autem & alia intelligit, & seipsum. Quomodo intellectus videt se, sic & Christus prædicat se. Si prædicat se, & prædicando intrat ad te, per se intrat ad te. Et ad Patrem ipse est ostium: quia non est quà veniatur ad Patrem, nisi per ipsum. Unus enim Deus & unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. Verbo multa dicuntur: hæc ipsa quæ dixi, utique verbo dixi. Si velim dicere & ipsum verbum, unde dico nisi verbo? Ac per hoc per verbum & alia dicuntur, quæ non sunt quod verbum; & ipsum verbum dici non potest, nisi per verbum. Adjuvante Domino exemplis abundavimus. Tenete ergo quomodo Dominus Jesus Christus & ostium sit, & pastor: ostium pandendo se, pastor intrando per se. Et quidem, Fratres, quod pastor est, dedit & membris suis: nam & Petrus pastor, & Paulus pastor, & ceteri Apostoli pastores, & boni episcopi pastores. Ostium verò nemo nostrûm se dicit, hoc sibi ipse proprium tenuit, quà intrent oves Denique Paulus apostolus boni pastoris implebat officium, quando Christum prædicabat, quia per ostium intrabat. At ubi oves indisciplinatæ cœperunt facere schismata, & alia ostia sibi ponere, non quà intrarent ut congregarentur, sed quà errarent ut dividerentur, dicentes, alii, Ego sum Pauli; alii, Ego sum Cephæ; alii, Ego Apollo; alii, Ego Christi: expavescens ad eos qui dixerunt, Ego sum Pauli, tamquam clamans ad oves, Miseræ quà itis? non sum ostium. « Numquid Paulus, inquit, pro vobis crucifixus est, « aut in nomine Pauli baptizati estis? Qui verò dicebant, Ego sum Christi, invenerant ostium.

Johan. 1. 18. *Matth.* 11. 27. *1. Tim.* 2. 5. *1. Cor.* 1. 12. *&c.*

4. De uno autem ovili & uno pastore, jam quidem assiduè soletis audire: multùm enim commendavimus unum ovile prædicantes unitatem, ut per Christum omnes oves ingrederentur, & Donatum nulla sequeretur. Verumtamen unde hoc propriè dixerit Dominus, satis apparet. Loquebatur enim apud Judæos, missus autem fuerat ad ipsos Judæos, non propter quosdam immani odio pertinaces & perseverantes in tenebris, sed propter quosdam in ipsa gente quas dicit oves suas: de quibus ait, Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Noverat etiam eos in turba furentium,

Matth. 15. 24.

[a] MSS. plerique non habent *ad ædificandam plebem & asserendam fidem.*

rentium, & prævidebat in pace credentium. Quid est ergo, Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël, nisi quia præsentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo Israël? Ad gentes non perrexit ipse, sed misit: ad populum verò Israël & misit, & venit ipse; ut qui contemnebant, majus judicium sumerent, quia & præsentia est illis exhibita. Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi [a] sunt vestigia ejus, modò adorantur, ubi novissimè stetit, unde adscendit in cælum: ad gentes autem misit.

5. Sed fortè aliquis arbitratur, quoniam non ipse ad nos venit, sed misit ad nos, non nos audisse vocem ipsius, sed vocem eorum quos misit. Absit: pellatur ista cogitatio de cordibus vestris: & in his quos misit ipse erat. Ipsum Paulum audi quem misit; ad gentes enim præcipuè Paulum misit apostolum: & ait ipse Paulus terrens non de se, sed de illo, An vultis accipere experimentum ejus qui in me loquitur Christi? Audite & ipsum Dominum: *Et alias oves habeo*, id est, in gentibus: *quæ non sunt de hoc ovili*, id est, de populo Israël: *oportet me & illas adducere.* Ergo & per suos non alter adducit. Adhuc audi: *Vocem meam audient.* Ecce & per suos ipse loquitur, & per eos quos mittit vox ejus auditur. *Ut sit unum ovile & unus pastor.* Duobus istis gregibus tamquam duobus parietibus, factus est lapis angularis. Ergo & ostium est, & lapis angularis: omnia per similitudinem, nihil horum propriè.

2. Cor. 13. 3. *Johan.* 10. 16. *Ephes.* 2. 20.

6. Jam enim dixi, & commendavi vehementer, & qui capiunt sapiunt, immo qui sapiunt capiunt; & qui nondum intellectu sapiunt, fide teneant quod intelligere nondum possunt. Per similitudinem Christus multa est, quæ per proprietatem non est. Per similitudinem & petra est Christus, & ostium est Christus, & lapis angularis est Christus, & pastor est Christus, & agnus est Christus, & leo est Christus. Quàm multa per similitudines, & alia, quæ commemorare longum est. Si autem proprietates discutias rerum, quas videre consuesti; nec petra est, quia durus & sine sensu non est; nec ostium est, quia faber eum non fecit; nec lapis angularis est, quia non est ab structore compositus; nec pastor est, quia custos ovium quadrupedum non est; nec leo est, quia fera non est; nec agnus est, quia pecus non est. Omnia ergo ista per similitudinem. Quid ergo propriè? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quid de homine qui apparuit? Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

Johan. 1. 1. 14.

6. Audi & cetera. *Propterea me Pater diligit*, inquit: *quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Quid ait? *Propterea me Pater diligit:** quia morior ut resurgam. Cum magno enim pondere dictum est *ego; quia ego pono*, inquit, *pono animam meam, ego pono.* Quid est, *ego pono?* Ego illam pono: non glorientur Judæi; sævire potuerunt, potestatem habere non potuerunt: sæviant quantum possunt; si ego noluero animam meam ponere, quid sæviendo facturi sunt? Una responsione prostrati sunt: quando eis dictum est, Quem quæritis? dixerunt, Jesum: & ait eis, Ego sum: redierunt retrò, & ceciderunt. Qui ceciderunt ad unam vocem Christi morituri, quid facient sub voce judicaturi? *Ego, ego* inquam, *pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Non glorientur Judæi, quasi prævaluerint: ipse posuit animam suam. Ego dormivi, dicit. Nostis Psalmum: Ego dormivi & somnum cepi, & exsurrexi, quoniam Dominus susciplet me. Modò Psalmus ipse lectus est, modò audivimus: Ego dormivi & somnum cepi, & exsurrexi, quoniam Dominus susciplet me. Quid est, Ego dormivi? quia volui, dormivi. Quid est, dormivi? mortuus sum. Nonne dormivit, qui quando voluit, de sepulcro tamquam de lecto surrexit? Sed amat dare gloriam Patri, vt nos ædificet gloriam dare Creatori. Nam quòd addidit, exsurrexi, quoniam Dominus susciplet me: putatis hîc quasi virtutem ejus defeciſſe, ut per potestatem suam mori potuerit, per potestatem suam resurgere non potuerit? Sic enim videntur sonare verba non intentiùs intellecta, Ego dormivi, id est, quia volui dormivi. Et exsurrexi: quare? Quia Dominus susciplet me. Quid enim, tu à teipso resurgere non valeres? Si non valeres, non diceres, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Audi alio loco in Evangelio, quia non solùm Pater suscitavit Filium, sed etiam Filius seipsum. Solvite, inquit, templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Et Evangelista: Hoc autem, inquit, dicebat de templo corporis sui. Hoc enim suscitabatur quod moriebatur. Nam Verbum non est mortuum, anima illa non est mortua. Si nec tua morjtur, Domini moreretur?

Johan. 10. 17. *Johan.* 18. 6. *Johan.* 1. 18. *Johan.* 2. 19. *v.* 21.

7. Unde scio, inquis, si mea non moritur? A te non occidatur, & non moritur. Quomodo, inquis, ego possum occidere animam meam? Ut alia peccata interim taceam, Os quod mentitur, occidit animam. Quomodo, inquis, securus sum, quia non moritur? Ipsum Dominum audi dantem servo securitatem: Nolite timere eos qui occidunt corpus, & postea non habent quid faciant. Sed planè quid ait? Eum timete qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehenna. Ecce quia moritur, ecce quia non moritur. Quid est mori ipsius? Quid est mori carni tuæ? Mori carni tuæ, est amittere vitam suam: mori animæ tuæ, est amittere vitam suam. Vita carnis tuæ, anima tua: vita animæ tuæ, Deus tuus. Quomodo moritur caro amissâ animâ, quæ vita est ejus: sic moritur anima amissô Deo, qui vita est ejus. Certè ergo immortalis est anima. Planè immortalis, quia vivit & mortua. Quod enim de vidua deliciosa dixit Apostolus, etiam de anima, si Deum suum amiserit, dici potest, Vivens mortua est.

Sap. 1. 11. *Matth.* 10. « 28. *Luc.* 12. 4. *1. Tim.* 5. 6.

8. Quomodo ergo ponit animam suam Dominus? Fratres, quæramus hoc paulò attentiùs. Non nos artat hora quæ solet die Dominico: [b] vacat nobis, hoc lucrentur qui ad verbum Dei etiam die hodierna conveniunt. *Pono*, inquit, *animam meam.* Quis ponit? quam ponit? Quid est Christus? Verbum & homo. Nec sic homo ut sola caro: sed quia homo constat ex carne & anima, totus autem homo in Christo. Non enim partem deteriorem suscepisset, & partem meliorem deseruisset: pars quippe hominis melior est anima quàm cor-

In Christi morte quis ponit animam, & quam animam. b

[a] Lovanienses monent omitti *sunt* in duobus è suis MSS. at in nostris omnibus reperitur. Porrò de Christi vestigiis in Oliveti monte humo impressis mentio fit etiam in lib. de locis Hebraicis inter Hieronymi opera, & apud Bedam de nominibus locorum in Actis Apostolorum. Item in Sulpitii Severi hist. sacr. lib. 2.

[b] Sic verba interpungere visum est: non uti in priùs editis, *Non nos artat hora quæ solet, die Dominico vacat nobis.* Quod enim proximè subjicitur, *hoc lucrentur qui ad verbum Dei etiam die hodierna conveniunt*, satis indicat sermonem alio præter Dominicum die fuisse habitum.

pus. Quia ergo totus homo in Christo, quid est A Christus? Verbum, inquam, & homo. Quid est Verbum & homo? Verbum, anima & caro. Tenete hoc, quia non defuerunt hæretici & in ista sententia, pulsi quidem jam olim à veritate catholica: sed tamen ut fures & latrones non intrantes per ostium, insidiari ovili non desinunt. Apollinaristæ hæretici dicti sunt, qui ausi sunt dogmatizare quòd Christus non sit nisi Verbum & caro: animam humanam non eum assumsisse contendunt. Nam & aliqui eorum fuisse in Christo animam, negare non potuerunt. Videte absurditatem & insaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt: dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt hominis. Sed illi abstulerunt Christo rationem, non tenendo rationem. Absit hoc à nobis, in fide catholica nutritis atque fundatis. Ex hac ergo occasione admonuerim Caritatem Vestram, ut quomodo superioribus lectionibus satis vos instruximus adversùs Sabellianos & Arianos, Sabellianos qui dicunt, Ipse est Pater qui Filius; Arianos qui dicunt, Aliud est Pater, aliud est Filius, quasi non sint ejusdem substantiæ Pater & Filius: instruximus etiam, quantum meministis, & meminisse debetis, contra hæreticos Photinianos, qui solum hominem Christum sine Deo esse dixerunt; contra Manichæos, qui solum sine homine Deum: ex hac occasione de anima instruamus vos & contra Apollinaristas, qui dicunt Dominum nostrum Jesum Christum non habuisse animam humanam, id est, D animam rationalem, animam intelligentem, animam, inquam, in qua distamus à pecore, quòd homines sumus.

Apollinaristarum hæresis.

9. Quomodo ergo hîc dixit Dominus, *Potestatem habeo ponendi animam meam?* Quis ponit animam, & iterum sumit eam? Christus ex eo quod Verbum est, ponit animam, & sumit eam iterum? An ex eo quod anima humana est, ipsa se ponit, & iterum ipsa se sumit? An ex eo quod caro est, caro animam ponit, & iterum sumit? Tria proposui, E omnia pertractemus, & hoc eligamus quod conveniat regulæ veritatis. Si enim dixerimus quia Verbum Dei posuit animam suam, & iterum sumsit eam; metuendum est ne subintret prava cogitatio, & dicatur nobis, Ergo aliquando anima illa separata est à Verbo, & aliquando Verbum illud, ex quo susceperat animam illam, fuit sine anima. Video enim fuisse sine anima humana Verbum, sed cùm in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ex quo enim Ver- F bum caro factum est, ut habitaret in nobis, & susceptus est à Verbo homo, id est totus homo, anima & caro; quid fecit passio, quid fecit mors, nisi corpus ab anima separavit? Animam verò à Verbo non separavit. Si enim mortuus est Dominus, immo quia mortuus est Dominus, mortuus est enim pro nobis in cruce; sine dubio caro ipsius exspiravit animam: ad tempus exiguum anima deseruit carnem, sed redeunte animâ resurrecturam. A Verbo autem animam separatam esse non dico. G

Verbum in Christi morte non posuit animam.

Luc. 23. 43. Latronis animæ dixit, Hodie mecum eris in paradiso. Fidelem latronis animam non deserebat, & deserebat suam? absit. Sed illius ut Dominus custodivit, suam verò inseparabiliter habuit. Si autem dixerimus, quia ipsa se anima posuit, & iterum ipsa se sumsit, absurdissimus sensus est: non enim quæ à Verbo non erat separata, à seipsa poterat separari.

Nec anima seipsa posuit.

10. Dicamus ergo & quod verum est, & quod facilè intelligi potest. Ecce homo quilibet non constans ex Verbo & anima & carne, sed ex anima & carne: de isto homine interrogemus, quomodo ponat animam suam quicumque homo. An fortè nullus homo ponit animam suam? Potes mihi dicere, Nullus homo habet potestatem ponere animam suam, & iterum sumere eam. Ponere animam suam nisi posset homo, non diceret Johannes apostolus, Sicut Christus pro nobis animam suam po- *1. Johan. 3.* B suit, sic & nos debemus animas pro fratribus pone- *16.* re. Ergo & nobis licet (si & nos impleamur virtute ipsius, quia sine illo nihil facere possumus,) ponere pro fratribus animas nostras. Quando martyr quilibet sanctus posuit pro fratribus animam suam, quis posuit, & quam posuit? Hoc si intellexerimus, ibi videbimus quemadmodum à Christo dictum sit, *Potestatem habeo ponendi animam meam.* O homo paratus es pro Christo mori? Paratus, inquit. Dicam hoc aliis verbis. Paratus es pro Christo animam C tuam ponere? Et ad ista verba sic mihi respondet, Paratus sum: quomodo mihi responderat cùm dicerem, Paratus es mori. Hoc ergo est ponere animam, quod est mori. Sed pro quo ibi est certamen. Omnes enim homines quando moriuntur, ponunt animam: sed non omnes pro Christo ponunt. Et nemo habet potestatem sumere quod posuerit: Christus autem & pro nobis posuit, & quando voluit, posuit; & quando voluit, sumsit. Ponere ergo animam, mori est. Sic & apostolus Petrus Do- D mino dixit, Animam meam pro te ponam: id est, *Johan.* 13. 37. pro te moriar. Carni hoc tribue: caro ponit ani- *3. Sent. dist.* mam suam, & caro iterum sumit eam; non tamen *21. cap. Si-* sua potestate caro, sed potestate inhabitantis car- *cut.* nem: caro ergo ponit animam suam exspirando. Vide ipsum Dominum in cruce, Sitio dixit: illi qui *Johan.* 19. aderant tinxerunt spongiam in aceto, alligaverunt *28. &c.* arundini, & apposuerunt ori ejus: quod cùm accepisset, ait, Perfectum est: quid est, Perfectum est? impleta sunt omnia quæ ante mortem futura E de me fuerant prophetata. Et quia potestatem habebat quando vellet ponendi animam suam; postea quàm dixit, Perfectum est, quid ait Evangelista? Et inclinato capite tradidit spiritum. Hoc est ponere animam. Modò hîc adtendat Caritas Vestra. Inclinato capite tradidit spiritum. Quis tradidit? quem tradidit? Spiritum tradidit, caro illum tradidit. Quid est, caro illum tradidit? caro illum emisit, caro illum exspiravit. Ideo enim dicitur exspirare, extra spiritum fieri. Quomodo est exsulare, F extra solum fieri, exorbitare, extra orbitam fieri: sic exspirare, extra spiritum fieri, qui spiritus anima est. Cùm ergo exit anima à carne, & remanet caro sine anima, tunc homo ponere animam dicitur. Quando Christus animam posuit? quando Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat: ibi potestas erat quando poneret caro animam, & quando sumeret.

Caro ipsa quomodo posuit animam.

11. Si ergo caro animam posuit, quomodo Christus animam posuit? Non enim caro Christus? Ita planè, & caro Christus, & anima Christus, & G Verbum Christus: nec tamen tria hæc tres Christi, sed unus Christus. Hominem interroga, & de teipso fac gradum ad ea quæ supra te sunt, etsi nondum intelligenda, saltem credenda. Quomodo est enim unus homo anima & corpus, sic unus Christus Verbum & homo. Videte quid dixerim, & intelligite. Anima & corpus duæ res sunt, sed unus homo:

Animam Christus ipse quomodo posuit.

verbum & homo duæ res sunt, sed unus Christus. A Ergo de homine quære. Ubi est Paulus apostolus modò? Si quis respondeat, In requie cum Christo: verum dicit. Item si quis respondeat, Romæ in sepulcro: & ipse verum dicit. Illud mihi de anima, hoc de ejus carne respondet. Nec tamen ideo duos dicimus apostolos Paulos, unum qui requiescit in Christo, alium qui positus est in sepulcro: quamvis apostolum Paulum dicamus vivere in Christo, eumdemque apostolum Paulum dicamus mortuum jacere in sepulcro. Moritur aliquis, dicimus, Bonus B homo, fidelis homo, in pace est cum Domino: & continuò, Eamus ad exsequias ipsius, & sepeliamus illum. Eum sepulturus es quem jam dixeras in pace esse cum Deo: cùm aliud sit anima quæ immortaliter viget, aliud corpus quod corruptibiliter jacet. Sed ex quo consortium carnis & animæ hominis nomen accepit, jam & singulum atque separatum, utrumlibet eorum nomen hominis tenuit.

12. Nemo ergo titubet quando audit Dominum dixisse, *Pono animam meam, & iterum sumo eam.* C Ponit eam caro, sed ex potestate Verbi: sumit eam caro, sed ex potestate Verbi. Et ipse Dominus Christus dictus est sola caro. Quomodo, inquit, probas? Audeo dicere, & sola caro Christi dictus est Christus. Credimus certè non in solum Deum Patrem, sed & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum: modò totum dixi, in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Totum ibi intellige, & Verbum, & animam, & carnem. Sed utique confiteris etiam illud D quod habet eadem fides, in eum Christum te credere qui crucifixus est & sepultus. Ergo etiam sepultum Christum esse non negas: & tamen sola caro sepulta est. Si enim erat ibi anima, non erat mortuus: si autem vera mors erat, ut ejus vera sit resurrectio, sine anima fuerat in sepulcro: & tamen sepultus est Christus. Ergo Christus erat etiam sine anima caro, quia non est sepulta nisi caro. Disce

Christus dictus est etiam sola caro.

Philip. 2. 6. hoc etiam in apostolicis verbis. Hoc sentite, inquit, » in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cùm in for- E » ma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Quis, nisi Christus Jesus, quantum adtinet ad id quod est Verbum, Deus apud Deum?

v. 7. Vide autem quod sequitur: Sed semetipsum exina- » nivit formam servi accipiens, in similitudine homi- » num factus, & habitu inventus ut homo. Et hoc quis, nisi idem ipse Christus Jesus? Sed hîc jam omnia sunt, & Verbum in forma Dei, quæ accepit formam servi; & anima & caro in forma servi,

v. 8. quæ accepta est à forma Dei. Humiliavit semetip- F sum, factus obediens usque ad mortem. Jam in morte sola caro est à Judæis occisa. Si enim discipu-

Matth. 10. *28.* lis dixit, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: numquid in ipso potuerunt plus quàm corpus occidere? Et tamen carne occisa Christus occisus est. Ita cùm caro animam posuit, Christus animam posuit; & cùm caro ut resurgeret animam sumsit, Christus animam sumsit. Nec tamen potestate carnis hoc factum est: sed ejus qui & animam & carnem, ubi hæc adim- G plerentur, assumsit.

Johan. 10. *18.* 13. *Hoc*, inquit, *mandatum accepi à Patre meo.* Verbum non verbo [a] accepit mandatum, sed in Verbo unigenito Patris est omne mandatum. Cùm autem dicitur Filius à Patre accipere quod substan-

Johan. 5. 26. tialiter habet, quomodo dictum est, Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso, cùm Filius ipse sit vita: non potestas minuitur, sed generatio ejus ostenditur. Quoniam Pater non quasi ei filio qui imperfectus est natus, aliquid addidit: sed ei quem perfectum genuit, omnia gignendo dedit. Ita illi dedit suam æqualitatem, quem non genuit inæqualem. Sed hæc loquente Domino, quoniam lux lucebat in tenebris, *Johan.* 1. 5. & tenebræ eam non comprehendebant, * *Dissensio* *Johan.* 10. *iterum facta est inter Judæos propter sermones hos.* *v.* 19. * *Dicebant autem multi ex ipsis, Dæmonium habet,* *v.* 20. *& insanit: quid eum auditis?* Istæ fuerunt densissimæ tenebræ. *Alii dicebant, Hæc verba non sunt dæmo-* *v.* 21. *nium habentis: numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Jam istorum oculi cœperant aperiri.

[a] Editi, *non à verbo.* MSS. verò carent præpositione *à*.

TRACTATUS XLVIII.

Ab eo loco, Facta sunt Encænia in Jerosolymis: *usque ad id*, Omnia autem quæcumque dixit Johannes de hoc, vera erant: & multi crediderunt in eum.

1. QUOD jam commendavi Dilectioni Vestræ, stabiliter meminisse debetis, sanctum Johannem Evangelistam nolle nos semper lacte nutriri, sed solido cibo vesci. Quisquis autem ad sumendum solidum cibum verbi Dei adhuc minùs idoneus est, lacte fidei nutriatur, & verbum quod intelligere non potest, credere non cunctetur. Fides enim meritum est, intellectus præmium. In ipso labore intentionis desudat acies mentis nostræ, ut ponat sordiculas nebulæ humanæ, & serenetur ad verbum Dei. Non ergo recusetur labor, si adest amor: nostis enim quoniam qui amat, non laborat. Omnis enim labor non amantibus gravis est. Si tantos labores cum avaris portat cupiditas, nobiscum non portat caritas?

2. Evangelium intendite: *Facta sunt autem En-* *Johan.* 10. *cænia in Jerosolymis.* Encænia festivitas erat dedica- *22.* tionis templi. Græcè enim ἐγκαίνια dicitur novum. Quandocumque novum aliquid fuerit dedicatum, E Encænia vocantur. Jam & usus habet hoc verbum: si quis novâ tunicâ induatur, encæniare dicitur. Illum enim diem quo templum dedicatum est, Judæi sollemniter celebrabant: ipse dies festus agebatur, cùm ea quæ lecta sunt, locutus est Dominus.

3. *Hyems erat.* * *Et ambulabat Jesus in templo in* *v.* 23. *porticu Salomonis.** *Circumdederunt ergo eum Judæi, &* *v.* 24. *dicebant ei, Quò usque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm.* Non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. *Hyems erat*, & frigidi erant: ad illum enim divinum ignem accedere pigri erant. Sed accedere est credere: qui credit, accedit; qui negat, recedit. Non movetur anima pedibus, sed affectibus. Friguerant à diligendi caritate, & ardebant nocendi cupiditate. Longè aberant, & ibi erant: non accedebant credendo, & premebant persequendo. Quærebant audire à Domino, Ego sum Christus: & fortasse de Christo secundùm hominem sapiebant. Prædicaverunt Prophetæ Christum: sed divinitatem Christi & in Prophetis & in ipso Evangelio nec hæretici intelligunt: quantò minùs Judæi, quamdiu velamen est super *2. Cor.* 3. 15. cor eorum? Denique quodam loco sciens Dominus Jesus eos de Christo secundùm hominem sapere, non secundùm Deum, secundùm id quod homo erat, non secundùm id quod Deus etiam assumto

homine permanebat, ait illis, Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Respondérunt secundùm opinationem suam, David. Sic enim legerant, & hoc solum tenebant: quia divinitatem ejus legebant, sed non intelligebant. Dominus autem ut eos suspenderet ad quærendam ejus divinitatem, cujus contemnebant infirmitatem, respondit eis, » Quomodo ergo David in spiritu dicit eum Domi- *Psal. 109. 1.* » num, dicens, Dixit Dominus Domino meo sede à » dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedi- » bus tuis? Si ergo David in spiritu dicit eum Domi- » num, quomodo filius ejus est? Non negavit, sed interrogavit. Ne quis hoc cùm audierit, putet quòd Dominus Jesus negaverit se filium esse David. Filium David Dominus Christus si se negaret, cæcos sic eum invocantes non illuminaret. Transibat enim aliquando, & duo cæci sedentes juxta viam clama- *Matth. 20. 30.* verunt, Miserere nostri fili David. Qua voce audita, misertus est, stetit, sanavit, lumen dedit; quia *Rom. 1. 3.* nomen agnovit. Dicit & apostolus Paulus, Qui fa- » ctus est ei ex semine David secundùm carnem: & *2. Tim. 2. 8.* ad Timotheum, Memor esto Jesum Christum re- » surrexisse à mortuis ex semine David secundùm Evangelium meum. Quia de semine David originem Maria virgo ducebat, inde Dominus de semine David.

4. Hoc pro magno Judæi à Christo quærebant, ut si diceret, Ego sum Christus, secundùm quod illi solùm sapiebant de semine David, calumniarentur quòd sibi arrogaret regiam potestatem. Plus est quod eis respondit: illi de filio David volebant calumniari, ille Filium Dei se esse respondit. Et quomodo? Audite: * *Respondit eis Jesus, Loquor vobis,* *Johan. 10. v. 25.* *& non creditis; opera quæ ego facio in nomine Pa-* *v. 26.* *tris mei, hæc testimonium perhibent de me:* * *sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Jam suprà *In Tract. 45. Oves & non oves, quinam.* didicistis quæ sint oves: estote oves. Oves credendo sunt, oves pastorem sequendo sunt, oves redemtorem non contemnendo sunt, oves per ostium intrando sunt, oves exeundo & pascua inveniendo sunt, oves vitâ æternâ perfruendo sunt. Quomodo ergo istis dixit, *Non estis ex ovibus meis?* Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.

v. 27. 5. * *Oves meæ vocem meam audiunt, & cognosco* *v. 28.* *eas, & sequuntur me:* * *Et ego vitam æternam do eis.*

v. 9. Ecce sunt pascua. Si recolitis, superiùs dixerat, *Et ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Ingressi sumus credendo, egredimur moriendo. Sed quomodo per ostium fidei ingressi sumus, sic fideles de corpore exeamus: sic enim per ipsum ostium egredimur, ut pascua invenire possimus. Bona pascua, vita æterna dicitur: ibi nulla herba aresci, totum viret, totum viget. Solet quædam herba dici semper [a] viva: ibi solum vivere invenitur. *Vitam æternam*, inquit, *dabo eis*, ovibus meis. Vos calumnias propterea quæritis, quia de vita præsenti cogitatis.

v. 28. 6. *Et non peribunt in æternum:* subaudis, tamquam eis dixerit, Vos peribitis in æternum, quia non estis ex ovibus meis. *Non rapiet eas quisquam de manu* *v. 29.* *mea.* Intentiùs accipite: *Pater meus quod dedit mi-* *hi, majus est omnibus.* Quid potest lupus? quid potest fur & latro? Non perdunt nisi ad interitum prædestinatos. De illis autem ovibus, de quibus *2. Tim. 2. 19.* dicit Apostolus, Novit Dominus qui sunt ejus: &, *Rom. 8. 30.* » Quos præscivit, ipsos & prædestinavit; quos autem » prædestinavit, ipsos & vocavit; quos autem vocavit, illos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit: de ovibus istis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero earum, qui pro eis novit quod dedit. Et hoc est quod ait, *Non rapiet eas quisquam de manu mea:* & item ad Patrem, *Pater meus quod dedit mihi, majus est omnibus.* Quid dedit Filio Pater majus omnibus? Ut ipse illi esset unigenitus Filius. Quid est ergo *dedit?* Jam erat cui daret, an gignendo dedit? Nam si erat cui daret ut Filius esset, aliquando erat, & Filius non erat. Absit ut aliquando Dominus Christus fuerit, & Filius non fuerit. De nobis hoc dici potest: aliquando filii hominum eramus, filii Dei non eramus. Nos enim filios Dei gratia fecit, illum natura, quia ita natus est. Et non est ut dicas, Non erat antequam natus erat: numquam enim non natus erat, qui Patri coæternus erat. Qui sapit capiat, qui non capit credat, nutriatur, & capiet. Verbum Dei semper cum Patre, & semper Verbum: & quia Verbum, ideo Filius. Semper ergo Filius, & semper æqualis. Non enim crescendo, sed nascendo æqualis est, qui semper natus est de Patre Filius, de Deo Deus, de æterno coæternus. Pater autem non de Filio Deus: Filius de Patre Deus, ideo Pater Filio gignendo dedit ut Deus esset, gignendo dedit ut sibi coæternus esset, gignendo dedit ut æqualis esset. Hoc est quod majus est omnibus. Quomodo vita Filius, & habens vitam Filius? Quod habet hoc est: tu aliud es, aliud habes. Verbi gratiâ, habes sapientiam: numquid tu es ipsa sapientia? Denique quia non es tu ipse quod habes, si amiseris quod habes, [b] redis ut non habeas: & aliquando resumis, aliquando amittis. Quomodo oculus noster non in seipso habet inseparabiliter lucem, aperitur & capit, clauditur & amittit. Non sic est Deus Dei Filius, non sic est Verbum Patris: non sic est Verbum quod non sonando transit, sed nascendo manet. Sic habet sapientiam, ut ipse sit sapientia, faciatque sapientes: sic habet vitam, ut sit ipse vita, faciatque viventes. Hoc est quod majus est omnibus. Adtendit Johannes ipse Evangelista cælum & terram, volens dicere de Filio Dei; adtendit, & transcendit. Cogitavit supra cælum millia exercitus Angelorum, cogitavit & transcendit universam, sicut aquila nubes, sic sua mente creaturam: transcendit magna omnia, pervenit ad illud quod majus est omnibus: & dixit, In principio *Johan. 1. 1.* erat Verbum. Sed quia ille cujus est Verbum non est de Verbo, Verbum autem de illo est cujus est Verbum: ideo ait, *Quod dedit mihi Pater*, id est, ut sim Verbum ejus, ut sim unigenitus Filius ejus, ut sim splendor lucis ejus, *majus est omnibus.* Ideo *Nemo rapit*, inquit, *oves meas de manu mea. Nemo potest rapere de manu Patris mei.*

7. *De manu mea*, & *de manu Patris mei:* quid est hoc, *Nemo rapit de manu mea*, & *Nemo rapit de manu Patris mei?* Utrùm una manus est Patris & Filii, an fortè ipse Filius manus est Patris sui? Si manum intelligamus potestatem, una est Patris & Filii potestas; quia una est divinitas: si autem manum intelligamus, sicut dictum est per Prophetam, Et brachium Domini cui revelatum est: manus Pa- *Isa. 53. 1.* tris ipse est Filius. Quod non ita dictum est, tamquam Deus habeat humanam formam, & quasi corporis membra: sed quòd per ipsum facta sunt omnia. Nam solent & homines dicere manus suas esse alios homines, per quos faciunt quod volunt.

[a] In MSS. *semper vivit*: dicitur Græcis, Ἀεῖζωα, sive Ἀΐζωον.

[b] Sic MSS. At editi, *reddis*.

Aliquando & ipsum opus hominis, manus hominis dicitur quod fit per manum: sicut dicitur quisque agnoscere manum suam, cùm id quod scripsit agnoscit. Cùm ergo multis modis etiam hominis dicatur manus, qui propriè manum habet in sui corporis membris: quantò magis non uno modo intelligendum est cùm legitur manus Dei, cui forma corporis nulla est? Ac per hoc meliùs hoc loco manum Patris & Filii intelligimus potestatem Patris & Filii: ne fortè cùm hîc manum Patris ipsum Filium dictum acceperimus, incipiat carnalis cogitatio etiam ipsius Filii quærere Filium, quem similiter credat Christi manum. Ergo *Nemo rapit de manu Patris mei*, hoc est, Nemo rapit mihi.

8. Sed ne fortè adhuc titubes, audi quid sequitur: *Ego & Pater unum sumus.* Huc usque Judæi *Johan. 10. 30.* tolerare potuerunt: audierunt, *Ego & Pater unum* *Johan. 8. 59.* *sumus*, & non pertulerunt, & more suo duri ad la- *Johan. 10. 31.* pides cucurrerunt. *Tulerunt lapides, ut lapidarent eum.* Dominus quia non patiebatur quod nolebat pati, & non est passus nisi quod voluit pati, adhuc eos lapidare cupientes alloquitur. *Sustulerunt lapides* *v. 32.* *Judæi, ut lapidarent illum.* * *Respondit eis Jesus, Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod* *v. 33.* *eorum opus me lapidatis?* * *Et illi responderunt, De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.* Ad illud hoc respondérunt quod dixerat, *Ego & Pater unum sumus.* Ecce Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici, *Ego & Pater unum sumus*, nisi ubi æqualitas est Patris & Filii. *Ariani minùs intelligêes quàm Judæi.*

9. Dominus autem videte quid responderit tardis. Vidit eos non ferre splendorem veritatis, & *v. 34.* cum temperavit in verbis. *Nonne scriptum est in Lege vestra*, id est, vobis data: *Quia ego dixi dii estis?* Deus dicit per Prophetam in Psalmo hominibus, *Psal. 81. 6.* Ego dixi dii estis. Et Legem appellavit Dominus generaliter omnes illas Scripturas: quamvis alibi specialiter dicat Legem, à Prophetis eam distinguens, sicuti est, Lex & Prophetæ usque ad Johan- *Luc. 16. 16.* nem: &, In his duobus præceptis tota Lex pendet *Matth. 22. 40.* & Prophetæ. Aliquando autem in tria distribuit *Luc. 24. 44.* easdem Scripturas, ubi ait, Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me. Nunc verò Psalmos etiam Legis nomine *Johan. 10. v. 35.* nuncupavit, ubi scriptum est, Ego dixi dii estis. * *Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, & non po-* *v. 36.* *test solvi Scriptura:* * *quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Si sermo Dei factus est ad homines ut dicerentur dii, ipsum Verbum Dei quod est apud Deum, quomodo non est Deus? Si per sermonem Dei fiunt homines dii, si participando fiunt dii, unde participant non est Deus? Si lumina illuminata dii sunt, lumen quod illuminat non est Deus? Si calefacti quodammodo igne salutari dii efficiuntur, unde calefiunt non est Deus? Accedis ad lumen & illuminaris, & inter filios Dei numeraris; si recedis à lumine, obscuraris, & in tenebris computaris: illud tamen lumen nec accedit ad se, quia non recedit à se. Si ergo vos deos facit sermo Dei, quomodo non est Deus Verbum Dei? Pater ergo sanctificavit Filium suum, & misit in mundum. Fortè aliquis dicat, Si Pater eum sanctificavit, ergo aliquando non erat sanctus? Sic sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Nam si quod sanctificatur, antè non erat sanctum; quomodo dicimus Deo Patri, Sanctificetur nomen tuum? *Matth. 6. 9.*

10. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi crede-* *Johan. 10.* *re: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus* *37.* *credite, ut cognoscatis & credatis, quia in me est Pater & ego in illo.* Non sic dicit Filius, *in me est Pater & ego in illo*, quomodo possunt homines dicere. Si enim bene cogitemus, in Deo sumus; & si bene vivamus, Deus in nobis est: fideles participantes ejus gratiam, illuminati ab ipso, in illo sumus, & ipse in nobis. Sed non sic unigenitus Filius: ille in Patre, & Pater in illo, tamquam æqualis in eo cui est æqualis. Denique nos aliquando possumus dicere, In Deo sumus, & Deus in nobis: Ego & Deus unum sumus, numquid possumus dicere? In Deo es, quia Deus te continet; Deus est in te, quia templum Dei factus es: sed numquid quia in Deo es, & Deus est in te, potes dicere, Qui me videt, Deum videt: quomodo Unigenitus dixit, Qui me *Johan. 14. 9.* vidit, vidit & Patrem: &, *Ego & Pater unum sumus?* *Johan. 10.* Agnosce proprium Domini, & munus servi. Pro- *30.* prium Domini, est æqualitas Patris: munus servi, est participatio Salvatoris.

11. *Quærebant ergo eum apprehendere.* Utinam *v. 39.* apprehenderent, sed credendo & intelligendo, non sæviendo & occidendo. Nam modò, Fratres mei, quando talia loquor, infirmus fortia, parvus magna, fragilis solida, & vos tamquam ex eadem massa unde sum & ego, & ego ipse qui vobis loquor, simul omnes apprehendere volumus Christum. Quid est apprehendere? Intellexisti, apprehendisti. Sed non sic Judæi: tu apprehendisti ut habeas, illi apprehendere volebant, ut non haberent. Et quia sic volebant apprehendere, quid eis fecit? *Exiit de manibus eorum.* Non eum apprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt. Verbum caro factum est: sed non erat Verbo magnum, ejicere carnem suam de manibus carnis. Mente Verbum apprehendere, hoc est Christum rectè apprehendere.

12. * *Et abiit iterum trans Jordanem in eum locum ubi* *v. 40.* *erat Johannes baptizans primùm, & mansit ibi.* * *Et* *v. 41.* *multi venerunt ad eum, & dicebant, Quia Johannes quidem signum fecit nullum.* Meministis vobis dictum de Johanne, quia lucerna erat, & diei testimonium *Johan. 5. 35.* perhibebat. Quid ergo isti apud se dixerunt, *Johannes signum fecit nullum?* Nullum, inquiunt, miraculum ostendit Johannes: non dæmonia fugavit, non expulit febrem, non cæcos illuminavit, non mortuos suscitavit, non tot millia hominum de quinque vel septem panibus pavit, non supra mare ambulavit, non ventis & fluctibus imperavit; nihil horum fecit Johannes: & totum quidquid dicebat, huic testimonium perhibebat. Per lucernam veniamus ad diem. *Johannes nullum signum fecit.* * *Omnia* *Johan. 10.* *autem quæcumque dixit Johannes de hoc, vera erant.* *42.* Ecce qui apprehenderunt, non quomodo Judæi. Judæi volebant apprehendere discedentem, apprehenderunt isti permanentem. Denique quid sequitur? *Et multi crediderunt in eum.*

TRACTATUS XLIX.

Ab eo quod legitur, Erat autem quidam languens Lazarus: *usque ad id*, Abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.

1. INTER omnia miracula quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, Lazari resurrectio præcipuè prædicatur. Sed si adtendamus

quis fecerit, delectari debemus potiùs quàm mirari. Ille suscitavit hominem qui fecit hominem : ipse enim est Unicus Patris, per quem, sicut nostis, facta sunt omnia. Si ergo per illum facta sunt omnia, quid mirum est si resurrexit unus per illum, cùm tot quotidie nascantur per illum ? Plus est homines creare quàm resuscitare. Dignatus est tamen & creare & resuscitare, creare omnes, resuscitare quosdam. Nam cùm multa fecisset Dominus Jesus, non omnia scripta sunt ; sicut idem ipse sanctus Johannes Evangelista testatur, multa Dominum Christum & dixisse & fecisse, quæ scripta non sunt : electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur. Audisti enim quia Dominus Jesus mortuum suscitavit : sufficit tibi, ut scias quia si vellet, omnes mortuos suscitaret. Et hoc quidem sibi ad finem sæculi reservavit. Nam quem audistis magno miraculo quatriduanum mortuum suscitasse de sepulcro, veniet hora, sicut ipse ait, quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus, & procedent. Resuscitavit putentem, sed tamen in cadavere putente adhuc erat forma membrorum ; ille in novissimo die ad unam vocem cineres est restituturus in carnem. Sed oportebat ut modò aliqua faceret, quibus datis velut suæ virtutis indiciis, credamus in eum, & ad illam resurrectionem præparemur, quæ erit ad vitam, non ad judicium. Ita quippe ait : » Veniet hora, quando omnes qui in monumentis » sunt, audient vocem ejus : & procedent qui bene » fecerunt ad resurrectionem vitæ, qui malè egerunt » ad resurrectionem judicii.

Johan. 20. 30.

Johan. 5. 28.

2. Tres tamen mortuos à Domino resuscitatos in Evangelio legimus, & fortè non frustra. Domini quippe facta non sunt tantummodo facta, sed signa. Si ergo signa sunt, præter id quod mira sunt, aliquid profectò significant : quorum factorum significationem invenire, aliquantò est operosius, quàm ea legere vel audire. Admirantes audiebamus, tamquam magni miraculi spectaculo ante nostros oculos constituto, cùm Evangelium legeretur, quemadmodum revixerit Lazarus. Si adtendamus [a] mirabiliora opera Christi, omnis qui credit, resurgit : si adtendamus omnes, & intelligamus detestabiliores mortes, omnis qui peccat moritur. Sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes ne veniat : inde est quod laborant. Laborat ne moriatur homo moriturus, & non laborat ne peccet homo in æternum victurus. Et cùm laborat ne moriatur, sine caussa laborat ; id enim agit ut multùm mors differatur, non ut evadatur : si autem peccare nolit, non laborabit, & vivet in æternum. O si possemus excitare homines, & cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis ! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus ? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quidquid sibi unde viverent, reservabant. Quis non continuò prodidit ne percuteretur ? Et post proditionem fortasse percussus est. Quis non, ut viveret, continuò perdere voluit unde viveret, eligens vitam mendicantem quàm celerem mortem ? Cui dictum est, Naviga ne moriaris : & distulit ? Cui dictum est, Labora ne moriaris : & piger fuit ? Levia Deus jubet, ut in æternum vivamus : & obedire negligimus. Non tibi Deus dicit, Perde quidquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore sollicitus : sed, Da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cùm volunt, nec quamdiu volunt habent : & nos invicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternam, quam si voluerimus habebimus, cùm habuerimus non amittemus : hanc autem mortem quam timemus, etiamsi noluerimus, habebimus.

a

Mortem carnis omnes refugiunt : de morte animæ pauci curant.

3. Si ergo Dominus magnâ suâ gratiâ, & magnâ suâ misericordiâ animas suscitat, ne moriamur in æternum ; bene intelligimus tres illos mortuos quos in corporibus suscitavit, aliquid significare & figurare de resurrectionibus animarum quæ fiunt per fidem : resuscitavit filiam Archisynagogi adhuc in domo jacentem, resuscitavit juvenem filium viduæ extra portas civitatis elatum, resuscitavit Lazarum sepultum quatriduanum. Intueatur quisque animam suam : si peccat, moritur : peccatum, mors est animæ. Sed aliquando in cogitatione peccatur. Delectavit quod malum est, consensisti, peccasti ; consensio illa occidit te : sed intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit in factum. Talem animam resuscitare se significans Dominus, resuscitavit illam puellam quæ nondum erat foras elata, sed in domo mortua jacebat : quasi peccatum latebat. Si autem non solùm malæ delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum fecisti ; quasi mortuum extra portam extulisti : jam foris es, & mortuus elatus es. Tamen & ipsum Dominus resuscitavit, & reddidit viduæ matri suæ. Si peccasti, pœniteat te : & resuscitat te Dominus, & reddet Ecclesiæ matri tuæ. Tertius mortuus est Lazarus. Est GENUS MORTIS IMMANE, mala consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat & continuò corrigitur, citò reviviscit : quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consuevit, sepultus est, & bene de illo dicitur, fœtet : incipit enim habere pessimam famam, tamquam odorem teterrimum. Tales sunt omnes assueti sceleribus, perditi moribus. Dicis ei, Noli facere. Quando te audit quem terra sic premit, & tabe corrumpitur, & mole consuetudinis prægravatur ? Nec ad ipsum tamen resuscitandum minor fuit virtus Christi. Novimus, vidimus, quotidie videmus homines pessima consuetudine permutata vivere melius, quàm vivunt qui reprehendebant. Detestabaris hominem : ecce ipsa soror Lazari (si tamen ipsa est, quæ pedes Domini unxit unguento, & tersit capillis suis quos laverat lacrymis) melius suscitata est quàm frater ejus : de magna malæ consuetudinis mole est liberata. Erat enim famosa peccatrix : & de illa dictum est, Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Videmus multos, novimus multos : nemo desperet, nemo de se præsumat. Et desperare malum est, & de se præsumere. Sic noli desperare, ut eligas de quo debeas præsumere.

Mortis & peccati genus triplex.

Marci 5. 41. *&c. Luc.* 7. 14. *Johan.* 11. 43.

Conf. lib. 1. *de Sermone Dom. in monte n.* 35.

Luca 7. 47.

4. Ergo & Lazarum Dominus suscitavit. Audistis qualem, id est, quid significet Lazari resurrectio. Legamus itaque jam : & quoniam multa in hac lectione manifesta sunt, expositionem in singulis non quæramus, ut necessaria pertractemus. *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de Johan.* 11. 1.

[a] Fortè legendum sic : *mirabiliore opere Christi omnis qui credit resurgit.* Et infrà. *Detestabiliore morte omnis qui peccat moritur.*

a *castello Mariæ & Marthæ* [a] *sororum ejus.* In superiore lectione meministis, quòd Dominus exiit de manibus eorum qui lapidare illum voluerant, & discessit trans Jordanem ubi Johannes baptizabat. Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod castellum erat proximum Jerosolymis.

Johan. 10. 39.

v. 2. 5. *Mariæ autem erat quæ unxit Dominum unguento, & exterfit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur.* * *Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes.* Jam intelligimus quò miserunt, ubi erat Dominus : quoniam absens erat, trans Jordanem scilicet. Miserunt ad Dominum, nuntiantes quòd ægrotaret frater earum : ut si dignaretur veniret, & eum ab ægritudine liberaret. Ille distulit sanare, ut posset resuscitare. Quid ergo renuntiaverunt sorores ejus ? *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Non dixerunt, Veni : amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni, & sana : non ausæ sunt dicere, Ibi jube, & hîc fiet. Cur enim non & istæ, si fides illius Centurionis inde laudatur ? Ait enim, Non sum dignus ut intres sub » tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantummodo, *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Sufficit ut noveris ; non enim amas, & deseris. Dicit aliquis, Quomodo per Lazarum peccator significabatur, & à Domino sic amabatur ? Audiat eum dicentem, Non veni vocare justos, sed peccatores. Si enim peccatores Deus non amaret, de cælo ad terras non descenderet.

Matth. 8. 8.

Matth. 9. 13.

Johan. 11. 4. 6. *Audiens autem Jesus, dixit eis, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei.* Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc ergo ait, *non est ad mortem*, quia & ipsa mors non erat ad mortem : sed potiùs ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum, & vitarent veram mortem. Sanè videte, quemadmodum tamquam ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam qui negant Filium Deum esse. Nam sunt hæretici qui hoc negant, quòd Filius Dei sit Deus. Ecce audiant : *Infirmitas hæc*, inquit, *non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Qua gloria ? cujus Dei ? Audi quod sequitur : *ut glorificetur Filius Dei. Infirmitas ergo hæc*, inquit, *non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Per quam ? per illam infirmitatem.

v. 5. 7. *Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum.* Ille languens, illæ tristes, omnes dilecti : sed diligebat eos & languentium salvator, immo etiam mortuorum suscitator,

v. 6. & tristium consolator. *Vt ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Nuntiaverunt ergo illi, mansit illic ille : tamdiu tempus ductum est, quò usque quatriduum compleretur. Non frustra, nisi quia fortè, immo quia certè & ipse numerus dierum intimat aliquod sacramentum. *Deinde post hæc dicit discipulis suis, Eamus in Judæam iterum :* ubi penè fuerat lapidatus, qui propterea inde discessisse videbatur, ne lapidaretur. Discessit enim ut homo : sed in redeundo quasi oblitus infirmitatem, ostendit potestatem. *Eamus*, inquit, *in Judæam.*

v. 7.

8. Deinde hoc dicto, videte quemadmodum

v. 8. discipuli territi fuerint. * *Dicunt ei discipuli, Rabbi nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc ?* * *Respondit Jesus, Nonne duodecim sunt horæ diei ?* Quid sibi vult ista responsio ? Illi dixerunt, *Modò te lapidare volebant Judæi, & iterum illuc vadis*, ut te lapident ? Et Dominus, *Nonne duodecim horæ sunt diei ? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt :* * *si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* De die quidem locutus est, sed in nostra intelligentia quasi adhuc nox est. Invocemus diem ut expellat noctem, & cor lumine illustret. Quid enim Dominus dicere voluit ? Quantum mihi videtur, quantum sublucet altitudo profunditasque sententiæ, redarguere voluit illorum dubitationem & infidelitatem. Voluerunt enim consilium dare Domino ne morereretur, qui venerat mori ne ipsi morerentur. Sic etiam quodam alio loco Petrus sanctus diligens Dominum, sed adhuc non plenè intelligens cur veniret, timuit ne morereretur, & vitæ displicuit, id est, ipsi Domino : nam cùm indicaret discipulis [b] quòd esset Jerosolymis passurus à Judæis, respondit Petrus inter ceteros, & ait, Absit à te Domine, propitius tibi esto, non fiet istud. Et continuò Dominus, Redi » post me satanas, non enim sapis quæ Dei sunt, sed » quæ hominum. Et paulò antè confitens Filium Dei laudem meruerat : audierat enim, Beatus es Simon Bar-Iona, quia non tibi revelavit caro & sanguis, » sed Pater meus qui in cælis est. Cui dixerat, Beatus es ; illi dicit, Redi retrò satanas : quia beatus à se non erat. Sed unde ? Quia non tibi revelavit caro » & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est. Ecce » unde beatus, non de tuo, sed de meo. Non quia Pater ego, sed quia omnia quæ habet Pater, mea sunt. Si beatus de ipsius Domini, satanas de cujus ? Ibi dicit : rationem quippe reddidit beatitudinis, ut diceret, Non caro & sanguis tibi revelavit hoc, » sed Pater meus qui in cælis est : hæc est caussa beatitudinis tuæ. Quod verò dixi, Redi post me satanas, audi etiam hujus rei caussam : Non enim sapis » quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominis. Nemo ergo » se palpet, de suo satanas est, de Dei beatus est. Quid est enim de suo, nisi de peccato suo ? Tolle peccatum, quod est tuum ? Justitia, inquit, de meo est. Quid enim habes quod non accepisti ? Cùm ergo vellent dare consilium homines Deo, discipuli magistro, servi Domino, ægroti medico ; corripuit eos, & ait, *Nonne duodecim horæ sunt diei ? Si quis ambulaverit in die, non offendit.* Me sequimini, si non vultis offendere : nolite mihi consilium dare, quos à me consilium oportet accipere. Quò ergo pertinet, *Nonne duodecim horæ sunt diei ?* Quia ut diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit. Si ego sum, inquit, dies, & vos horæ, numquid horæ diei consilium dant ? Horæ diem sequuntur, non dies horas. Si ergo illi horæ, quid ibi Judas ? Et ipse inter duodecim horas ? Si hora erat, lucebat : si lucebat, quomodo diem ad mortem tradebat ? Sed Dominus in hoc verbo non ipsum Judam, sed successorem ipsius prævidebat. Juda enim cadente successit Matthias, & duodenarius numerus mansit. Non ergo frustra duodecim discipulos elegit Dominus, nisi quia ipse spiritalis est dies. Sequantur ergo horæ diem, prædicent horæ diem, horæ illustrentur à die, horæ illuminentur à die, & per horarum prædicationem credat mundus in diem. Hoc ergo ait de compendio, Me sequimini, si non vultis offendere.

b

Matth. 16. 22. *&c.*

Ibidem 17.

Homo de suo quid.

1. *Cor.* 4. 7.

Act. 1. 26.

9. *Et post hoc dicit eis, Lazarus amicus noster dor-* *Johan* 11. 11.

[a] In omnibus MSS. omittitur, *sororum ejus.*

[b] In sex MSS. *quid esset passurus.*

mit, sed vado ut à somno excitem eum. Verum Dixit. Sororibus mortuus erat, Domino dormiebat. Hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant: nam Dominus tanta eum facilitate excitabat de sepulcro, quanta tu non excitas dormientem de lecto. Ergo secundùm potentiam suam dixit dormientem: quia & alii mortui dicti sunt in Scripturis
1. Thess. 4. 22. sæpe dormientes, sicut Apostolus dicit, De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres, ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Ideo & ipse dormientes appellavit, quia resurrecturos prænuntiavit. Dormit ergo omnis mortuus, & bonus & malus. Sed quomodo interest in ipsis qui quotidie dormiunt & exsurgunt, quid quisque videat in somnis: alii sentiunt læta somnia, alii torquentia, ita ut evigilans dormire timeat, ne ad ipsa iterum redeat: sic unusquisque hominum cum caussa sua dormit, cum caussa sua surgit. Et interest quali custodiâ quisque recipiatur, ad judicem postea producendus. Nam & receptiones in custodia pro meritis caussarum adhibentur: alios jubentur custodire lictores, humanum & mite officium atque civile; alii traduntur [a] Optionibus; alii mittuntur in carcerem: & in ipso carcere non omnes, sed pro meritis graviorum caussarum in ima carceris contruduntur. Sicut ergo diversæ custodiæ agentium in officio: sic diversæ custodiæ mortuorum, & diversa merita resurgentium. Receptus est pauper, receptus est dives: sed ille in sinum Abrahæ, ille ubi sitiret, & guttam non inveniret.

Luca 16. 22.

Receptiones animarum diversæ. 4. Sent. dist. 45. cap. 1.

10. Habent ergo omnes animæ, ut ex hac occasione instruam Caritatem Vestram, habent omnes animæ cùm de sæculo exierint diversas receptiones suas. Habent gaudium bonæ, malæ tormenta. Sed cùm facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora: quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pace sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, boni fideles, omnes tamen adhuc in fine accepturi sunt quod promisit Deus:

Resurrectio & vita æterna cum Angelis. Requies continuò post mortem.

promissa enim est resurrectio etiam carnis, mortis consumtio, vita æterna cum Angelis. Hoc omnes simul accepturi sumus: nam requiem quæ continuò post mortem datur, si eâ dignus est, tunc accipit quisque cùm moritur. Priores acceperunt Patriarchæ: videte ex quo requiescunt: posteriores Prophetæ, recentiùs Apostoli, multò recentiores sancti Martyres, quotidie boni fideles. Et alii in ista requie [b] jamdiu sunt, alii non tam diu, alii pauciores annis, alii nec recenti tempore. Cùm verò ab hoc somno evigilabunt, simul omnes quod promissum est accepturi sunt.

b

Johan. 11. v. 11. 11. * *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut à somno excitem eum.* * *Dixerunt ergo discipuli,* *v. 12.* quomodo intellexerunt, sic responderunt: *Domine, si dormit, salvus erit.* Solet enim esse somnus ægrotantium salutis indicium. * *Dixerat autem Jesus de* *v. 13.* *morte ejus, illi autem putaverunt quòd de dormitione* *v. 14.* *somni diceret.* * *Tunc ergo dixit eis Jesus manifestè.* Subobscurè enim dixerat *dormit:* ait ergo manifestè, *Lazarus mortuus est:* * *& gaudeo propter vos,* *v. 15.* *ut credatis; quia non eram ibi.* Et scio quia mortuus est, & non ibi eram: æger enim, non mortuus, fuerat nuntiatus. Sed quid lateret eum qui creaverat, & ad cujus manus anima morientis exierat? Hoc est quod ait, *Gaudeo propter vos, ut credatis; quia non ibi eram:* ut jam inciperent admirari, quia Dominus potuit dicere mortuum, quod nec viderat nec audierat. Ubi sanè meminisse debemus, quòd adhuc etiam ipsorum discipulorum, qui in eum jam crediderant, miraculis ædificabatur fides: non ut ea quæ non erat, esse inciperet, sed ut ea quæ jam esse cœperat, crescceret; quamvis tali verbo usus sit, quasi tunc credere inciperent. Non enim ait, *Gaudeo propter vos* ut fides vestra augeatur, sive firmetur; sed ait, *ut credatis:* quod intelligendum est, ut amplius robustiúsque credatis.

12. *Sed eamus ad eum.* * *Dixit ergo Thomas qui* *v. 16.* *dicitur Didymus ad condiscipulos, Eamus & nos, &* *moriamur cum illo.* * *Venit Itaque Jesus, & invenit* *v. 17.* *eum quatuor dies jam in monumento habentem.* De quatuor diebus multa quidem dici possunt, sicut se habent obscura Scripturarum, quæ pro diversitate intelligentium, multos sensus pariunt. Dicamus & nos, quid nobis videatur significare mortuus quatriduanus. Quomodo enim in illo cæco intelligimus quodammodo humanum genus, sic fortè & in isto mortuo multos intellecturi sumus: diversis enim modis una res significari potest. Homo quando nascitur, jam cum morte nascitur: quia de Adam peccatum trahit. Unde dicit Apostolus, Per unum *Rom. 5. 12.* hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Ecce habes unum diem mortis, quod homo trahit de mortis propagine. Deinde crescit, incipit accedere ad rationales annos, ut legem sapiat naturalem, quam omnes habent in corde fixam, Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Numquid hoc de paginis discitur, & non in natura ipsa quodammodo legitur? Furtum vis pati? utique non vis. Ecce lex in corde tuo, Quod non vis pati, facere noli. Et hanc legem transgrediuntur homines: ecce alter dies mortis. Data est Lex etiam divinitus per famulum Dei Moysen: dictum est illic, Non occides, Non mœchaberis, *Exod. 20. 13. &c.* Non falsum testimonium dices, Honora patrem & matrem, Non concupisces rem proximi tui, Non concupisces uxorem proximi tui. Ecce Lex scripta est, & ipsa contemnitur: ecce tertius dies mortis. Quid restat? Venit & Evangelium, prædicatur regnum cælorum, diffamatur ubique Christus, minatur gehennam, vitam promittit æternam, & ipsa contemnitur. Transgrediuntur homines Evangelium: ecce quartus dies mortis. Meritò jam putet. Numquid & talibus est neganda misericordia? absit. Etiam ad tales Dominus excitandos non dedignatur accedere.

13. * *Multi autem ex Judæis venerant ad Mar-* *Johan. 11.* *tham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.* *v. 19.* * *Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit* *v. 20.* *illi: Maria autem domi sedebat.* * *Dixit ergo Mar-* *v. 21.* *tha ad Jesum, Domine, si fuisses hìc, frater meus non* *fuisset mortuus:* * *sed & nunc scio, quia quæcumque* *v. 22.* *poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Non dixit, Sed & modò rogo te, ut resuscites fratrem meum. Unde enim sciebat, si fratri ejus resurgere utile fuerit? Hoc tantùm dixit, Scio quia potes, si vis facis: utrùm enim facias, judicii tui est, non præsumtionis meæ. *Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.*

[a] In MSS. per *b* scribitur *Obtionibus*: corruptè Nam Optiones Varro, Isidorus aliique putant ab optando dictos, qui nimirum electi essent decurionum ad ministri & adjutores in re militari. Iique variis præterea muniis præficiebantur: unde sunt Optiones fabricæ, & officii sive carceris: quo postremo significatu hîc nominantur; nec non in Comment. super Ephes. 4. inter Ambrosii opera, his verbis, *Neque Paulus & Silas tempus distulerunt, quò Optionem carceris baptizarent.*

[b] Sic plures MSS. Editi verò *tamdiu sunt:* & paulò infrà, *alii recenti tempore*, omisso *nec*, pro quo aliquot MSS. habent *in*.

v. 23. 14. * *Dicit illi Jesus, Resurget frater tuus.* Hoc ambiguum fuit. Non enim ait, Modò resuscito
v. 24. fratrem tuum: sed, *Resurget frater tuus.* * *Dicit ei Martha, Scio quia resurget in resurrectione, in novis-*
v. 25. *sima die.* De illa resurrectione secura sum, de hac incerta sum. *Dicit ei Jesus, Ego sum resurrectio.* Dicis, Resurget frater meus in novissima die: verum est: sed per quem tunc resurget, potest & modò; quia *Ego sum*, inquit, *resurrectio & vita.* Audite Fratres, audite quid dicat. Certè tota exspectatio erat circumstantium, ut reviviceret Lazarus unus mortuus quatriduanus: audiamus, & resurgamus. Quàm multi sunt in hoc populo, quos premit consuetudinis moles. Fortè audiunt me quidam, qui-
Ephes. 5. 18. bus dicitur, Nolite inebriari vino in quo est luxuria: dicunt, Non possumus. Fortè audiunt me aliqui immundi, lasciviis & flagitiis inquinati, quibus dicitur, Nolite hoc facere, ne pereatis: & respondent, Non possumus tolli à consuetudine nostra. O Domine, istos resuscita. *Ego sum*, inquit, *resurrectio & vita.* Ideo resurrectio, quia vita.

Johan. 11. v. 25. 15. * *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet:* * *& omnis qui vivit & credit in me, non morietur* *v. 26.* *in æternum.* Quid est hoc? *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit*, sicut Lazarus mortuus est, *vivet*: quia non est Deus mortuorum, sed vivorum. De olim mortuis Patribus, hoc est de Abraham & Isaac
Matth. 22. 32. & Jacob tale responsum Judæis dedit, Ego sum
Exod. 3. 6. Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed vivorum: omnes enim illi vivunt. Crede ergo, & si mortuus fueris, vives: si autem non credis; & cùm vivis, mortuus es. Probemus & hoc, quia si non credis, etsi vivis, mortuus es. Cuidam Dominus differenti sequi eum, &
Matth. 8. 21. dicenti, Eam priùs sepelire patrem meum: Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos, tu veni, sequere me. Erat ibi mortuus sepeliendus, erant ibi & mortui mortuum sepulturi: ille mortuus in carne, illi in anima. Unde mors in anima? quia non est fides. Unde mors in corpore? quia non est ibi anima. Ergo animæ tuæ anima fides est. *Qui credit in me*, inquit, *etiamsi mortuus fuerit* in carne, *vivet* in anima: donec resurgat & caro numquam postea moritura. Hoc est, *Qui credit in me*, licèt moriatur, *vivet. Et omnis qui vivit* in carne *& credit in me*, etsi morietur ad tempus propter mortem carnis, *non morietur in æternum* propter vitam spiritûs, & immortalitatem resurrectionis. Hoc est quod
Johan. 11. 26. ait, * *Et omnis qui vivit & credit in me, non morietur* *v. 27.* *in æternum. Credis hoc?* * *Ait illi, Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei, qui in mundum venisti.* Quando hoc credidi, credidi quia tu es resurrectio, credidi quia tu es vita; credidi quia qui credit in te, etsi moriatur, vivet; & qui vivit & credit in te, non morietur in æternum.

v. 28. 16. *Et cùm hæc dixisset, abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens, Magister adest, & vocat te.* Advertendum est, quemadmodum suppressam vocem silentium nuncupavit. Nam quomodo siluit, quæ dixit, *Magister adest, & vocat te?* Advertendum etiam quemadmodum Evangelista non dixerit, ubi vel quando vel quomodo Mariam Dominus vocaverit, ut hoc in verbis Marthæ potiùs intelligeretur, narrationis brevitate servata.

v. 29. 17. * *Illa ut audivit, surgit citò, & venit ad eum.* * *Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat* *v. 30.* *adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.* * *Judæi* *v. 31.* *igitur qui erant cum illa in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam, quia citò surrexit & exiit, secuti sunt eam, dicentes, Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.* Quare pertinuit hoc ad Evangelistam narrare? Ut videamus quæ occasio fecerit, ut plures ibi essent quando Lazarus resuscitatus est. Putantes enim Judæi propterea illam festinare, ut doloris sui solatium lacrymis quæreret, secuti sunt eam: ut tam grande miraculum quatriduani mortui resurgentis, testes plurimos inveniret.

18. * *Maria autem cùm venisset ubi erat Jesus,* *v. 32.* *videns eum cecidit ad pedes ejus, & dixit ei, Domine, si fuisses hìc, frater meus non esset mortuus.* * *Jesus* *v. 33.* *ergo ut vidit eam plorantem, & Judæos qui cum illa erant plorantes, fremuit spiritu, & turbavit semetipsum,* * *& dixit, Ubi posuistis eum?* Nescio quid no- *v. 34.* bis insinuavit fremendo spiritu, & turbando seipsum. Quis enim eum posset nisi se ipse turbare? Itaque Fratres mei primò hîc adtendite potestatem, & sic inquirite significationem. Turbaris tu nolens, turbatus est Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit; dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit; contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit; mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit: in illius potestate erat, sic vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit & carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam. Nam & anima Apostoli Verbo illustrata est, anima Petri Verbo illustrata est, anima Pauli, aliorum Apostolorum, sanctorum Prophetarum Verbo illustratæ sunt animæ: sed de
Johan. 1. 14. nulla dictum est, Verbum caro factum est: de nul-
Johan. 10. 30. la dictum est, Ego & Pater unum sumus. Anima & caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est. Ac per hoc ubi summa potestas est, secundùm voluntatis nutum [a] tractatur infirmitas: hoc est, *turbavit semetipsum.*

a

19. Dixi potestatem, adtendite significationem. Magnus reus est, quem mortis quatriduum & illa significat sepultura. Quid est ergo quòd turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi, quomodo turbari tu debeas, cùm tanta mole peccati gravaris & premeris? Adtendisti enim te, vidisti te reum, computasti tibi: Illud feci, & pepercit mihi Deus; illud commisi, & distulit me; Evangelium audivi, & contemsi; baptizatus sum, & iterum ad eadem revolutus sum: quid facio? quò eo? unde evado? Quando ista dicis, jam fremit Christus: quia fides fremit. In voce frementis apparet spes resurgentis. [b] Si ipsa fides intus, ibi est Christus fremens: si fides in nobis, Christus in nobis. Quid enim aliud ait Apostolus, Habitare Chri- *Ephes. 3. 17.* stum per fidem in cordibus vestris? Ergo fides tua de Christo, Christus est in corde tuo. Hinc est illud quòd dormiebat in navi: & cùm periclitaren- *Matth. 8.* tur discipuli, jam imminente naufragio accesserunt *24.* ad eum, & excitaverunt eum: surrexit Christus, imperavit ventis & fluctibus, & facta est tranquillitas magna. Sic & tu: intrant venti cor tuum, utique ubi navigas, ubi hanc vitam tamquam procellosum & periculosum pelagus transis, intrant venti, movent fluctus, turbant navim. Qui sunt venti? Audisti convicium, irasceris: convicium ventus est, iracundia fluctus est: periclitaris, disponis res-

[a] In uno è MSS, & apud Alcuinum, *turbatur infirmitas.*

[b] Particula *Si* abest à MSS. plerisque.

pondere, disponis maledictum maledicto reddere, A jam navis propinquat naufragio ; excita Christum dormientem. Ideo enim fluctuas, & mala pro malis reddere præparas, quia Christus dormit in navi. In corde enim tuo somnus Christi, oblivio fidei. Nam si excites Christum, id est recolas fidem, quid tibi dicit tamquam vigilans Christus in corde tuo ? Ego audivi, Dæmonium habes, & pro eis oravi : audit Dominus, & patitur ; audit servus, & indignatur. Sed vindicari vis. Quid enim, ego jam sum vindicatus ? Cùm tibi hæc loquitur fides tua, B quasi imperatur ventis & fluctibus, & fit tranquillitas magna. Quomodo ergo hoc est excitare Christum in navi, excitare fidem : sic in corde hominis quem premit magna moles & consuetudo peccati, in corde hominis transgressoris etiam sancti Evangelij, contemtoris pœnarum æternarum, fremat Christus, increpet se homo. Audi adhuc : Flevit Christus, fleat se homo. Quare enim flevit Christus, nisi quia flere hominem docuit ? Quare fremuit & turbavit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi meritò displicentis fremere quodammodo debet in accusatione malorum operum, ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi ?

Johan. 11. 34. 20. *Et dixit, Ubi posuistis eum ?* Scisti quia mortuus sit, & ubi sit sepultus ignoras ? Et ista significatio est, quia sic perditum hominem quasi nescit Deus. Non ausus sum dicere, nescit : quid enim ille nescit ? Sed quasi nescit. Unde hoc probamus ? Dominum audi dicturum in judicio, Non novi vos, *Matth.* 7. 23. discedite à me. Quid est, Non novi vos? Non vos video in luce mea, non vos video in illa justitia quàm novi. Sic & hîc tamquam nesciens talem peccatorem, dixit, *Ubi posuistis eum ?* Talis est vox Dei in *Gen.* 3. 9. paradiso postea quàm homo peccavit, Adam ubi *Johan.* 11. 34. es ? *Dicunt ei, Domine veni, & vide.* Quid est, *vide?* miserere. Videt enim Dominus, quando miseretur. *Psal.* 24. 18. Unde illi dicitur, Vide humilitatem meam, & labo-» rem meum, & dimitte omnia peccata mea.

Johan. 11. *v.* 35. *v.* 36. 21. **Lacrymatus est Jesus.* * *Dixerunt ergo Judæi, Ecce quomodo amabat eum.* Quid est, *amabat eum ?* E *Matth.* 9. 13. Non veni vocare justos, sed peccatores in pœni-*Johan.* 11. 37. tentiam. *Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut & hic non moreretur ?* Qui noluit facere ut non moreretur, plus est quod facturus est, ut mortuus suscitetur.

v. 38. 22. *Jesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum.* Fremat & in te, si disponis revivíscere. Omni homini dicitur, qui premitur pessima consuetudine : *Venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.* Mortuus sub lapi- F de, reus sub lege. Scitis enim quia Lex quæ data *Exod.* 31. 18. est Judæis, in lapide scripta est. Omnes autem rei *1. Tim.* 1. 9. sub lege sunt : bene viventes cum lege sunt. Justo *Johan.* 11. 39. lex posita non est. Quid est ergo, *Lapidem removete ?* Gratiam prædicate. Apostolus enim Paulus mini-*2. Cor.* 3. 6. strum se dicit novi Testamenti, [a] non litteræ, sed spiritûs : nam littera, inquit, occidit, spiritus vivificat. Littera occidens, quasi lapis est premens. *Removete*, inquit, *lapidem.* Removete Legis pondus : *Galat.* 3 21. & 22. gratiam prædicate. Si enim data esset lex, quæ pos- G » set vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Sed » conclusit omnia Scriptura sub peccato, ut promis-» sio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Ergo *removete lapidem.*

Johan. 11. *v.* 39. *v.* 40. 23. **Dicit ei Martha soror ejus qui mortuus fuerat, Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est.* * *Dicit ei Jesus, Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei ?* Quid est, *videbis gloriam Dei ?* Quia & putentem & quatriduanum resuscitat. Omnes *Rom.* 3. 23. enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei : &, Ubi *Rom.* 5. 20. abundavit peccatum, superabundavit & gratia.

Johan. 11. *v.* 41. 24. **Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam* *v.* 42. *audisti me :* * *ego autem sciebam quia semper me audis ;* *v.* 43. *sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.* * *Hæc cùm dixisset, magna voce clamavit.* Fremuit, lacrymavit, voce magna clamavit. Quàm difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit ! Sed tamen surgit : occultâ gratiâ intus vivificatur : surgit post vocem magnam. Quid est factum ? *Voce magna clamavit, Lazare, veni foras.* * *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, liga-* *v.* 44. *tus manus & pedes institis : & facies illius sudario erat ligata.* Quomodo processit ligatis pedibus miraris, & non miraris quia surrexit quatriduanus ? In utro-C que potentia Domini erat, non vires mortui. Processit, & adhuc ligatus est : adhuc involutus, tamen jam foras processit. Quid significat ? Quando contemnis, mortuus jaces : & si tanta quanta dixi contemnis, sepultus jaces : quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari ? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magnâ gratiâ vocando. Ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus ; ut solve-D rentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus, *Ibidem.* *Solvite illum, & sinite abire.* Quid est, *Solvite, & si-* *Matth.* 16. *nite abire ?* Quæ solveritis in terra, soluta erunt & 19. in cælo.

Johan. 11. *v.* 45. *v.* 46. 25. * *Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum :* * *quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Jesus.* Non omnes ex Judæis qui convenerant ad Mariam, crediderunt, sed tamen multi. *Quidam verò ex eis,* sive ex Judæis qui convenerant, sive ex eis qui crediderant, *abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Jesus* : sive annuntiando ut & ipsi crederent, sive potiùs prodendo ut fœvirent. Sed quomodolibet & à quibuslibet, ad Pharisæos ista perlata sunt.

v. 47. 26. *Collegerunt pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant, Quid facimus ?* Nec tamen dicebant, Credamus, Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent ut perderent, quàm quomodo sibi consulerent ne perirent : & tamen timebant, & quasi consulebant. *Dicebant* enim, *Quid facimus ?* *v.* 48. *Quia hic homo multa signa facit :* * *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum ; & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt. Nam & Romani post Domini passionem & glorificationem, tulerunt eis & locum & gentem, expugnando & transferendo: & illud eos sequitur quod alibi dictum est, Filii au- *Matth.* 8. tem regni hujus ibunt in tenebras exteriores. Hoc 12. autem timuerunt, ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversùs Romanos civitatem Dei templumque defenderet : quoniam contra ipsum templum, & contra suas paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant.

Johan. 11. *v.* 49. 27. **Unus autem ex ipsis Caiphas cùm esset pontifex anni illius, dixit eis, Vos nescitis quidquam ;*

[a] Editi, *non litterâ, sed spiritu.* At MSS. *non littera, sed spiritûs*, genitivo casu, juxta Græcum, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος.

2 *v.* 50. *v.* 51. * *nec cogitatis quia expedit* [a] *nobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* * *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, prophetavit.* Hîc docemur etiam per homines malos prophetiæ spiritum futura prædicere : quod tamen Evangelista divino tribuit sacramento, quia pontifex fuit, id est, summus sacerdos. Potest autem movere quomodo dicatur pontifex anni illius, cùm Deus unum constituerit summum sacerdotem, cui mortuo unus succederet. Sed intelligendum est, per ambitiones & contentiones inter B Judæos postea constitutum ut plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent. Nam & de *Lucæ* 1. 8. Zacharia hoc dicitur, Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, » secundùm consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut » incensum poneret, ingressus in templum Domini. Hinc apparet plures eos fuisse, & vices suas habuis-*Exodi* 30. 7. se : nam incensum non licebat ponere nisi summo sacerdoti. Et fortè etiam unum annum plures administrabant, quibus alio anno alii succedebant, C ex quibus sorte exibat quis, ut incensum poneret. *Johan.* 11. Quid est ergo quod prophetavit Caiphas? * *Quia Je-* *v.* 51. *sus moriturus erat pro gente :* * *& non tantùm pro gente,* *v.* 52. *sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Hoc Evangelista addidit : nam Caiphas de sola gente Judæorum prophetavit, in qua erant oves, *Matth.* 15. 24. de quibus ait ipse Dominus, Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Sed noverat *Johan.* 10. 16. Evangelista esse alias oves, quæ non erant de hoc ovili, quas oportebat adduci, ut esset unum ovile D & unus pastor. Hæc autem secundùm prædestinationem dicta sunt : nam neque oves ejus, nec filii Dei adhuc erant, qui nondum crediderant.

Johan. 11. *v.* 53. *v.* 54. 28. * *Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum.* * *Jesus ergo jam non palàm ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* Non quia potentia ejus defecerat, in qua utique si vellet, & palàm Judæis conversaretur, & nihil ei facerent : sed in hominis infirmitate E vivendi exemplum discipulis demonstrabat, in quo appareret non esse peccatum, si fideles ejus qui sunt membra ejus, oculis persequentium se subtraherent, & furorem sceleratorum latendo potiùs devitarent, quàm se offerendo magis accenderent.

* Habitus die proximo post superiorem Tractatũ.

* TRACTATUS L.

Ab eo loco, Proximum erat Pascha Judæorum : *usque ad id*, Multi propter illum abibant, & cre- F debant in Jesum.

1. HESTERNAM lectionem sancti Evangelii, de qua locuti sumus quod Dominus dedit, hodierna sequitur, de qua locuturi sumus quod Dominus dabit. Quædam in Scripturis tam manifesta sunt, ut potiùs auditorem quàm expositorem desiderent : in eis nos immorari non oportet, ut necessariis in quibus immorandum est, tempus sufficiat. G

Johan. 11. *v.* 55. 2. *Proximum ergo erat Pascha Judæorum.* Illum diem festum Judæi cruentum habere Domini sanguine voluerunt. Illo die festo occisus est Agnus, qui nobis eumdem diem festum suo sanguine consecravit. Consilium erat inter Judæos de occidendo Jesu : ille qui de cælo venerat pati, propinquare voluit loco passionis, quia imminebat hora passionis. *Adscenderunt ergo multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos.* Hoc faciebant Judæi secundùm præceptum Domini, per sanctum Moysen in Lege mandatum, ut die festo quod Pascha erat, omnes undique convenirent, & illius diei celebratione sanctificarentur. Sed illa celebratio umbra erat futuri. Quid est, umbra futuri ? Prophetia Christi venturi, prophetia pro nobis illo die passuri : ut transiret umbra, & lux veniret ; ut transiret significatio, & veritas teneretur. Habebant ergo Judæi Pascha in umbra, nos in luce. Quid enim opus erat ut eis Dominus præciperet per ipsum festum diem ovem occidere, nisi quia ille erat de quo prophetatum est, Sicut ovis ad immolan- *Isai.* 53. 7. dum ductus est ? Sanguine occisi pecoris Judæorum *Exod.* 12. postes signati sunt : sanguine Christi frontes nostræ 22. signantur. Et illa signatio, quia erat significatio, dicta est à domibus signatis exterminatorem prohibere : signum Christi à nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum recipiat Salvatorem. Quare hoc dixi ? Quia multi postes habent signatos, & intus non manet habitator : facilè habent in fronte signum Christi, & corde non recipiunt verbum Christi. Ideo dixi, Fratres, quod repeto, signum Christi à nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum habeat Christum habitatorem. Hæc dixi, ne quis fortè cogitaret, quid sibi vellent ista festa Judæorum. Venit ergo Dominus tamquam ad victimam, ut verum Pascha nos haberemus, cùm ejus passionem tamquam ovis immolationem celebraremus.

Johan. 11. *v.* 56. 3. *Quærebant ergo Jesum :* sed malè. Beati enim qui quærunt Jesum, sed bene. Illi quærebant Jesum, ut nec ipsi haberent eum, nec nos : sed ab ipsis abscedentem suscepimus nos. Reprehenduntur qui quærunt, laudantur qui quærunt : animus enim quærentis aut laudem invenit, aut damnationem. Habes enim & in Psalmis, Confundantur & reve- *Psal.* 39. 15. reantur, qui quærunt animam meam : isti sunt, qui malè quærebant. Alio autem loco dicit, Periit fu- *Psal.* 141. 5. ga à me, & non est qui requirat animam meam. Culpantur qui quærebant, culpantur qui non quærebant. Ergo quæramus Christum ut habeamus, quæramus ut teneamus, sed non ut occidamus : nam & illi [b] ideo quærebant ut tenerent, sed ut citò b non haberent. *Quærebant ergo, & loquebantur inter* *Johan.* 11. *se, Quid putatis quia non venit ad diem festum ?* 56.

Ibidem. 4. *Dederant autem pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.* Nos indicemus modò Judæis, ubi sit Christus. Utinam velint audire & apprehendere quicumque sunt ex semine illorum, qui dederant mandatum, ut indicaretur eis ubi esset Christus. Veniant ad Ecclesiam, audiant ubi sit Christus, & apprehendant eum. A nobis audiant, ex Evangelio audiant. Occisus est à parentibus eorum, sepultus est, resurrexit, à discipulis agnitus, ante oculos eorum adscendit in cælum, ibi sedet ad dexteram Patris : qui judicatus est, venturus est judex : audiant, & teneant. Respondent, Quomodo tenebo absentem ? Quomodo in cælum manum mittam, ut ibi sedentem teneam ? Fidem mitte, & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde : quoniam Christus absens etiam præsens est. Nisi præsens esset, à nobis ipsis teneri non posset. Sed quoniam verum est quod ait, Ecce ego vobiscum sum *Matth.* 28. 20.

[a] Editi, *vobis.* MSS. verò *nobis* : favente Græco, ὑμῖν.

[b] Sic MSS. At editi, *non ideo quærebant.*

usque ad consummationem sæculi: & abiit, & hîc est; & rediit, & nos non deserit: corpus enim suum intulit cælo, majestatem non abstulit mundo.

Iohan. 12. *v.* 1. 5. * JESUS *ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Iesus.* *v.* 2. * *Fecerunt autem ei ibi cœnam, & Martha ministrabat: Lazarus verò unus erat ex discumbentibus.* Ne putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus resurrexit, unus erat ex recumbentibus; vivebat, loquebatur, epulabatur: veritas ostendebatur, infidelitas Judæorum confundebatur. Discumbebat ergo Dominus cum Lazaro & ceteris, ministrabat Martha una ex sororibus Lazari.

v. 3. 6. *Maria* verò, altera soror Lazari, *accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, unxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes ejus, & domus impleta est ex odore unguenti.* Factum audivimus, mysterium requiramus. Quæcumque anima fidelis vis esse, cum Maria ungue pedes Domini pretioso unguento. Unguentum illud justitia fuit, ideo libra fuit: erat autem unguentum nardi pistici pretiosi. Quod ait, *pistici*, locum aliquem credere debemus, unde hoc erat unguentum pretiosum: nec tamen hoc vacat, & sacramento optimè consonat. Πίστις Græcè, fides dicitur. Quærebas operari justitiam: Justus ex fide vivit. Ungue pedes Jesu: Bene vivendo Dominica sectare vestigia. Capillis terge: Si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes tersisti: capilli enim superflua corporis videntur. Habes quod agas de superfluis tuis: tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria. Fortè in terra Domini pedes indigent. De quibus enim nisi de membris *Matth.* 25. 40. suis in fine dicturus est, Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? Superflua vestra impendistis, sed pedibus meis obsecuti estis.

7. *Domus* autem *impleta est odore*, mundus impletus est famâ bonâ: nam odor bonus, fama bona est. Qui malè vivunt & Christiani vocantur, injuriam *Isai.* 52. 5. Christo faciunt: de qualibus dictum est, quòd per *Rom.* 2. 24. eos nomen Domini blasphematur. Si per tales nomen Dei blasphematur, per bonos nomen Domini *2. Cor.* 2. 15. laudatur. Audi Apostolum: Christi bonus odor sumus, inquit, in omni loco. Dicitur & in Canti- *Cantic.* 1. 2. cis canticorum, Unguentum effusum nomen tuum. Ad Apostolum revoca intentionem: Christi, inquit, bonus odor sumus in omni loco, & in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt: aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem: & ad hæc quis idoneus? Occasionem nobis præbet præsens lectio sancti Evangelii de odore isto ita loqui, ut & à nobis sufficienter dicatur, & à vobis diligenter *2. Cor.* 2. 16. audiatur, Apostolo ipso ita dicente, Et ad hæc quis idoneus? Ergo ut inde nos conemur loqui, numquid idonei sumus, aut vos audire hæc idonei estis? Nos quidem idonei non sumus: sed idoneus est ille, qui per nos [a] dignetur dicere quod vobis prosit audire. Ecce Apostolus bonus odor est, sicut dicit ipse: sed ipse bonus odor aliis est odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem; tamen bonus odor. Numquid enim ait, Aliis sumus bonus odor ad vitam, aliis malus odor ad mortem? Bonum odorem se dixit, non malum; & eumdem bonum odorem aliis ad vitam dixit, aliis ad mortem. Felices qui bono odore vivunt: quid autem infelicius illis qui bono odore moriuntur?

8. Et quis est, ait aliquis, quem bonus odor accidit? Hoc est quod ait Apostolus, Et ad hæc quis idoneus? Quomodo ea facit Deus miris modis, ut bono odore & boni vivant, & mali moriantur, quomodo * sit, quantum Dominus inspirare dignatur, [b] (nam fortasse ibi lateat altior intellectus, qui à me non potest penetrari:) tamen quò usque penetrare potui, vobis non debet denegari. Paulum apostolum bene agentem, bene viventem, justitiam verbo prædicantem, opere demonstrantem, doctorem mirabilem, fidelem dispensatorem, fama usquequaque disseminabat: quidam diligebant, quidam invidebant. Nam ipse quodam loco ait de quibusdam, quòd non castè, sed per invidiam Christum annuntiarent: existimantes, inquit, tribulationem suscitare vinculis meis. Sed quid ait? Sive occasione, sive veritate Christus annuntietur. Annuntiant qui me amant, annuntiant qui mihi invident: illi bono odore vivunt, & illi bono odore moriuntur: tamen utrisque prædicantibus nomen Christi annuntietur, odore optimo mundus impleatur. Amastibene agentem, vixisti bono odore: invidisti bene agenti, mortuus es bono odore. Numquid quia mori voluisti, ideo odorem illum malum esse fecisti? Noli invidere, & non te occidet bonus odor.

9. Denique audi & hîc ex unguento isto, quomodo aliis erat odor bonus in vitam, aliis odor bonus in mortem. Postea quàm hoc fecit religiosa Maria ad Domini obsequium, continuò, * *unus ex discipulis ejus, Iudas Iscariotes, qui eum erat traditurus, dixit,* * *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis?* Væ tibi miser, bonus odor occidit te. Quare enim hoc dixerit, Evangelista sanctus aperuit. Putaremus autem & nos, si mens ipsius nobis per Evangelium non proderetur, pauperum curâ hoc illum dicere potuisse. Non ita est. Sed quid? Audi testem veracem: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad illum; sed quia fur erat, & loculos habens, & ea quæ mittebantur portabat.* Portabat, * an exportabat? Sed ministerio portabat, furto exportabat.

Iohan. 12. *v.* 4. *v.* 5. *v.* 6. * *V. Epist.* 108. *c.* 3. *n.* 8.

10. Ecce audite quia Judas iste non tunc perversus factus est, quando à Judæis corruptus Dominum tradidit. Plerique enim incuriosi Evangelii, existimant tunc periisse Judam, quando accepit à Judæis pecuniam ut Dominum traderet. Non tunc periit: jam fur erat, & Dominum perditus sequebatur: quia non corde, sed corpore sequebatur. Duodenarium numerum Apostolorum implebat, apostolicam beatitudinem non habebat, ad imaginem fuerat duodecimus: quo decedente, & alio succedente, & suppleta est apostolica veritas, & numeri permansit integritas. Quid ergo voluit Dominus noster Jesus Christus, Fratres mei, admonere Ecclesiam suam, quando unum perditum inter duodecim habere voluit, nisi ut malos toleremus, nec corpus Christi dividamus? Ecce inter sanctos est Judas, ecce fur est Judas: &, ne contemnas, fur & sacrilegus, non qualiscumque fur: fur loculorum, sed Dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro, qualiscumque furti & peculatûs; peculatus enim dicitur furtum de re publica; & non sic judicatûr furtum rei privatæ quomodo publicæ: quantò vehementiùs judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit non undecumque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur. Talis erat iste Judas, & tamen cum sanctis

Act. 1. 26.

[a] In quatuor MSS. *dignatur.*

I I [b] Hîc in oditis additur, *ostendam*: quod abest à MSS.

discipulis undecim intrabat, & exibat. Ad ipsam Dominicam cœnam pariter accessit: conversari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. De uno *2. Cor.* 6. 15. pane & Petrus & Judas accepit, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Judas ad mortem. Quomodo enim ille odor bonus, sic ille cibus bonus. Sicut ergo odor bonus, ita & cibus bonus, bonos vivificat, malos mortificat. Qui *2. Cor.* 11. 29. enim manducaverit indignè, judicium sibi manducat & bibit: judicium sibi, non tibi. Si judicium sibi, non tibi; tolera malum bonus, ut venias ad præmia bonorum, ne mittaris in pœnam malorum.

12. q. 1. c. Exemplũ. 11. Exemplum Domini accipite conversantis in terra. Quare habuit loculos cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? Quare furem admisit, nisi ut ejus Ecclesia fures patienter toleret? Sed ille qui consueverat de loculis pecuniam tollere, non dubitavit acceptâ pecuniâ ipsum Dominum vendere. Videamus quid ad ista Dominus respondeat. Videte Fratres: non illi ait, Propter furta tua dicis ista. Furem noverat, nec prodebat; sed potiùs tolerabat, & ad perferendos malos in Ecclesia nobis exemplum patientiæ *Iohan.* 12. 7. demonstrabat. *Dixit ergo ei Iesus, Sine illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.* Moriturum se denuntiavit.

v. 8. 12. Sed quid est quod sequitur? *Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Intelligimus quidem, *Pauperes semper habebitis*: quod dixit, verum est. Quando Ecclesia sine pauperibus? *Me autem non semper habebitis*, quid sibi vult? Quomodo intelligendum est, *Me autem non semper habebitis?* Nolite expavescere: Judæ dictum est. Quare ergo non dixit, habebis; sed, *habebitis?* Quia non unus est Judas. Unus malus corpus malorum significat: quomodo Petrus corpus bonorum, immo corpus Ecclesiæ, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei *Matth.* 16. 19. diceret Dominus, Tibi dabo claves regni cælorum, quæcumque solveris in terra, soluta erunt & in cælo, & quæcumque ligaveris in terra, ligata erunt & *24. q. 1. c.* Quodcumque. in cælo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, in cælo ligentur, & quæ solvuntur in terra, solvantur in cælo: quia cùm excommunicat Ecclesia, in cælo ligatur excommunicatus; cùm reconciliatur ab Ecclesia, in cælo solvitur reconciliatus: si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. Si in Petri persona significati sunt in Ecclesia boni, in Judæ persona significati sunt in Ecclesia mali; ipsis dictum est, *Me autem non semper habebitis.* Quid est enim, *non semper?* Et quid est semper? Si bonus es, si ad corpus pertines, quod significat Petrus; habes Christum & in præsenti & in futuro: in præsenti per fidem, in præsenti per signum, in præsenti per baptismatis sacramentum, in præsenti per altaris cibum & potum. Habes Christum in præsenti, sed habebis semper: quia cùm hinc exieris, ad illum *Luca* 23. 43. venies qui dixit latroni, Hodie mecum eris in paradiso. Si autem malè versaris, vidêris habere in præsenti Christum, quia intras Ecclesiam, signas te signo Christi, baptizaris baptismo Christi, misces te membris Christi, accedis ad altare Christi: in præsenti habes Christum, sed malè vivendo non semper habebis.

13. Potest & sic intelligi: *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Accipiant hoc & boni, sed non sint solliciti: loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secundùm majestatem suam, secundùm providentiam, secundùm ineffabilem & invisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est, Ecce ego vobiscum *Matth.* 28. 20. sum usque in consummationem sæculi. Secundùm carnem verò quam Verbum assumsit, secundùm id quòd de virgine natus est, secundùm id quòd à Judæis prehensus est, quòd ligno confixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis involutus, quòd in sepulcro conditus, quòd in resurrectione manifestatus, *non semper habebitis vobiscum.* Quare? Quoniam conversatus est secundùm corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & *Act.* 1. 9. eis deducentibus videndo non sequendo, adscendit &c. in cælum, & non est hîc. Ibi est enim, sedet ad dexteram Patris: & hîc est, non enim recessit præsentiâ majestatis. Aliter: Secundùm præsentiam majestatis semper habemus Christum: secundùm præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, *Me autem non semper habebitis.* Habuit enim illum Ecclesia secundùm præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt. Ergo sive ita dictum est, *Me autem non semper habebitis*, quæstio sicut arbitror jam nulla est, quæ duobus modis soluta est.

14. Cetera quæ pauca remanent, audiamus: *Cognovit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est, & venerunt, non propter Iesum tantùm, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit Iesus à mortuis.* Curiositas eos adduxit, non caritas: venerunt, & viderunt. Audite mirabile consilium vanitatis: Viso Lazaro resuscitato, quia tantum miraculum Domini tantâ erat evidentiâ diffamatum, tanta manifestatione declaratum, ut non possent vel occultare quod factum est, vel negare, quid invenerunt videte. *Co-* *v.* 10. *gitaverunt autem principes sacerdotum ut & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.* O stulta cogitatio, & cæca sævitia! Dominus Christus qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino potestatem? Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus: ecce Dominus utrumque fecit, & Lazarum mortuum, & seipsum suscitavit occisum.

Iohan. 12. 9.

* TRACTATUS LI.

* Habitus die proximo ante Tractatum subseq.

Ab eo quod scriptum est, In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, &c. *usque ad id*, Si quis mihi ministraverit, honorificabit illum Pater meus.

1. POSTEA quam Dominus quatriduanum mortuum suscitavit, stupentibus Judæis, & aliis eorum videndo credentibus, aliis invidendo pereuntibus, propter odorem bonum, qui est aliis ad vitam, aliis ad mortem; postea quàm *2. Cor.* 2. 15. discubuit in domo cum recumbente Lazaro, qui fuerat mortuus suscitatus, post unguentum effusum super pedes ejus, unde domus odore completa est, postea quàm vanam sævitiam, & stultissimum & dementissimum scelus Judæi etiam de occidendo Lazaro corde perdito conceperunt; de quibus omnibus ut potuimus, quod Dominus dedit, superioribus sermonibus locuti sumus: nunc intendat Caritas Vestra, ante Domini passionem quantus fructus apparuerit prædicationis ejus, & quantus grex ovium ex his quæ perierant domus Israël, vocem pastoris audierit.

2. Sic enim loquitur Evangelium, quod modò cùm recitaretur, audistis: * *In crastinum autem turba multa quæ venerat ad diem festum, cùm audissent quia venit Iesus Ierosolymam,* * *acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviàm ei, & clamabant Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israël.* Rami palmarum laudes sunt, significantes victoriam: quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, & tropæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Vox autem obsecrantis est, Hosanna, sicut nonnulli dicunt qui Hebræam linguam noverunt, magis affectum indicans, quàm rem aliquam significans: sicut sunt in lingua Latina quas interjectiones vocant, velut cùm dolentes dicimus, Heu; vel cùm delectamur, Vah, dicimus; vel cùm miramur, dicimus, O rem magnam: tunc enim, O, nihil significat, nisi mirantis affectum. Quod ideo credendum est ita esse, quia neque Græcus, neque Latinus hoc interpretari potuit: sicut illud, Qui dixerit fratri suo, Racha. Nam & hæc interjectio esse perhibetur, affectum indignantis ostendens.

Johan. 12. v. 12. v. 13. Matth. 5. 22.

3. *Benedictus* autem *qui venit in nomine Domini, rex Israël*, sic potiùs accipiendum est, ut in nomine Domini, in nomine Dei Patris intelligatur: quamvis possit intelligi etiam in nomine suo, quia & ipse Dominus est. Unde & alibi scriptum est, Dixit Dominus à Domino. Sed verba ejus meliùs nostrum dirigunt intellectum, qui ait, Ego veni in » nomine Patris mei, & non suscepistis me: alius ve- » niet in nomine suo, hunc suscipietis. Humilitatis enim magister est Christus, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Non itaque amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem: in illa est Patri æqualis, in hac nobis similis: per quod Patri est æqualis, nos ut essemus creavit; per quod nobis est similis, ne periremus redemit.

Gen. 19. 24. Johan. 5. 43. Philip. 2. 8.

4. Has ei laudes turba dicebat, *Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israël.* Quam crucem mentis invidentia principum Judæorum perpeti poterat, quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat? Sed quid fuit Domino regem esse Israël? Quid magnum fuit regi sæculorum, regem fieri hominum? Non enim rex Israël Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed rex Israël, quòd mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Dei ergo Filius æqualis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quòd rex esse voluit Israël, dignatio est, non promotio; miserationis indicium est, non potestatis augmentum. Qui enim appellatus est in terra rex Judæorum, in cælis est Dominus Angelorum.

5. *Et invenit Iesus asellum, & sedit super eum.* Hîc breviter dictum est: nam quemadmodum sit factum, apud alios Evangelistas plenissimè legitur. Adhibetur autem huic facto propheticum testimonium, ut appareret quòd maligni principes Judæorum eum non intelligebant, in quo implebantur quæ legebant. *Invenit* ergo *Iesus asellum, & sedit super eum: sicut scriptum est,* * *Noli timere filia Sion, Ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ.* In illo ergo populo erat filia Sion: ipsa est Jerusalem quæ Sion. In illo, inquam, populo reprobo & cæco, erat tamen filia Sion, cui diceretur, *Noli timere, Ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ.* Hæc filia Sion cui divinitus ista dicuntur, in illis erat ovibus, quæ vocem pastoris audiebant; in illa erat multitudine, quæ Dominum venientem tanta devotione laudabat, tanto agmine deducebat. Ei dictum est, *Noli timere*: illum agnosce qui à te laudatur, & noli trepidare cùm patitur; quia ille sanguis funditur, per quem tuum delictum deleatur, & vita reddatur. Sed pullum asinæ in quo nemo sederat (hoc enim apud alios Evangelistas invenitur,) intelligimus populum gentium, qui Legem Domini non acceperat. Asinam verò (quia utrumque jumentum Domino adductum est) plebem ejus quæ veniebat ex populo Israël, non indomitam planè, sed quæ præsepe Domini agnovit.

Johan. 12. 14. Matt. 21. 7. Marc. 11. 7. Luc. 19. 35. Zach. 9. 9. Johan. 12. 15.

6. *Hæc non cognoverunt discipuli ejus primùm: sed quando glorificatus est Iesus*, id est, quando virtutem suæ resurrectionis ostendit: *tunc recordati sunt quia hæc scripta erant de eo, & hæc fecerunt ei*, id est, non alia fecerunt ei, quàm illa quæ erant scripta de eo. Recolentes quippe secundùm Scripturam, quæ ante passionem Domini, vel in passione Domini completa sunt, ibi & hoc invenerunt quòd secundùm eloquia Prophetarum in pullo asinæ sederit.

Johan. 12. 16.

7. * *Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum à mortuis.* * *Propterea & obviàm venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.* * *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.* Turba turbavit turbam. Quid autem invides cæca turba, quia post eum abit mundus, per quem factus est mundus?

v. 17. v. 18. v. 19.

8. * *Erant autem gentiles quidam, ex iis qui adscenderant ut adorarent in die festo.* * *Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes, Domine, volumus Iesum videre.* * *Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dicunt Iesu.* Audiamus quid Dominus ad ista responderit. Ecce volunt eum Judæi occidere, gentiles videre: sed etiam illi ex Judæis erant qui clamabant, *Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israël.* Ecce illi ex circumcisione, illi ex præputio, velut parietes duo de diverso venientes, & in unam fidem Christi pacis osculo concurrentes: audiamus ergo vocem lapidis angularis. *Iesus autem*, inquit, *respondit eis dicens, Venit hora ut glorificetur filius hominis.* Hîc quisquam forsitan putat ideo se dixisse glorificatum, quia gentiles eum volebant videre. Non ita est. Sed videbat ipsos gentiles post passionem & resurrectionem suam in omnibus gentibus credituros: quia, sicut dicit Apostolus, Cæcitas ex parte [a] in Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret. Ex occasione igitur istorum gentilium, qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudinem gentium; & promittit jam jamque adesse horam glorificationis suæ, qua factâ in cælis, gentes fuerant credituræ. Unde prædictum est, Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Hæc est gentium plenitudo, de qua dicit Apostolus, Cæcitas ex parte in Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret.

v. 20. v. 21. v. 22. v. 23. Rom. 11. 25. Psal. 107. 6.

9. Sed altitudinem glorificationis oportuit ut præcederet humilitas passionis: ideo secutus adjunxit, *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Se autem dicebat. Ipsum erat granum mortificandum & multiplicandum: mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum.

Johan. 12. 24.

[a] Aliquot MSS. *ex parte Israël*, sine præpositione *in*: quæ & abest à Græco textu Apostoli.

10. Jam verò exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia: *Qui amat*, inquit, *animam suam, perdet eam.* Quod duobus modis intelligi potest: *Qui amat, perdet*, id est, Si amas, perde; si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: *Qui amat animam suam, perdet eam*, Noli amare, ne perdas; noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Hoc autem quod posteriùs dixi, magis habere videtur evangelicus sensus: sequitur enim, *Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam.* Ergo quod suprà dictum est, *Qui amat*, subintelligitur, in hoc mundo; ipse utique perdet: *qui autem odit*, utique in hoc mundo; in vitam æternam ipse custodiet. Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Sed vide ne tibi subrepat ut teipsum velis interimere, sic intelligendo quòd debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi, & in seipsis crudeliores & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis præfocant, præcipitio collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit, immo etiam diabolo præcipitium suggerenti respondit, Redi retrò satanas, scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit significans qua morte glorificaturus erat Deum, Cùm esses » junior, cingebas te, & ibas quò volebas: cùm au- » tem senueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Ubi satis expressit, non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi. Cùm ergo caussæ articulus venerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore: ibi eligat Deo dilecto emori, quàm offenso vivere: ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam.

v. 25. Matth. 4. 7. Johan. 21. 18.

11. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Quid est, *me sequatur*: nisi, me imitetur? Christus enim pro nobis passus est, ait Apostolus Petrus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Ecce quod dictum est, *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Quo fructu? qua mercede? quo præmio? *Et ubi sum*, inquit, *ego, illic & minister meus erit.* Gratis ametur, ut operis quo ministratur illi, pretium sit esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando esse malè poterit cum illo? Audi evidentiùs. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Quo honore, nisi ut sit cum Filio ejus? Quod enim superiùs ait, *Ubi ego sum, illic & minister meus erit*: hoc intelligitur expositum cùm dicit, *honorificabit eum Pater meus.* Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm ut sit ubi est Unicus; non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati?

Johan. 12. 26. 1. Pet. 2. 21. Johan. 12. 26.

12. Quid sit autem ministrare Christo, cui operi merces tanta proponitur, hoc potiùs debemus inquirere. Si enim hoc putaverimus esse Christo ministrare, ea quæ sunt corpori necessaria præparare, aut cœnanti cibum coquere vel apponere, vel poculum dare potumque miscere: fecerunt hoc illi qui potuerunt eum in corpore habere præsentem, sicut Martha & Maria, quando & Lazarus unus erat ex recumbentibus. Sed eo modo Christo etiam Judas perditus ministravit, nam & loculos ipse habebat: & quamvis ex eis quæ mittebantur sceleratissimè furaretur, per illum tamen etiam necessaria parabantur. Hinc est illud quod cùm ei diceret Dominus, Quod facis fac celeriter: arbitrati sunt quidam, quòd eum jusserit propter diem festum necessaria præparare, vel indigentibus aliquid dare. Nullo modo igitur de hujuscemodi ministris diceret Dominus, *Ubi sum ego, ibi erit & minister meus*: &, *Si quis mihi mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*: quoniam Judam talia ministrantem, reprobatum potiùs quàm honoratum videmus. Ut quid ergo alibi quærimus, quid sit ministrare Christo, & non potiùs in istis ipsis verbis agnoscimus? Cùm enim dixit, *Si quis mihi ministrat, me sequatur*: hoc intelligi voluit, ac si diceret, Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrant ergo Jesu Christo, qui non sua quærunt, sed quæ Jesu Christi. Hoc est enim, *me sequatur*, vias ambulet meas, non suas: sicut alibi scriptum est, Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ambulavit ille, & ipse ambulare. Debet etiam, si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de jactantia; non aliud ibi quærere quàm opus bonum, nesciente sinistrâ quid faciat dextera, id est, ut alienetur intentio cupiditatis ab opere caritatis. Qui sic ministrat, Christo ministrat; rectéque illi dicetur, Cùm uni ex minimis meis feci, mihi fecisti. Nec tantùm ea quæ ad misericordiam pertinent corporalem, sed omnia bona opera propter Christum faciens, (tunc erunt enim bona, quoniam finis Legis Christus ad justitiam omni credenti,) minister est Christi usque ad illud opus magnæ caritatis, quod est animam suam pro fratribus ponere: hoc est enim & pro Christo ponere. Quia & hoc propter sua membra dicturus est, Cùm pro istis fecisti, pro me fecisti. De tali quippe opere etiam se ministrum facere & appellare dignatus est, ubi ait, Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam ponere pro multis. Hinc est ergo unusquisque minister Christi, unde est minister & Christus. Sic ministrantem Christo honorificabit Pater ejus, honore illo magno, ut sit cum Filio ejus, nec umquam deficiat felicitas ejus.

1. Johan. 2. 6. Matth. 6. 3. Matth. 25. 40. Rom. 10. 4. Matth. 20. 28.

13. Cùm ergo auditis, Fratres, Dominum dicentem, *Ubi ego sum, illic & minister meus erit*: nolite tantummodo bonos episcopos & clericos cogitare. Etiam vos pro modo vestro ministrate Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus quibus potueritis prædicando: ut unusquisque etiam pater-familiâs hoc nomine agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere. Pro Christo & pro vita æterna, suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua ecclesiasticum & quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo ut in æternum sit cum ipso. Nam & illam maximam passionis ministrationem multi ex vestro numero ministrarunt: multi non episcopi neque clerici, juvenes & virgines, seniores cum junioribus, multi conjugati & conjugatæ, multi patres matresque familiâs Christo ministrantes, etiam animas

suas in ejus martyrio posuerunt, & honorificante Patre coronas gloriosissimas receperunt.

* Habitus die proximo post Tractatum superiorē.

TRACTATUS * LII.

Ab eo quod scriptum est, Nunc anima mea turbata est, & quid dicam: *usque ad id*, Hæc locutus est Jesus, & abiit, & abscondit se ab eis.

1. POSTQUAM Dominus Jesus Christus verbis lectionis hesternæ ministros suos ut seipsum sequerentur hortatus est, cùm ita
Johan. 12. 24. &c. prædixisset passionem suam, quòd nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert: ubi excitavit eos, qui eum ad regnum cælorum sequi vellent, ut animam suam odissent in hoc mundo, si eam in vitam æternam custodire cogitarent: ad nostram rursus infirmitatem suum temperavit affectum, & ait, unde lectio cœpit
v. 27. hodierna, *Nunc anima mea turbata est.* Unde turbata est, Domine, anima tua? Nempe paulò antè
v. 25. dixisti, Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo anima tua in hoc mundo amatur, ideo turbatur veniente horâ, qua ex hoc mundo egrediatur? Quis hoc de anima Domini audeat affirmare? Sed nos in se transtulit, nos in se suscepit caput nostrum, membrorum suorum suscepit affectum: & ideo non est ab aliquo turbatum; sed sicut de illo dictum est, cùm Lazarum suscitaret, turbavit semetipsum. Oportebat
Johan. 11. 33. enim ut unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sicut nos excitavit ad summa, ita
a nobiscum pateretur & [a] infima.

Johan. 12. 23. &c. 2. Audio superiùs dicentem, Venit hora ut glorificetur filius hominis: si mortificatum fuerit granum, multum fructum affert. Audio, Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Nec permittor tantummodo mirari, sed jubeor imitari. Deinde sequentibus verbis, Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, ibi & minister meus erit: mundum contemnere accendor, & in conspectu meo nihil est vitæ hujus totus, quantumlibet fuerit prolixus, vapor: præ amore æternorum temporalia mihi cuncta vilescunt: & rursus ipsum Dominum meum, qui me illis verbis ab infirmitate mea rapuit ad firmitatem suam, audio dicentem, *Nunc anima mea turbata est.* Quid est hoc? Quomodo sequi jubes animam meam, si turbari video animam tuam? quomodo sufferam, quod grave tanta firmitas sentit? quale fundamentum quæram, si petra succumbit? Sed videor mihi audire in cogitatione mea respondentem mihi Dominum, & quodammodo dicentem, Magis sequeris, quia sic me interpono ut sufferas: audisti ad te vocem fortitudinis meæ, audi in me vocem infirmitatis tuæ: vires suggero ut curras, nec reprimo quod acceleras; sed transfero in me quod trepidas, & substerno quà transeas. O Domine mediator, Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam: nam quòd tu tantus tuæ caritatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo qui tuæ infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant consolaris.

3. Denique homo qui sequi vult, audiat quà sequatur. Accessit fortè hora terribilis, proponitur optio, aut faciendæ iniquitatis, aut subeundæ passionis: turbatur anima infirma, propter quam sponte turbata est anima invicta: præpone tuæ voluntati voluntatem Dei. Adtende enim quid deinde subjungat creator tuus & magister tuus, qui te fecit, & ut te doceret factus est & ipse quod fecit: homo enim factus est qui hominem fecit; sed Deus incommutabilis mansit, & hominem in melius commutavit. Audi ergo quid inde subjungat, cùm dixisset, * *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam,* *v. 27.* inquit? *Pater salvifica me ex hac hora, sed propterea veni in hanc horam:* * *Pater clarifica nomen tuum.* Do- *v. 28.* cuit te quid cogites, docuit quid dicas, quem invoces, in quo speres, cujus voluntatem certam atque divinam tuæ voluntati humanæ infirmæque præponas. Non ideo tibi videatur ex alto deficere, quia te vult ab imo proficere. Nam & tentari dignatus est à diabolo, à quo utique si nollet non tentaretur, quemadmodum si nollet non pateretur: & ea respondit diabolo, quæ tu in tentationibus debeas respondere. Et ille quidem tentatus est, sed non periclitatus: ut doceret te in tentatione periclitantem tentatori respondere, & post tentatorem non ire, sed de periculo tentationis exire. Sicut autem hîc dixit, *Nunc anima mea turbata est,* ita etiam ubi dicit, Tristis est anima mea usque ad *Matth. 26.* mortem: &, Pater si fieri potest, transeat à me *38. & 39.* calix iste: [b] hominis suscepit infirmitatem, ut doceat sic contristatum & conturbatum quod sequitur dicere, Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Sic enim HOMO ab humanis in divina dirigitur, cùm voluntati humanæ voluntas divina præponitur. Quid est autem, *Clarifica tuum nomen:* nisi, in sua passione & resurrectione? Quid est ergo aliud, nisi ut Pater clarificet Filium, qui clarificat suum nomen etiam in similibus passionibus servorum suorum? Unde scriptum est de Petro, quod ideo de illo dixerit, Alter te cinget, & feret *Johan. 21.* quò tu non vis: quia significare voluit, qua morte *18.* glorificaturus erat Deum. Ergo & in illo Deus clarificavit nomen suum, quia sic etiam in membris suis clarificat Christum.

4. *Venit ergo vox de cælo, Et clarificavi, & iterum clarificabo. Et clarificavi,* antequam facerem *Johan. 12. 28.* mundum: *& iterum clarificabo,* cùm resurget à mortuis, & adscendet in cælum. Et aliter intelligi potest, *Et clarificavi,* cùm de virgine natus est, cùm virtutes operatus est, cùm cælo indice per stellam à Magis adoratus est, cùm à sanctis Spiritu-sancto plenis agnitus est, cùm descendente Spiritu in specie columbæ declaratus, cùm voce de cælo sonante monstratus, cùm in monte transfiguratus, cùm miracula multa fecit, cùm multos sanavit atque mundavit, cùm de paucissimis panibus tantam multitudinem pavit, cùm ventis & fluctibus imperavit, cùm mortuos suscitavit: *& iterum clarificabo,* cùm resurget à mortuis, cùm mors ei ultrà non dominabitur, cùm exaltabitur super cælos Deus, & super omnem terram gloria ejus.

5. * *Turba ergo quæ stabat, & audierat, dicebat* *Johan. 12.* *tonitruum factum esse: alii dicebant, Angelus ei locu-* *v. 29.* *tus est.* * *Respondit Jesus, & dixit, Non propter me* *v. 30.* *hæc vox venit, sed propter vos.* Hîc ostendit illa voce non sibi indicatum quod jam sciebat, sed eis quibus indicari oportebat. Sicut autem illa vox non propter eum, sed propter alios divinitate facta est: sic anima ejus, non propter eum, sed propter alios voluntate turbata est.

6. Adtende cetera. *Nunc,* inquit, *judicium est* *v. 31.*

a In omnibus propè MSS. *pateretur & infirma.*

b Sic MSS. At editi, *ostendit hominis suscepti infirmitatem.*

mundi. Quid ergo exspectandum est in fine sæculi? Sed in fine quod exspectatur judicium, erit judicandorum vivorum & mortuorum, judicium erit præmiorum pœnarumque æternarum. Quale ergo nunc judicium est? Jam in superioribus lectionibus quantum potui, commonui Caritatem Vestram, dici etiam judicium non damnationis, sed discre-
Psal. 42. 1. tionis: unde scriptum est, Judica me Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta. Multa autem sunt judicia Dei: unde dicitur in Psalmo,
Psal. 35. 7. Judicia tua abyssus multa. Dicit etiam Apostolus,
Rom. 11. 33. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus! Ex quibus judiciis etiam hoc est quod hîc ait Dominus, *Nunc judicium est mundi:* servato illo judicio in fine, ubi novissimè vivi & mortui judicandi sunt. Possidebat ergo diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum; dominabatur in cordibus infidelium, ad creaturam colendam deserto Creatore deceptos captivosque pertrahebat: per Christi autem fidem, quæ morte ejus & resurrectione firmata est, per ejus sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli, Christi corpori copulantur, & sub tanto capite uno ejus Spiritu fidelia membra vegetantur. Hoc vocabat judicium, hanc discretionem, hanc à suis redemtis diaboli expulsionem.

7. Denique adtende quid dicat. Quasi quæreremus quid esset quod ait, *Nunc judicium est mundi,* *Johan. 12. 31.* secutus exposuit: ait enim, *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Audivimus quale dixerit esse judicium. Non ergo illud quod in fine venturum est, ubi vivi & mortui judicandi sunt, aliis ad dexteram, aliis ad sinistram separatis, sed judicium quo *princeps hujus mundi ejicietur foras.* Quomodo ergo intus erat, & quò eum ejiciendum dixit foras? Numquidnam in mundo erat, & extra mundum missus est foras? Si enim de illo judicio diceret, quod in fine venturum est, posset aliquis opinari ignem æternum, quò mittendus est diabolus cum angelis suis, & omnibus qui sunt ex parte ejus; non naturâ, sed vitio; non quia creavit aut genuit, sed quia persuasit & tenuit: posset ergo aliquis opinari illum ignem æternum extra mundum esse, & hoc esse dictum, *ejicietur foras.* Quia verò ait, *Nunc judicium est mundi;* & exponens quid dixerit, *Nunc,* inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras:* hoc intelligendum est quod nunc fit, non quod tantò pòst futurum est in novissimo die. Prædicebat ergo Dominus quod sciebat, post passionem & glorificationem suam per universum mundum multos populos creduturos, in quorum cordibus diabolus intus erat: cui quando ex fide renuntiant, ejicitur foras.

8. Sed dicit aliquis, Numquid de cordibus Patriarcharum & Prophetarum, veterumque justorum non ejectus est foras? Ejectus est planè. Quomodo ergo dictum est, *nunc ejicietur foras?* Quomodo putamus, nisi quia tunc quod in hominibus paucissimis factum est, nunc in multis magnisque populis jam mox futurum esse prædictum est? Sic
Johan. 7. 39. & illud quod dictum est, Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus; potest similem habere quæstionem, & similem solutionem. Non enim sine Spiritu-sancto futura prænuntiaverunt Prophetæ, aut non etiam Dominum
Luc. 2. 27. & 36. infantem in Spiritu-sancto Simeon senex & Anna vidua cognoverunt; & Zacharias & Elisabeth, qui de illo nondum nato, sed jam concepto, tanta per *Luc. 1. 41. &c.* Spiritum-sanctum prædixerunt. Sed Spiritus nondum erat datus, id est, illa abundantia gratiæ spiritalis, qua congregati linguis omnium loquerentur, ac sic in linguis omnium gentium futura prænuntiaretur Ecclesia: qua gratiâ spiritali populi congregarentur, qua longè latèque peccata dimitterentur, & millia millium Deo reconciliarentur. *Act. 2. 4.*

9. Quid ergo, ait quispiam, quia diabolus de credentium cordibus ejicietur foras, jam fidelium neminem tentat? Immo verò tentare non cessat. Sed aliud est intrinsecùs regnare, aliud forinsecùs oppugnare: nam & munitissimam civitatem aliquando hostis oppugnat, nec expugnat. Et si aliqua tela ejus missa perveniunt, admonet Apostolus unde non lædant, commemorat loricam & scutum *1. Thess. 5. 8.* fidei. Et si aliquando vulnerat, adest qui sanat. Quia sicut pugnantibus dictum est, Hæc scribo vobis, ut *1. Johan. 2. 1.* non peccetis: ita qui vulnerantur, quod sequitur *&c.* audiunt, Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, ipse est " propitiatio peccatorum nostrorum. Quid enim ora- " mus cùm dicimus, Dimitte nobis debita nostra, *Matth. 6. 12.* nisi ut vulnera nostra sanentur? Et quid aliud petimus cùm dicimus, Ne nos inferas in tentationem, " nisi ut ille qui insidiatur, vel certat extrinsecùs, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla nos possit virtute superare? Quantaslibet tamen adversùm nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis ubi fides habitat, ejectus est foras. Sed nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vi- *Psal. 126. 1.* gilabit qui custodit. Nolite ergo de vobis ipsis præsumere, si non vultis foras ejectum diabolum intrò iterum revocare.

10. Absit autem ut diabolum mundi principem ita dictum existimemus, ut eum cælo & terræ dominari posse credamus. Sed mundus appellatur in malis hominibus, qui toto orbe terrarum diffusi sunt: sicut appellatur domus in his à quibus habitatur, secundùm quod dicimus, Bona domus est, vel mala domus est, non quando reprehendimus sive laudamus ædificium parietum atque tectorum, sed quando mores vel bonorum hominum vel malorum. Sic ergo dictum est, *princeps hujus mundi:* id est, princeps malorum omnium qui habitant in mundo. Appellatur etiam mundus in bonis, qui similiter toto terrarum orbe diffusi sunt: inde dicit Apostolus, Deus erat in Christo, mundum recon- *2. Cor. 5. 19.* cilians sibi. Hi sunt ex quorum cordibus princeps hujus mundi ejicitur foras.

11. Cùm ergo dixisset, *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras: Et ego,* inquit, *si exaltatus fuero à terra, omnia traham post me.* Quæ *omnia,* nisi ex quibus ille ejicitur foras? Non autem dixit omnes, sed *omnia:* non enim omnium est fides. Non itaque *2. Thess. 3. 2.* hoc ad universitatem hominum retulit, sed ad creaturæ integritatem, id est, spiritum & animam & corpus; & illud quo intelligimus, & illud quo vivimus, & illud quo visibiles & contrectabiles sumus. Qui enim dixit, Capillus capitis vestri non *Luc. 21. 18.* peribit, omnia trahit post se. Aut si *omnia* ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere: ex quibus omnibus ait nihil esse periturum, cùm suprà de suis ovibus loquere- *Johan. 10. 28.* tur. Aut certè omnia hominum genera, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnibus, sive in diversitatibus in-

geniorum omnibus, sive in artium licitarum & uti- A lium professionibus omnibus, & quidquid aliud dici potest secundùm innumerabiles differentias, quibus inter se præter sola peccata homines distant, ab excelsissimis usque ad humillimos, à rege usque ad mendicum, *omnia*, inquit, *traham post me:* ut sit caput eorum, & illi membra ejus. Sed *si exaltatus*, inquit, *fuero à terra*, hoc est cùm exaltatus fuero: non enim dubitat futurum esse, quod venit implere.

Johan. 12. 24. Hoc refertur ad illud quod superiùs ait, Si autem mortuum fuerit granum, multum fructum affert. B Nam exaltationem suam quid aliud dixit quàm in cruce passionem? Quod & ipse Evangelista non ta-

v. 33. cuit: subjunxit enim, & ait, *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus?*

v. 34. 12. *Respondit ei turba, Nos audivimus ex Lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Et quis est iste filius hominis?* Memoriter tenuerunt quod Dominus dicebat assiduè se esse filium hominis. Nam hoc loco non ait, Si exaltatus fuerit à terra filium hominis: C sed superiùs dixerat, quod hesterno die lectum atque tractatum est, quando nuntiati sunt Gentiles

v. 23. illi, qui cum videre cupiebant, Venit hora ut glorificetur filius hominis. Hoc itaque isti animo retinentes, & quod nunc ait, *Cùm exaltatus fuero à terra*, mortem crucis intelligentes, quæsierunt ab illo, & dixerunt, *Nos audivimus ex Lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Quis est* enim *iste filius hominis?* Si enim Christus est, inquiunt, manet in æternum: D si manet in æternum, quomodo exaltabitur à terra? id est, quomodo crucis passione morietur? Hoc enim eum dixisse intelligebant, quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum istorum obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia.

v. 35. 13. *Dixit ergo eis Iesus, Adhuc modicum lumen in vobis est.* Hinc est quod intelligitis, quia Christus manet in æternum. *Ergo ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.* Ambulate, accedite, totum intelligite, & moriturum Chri- E stum, & victurum in æternum, & sanguinem fusurum quo redimat, & adscensurum in sublimia quò perducat. Tenebræ autem vos comprehendent, si eo modo crediderit Christi æternitatem, ut negetis in eo mortis humilitatem. *Et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.* Sic potest offendere in lapi-

1. *Petri* 2. 8. dem offensionis, & petram scandali, quod fuit Dominus cæcis Judæis: sicut credentibus lapis

Psal. 117. 22. quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli. Hinc dedignati sunt credere in Chri- F stum, quia eorum impietas contemsit mortuum, risit occisum: & ipsa erat mors grani multiplicandi,

Johan. 12. 36. & exaltatio trahentis post se omnia. *Dum lucem*, inquit, *habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Cùm aliquid veri auditum habetis, credite in veritatem, ut renascamini in veritate.

Ibidem. 14. *Hæc locutus est Iesus, & abiit, & abscondit se ab eis.* Non ab eis qui credere & diligere cœperant, non ab eis qui cum ramis palmarum & laudibus obviàm venerant: sed ab eis qui videbant & in- G videbant; quia nec videbant, sed in lapidem illum cæcitate offendebant. Cùm autem abscondit se Jesus ab eis, qui eum occidere cupiebant, (quod sæpe propter oblivionem commonendi estis:) nostræ infirmitati consuluit, non suæ potestati derogavit.

TRACTATUS LIII.

Ab eo quod scriptum est, Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: *usque ad id*, Dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.

1. PRÆNUNTIATA Dominus Christus passione sua, & morte fructuosa in exaltatione crucis, ubi dixit se omnia tractu- B rum esse post se, cùm intellexissent Judæi quòd de sua morte dixisset, & proposuissent ei quæstionem, quomodo diceret se esse moriturum, cùm ex Lege audierint quòd Christus manet in æternum: hortatus est eos, ut dum adhuc modicum lumen in eis esset, quo Christum æternum esse didicissent, ambularent ut totum discerent, ne comprehenderentur à tenebris. Et cùm hæc esset locutus, abscondit se ab eis. Hæc in superioribus Dominicis lectionibus verbisque didicistis.

2. Deinde intulit Evangelista unde hodiernum capitulum recitatum est, & ait, * *Cùm autem tanta* *Johan.* 12. *signa fecisset coram eis, non credebant in eum:* * *ut* *v.* 37. *sermo Isaiæ prophetæ impleretur quem dixit, Domine* *v.* 38. *Isa.* 53. 1. *quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Ubi satis ostendit brachium Domini ipsum Filium Dei nuncupatum, non quòd Deus Pater figurâ determinetur carnis humanæ, eique Filius tamquam membrum corporis hæreat: sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium Domini dictum est. Sicut enim tuum brachium, per quod operaris: sic Dei brachium dictum est ejus Verbum, quia per Verbum operatus est mundum. Cur enim homo ut aliquid operetur, brachium extendit, nisi quia non continuò fit quod dixerit? Si autem tanta potestate prævaleret, ut sine ullo motu corporis sui quod diceret fieret, brachium ejus verbum ejus esset: [a] Sed Dominus Jesus unige- a nitus Dei Patris Filius, sicut non est paterni corporis membrum, ita non est cogitabile vel sonabile E ac transitorium verbum: quia cùm omnia per ipsum facta sunt, Dei Verbum erat.

3. Cùm ergo audimus brachium Dei Patris esse Dei Filium, non nobis obstrepat consuetudo carnalis: sed quantum illo donante possumus, virtutem Dei & sapientiam cogitemus, per quam facta sunt omnia. Tale quippe brachium nec porrectum extenditur, nec collectum contrahitur. Non est enim ipse qui Pater, sed unum sunt ipse & Pater; & æqualis Patri ubique totus est sicut Pater: ne ali- Sabellianis qua pateat occasio detestabili errori eorum, qui occurrit. dicunt solum esse Patrem, sed pro diversitate causarum ipsum dici Filium, ipsum dici Spiritum-sanctum; & in his verbis [b] audeant dicere, Ecce vide- b tis, quia solus est Pater, si brachium ejus est Filius; non enim duæ, sed una persona est homo & brachium ejus. Non intelligentes neque advertentes, quomodo verba de rebus aliis ad res alias transferantur, propter aliquam similitudinem etiam in locutionibus quotidianis de visibilibus & notissimis rebus: quantò magis ut nobis ineffabilia qualitercumque dicantur, quæ dici sicuti sunt, omnino non possunt? Nam & homo alterum hominem per quem solet agere quidquid agit, brachium suum appellat: & si ei auferatur, dolens dicit, Brachium perdidi: & ei qui abstulerit, dicit, Brachium meum

[a] Hîc Er. & Lov. addunt, *quia verbum est cogitabile vel sonabile:* quod totum abest à MSS. præter paucos, qui cum Am. & Bad. habent, *quia verbum non est cogitabile vel sonabile.*

[b] Sic in MSS. At in editis, *audent.*

mihi abstulisti. Intelligant ergo quomodo dictus sit A Filius Patris brachium, per quod Pater operatus est omnia: ne hoc non intelligendo, & in sui erroris tenebris permanendo, similes sint Judæis ipsis, de quibus dictum est, *Et brachium Domini cui revelatum est?*

Judæorum infidelitas an peccatum sit.

4. Hîc occurrit altera quæstio, de qua quidem ut competenter aliquid disputetur, & omnes ejus latebrosissimi sinus perscrutentur, & excutiantur ut dignum est, nec mearum virium esse arbitror, nec angustiarum temporis, nec vestræ capacitatis. B Tamen quia transire ad alia vestrâ exspectatione non sinimur, nisi aliquid inde dicamus, accipite quod potuerimus: & ubi vestræ exspectationi non suffeceṙimus, ab illo incrementum poscite qui nos

1. *Cor.* 3. 7. plantare posuit & rigare: quia, sicut dicit Apostolus, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quidam ergo inter se mussitant, & ubi possunt aliquando proclamant, & turbulenta disceptatione contendunt, dicentes, Quid fecerunt Judæi, vel quæ cul-

Difficultatis caussa. pa eorum fuit, si necesse erat *ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur quem dixit, Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Quibus respondemus, Dominum præscium futurorum, per Prophetam prædixisse infidelitatem Judæorum: prædixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit. Ipsorum enim præscivit peccata, non sua: non cujusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea quæ ille D præscivit ipsorum, non sunt ipsorum; non verè ille præscivit: sed quia illius præscientia falli non potest; sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præscivit. Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur: & hoc facturi prævideréntur ab eo qui novit quid sit quisque facturus, & quid ei sit pro ejus opere reddi- E turus.

Major difficultas.

5. Sed & quæ sequuntur Evangelii verba plus urgent, & profundiorem faciunt quæstionem: adjungit enim, & dicit, * *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias,* * *Excæcavit oculos eo-* *Johan.* 12. *v.* 39. *v.* 40. *Isa.* 6. 10. *rum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & sanem illos.* Dicitur enim nobis, Si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis quod non potest facere? Si autem non credendo peccaverunt, F potuerunt ergo credere, & non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Evangelium, *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum:* ut, quod est gravius, ad Deum referatur caussa qua non crediderunt; quandoquidem ipse *excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum?* Non enim saltem hoc de diabolo dicitur, sed de Deo, quod ipsa prophetica Scriptura testatur. Nam si arbitremur hoc dictum de diabolo, quod *excæcavit oculos eorum, &* G *cor induravit:* laborandum est quomodo illorum culpam, quia non crediderunt, possimus ostendere, de quibus dicitur, *non poterant credere.* Deinde quid respondebimus de alio Prophetæ ipsius testi-

Rom. 11. 7. &c. monio, quod posuit Paulus apostolus dicens, Quod » quærebat Israël, hoc non est consecutus, electio » autem consecuta est, ceteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum com- *Isa.* 6. 10. punctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem? «

6. Audistis, Fratres, propositam quæstionem, nempe quàm profunda sit cernitis: sed respondemus ut possumus. *Non poterant credere*, quia hoc Isaias propheta prædixit: hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit. Quare autem non poterant, si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt. Sed aliam caussam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum. Quam caussam dicit Propheta? Quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut « non videant, & aures ut non audiant, & excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum. Etiam « hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic Excæcatio & obduratio quomodo est à Deo, nec injustè. enim excæcat, sic obdurat Deus, deferendo & non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, C iniquo non potest. Hoc omnino pietas religiosorum inconcussum debet inviolatumque servare, sicut Apostolus, cùm eamdem ipsam tractaret difficillimam quæstionem, Quid ergo dicemus, inquit, *Rom.* 9. 14. numquid iniquitas apud Deum? absit. Si ergo absit ut sit iniquitas apud Deum; sive quando adjuvat, misericorditer facit; sive quando non adjuvat, justè facit: quia omnia non temeritate, sed judicio facit. Porrò si judicia sanctorum justa sunt, quantò magis sanctificantis & justificantis Dei? Justa ergo sunt, sed occulta. Ideo cùm quæstiones hujusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic; quare ille Deo deserente excæcetur, ille Deo adjuvante illuminetur: non nobis judicium de judicio tanti judicis usurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo, O altitudo divitia- *Rom.* 11 33. rum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia « sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Unde dictum est in Psalmo, Judicia tua, sicut multa *Psal.* 35. 7. abyssus.

7. Non ergo me, Fratres, ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyssum discutiendam, ad inscrutabilia perscrutanda, exspectatio Vestræ Caritatis impingat. Agnosco modulum meum, sentire mihi videor etiam modulum vestrum. Altius est hoc incrementis meis, & fortius viribus meis; puto quia & vestris. Simul ergo audiamus admonentem Scripturam atque dicentem, Altiora te ne *Eccli.* 3. 22. quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Non quia ista negata sunt nobis, cùm Deus magister dicat, Nihil est occultum quod non revelabitur: sed si *Matth.* 10. in quod pervenimus, in eo ambulemus, sicut dicit 26. Apostolus, non solùm quod nescimus & scire de- *Philip.* 3. 15. bemus, sed etiam si quid aliter sapimus, id quoque & 16. nobis Deus revelabit. Pervenimus autem in viam fidei, hanc perseverantissimè teneamus: ipsa perducet ad cubiculum regis, in quo sunt omnes the- *Coloss.* 2. 3. sauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Non enim ipse Dominus Jesus Christus suis illis magnis & præcipuè electis discipulis invidebat, quando dicebat, Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa por- *Johan.* 16. tare modò. Ambulandum est, proficiendum est, 12. crescendum est, ut sint corda nostra capacia earum rerum, quas capere modò non possumus. Quòd si nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi discemus quod hîc non potuimus.

8. Si quis autem istam quæstionem liquidiùs & meliùs novit se posse & confidit exponere, absit ut

non sim paratior discere quàm docere. Tantùm ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere,
Matth.6.13. ut nobis orationem qua dicimus, Ne nos inferas in tentationem, conetur auferre: rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum. Sed audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem; & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere possimus. Nam & quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam; & quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, Ut quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt, Ut quid conamur bene vivere, quod in Dei est potestate? O Domine, ô Pater qui es in cælis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos à malo! Audiamus Do-
Luc. 22. 32. minum dicentem, Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua: ne sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut divino non egeat adjutorio. Audia-
Johan. 1.12. mus & Evangelistam dicentem, Dedit eis potestatem filios Dei fieri: ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus, verumtamen in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam & agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas: & orandum,
Galat. 5. 6. ne succumbat infirmitas. Ipsa est fides quæ per dilectionem operatur, sicut ejus mensuram Dominus
1. Cor. 1. 31. cuique partitus est, ut qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur.

9. Non ita que mirum est quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat, ut ignorantes Dei justitiam, suam vellent constituere: sicut
Rom. 10. 3. dicit de illis Apostolus, Justitiæ Dei non sunt subjecti. Quia enim non ex fide, sed tamquam ex operibus tumuerunt: ipso suo tumore cæcati, offenderunt in lapidem offensionis. Sic autem dictum est *non poterant*, ubi intelligendum est quòd nolebant: quemadmodum dictum est de Domino Deo no-
2. Tim. 2. 13. stro, Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. De omnipotente dictum est, non potest. SICUT ERGO QUÒD DOMINUS negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ: ita quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ.

10. Ecce dico & ego, quòd qui tam superbè sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium divinum adjutorium ad bene vivendum, non possunt credere in Christum. Non enim aliquid prosunt syllabæ nominis Christi, & sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi. FIDES autem
Rom. 4. 5. CHRISTI EST, credere in eum qui justificat impium; credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo; credere in salvatorem, qui venit quod perierat quærere atque salvare; cre-
Johan. 15. 5. dere in eum qui dixit, Sine me nihil potestis facere. Quia ergo ignorans Dei justitiam qua justificatur impius, suam vult constituere qua convincatur superbus, in hunc non potest credere. Hinc & illi *non poterant credere:* non quia mutari in melius homines non possunt; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere. Hinc excæcantur, & indurantur; quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur. Hoc de Judæis qui excæcati & indurati sunt, Deus præscivit, atque in ejus Spiritu Propheta prædixit.

11. Quod verò addidit, *Et convertantur & sanem eos:* utrùm subaudiendum sit, non, id est, non convertantur, connexâ desuper sententiâ, ubi dictum est, *ut non videant oculis & intelligant corde:* quia & hîc utique dictum [a] est, ut non intelligant. Et ipsa enim conversio de illius gratia est, cui dicitur, Deus virtutum converte nos. An fortè & hoc *Psal. 79. 4.* de supernæ medicinæ misericordia factum intelligendum est, ut quoniam superbæ & perversæ voluntatis erant, & suam justitiam constituere volebant, ad hoc desererentur, ut excæcarentur; ad hoc excæcarentur, ut offenderent in lapidem offensionis, & impleretur facies eorum ignominiâ; atque ita humiliati quærerent nomen Domini, & non suam qua inflatur superbus, sed justitiam Dei qua justificatur impius? Hoc enim multis eorum profecit in bonum, qui de suo scelere compuncti, in Christum postea crediderunt: pro quibus & ipse oraverat dicens, Pater, ignosce illis, quia nescium *Luc. 23 34.* quid faciunt. De qua eorum ignorantia & Apostolus dicit, Testimonium illis perhibeo quia zelum *Rom. 10. 2. &c.* Dei habent, sed non secundùm scientiam: tunc enim & hoc subjunxit, atque ait, Ignorantes enim « Dei justitiam, & suam volentes constituere, justi- « tiæ Dei non sunt subjecti. «

12. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Quid viderit Isaias, & hoc quomodo ad Dominum Christum pertineat, in libro ejus legendum & intelligendum est. Vidit enim non sicuti est, sed modo quodam significativo, sicut Prophetæ visio fuerat informanda. Nam vidit & Moyses, & tamen ei quem videbat dicebat, Si *Exod. 33. 13.* inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum, « manifestè ut videam te: quia non videbat sicuti « est. Quando autem nobis hoc futurum sit, idem « iste sanctus Johannes Evangelista in Epistola sua dicit, Dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum ap- *1. Johan. 3. 2.* paruit quid erimus: scimus quia cùm apparuerit, « similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti « est. Poterat dicere, quoniam videbimus eum, & non addere, sicuti est. Sed quia sciebat à quibusdam Patribus & Prophetis visum, sed non sicuti est: ideo cùm dixisset, videbimus eum, addidit, sicuti est. Nemo enim vos fallat, Fratres, eorum qui dicunt invisibilem Patrem, & visibilem Filium. *Arianorum error.* Hi enim hoc asserunt qui putant eum esse creaturam: nec intelligunt secundùm quid dictum sit, Ego & Pater unum sumus. Prorsus in forma Dei in *Johan. 10. 30.* qua æqualis est Patri, etiam Filius invisibilis est: ut autem ab hominibus videretur, formam servi accepit, & in [b] similitudine hominum factus, visibilis factus est. Ostendit ergo se etiam antequam susciperet carnem oculis hominum, sicut voluit in subjecta sibi creatura, non sicuti est. Mundemus corda per fidem, ut illi ineffabili, &, ut ita dicam, invisibili visioni præparemur: Beati enim mundo cor- *Matth. 5. 8.* de, quoniam ipsi Deum videbunt.

13. * *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de synagoga non ejicerentur:* * *dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Videte quemadmodum notaverit Evangelista & improbaverit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit: qui in hoc ingressu fidei si proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo superarent, quem

Johan. 12. 42. *v. 43.*

[a] Forè legendum, *dictum non est:* nisi sensus sit negationem præfixam verbo *videant*, mente adjungi ad verbum *intelligant*. Et quidem Vulgata Evangelii versio in excusis habet, *& non intelligant corde*, sed in antiquis Corbeiensibus Bibliis Græco consentiens negationem hoc loco minimè repetit.

[b] Editi, *in similitudinem*. At MSS. *in similitudine*: juxta Græc. ὁμοιώματι Philip. 2. 7.

Galat. 6. 14. superaverat Apostolus, dicens, Mihi autem absit « gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, « per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Ad hoc enim & ipse Dominus crucem suam, ubi eum dementia superbæ impietatis irrisit, in eorum qui in illum crederent frontibus fixit, ubi est quodammodo sedes verecundiæ, ut de nomine ejus fides non erubescat, & magis Dei gloriam quàm hominum diligat.

TRACTATUS LIV.

Ab eo quod ait Jesus, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me: *usque ad id*, Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

1. LOQUENTE Domino nostro Jesu Christo apud Judæos, & tanta miraculorum signa faciente, quidam crediderunt prædestinati in vitam æternam, quos etiam vocavit oves suas: quidam verò non crediderunt, nec poterant credere, eò quòd occulto, nec tamen injusto judicio Dei fuerant excæcati & indurati, defe-
Isa. 4. 6. 1. Pet. 5. 6. rente illo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Eorum autem qui crediderunt, alii usque adeo confitebantur, ut palmarum ramis acceptis venienti occurrerent, in eadem laudis confessione lætantes: alii verò ex principibus non audebant confiteri, ut de synagoga non ejicerentur; quos
Johan. 12. 43. notavit Evangelista dicens, quòd dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Eorum etiam qui non crediderunt, alii erant postea cre-
Johan. 8. 28. denturi, quos prævidebat ubi ait, Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc agnoscetis quia ego sum: alii verò in eadem infidelitate mansuri, quorum imitatrix est etiam ista gens Judæorum, quæ postmodum debellata, ad testimonium Prophetiæ quæ de Christo scripta est, in toto penè orbe dispersa est.

2. His ita se habentibus, & sua jam propinquante passione, * *Jesus clamavit, & dixit*, unde lectio
Johan. 12. v. 44. cœpit hodierna: *Qui credit in me, non credit in me,*
v. 45. *sed in eum qui misit me:* * *& qui videt me, videt*
Johan. 7. 16. Supra tract. 29. *eum qui misit me.* Jam dixerat quodam loco, Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Ubi intelleximus eum doctrinam suam dixisse Verbum Patris quod est ipse; & hoc significasse dicendo, Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit, quòd à seipso ipse non esset, sed haberet à quo esset. Deus enim de Deo, Filius Patris: Pater autem non Deus de Deo, sed Deus Pater Filii. Nunc autem quod ait, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, quomodo intellecturi sumus, nisi quia homo apparebat hominibus, cùm lateret Deus? Et ne putarent hoc eum esse tantummodo quod videbant, talem ac tantum se volens credi, qualis & quantus est Pater, *Qui credit in me*, inquit, *non credit in me*, id est, in hoc quod videt: *sed in eum qui misit me*, id est, in Patrem. Sed qui credit in Patrem, necesse est eum credat esse Patrem: qui autem credit eum Patrem, necesse est ut credat eum habere Filium: ac per hoc qui credit in Patrem, necesse est ut credat in Filium. Sed ne quisquam hoc credat de unigenito Filio, quod de iis qui dicti sunt filii Dei secundùm gratiam, non naturam, sicut ait Evangelista, De-
Johan. 1. 12. dit eis potestatem filios Dei fieri; unde & illud est
Iohan. 10. 34. quod ipse Dominus commemoravit in Lege dictum, Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes:
Psal. 81. 6. propterea dixit, *Qui credit in me, non credit in me,* ne totum quod de Christo creditur, secundùm hominem crederetur. Ille ergo, inquit, credit in me, qui non credit in me secundùm id quod me videt, sed in eum qui me misit: ut cùm credit in Patrem, credat eum habere Filium sibi æqualem, & tunc verè credat in me. Nam si putaverit eum non habere nisi filios secundùm gratiam, qui sunt ejus utique creatura, non Verbum, sed facta per Verbum; nec habere Filium æqualem sibi atque coæternum, semper natum, pariter incommutabilem, ex nullo dissimilem atque imparem; non credit in Patrem qui eum misit, quia non est hoc Pater qui eum misit.

3. Et ideo cùm dixisset, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me:* ne putaretur sic voluisse Patrem intelligi tamquam Patrem multorum filiorum per gratiam regeneratorum, non unici Verbi æqualis sibi, continuò subjecit, *Et qui videt me, videt eum qui misit me.* Numquid ait, Qui videt me, non videt me, sed eum qui misit me: sicut dixerat, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me?* Illud namque dixit, ne sicut videbatur, crederetur tantummodo filius hominis: hoc autem dixit, ut Patri crederetur æqualis. Qui credit in me, inquit, non credit in hoc quod videt me, sed credit in eum qui misit me. Aut cùm credit in Patrem qui sibi æqualem genuit me; non quomodo me videt, sed sic credat in me, quomodo in eum qui misit me: usque adeo enim nihil distat inter eum & me, ut qui me videt videat eum qui me misit. Apostolos suos certè ipse Dominus Christus misit, quod eorum etiam nomen indicat: nam sicut Græcè angeli, Latinè nuntii vocantur, ita Græcè Apostoli, Latinè missi appellantur. Numquam tamen aliquis Apostolorum dicere auderet, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me:* omnino enim non diceret, *Qui credit in me.* Credimus enim Apostolo, sed non credimus in Apostolum: non enim Apostolus justificat impium. Credenti autem in *Rom. 4. 5.* eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam. Posset dicere Apostolus, Qui recipit me, recipit eum qui me misit: vel, Qui audit me, audit eum qui me misit: hoc enim eis ipse Dominus ait, Qui vos recipit, me recipit, & qui recipit me, re- *Matth. 10. 40.* cipit eum qui me misit. Quia dominus honoratur in servo, & pater in filio: sed pater tamquam in filio, dominus tamquam in servo. Filius autem unigenitus rectè dicere potuit, Credite in Deum, & *Johan. 14. 1.* in me credite: & quod nunc ait, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Non à se abstulit fidem credentis, sed noluit in forma servi remanere credentem: quoniam cùm quisque credit in Patrem qui eum misit, profectò credit in Filium, sine quo Patrem non esse cognoscit; & ita credit ut credat æqualem, quoniam sequitur, *Et qui videt me, videt eum qui me misit.*

4. Adtende cetera: *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non ma-* *Johan. 12. 46.*
neat. Dixit quodam loco discipulis suis, Vos estis *Matth. 5. 14.*
lux mundi, non potest civitas abscondi super mon- « *&c.*
tem constituta, neque accendunt lucernam, & po- «
nunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut «
luceat omnibus qui in domo sunt: sic luceat lu- «
men vestrum coram hominibus, ut videant opera «
vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in «
cælis est: non tamen eis dixit, Vos lux venistis in «
mundum, ut omnis qui credit in vos, in tenebris

non maneat. Nusquam hoc legi posse confirmo. Lumina ergo sunt omnes sancti: sed credendo ab eo illuminantur, à quo si quis recesserit tenebrabitur. Lumen autem illud quo illuminantur, à se recedere non potest; quia incommutabile omnino est. Credimus ergo lumini illuminato, sicut prophetæ, sicut apostolo: sed ideo illi credimus, ut non in ipsum credamus quod illuminatur, sed cum illo credamus in illud lumen à quo illuminatur; ut & nos illuminemur, non ab illo, sed cum illo à quo ille. Cùm autem dicit, *Vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat*: satis manifestat omnes se in tenebris inventos esse: sed ne in eis tenebris maneant in quibus inventi sunt, debent credere in lucem quæ venit in mundum, quia per illam factus est mundus.

Iohan. 12. 47. 5. *Et si quis audierit*, inquit, *verba mea, & non custodierit, ergo non judico eum.* Mementote quæ vos audisse in superioribus lectionibus novi; & qui obliti fortè estis, recolite; & qui non adfuistis, sed adestis, audite quomodo dicit Filius, *Ego non judico eum*: cùm dicat alio loco, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio: nisi quia intelligendum est, modò non judico eum. Quare non judicat modò? Attende quid sequitur: *Non enim veni*, inquit, *ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum*: id est, ut salvum faciam mundum. Nunc ergo est tempus misericordiæ, pòst erit judicii: quia Misericordiam, inquit, & judicium cantabo tibi Domine.

Iohan. 5. 22. *Iohan.* 12. 47. *Psal.* 100. 1.

6. Sed de ipso etiam futuro novissimo judicio videte quid dicat: *Qui spernit me & non accipit verba mea, habet qui judicet eum: sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Non ait, Qui spernit me, & non accipit verba mea, ego non judico eum in novissimo die. Hoc enim si dixisset, non video quomodo posset non esse contrarium illi sententiæ ubi ait, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Cùm verò dixit, *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum*: exspectantibus autem quisnam ille esset, secutus adjunxit, *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*: satis manifestavit semetipsum judicaturum in novissimo die. Seipsum quippe locutus est, seipsum annuntiavit, seipsum januam posuit, qua ipse ad oves pastor intraret. Aliter itaque judicabuntur qui non audierunt, aliter qui audierunt & contemserunt. Qui enim sine Lege peccaverunt, ait Apostolus, sine Lege & peribunt: & qui in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur.

Iohan. 12. 48. *Rom.* 2. 12.

7. *Quia ego*, inquit, *ex meipso non sum locutus.* Ideo se dicit non locutum ex seipso, quia non est ex seipso. Jam hoc sæpe diximus: jam hoc tamquam notissimum non docere, sed admonere debemus. *Sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar.* Non laboraremus, si cum eis nos loqui sciremus, cum quibus superiora locuti sumus, & cum eis ipsis non omnibus, sed quæ audierunt memoriâ retinentibus: nunc verò quia fortasse aliqui adsunt, qui non audierunt, eisque sunt similes qui obliti sunt quod audierunt, propter illos perferant moras nostras qui audita meminerunt. Quomodo dat mandatum Pater unico Filio? Quo verbo loquitur Verbo, cùm sit ipse Filius unigenitum Verbum? Numquid per Angelum, cùm per ipsum creati sint Angeli? Numquid per nubem? quæ quando sonuit ad Filium, non propter ipsum sonuit, quod alibi dicit etiam ipse; sed propter alios quos oportebat ita audire. Numquid per sonum labiis emissum? qui non habet corpus, nec aliquo locorum intervallo Filius à Patre separatur, ut sit inter illos aër medius, quo percusso vox fiat & in aurem veniat. Absit ut talia de illâ incorporea & ineffabili substantia suspicemur. Filius unicus est Verbum Patris, & sapientia Patris, in illa sunt omnia mandata Patris. Neque enim Patris mandatum Filius aliquando nesciebat, ut eum necesse esset ex tempore habere quod antea non habebat. Ita enim à Patre quod habet accepit, ut nascendo acceperit, dederitque illi gignendo. Nam & vita est, & accepit vitam utique nascendo, non priùs sine vita exsistendo. Quia & Pater habet vitam, & quod habet est: nec accepit tamen, quia non ex aliquo est. Filius autem accepit vitam, dante Patre à quo est: & ipse quod habet, est: habet enim vitam, & vita est. Ipsum audi loquentem: Sicut habet, inquit, Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Numquid exsistenti, & non habenti dedit? Sed eo dedit quo genuit, qui vitam genuit, & vita genuit vitam. Et quia parem genuit, non imparem vitam: ideo dictum est, Sicut habet ipse vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Vitam dedit, quia gignendo vitam, quid dedit nisi esse vitam? Et quia æterna est ipsa nativitas, numquam non fuit Filius qui est vita, numquam fuit Filius sine vita: & sicut est nativitas æterna, sic est qui natus est vita æterna. Ita & mandatum non quod Filius non habebat, Pater dedit: sed, sicut dixi, in sapientia Patris, quod est Verbum Patris, omnia mandata sunt Patris. Dicitur autem mandatum datum, quia non est à seipso cui dicitur datum: & hoc est dare Filio sine quo numquam Filius fuit, quod est gignere Filium qui numquam non fuit.

Iohan. 5. 26.

8. Sequitur autem, *Et scio quia mandatum ejus vita æterna est.* Si ergo vita æterna est ipse Filius, & vita æterna est mandatum Patris; quid aliud dictum est, quàm ego sum mandatum Patris? Proinde & id quod adjungit, & dicit, *Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor*: non accipiamus, *dixit mihi*, quasi Pater verba locutus sit unico Verbo, aut egeat Dei verbis Dei Verbum. Dixit ergo Pater Filio, sicut dedit vitam Filio: non quod nesciebat vel non habebat, sed quod ipse Filius erat. Quid est autem, *sicut dixit mihi sic loquor*, nisi [a] verum loquor? Ita ille dixit ut verax, ita iste loquitur ut veritas. Verax autem genuit veritatem. Quid ergo jam diceret veritati? Non enim imperfecta erat veritas, cui verum aliquid adderetur. Dixit ergo veritati, quia genuit veritatem. Porrò ipsa veritas sic loquitur, ut ei dictum est: sed intelligentibus, quos docet ut nata est. Ut autem crederent homines quod intelligere nondum valent, ex ore carnis verba sonuerunt, & abierunt; transvolantes soni strepuerunt, peractis morulis temporum suorum: sed res ipsæ quarum signa sunt soni, trajectæ quodammodo in eorum memoriam qui audierunt, etiam ad nos per litteras quæ visibilia signa sunt, pervenerunt. Non sic loquitur veritas: intelligentibus mentibus intus loquitur, sine sono instruit, intelligibili luce perfundit. Qui ergo potest in ea [b] videre nativitatis ejus æternitatem, ipse illam sic

[a] Sic duo MSS. ceteri verò ut in editis, *verbum loquor.*

[b] Sic MSS. At Lov. *audire*: editi alii, *credere.*

audit loquentem, sicut ei dixit Pater quod loqueretur. Excitavit nos ad magnum desiderium interioris dulcedinis suæ: sed crescendo capimus, ambulando crescimus, proficiendo ambulamus, ut pervenire possimus.

TRACTATUS LV.

Ab eo loco, Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus: *usque ad id*, Et cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.

Iohan. 13. 1.

1. COENA Domini secundùm Johannem, adjuvante ipso, debitis est explicanda tractatibus, & ut nobis posse donaverit, explananda. *Ante diem autem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Pascha, Fratres, non sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum: opportunissimè tamen occurrit in hoc nomine quædam congruentia utrarumque linguarum. Quia enim pati Græcè πάσχειν dicitur, ideo Pascha passio putata est, velut hoc nomen à passione sit appellatum: in sua verò lingua, hoc est in Hebræa, Pascha transitus dicitur: propterea tunc primùm Pascha celebravit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes, rubrum mare transierunt. Nunc ergo figura illa prophetica in veritate completa est, cùm sicut ovis ad immolandum ducitur Christus, cujus sanguine illitis postibus nostris, id est, cujus signo crucis signatis frontibus nostris, à perditione hujus sæculi tamquam à captivitate vel interemtione Ægyptia liberamur: & agimus saluberrimum transitum, cùm à diabolo transimus ad Christum, & ab isto instabili sæculo ad ejus fundatissimum regnum. Ideo quippe ad Deum permanentem transimus, ne cum mundo transeunte transeamus. De hac nobis collata gratia Deum laudans Apostolus dicit, Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ. Hoc itaque nomen, id est, Pascha, quod Latinè, ut dixi, transitus nuncupatur, velut interpretans nobis beatus Evangelista, *Ante diem*, inquit, *festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ecce Pascha, ecce transitus. Unde, & quò? *De hoc* scilicet *mundo ad Patrem.* Spes membris in capite data est, quòd essent illo transeunte sine dubio secutura. Quid ergo infideles, & ab hoc capite atque ab ejus corpore alieni, nonne & ipsi transeunt, quia non permanent? Transeunt planè & ipsi: sed aliud est transire de mundo, aliud est transire cum mundo? aliud ad Patrem, aliud ad hostem. Nam & Ægyptii transierunt, non tamen transierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum.

Exodi 14. 29. *Isa.* 53. 7. *Exodi* 12. 23. *Coloss.* 1. 13. *1. Cor.* 5. 7.

2. *Sciens* ergo *Iesus quia venit hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Utique ut & ipsi de hoc mundo ubi erant, ad suum caput, quod hinc transisset, ejus dilectione transirent. Quid est enim, *in finem*, nisi in Christum? Finis enim Legis Christus, ait Apostolus, ad justitiam omni credenti. Finis perficiens, non interficiens: finis quò usque eamus, non ubi pereamus. Sic omnino intelligendum est, Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse est finis noster, in illum est transitus noster. Nam video posse ista verba evangelica quodam humano modo etiam sic accipi, tamquam usque ad mortem Christus dilexerit suos, ut hoc videatur esse, *in finem dilexit eos.* Humana est hæc sententia, non divina: neque enim nos huc usque ille dilexit, qui semper & sine fine nos diligit. Absit ut dilectionem morte finierit, qui non est morte finitus. Etiam post mortem quinque fratres suos dilexit dives ille superbus atque impius, & usque ad mortem nos dilexisse putandus est Christus? absit, Carissimi. Nequaquam ille nos diligendo usque ad mortem veniret, si dilectionem nostram morte finiret. Nisi fortè ita sit intelligendum, *in finem dilexit eos*: Quia tantum dilexit eos, ut moreretur propter eos. Hoc enim testatus est dicens, Majorem hac caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Ita sanè non prohibemus intelligi, *in finem dilexit*, id est, usque ad mortem illum dilectio ipsa perduxit.

Luca 16. 27. *Iohan.* 15. 13.

3. * *Et cœnâ*, inquit, *factâ, cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes*: * *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit*, * *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua. Et cùm accepisset linteum, præcinxit se.* * *Deinde mittit aquam in pelvem, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.* Non ita debemus intelligere cœnam factam veluti jam consummatam atque transactam: adhuc enim cœnabatur, cùm Dominus surrexit & pedes lavit discipulis suis. Nam postea recubuit, & buccellam suo traditori postea dedit, utique cœnâ nondum finitâ, hoc est dum adhuc panis esset in mensa. *Cœnâ* ergo *factâ*, dictum est, jam paratâ, & ad convivantium mensam usumque perductâ.

Iohan. 13. v. 2. v. 3. v. 4. v. 5.

4. Quod autem ait, *Cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.* Si quæris quid missum sit in cor Judæ, hoc utique, *ut traderet eum.* Missio ista, spiritalis suggestio est: non fit per aurem, sed per cogitationem; ac per hoc non corporaliter, sed spiritaliter. Neque enim spiritale quod dicitur, semper in laude accipiendum est. Novit Apostolus quædam spiritalia nequitiæ in cælestibus, adversùs quæ nobis collectationem esse testatur: non autem essent etiam maligna spiritalia, si non essent etiam maligni spiritus. A spiritu enim spiritalia nominantur. Sed quomodo ista fiant ut diabolicæ suggestiones immittantur, & humanis cogitationibus misceantur, ut eas tamquam suas deputet homo, unde scit homo? Nec dubitandum est etiam bonas suggestiones à bono spiritu ita latenter ac spiritaliter fieri: sed interest quibusnam earum mens humana consentiat, divino auxilio vel deserta per meritum, vel adjuta per gratiam. Factum ergo jam fuerat in corde Judæ per immissionem diabolicam, ut traderet discipulus magistrum, sed quem non didicerat Deum. Jam talis venerat ad convivium, explorator pastoris, insidiator salvatoris, venditor redemtoris; jam talis venerat, & videbatur, & tolerabatur, & se ignorari arbitrabatur: quia in eo quem volebat fallere, fallebatur. At ille isto in ipso corde intus inspecto, nesciente scienter utebatur.

Ephes. 6. 12.

Rom. 10. 4.

5. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ergo & ipsum traditorem. Nam si eum in manibus non haberet, non utique illo uteretur ut vellet. Proinde jam traditor traditus erat ei quem tradere cupiebat, atque ita malum tradendo faciebat, ut de illo tradito bonum fieret quod nesciebat. Scie-

bat enim Dominus quid faceret pro amicis, qui A patienter utebatur inimicis: ac sic omnia dederat Pater in manus ejus, & in usum mala, & in effectum bona. *Sciens etiam quia à Deo exiit, & ad Deum vadit:* nec Deum cùm inde exiret, nec nos deserens cùm rediret.

6. Hæc ergo sciens, *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvem, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.* Debemus, Dilectissimi, sensum Evan- B gelistæ diligenter adtendere. Locuturus quippe de tanta Domini humilitate, priùs celsitudinem ejus voluit commendare. Ad hoc pertinet quod ait, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit.* Cùm illi ergo omnia Pater dedisset in manus, ille discipulorum non manus, sed pedes lavit: & cùm se sciret à Deo exiisse, & ad Deum pergere, non Dei Domini, sed hominis servi implevit officium. Ad hoc autem pertinet quod etiam de traditore ipsius, qui C jam talis venerat, qui nec ab illo ignorabatur, præloqui voluit: ut hoc quoque ad maximum cumulum humilitatis accederet, quòd etiam illi non dedignatus est pedes lavare, cujus manus jam prævidebat in scelere.

7. Quid autem mirum si surrexit à cœna, & *Philip. 2. 6. & 7.* posuit vestimenta sua, qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanivit? Et quid mirum si præcinxit se linteo, qui formam servi accipiens habitu inventus est ut homo? Quid mirum si mi- D sit aquam in pelvem unde lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid mirum, si linteo quo erat præcinctus, pedes quos laverat, tersit, qui carne qua erat indutus, Evangelistarum vestigia confirmavit? Et linteo quidem ut se præcingeret, posuit vestimenta quæ habebat: ut autem formam servi acciperet quando semetipsum exinanivit, non quod habebat deposuit, sed quod non habebat accepit. Crucifigendus sanè suis ex- E spoliatus est vestimentis, & mortuus involutus est linteis: & tota illa ejus passio, nostra purgatio est. Passurus igitur exitia, præmisit obsequia: non solùm eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta est quippe humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas: quia homo superbus in æternum periret, *Luce 19. 10.* nisi illum Deus humilis inveniret. Venit enim filius hominis quærere & salvum facere quod perie- F rat. Perierat autem superbiam deceptoris secutus, ergo humilitatem redemtoris sequatur inventus.

TRACTATUS LVI.

Ab eo quod scriptum est, Venit ergo ad Simonem Petrum, &c. *usque ad id*, Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.

1. *Joan 13.6.* Cum lavaret pedes discipulorum Dominus, *Venit ad Simonem Petrum: & dicit ei Petrus, Domine, tu mihi lavas pedes?* Quis enim non expavesceret lavari sibi pedes à Dei Filio? Quamvis itaque magnæ fuisset audaciæ contradicere servum domino, hominem Deo: tamen hoc Petrus facere maluit, quàm perpeti ut sibi pedes lavarentur à Domino & Deo. Nec pu-

[a] Unus è MSS. *quos tantùm lavet.*

tare debemus hoc Petrum inter ceteros formidasse atque recusasse, cùm id alii ante ipsum libenter vel æquanimiter sibi fieri permisissent. Faciliùs quippe sic accipiuntur ista verba Evangelij, quia cùm dictum esset, *Cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus:* deinde subjunctum est, *Venit ergo ad Simonem Petrum*, quasi aliquibus jam lavisset, & post eos venisset ad primum. Quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est quòd post aliquos ad illum venerit: sed quòd ab illo cœperit. Quando ergo pedes discipulorum lavare cœpit, venit ad eum à quo cœpit, id est, ad Petrum: & tunc Petrus, quod etiam quilibet eorum expavisset, expavit, atque ait, *Domine, tu mihi lavas pedes?* Quid est, *tu?* Quid est, *mihi?* Cogitanda sunt potiùs quàm dicenda: ne fortè quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua.

2. Sed *respondit Jesus, & dixit ei, Quod ego fa-* *v. 7.* *cio, tu nescis modò, scies autem postea.* Nec tamen ille Dominici facti altitudine exterritus, permittit fieri, quod cur fieret ignorabat: sed usque ad suos pedes humilem Christum adhuc non vult videre, non potest sustinere. *Non lavabis mihi*, inquit, *v. 8.* *pedes in æternum.* Quid est, *in æternum?* Numquam hoc feram, numquam patiar, numquam sinam: hoc quippe in æternum non fit, quod numquam fit. Tum Salvator ægrum reluctantem de ipsius salutis periculo exterrens: *Si non lavero te*, inquit, *non habebis partem mecum.* Ita dictum est, *Si non lavero te*, cùm de solis pedibus ageretur: quomodo dici adsolet, Calcas me, quando sola planta calcatur. At ille amore & timore perturbatus, & plus expavescens Christum sibi negari, quàm usque ad suos pedes humiliari: *Domine*, ait, *non tan-* *v. 9.* *tùm pedes meos, sed & manus & caput.* Quando quidem sic minaris, lavanda tibi membra mea, non solùm ima non subtraho, verùm etiam prima substerno. Ne mihi neges capiendam tecum partem, nullam tibi nego abluendam mei corporis partem.

3. *Dicit ei Jesus, Qui lotus est, non habet opus* *v. 10.* *nisi pedes lavare, sed est mundus totus.* Hîc moveatur fortassis quis, & dicat, Immo si mundus est totus, quid ei opus est vel pedes lavare? Dominus autem noverat quod dicebat, etiamsi nostra infirmitas ejus secreta non penetrat. Verumtamen quantùm nos erudire, & ex lege sua docere dignatur, pro captu meo, pro modulo meo, aliquid etiam ego de hujus quæstionis profunditate illo adjuvante respondeam: ac primùm ipsam locutionem non sibi esse contrariam facillimè ostendam. Quis enim non ita rectissimè loqui possit, Mundus est totus præter pedes? Elegantiùs autem loquitur si dicit, Mundus est totus nisi pedes,[a] quod tantumdem valet. Hoc ergo ait Dominus, *Non habet opus nisi pedes lavare, sed est mundus totus.* Totus utique præter pedes, vel nisi pedes, quos habet opus lavare.

4. Sed quid est hoc? quid sibi vult? quid hoc necessarium est ut quæramus? Dominus dicit, veritas loquitur, quòd opus habeat pedes lavare etiam ille qui lotus est. Quid, Fratres mei, quid putatis? nisi quia homo in sancto quidem baptismo totus abluitur, non præter pedes, sed totus omnino: verumtamen cùm in rebus humanis postea

vivitur,

vivitur, utique terra calcatur. Ipsi igitur humani A affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, & sic afficimur, ut si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, & veritas in nobis non sit. Quotidie igitur pedes lavat nobis, qui interpellat pro nobis: & quotidie nos opus habere ut pedes lavemus, id est, vias spiritalium gressuum dirigamus, in ipsa oratione Dominica confitemur, cùm dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus B nostris. Si enim confiteamur, sicut scriptum est, peccata nostra, profectò ille qui lavit pedes discipulorum suorum, fidelis est & justus qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate, id est, usque ad pedes quibus conversamur in terra.

1. Johan. 1. 8. *Rom. 8. 34.* *Matth. 6. 12.* *1. Johan. 1. 9.*

5. Proinde Ecclesia quam mundat Christus lavacro aquæ in verbo, non solùm in illis est sine macula & ruga, qui post lavacrum regenerationis continuò ex hujus vitæ contagione tolluntur, nec cal- C cant terram ut opus habeant pedes lavare, verùm etiam in iis quibus istam misericordiam præbens Dominus, fecit eos de sæculo isto lotis etiam pedibus emigrare. In his autem qui hîc demorantur, etiamsi munda sit, quoniam justè vivunt: opus tamen habent pedes lavare, quoniam sine peccato utique non sunt. Propter hoc dicit in Cantico canticorum, Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dicit enim hoc cùm cogitur ad Christum venire, & terram calcare cùm venit. Alia quæstio D rursus exoritur. Nonne Christus sursum est? Nonne adscendit in cælum, & sedet ad dexteram Patris? Nonne Apostolus clamat, & dicit, Si ergo resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram? Quomodo ergo ut ad Christum eamus, terram calcare compellimur: cùm potiùs nobis sursum cor habendum sit ad Dominum, ut cum illo esse possimus? Videtis Fratres hodierni temporis angustias E istam coartare quæstionem. Quod & si vos fortè minùs videtis, ego utcumque video quantæ disputationis indigeat. Unde peto ut eam potiùs suspendi, quàm vel negligentiùs vel angustiùs pertractari, non fraudata, sed dilata exspectatione patiamini. Aderit enim Dominus qui nos debitores facit, ut faciat etiam redditores.

Cant. 5. 3. *Coloss. 3. 1. & 2.* *Act. 9. 4.*

TRACTATUS LVII.

Quonam modo Ecclesia timeat inquinare pedes, dum pergit ad Christum.

1. Non immemor mei debiti, jam reddendi tempus agnosco. Donet unde reddam, qui donavit ut debeam. Donavit enim dilectionem, de qua dictum est, Nemini *Rom. 13. 8.* quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: donet etiam sermonem, quem video me debere dilectis. Exspectationem vestram ad hoc nempe distuleram, ut explicarem sicut possem, quemadmo- G dum etiam per terram veniatur ad Christum: cùm potiùs jubeamur quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram. Sursum enim Christus est sedens ad dexteram Patris: sed profectò & hîc est, propter quod & Saulo in terra sævienti dicit, Quid me persequeris? Ut autem hoc quærendum susciperemus, id tractabatur quòd pedes Dominus discipulis lavit, cùm jam ipsi discipuli loti essent, nec opus haberent nisi pedes lavare. Ubi visum est intelligendum, quòd baptismo quidem homo totus abluitur: sed dum isto postea vivit in sæculo, humanis affectibus terram velut pedibus calcans, ipsa scilicet conversatione vitæ hujus contrahit unde dicat, Dimitte nobis debita nostra. Ac sic etiam *Matth. 6. 12. Joan. 13. 5. Rom. 8. 34.* inde mundatur ab eo qui pedes lavit discipulis suis, nec desinit interpellare pro nobis. Hinc occurrunt ex Cantico canticorum Ecclesiæ verba dicentis, Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos? *Cant. 5. 3.* cùm vellet ire, & aperire ei qui venerat ad eam, & pulsaverat, sibique aperiri popposcerat, ille speciosus formâ præ filiis hominum. Hinc quæstio nata est quam coartare noluimus angustiis temporis, ideoque distulimus, quonam modo Ecclesia timeat inquinare pedes, dum pergit ad Christum, quos baptismate laverat Christi.

Psal. 44. 3.

2. Sic enim ait, Ego dormio, & cor meum vi- *Cant 5 v. 2.* gilat: vox fratruelis mei pulsat ad januam. Dein- « de dicit etiam ipse, Aperi mihi soror mea, proxi- « ma mea, columba mea, perfecta mea: quia caput « meum repletum est rore, & crines mei noctis gut- « tis. Et respondet illa, Exui me tunicâ meâ, quo- *v. 3.* « modo induam eam? Lavi pedes meos, quomodo « inquinabo illos? O admirabile sacramentum! ô grande mysterium! Ergone timet inquinare pedes, veniendo ad eum qui lavit suorum discipulorum pedes? Timet certè, quia per terram venit ad eum, qui etiam in terra est, quia suos hîc constitutos non deserit. An non ipse ait, Ecce ego vobiscum *Matth. 28.* sum usque ad consummationem sæculi? An non *20.* ipse ait, Videbitis cælos apertos, & Angelos Dei *Johan. 1. 51.* adscendentes & descendentes ad filium hominis: « Si adscendunt ad eum propterea quia sursum est, quomodo ad eum descendunt, si non etiam hîc est? Dicit ergo Ecclesia, Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos? In eis hoc dicit qui possunt omni fæce mundati dicere, Cupio dissolvi & esse *Philip 1. 23.* cum Christo, permanere autem in carne magis *& 24.* necessarium propter vos. In eis hoc dicit qui prædicant Christum & aperiunt illi ostium, ut habi- *Ephes. 13. 17.* tet per fidem in cordibus hominum. In his hoc dicit, cùm deliberant, utrùm ministerium tale suscipiant, cui se minùs idoneos existimant, ut sine culpa impleant, ne fortè aliis prædicantes, ipsi reprobi *1 Cor. 9. 27.* fiant. Tutiùs enim veritas auditur quàm prædicatur: quoniam cùm auditur, humilitas custoditur: cùm autem prædicatur, vix non subrepit cuivis hominum quantulacumque jactantia, in qua utique inquinantur pedes.

3. Ergo ut Apostolus Jacobus dicit, Sit omnis *Jacob. 1 19.* homo velox ad audiendum, tardus autem ad lo- « quendum. Dicit & alius homo Dei, Auditui meo *Psal. 50. 10.* dabis gaudium & lætitiam, & exsultabunt ossa hu- « miliata. Hoc est quod dixi, Cùm veritas auditur, humilitas custoditur. Dicit & alius, Amicus autem *Johan. 3. 29.* sponsi stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Fruamur auditu, sine strepitu nobis loquente intrinsecùs veritate. Quamquam etiam cùm forinsecùs insonat per legentem, per annuntiantem, per prædicantem, per disputantem, per præcipientem, per consolantem, per exhortantem, per ipsum etiam cantantem atque psallentem: ipsi qui hæc agunt, inquinare pedes suos timeant, cùm placere hominibus subrepente amore humanæ laudis affectant. Ceterùm qui eos audit libenter & piè, non habet locum jactandi se in laboribus alienis: &

Ergo ipsum non elegerat, unde ab eis quos elegit, A & hoc intelligi, quoniam geminæ est ille gigas sub-
isto sermone secernit. Quod ergo dico, inquit, stantiæ, qui exsultavit ad currendam viam: Ver- *Psal. 18. 6.*
Beati eritis si feceritis ea, non de omnibus vobis dico: bum enim caro factum est, hoc est, Deus homo *Johan. 1. 14.*
est inter vos qui non erit beatus, neque faciet ea. factus est. Proinde ita dixisse posset videri, *Qui ac-*
Ego scio quos elegerim. Quos, nisi eos qui beati erunt *cipit si quem misero, me accipit* secundùm hominem:
faciendo quæ præcepit, ac facienda monstravit, *Qui autem me* secundùm Deum *accipit, accipit eum*
qui efficere beatos posset? Non est, inquit, traditor *qui me misit.* Sed cùm ista dicebat, non ab illo na-
Judas electus. Quid est ergo quod alio loco dicit, turæ unitas; sed in eo qui mittitur, mittentis com-
Johan. 6. 71. Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis mendabatur auctoritas. Sic itaque eum qui missus
diabolus est? An & ipse ad aliquid est electus, ad est unusquisque accipiat, ut in illo eum qui misit ad-
quod utique erat necessarius; non autem ad beati- B tendat. Si ergo adtendas Christum in Petro, inve-
tudinem, de qua modò ait, *Beati eritis si feceritis* nies discipuli præceptorem: si autem adtendas Pa-
ea? Hoc non de omnibus dicit: scit enim quos ad trem in Filio, invenies Unigeniti Genitorem: ac
societatem beatitudinis hujus elegerit. Non est ex sic in eo qui missus est, sine ullo accipis errore mit-
eis iste, qui panem illius sic edebat, ut super eum tentem. Ea quæ sequuntur in Evangelio, non sunt
levaret calcaneum. Illi manducabant panem Do- temporis brevitate coartanda. Et ideo sermo iste,
1. Cor. 11. 29. minum, ille panem Domini contra Dominum: illi Carissimi, velut ovium sanctarum cibus, si sufficit,
Johan. 13. 19. vitam, ille pœnam. Qui enim manducat indignè, salubriter capiatur: si exiguus est, desiderabiliter
ait Apostolus, judicium sibi manducat. *A modò,* in- ruminetur.
quit, *dico vobis priùs quàm fiat, ut cùm factum fuerit,*
credatis quia ego sum: id est, ego sum de quo illa C TRACTATUS LX.
Psal. 40. 10. Scriptura præcessit, ubi dictum est, *Qui manducat*
mecum panem, levabit super me calcaneum. *In illud,* Cùm hæc dixisset Jesus turbatus
est spiritu.

Johan. 13. 20. 2. Deinde sequitur, & dicit, *Amen, amen dico*
vobis, qui accipit si quem misero, me accipit; qui au-
tem me accipit, accipit eum qui me misit. Tantumne 1. NON parva, Fratres, ex Evangelio beati
distare intelligi voluit inter eum quem mittit & se- Johannis nobis proponitur quæstio, ubi
ipsum, quantum inter seipsum & Patrem Deum? ait, *Cùm hæc dixisset Jesus, turbatus est* *Johan. 13.*
Hoc si isto modo acceperimus, nescio quos gradus, *spiritu, & protestatus est, & dixit, Amen, amen dico* *21.*
Occurrit Arianis. quod absit, Arianorum more faciemus. Illi quippe *vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Hinc ne turba-
cùm audiunt hæc evangelica verba, seu legunt, sta- D tus est Jesus, non carne, sed spiritu, quia dicturus
tim ad illos gradus sui dogmatis currunt, quibus fuerat, *Unus ex vobis tradet me?* Numquidnam illi
non adscendunt ad vitam, sed præcipitantur in hoc tunc primùm venit in mentem, vel tunc pri-
mortem. Continuò quippe dicunt, Quantum Apo- mùm ei subitò revelatum est, eumque repentina
stolus Filii distat à Filio, quamvis dixerit, *Qui ac-* tanti mali novitas turbavit? Nonne hinc paulò an-
cipit si quem misero, me accipit: tantum & Filius di- tè loquebatur dicens, Qui manducat mecum pa- *v. 18.*
stat à Patre, quamvis dixerit, *Qui autem me accipit,* nem, levabit super me calcaneum? Nonne etiam
accipit eum qui me misit. Sed si hoc dicis, oblitus es jam superiùs dixerat, Et vos mundi estis, sed non *v. 10.*
hæretice gradus tuos. Si enim tanto intervallo pro- omnes? Ubi Evangelista subjunxit, Sciebat enim
pter hæc Domini verba Filium à Patre, quantum quisnam esset qui traderet eum: quem jam & antè
Apostolum distinguis à Filio, ubi posturus es Spi- E significaverat dicens, Nonne ego vos duodecim *Johan. 6. 71.*
ritum-sanctum? Exciditne tibi, eum vos ponere elegi, & unus ex vobis diabolus est? Quid est ergo
solere post Filium? Erit ergo ipse inter Apostolum quòd nunc *turbatus est spiritu, cùm protestatus est, &*
& Filium: & multò ampliùs distabit Filius ab Apo- *dixit, Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tra-*
stolo quàm Pater à Filio. An fortè ut inter Filium *det me?* An quia eum jam fuerat expressurus, ut
& Apostolum, atque inter Patrem & Filium ma- non lateret in ceteris, sed discerneretur à ceteris,
neat paribus intervallis ista distinctio, æqualis erit ideo *turbatus est spiritu?* An quia ipse traditor jam
Spiritus-sanctus Filio? Sed nec hoc vultis. Ubi ergo fuerat exiturus, ut Judæos, quibus Dominus ab eo
eum posituri estis, si quanta Filium Patri, tanta traderetur, adduceret, turbavit eum imminens
Apostolum Filio discretione supponitis? Cohibete passio, & periculum proximum, & traditoris im-
itaque vestræ præsumtionis audaciam; & in his F pendens manus, cujus fuerat prægnitus animus?
verbis nolite quærere quantam Filii & Apostoli, Tale quippe hoc est quod Jesus *turbatus est spiritu,*
tantam Patris Filiique distantiam. Ipsum Filium quale etiam illud quòd ait, Nunc anima mea tur- *Johan. 12.*
Johan. 10. 30. audite potiùs dicentem, Ego & Pater unum sumus. bata est, & quid dicam? Pater salva me ex hora *27.*
Ubi veritas vobis inter Genitorem & Unigenitum hac, sed propterea veni in horam hanc. Sicut ergo
nullam distantiæ suspicionem reliquit, ubi gradus tunc ejus anima turbata est horâ propinquante pas-
vestros Christus elisit, ubi scalas vestras petra con- sionis: ita etiam nunc exituro Juda atque venturo,
fregit. & propinquante tanto scelere traditoris, *turbatus*
est spiritu.

3. Sed hæreticorum calumniâ refutatâ, quo- 2. Turbatus est ergo potestatem habens ponendi *Johan. 10. 18.*
nam modo nos accepturi sumus hæc Dominica animam suam, & potestatem habens iterum sumen-
verba, *Qui accipit si quem misero, me accipit: qui au-* G di eam. Turbatur tam ingens potestas, turbatur
tem me accipit, accipit eum qui me misit? Si enim vo- petræ firmitas: an potiùs in eo nostra turbatur infir-
luerimus intelligere ideo dictum, *Qui me accipit,* mitas? Ita verò: nihil indignum credant servi de
accipit eum qui me misit, quòd unius naturæ sint Domino suo, sed agnoscant se membra in capite
Pater & Filius: consequens videbitur ex eorum- suo. Qui mortuus est pro nobis, turbatus est idem
dem verborum regula, qua dictum est, *Qui accipit* ipse pro nobis. Qui ergo potestate mortuus est, po-
si quem misero, me accipit, ut unius naturæ sit Filius testate turbatus est: qui transfiguravit corpus hu- *Philip. 3. 21.*
& Apostolus. Posset quidem non inconvenienter militatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ,

transfiguravit etiam in se affectum infirmitatis no- A non potestate, sed infirmitate turbamur. Carnis
stræ, compatiens nobis affectu animæ suæ. Proinde quippe ille gerebat infirmitatem, quæ infirmitas re-
quando turbatur magnus, fortis, certus, invictus, surrectione consumta est. Sed qui non solùm homo,
non ei timeamus quasi deficiat: non perit, sed nos verùm etiam Deus erat, ineffabili distantiâ univer-
quærit. Nos, inquam, nos omnino sic quærit: nos sum genus humanum animi fortitudine superabat.
ipsos in illius perturbatione videamus, ut quando Non ergo aliquo est cogente turbatus, sed turbavit
turbamur, non desperatione pereamus. Quando semetipsum, quod de illo evidenter expressum est, *Johan. 11.*
turbatur qui non turbaretur nisi volens, eum con- quando Lazarum suscitavit: nam ibi scriptum est, *33.*
solatur qui turbatur & nolens. quòd turbaverit semetipsum, ut hoc intelligatur &

3. Pereant argumenta philosophorum, qui ne- ubi non scriptum legitur, & tamen eum legitur
gant in sapientem cadere perturbationes animo- B fuisse turbatum. Affectum quippe humanum, quan-
1. Cor. 1. 20. rum. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi: do oportuisse judicavit, in seipso potestate com-
Psal. 93. 11. & Dominus novit cogitationes hominum, quoniam movit, qui hominem totum potestate susceptit.
vanæ sunt. Turbetur planè animus Christianus,
non miseriâ, sed misericordiâ: timeat ne pereant TRACTATUS LXI.
homines Christo, contristetur cùm perit aliquis
Christo; concupiscat adquiri homines Christo, læ- *Ab eo quod Dominus ait,* Amen, amen dico vobis
tetur cùm adquiruntur homines Christo: timeat & quia unus ex vobis tradet me: *usque ad id,* Ille est
sibi ne pereat Christo, contristetur peregrinari se à cui ego tinctum panem porrexero.
Christo; concupiscat regnare cum Christo, læte-
tur dum sperat se regnaturum esse cum Christo. C 1. HOc Evangelii capitulum, Fratres, ita
Istæ sunt certè quatuor quas perturbationes vo- nobis exponendum hac lectione propo-
cant, timor & tristitia, amor & lætitia. Habeant situm est: ut jam etiam de traditore Do-
eas justis de caussis animi Christiani, nec philoso- mini per panem tinctum eique porrectum satis evi-
phorum Stoicorum, vel quorumcumque similium denter expresso aliquid dicere debeamus. Et de illo
consentiatur errori: qui profectò quemadmodum quidem, quòd eum jam demonstraturus Jesus tur-
vanitatem existimant veritatem, sic stuporem de- batus est spiritu, præterito sermone differui: sed
putant sanitatem; ignorantes sic hominis animum, fortassis quod ibi non dixi, etiam hoc nobis Domi-
quemadmodum corporis membrum, desperatiùs nus significare sua perturbatione dignatus est, quòd
ægrotare, quando & doloris amiserit sensum. scilicet falsos fratres, & Dominici agri illa zizania *Matth. 13. 30.*

4. Sed dicit aliquis, Numquid animus Christia- D ita necesse est usque ad messis tempus inter frumen-
ni debet etiam morte impendente turbari? Ubi est ta tolerari, ut quando ex eis aliqua separari etiam
Philip. 1. 23. enim quod ait Apostolus, concupiscentiam se ha- ante messem urgens caussa compellit, fieri sine Ec-
bere dissolvi & esse cum Christo: si illud quod con- clesiæ perturbatione non possit. Hanc perturba-
cupiscit, potest eum turbare cùm venerit? Facile tionem sanctorum suorum per schismaticos & hære-
est quidem istis ad hæc respondere, qui & ipsam læ- ticos futuram, quodammodo prænuntians Domi-
titiam perturbationem vocant. Quid si enim prop- nus, præfiguravit in seipso, cùm exituro Juda homi-
terea morte imminente turbatur, quia morte im- ne malo, & commixtionem frumenti, in qua diu fue-
minente lætatur? Sed hoc, inquiunt, gaudium, rat toleratus, separatione apertissima relicturo, tur-
non lætitia nominanda est. Quid est hoc, nisi eas- batus est non carne, sed spiritu. Spiritales enim ejus
dem res sentire, & rerum nomina velle mutare? E in hujusmodi scandalis non perversitate, sed carita-
Verùm nos sacris litteris accommodemus auditum, te turbantur: ne fortè in separatione aliquorum zi-
& secundùm ipsas potiùs istam quæstionem Domi- zaniorum, simul aliquod eradicetur & triticum.
no adjuvante solvamus: nec quoniam scriptum est,
Cùm hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, dicamus 2. *Turbatus* itaque *est Jesus spiritu, & protestatus* *Johan. 13.*
Matth. 26. 38. eum lætitiâ fuisse turbatum; ne verbis suis nos ipse *est, & dixit, Amen, amen dico vobis, quia unus ex* *21.*
convincat ubi dicit, Tristis est anima mea usque ad *vobis tradet me. Unus ex vobis,* numero, non meri-
mortem. Tale aliquid etiam hîc intelligendum est, to; specie, non virtute; commixtione corporali,
quando suo traditore jam tunc solo exituro, & cum non vinculo spiritali; carnis adjunctione, non cor-
suis sociis continuò redituro, *Jesus turbatus est spi-* dis socius unitate: proinde non qui ex vobis est, sed
ritu. qui ex vobis exiturus est. Nam quomodo erit ve-
rum quod protestatus est Dominus, & dixit, *Unus*
5. Firmissimi quidem sunt Christiani, si qui sunt, F *ex vobis:* si verum est quod ait idem ipse in Epistola
qui nequaquam morte imminente turbantur: sed sua, cujus est hoc Evangelium, Ex nobis exierunt, *1. Johan. 2. 19.*
numquid Christo firmiores? Quis hoc insanissimus sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis,
dixerit? Quid est ergo quòd ille turbatus est, nisi manssissent utique nobiscum? Non erat igitur ex il-
quia infirmos in suo corpore, hoc est in sua Eccle- lis Judas: mansisset enim cum illis, si esset ex illis.
sia, suæ infirmitatis voluntaria similitudine conso- Quid est ergo, *Unus ex vobis tradet me:* nisi, Unus
latus est: ut si qui suorum adhuc morte imminente ex vobis exiturus est, qui me tradet? Quia & ille
turbantur in spiritu, ipsum intueantur, ne hoc ipso qui ait, Si fuissent ex nobis, mansissent utique no-
se putantes reprobos, pejore desperationis morte biscum: jam dixerat, Ex nobis exierunt. Ac per
forbeantur? Quantum itaque bonum de participa- G hoc utrumque verum est, & ex nobis, & non ex
tione divinitatis ejus exspectare & sperare debemus, nobis: secundùm aliud ex nobis, secundùm aliud
cujus nos & perturbatio tranquillat, & infirmitas non ex nobis: secundùm communionem sacramen-
firmat? Sive ergo isto loco ipsum Judam pereuntem torum ex nobis, secundùm suorum proprietatem
miserando turbatus est, sive sua morte propinquan- criminum non ex nobis.
te turbatus est: non est tamen ullo modo dubitan-
dum, non eum animi infirmitate, sed potestate tur- 3. *Adspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitan-* *Johan. 13.*
batum; ne nobis desperatio salutis oriatur, quando *tes de quo diceret.* Sic quippe in eis erat erga Magi- *22.*
strum suum pia caritas, ut tamen eos humana alte-
rum de altero stimularet infirmitas. Nota quidem

sibi erat cujusque conscientia, verumtamen quia proximi erat ignota, ita sibi unusquisque erat certus, ut incerti essent & in ceteris singuli, & in singulis ceteri.

v. 23. 4. *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.* Quid dixerit, *in sinu,*
v. 25. paulò pòst ait, ubi dicit, *supra pectus Jesu.* Ipse est
Johan. 21. Johannes cujus est hoc Evangelium, sicut postea
20. & 24. manifestat. Erat enim eorum hæc consuetudo qui sacras litteras nobis ministrarunt, ut quando ab aliquo eorum divina narrabatur historia, cùm ad seipsum veniret, tamquam de alio loqueretur; & sic se insereret ordini narrationis suæ, tamquam rerum gestarum scriptor, non tamquam sui ipsius prædicator. Nam & hoc sanctus Matthæus fecit, qui cùm in textu narrationis suæ venisset ad seipsum,
Matth. 9. 9. Vidit, inquit, in telonio sedentem quemdam publicanum, nomine Matthæum, & ait illi, Sequere me. Non ait, Vidit me, & dixit mihi. Hoc fecit & beatus Moyses, ita de seipso tamquam de alio cuncta narravit, & ait, Dixit Dominus ad Moysen.
Exodi 6. 1. *&c.* Inusitatiùs apostolus Paulus, non in historia, ubi rerum gestarum susciptur explicanda narratio, sed
2. *Cor.* 12. 2. in Epistola hoc fecit. Nam utique de seipso ait, Scio „ hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive „ in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, „ raptum hujusmodi usque in tertium cælum. Quocirca quòd etiam hîc beatus Evangelista non ait, Eram recumbens in sinu Jesu, sed ait, *Erat recumbens unus ex discipulis:* nostrorum auctorum consuetudinem agnoscamus potiùs quàm miremur. Quid enim deperit veritati, quando & res ipsa dicitur, & modo quodam dicendi jactantia devitatur? Hoc quippe narrabat, quod ad ejus laudem maximam pertinebat.

5. Quid est autem, *quem diligebat Jesus?* Quasi alios non diligeret, de quibus idem ipse Johannes superiùs ait, In finem dilexit eos. Et ipse Dominus,
Johan. 15. 13. Majorem hac caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis. Et quis enumeret omnia divinarum testimonia paginarum, quibus Dominus Jesus, non illius neque eorum quæ tunc erant tantùm, sed etiam pòst futurorum membrorum suorum, & totius Ecclesiæ suæ dilector ostenditur? Sed profectò latet hîc aliquid, & pertinet ad sinum in quo recumbebat qui ista dicebat. Per sinum quippe quid significatur aliud quàm secretum? Sed alius est opportunior locus, ubi nobis Dominus aliquid donet de hoc secreto, quantum sufficiat, dicere.

Johan. 13. 24. 6. *Innuit ergo Simon Petrus, & dicit ei.* Notanda locutio est, dici aliquid non sonando, sed tantummodo innuendo: *Innuit*, inquit, *& dicit:* utique innuendo dicit. Si enim cogitando aliquid dicitur,
Sap. 2. 1. sicut Scriptura loquitur, Dixerunt apud semetipsos: quantò magis innuendo, ubi jam foras qualibuscumque signis promitur quod fuerat corde conceptum; Quid ergo dixit innuendo? quid nisi quod
Johan. 13. 24. sequitur? *Quis est de quo dicit?* Hæc verba Petrus innuit: quia non sono vocis, sed motu corporis dixit. *Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Jesu.* Hic est utique pectoris sinus, sapientiæ secretum. *Dicit*
v. 26. *ei, Domine quis est?* * *Respondit Jesus, Ille est cui ego*
v. 27. *intictum panem porrexero. Et cùm tinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ.* * *Et post panem, tunc introivit in illum satanas.* Expressus est traditor, nudatæ sunt latebræ tenebrarum. Bonum est quod

* Sic omnes MSS. At editi, *quòmodo non damnatur.*

accepit, sed malo suo accepit, quia malè bonum malus accepit. Verùm de isto pane tincto qui porrectus est ficto, & de his quæ sequuntur, multa dicenda sunt: quibus necessarium est plus temporis, quàm nunc habemus jam in istius fine sermonis.

TRACTATUS LXII.

Ab eo quod scriptum est, Et cùm tinxisset panem, dedit Judæ: *usque ad id,* Nunc clarificatus est filius hominis.

1. SCIO, Carissimi, moveri posse nonnullos, sive pios ut requirant, sive impios ut reprehendant, quòd postea quàm panem tinctum traditori suo Dominus dedit, intraverit in illum satanas. Sic enim scriptum est, *Et cùm tinxis-* *Johan.* 13. *set panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ:* * *& post panem tunc introivit in illum satanas.* Dicunt enim, *v.* 26. 27. Itane hoc meruit panis Christi porrectus de mensa Christi, ut post illum intraret in ejus discipulum satanas? Quibus respondemus, hinc nos potiùs doceri, quàm sit cavendum malè accipere bonum. Multum quippe interest, non quid accipiat, sed quis accipiat: nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur. Nam & bona obsunt, & mala prosunt, sicut fuerint quibus dantur. Peccatum, *Rom.* 7. 13. inquit Apostolus, ut appareat peccatum, per bo- „ num mihi operatum est mortem. Ecce per bonum factum est malum, dum malè accipitur bonum. Itemque ipse ait, In magnitudine revelationum 2. *Cor.* 12. 7. mearum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis „ *&c.* meæ, angelus satanæ qui me colaphizet: propter „ quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum à me, „ & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus „ in infirmitate perficitur. Ecce per malum factum „ est bonum, dum bene accipitur malum. Quid ergo miraris si datus est Judæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo: cùm videas è contrario datum Paulo angelum diaboli, per quem perficeretur in Christo? Ita & malo bonum obfuit, & malum bono profuit. Recordamini unde sit scriptum, 1. *Cor.* 11. Quicumque manducaverit panem, aut biberit ca- 27. licem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et de his erat sermo, cùm hoc Apostolus diceret, qui Domini corpus velut alium cibum quemlibet indiscretè negligenterque sumebant. Hîc ergo si corripitur qui non dijudicat, hoc est, non discernit à ceteris cibis Dominicum corpus; quo modo [a] damnatur qui ad ejus mensam fingens amicum, accedit inimicus? Si reprehensione tangitur negligentia convivantis, qua pœnâ percutitur venditor invitantis? Quid erat autem panis traditori datus, nisi demonstratio cui gratiæ fuisset ingratus?

2. Intravit ergo post hunc panem satanas in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius posside ret, in quem priùs intraverat ut deciperet. Neque enim non in illo erat quando perrexit ad Judæos, & de pretio tradendi Domini pactus est, cùm hæc apertissimè Lucas Evangelista testetur & dicat, Intravit autem satanas in Judam, qui cogno- *Luca* 22. 3. minabatur Iscariotes, unum de duodecim; & abiit, „ *&* 4. & locutus est cum principibus sacerdotum. Ecce „ ubi ostenditur quòd jam intraverat satanas in Judam. Priùs ergo intraverat, immittendo in cor ejus cogitationem qua traderet Christum: talis enim jam venerat ad cœnandum. Nunc autem

[a] Sic omnes MSS. At editi, *quòmodo non damnatur.*

post panem intravit in eum, non ut adhuc alienum tentaret, sed ut proprium possideret.

3. Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit. Intelligendum est enim, quòd jam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis & sangui- *Luca* 22. 19. nis sui, ubi & ipse Judas erat, sicut sanctus Lucas *&* 21. evidentissimè narrat: ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundùm narrationem Johannis apertissimè Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem fortassis per panis B tinctionem, illius significans [a] fictionem. Non enim omnia quæ tinguuntur, abluuntur: sed ut inficiantur, nonnulla tinguuntur. Si autem bonum aliquid hîc significat tinctio, eidem bono ingratum non immeritò est secuta damnatio.

4. Adhuc tamen Judæ possesso, non à Domino, sed à diabolo, cùm homini ingrato intrasset panis in ventrem, hostis in mentem: adhuc, inquam, tanti mali jam corde concepti plenus restabat effectus, cujus jam præcesserat C damnandus affectus. Itaque cùm Dominus panis vivus panem mortuo tradidisset, & panem tradendo panis traditorem ostendisset: *Quod facis,* in- *Johan.* 13. quit, *fac citiùs.* Non præcepit facinus: sed prædixit Judæ malum, nobis bonum. Quid enim Judæ pejus, & quid nobis melius quàm traditus Christus, ab illo adversùs illum, pro nobis præter illum? *Quod facis fac citiùs.* O verbum libentius parati, quàm irati! ô verbum non tam pœnam exprimens proditoris, quàm mercedem significans Redem- D toris! Dixit enim, *Quod facis fac citiùs*, non tam in perniciem perfidi sæviendo, quàm ad salutem fi- *Rom.* 4. 25. delium festinando: quia traditus est propter deli- *Ephes.* 5. 25. cta nostra, & dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. Unde & de seipso dicit Apostolus, *Galat.* 2. Qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me. Nisi 20. ergo se traderet Christus, nemo traderet Christum. Quid habet Judas, nisi peccatum? Neque enim in tradendo Christo salutem nostram cogitavit, propter quam traditus est Christus, sed cogi- E tavit pecuniæ lucrum, & invenit animæ detrimentum. Accepit mercedem quam voluit, sed nolenti est data quam meruit. Tradidit Judas Christum, tradidit Christus seipsum: ille agebat negotium suæ venditionis, iste nostræ redemtionis. *Quod facis,* *fac citiùs;* non quia tu potes, sed quia hoc vult qui totum potest.

Johan. 13. *v.* 28. *v.* 29. 5. * *Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei.* * *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quia dicit ei Jesus, Eme ea quæ* F *opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.* Habebat ergo & Dominus loculos, & à fi- 12. *q* 1. Habebat. delibus oblata conservans, & suorum necessitatibus & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primùm Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ubi in- *Matth.* 6. telligeremus quod præcepit non cogitandum esse 34. de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur à sanctis: sed ne Deo pro ista serviatur, & propter inopiæ timorem justitia deseratur. Nam & Apostolus in posterum providens, ait, G 1. *Tim.* 5. Si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat eis, 16. „ ut non gravetur Ecclesia, quò veris viduis sufficere possit.

Johan. 13. 30. 6. *Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiit continuò. Erat autem nox.* Et ipse qui exivit, erat nox.
v. 31. *Cùm ergo exisset* nox, *Ait Jesus, Nunc clarificatus*

[a] MSS. plerique, *factionem*: minùs bene, ut patet ex Tract. 61. n. 6. [ ] [b] Sic aliquot MSS. At editi, *implere.*

est filius hominis. Dies ergo diei eructuavit verbum, *Psal.* 18. 3. id est, Christus discipulis fidelibus, ut audirent eum, & amarent sequendo: & nox nocti annuntiavit scientiam, id est, Judas Judæis infidelibus, ut venirent ad eum, & apprehenderent persequendo. Sed jam hinc in sermonem Domini, qui factus est ad pios, antequam teneretur ab impiis, intentior flagitatur auditor: & ideo eum præcipitare non debet, sed differre potiùs disputator.

TRACTATUS LXIII.

De eo quod Dominus ait, Nunc clarificatus est filius hominis: *usque ad id,* Et continuò clarificabit eum.

1. INTENDAMUS mentis obtutum, & adjuvante Domino, Deum requiramus. Divini cantici vox est, Quærite Deum, & vi- *Psal.* 68. 33. vet anima vestra. Quæramus inveniendum, quæramus inventum. Ut inveniendus quæratur, occultus est: ut inventus quæratur, immensus est. Unde alibi dicitur, Quærite faciem ejus semper. Satiat *Psal.* 104. enim quærentem in quantum capit: & invenien- 4. tem capaciorem facit, ut rursus quærat [b] impleri, b ubi plus capere cœperit. Non ergo ita dictum est, Quærite faciem ejus semper, quemadmodum de quibusdam, Semper discentes, & ad scientiam ve- 2. *Tim.* 3. 7. ritatis numquam pervenientes: sed potiùs sicut ille ait, Cùm consummaverit homo, tunc incipit: *Eccli.* 18. 6. donec ad illam vitam veniamus, ubi sic impleamur, ut capaciores non efficiamur, quia ita perfecti erimus, ut jam non proficiamus. Tunc enim ostenderetur nobis, quod sufficit nobis. Hîc autem semper quæramus, & fructus inventionis non sit finis inquisitionis. Neque enim propterea non semper, quia hîc tantùm: sed ideo hîc semper dicimus esse quærendum, ne aliquando hîc putemus ab inquisitione cessandum. Nam & de quibus dictum est, Semper discentes, & ad veritatis scientiam numquam pervenientes: hîc sunt utique semper discentes: cùm verò de hac vita exierint, jam non erunt discentes, sed erroris sui mercedem recipientes. Sic enim dictum est, Semper discentes, & ad veritatis scientiam numquam pervenientes: tamquam diceretur, Semper ambulantes, & ad viam numquam pervenientes. Nos autem semper ambulemus in via, donec eò veniamus, quò ducit via: nusquam in ea remaneamus, donec perducat ubi mancamus: atque ita, & quærendo tendimus, & inveniendo ad aliquid pervenimus, & ad id quod restat quæren lo & inveniendo transimus, quò usque ibi fiat finis quærendi, ubi perfectioni non superest intentio proficiendi. Hæc prælocutio, Dilectissimi, intentam fecerit Caritatem Vestram ad istum Domini sermonem, quem ad discipulos habuit ante passionem: profundus est enim, & utique ubi multùm laboraturus est disputator, non remissus debet esse auditor.

2. Quid ergo ait Dominus postea quàm Judas exiit, ut citiùs faceret quod erat facturus, hoc est, Dominum traditurus? Quid ait dies, cùm exisset G nox? Quid ait Redemtor, cùm exisset venditor? *Nunc*, inquit, *clarificatus est filius hominis.* Quare *Johan.* 13. 31. *nunc?* Numquid quia exiit qui tradat, quia imminent qui teneant & occidant? Itane *nunc clarificatus est*, quia propè est ut humilietur ampliùs: cui jam impendet ut alligetur, ut judicetur, ut con-

demnetur, ut irrideatur, ut crucifigatur, ut interimatur? Hæccine est clarificatio, an potiùs humiliatio? Nonne quando miracula faciebat, ait
Iohan. 7. 39. tamen de illo iste Johannes, Spiritus non erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus? Tunc ergo nondum erat glorificatus, cùm mortuos suscitaret; & nunc est glorificatus, cùm mortuis propinquaret? Nondum erat glorificatus faciens divina, & glorificatus est passurus humana? Mirum, si hoc Deus ille magister significabat & docebat his verbis. Altiùs est perscrutandum Altissimi dictum, qui se aliquantum manifestat ut inveniamus, & iterum occultat ut inquiramus, & de inventis ad invenienda tamquam passibus innitamur. Video hîc aliquid quod præfiguret magnum aliquid. Exiit Judas, & clarificatus est Jesus; exiit filius perditionis, & clarificatus est filius hominis. Ille quippe
Iohan. 13. 10. exierat, propter quem dictum erat eis, Et vos mundi estis, sed non omnes. Exeunte itaque immundo, omnes mundi remanserunt, & cum suo mundatore manserunt. Tale aliquid erit cùm victus à Christo transierit hic mundus, & nemo in populo Christi remanebit immundus: cùm zizaMatth. 13. 43. nis à tritico separatis, justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. Hoc futurum prævidens Dominus, & nunc significatum esse contestans, discedente Juda tamquam zizaniis separatis, remanentibus tamquam tritico Apostolis sanctis. *Nunc*, inquit, *clarificatus est filius hominis:* tamquam diceret, Ecce in illa mea clarificatione quod erit, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit. Sic autem non est dictum, Nunc significata est clarificatio filii hominis, sed dictum est, *Nunc clarificatus est filius hominis:* quemadmodum non est
1. Cor. 10. 4. dictum, Petra significabat Christum, sed Petra erat Christus. Nec dictum est, Bonum semen significabat filios regni, aut zizania significabant fiMatth. 13. 38. lios maligni: sed dictum est, Bonum semen hi sunt filii regni, zizania autem filii maligni. Sicut ergo solet loqui Scriptura, res significantes tamquam illas quæ significantur appellans, ita locutus est Dominus dicens, *Nunc clarificatus est filius hominis:* postea quàm separato inde nequissimo, & secum remanentibus sanctis, significata est glorificatio ejus, quando separatis iniquis manebit in æternitate cum sanctis.

3. Cùm autem dixisset, *Nunc clarificatus est filius hominis:* adjunxit, *Et Deus clarificatus est in eo.* Ipsa est enim clarificatio filii hominis, ut Deus clarificetur in eo. Si enim non ipse in seipso, sed Deus in illo clarificatur, tunc illum Deus in se clarificat. Denique tamquam ista exponens, adjungit, & di-
Iohan. 13. 32. cit, *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso.* Hoc est, *Si Deus clarificatus est in eo*, quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum: *& Deus clarificabit eum in semetipso*, ut natura humana in qua est filius hominis, quæ à Verbo æterno suscepta est, etiam immortali æternitate donetur. *Et continuò*, inquit, *clarificabit eum.* Resurrectionem scilicet suam, non sicut nostram in fine sæculi, sed continuò futuram hac adtestatione prædicens. Ipsa est enim clarificatio, de qua Evangelista jam dixerat, quod paulò antè commemoravi, quia propterea nondum Spiritus datus erat illo novo modo in eis, quibus fuerat eo modo post resurrectionem credentibus dandus, quia Jesus nondum fuerat clarificatus: id est, nondum fuerat mortalitas immortalitate vestita, & in æternam virtutem temporalis infirmitas commutata. Potest & de ista clarificatione dictum videri, *Nunc clarificatus est filius hominis:* ut quod ait *nunc*, non ad imminentem passionem, sed ad vicinam resurrectionem pertinere credatur, tamquam fuerit factum quod erat tam proximè jam futurum. Hodie Dilectioni Vestræ ista sufficerint: cùm donaverit Dominus, de consequentibus differemus.

TRACTATUS LXIV.

In id quod Dominus dicit, Filioli, adhuc modicum vobiscum sum, quæretis me, & sicut dixi Judæis, quò ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modò.

1. ADVERTENDA est, Carissimi, Dominicorum verborum ordinata connexio. Cùm enim superiùs dixisset, posteà quàm Judas egressus est, & ab illa sanctorum etiam corporali conversatione sejunctus est, Nunc clari- *Iohan. 13.*
ficatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in 31.
eo: quod sive futurum regnum significans dixit, quando mali separabuntur à bonis, sive quòd ejus resurrectio tunc futura esset, id est, differenda non esset, sicut in finem sæculi nostra differtur: ac deinde addidisset, Si Deus clarificatus est in eo, & *v.* 32.
Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum, quod sine ulla ambiguitate de sua resurrectione continuò futura testatus est: adjecit, atque ait, *Filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Ne *v.* 33.
putarent ergo quòd sic eum clarificaturus esset Deus, ut non eis conjungeretur ulteriùs ea conversatione qua in terra est; *Adhuc modicum*, inquit, *vobiscum sum:* tamquam diceret, Continuò quidem resurrectione clarificabor: non tamen continuò adscensurus in cælum, sed *adhuc modicum vobiscum sum.* Sicut enim scriptum est in Actibus Apo- *Act. 1. 3.*
stolorum, fecit cum eis post resurrectionem quadraginta dies intrans & exiens, manducans & bibens: non quidem habens esuriendi ac sitiendi egestatem, sed usque ad ista carnis insinuans veritatem, quæ cibandi ac potandi jam non habebat necessitatem, sed potestatem. Hos ergo quadraginta dies significavit dicendo, *Adhuc modicum vobiscum sum*, an aliquid aliud? Potest enim & sic intelligi, *Adhuc modicum vobiscum sum*, Adhuc, sicut vos, in hac infirmitate carnis etiam ipse sum, donec scilicet moreretur atque resurgeret: quia postea quàm resurrexit, cum illis quidem fuit diebus, ut dictum est, quadraginta exhibitione corporalis præsentiæ: sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humanæ.

2. Est & alia divina præsentia sensibus ignota mortalibus, de qua item dicit, Ecce ego vobiscum *Matth. 28.*
sum, usque ad consummationem sæculi. Hoc certè non est, *Adhuc modicum vobiscum sum:* non enim modicum est usque ad consummationem sæculi. Aut si & hoc modicum est: (volat enim ætas, & in oculis Dei mille anni sicut dies unus, aut sicut *Psal. 89. 4.*
vigilia in nocte:) non tamen hoc significare voluisse credendus est nunc, quandoquidem secutus adjunxit, *Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quò* *Iohan. 13.*
ego vado, vos non potestis venire. Utique post hoc 33.
modicum quò vobiscum sum, *Quæretis me, & quò ego vado, vos non potestis venire.* Numquid post consummationem sæculi, quò ipse vadit, venire non poterunt? Et ubi est quod aliquantò pòst in hoc

Iohan. 17. 24. hoc ipso sermone dicturus est, Pater, volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum? Non ergo de illa sua cum suis præsentia, qua cum illis est usque ad consummationem sæculi, nunc locutus est, ubi ait, *Adhuc modicum vobiscum sum:* sed vel de infirmitate mortali, qua cum illis erat usque ad passionem suam; aut de præsentia corporali, qua cum illis futurus erat usque ad adscensionem suam. Quodlibet horum quis eligat, cum fide non litigat.

3. Ne cui autem videatur abhorrere iste sensus à vero, quo dicimus Dominum mortalis carnis communionem, in qua cum discipulis usque ad passionem fuit, significare potuisse dicendo, *Adhuc modicum vobiscum sum:* apud alium quoque Evangelistam post resurrectionem verba ejus ad-
Luce 24. 44. tendat, ubi ait, Hæc locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum. Quasi tunc non erat cum ipsis simul adsistentibus, videntibus, tangentibus, colloquentibus. Quid est ergo, cùm adhuc essem vobiscum, nisi cùm adhuc essem in carne mortali, in qua estis & vos? Tunc enim quidem in eadem carne resuscitatus erat: sed cum illis in eadem mortalitate jam non erat. Quapropter sicuti ibi jam immortalitate carnis indutus veraciter ait, cùm adhuc essem vobiscum; ubi nihil aliud intelligere possumus, nisi cùm adhuc essem in carnis mortalitate vobiscum: ita & hîc non absurdè dixisse intelligitur, *Adhuc modicum vobiscum sum*, tamquam diceret, Adhuc modicum sicut vos estis, mortalis sum ego. Ergo sequentia videamus.

Iohan. 13. 33. 4. *Quæretis me, &, sicut dixi Iudæis, quò ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modò.* Hoc est, modò non potestis. Judæis autem cùm hoc diceret, non addidit *modò*. Isti itaque venire non poterant tunc quò ille ibat, sed poterant postea: nam hoc apostolo Petro apertissimè paulò
v. 36. pòst ait. Cùm enim dixisset ille, Domine quò vadis? Respondit ei, Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem postea. Sed hoc quid sit, non negligenter est prætereundum. Quò enim sequi tunc non poterant discipuli Dominum, sed postea poterant? Si dixerimus ad mortem: homini nato quod invenitur tempus, quo ad moriendum non sit idoneus; quandoquidem talis est in corpore corruptibili hominum sors, ut non sit in ea facilior vita quàm mors? Non igitur adhuc minùs idonei erant sequi Dominum ad mortem, sed minùs idonei erant sequi Dominum ad vitam quæ non habet
Rom. 6. 9. mortem. Illò quippe ibat Dominus, ut surgens à mortuis jam non moreretur, & mors ei ultrà non dominaretur. Moriturum quippe Dominum pro justitia quomodo jam fuerant secuturi, adhuc martyrio non maturi? Aut iturum Dominum ad immortalitatem carnis, quomodo jam fuerant secuturi, quandolibet morituri, sed in sæculi fine resurrecturi? Aut iturum Dominum ad sinum Patris, nec relicturum eos, unde nec recessit cùm venisset ad eos, quomodo jam fuerant secuturi; cùm esse nemo possit in illa felicitate nisi perfectus in caritate? Ideoque docens quomodo idonei esse possint pergere quò ille antecedebat, *Mandatum*, in-
Iohan. 13. 34. quit, *novum do vobis, ut diligatis invicem.* Hi sunt gressus quibus sequendus est Christus: sed de his sermo uberior in aliud tempus est differendus.

TRACTATUS LXV.

In id quod Dominus ait, Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut & vos invicem diligatis: in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis in invicem.

1. DOMINUS Jesus mandatum novum se discipulis suis dare testatur, ut diligant invicem: *Mandatum*, inquit, *novum* *Iohan. 13. 34.*
do vobis, ut diligatis invicem. Nonne jam erat hoc mandatum in antiqua Dei Lege, ubi scriptum est, *Levit. 19. 18.* Diliges proximum tuum tamquam teipsum? Cur ergo novum appellatur à Domino, quod tam vetus esse convincitur? An ideo est mandatum novum, quia exuto vetere induit nos hominem novum? Innovat quippe audientem, vel potiùs obedientem, non omnis, sed ista dilectio quam Dominus ut à carnali dilectione distingueret, addidit, *sicut dilexi vos.* Nam diligunt invicem mariti & uxores, parentes & filii, & quæcumque alia inter se homines necessitudo humana devinxerit: ut taceamus de dilectione culpabili atque damnabili, qua diligunt invicem adulteri & adulteræ, scortatores & meretrices, & quoscumque alios non humana necessitudo, sed humanæ vitæ noxia turpitudo conjungit. Mandatum ergo novum dedit nobis Christus, ut diligamus invicem, sicut & ipse dilexit nos. Dilectio ista nos innovat, ut simus homines novi, heredes Testamenti novi, cantatores cantici novi. Hæc dilectio, Fratres Carissimi, antiquos etiam tunc justos, tunc Patriarchas & Prophetas, sicut postea beatos Apostolos innovavit: ipsa & nunc innovat gentes, & ex universo genere humano quod diffunditur toto orbe terrarum, facit & colligit populum novum, corpus novæ nuptæ Filii Dei unigeniti sponsæ, de qua dicitur in Cantico canticorum, Quæ est ista quæ adscendit dealba- *Cant. 8. 5.*
ta? utique dealbata, quia innovata; unde nisi man- *Sec. LXX.*
dato novo? Propter quod pro invicem sollici- *1. Cor. 12.*
ta sunt membra in ea, & si patitur unum mem- *26.*
brum, compatiuntur omnia membra, & si glorifi- "
catur unum membrum, congaudent omnia mem- "
bra. Audiunt enim, atque custodiunt, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis:* non sicut se diligunt qui corrumpunt; nec sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt: sed sicut se diligunt quoniam dii sunt & filii Altissimi omnes, ut sint Filio ejus unico fratres, ea dilectione invicem diligentes, qua ipse dilexit eos, perducturus eos ad illum finem qui sufficiat eis, ubi satietur in bonis desi- *Psal. 102. 5.*
derium eorum. Tunc enim aliquid desiderio non deerit, quando omnia in omnibus Deus erit. Talis fi- *1. Cor. 15.*
nis non habet finem. Nemo ibi moritur, quò ne- *28.*
mo pervenit, nisi huic sæculo moriatur, non morte omnium, qua corpus ab anima deseritur; sed morte electorum, qua etiam cùm in carne mortali adhuc manetur, cor sursùm ponitur. De quali morte dicebat Apostolus, Mortui enim estis, & *Col. 3. 3.*
vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Hinc fortasse dictum est, Valida est sicut mors di- *Cant. 8. 6.*
lectio. Hac enim dilectione fit, ut in isto adhuc corruptibili corpore constituti moriamur huic sæculo, & vita nostra abscondatur cum Christo in Deo: immo ipsa dilectio est mors nostra sæculo, & vita cum Deo. Si enim mors est quando de corpore anima exit, quomodo non est mors quando de mundo amor noster exit? Valida est ergo sicut mors

dilectio. Quid eâ validius, qua vincitur mundus?

3. Sent. dist. 27. c. Cùm autem duo.

2. Nolite itaque Fratres mei putare in hoc quod ait Dominus, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis*, illud majus prætermissum esse mandatum, quo præcipitur ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: tamquam enim hoc prætermisso videtur dictum, *ut diligatis invicem*, velut hoc ad illud alterum non pertineat, quo dictum

Matth. 22. 39. &c.

est, Diliges proximum tuum tamquam teipsum. In his enim duobus præceptis, inquit, tota Lex pendet, & Prophetæ. Sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis. Nam & qui diligit Deum, non eum potest contemnere præcipientem ut diligat proximum: & qui sanctè ac spiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus, *sicut dilexi vos*. Quid enim nisi Deum dilexit in nobis? Non quòd habebamus, sed ut haberemus: ut

1. Cor. 15. 28.

perducat nos, sicut paulò antè dixi, ubi sit Deus omnia in omnibus. Sic etiam medicus rectè dicitur ægros diligere: & quid in eis nisi salutem diligit, quam cupit utique revocare, non morbum, quem venit expellere? Sic ergo & nos invicem diligamus, ut quantum possumus, invicem ad habendum in nobis Deum curâ dilectionis adtrahamus. Hanc dilectionem nobis donat ipse qui ait, *Sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Ad hoc ergo nos dilexit, ut & nos diligamus invicem: hoc nobis conferens diligendo nos, ut mutua dilectione constringamur inter nos, & tam dulci vinculo connexis membris corpus tanti capitis simus.

Johan. 13. 35.

3. *In hoc cognoscent*, inquit, *omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis in invicem*: tamquam diceret, Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solùm naturam, vitam, sensum, rationem, & eam salutem quæ hominibus pecoribusque communis est; verùm etiam linguas, sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui, ut ardeant: sed quoniam

1. Cor. 13. 1.

caritatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest. Non ergo in illis quamvis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei: sed *in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis in invicem.* O sponsa Christi pulcra inter mulieres! ô dealbata adscendens, & incumbens super fratruelem tuum! quoniam cujus lumine illustraris ut candeas, ejus adjutorio fulciris ne cadas: ô quàm bene cantatur tibi in illo Cantico canticorum velut

Cant. 7. 6. sec. LXX.

epithalamio tuo, Quia caritas in deliciis tuis. Ipsa non comperdit cum impiis animam tuam: ipsa discernit caussam tuam, & sicut mors valida est, & in deliciis tuis est. Quàm mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in deliciis? Sed hîc jam iste sermo claudatur: ab alio exordio tractanda sunt quæ sequuntur.

TRACTATUS LXVI.

De eo quod sequitur, Dicit ei Simon Petrus, Domine quò vadis? *usque ad id*, Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.

Johan. 13. 36.

1. CUM Dominus Jesus sanctam dilectionem, qua se invicem diligerent, discipulis commendaret, *Dicit ei Simon Petrus*,

A *Domine quò vadis?* Sic utique hoc dixit Magistro discipulus, & Domino servus, tamquam sequi paratus. Propterea quippe Dominus, qui ejus animum vidit, quare hoc interrogaverit, sic ei respondit: *Quò ego vado, non potes me modò sequi*: tamquam diceret, Propter quod interrogas, non potes modò. Non ait, non potes: sed, *non potes modò*, dilationem intulit, non spem tulit: & eamdem spem quam non tulit, sed potiùs dedit, sequenti voce firmavit, addendo atque dicendo, *Sequèris*

B *autem postea.* Quid festinas Petre? Nondum te suo spiritu solidavit petra. Noli extolli præsumendo, *non potes modò*: noli dejici desperando, *sequèris postea.* Sed adhuc ille quid dicit? *Quare te non possum* v. 37. *sequi modò? Animam meam pro te ponam.* Quid in animo ejus esset cupiditatis, videbat: quid virium, non videbat. Voluntatem suam jactabat infirmus, sed inspiciebat valetudinem medicus: iste promittebat, ille prænoscebat: qui nesciebat, audebat; qui præsciebat, docebat. Quantum sibi assumserat

C Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid posset? Quantum sibi assumserat, ut cùm venisset Dominus animam suam ponere pro amicis suis, ac per hoc & pro ipso, ille hoc Domino offerre conſideret; & nondum pro se positâ animâ Christi, animam suam polliceretur se positurum esse pro Christo? *Respondit* ergo *Iesus, Animam tuam pro me* v. 38. *pones?* Itane facies pro me, quod nondum ego pro te? *Animam tuam pro me pones?* Præire potes, qui sequi non potes? Quid tantum præsumis? quid de

D te sentis? quid esse te credis? Audi quid sis: *Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* Ecce quomodo tibi citò apparebis, qui magna loqueris, & te parvulum nescis. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Qui te jam putas mori posse pro me, priùs vive pro te: nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.

E 2. An apostolus Petrus, sicut eum quidam favore perverso excusare nituntur, Christum non negavit, quia interrogatus ab ancilla hominem se nescire respondit, sicut alii Evangelistæ contestantur expressiùs? Quasi verò qui hominem Christum negat, non Christum negat; & hoc in eo negat quod factus est propter nos, ne periret quod fecerat nos. Ergo qui ita confitetur Christum Deum, ut hominem neget, non pro illo mortuus est Christus; quia secundùm hominem mortuus est Christus. Qui negat hominem Christum, non recon-

F ciliatur per mediatorem Deo. Unus enim Deus, & 1. Tim. 2. 5. unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Qui negat hominem Christum, non justificatur: quia sicut per inobedientiam unius hominis Rom. 5. 19. peccatores constituti sunt multi, ita & per obedientiam unius hominis justi constituentur multi. Qui negat hominem Christum, non resurget in resurrectionem vitæ: quia per hominem mors, & 1. Cor. 15. 21. & 22. per hominem resurrectio mortuorum: sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo om-

G nes vivificabuntur. Per quid autem caput est Ecclesiæ, nisi per hominem, quod Verbum caro factum est? id est, Dei Patris Unigenitus Deus homo factus est. Quomodo est igitur in corpore Christi, qui negat hominem Christum? Qui enim caput negat, quomodo est membrum? Sed quid multis immorer, cùm ipse Dominus abstulerit omnes humanæ argumentationis ambages? Non enim

ait, Non cantabit gallus donec hominem neges: aut sicut loqui familiariore cum hominibus dignatione consuevit, Non cantabit gallus donec filium hominis ter neges: sed ait, *donec me ter neges.* Quid est, *me*, nisi quod erat; & quid nisi Christus erat? Quidquid ergo ejus negavit, ipsum negavit, Christum negavit, Dominum Deum suum negavit. Quia & ille condiscipulus ejus Thomas, quando

Iohan. 20. 28.

exclamavit, Dominus meus & Deus meus, non Verbum, sed carnem tetigit; non incorpoream

B Dei naturam, sed hominis corpus curiosis manibus contrectavit. Hominem itaque tetigit, & tamen Deum cognovit. Si ergo quod iste tetigit, hoc Petrus negavit: quod iste exclamavit, hoc Petrus offendit. *Non cantabit gallus, donec ter me neges.* Dicas licèt, Nescio hominem; dicas licèt, Homo nescio quid dicis; dicas licèt, Non sum ex discipulis ejus: me negabis. Si, quod dubitare nefas est, Christus hoc dixit, verumque prædixit, procul dubio Petrus Christum negavit. Non accusemus

C Christum, cùm defendimus Petrum. Peccatum agnoscat infirmitas, nam mendacium non habet veritas. Agnovit quippe peccatum suum infirmitas Petri, prorsus agnovit: & quantum mali Christum negando commiserit, plorando monstravit. Ipse suos redarguit defensores, & unde eos convincat, producit lacrymas testes. Neque nos cùm ista dicimus, primum Apostolorum accusare delectat: sed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam de humanis viribus fidat. Nam quid

D aliud pertinuit ad doctorem salvatoremque nostrum, nisi ut nobis nequaquam de se quemquam præsumere debere, in ipso primo Apostolorum demonstraret exemplo? In anima itaque Petri contigit, quod offerebat in corpore. Non tamen pro Domino, ut temere præsumebat, præcessit, sed aliter quàm putabat. Namque ante mortem & resurrectionem Domini & mortuus est negando, & revixit plorando: sed mortuus est, quia superbè ipse præsumsit; revixit autem, quia benignè ille respexit.

TRACTATUS LXVII.

De eo quod Dominus dicit, Non turbetur cor vestrum: *usque ad id*, Iterum venio, & accipiam vos ad meipsum.

1. ERIGENDA est nobis, Fratres, ad Deum major intentio, ut verba sancti Evangelii, quæ modò in nostris auribus sonuerunt, etiam mente capere utcumque possimus. Ait

Iohan. 14. 1.

enim Dominus Jesus, *Non turbetur cor vestrum.* [a] *Credite in Deum, & in me credite.* Ne mortem tamquam homines timerent, & ideo turbarentur, consolatur eos, etiam se Deum esse contestans. *Credite*, inquit, *in Deum, & in me credite.* Consequens est enim, ut si in Deum creditis, & in me credere debeatis: quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. *Credite in Deum, & in eum credite*, cui natura est, non rapina, esse æqua-

Philip. 2. 6.

lem Deo: semetipsum enim exinanivit; non tamen formam Dei amittens, sed formam servi accipiens. Mortem metuitis huic formæ servi: *non turbetur cor vestrum*, suscitabit illam forma Dei.

Iohan. 14. 2.

2. Sed quid est quod sequitur, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, nisi quia & sibi metuebant? Unde audire debuerunt, *Non turbetur cor ve-*

A *strum.* Quis enim eorum non metueret, cùm Petro dictum esset fidentiori atque promtiori, Non cantabit gallus donec ter me neges? Tamquam ergo essent ab illo perituri, meritò turbabantur: sed cùm audiunt, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quo minùs, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum*: à perturbatione recreantur, certi ac fidentes etiam post pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros. Quia etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio ju-

Johan. 13. 38. — Johan. 14. 2.

B stior, alius alio sanctior: *in domo Patris mansiones multæ sunt*, nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quem pater-familiâs eis qui operati sunt in vinea jubet dari omnibus, non in eo discernens qui minùs & qui ampliùs laborarunt: quo utique denario vita significatur æterna, ubi ampliùs alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate mensura. Sed multæ mansiones, diversas meritorum in

Matth. 20. 9.

C una vita æterna significant dignitates. Alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum: stella enim ab stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Tamquam stellæ sancti diversas mansiones [b] diversæ claritatis, tamquam in cælo, sortiuntur in regno; sed propter unum denarium nullus separatur à regno: atque ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus caritas est, per caritatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet,

1. Cor. 15. 41. — 1. Cor. 15. 28. — 1. Iohan. 4. 8.

D cùm amat in altero quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis.

Pelagianos redarguit.

3. Proinde respuendi sunt à corde Christiano, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cælorum erit aliquid, ubi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, quia sine illo in regnum cælorum intrare non poterunt. Hæc fides non est fides; quoniam non est vera & catholica fides. Itane tandem

E stulti homines, & carnalibus cogitationibus excæcati, cùm reprobandi essetis, si mansionem non dico Petri & Pauli vel cujuslibet Apostolorum, sed cujuscumque parvuli baptizati à regno cælorum separaretis; non vos putatis esse reprobandos, qui domum Dei Patris inde separatis? Non enim ait Dominus, In universo mundo, aut In universa creatura, aut In vita vel beatitudine sempiterna mansiones multæ sunt: sed, *In domo*, inquit, *Patris mei mansiones multæ sunt.* Nonne ista est domus

F ubi ædificationem habemus ex Deo, domum non 2. Cor. 5. 1. manufactam æternam in cælis? Nonne ista est domus de qua cantamus Domino, Beati qui habitant Psal. 83. 5. in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te? Ergone vos non domum cujusque baptizati fratris, sed domum ipsius Dei Patris, cui omnes fratres dicimus, Pater noster qui es in cælis, à regno sepa- Matth. 6. 9. rare cælorum, aut eam sic dividere audebitis, ut aliquæ mansiones ejus sint in regno cælorum, aliquæ autem extra regnum cælorum? Absit, absit,

G ut qui volunt habitare in regno cælorum, in hac stultitia velint habitare vobiscum: absit, inquam, ut cùm omnis domus regnantium filiorum non sit alibi nisi in regno, ipsius regiæ domus pars aliqua non sit in regno.

4. * *Et si abiero*, inquit, *& præparavero vobis lo-* Iohan. 14. v. 3.

[a] Pauciores MSS. *Creditis*, juxta Vulgatam: porrò Græcum verbum, quod in hoc versiculo bis ponitur, πιστεύετε anceps est, significans *creditis* vel *credite*.

[b] Sic MSS. At editi, *diversas claritates*.

cum; iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut
v. 4. *ubi sum ego & vos sitis.* * *Et quò ego vado scitis, & viam scitis.* O Domine Jesu, quomodo vadis parare locum, si jam multæ mansiones sunt in domo Patris tui, ubi tecum habitabunt tui? Aut si accipis eos ad teipsum, quomodo iterum venis qui non recedis? Ista, Carissimi, si breviter explicare conemur, quantum videtur hodierno satis esse sermoni, coartata utique non clarebunt, & erit ipsa brevitas altera obscuritas: proinde hoc debitum differamus, quod opportunius vobis patre-familiâs nostro largiente reddamus.

TRACTATUS LXVIII.

In eamdem lectionem.

1. DEBERI vobis, Fratres Carissimi, jamque esse reddendum quod distuleramus, agnoscimus, quomodo intelligi possint non esse inter se ista duo contraria, quòd
Johan. 14. 2. cùm dixisset Dominus, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quo minùs, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum:* ubi satis ostendit ideo se hoc illis dixisse, quia jam ibi sunt mansiones multæ, & non est opus aliquam præparare: rursus di-
v. 3. cit, *Et si abiero & præparavero vobis locum; iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum & vos sitis.* Quomodo vadit, & parat locum, si jam multæ mansiones sunt? Si quo minùs, dixisset, *Vado parare.* Aut si adhuc parandus est, cur non meritò dixisset, *Vado parare?* An istæ mansiones & sunt, & parandæ sunt? Si quo minùs enim essent, dixisset, *Vado parare.* Et tamen quia ita sunt ut parandæ sint, non eas vadit parare sicut sunt: sed si abierit & paraverit sicut futuræ sunt, iterum veniens accipiet suos ad seipsum, ut ubi est ipse, sint etiam ipsi. Quomodo ergo mansiones in domo Patris non aliæ, sed ipsæ, & sine dubio jam sunt sicut parandæ non sunt, & nondum sunt sicut parandæ sunt? Quomodo putamus, nisi quomodo etiam
Isa. 45. 11. sec. LXX. Propheta prædicat Deum, quia fecit quæ futura sunt? Non enim ait, Qui facturus est quæ futura sunt: sed, Qui fecit quæ futura sunt. Ergo & fecit ea, & facturus est ea. Nam neque facta sunt, si ipse non fecit: neque futura sunt, si ipse non fecerit. Fecit ergo ea prædestinando, facturus est operando. Sicut discipulos quando elegerit, satis indicat Evangelium, tunc utique quando eos vocavit:
De pœnit. dist. 4. c. In domo. Luc. 6. 13. Ephes. 1. 4. & tamen ait Apostolus, Elegit nos ante mundi constitutionem: prædestinando utique, non vocando.
Rom. 8. 30. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit: elegit prædestinando ante mundi constitutionem, elegit vocando ante mundi consummationem. Sic & mansiones præparavit & præparat; nec alias, sed quas præparavit, has præparat, qui fecit quæ futura sunt: quas præparavit prædestinando, præparat operando. Jam ergo sunt in prædestinatione: si quo minùs, dixisset, Ibo & parabo, id est, prædestinabo. Sed quia nondum sunt in operatione, *Et si*
Johan. 14. 3. *abiero*, inquit, *& præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum.*

2. * Parat autem quodammodo mansiones, man-
v. 2. sionibus parando mansores. Quippe cùm dixerit, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* quid putamus esse domum Dei, nisi templum Dei? Quod autem sit, interrogetur Apostolus, & respondeat,
1. Cor. 3. 17. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Hoc est etiam regnum Dei, quod Filius traditurus
1. Cor. 15. 23. & 24. est Patri: unde dicit idem Apostolus, Initium Christus, deinde qui sunt Christi in præsentia ejus: deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri: id est, quos redemit sanguine suo, tradiderit contemplando etiam Patri suo. Hoc est regnum cælorum, de quo dicitur, Simile est regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Bonum autem semen, hi sunt filii regni: qui etsi nunc habent permixta zizania, mittet in fine Rex ipse Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala. Tunc justi fulgebunt sicut sol, in regno Patris sui. Regnum fulgebit in regno, cùm regno venerit regnum, quod nunc oramus, & dicimus, Veniat regnum tuum. Nunc ergo jam regnum vocatur, sed adhuc convocatur: si enim regnum non vocaretur, Colligent de regno ejus omnia scandala, non diceretur. Sed nondum regnat hoc regnum. Proinde sic jam est regnum, ut cùm de illo collecta fuerint omnia scandala, tunc perveniat ad regnum: ut non solùm regni nomen, sed etiam regnandi habeat potestatem. Huic quippe regno ad dexteram stanti, in fine dicetur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: id est, qui regnum eratis & non regnabatis, venite, regnate: ut quod in spe fueratis, etiam in re esse possitis. Hæc ergo domus Dei, hoc templum Dei, hoc regnum Dei, regnumque cælorum adhuc ædificatur, adhuc fabricatur, adhuc paratur, adhuc congregatur. In illo erunt mansiones, sicut eas adhuc parat Dominus: in illo jam sunt, sicut prædestinavit jam Dominus.

3. Sed quid est quòd ut præpararet abiit, cùm profectò nos ipsos præpararet, quod non faciet si reliquerit? Agnosco Domine ut possum: nimirum illud significas, quia ut parentur istæ mansiones, vivere debet justus ex fide. Qui enim à
Rom. 1. 17. 2. Cor. 5. 6. Domino peregrinatur, opus habet ex fide vivere; quia per hanc ad speciem contemplandam paratur. Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum
Matth. 5. 8. Act. 15. 9. videbunt: &, Fide mundat corda eorum. Illud in Evangelio, hoc in Apostolorum Actibus legitur. Fides autem, qua eorum qui Deum visuri sunt, quamdiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt credit: nam si vides, non est fides. Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Eat ergo Dominus & paret locum; eat ne videatur, lateat ut credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur. Creditus desideretur, ut desideratus habeatur: desiderium dilectionis, præparatio est mansionis. Ita Domine para quod paras: nos enim tibi paras, & te nobis paras; quoniam locum paras, & tibi in nobis, & in te nobis. Tu enim dixisti,
Johan. 15. 4. Manete in me, & ego in vobis. Quantum quisque fuerit particeps tui, alius minùs, alius ampliùs, hæc erit diversitas præmiorum pro diversitate meritorum: hæc erit multitudo mansionum pro disparilitate mansorum; sed tamen omnium in æternitate vivorum, & sine fine beatorum. Quid est quòd vadis? Quid est quòd venis? Si bene te intelligo, nec unde vadis, nec unde venis, recedis: vadis latendo, venis apparendo. Sed nisi maneas regendo, ut proficiamus bene vivendo; quomodo parabitur locus, ubi possimus manere perfruendo? Hæc de verbis quæ recitata sunt evangelicis, satis dicta sint, quò usque
Johan. 14. 3. ait Dominus, *Iterum venio, & accipiam vos ad meipsum.* Quid autem sit quod sequitur, *ut ubi ego sum,*
v. 4. *& vos sitis:* * *& quò ego vado scitis, & viam scitis:* post interrogationem quæ sequitur à discipulo factam, tamquam per eum & nos interrogemus, melius audiemus opportunitúsque tractabimus.

TRACTATUS LXIX.

In id quod Dominus dicit, Et quò ego vado scitis, & viam scitis: *usque ad id,* Nemo venit ad Patrem nisi per me.

1. NUNC est, Dilectissimi, ut quantum valemus, intelligamus de verbis Domini posterioribus priora, & consequentibus præcedentia, in eo quod audistis apostolo Thomæ interroganti esse responsum. Dixerat enim superiùs Dominus, cùm de mansionibus loqueretur, quas & esse dixit in domo Patris sui, & ire se ut præpareret eas; ubi intelleximus & esse jam mansiones ipsas in prædestinatione, & præparari eas cùm eorum qui ibi mansuri sunt per fidem corda mundantur, quoniam ipsa Dei domus ipsi sunt: & quid est aliud manere in domo Dei, quàm esse in populo Dei, cùm idem populus est in Deo, & Deus in eo? Hoc ut præpararet, Dominus abiit: ut credendo in eum qui non videtur, ea quæ in specie semper futura est, nunc per fidem mansio præparetur. Propter hoc
Johan. 14. v. 3. ergo dixerat, * *Et si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad meipsum, ut ubi*
v. 4. *ego sum & vos sitis:* * *& quò ego vado scitis, & viam*
v. 5. *scitis.* Ad hæc, *Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* Utrumque illos Dominus dixerat scire, utrumque dicit iste nescire, & locum quò itur, & viam quà itur. Sed nescit ille mentiri: ergo isti sciebant, & scire se nesciebant. Convincat eos jam scire, quod se putant
v. 6. ad huc usque nescire. *Dicit ei Jesus, Ego sum via, & veritas, & vita.* Quid est, Fratres? Ecce audivimus discipulum interrogantem, audivimus & magistrum docentem: & nondum capimus, etiam post vocem sonantem, sententiam latitantem. Sed quid non possumus capere? Numquid poterant ei dicere Apostoli ejus cum quibus loquebatur, Nescimus te? Proinde si eum sciebant, & via ipse est, viam sciebant: si eum sciebant, & veritas ipse est, veritatem sciebant: si eum sciebant, & vita ipse est, vitam sciebant. Ecce scire convicti sunt, quod se scire nesciebant.

2. Quid igitur & nos in isto sermone non cepimus? Quid putatis, Fratres mei, nisi quia dixit, *Et quò vado scitis, & viam scitis?* Et ecce cognovimus quòd sciebant viam, quia sciebant ipsum qui est via: sed via est qua itur, numquid via est & quò itur? Utrumque autem illos dixerat scire, & quò vadit, & viam. Opus ergo erat, ut diceret, *Ego sum via*, ut ostenderet eos, quia eum scirent, viam scire quam putaverant se nescire: quid autem opus erat ut diceret, *Ego sum via, & veritas, & vita*, cùm viâ cognitâ qua iret, restaret nosse quò iret: nisi quia ibat ad veritatem, ibat ad vitam? Ibat ergo ad seipsum, per seipsum. Et nos quò imus, nisi ad ipsum; & quà imus, nisi per ipsum? Ipse igitur ad seipsum per seipsum; nos ad ipsum per ipsum: immo verò & ad Patrem & ipse & nos. Nam & de
Johan. 16. 10. seipso alibi dicit, Ad Patrem vado: & hoc loco
Johan. 14. 6. propter nos, *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem, nisi per me.* Ac per hoc & ipse per seipsum & ad seipsum & ad Patrem, & nos per ipsum & ad ipsum & ad Patrem. Quis hæc capit, nisi qui spiritaliter sapit? Et quantum est quod hîc capit, etiamsi spiritaliter sapit? Fratres, quid à me ista vobis vultis exponi? Cogitate quàm excelsa sint. Videtis quid sim, vi-
Sap. 9. 15. deo quid sitis: in omnibus nobis corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Putamusne possumus dicere, Ad te levavi animam meam, qui
Psal. 122. 1. habitas in cælo? Sed sub tanto pondere ubi ingemiscimus gravati, quomodo levabo animam meam, nisi mecum levet qui potuit pro me suam? Dicam ergo quod possum, capiat vestrûm qui potest. Quo donante dico, eo donante capit qui capit, & eo donante credit qui nondum capit. Nisi enim credi-
Isa. 7. 9. sec. LXX. deritis, inquit Propheta, non intelligetis.

3. Dic mihi Domine meus, quid dicam servis tuis conservis meis? Thomas apostolus ut te interrogaret, habuit te ante se; nec tamen intelligeret te, nisi haberet in se: ego interrogo te, quia te scio esse super me: interrogo autem in quantum possum super me effundere animam meam, ubi non sonantem & tamen docentem audiam te. Dic mihi, obsecro, quomodo vadis ad te? Numquidnam ut venires ad nos, reliqueras te: maximè quia non à teipso venisti, sed Pater te misit? Scio quidem quòd te eximanisti, sed quia formam servi accepisti, non
Philip. 2. 7. quia formam Dei vel ad quam redires dimisisti, vel quam reciperes amisisti: & tamen venisti, & non solùm usque ad carnales oculos, verùm etiam usque ad manus hominum pervenisti. Quomodo, nisi in carne? Per hanc venisti manens ubi eras, per hanc redisti non relinquens quò veneras. Si ergo per hanc venisti & redisti; per hanc procul dubio non solùm nobis es qua veniremus ad te, verùm etiam tibi qua venires & redires via fuisti. Cùm verò ad vitam, quod es ipse, isti; eamdem profectò carnem tuam de morte ad vitam duxisti. Aliud quippe Dei Verbum est, aliud homo: sed Verbum caro factum est, id est homo. Non itaque alia Verbi, alia est hominis persona, quoniam utrumque est Christus una persona: ac per hoc quemadmodum caro cùm mortua est, Christus est mortuus; & cùm caro sepulta est, Christus est sepultus; (sic enim corde credimus ad justitiam, sic ore confessio-
Rom. 10. 10. nem facimus ad salutem:) ita cùm caro à morte venit ad vitam, Christus venit ad vitam. Et quia Verbum Dei Christus est, Christus est vita. Ita miro quodam & ineffabili modo, qui numquam dimisit vel amisit seipsum, venit ad seipsum. Venerat autem, ut dictum est, per carnem Deus ad homines, veritas ad mendaces: Deus enim verax, om-
Rom. 3. 4. Psal. 115. 11. nis autem homo mendax. Cùm itaque ab hominibus abstulit, atque illuc ubi nemo mentitur, carnem suam levavit; idem ipse, quia Verbum caro factum est, per seipsum, id est, per carnem, ad veritatem, quod est ipse, remeavit. Quam quidem veritatem, quamvis inter mendaces, & in morte servavit: aliquando enim Christus fuit mortuus, sed numquam fuit falsus.

4. Accipite quamvis diversum & longè impar exemplum, tamen utcumque ad intelligendum Deum, ex his quæ propiùs subjecta sunt Deo. Ecce ego ipse, quantum adtinet ad animum meum, cùm hoc sim quod estis & vos, si taceo, apud meipsum sum: si autem loquor vobis quod intelligatis, quodammodo ad vos procedo, nec me relinquo, sed & ad vos accedo, & non recedo unde procedo. Cùm autem tacuero, quodammodo ad me redeo; & quodammodo vobiscum maneo, si tenueritis quod audistis in sermone quem dico. Si hoc potest imago quam fecit Deus, quid potest non à Deo facta, sed ex Deo nata imago Dei Deus: cujus illud, quo ad nos egressus est, & in quo à nobis regressus est,

corpus, non sicut meus elapsus est sonus, sed manet ibi ubi jam non moritur, & mors ei ultrà non
Rom. 6. 9. dominabitur? Multa de his evangelicis verbis adhuc dici fortasse poterant & debebant: sed non sunt corda vestra spiritalibus cibis quamlibet suavibus
Matth. 26. 41. oneranda: maximè quia spiritus promtus est, caro autem infirma.

TRACTATUS LXX.

De eo quod Dominus ait, Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis: *usque ad id*, Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?

1. VERBA sancti Evangelii, Fratres, ita rectè intelliguntur, si cum superioribus reperiuntur habere concordiam: convenire enim debent præcedentia consequentibus, quando veritas loquitur. Superiùs dixerat Domi-
Johan. 14. 3. nus, *Et si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum,*
v. 4. *& vos sitis*: deinde addiderat, *Et quò ego vado scitis, & viam scitis*: nihilque aliud ostendit esse quod dixit, nisi quia ipsum sciebant. Quid ergo esset ire ad seipsum per seipsum, quod etiam discipulis præstat ut eant ad ipsum per ipsum, ut potuimus pristino sermone jam diximus. Quod ita que ait, *Ut ubi ego sum, & vos sitis*, ubi erant futuri nisi in ipso? Ac per hoc est etiam ipse in seipso, & ideo ibi illi ubi & ipse, id est, in ipso. Ipse est igitur vita æterna in qua futuri sumus, cùm acceperit nos ad se: & ipsa vita æterna quod ipse est in ipso est, ut ubi est
I. Joh. 5. 26. ipse, & nos simus, hoc est, in ipso. Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, & utique non aliud est vita quam habet, nisi quod est ipse qui hanc habet: sic dedit Filio habere vitam in semetipso, cùm ipse sit eadem vita quam habet in semetipso. Numquid autem nos vita quod est ipse, hoc erimus, cùm in illa vita, hoc est in ipso esse cœperimus? Non utique, quia ipse exsistendo vita habet vitam, & ipse est quod habet, & quod vita est in ipso, ipse est in seipso: nos autem non ipsa vita, sed ipsius vitæ participes sumus; atque ita ibi erimus, ut in nobis ipsis non quod ipse est esse possimus, sed nos ipsi non vita, ipsum habeamus vitam, qui seipsum habet vitam, eò quòd ipse sit vita. Denique ipse & in seipso est immutabiliter, & in Patre inseparabiliter: nos verò cùm in nobis ipsis esse voluissemus, ad nos
Psal. 41. 7. ipsos turbati sumus; unde illa vox est, Ad meipsum turbata est anima mea: atque in deterius commutati, neque id quod fuimus, manere potuimus. Cùm
Johan. 14. 6. autem per ipsum venimus ad Patrem, sicut ait, *Nemo venit ad Patrem nisi per me*: manentes in illo, nec à Patre nos quisquam poterit separare, nec ab illo.

2. Connectens itaque consequentia præcedentibus, *Si* [a] *cognovistis me*, inquit, *& Patrem meum*
v. 7. *utique cognovistis*. Hoc est quod ait, *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Deinde subjungit, *Et à modò cognoscetis eum, & vidistis eum*. Sed Philippus unus
v. 8. ex Apostolis, quid audierit non intelligens, *Domine*, inquit, *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Cui Dominus, *Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, & non cognovistis me, Philippe? Qui videt me, videt & Patrem*. Ecce increpat quòd tanto tempore cum ipsis erat, & non cognoscebatur. Nonne ipse dixerat, *Et quò ego vado scitis, & viam scitis*: & se nescire dicentes, eos hæc scire convicerat, addendo

[a] Hîc in MSS. erat, *Si cognovistis*: altero hujus vers. loco, *utique cognoscetis*: sed nunc plures à secunda manu habent utrobique, *cognovissetis*.

Atque dicendo, *Ego sum via, veritas & vita?* Quomodo nunc dicit, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me*: cùm profectò & quò iret, & viam scirent, non ob aliud nisi quòd ipsum utique scirent? Sed facilè ista solvitur quæstio, si dicamus quòd eum aliqui eorum sciebant, aliqui nescibant, atque in his qui nescibant & Philippus erat, ut quod ait, *Et quò ego vado scitis, & viam scitis*, illis dixisse intelligatur qui sciebant; non Philippo cui dictum est, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me, Philippe?* His ergo qui Filium jam noverant, etiam illud de Patre dictum est, *Et à modò cognoscetis eum & vidistis eum*: dictum est enim propter omnimodam similitudinem, quæ illi cum Patre est, ut ideo à modò dicerentur nosse Patrem, quia noverant similem Filium. Ergo jam sciebant Filium, etsi non omnes, certè quidam eorum quibus dicitur, *Et quò vado scitis, & viam scitis*: ipse est enim via. Sed Patrem nesciebant, ideo audiunt, *Si cognovistis me, & Patrem meum cognovistis*: per me utique & illum. Alius enim ego sum, alius ille. Sed ne putarent dissimilem, *Et à modò*, inquit, *cognoscetis eum, & vidistis eum*. Viderunt enim ejus similimum Filium, sed admonendi fuerant talem esse etiam Patrem quem nondum videbant, qualis est Filius quem videbant. Et ad hoc valet quod postea Philippo dicitur, *Qui videt me, videt & Patrem*. Non quòd ipse esset Pater & Filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patripassiani, catholica fides damnat: sed quòd tam similes sint Pater & Filius, ut qui unum noverit, ambos noverit. Solemus enim de simillimis duobus ita loqui eis qui unum illorum vident, & qualis est alius volunt nosse, ut dicamus, Vidistis istum, illum vidistis. Sic ergo dictum est, *Qui me videt, videt & Patrem*: non utique ut ipse sit Pater qui Filius, sed quòd à Patris similitudine in nullo prorsus discrepet Filius. Nam nisi duo essent Pater & Filius, non dictum esset, *Si cognovistis me, & Patrem meum cognovistis*. Utique enim, quia *nemo*, inquit, *venit ad Patrem nisi per me: si cognovistis me, & Patrem meum cognovistis*: quoniam ego per quem venitur ad Patrem, perducam vos ad eum, ut ipsum etiam cognoscatis. Sed quoniam illi sum omnino simillimus, *à modò cognoscetis eum*, cùm cognoscitis me: *& vidistis eum*, si oculis cordis vidistis me.

3. Quid ergo est quod dicis Philippe, *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis? Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, & non cognovistis me, Philippe? Qui videt me, videt & Patrem*. Quòd si ad te multum est hoc videre, saltem quod non vides hoc crede. *Quomodo* enim *dicis*, inquit, *Ostende nobis Patrem?* Si me vidisti qui omnimodo similis sum, vidisti illum cui similis sum. Quòd si videre non potes, *Non* saltem *credis quia ego in Patre & Pater in me*
v. 10. *est?* Poterat hîc dicere Philippus: Video quidem te, & credo simillimum esse Patri; sed numquid arguendus & objurgandus est, qui cùm similem videt, etiam illum cui similis est vult videre? Similem quidem novi, sed adhuc alterum sine altero novi: non mihi sufficit, nisi & illum cujus est iste similis noverim. *Ostende* itaque *nobis Patrem, & sufficit nobis*. Sed ideo Magister discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tamquam enim melior esset Pater quàm Filius, ita Philippus Patrem nosse cupiebat: & ideo nec Filium sciebat, quo melius esse aliquid credebat. Ad hunc sensum

corrigendum dictum est, *Qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem?* Video quomodo tu dicas: non alterum quæris videre similem, sed illum putas esse meliorem. *Non credis quia ego in Patre & Pater in me est?* Cur in similibus distantiam cupis cernere? cur inseparabiles separatim desideras nosse? Deinde non ad solum Philippum, sed ad eos pluraliter loquitur, quæ non sunt in angustias coartanda, ut adjuvante ipso diligentiùs exponantur.

TRACTATUS LXXI.

In id quod Dominus dicit, Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: *usque ad id*, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.

1. AUDITE auribus, accipite mentibus Dilectissimi, loquentibus quidem nobis, sed ipso docente qui non recedit à nobis. Dominus dicit, quod modò cùm legeretur audi-
Johan. 14. 10. stis, *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: Pater autem in me manens ipse facit opera*. Ergo & verba opera sunt? Planè ita est. Nam profectò qui proximum loquendo ædificat, bonum opus operatur. Sed quid est, *à meipso non loquor*, nisi à meipso non sum qui loquor? Ei quippe tribuit quod facit, de quo est ipse qui facit. Pater enim Deus non est de aliquo, Filius autem Deus est quidem Patri æqualis, sed de Patre Deo. Ideo ille Deus, sed non de Deo; & lumen, sed non de lumine: iste verò Deus de Deo, lumen de lumine.

Arianis & Sabellianis occurrit.

2. Nam in his duabus sententiis, unâ qua dictum est, *Non à meipso loquor*; aliâ qua dictum est, *Pater autem in me manens ipse facit opera*: singulas tenentes, diversi nobis adversantur hæretici, qui non ex una parte, sed in contraria conantes, à via veritatis exorbitant. Ariani quippe dicunt, Ecce inæqualis est Patri Filius, à seipso non loquitur. Dicunt Sabelliani contrà, id est, Patripassiani, Ecce qui Pater est ipse & Filius: quid enim est, *Pater in me manens ipse facit opera*, nisi in me maneo ego qui facio? Contraria dicitis: sed non eo modo sicut est falsum contrarium vero, sed sicut sunt inter se duo falsa contraria. Errando in diversa istis, in medio est via quam reliquistis. Inter vos ipsos longiore intervallo separati estis, quàm ab ipsa via cujus desertores estis. Vos hinc, vos autem illinc, huc venite: alteri ad alteros transire nolite, sed hinc atque illinc ad nos veniendo, invicem vos invenite. Sabelliani agnoscite quem prætermittitis, Ariani æquate quem subditis, & in via vera nobiscum ambulabitis. Est enim quod invicem ex vobis alteri ex alteris admoneri utrique debeatis. Audi Sabelliane: Usque adeo non ipse Pater, sed alter est Filius, ut eum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi Ariane: Usque adeo Filius æqualis est Patri, ut Sabellianus eumdem esse dicat & Patrem. Tu adde quem tollis, tu adimple quem minuis, & nobiscum ambo consistitis: quia nec tu tollis, nec tu minuis eum qui & alter est à Patre, ut convincas Sabellianum, & æqualis Patri, ut convincas Arianum. Utrisque
Johan. 10. 30. enim clamat, Ego & Pater unum sumus. Quod ait, unum, audiant Ariani: quod ait, sumus, audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani. Si ergo quoniam dixit, *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor*, propterea putatur usque adeo imparis potestatis, ut non quod
Johan. 5. 21. ipse vult faciat: audiatur quod dixit, Sicut Pater A suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat. Item si quoniam dixit, *Pater in me manens ipse facit opera*, propterea putatur non alius esse Pater, alius ipse: audiatur quod dixit, Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit: & intelligatur non bis unus, sed duo unum. Verùm quia sic æqualis alter alteri, ut tamen alter ex altero, ideo non loquitur à semetipso, quia non est à seipso: & ideo Pater in illo manens facit opera ipse, quia per quem & cum quo facit, non est nisi ab
B ipso. Denique adjungit, & dicit, *Non creditis quia* Johan. 14. v. 11. *ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite*. Antea solus Philippus arguebatur, nunc autem non ibi eum solum fuisse qui esset arguendus ostenditur. *Propter opera*, inquit, *ipsa credite, quia ego in Patre & Pater in me est*: neque enim si separati essemus, inseparabiliter operari ulla ratione possemus.

3. Sed quid est quod sequitur, * *Amen, amen* v. 12. *dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, &*
C *ipse faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado*; * *& quæcumque petieritis in nomine meo,* v. 13. *hæc faciam. Ut glorificetur Pater in Filio*, * *si quid* v. 14. *petieritis in nomine meo, hoc faciam?* Ergo & illa majora opera seipsum facturum esse promisit. Non se extollat servus supra dominum, & discipulus su- Johan. 13. 16. pra magistrum: majora quàm ipse facit dicit eos esse facturos; sed in eis vel per eos se faciente, non ipsis tamquam ex seipsis. Ei quippe cantatur, Dili- Psal. 17. 2. gam te, Domine virtus mea. Sed quæ sunt tandem
D ista majora? An fortè quòd ægros ipsis transeuntibus, etiam eorum umbra sanabat? Majus est enim ut sanet umbra quàm fimbria. Illud per se, hoc per ipsos, sed tamen utrumque ipse. Verumtamen quando ista dicebat, verborum suorum opera commendabat: sic enim dixerat, *Verba quæ ego loquor* Johan. 14. *vobis, à me ipso non loquor, Pater autem in me ma-* 10. *nens ipse facit opera*. Quæ opera tunc dicebat, nisi verba quæ loquebatur? Audiebant & credebant illi, & eorumdem verborum fructus erat fides illo-
E rum: verumtamen evangelizantibus discipulis, non tam pauci quàm illi erant, sed gentes etiam crediderunt, hæc sunt sine dubitatione majora. Nec tamen ait, Majora horum facietis, ut solos Apostolos ea putaremus esse facturos: sed, *Qui credit in me*, inquit, *opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*. Itane quicumque credit in Christum, facit quæ Christus, vel majora quàm Christus? Non prætereunter ista tractanda sunt, nec debent festinatione præcipitari: sed ea cogit con-
F cludendus jam sermo iste differri.

TRACTATUS LXXII.

In eamdem lectionem.

1. QUID sibi velit, & quomodo accipiendum sit quod Dominus ait, *Qui credit in* Johan. 14. 12. *me, opera quæ ego facio & ipse faciet*, non est facile comprehendere: & cùm hoc ad intelligendum difficillimum sit, adjecit aliud difficilius, *Et majora horum faciet*. Quid est hoc? Qui faceret
G opera quæ Christus fecit, non inveniebamus: qui etiam majora faciet, inventuri sumus? Sed dixeramus sermone pristino, quia majus fuit umbræ suæ Act. 5. 15. transitu, quod discipuli fecerunt, quàm fimbriæ Matth. 9. suæ tactu, quod ipse Dominus fecit, sanare lan- 20. & cap. guentes; & quia plures Apostolis, quàm ipso per 14. 36. os proprium prædicante Domino crediderunt: ut

hæc viderentur opera intelligenda esse majora: non quò major esset Magistro discipulus, vel Domino servus, vel adoptatus Unigenito, vel homo Deo; sed quòd per illos ipse dignaretur eadem majora facere, qui dicit illis alio loco, Sine me nihil potestis facere. Ipse quippe, ut alia omittam, quæ sunt innumerabilia, sine ipsis fecit eos, sine ipsis fecit hunc mundum; & quia homo etiam ipse fieri dignatus est, sine ipsis fecit & seipsum. Quid autem illi sine ipso nisi peccatum? Denique & hîc id quod de hac re poterat nos movere, mox abstulit: cùm enim dixisset, *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet:* continuò secutus adjunxit, *Quia ego ad Patrem vado,* * *& quæcumque petieritis in nomine meo, hæc faciam.* Qui dixerat *faciet*, pòst ait *faciam*, tamquam diceret, Non vobis impossibile hoc videatur: non enim poterit esse major me qui credit in me, sed ego facturus sum & tunc majora quàm nunc; majora per eum qui credit in me, quàm præter eum per me: ego tamen ipse præter eum, ego ipse per eum: sed quando præter eum, non faciet ipse; quando autem per eum, quamvis non per semetipsum, faciet & ipse. Porrò autem majora facere per eum quàm præter eum, non est defectio, sed dignatio. Quid enim retribuant servi Domino, pro omnibus quæ retribuit eis? Quandoquidem inter cetera bona etiam hoc eis donare dignatus est, ut majora faceret per illos quàm præter illos. Nonne ab ore illius dives ille tristis abscessit, quando vitæ æternæ consilium quæsivit? Audivit, abjecit: & tamen postea quod ab illo auditum non fecit unus, fecerunt multi, cùm loqueretur per discipulos magister bonus; contemtibilis ei quem divitem per seipsum monuit, amabilis eis quos ex divitibus pauperes per pauperes fecit. Ecce majora fecit prædicatus à credentibus, quàm locutus audientibus.

Johan. 15 5. *Matth.* 19. 22. *Psal.* 115. 12.

2. Verùm hoc adhuc movet, quòd hæc majora per Apostolos fecit: non autem ipsos tantùm significans ait, Opera quæ ego facio & vos facietis, & majora horum facietis: sed omnes ad suam familiam pertinentes intelligi volens, *Qui credit in me*, inquit, *opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Si ergo qui credit faciet, non credit utique qui non faciet: sicuti est, Qui diligit me, mandata mea custodit: unde profectò qui non custodit, non diligit. Item alio loco, Qui audit, inquit, verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro prudenti, qui ædificat domum suam supra petram: qui ergo non est similis huic viro prudenti, procul dubio aut verba hæc audit & non facit, aut omnino nec audit. Qui credit, inquit, in me, licèt moriatur, vivet: qui ergo non vivet, non utique credit. Tale etiam hoc est, *Qui credit in me, faciet:* non utique credit qui non facit. Quid est hoc, Fratres? Numquid inter credentes in Christum non est computandus, qui non fecerit opera majora quàm Christus? Durum est, absurdum est, ferri non potest: non toleratur nisi intelligatur. Apostolum igitur audiamus: Credenti, inquit, in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam. In hoc opere faciamus opera Christi, quia & ipsum credere in Christum, opus est Christi. Hoc operatur in nobis, non utique sine nobis. Audi ergo jam, & intellige, *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet:* priùs ego facio, deinde & ipse faciet; quia facio ut faciat.

Johan. 14. 21. *Matth.* 7. 24. *Johan.* 12. 25. *Rom.* 4. 5.

[a] In tribus MSS. *orantibus.*

Quæ opera, nisi ut ex impio justus fiat?

3. *Et majora horum faciet.* Quorum obsecro? Numquidnam omnium operum Christi majora facit, qui cum timore & tremore suam ipsius salutem operatur? Quod utique in illo, sed non sine illo Christus operatur. Prorsus majus hoc esse dixerim, quàm est cælum & terra, & quæcumque cernuntur in cælo & in terra. Et cælum enim & terra transibit: prædestinatorum autem, id est, eorum quos præscit, salus & justificatio permanebit. In illis tantùm opera Dei, in his autem etiam est imago Dei. Sed & in cælis, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, Archangeli, Angeli opera sunt Christi: numquid etiam his operibus majora facit, qui operante in se Christo, cooperatur æternam salutem ac justificationem suam? Non hîc audeo præcipitare sententiam: intelligat qui potest, judicet qui potest, utrùm majus sit justos creare quàm impios justificare. Certè enim si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ. Hoc est enim magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria. Sed omnia opera Christi intelligere ubi ait, *Majora horum faciet*, nulla nos necessitas cogit. Horum enim forsitan dixit, quæ in illa hora faciebat: tunc autem verba fidei faciebat, & de his operibus fuerat prælocutus dicens, *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, Pater autem in me manens ipse facit opera.* Tunc igitur verba ejus erant opera ejus. Et utique minus est verba justitiæ prædicare, quod fecit præter nos, quàm impios justificare, quod ita facit in nobis, ut faciamus & nos. Restat inquirere quomodo accipiendum sit, *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Propter multa enim quæ petunt fideles ejus, nec accipiunt, non parva hinc exoritur quæstio: sed quoniam sermo iste jam claudendus est, ei considerandæ atque tractandæ tribuatur saltem parva dilatio.

Philip 2. 12. *Matth.* 24. 35. *Johan.* 14. 12. *Tim.* 3. 16. *Johan.* 14. 10. *Jacobi* 4. 3. *Num.* 11. 32.

TRACTATUS LXXIII.

Item in eamdem lectionem.

1. MAGNAM spem Dominus suis promisit[a] sperantibus, dicens, * *Quia ego ad Patrem vado,* * *& quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Sic ergo perrexit ad Patrem, ut non relinqueret indigentes, sed exaudiret petentes. Sed quid est, *quodcumque petieritis*, cùm videamus plerumque fideles ejus petere, & & non accipere? An fortè propterea quia malè petunt? Nam hoc exprobravit apostolus Jacobus dicens, Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. Malè ergo usurus eo quod vult accipere, Deo potiùs miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. An non videmus Israëlitas malo suo impetrasse, quod culpabili concupiscentiâ petierunt? Concupierant enim carnibus vesci, quibus pluebatur manna de cælo. Fastidiebant quippe quod habebant; & quod non habebant, impudenter petebant: quasi non meliùs peterent, non ut cibus qui deerat indecenti desiderio præstaretur, sed ut

Johan. 14. v. 12. v. 13.

[a] In tribus MSS. *orantibus.*

ille qui aderat sanato fastidio sumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potiùs Deum ut delectent bona, quàm ut concedantur mala. Non quia malum est carne vesci, cùm de hac re loquens Apostolus dicat, Omnis creatura Dei bona est, & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione accipitur: sed quia sicut item ipse ait, Malum est homini qui per offensionem manducat. & si hominis offensionem, quantò magis Dei? Cujus in Israëlitis non parva erat offensio, repudiare quod dabat sapientia, & petere id quod inhiabat concupiscentia: quamvis illi nec peterent, sed quia deerat murmurarent. Sed ut sciremus non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem & inordinatam cupiditatem; non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo invenit, & Esaü primatus suos non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit.

1. *Tim.* 4. 4. *Rom.* 14. 20. *Gen.* 3. 6. *Gen.* 25. 34.

2. Quomodo ergo intelligendum est, *Quodcumque petieritis, hoc faciam*, si Deus aliqua petentibus fidelibus etiam consulendo non facit? An fortè solis Apostolis dictum debemus accipere? absit. Unde enim ad hoc venit ut diceret, superiùs dixerat, *Qui credit in me, opera quæ ego facio faciet, & majora horum faciet*: de qua re pristino sermone tractavimus. Et ne quisquam hoc sibi tribueret, ut etiam illa opera majora seipsum facere ostenderet, adjecit, atque ait: *Quia ego ad Patrem vado;* * *& quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Numquid in eum soli Apostoli credidere-runt? Ad eos itaque loquebatur dicendo, *Qui credit in me*, in quibus eo donante etiam nos sumus, qui utique non quodcumque petierimus accipimus. Ipsos quoque beatissimos si cogitemus Apostolos, invenimus eum qui plus omnibus laboravit, non autem ipse, sed gratia Dei cum ipso, ter Dominum rogasse ut ab eo discederet angelus satanæ, nec tamen quod rogaverat accepisse. Quid dicimus, Carissimi? Putabimusne hoc promissum ubi ait, *Quodcumque petieritis hoc faciam*, nec Apostolis fuisse ab illo completum? Et cui tandem quod promittit implebit, si Apostolos suos in sua promissione fraudavit?

Johan. 14. 12. *Matth.* 6. 10. *Ibidem* 13. *Johan.* 14. v. 13. v. 14. 1. *Cor.* 15. 10. 2. *Cor.* 12. 8.

3. Evigila igitur homo fidelis, & vigilanter audi quod illic positum est, *in nomine meo*: ipsum enim *quodcumque*, non ait petieritis utcumque, sed *in nomine meo.* Qui promisit ergo tam magnum beneficium, quid vocatur? Utique Christus Jesus: Christus significat regem, Jesus significat Salvatorem: non utique nos salvos faciet, quicumque rex, sed rex Salvator: ac per hoc quodcumque petimus adversùs utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris. Et tamen ipse Salvator est, non solùm quando facit quod petimus, verùm etiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potiùs se exhibet Salvatorem. Novit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus; & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. Quapropter quando volumus ut faciat quodcumque petimus, non utcumque, sed in nomine ejus petamus, hoc est in nomine Salvatoris petamus. Non ergo contra nostram salutem petamus: quod si fecerit, non ut Salvator facit, quod est nomen ejus fidelibus ejus. Est quippe impiis & damnator, qui dignatur fidelibus esse Salvator. Qui ergo credit in eum, quodcumque petierit in eo nomine, quod est illis qui credunt in eum, hoc facit: quoniam hoc sicut Salvator facit. Si autem qui in eum credit, aliquid per ignorantiam contra suam salutem petit, non in nomine Salvatoris petit: quia Salvator ejus non erit, si quod ejus salutem impedit, fecerit. Unde tunc expedit potiùs, ut non faciendo propter quod invocatur, faciat quod vocatur. Propterea non solùm Salvator, sed etiam magister bonus, ut faciat quodcumque petierimus, in ipsa oratione quam nobis dedit, docuit quid petamus: ut etiam sic intelligamus non petere nos in nomine magistri, quod petimus præter regulam ipsius magisterii.

4. Sanè quædam quamvis in nomine ejus petamus, id est secundùm Salvatorem & secundùm magistrum petamus: non tunc quando petimus facit, sed tamen facit. Neque enim quia & illud petimus ut veniat regnum Dei, propterea non facit quod petimus, quia non statim cum illo in æternitate regnamus: differtur enim quod petimus, non negatur. Verumtamen orantes tamquam seminantes non deficiamus, tempore enim proprio metemus. Et simul petamus quando bene petimus, ut non faciat quod non bene petimus: quia & ad hoc pertinet quod in eadem oratione Dominica dicimus, Ne nos inferas in tentationem. Neque enim parva est tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio. Non autem negligenter audiendum est, quod Dominus, ne quisquam eum putaret, quod se promisit petentibus sine Patre esse factu-rum, cùm dixisset, *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam*, continuò subjecit, * *Ut glorificetur Pater in Filio,* * *si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Nullo modo igitur sine Patre hoc Filius facit, quandoquidem ut in illo Pater glorificetur, propterea facit. Facit ergo Pater in Filio, ut Filius glorificetur in Patre: & facit Filius in Patre, ut Pater glorificetur in Filio; quoniam unum sunt Pater & Filius.

TRACTATUS LXXIV.

De eo quod ait, Si diligitis me, mandata mea servate: *usque ad id*, Apud vos manebit, & in vobis erit.

1. AUDIVIMUS, Fratres, cùm Evangelium legeretur, Dominum dicentem, * *Si diligitis me, mandata mea servate:* * *& ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,* * *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Multa sunt, quæ in istis paucis verbis Domini requirantur: sed multum est ad nos, vel omnia quæ hîc quærenda sunt quærere, vel omnia quæ hîc quærimus invenire. Verumtamen quantum nobis Dominus donare dignatur, pro nostra & vestra capacitate, quid dicere debeamus, & quid audire debeatis, adtendentes, per nos, Carissimi, quod possumus sumite, & ab illo quod non possumus poscite. Spiritum paracletum Christus promisit Apostolis, quo autem modo promiserit, advertamus. *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate: & ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Hic est utique in Trinitate Spiritus sanctus, quem Patri & Filio consubstantialem & coæternum fides

Johan. 14. v. 15. v. 16. v. 17.

catholica confitetur: ipse est de quo dicit Aposto- [A] lus, [Rom. 5. 5.] Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Quomodo ergo Dominus dicit, *Si diligitis me, mandata mea servate; & ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis:* cùm hoc dicat de Spiritu-sancto, quem nisi habeamus, nec diligere Deum possumus, nec ejus mandata servare? Quomodo diligimus ut eum accipiamus, quem nisi habeamus, diligere non valemus? Aut quomodo mandata servabimus, ut eum accipiamus, quem nisi habeamus, [B] mandata servare non possumus? An fortè præcedit in nobis caritas, qua diligimus Christum, ut diligendo Christum ejusque mandata faciendo, mereamur accipere Spiritum-sanctum, ut caritas non Christi, quæ jam præcesserat, sed Dei Patris diffundatur in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis? Perversa est ista sententia. Qui enim se Filium diligere credit, & Patrem non diligit; profectò nec Filium diligit, sed quod sibi ipse [1. Cor. 12. 3.] confinxit. Deinde Apostolica vox est, Nemo di- [C] cit Dominus Jesus, nisi in Spiritu-sancto: Et quis Dominum Jesum, nisi qui eum diligit, dicit, si eo modo dicit, quo Apostolus intelligi voluit? Multi enim voce dicunt, corde autem & factis negant: [Tit. 1. 16.] sicut de talibus ait, Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant. Si negatur factis, procul dubio etiam dicitur factis. Nemo itaque dicit Dominus Jesus, animo, verbo, facto, corde, ore, opere, nemo dicit Dominus Jesus, nisi in Spiritu-sancto: & nemo sic dicit, nisi qui diligit. Jam ita- [D] que Apostoli dicebant, Dominus Jesus. Et si eo modo dicebant, ut non fictè dicerent, ore confitentes, corde & factis negantes; prorsus si veraciter hoc dicebant, procul dubio diligebant. Quomodo igitur diligebant, nisi in Spiritu-sancto? Et tamen eis priùs imperatur ut diligant eum, & ejus mandata conservent, ut accipiant Spiritum-sanctum: quem nisi haberent, profectò diligere & mandata servare non possent.

2. Restat ergo ut intelligamus Spiritum-sanctum [E] habere qui diligit, & habendo mereri ut plus habeat, & plus habendo plus diligat. Jam itaque habebant Spiritum discipuli, quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant: nec tamen eum adhuc habebant, sicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minùs, dandus erat eis ampliùs. Habebant occultè, accepturi fuerant manifestè: quia & hoc ad majus donum sancti Spi- [F] ritus pertinebat, ut eis innotesceret quod habe- [1. Cor. 2. 12.] bant. De quo munere loquens Apostolus ait, Nos » autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed » Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Nam & ipsam manifestam impertitionem Spiritus-sancti non semel, sed bis numero Dominus egit. Mox enim ut resurrexit à mortuis [Johan. 20. 23.] insufflans ait, Accipite Spiritum-sanctum. Numquid igitur quia tunc dedit, ideo non misit etiam postea quem promisit? Aut non idem ipse est Spi- [G] ritus-sanctus, qui & tunc est insufflatus ab ipso, & postea ab ipso missus è cælo? Quapropter cur ipsa quæ facta est evidenter donatio ejus, bis facta fuerit, alia quæstio est: fortassis enim propter duo præcepta dilectionis, hoc est proximi & Dei, ut commendaretur ad Spiritum-sanctum pertinere dilectio, hæc ejus gemina est in manifestatione fa- [A] cta donatio. Et si alia caussa quærenda est, non nunc ejus inquisitione in longiorem quàm oportet modum sermo iste mittendus est: dum tamen con- [1. Sent. dist. 17. c. Ut autem certiùs.] stet, sine Spiritu-sancto Christum nos diligere & mandata ejus servare non posse; & id nos posse atque agere tantò minùs, quantò illum percipimus minùs; tantò autem ampliùs, quantò illum percipimus ampliùs. Proinde non solùm non habenti, verùm etiam habenti non incassùm promittitur: non habenti quidem, ut habeatur; habenti autem, [B] ut ampliùs habeatur. Nam nisi ab alio minùs, ab alio ampliùs haberetur, sanctus Elisæus sancto Eliæ non diceret, Spiritus qui est in te, duplo sit [4. Reg. 2. 9.] in me.

3. Quando autem ait Johannes Baptista, Non [Iohan. 3. 34.] enim ad mensuram dat Deus Spiritum, de ipso Dei Filio loquebatur, cui non est datus Spiritus ad mensuram; quia in illo inhabitat omnis plenitudo [Coloss. 2. 9.] divinitatis. Neque enim sine gratia Spiritus-sancti est mediator Dei & hominum homo Christus Je- [1. Tim. 2. 5.] [C] sus: nam & ipse dicit de se fuisse propheticum illud impletum, Spiritus Domini super me, prop- [Isaia 61. 1.] ter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit [Luca 4. 18.] me. Quod enim est Unigenitus æqualis Patri, non est gratiæ, sed naturæ: quod autem in unitatem personæ Unigeniti assumtus est homo, gratiæ est, non naturæ, confitente Evangelio atque dicente, Puer autem crescebat & confortabatur plenus sa- [Luca 2. 40.] pientiâ, & gratia Dei erat in illo. Ceteris autem [1. Sent. dist. 17. c. Ad quod dicimus.] ad mensuram datur, & datus additur, donec uni- [D] cuique pro modo suæ perfectionis propria mensura compleatur. Unde & monet Apostolus, non [Rom. 12. 3.] plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad « temperantiam, unicuique sicut Deus partitus est « mensuram fidei. Neque enim ipse dividitur Spiritus, sed dona per Spiritum: nam divisiones dona- [1. Cor. 12. 4.] tionum sunt, idem autem Spiritus.

4. Quod verò ait, *Rogabo Patrem, & alium* [Iohan. 14. 16.] *paracletum dabit vobis*, ostendit & seipsum esse paracletum. Paracletus enim Latinè dicitur advoca- [E] tus: & dictum est de Christo, Advocatum habe- [1. Johan. 2. 1.] mus ad Patrem Jesum Christum justum. Sic autem mundum dixit non posse accipere Spiritum-sanctum, sicut etiam dictum est, Prudentia carnis [Rom. 8. 7.] inimica est in Deum, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest: velut si dicamus, Injustitia justa esse non potest. Mundum quippe ait hoc loco, mundi significans dilectores, quæ dilectio non [1 Johan. 2. 16.] est à Patre. Et ideo dilectioni hujus mundi, de qua satis-agimus ut minuatur & consumatur in nobis, [F] contraria est dilectio Dei, quæ diffunditur in cor- [Rom. 5. 5.] dibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. *Mundus ergo eum accipere non potest, quia non videt eum, neque scit eum.* Non enim habet invisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri Spiritus-sanctus, nisi invisibiliter non potest.

5. *Vos autem*, inquit, *cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Erit in eis ut maneat, non manebit ut sit: priùs est enim esse alicubi, quàm manere. Sed ne putarent quod dictum est, [G] *apud vos manebit*, ita dictum quemadmodum apud hominem hospes visibiliter manere consuevit, exposuit quid dixerit, *apud vos manebit*, cùm adjunxit & dixit, *in vobis erit.* Ergo invisibiliter videtur: nec si non sit in nobis, potest esse in nobis ejus scientia. Sic enim à nobis videtur in nobis & nostra conscientia: nam faciem videmus alterius, nostram videre non possumus; conscientiam verò nostram

videmus, alterius non videmus. Sed conscientia [A] numquam est, nisi in nobis: Spiritus autem sanctus potest esse etiam sine nobis; datur quippe ut sit & in nobis. Sed videri & sciri quemadmodum videndus & sciendus est, non potest à nobis, si non sit in nobis.

TRACTATUS LXXV.

De eo quod ait Iesus, Non relinquam vos orphanos: *usque ad id*, Et ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. [B]

1. POST promissionem Spiritus-sancti, ne quisquam putaret quòd ita eum Dominus daturus fuerat velut pro seipso, ut non & [Johan. 14. 18.] ipse cum eis esset futurus, adjecit, atque ait, *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Orphani, pupilli sunt. Illud enim Græcum ejusdem rei nomen est, hoc Latinum: nam & in Psalmo ubi legi- [Psal. 9. 14.] mus, Pupillo tu eris adjutor, Græcus habet orphano. Quamvis ergo nos Filius Dei suo Patri adopta- [C] verit filios, & eumdem Patrem nos voluerit habere per gratiam, qui ejus Pater est per naturam: tamen etiam ipse circa nos paternum affectum quodammodo demonstrat, cùm dicit, *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Hinc est quòd etiam [Matth. 9. 15.] sponsi filios nos appellat, ubi dicit, Veniet hora ut auferatur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt filii sponsi. Quis autem sponsus, nisi Dominus Christus?

[Johan. 14. 19.] 2. Deinde sequitur, & dicit, *Adhuc modicum*, [D] *& mundus me jam non videt.* Quid enim, tunc eum videbat mundus? quandoquidem mundi nomine vult intelligi eos, de quibus superiùs est locutus, di- [v. 17.] cens de Spiritu-sancto, Quem mundus accipere non potest, quia non videt eum neque cognoscit eum. Videbat eum planè mundus carneis oculis in carne conspicuum, non autem videbat quod in carne Verbum latebat: videbat hominem, non videbat Deum; videbat indumentum, non videbat indutum. Sed quoniam post resurrectionem etiam ipsam [E] carnem suam, quam non solùm videndam, verùm etiam contrectandam demonstravit suis, noluit demonstrare non suis; hinc fortasse intelligendum est esse dictum, *Adhuc modicum, & mundus me jam non videt: vos autem videbitis me; quia ego vivo, & vos vivetis.*

3. Quid est, *quia ego vivo, & vos vivetis?* Cur de præsenti se dixit vivere, illos autem de futuro esse victuros, nisi quia vitam etiam carnis utique resurgentis, qualis in ipso præcedebat, & illis est [F] pollicitus secuturam? Et quia ipsius mox futura erat resurrectio, præsentis posuit temporis verbum propter significandam celeritatem: illorum autem quoniam sæculi differtur in finem, non ait vivitis, sed *vivetis.* Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in sæculi fine venturam, duobus verbis præsentis temporis & futuri, eleganter breviterque promisit. *Quia ego*, inquit, *vivo, & vos vivetis:* quia ille vivit, ideo & nos vivemus. [1. Cor. 15. 21. & 22.] Per hominem quippe mors, & per hominem resur- [G] » rectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes mo- » riuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. Quoniam nemo ad mortem nisi per illum, nemo ad vitam nisi per Christum. Quia [a] nos viximus, mortui sumus: quia vivit ipse, vivemus nos. Mortui sumus [A] illi, quando viximus nobis: quia verò mortuus ille pro nobis, & sibi vivit & nobis. Quia enim vivit ille, & nos vivemus. Nam sicut per nos mortem habere potuimus, non sic & vitam per nos habere possumus.

4. *In illo die*, inquit, *vos cognoscetis quia ego sum* [Iohan. 14. 20.] *in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* In quo die, nisi de quo ait, *& vos vivetis?* Tunc enim erit, ut possimus videre quod credimus. Nam & nunc est in nobis, & nos in illo: sed hoc nunc credimus, [B] tunc etiam cognoscemus; quamvis & nunc credendo noverimus, sed tunc contemplando noscemus. Quamdiu enim sumus in corpore quale nunc est, id [2. Cor. 5. 6.] est corruptibile quod aggravat animam, peregrina- [Sap. 9. 15.] mur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem. Tunc ergo per speciem, quoniam vide- [1. Iohan 3. 2.] bimus eum sicuti est. Nam si etiam nunc Christus in nobis non esset, non diceret Apostolus, Si au- [Rom. 8. 10.] tem Christus in nobis, corpus quidem mortuum « est propter peccatum, spiritus autem vita est pro- « [C] pter justitiam. Quia verò & nos etiam nunc in illo sumus, satis ostendit, ubi dicit, Ego sum vitis, vos [Iohan. 15. 5.] palmites. In illo ergo die, quando vivemus eâ vitâ, qua mors absorbebitur, cognoscemus quia ipse in Patre, & nos in ipso, & ipse in nobis: quia tunc perficietur hoc ipsum, quod & nunc inchoatum est jam per ipsum, ut sit in nobis & nos in ipso.

5. *Qui habet*, inquit, *mandata mea, & servat ea,* [Johan. 14. 21.] *ille est qui diligit me.* Qui habet in memoria, & servat in vita; qui habet in sermonibus, & servat in [D] moribus; qui habet audiendo, & servat faciendo; aut qui habet faciendo, & servat perseverando: *ipse est*, inquit, *qui diligit me.* Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio. *Et qui diligit me*, inquit, *diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Quid est, *diligam*, tamquam tunc dilecturus sit, & nunc non diligat? absit. Quomodo enim nos Pater sine Filio, aut Filius sine Patre diligeret? Quomodo cùm inseparabiliter operentur, separabiliter dili- [E] gunt? Sed ad hoc dixit, *diligam eum*, ad quod sequitur, *& manifestabo ei meipsum. Diligam, & manifestabo*, id est, ad hoc diligam, ut manifestem. Nunc enim ad hoc dilexit, ut credamus, & mandatum fidei teneamus: tunc ad hoc diliget, ut videamus, & [b] ipsam visionem mercedem fidei capiamus. Quia & nos nunc diligimus, credendo quod videbimus: tunc autem diligemus, videndo quod credimus.

TRACTATUS LXXVI.

[F] *De eo quod sequitur*, Dicit ei Judas, non ille Iscariotes *&c. usque ad id*, Sermo quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me Patris.

1. INTERROGANTIBUS discipulis & eis magistro respondente Jesu, etiam nos tamquam cum illis discimus, quando sanctum Evangelium vel legimus vel audimus. Quia ergo dixerat Dominus, *Adhuc modicum, & mundus me* [Johan. 14. 19.] *jam non videt, vos autem videbitis me:* interrogavit [G] eum de hoc ipso Judas, non ille traditor ejus qui Iscariotes cognominatus est, sed cujus Epistola inter Scripturas canonicas legitur: *Domine, quid fa-* [v. 22.] *ctum est quia nobis manifestaturus es teipsum, & non mundo?* Simus cum ipsis tamquam interrogantes discipuli, communemque magistrum audiamus & nos.

[a] Editi, *Quia nobis:* MSS. plerique, *Quia nos.*
[b] Sic MSS. At editi, *ipsa visione:* & infrà, *credendo quod non videmus.*

Judas enim sanctus, non immundus, nec insectator Domini, sed sectator, causſam quæsivit quare se non mundò, sed suis manifestaturus esset Jesus: quare adhuc modicum & mundus non videret eum, ipsi autem viderent eum.

v. 23. 2. * *Respondit Jesus, & dixit ei, Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* v. 24. * *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Ecce exposita est causſa, quare se suis manifestaturus est, non alienis, quos mundi nomine appellat: & ipsa est causſa quòd hi diligant, illi non diligant.

Psal. 42. 1. Ipsa causſa est de qua sacer insonat Psalmus, Judica me Deus, & discerne causſam meam de gente non
a sancta. Qui enim [a] diligunt, quia diligunt, eligun-
1. Cor. 13. 1. &c. tur: qui verò non diligunt, si linguis hominum loquantur & Angelorum, fiunt æramentum sonans & cymbalum tinniens: & si habuerint prophetiam, & scierint omnia sacramenta, & omnem scientiam, & habuerint omnem fidem ut montes transferant, nihil sunt: & si distribuerint omnem substantiam suam, & tradiderint corpus suum ut ardeant, nihil eis prodest. Dilectio sanctos discernit à mundo, quæ facit
Psal. 67. 7. unanimes habitare in domo. In qua domo facit Pater & Filius mansionem: qui donant & ipsam dilectionem, quibus donent in fine etiam ipsam suam manifestationem: de qua discipulus magistrum interrogavit, ut non solùm illi qui tunc audiebant per os ejus, sed etiam nos per Evangelium ejus hoc nosse possemus. Quæsierat enim de Christi manifestatione, & audivit de dilectione atque mansione. Est ergo quædam Dei manifestatio interior, quam prorsus impii non noverunt, quibus Dei Patris & Spiritus-sancti manifestatio nulla est: Filii verò potuit esse, sed in carne; quæ nec talis est qualis illa, nec semper illis adesse potest qualiscumque sit, sed ad modicum tempus; & hoc ad judicium, non ad gaudium; ad supplicium, non ad præmium.

3. Nunc est ergo ut intelligamus, quantum aperire ipse dignatur, quomodo dictum sit, *Adhuc modicum, & mundus me jam non videt, vos autem videbitis me.* Verum est quidem, quòd post paululum etiam corpus suum in quo poterant eum & impii videre, oculis eorum fuerat subtracturus: quandoquidem post resurrectionem nemo illorum vidit eum. Sed quoniam dictum est testantibus Angelis,
Act. 1. 11. Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum: nec aliud credimus quàm eum in eodem corpore ad judicium vivorum & mortuorum esse venturum: procul dubio tunc eum videbit mundus, quo nomine significati sunt à regno ejus alieni. Ac per hoc longè melius intelligitur jam illud tempus significare voluisse, in eo quod ait, *Adhuc modicum & mundus me jam non videt*, quando in fine sæculi auferetur ab oculis damnatorum, ut illi eum de cetero videant, apud quos diligentes eum facit Pater atque ipse mansionem. *Modicum* autem dixit, quia & id quod prolixum videtur hominibus, brevissimum est ante oculos Dei: de hoc quippe modico
1 Johan. 2. 28. iste ipse Johannes Evangelista, Filioli, inquit, novissima hora est.

4. Ne quis porrò existimet Patrem tantummodo & Filium sine Spiritu-sancto apud dilectores suos facere mansionem, recolat quod superiùs de Spi-
Johan. 14. 17. ritu-sancto dictum est, Quem mundus non potest » accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos » autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce facit in sanctis cum Patre & Filio sanctus etiam Spiritus mansionem: intus utique tamquam Deus in templo suo. Deus Trinitas Pater & Filius & Spiritus-sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos: veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo: ut sit nobis eorum non extraria visio, sed interna; & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna. Sic mundo non se Filius manifestat: mundus enim dictus est hoc loco, de quibus continuò subjunxit, *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Hi sunt qui Patrem & Spiritum-sanctum numquam vident: Filium autem non ut beatificentur, sed ut judicentur, ad modicum vident; nec ipsum in forma Dei, ubi est cum Patre & Spiritu-sancto pariter invisibilis; sed in forma hominis, ubi esse voluit mundo patiendo contemtibilis, judicando terribilis.

5. Quod verò adjunxit, *Et sermo quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me Patris:* non miremur, non paveamus: non est minor Patre, sed non est nisi à Patre. Non est impar ipso, sed non est à seipso. Neque enim mentitus est dicendo, *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Ecce suos dixit esse sermones: numquid sibi ipse est contrarius, ubi rursus dixit, *Et sermo quem audistis non est meus?* Et fortasse propter aliquam distinctionem, ubi suos dixit, dixit pluraliter, hoc est *sermones:* ubi autem *sermonem*, hoc est Verbum, non suum dixit esse, sed Patris, seipsum intelligi voluit. In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Non utique suum, sed Patris est Verbum: quomodo nec sua imago, sed Patris; nec suus Filius idem ipse, sed Patris. Rectè igitur tribuit auctori quidquid facit æqualis, à quo habet hoc ipsum quod illi est indifferenter æqualis.

TRACTATUS LXXVII.

De eo quod sequitur, Hæc locutus sum vobis apud vos manens: *usque ad id*, Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.

1. IN præcedenti lectione sancti Evangelii, quam sequitur ista quæ modò recitata est, Dominus Jesus dixerat se & Patrem ad dilectores suos esse venturos, & apud eos mansionem esse facturos. Jam verò & superiùs dixerat de Spiritu-sancto, Vos autem cognoscetis eum, quia Johan. 14. 17. apud vos manebit, & in vobis erit: unde intellexi-
v. 25. mus in sanctis tamquam in templo suo simul manere Trinitatem Deum. Nunc autem dicit, *Hæc locutus sum vobis apud vos manens.* Illa itaque mansio alia est quam promisit futuram, hæc verò alia quam præsentem esse testatur. Illa spiritalis est, atque intrinsecùs mentibus redditur: hæc corporalis forinsecùs oculis atque auribus exhibetur. Illa in æternum beatificat liberatos, hæc in tempore visitat liberandos. Secundùm illam Dominus à suis dilectoribus non recedit, secundùm hanc it & [b] recedit.
b *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, apud vos manens:* utique præsentiâ corporali, qua cum illis visibilis loquebatur.

v. 26. 2. *Paracletus autem*, inquit, *Spiritus-sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & commemorabit vos omnia quæcumque dixero vobis.* Numquidnam dicit Filius, & docet Spiritus-sanctus, ut dicente Filio verba capiamus, docente

[a] Decem MSS. *Qui enim diliguntur.*

[b] Lov. *redit:* cetei codices *recedit.*

autem Spiritu-sancto eadem verba intelligamus? Quasi dicat Filius sine Spiritu-sancto, aut Spiritus-sanctus doceat sine Filio: aut verò non & Filius doceat & Spiritus-sanctus dicat, & cùm Deus aliquid dicit & docet, Trinitas ipsa dicat & doceat? Sed quoniam Trinitas est, oportebat ejus singulas insinuare personas, eamque nos distinctè audire, inseparabiliter intelligere. Audi Patrem dicentem ubi le-
Psal. 2. 7. gis, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: audi
Johan. 6. 45. & docentem ubi legis, Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Filium verò dicentem mo- B dò audisti, de se quippe ait, *quæcumque dixero vobis:* quem si & docentem vis nosse, magistrum re-
Matth. 23. 10. cole: Unus est, inquit, magister vester Christus. Spiritum porrò sanctum, quem modò audisti docentem ubi dictum est, *Ipse vos docebit omnia*, audi etiam dicentem, ubi legis in Actibus Apostolorum,
Act. 10. 20. beato Petro dixisse Spiritum-sanctum, Vade cum illis, quia ego misi eos. Omnis igitur & dicit & docet Trinitas: sed nisi etiam singillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere utique C posset infirmitas. Cùm ergo omnino sit inseparabilis, numquam Trinitas esse sciretur, si semper inseparabiliter diceretur: nam & cùm dicimus Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, non eos utique dicimus simul, cùm ipsi non possint esse non simul. Quod verò addidit, *commemorabit vos*, intelligere debemus etiam, quod jubemur non obliviscì, salubberrimos monitus ad gratiam pertinere, quam nos commemorat Spiritus.

Johan. 14. 27. 3. *Pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do* D *vobis.* Hoc est quod legimus apud Prophetam, Pacem super pacem: pacem nobis relinquit iturus, pacem suam nobis dabit in fine venturus. Pacem nobis relinquit in hoc sæculo, pacem suam nobis dabit in futuro sæculo. Pacem suam nobis relinquit, in qua manentes hostem vincimus: pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus. Pacem relinquit nobis, ut etiam hîc invicem diligamus: pacem suam nobis dabit, ubi numquam dissentire possimus. Pacem relinquit nobis, ne de occultis E nostris invicem judicemus, cùm in hoc sumus mundo: pacem suam dabit nobis, cùm manifestabit co-
1. Cor. 4. 5. gitationes cordis, & tunc laus erit unicuique à Deo. In illo tamen atque ab illo nobis est pax, sive quam nobis relinquit iturus ad Patrem, sive quam nobis dabit nos perducturus ad Patrem. Quid autem no-
Ephes. 2. 14. bis relinquit adscendens à nobis, nisi seipsum, dum non recedit à nobis? Ipse est enim pax nostra, qui
1. Johan. 3. 2. fecit utraque unum. Pax ergo ipse nobis est, & cùm credimus quia est, & cùm videmus eum sicuti F est. Si enim quamdiu sumus in corpore corruptibili
Sap. 9. 15. quod aggravat animam, cùm per fidem ambula-
2. Cor. 5. 7. mus non per speciem, non deserit peregrinantes à se: quantò magis cùm ad ipsam speciem venerimus, nos implebit ex se?

4. Sed quid est quòd ubi ait, *Pacem relinquo vobis*, non addidit *meam:* ubi verò ait, *do vobis*, ibi dixit *meam?* Utrùm subaudiendum est *meam*, & ubi dictum non est, quia potest referri ad utrumque etiam quod semel dictum est? An fortè & hîc ali- G quid latet quod petendum est & quærendum, & ad quod pulsantibus aperiendum? Quid si enim pacem suam eam voluit intelligi qualem habet ipse? Pax verò ista quam nobis relinquit in hoc sæculo, nostra est potiùs dicenda quàm ipsius. Illi quippe nihil repugnat in seipso, qui nullum habet omnino peccatum: nos autem talem pacem nunc habemus, in qua adhuc dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Matth. 6. 12. Est ergo nobis pax aliqua, quoniam condelectamur Rom. 7. legi Dei secundùm interiorem hominem: sed non 22. & 23. est plena, quia videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ. Itemque inter nos ipsos est nobis pax, qua invicem nobis credimus quòd invicem diligamus: sed nec ipsa plena est, quia cogitationes cordis nostri invicem non videmus; & quædam de nobis quæ non sunt in nobis, vel in melius invicem vel in deterius opinamur. Itaque ista etiamsi ab illo nobis relicta est, pax nostra est. nisi enim ab illo, non haberemus & talem, sed ipse non habet talem. Si tenuerimus usque in finem qualem accepimus, qualem habet habebimus, ubi nihil nobis repugnet ex nobis, & nihil nos invicem lateat in cordibus nostris. Nec ignoro ista Domini verba etiam sic accipi posse, ut ejusdem sententiæ repetitio videatur, *Pacem relinquo vobis,* Johan. 14. 27. *pacem meam do vobis:* ut quod dixerat, *pacem*, hoc repetierit dicens, *pacem meam;* & quod dixerat, *relinquo vobis*, hoc repetierit dicens, *do vobis.* Ut volet quisque accipiat: me tamen delectat, credo & vos, Fratres mei dilecti, sic tenere istam pacem, ubi adversarium concorditer vincimus, ut desideremus pacem, ubi adversarium non habebimus.

5. Quod verò Dominus adjunxit, atque ait, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis:* quid est aliud, nisi non quomodo homines dant qui diligunt mundum, ita do vobis? Qui propterea dant sibi pacem, ut sine molestia litium atque bellorum, non Deo, sed amico suo mundo perfruantur: & quando justis dant pacem ut non eos persequantur, pax non potest esse vera, ubi non est vera concordia; quia disjuncta sunt corda. Quomodo enim consors dicitur, qui sortem jungit: ita ille concors dicendus est, qui corda jungit. Nos ergo, Carissimi, quibus Christus pacem relinquit, & pacem suam nobis dat, non sicut mundus, sed sicut ille per quem factus est mundus, ut concordes simus, jungamus invicem corda, & cor unum sursum habeamus, ne corrumpatur in terra.

TRACTATUS LXXVIII.

In id quod Dominus dicit, Non turbetur cor vestrum, neque formidet, &c.

1. ACCEPIMUS, Fratres, verba Domini dicentis ad discipulos suos, * *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* * *Audistis* Johan. 14. v. 27. v. 28. *quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos: si diligeretis me, gauderetis utique, quia ego vado ad Patrem; quia Pater major me est.* Hinc ergo turbari & formidare poterat cor illorum, quòd ibat ab eis, quamvis venturus ad eos: ne forsitan gregem lupus hoc intervallo invaderet, pastoris absentiâ. Sed à quibus hono abscedebat, Deus non derelinquebat: & idem ipse Christus homo & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat: ibat per id quod uno loco erat, manebat per id quod ubique erat. Cur itaque turbaretur & formidaret cor, quando ita deserebat oculos, ut non desereret cor? Quamvis Deus etiam qui nullo continetur loco, discedat ab eorum cordibus, qui eum relinquunt moribus, non pedibus; & veniat ad eos qui converturtur ad eum non facie, sed fide, & accedunt ad eum mente, non carne. Ut autem intelligerent secundùm id quod homo erat eum dixisse, *Vado & venio ad vos:*

adjecit, atque ait, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ego vado ad Patrem; quia Pater major me est.* Per quod ergo Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem, à quo venturus est vivos judicaturus & mortuos: per illud autem in quo æqualis est gignenti Unigenitus, numquam recedit à Patre; sed cum illo est ubique totus pari divinitate, quam nullus continet locus. Cùm enim in forma Dei esset, sicut Apostolus loquitur, non (*Philip.* 2. 6.) rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Quomodo enim rapina posset esse natura, quæ non erat usurpata, sed nata? Semetipsum autem exinanivit, formam servi accipiens: non ergo amittens illam, sed accipiens istam. Eo modo se exinaniens, quo hîc minor apparebat quàm apud Patrem manebat. Forma quippe servi accessit, non forma Dei recessit: hæc est assumta, non illa consumta. Propter hanc dicit, *Pater major me est:* (*Iohan.* 14. 28.) propter illam verò, Ego & Pater unum sumus. (*Iohan.* 10. 30.)

2. (Arianos refellit.) Hoc adtendat Arianus, & adtentione sit sanus: ne contentione sit vanus, aut quod est pejus, insanus. Hæc est enim forma servi, in qua Dei Filius minor est, non Patre solo, sed etiam Spiritusancto: neque id tantùm, sed etiam seipso; quia idem ipse in forma Dei major est seipso. Neque enim homo Christus non dicitur Filius Dei, quod etiam sola caro ejus in sepulcro meruit appellari. Nam quid aliud confitemur, cùm dicimus credere nos in unigenitum Dei Filium, qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus? Et quid ejus nisi caro sepulta est sine anima? Ac per hoc cùm credimus in Dei Filium qui sepultus est, profectò Filium Dei dicimus & carnem quæ sola sepulta est. Ipse ergo Christus Filius Dei, æqualis Patri in forma Dei, quia semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi accipiens, major est & seipso: quia major est forma Dei quæ amissa non est, quàm servi quæ accepta est. Quid itaque mirum, vel quid indignum, si secundùm hanc formam servi loquens, ait Dei Filius, *Pater major me est;* & secundùm Dei formam loquens, ait idem ipse Dei Filius, Ego & Pater unum sumus? (*Iohan.* 10. 30.) Unum sunt enim secundùm id quod Deus erat Verbum: major est Pater, secundùm id quod Verbum caro factum est. Dicam etiam quod Ariani & Eunomiani negare non possunt, secundùm hanc formam servi puer Christus etiam parentibus suis minor erat, quando parvus majoribus, sicut scriptum est, (*Luca* 2. 51.) subditus erat. Quid igitur hæretice, cùm Christus Deus sit & homo, loquitur ut homo, & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam? Infidelis, ingrate, ideone tu minuis eum qui fecit te, quia dicit ille quid factus sit propter te? Æqualis enim Patri Filius per quem factus est homo, ut minor esset Patre, factus est homo: quod nisi fieret, quid esset homo?

3. Dicat planè Dominus & Magister noster, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est.* Cum discipulis audiamus verba doctoris, non cum alienis sequamur astutiam deceptoris. Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet qua æqualis est Patri, humanam qua major est Pater. Utrumque autem simul non duo, sed unus est Christus; ne sit quaternitas, non Trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis & caro, sic unus est Christus Deus & homo: ac per hoc Christus, est Deus anima rationalis & caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? (*3. Sent. dist.* 22. *c.* Hîc quæritur si.) Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo jacuit in sepulcro? Christus Jesus, sed in carne sola. Dicitur ergo & in his singulis Christus. Verùm hæc omnia non duo, vel tres, sed unus est Christus. Ideo ergo dixit, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem:* quia naturæ humanæ gratulandum est, eo quòd sic assumta est à Verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in cælo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris. Hoc enim modo se iturum dixit ad Patrem. Nam profectò ad illum ibat qui cum illo erat. Sed hoc erat ire ad eum & recedere à nobis, mutare atque immortale facere quod mortale suscepit ex nobis, & levare in cælum per quod fuit in terra pro nobis. Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, ut & suam naturam jam immortalem gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per Christum?

TRACTATUS LXXIX.

De eo quod ait, Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat, &c. *usque ad id*, Surgite, eamus hinc.

1. DOMINUS & salvator noster Jesus Christus dixerat discipulis suis, Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. (*Iohan.* 14. 28.) Quod ex forma servi eum dixisse, non ex forma Dei in qua æqualis est Patri, novit fides quæ religiosis est mentibus fixa, non calumniosis & dementibus ficta. Deinde subjunxit, *Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat, ut cùm factum fuerit, credatis.* (*v.* 29.) Quid est hoc, cùm magis homo credere debeat antequam fiat id quod credendum est? (*3. Sent. dist.* 24. *c.* Hic quæritur.) Hæc est enim laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam quid magnum est, si creditur quod videtur, secundùm illam ejusdem Domini sententiam, quando discipulum arguit dicens, Quia vidisti, credidisti; beati qui non vident & credunt? (*Iohan.* 20. 29.) Et nescio utrùm credere dicendus est quisque quod videt: nam ipsa fides in Epistola quæ scribitur ad Hebræos, ita est definita: Est autem fides [a] sperantium substantia, convictio rerum quæ non videntur. (*Heb.* 11. 1.) Quapropter si fides est rerum quæ creduntur, eademque fides earum est quæ non videntur: quid sibi vult quod Dominus ait, *Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat, ut cùm factum fuerit, credatis?* Nonne potiùs dicendum fuit, Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat, ut credatis, quod cùm factum fuerit videatis? Nam & ille cui dictum est, Quia vidisti, credidisti, non hoc credidit quod vidit; sed aliud vidit, aliud credidit: vidit enim hominem, credidit Deum. Cernebat quippe atque tangebat carnem viventem, quàm viderat morientem: & credebat Deum in carne ipsa latentem. Credebat ergo mente quod non videbat, per hoc quod sensibus corporis apparebat. Sed etsi dicuntur credi quæ videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis se credidisse: non tamen ipsa est quæ in nobis ædificatur fides; sed ex rebus quæ videntur,

[a] Tres MSS. *sperandorum*. Am. & Bad. *sperandarum* Er. Lov. & plerique MSS. *sperantium*. Sic rursus variant infrà Tract. 95.

agitur in nobis ut ea credantur quæ non videntur. Quocirca, Dilectissimi, unde nunc mihi sermo est, quod Dominus ait, *Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat, ut cùm factum fuerit, credatis:* illud utique dicit, *cùm factum fuerit*, quòd eum visuri erant post mortem viventem, & ad Patrem adscendentem: quo viso illud fuerant credituri, quòd ipse esset Christus Filius Dei vivi, qui potuit hoc facere cùm prædixisset, & prædicere ante quàm faceret: credituri autem hoc non fide nova, sed aucta; aut certè cùm mortuus esset defecta, cùm resurrexisset refecta. Neque enim eum Dei Filium non & antè credebant: sed cùm in illo factum esset quod antè prædixit, fides illa quæ tunc quando illis loquebatur fuit parva, & cùm moreretur penè jam nulla, & revixit & crevit.

2. (*Iohan.* 14. 30.) Deinde quid dicit? *Iam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi hujus:* quis, nisi diabolus? *Et in me non habet quidquam:* nullum scilicet omnino peccatum. Sic enim ostendit non creaturarum, sed peccatorum principem diabolum, quos nunc nomine mundi hujus appellat. Et quotiescumque mundi nomen in mali significatione ponitur, non ostendit nisi mundi istius amatores; (*Iacobi* 4. 4.) de quibus alibi scriptum est, Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituetur. Absit ergo ut sic intelligatur diabolus princeps mundi, tamquam gerat universi mundi, id est, cæli & terræ, atque omnium quæ in eis sunt principatum: de quali mundo dictum est, (*Iohan* 1. 10.) cùm de Christo Verbo sermo esset, Et mundus per eum factus est. Universus itaque mundus à summis cælis usque ad infimam terram creatori est subditus, non desertori; redemtori, non interemtori; liberatori, non captivatori; doctori, non deceptori. Quemadmodum autem sit intelligendus princeps mundi diabolus, evidentiùs aperuit Paulus (*Ephes.* 6. 12.) apostolus, qui cùm dixisset, Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, id est, adversùs homines; subjecit, atque ait, sed adversùs principes & potestates & rectores mundi tenebrarum harum. Sequenti enim verbo exposuit quid dixisset, mundi, cùm subjecit, tenebrarum harum: ne quisquam mundi nomine intelligeret universam creaturam, cujus nullo modo sunt rectores angeli desertores. Tenebrarum, inquit, harum, id est, mundi istius amatorum: ex quibus tamen electi sunt, non per suum meritum, sed per Dei (*Ephes.* 5. 8.) gratiam, quibus dicit, Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Omnes enim fuerunt sub rectoribus tenebrarum harum, id est, hominum impiorum, tamquam tenebræ sub tenebris: sed gratias Deo, qui eruit nos, sicut dicit (*Coloss.* 1. 13.) idem Apostolus, de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ. In quo princeps hujus mundi, hoc est tenebrarum harum, non habebat quidquam: quia neque cum peccato Deus venerat, nec ejus carnem de peccati propagine virgo pepererat. Et tamquam ei diceretur, Cur ergo moreris, si non habes peccatum, cui debeatur (*Iohan.* 14. 31.) mortis supplicium? continuò subjecit, *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc.* Discumbens enim discumbentibus loquebatur. *Eamus* autem dixit, quò, nisi ad illum locum unde fuerat tradendus ad mortem, qui nullum habebat meritum mortis? Sed habebat ut moreretur mandatum Patris, tamquam ille de quo prædictum erat, Quæ non rapui, tunc exsolvebam: (*Psal.* 68. 5.) mortem sine debito soluturus, & nos à morte debita redemturus. Rapuerat autem Adam peccatum, quando manum in arborem præsumtione deceptus extendit, ut incommunicabile nomen inconcessæ divinitatis invaderet, quam Filio Dei natura contulerat, non rapina.

TRACTATUS LXXX.

De eo quod dicit, Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: *usque ad id*, Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.

1. ISTE locus Evangelicus, Fratres, ubi se dicit Dominus vitem, & discipulos suos palmites: secundùm hoc dicit quod est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus, mediator Dei & (*1. Tim.* 2. 5.) hominum homo Christus Jesus. Unius quippe naturæ sunt vitis & palmites: propter quod cùm esset Deus, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines palmites esse possemus. Quid ergo est, *Ego sum vitis vera?* (*Iohan.* 15. 1.) Numquid ut adderet *vera*, hoc ad eam vitem retulit, unde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis, per similitudinem, non per proprietatem, quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cetera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates. Sed cùm dicit, *Ego sum vitis vera*, ab illa se utique discernit cui dicitur, Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena? (*Ierem.* 2. 21.) Nam quo pacto est vitis vera, quæ exspectata est ut faceret uvam, fecit autem spinas? (*Isai.* 5. 4.)

2. * *Ego sum*, inquit, *vitis vera, Et Pater meus agricola est.* * *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* (*Iohan.* 15. *v.* 1. *v.* 2.) Numquid unum sunt agricola & vitis? Secundùm hoc ergo vitis Christus, secundùm quod ait, Pater major me est: (*Iohan.* 14. 28.) secundùm autem id quod ait, Ego & Pater unum sumus, (*Iohan.* 10. 30.) & ipse agricola est. Nec talis quales sunt qui extrinsecùs operando exhibent ministerium: sed talis ut det etiam intrinsecùs incrementum. Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. (*1. Cor.* 3. 7.) Sed utique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum; unde ipse & Pater unum sunt: & si Verbum caro factum est quod non erat, manet quod erat. Denique cùm de Patre tamquam de agricola dixisset, quòd infructuosos palmites tollat, fructuosos autem purget ut plus afferant fructum: continuò etiam seipsum mundatorem palmitum ostendens, *Iam vos*, inquit, *mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis.* (*Iohan.* 15. 3.) Ecce & ipse mundator est palmitum, quod est agricolæ, non vitis officium: qui etiam palmites operarios suos fecit. Nam etsi non dant incrementum, impendunt tamen aliquod adjumentum; sed non de suo, quia sine me, inquit, nihil potestis facere. (*Ibidem* 5.) Audi etiam ipsos confitentes. Quid autem est Apollo? quid autem Paulus? (*1. Cor.* 3. 5. & 6.) Ministri* per quos credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. (* *Iuxta Græc.* δι' ὧν.) Ego plantavi, Apollo rigavit. Et hoc ergo sicut unicuique Dominus dedit: non itaque de suo. Jam verò quod sequitur, Sed Deus incrementum dedit: non per illos, sed per seipsum facit: excedit hoc humanam humilitatem, excedit

sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines. A
Secundùm hoc igitur rectè possumus dicere, quòd
cùm ad naturam Dei non pertineat humana natu-
ra, ad personam tamen unigeniti Filii Dei per gra-
tiam pertinet humana natura; & tantam gratiam,
ut nulla sit major, nulla prorsus æqualis. Neque
enim illam susceptionem hominis ulla merita præ-
cesserunt, sed ab illa susceptione merita ejus cun-
cta cœperunt. Manet ergo Filius in dilectione qua
eum dilexit Pater, & ideo servavit præcepta ejus.
Psal. 3. 4. Quid est enim & ille homo, nisi quòd Deus susce- B
ptor est ejus? Deus enim erat Verbum, Unigenitus
gignenti coæternus: sed ut mediator daretur nobis,
per ineffabilem gratiam Verbum caro factum est,
& habitavit in nobis.

TRACTATUS LXXXIII.

In hæc verba, Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

Iohan. 15. 11. 1. AUDISTIS Carissimi Dominum dicen-
tem discipulis suis, *Hæc locutus sum vo-
bis, ut gaudium meum in vobis sit, & gau-
dium vestrum impleatur.* Quid est gaudium Christi in
nobis, nisi quòd dignatur gaudere de nobis? Et
quid est gaudium nostrum quod dicit implendum,
nisi ejus habere consortium? Propter quod beato
Johan. 13. 8. Petro dixerat, Si non lavero te, non habebis partem
mecum. Gaudium ergo ejus in nobis, gratia est D
a quam præstitit nobis: [a] ipsa est & gaudium nostrum.
Sed de hac ille etiam ex æternitate gaudebat, quan-
Ephes. 1. 4. do nos elegit ante constitutionem mundi. Nec re-
ctè possumus dicere quòd gaudium ejus plenum
non erat: non enim Deus imperfectè aliquando
gaudebat. Sed illud ejus gaudium in nobis non erat:
quia nec nos in quibus esse posset, jam eramus; nec
quando esse cœpimus, cum illo esse cœpimus. In
ipso autem semper erat, qui nos suos futuros cer-
tissima suæ præscientiæ veritate gaudebat. Proinde E
gaudium jam ipse perfectum de nobis habebat,
quando nos præsciendo & prædestinando gaude-
bat: neque enim ullus in illo ejus gaudio metus esse
poterat, ne fortè non fieret quod se facturum esse
præsciebat. Sed neque cùm id facere cœpit, quod
se facturum esse præscivit, gaudium ejus, quo bea-
tus est, crevit: alioqui beatior factus est, quia nos
fecit. Absit hoc, Fratres: Dei beatitudo quia nec
minor fuerat sine nobis, non fit major ex nobis.
Gaudium igitur ejus de salute nostra, quod in illo F
semper fuit cùm præscivit & prædestinavit nos, cœ-
pit esse in nobis quando vocavit nos: & hoc gau-
dium meritò nostrum dicimus, quo & nos beati
futuri sumus: sed hoc gaudium nostrum crescit &
proficit, & ad suam perfectionem perseverando
pertendit. Ergo inchoatur in fide renascentium,
implebitur in præmio resurgentium. Ecce unde di-
ctum existimo, *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium
meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur: in
vobis sit* meum; *impleatur* vestrum. Semper enim G
erat meum plenum, & antequam vocaremini, cùm
vocandi à me præsciremini, sed fit & in vobis, cùm
hoc efficimini quod præscivi de vobis. *Impleatur*
autem *vestrum*: quia beati eritis, quod nondum
estis; sicut creati estis qui non fuistis.
Johan. 15. 12. 2. *Hoc est*, inquit, *præceptum meum, ut diligatis*

invicem, sicut dilexi vos. Sive dicatur præceptum,
sive mandatum, ex uno verbo Græco utrumque
interpretatur, quod est ἐντολή. Jam verò istam sen-
tentiam & antea dixerat, de qua me vobis, ut potui, Suprà
disputasse meminisse debetis. Ibi enim sic ait, Man- Tract. 65. Iohan. 13.
datum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut 34.
dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. Hujus itaque
mandati repetitio, commendatio est: nisi quod ibi,
Mandatum, inquit, novum do vobis; hîc autem,
Hoc est, inquit, *mandatum meum*: ibi, tamquam
non fuerit antè tale mandatum; hîc, tamquam
non sit aliud ejus mandatum. Sed ibi dictum est no-
vum, ne in vetustate nostra perseveremus: hîc di-
ctum est *meum*, ne contemnendum putemus.

3. Quod autem hîc ita dixit, *Hoc est mandatum
meum*, velut non sit aliud, quid putamus, Fratres
mei, numquidnam solum ejus de ista dilectione
mandatum est, qua diligimus invicem? Nonne est
& aliud majus, ut diligamus Deum? Aut verò de
sola Deus nobis dilectione mandavit, ut alia non
requiramus? Tria certè commendat Apostolus di-
cens, Manent autem fides, spes, caritas, tria hæc: 1. Cor. 13. 13.
major autem horum caritas. Et si in caritate, hoc
est in dilectione concluduntur duo illa præcepta;
major tamen dicta est esse, non sola. De fide igitur
nobis quàm multa mandata sunt, quàm multa de
spe, quis potest cuncta colligere, quis enumeran-
do sufficere? Sed intueamur quod ait idem Apo-
stolus, Plenitudo Legis caritas. UBI ergo CARI- Rom. 13. 10.
TAS EST, quid est quod possit deesse? Ubi autem 3. Sent. dist. 36. c. 1.
non est, quid est quod possit prodesse? Dæmon Iacobi 2. 19.
credit, nec diligit: nemo diligit, qui non credit.
Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam
qui non diligit: nemo autem potest desperare qui
diligit. Itaque ubi dilectio est, ibi necessariò fides
& spes: & UBI DILECTIO PROXIMI, ibi
necessariò etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit
Deum, quomodo diligit proximum tamquam seip-
sum; quandoquidem non diligit & seipsum? Est
quippe impius & iniquus: qui autem diligit iniqui- Psal. 10. 6.
tatem, non planè diligit, sed odit animam suam.
Hoc ergo præceptum Domini teneamus, ut nos
invicem diligamus; & quidquid aliud præcepit,
[b] faciemus: quoniam quidquid est aliud hîc habe- b
mus. Discernitur quippe ista dilectio ab illa dile-
ctione qua se invicem diligunt homines sicut homi-
nes: nam ut discerneretur, adjunctum est, *sicut di-
lexi vos.* Ut quid enim diligit nos Christus, nisi ut
regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo & nos
invicem diligamus, ut dilectionem nostram discer-
namus à ceteris, qui non ad hoc se invicem diligunt,
quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum
Deum diligunt, ipsi se diligunt: ergo ut se diligant,
Deum diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus
hominibus: pauci se propterea diligunt, ut sit Deus 1. Cor. 15.
omnia in omnibus. 28.

TRACTATUS LXXXIV.

In illud, Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

1. PLENITUDINEM dilectionis qua nos
invicem diligere debemus, Fratres ca-
rissimi, definivit Dominus dicens, *Ma-* Iohan. 15.
jorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam 13.
ponat quis pro amicis suis. Quia ergo superiùs dixe-
rat, Hoc est mandatum meum, ut diligatis invi- v. 12.

[a] Editi, *ipse est*. At MSS. *ipsa est*.

[b] Ita Lov. Editi verò alii & plerique MSS. *faciamus*.

cem, sicut dilexi vos: quibus verbis addidit quod A
nunc audistis, *Majorem hac dilectionem nemo habet,
ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: fit ex
hoc consequens, quod idem iste Evangelista Jo-
1. Iohan. 3. 16. hannes in Epistola sua dicit, Ut quemadmodum
Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos
debeamus pro fratribus animas ponere: diligentes
utique invicem sicut ipse dilexit nos, qui pro nobis
animam suam posuit. Nimirum hoc est quod legi-
Prov. 23. 1. & 2. tur in Proverbiis Salomonis, Si sederis cœnare ad
» mensam potentis considerans intellige quæ appo- B
» nuntur tibi; & sic mitte manum tuam, sciens quia
» talia te oportet præparare. Nam quæ mensa est
potentis, nisi unde sumitur corpus & sanguis ejus,
qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est ad
eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est
considerare & intelligere quæ apponuntur tibi, nisi
dignè tantam gratiam cogitare? Et quid est sic mit-
tere manum, ut scias quia talia te oportet præpara-
re, nisi quod jam dixi, quia sicut pro nobis Chri-
stus animam suam posuit, sic & nos debemus ani- C
mas pro fratribus ponere? Sic ut enim ait etiam
1. Pet. 2. 21. apostolus Petrus, Christus pro nobis passus est, re-
linquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia
ejus. Hoc est talia præparare. Hoc beati Martyres
ardenti dilectione fecerunt: quorum si non inani-
ter memorias celebramus, atque in convivio quo
& ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedi-
mus, oportet, ut quemadmodum ipsi, & nos talia
Pro Martyribus non oratur. præparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non
sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui D
in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed
magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhærea-
mus: quia impleverunt ipsi caritatem, qua Domi-
nus dixit non posse esse majorem. Talia enim suis
fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa
pariter acceperunt.

2. Neque hoc ita dictum sit, quasi propterea
Domino Christo pares esse possimus, si pro illo us-
que ad sanguinem martyrium duxerimus. Ille pote-
Iohan. 10. 18. statem habuit ponendi animam suam, & iterum su- E
mendi eam: nos autem nec quantum volumus vi-
vimus, & morimur etiamsi nolumus: ille moriens
mox in se occidit mortem, nos in ejus morte libe-
Act. 2. 31. ramur à morte: illius caro non vidit corruptionem,
nostra post corruptionem, in fine sæculi per illum
induetur incorruptionem: ille nobis non indiguit
ut nos salvos faceret, nos sine illo nihil possumus
facere: ille se nobis palmitibus præbuit vitem, nos
habere præter illum non possumus vitam? Postre-
mò etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in F
fraternorum peccatorum remissionem nullius san-
guis Martyris funditur, quod fecit ille pro nobis:
neque in hoc quid imitaremur, sed quid gratulare-
mur contulit nobis. Quatenus ergo Martyres pro
fratribus sanguinem suum fuderunt, hactenus talia
exhibuerunt, qualia de mensa Dominica percepe-
a runt. [a] In ceteris enim quæ dixi, quamvis nec om-
nia dicere potui, Martyr Christi longè impar est
Christo. Quòd si quisquam se, non dico poten-
tiæ Christi, sed innocentiæ comparabit; non di- G
cam & alienum se putando sanare, sed suum saltem
nullum habere peccatum: etiam sic avidior est
quàm ratio salutis exposcit, multum est ad illum,
non capit tantum. Et bene quod istâ proverbio-
rum sententiâ commonetur, quæ continuò sub-
Prov. 23. 3. jungit atque dicit, Quòd si avidior es, noli concu-

A piscere cibos ejus; satius est enim ut nihil inde su-
mas, quàm ut ubi plus quàm oportet assumas. Hæc Ibidem.
enim, inquit, vitam habent fallacem, hoc est hy-
pocrisim. Dicendo enim se sine peccato esse, ju-
stum non potest exhibere, sed fingere. Ideo di-
ctum est, Hæc enim habent vitam fallacem. Unus
est solus, qui & carnem hominis habere, & pec-
catum potuit non habere. Meritò quod sequitur,
nobis præcipitur, ac tali verbo atque proverbio
humana infirmitas convenitur, eique dicitur, Noli Ibidem 4.
B extendere te, cùm sis pauper, contra divitem. Di-
ves est enim qui nec hereditario nec proprio um-
quam debito obnoxius, & ipse justus est, & alios
justificat Christus. Noli contra eum te extendere,
in tantum pauper, ut remissionis peccatorum appa-
reas quotidianus in oratione mendicus. Tuo autem Ibidem.
consilio, inquit, abstine te. Unde, nisi à præsum-
tione fallaci? Ille quippe quia non tantùm est ho-
mo, sed etiam Deus, ideo numquam reus. Si enim Ibidem 5.
direxeris oculum tuum ad illum, nusquam parebit.
C Oculum tuum, oculum videlicet humanum quo
cernis humana, si direxeris ad illum, nusquam pa-
rebit: quia videri non potest, quemadmodum vi-
dere tu potes. Parabit enim sibi pennas sicut aqui- Ibidem.
læ, & vadet in domum præpositi sui: unde ad nos
utique venit, nec tales qualis venit invenit. Dili-
gamus ergo invicem, sicut & Christus dilexit nos, Galat. 2. 20.
& tradidit semetipsum pro nobis. *Majorem quippe
hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat
quis pro amicis suis.* Eumque sic imitemur piâ obe-
D dientiâ, ut ei nos comparare nullâ præsumamus au-
daciâ.

TRACTATUS LXXXV.

De eo quod dicit, Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Jam non dico vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus.

1. CUM Dominus Jesus commendasset ca-
ritatem, quam exhibuit nobis moriendo
pro nobis, atque dixisset, Majorem hac Iohan. 15.
dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat 13.
quis pro amicis suis: *Vos*, inquit, *amici mei estis, si* v. 14.
feceritis quæ ego præcipio vobis. Magna dignatio:
cùm servus bonus esse non possit, nisi præcepta do-
mini sui fecerit; hinc amicos suos voluit intelligi,
unde servi boni possunt probari. Sed, ut dixi, ista
dignatio est, ut dominus quos novit servos suos, di-
gnetur dicere amicos suos. Nam ut sciatis ad ser-
vorum officium pertinere præcepta domini sui fa-
F cere, alio loco servos utique objurgat dicens, Quid Luca 6. 46.
autem vocatis me, Domine, Domine, & non fa-
citis quæ dico? Cùm ergo dicitis, inquit, Domi-
ne, jussa faciendo quid dicatis ostendite. Nonne
servo obedienti ipse dicturus est, Euge serve bone, Matth. 25. 21.
quia in paucis fuisti fidelis, supra multa te consti-
tuam, intra in gaudium Domini tui? Potest igitur
esse servus & amicus, qui servus est bonus.

2. Sed quod sequitur adtendamus. *Iam non di-* Iohan. 15. 15.
co vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus
G *ejus.* Quomodo ergo intellecturi sumus, & servum
& amicum esse servum bonum, cùm dicat, *Iam
non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat do-
minus ejus?* Ita nomen constituit amici, ut auferat
servi: non ut in uno utrumque maneat, sed ut al-
terum altero decedente succedat. Quid est hoc?
Itane cùm præcepta Domini fecerimus, servi non

[a] Hîc sex MSS. addunt, *Imitari quis morientem potuit, nemo autem potuit redimentem*; id tres alii referunt proximè antè *Quod si quisquam*.

crimus? Itane tunc servi non erimus, quando boni servi fuerimus? Et quis contradicere potest veritati quæ ait, *Iam non dico vos servos?* Et cur hoc dixerit, docet: *Quia servus*, inquit, *nescit quid faciat dominus ejus.* Numquidnam servo bono & probato dominus ejus non etiam secreta sua committit? Quid est ergo quod ait, *Servus nescit quid faciat dominus ejus?* Verùm, esto, *nescit quid faciat*: numquid nescit etiam quid præcipiat? Nam & si hoc nescit, quomodo servit? Aut quomodo servus est, qui non servit? Et tamen Dominus loquitur, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dico vos servos.* O rem mirabilem! Cùm servire non possimus, nisi præcepta Domini fecerimus, quomodo præcepta faciendo servi non erimus? Si servus non ero præcepta faciendo, & nisi præcepta fecero, servire non potero: ergo serviendo servus non ero.

3. Intelligamus, Fratres, intelligamus, & hoc in nobis Dominus faciat ut intelligamus, faciat etiam ut intellecta faciamus. Hoc autem si scimus, profectò scimus quod facit Dominus; quia nos ipsos tales non facit nisi Dominus, & per hoc ad ejus amicitiam pertinemus. Sicut enim duo sunt timores, qui faciunt duo genera timentium: sic duæ sunt servitutes, quæ faciunt duo genera servorum. Est timor quem perfecta caritas foras mittit, & est alius timor castus permanens in sæculum sæculi. Illum timorem qui non est in caritate, adtendebat Apostolus, cùm dicebat, Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore. Illum autem timorem castum adtendebat, cùm dicebat, Noli altum sapere, sed time. In illo timore quem foras caritas mittit, est etiam servitus simul foras cum ipso timore mittenda: utrumque enim junxit Apostolus, hoc est servitutem & timorem, dicendo, Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore. Ad hanc servituтem servum pertinentem intuebatur & Dominus dicens, *Iam non dico vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus.* Non utique ille servus pertinens ad timorem castum, cui dicitur, Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui: sed ille servus pertinens ad timorem foras à caritate mittendum, de quo alibi dicit, Servus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Quoniam itaque dedit nobis potestatem filios Dei fieri, non servi, sed filii simus: ut miro quodam & ineffabili, sed tamen vero modo, servi non servi esse possimus; servi scilicet timore casto, ad quem pertinet servus intrans in gaudium domini sui; non servi autem timore foras mittendo, ad quem pertinet servus non manens in domo in æternum. Ut autem tales servi non servi simus, Dominum facere sciamus. Hoc autem servus ille nescit, [a] qui nescit quid faciat Dominus ejus; & cùm aliquid boni facit, sic extollitur quasi hoc ipse faciat, non Dominus ejus; & in se, non in Domino gloriatur, cùm se ipse deceperit, quia sic gloriatur, quasi non acceperit. Nos autem, carissimi, ut amici Domini esse possimus, quid noster Dominus faciat sciamus. Non solùm enim homines, verùm etiam justos ipse facit nos, & non ipsi nos. Et ut hoc sciamus, quis nisi ipse facit? Non enim spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ab ipso quidquid boni est, donatur. Ergo quia & hoc bonum est, AB IPSO UTIQUE DONATUR, ut sciatur, à quo bonum omne donetur: ut omnino de omnibus bonis, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quod verò sequitur, *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, ita est profundum, ut nullo modo sit isto sermone coartandum, sed in alium differendum.

Servitus perinde ac Timor duplicis generis.

1. *Ioh.* 4. 18.
Psal. 18.10.
Rom. 8. 15.
Rom. 11. 20.
Matth. 25. 21.
Iohan. 8. 35.
2. *Cor.* 10. 17.
1. *Cor.* 4. 7.
1. *Cor.* 2. 12.
1. *Cor.* 1. 31.
Iohan. 15. 15.

[a] In plerisque MSS. non habetur, *qui nescit.*

TRACTATUS LXXXVI.

De eo quod Dominus ait, Vos autem dixi amicos: *usque ad id*, Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

1. MERITO quæritur quomodo accipiendum sit quod ait Dominus, *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Quis enim audeat affirmare vel credere, ullum hominum scire omnia quæcumque à Patre audivit unigenitus Filius: quando ne hoc quidem quisquam capit, quomodo à Patre audiat ullum verbum, cùm ipse sit Patris unicum Verbum? Quid quod aliquantò pòst, in hoc ipso tamen sermone, quem post cœnam ante passionem ad discipulos habuit, Multa, inquit, habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò? Quo igitur pacto intellecturi sumus omnia eum nota fecisse discipulis, quæcumque audivit à Patre, cùm propterea quædam multa non dicat, quia scit eos modò portare non posse? Sed nimirum quod facturus est, fecisse se dicit, qui ea quæ futura sunt fecit. Sicut enim dicit per Prophetam, Foderunt manus meas & pedes meos; nec ait, fossuri sunt; velut præterita dicens, & ea tamen futura prædicens: ita & hoc loco ait, omnia se nota fecisse discipulis, quæ se novit nota esse facturum in illa plenitudine scientiæ, de qua dicit Apostolus, Cùm autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur. Ibi quippe dicit, Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum: & nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nam & ipse Apostolus salvos nos dicit esse factos per lavacrum regenerationis: qui tamen alio loco, Spe, inquit, salvi facti sumus, spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. Unde etiam ejus coapostolus Petrus, In quem modò, inquit, non videntes creditis; quem cùm videritis, exsultabitis gaudio inenarrabili & honorato, percipientes mercedem fidei, salutem animarum vestrarum. Si ergo nunc tempus est fidei, salus autem animarum merces est fidei; quis dubitet in fide quæ per dilectionem operatur peragendum diem, atque in fine diei recipiendam esse mercedem, non solùm redemtionem corporis nostri, de qua dicit apostolus Paulus; verùm etiam salutem animarum nostrarum, de qua dicit apostolus Petrus? Utriusque enim rei felicitas isto tempore atque in hac mortalitate in spe potiùs habetur, quàm in re tenetur. Verùm hoc interest, quòd exterior noster homo, id est, corpus adhuc corrumpitur: interior autem, id est, anima jam renovatur de die in diem. Itaque sicut immortalitatem carnis & salutem animarum futuram exspectamus, quamvis jam pignore accepto salvi facti esse dicamur: ita omnium notitiam quæcumque Unigenitus audivit à Patre, futuram sperare debemus, quamvis hoc jam se fecisse dixerit Christus.

1. *Cor.* 13. 10.
Tit. 3. 5.
Rom. 8. 24. & 25.
1. *Pet.* 1. 8. & 9.
Galat. 5. 6.
2. *Cor.* 4. 16.

2. *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego vos elegi.* HÆC EST ILLA INEFFABILIS GRATIA. Quid enim eramus quando Christum nondum elegeramus, & ideo non diligebamus? Nam qui eum non elegit, quomodo diligit? Numquid jam in nobis erat quod in Psalmo canitur, Elegi abjectus esse in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum? Non utique. Quid ergo eramus, nisi iniqui & perditi? Neque enim jam credideramus in eum, ut eligeret nos: nam si jam credentes elegit, [a] electus elegit. Cur ergo diceret, *Non vos me elegistis*, nisi quia misericordia ejus prævenit nos? Hîc certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, & ideo dicunt nos electos ante mundi constitutionem, quia præscivit nos Deus futuros bonos, non seipsum nos facturum bonos. Non hoc dicit, qui dicit, *Non vos me elegistis.* Quoniam si propterea nos elegisset, quia bonos futuros esse nos præsciverat; simul etiam præsciisset quòd eum nos fuissemus priùs electuri. Non enim aliter esse possemus boni: nisi fortè dicendus est bonus qui non elegit bonum. Quid ergo elegit in non bonis? Non enim electi sunt quia boni fuerunt, qui boni non essent nisi electi essent. Alioquin GRATIA JAM NON EST GRATIA, si præcessisse contendimus merita. Hæc quippe electio gratiæ est, de qua dicit Apostolus, Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Unde subjungit, Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Audi ingrate, ingrate audi: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Non est ut dicas, Ideo electus sum, quia jam credebam. Si enim credebas in eum, jam elegeras eum. Sed audi: *Non vos me elegistis.* Non est ut dicas, Antequam crederem, jam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem, cùm dicat Apostolus, Omne quod non est ex fide, peccatum est? Quid ergo dicturi sumus audiendo, *Non vos me elegistis*: nisi quia mali eramus & electi sumus, ut boni per gratiam nos eligentis essemus? Non est enim gratia, si præcesserant merita: est autem gratia: hæc igitur non invenit, sed effecit merita.

3. Et videte Carissimi, quemadmodum non eligat bonos, sed quos elegit, faciat bonos. *Ego*, inquit, *elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Nonne iste est fructus de quo jam dixerat, Sine me nihil potestis facere? Elegit ergo, & posuit ut eamus, & fructum afferamus: nullum itaque fructum unde nos eligeret habebamus. *Vt eatis*, inquit, *& fructum afferatis.* Imus ut afferamus, & ipse est via qua imus, in qua nos posuit ut eamus. Proinde in omnibus misericordia ejus prævenit nos. *Et fructus*, inquit, *vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Maneat ergo dilectio, ipse est enim fructus noster. Quæ dilectio nunc est in desiderio, nondum in saturitate: & ipso desiderio quodcumque petierimus in nomine unigeniti Filii, dat nobis Pater. Quod autem accipere salvandis non expedit nobis, non existimemus nos petere in nomine Salvatoris: sed hoc petimus in nomine Salvatoris, quod pertinet ad rationem salutis.

Iohan. 15. 16.
Psal. 83. 11.
Psal. 58. 11.
Ephes. 1. 4.
Rom. 11. 5.
Ibidem 6.
Rom. 14. 23.
Iohan. 15. 16.
v. 5.

[a] Libri omnes, *electos elegit*; excepto uno Remigiensi MS. qui habet, *electus elegit*: hanc vero lectionem conjecturâ assecuti fuerant Lovanienses.

TRACTATUS LXXXVII.

De eo quod dicit Iesus, Hæc mando vobis, ut diligatis invicem: *usque ad id*, Sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

1. IN lectione Evangelica quæ hanc antecedit, dixerat Dominus, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat, ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. De quibus verbis jam nos quod Dominus dedit, disseruisse meministis. Hîc autem dicit, sequenti scilicet lectione, quam modò cùm recitaretur, audistis, *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Ac per hoc intelligere debemus hunc esse fructum nostrum de quo ait, Ego vos elegi ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et quod adjunxit, Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis: tunc utique dabit nobis, si diligamus invicem; cùm & hoc ipsum ipse dederit nobis, qui nos elegit non habentes fructum, quia non eum nos elegeramus; & posuit nos ut fructum afferamus, hoc est, invicem diligamus: quem fructum sine illo habere non possumus, sicut palmites facere sine vite nihil possunt. Caritas ergo est fructus noster, quam definit Apostolus, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Hac diligimus invicem, hac diligimus Deum. Neque enim vera dilectione diligeremus invicem, nisi diligentes Deum. Diligit enim unusquisque proximum tamquam seipsum, si diligit Deum: nam si non diligit Deum, non diligit seipsum. In his enim duobus præceptis caritatis, tota Lex pendet & Prophetæ. hic est fructus noster. De fructu itaque nobis mandans, *Hæc mando*, inquit, *vobis, ut diligatis invicem.* Unde & apostolus Paulus, cùm contra opera carnis commendare fructum spiritûs vellet, à capite hoc posuit, Fructus, inquit, spiritûs caritas est: ac deinde cetera tamquam ex isto capite exorta & religata contexuit, quæ sunt, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Quis autem bene gaudet, qui bonum non diligit unde gaudet? Quis pacem veram nisi cum illo potest habere quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono perseveranter [b] manendo, nisi ferveat diligendo? Quis est benignus, nisi diligat cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide quæ per dilectionem operatur? Quis utiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet unde turpatur, nisi diligat unde honestatur? Meritò itaque magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tamquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cetera bona, & quæ non potest haberi sine ceteris bonis, quibus homo efficitur bonus.

2. Pro hac autem dilectione patienter debemus etiam mundi odia sustinere. Necesse est enim ut nos oderit, quos cernit nolle quod diligit. Sed plurimùm nos de seipso Dominus consolatur, qui cùm dixisset, *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem:* adjecit, atque ait, *Si mundus vos odit, scitote quoniam me priorem vobis odio habuit.* Cur ergo se membrum supra verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite. *Si de*

Iohan. 15. 18.
v. 19.

[b] Germanensis MS. *perseveranter tenendo.*

mundo, inquit, *essetis*, *mundus quod suum erat diligeret*. Universæ utique hoc dicit Ecclesiæ, quam plerumque etiam ipsam mundi nomine appellat: sicut
2. Cor. 5. 19. est illud, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Itemque illud, Non venit filius hominis
Johan. 3. 17. ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Et in Epistola sua Johannes ait, Advocatum
1. Johan. 2. 1, & 2. » habemus ad Patrem Jesum Christum justum, & ipse » propitiator est peccatorum nostrorum; non tan- » tùm nostrorum, sed etiam totius mundi. Totus ergo mundus Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum.

3. Sed iste mundus quem Deus in Christo reconciliat sibi, & qui per Christum salvatur, & cui per Christum peccatum omne donatur, de mundo electus est inimico, damnato, contaminato. Ex ea
Rom. 9. 21. &c. quippe massa quæ tota in Adam periit, fiunt vasa misericordiæ, in quibus est mundus pertinens ad reconciliationem: quem mundus odit, ex eadem massa pertinens ad vasa iræ, quæ perfecta sunt ad
Johan. 15. 19. perditionem. Denique cùm dixisset, *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret:* continuò subjecit, *Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ergo & ipsi inde erant, unde ut non essent, electi sunt inde, non meritis suis, quorum nulla bona præcesserant opera; non naturâ, quæ tota fuerat per liberum arbitrium in ipsa radice vitiata: sed gratuitâ, hoc est verâ gratiâ. Qui enim de mundo mundum elegit, fecit quod eligeret, non invenit: quia reli-
Rom. 11. 5. & 6. » quiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si au- » tem gratia, inquit, jam non ex operibus: alioquin » gratia jam non est gratia.

4. Si autem quæratur quomodo se diligat mundus perditionis, qui odit mundum redemtionis: diligit se utique falsa dilectione, non vera. Proinde
Psal. 10. 6. falsò se diligit, & verè odit. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Sed diligere se dicitur, quoniam iniquitatem qua iniquus est diligit: & rursus odisse se dicitur, quoniam quod ei nocet, hoc diligit. Odit ergo in se naturam, diligit vitium: odit quod factus est per Dei bonitatem, diligit quod in eo factum est per liberam voluntatem. Unde nos quoque illum diligere & prohibemur, si rectè intelligimus, & jubemur: prohibemur scilicet,
1. Johan. 2. 15. ubi nobis dicitur, Nolite diligere mundum: jube-
Luca 6. 27. mur autem, ubi nobis dicitur, Diligite inimicos vestros. Ipsi sunt mundus qui nos odit. Ergo & prohibemur diligere in illo quod ipse diligit in seipso, & jubemur diligere in illo quod ipse odit in seipso, Dei scilicet opificium, & diversas bonitatis suæ consolationes. Vitium quippe in illo diligere prohibemur, jubemurque diligere naturam, cùm ipse in se diligat vitium, oderitque naturam: ut nos eum & diligamus & oderimus rectè, cùm se ipse diligat oderitque perversè.

TRACTATUS LXXXVIII.

De eo quod ait Jesus, Mementote sermonis mei, &c. *usque ad id*, Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.

1. EXHORTANS Dominus servos suos ad mundi odia perferenda patienter, nullum majus eis & melius quàm de seipso propo-

A nit exemplum: quoniam, sicut dicit Apostolus Petrus, Christus pro nobis passus est, relinquens nobis
1. Petri 2. 21. exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Quod utique
Johan. 15. 5. si facimus, ipso adjuvante facimus, qui dixit, Sine me nihil potestis facere. Denique quibus jam dixerat, Si odit vos mundus, scitote quia me priorem
v. 18. vobis odio habuit: & nunc in eo quod audistis, cùm
v. 20. legeretur Evangelium, *Mementote*, inquit, *sermonis mei, quem ego dixi vobis, Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur:*
B *si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.* Dicendo autem, *Non est servus major domino suo*, nonne evidenter ostendit quemadmodum intelligere debeamus quod superiùs dixerat, Jam non dico vos servos? Ecce enim eos servos dicit. Nam quid est aliud, *Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur?* Manifestum
v. supra Tract. 85. n. 3. est igitur illum servum, qui non manet in domo in
Johan. 8 35. æternum, illum pertinentem ad timorem quem
1. Johan. 4. 18. foras caritas mittit, esse intelligendum, ubi dictum
C est, Jam non dico vos servos: hîc autem ubi dicitur, *Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur*, illum significari servum pertinentem ad timorem castum, qui permanet in sæcu-
Psal. 18. 10. lum sæculi. Hic enim servus est auditurus, Euge
Matth. 25. 21. serve bone, intra in gaudium domini tui.

2. *Sed hæc*, inquit, *omnia facient vobis propter*
Johan. 15. 21. *nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.* Quæ *omnia facient*, nisi quæ dixit, odio habebunt scilicet, & persequentur, sermonemque contemnent. Quoniam si sermonem non servarent eorum, nec tamen odissent eos, neque persequerentur, vel etiamsi odissent, nec tamen persequerentur: non omnia facerent. *Hæc* autem *omnia facient vobis propter nomen meum*, quid est aliud dicere, quàm me in vobis odio habebunt, me in vobis persequentur, & sermonem vestrum, quia meus est, ideo non servabunt? *Hæc* enim *omnia facient vobis propter nomen meum:* non vestrum, sed *meum*. Tantò igitur miseriores, qui propter hoc nomen ista faciunt, quantò beatiores, qui propter hoc nomen ista patiuntur: sicut ipse alio loco dicit, Beati qui perse-
Matth. 5. 10. cutionem patiuntur propter justitiam. Hoc est enim propter me, vel *propter nomen meum:* quia, sicut Apostolus docet, Factus est nobis sapientia à Deo,
1. Cor. 1. 30. & 31. & justitia, & sanctificatio, & redemtio, ut quem- « admodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino « glorietur. Faciunt quippe ista mali malis; sed non propter justitiam: & ideo miseri utrique, & qui faciunt, & qui patiuntur. Faciunt & boni malis: ubi
F etsi faciunt isti propter justitiam, non tamen illi propter justitiam patiuntur.

3. Sed dicit aliquis, Si mali quando persequuntur bonos propter nomen Christi, propter justitiam boni patiuntur, profectò propter justitiam hæc eis mali faciunt: quod si ita est, ergo & quando boni malos propter justitiam persequuntur, propter justitiam etiam mali patiuntur. Si enim possunt mali persecutionem facere bonis propter nomen Christi, cur non possunt mali persecutionem pati à
G bonis propter nomen Christi; & quid est, nisi propter justitiam? Nam si non propter quod boni faciunt, propter hoc mali patiuntur, quia faciunt boni propter justitiam, patiuntur mali propter injustitiam: nec mali ergo propter hoc possunt facere propter quod boni patiuntur, quia faciunt mali propter injustitiam, patiuntur boni propter justitiam. Quomodo ergo erit verum, *Hæc omnia fa-*

cient vobis propter nomen meum: cùm illi non propter A nomen Christi faciant, id est, non propter justitiam, sed propter iniquitatem suam? Hæc quæstio ita solvitur, si eo modo intelligamus dictum, *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum*, ut totum referatur ad justos, tamquam dictum sit, Hæc omnia patiemini ab eis propter nomen meum: ut hoc sit, *facient vobis*, quod est, patiemini ab eis. Si autem *propter nomen meum* sic accipitur, tamquam diceret, propter nomen meum quod in vobis oderunt; a [ita potest accipi, & propter justitiam quam B in vobis oderunt,] ac per hoc boni cùm persecutionem faciunt malis, possunt rectè dici & propter justitiam facere, quam diligendo persequuntur malos; & propter iniquitatem, quam oderunt in ipsis malis: ita ergo & ipsi mali possunt dici pati, & propter iniquitatem quæ in illis punitur, & propter justitiam quæ in eorum pœna exercetur.

4. Item quæri potest, si etiam mali faciunt persecutionem malis, sicut impii reges & judices, cùm essent persecutores piorum, utique & homicidas, & adulteros, & quoscumque maleficos, quos contra leges publicas fecisse cognoscerent, puniebant; quomodo intelligendum est quod ait Dominus, Si
Johan. 15. 19. de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Neque enim quos punit diligit mundus, à quo videmus supradicta scelerum genera plerumque puniri: nisi quia mundus est in eis à quibus talia scelera puniuntur, & mundus est in eis à quibus talia scelera diliguntur. Mundus itaque ille qui intelligitur in malis atque impiis, & odit quod suum est, ex ea D parte hominum qua sceleratis nocet; & diligit quod suum est, ex ea parte hominum qua eisdem ipsis consceleratis favet. Ergo *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum*, vel ita dictum est, propter quod vos patimini; vel ita, propter quod & ipsi faciunt: quia & hoc in vobis dum persequuntur, oderunt. Et addidit, *Quia nesciunt eum qui misit me.* Hoc secundùm eam scientiam dictum intelligendum est,
Sap. 6. 16. de qua & alibi scriptum est, Scire autem te, sensus est consummatus. Hac quippe scientiâ qui sciunt E Patrem à quo missus est Christus, nullo modo persequuntur eos quos colligit Christus: quia & ipsi cum eis colliguntur à Christo.

TRACTATUS LXXXIX.

De eo quod dicit Dominus, Si non venissem, & locutus eis fuissem: *usque ad id*, Qui me odit, & Patrem meum odit.

1. SUPERIUS dixerat Dominus ad discipulos F
Johan. 15. 20. &c. suos, Si me persecuti sunt, & vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt: sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. De quibus autem hoc dixerit si quæramus, invenimus eum ad hæc verba venisse ab eo quod di-
v. 18 xerat, Si mundus vos odit, scitote quia me prio-
v. 22. rem vobis odio habuit: nunc verò quòd addidit, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*, Judæos ostendit expressiùs. De his ergo & G illa dicebat; nam hoc indicat verborum ipsa contextio. De his enim dicit, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*, de quibus dicebat, Si me persecuti sunt, & vos persequentur; si » sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt: sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me: his enim
v. 24 verbis & ista subjungit, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Judæi ergo persecuti sunt Christum, quod evidentissimè indicat Evangelium: Judæis locutus est Christus, non aliis gentibus: in eis ergo voluit intelligi mundum, qui odit Christum & discipulos ejus: immo verò non in eis solis, sed hos quoque ad eumdem mundum pertinere monstravit. Quid est ergo, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent?* Numquid sine peccato erant Judæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata: hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non utique haberent. Adventus quippe ejus quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitiabilis factus est: tamquam & ipse caput & princeps Apostolorum, quod de se ipsi dixerunt, exstiterit quibusdam quidem odor vitæ in vitam,
2. Cor. 2. 16. quibusdam verò odor mortis in mortem.

2. Sed quod adjunxit, atque ait, *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, potest movere quærentes, utrùm hi ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo. Si enim non habent, cur hîc dictum est, propterea istos non habere, quia venit & locutus est eis? Si autem habent, utrùm ad hoc habeant ut à pœnis alienentur, an ut mitiùs puniantur? Ad hæc inquisita pro meo captu, Domino donante, respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus. Sed non in eo sunt numero hi ad quos in discipulis venit, & quibus per discipulos est locutus, quod & nunc facit: nam per Ecclesiam suam venit ad gentes, & per Ecclesiam loquitur gentibus. Ad hoc enim pertinet quod ait, Qui
Matth. 10. 40. Luca 10. 16. vos recipit, me recipit: &, Qui vos spernit, me
2. Cor. 13. 3. spernit. An vultis, inquit apostolus Paulus, experimentum accipere ejus qui in me loquitur Christus?

3. Restat inquirere, utrùm hi qui priùs quàm Christus in Ecclesia veniret ad gentes, & priùs quàm Evangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi sunt seu præveniuntur, possint habere hanc excusationem? Possunt planè, sed non ideo possunt effugere damnationem. Quicumque enim
Rom. 2. 12. sine Lege peccaverunt, sine Lege & peribunt: & « quicumque in Lege peccaverunt, per Legem judi- « cabuntur. Quæ quidem Apostoli verba, quoniam id quod ait, peribunt, terribiliùs sonat quàm quod ait, judicabuntur; non solùm nihil adjuvare hanc excusationem videntur ostendere, verùm etiam plus gravare. Qui enim se quia non audierunt, excusabunt, sine Lege peribunt.

4. Sed utrùm hi qui cùm audirent, contemserunt, vel etiam restiterunt, nec tantùm contradicendo, sed & eos à quibus audierunt odiis persequendo, in eis deputandi sunt de quibus aliquid levius videtur sonuisse quod dictum est, per Legem judicabuntur, meritò quæritur. Sed si aliud est perire sine Lege, aliud judicari per Legem, & illud est gravius, hoc autem levius: procul dubio non

a MSS. plerique carent hisce verbis, *ita potest accipi & propter justitiam quam in vobis oderunt.*

ſunt iſti in hac pœna leviore ponendi; quia neque in Lege peccaverunt, ſed omnino Legem Chriſti accipere noluerunt, & eam quantum ad ipſos adtinet, omnino nullam eſſe voluerunt. Illi autem peccant in Lege qui ſunt in Lege, id eſt, qui eam ſuſcipiunt, eamque ſanctam, & mandatum ſanctum & juſtum & bonum fatentur; ſed infirmitate non implent, quod ab ea rectiſſimè præcipi dubitare non poſſunt. Hi ſunt qui aliquo modo forſitan poſſunt ab eorum, qui ſine Lege ſunt, perditione diſcerni: ſi tamen quod Apoſtolus ait, per Legem judicabuntur, ſic accipiendum eſt tamquam dixerit, non peribunt; quod mirum ſi ita eſt. Neque enim de infidelibus & fidelibus erat ſermo ut hoc diceret, ſed de gentibus & Judæis: qui certè utrique niſi in eo Salvatore ſalventur, qui venit quærere quod perierat, ad perditionem ſine dubio pertinebunt. Quamvis dici poſſit, alios graviùs, alios leviùs perituros, id eſt, alios graviores, alios leviores pœnas in ſua perditione paſſuros. Ille enim perire Deo dicitur, quiſquis ab illa beatitudine quam dat ſanctis ſuis, per ſupplicium ſeparatur: tanta eſt autem ſuppliciorum, quanta eſt diverſitas peccatorum; quæ quomodo ſe habeat, altiùs judicat ſapientia divina, quàm conjectura ſcrutatur aut effatur humana. Iſti certè ad quos venit, & quibus locutus eſt Chriſtus, non habent de magno infidelitatis peccato illam excuſationem, qua poſſint dicere, Non vidimus, non audivimus: ſive non acceptaretur iſta excuſatio ab illo cujus inſcrutabilia ſunt judicia, ſive acceptaretur, & ſi non ut ab omni damnatione liberarentur, certè ut aliquantò leniùs damnarentur.

Rom. 7. 12.

Luc. 19. 10.

Johan. 15. 23. *v.* 22. *v.* 21.

5. *Qui me odit*, inquit, *& Patrem meum odit.* Hîc nobis fortaſſe dicatur, Quis poteſt odiſſe quem neſcit? Et utique antequam diceret, Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent; dixerat diſcipulis ſuis, Hæc facient vobis, quia neſciunt eum qui miſit me. Quomodo ergo neſciunt & oderunt? Si enim non quod eſt ipſe, ſed neſcio quid aliud de illo opinantur: non utique ipſum, ſed illud inveniuntur odiſſe quod fingunt, aut errando potiùs ſuſpicantur. Et tamen niſi poſſent homines odiſſe quod neſciunt, non veritas utrumque dixiſſet, quia ejus Patrem & neſciunt & oderunt. Sed quomodo id fieri poſſit, ſi adjuvante Domino per nos demonſtrari poteſt; quia hæc diſputatio eſt jam claudenda, nunc non poteſt.

TRACTATUS XC.

In illud, Qui me odit, & Patrem meum odit.

Johan. 15. 23. *v.* 21.

1. AUDISTIS Dominum dicentem, *Qui me odit, & Patrem meum odit*, qui ſuperiùs dixerat, Hæc facient vobis, quia neſciunt eum qui miſit me. Non itaque diſſimulanda naſcitur quæſtio, quomodo poſſint odiſſe quem neſciunt. Si enim Deum non quod eſt ipſe, ſed neſcio quid aliud eum ſuſpicantur aut credunt, & hoc oderunt; utique non ipſum oderunt, ſed quod ſua mendaci ſuſpicione vel vana credulitate concipiunt: ſi autem quod eſt, hoc de illo ſentiunt, quomodo eum neſcire dicuntur? Et de hominibus quidem fieri poteſt, ut eos ſæpe quos numquam vidimus, diligamus: ac per hoc nec illud à contrario impoſſibile eſt, ut eos quos numquam vidimus, oderimus. Famâ quippe de aliquo ſermocinante ſeu bene ſeu malè, fit non immeritò ut amemus vel oderimus ignotum. Sed ſi fama ſit verax, quomodo eſt de quo vera didicimus, dicendus ignotus? An quia ejus faciem non vidimus? Quam cùm & ipſe non videat, nulli tamen poteſt notior eſſe quàm ſibi. Non igitur in ejus facie corporali nobis intimatur cujuſque notitia. Sed tunc nobis ad cognitionem patet, quando ejus mores & vita non latet. Alioquin nec ſeipſum noſſe quiſquam poteſt, qui videre faciem ſuam non poteſt. Sed utique tantò certiùs quàm notus eſt aliis ipſe ſe novit, quantò certiùs interiore conſpectu poteſt videre quod ſapit, videre quod cupit, videre quod vivit: quæ cùm aperiuntur & nobis, tunc verè fit cognitus nobis. Hæc itaque quoniam plerumque ad nos de abſentibus vel etiam mortuis, ſive famâ, ſive litteris perferuntur; hinc fit ut ſæpe quos numquam facie corporis vidimus, (non tamen quos omnino neſcimus,) vel oderimus homines, vel amemus.

2. Sed plerumque in eis noſtra credulitas fallitur: quia nonnumquam & hiſtoria, & multò magis fama mentitur. Pertinet autem ad nos ne pernicioſa opinione fallamur, ut quia non poſſumus hominum indagare conſcientiam, de ipſis rebus habeamus veram certamque ſententiam. Hoc eſt, ut ſi ille vel ille homo utrùm ſit impudicus pudicuſve neſcimus, oderimus tamen impudicitiam, & pudicitiam diligamus: & ſi illum vel illum injuſtum eſſe juſtumve neſcimus, amemus tamen juſtitiam, & injuſtitiam deteſtemur; non quas nobis ipſi errando confingimus, ſed quas fideliter, hanc appetendam, illamque vitandam in Dei veritate conſpicimus: ut cùm de ipſis rebus quod appetendum eſt appetimus, quod devitandum eſt devitamus, ignoſcatur nobis quod de occultis hominum aliquando, immo aſſiduè non vera ſentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, ſine qua duci iſta non poteſt vita, ita ut Apoſtolus diceret, Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Quid enim tam humanum quàm non poſſe inſpicere cor humanum; & ideo non ejus latebras perſcrutari, ſed plerumque aliud quàm id quod ibi agitur ſuſpicari? Quamquam & in his rerum tenebris humanarum, hoc eſt, cogitationum alienarum, etſi ſuſpiciones intelligere non poſſumus, quia homines ſumus; judicia tamen, id eſt, definitas firmaſque ſententias continere debemus, nec ante tempus quidquam judicare, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis; & tunc laus erit unicuique à Deo. Quando ergo non erratur in rebus, ut recta ſit improbatio vitiorum virtutumque probatio; profectò ſi erratur in hominibus, venialis eſt humana tentatio.

1. Cor. 10. 13.

1. Cor. 4. 5.

3. Per has autem humanorum cordium tenebras, res multùm miranda & multùm dolenda contingit, ut eum nonnumquam quem injuſtum putamus, & tamen juſtus eſt & juſtitiam in eo neſcientes diligimus, devitemus, averſemur, à noſtro prohibeamus acceſſu, communem cum illo vitam victumque habere nolimus; eumque etiam, ſi diſciplinæ imponendæ neceſſitas cogit, ſive ne aliis noceat, ſive ut fiat ipſe correctior, aſperitate ſalubri perſequamur; & hominem bonum tamquam malum affligamus, quem neſcientes amamus. Hoc fit, ſi quis, verbi gratiâ, cùm ſit pudicus, à nobis creditur impudicus. Sine dubio enim ſi pudicum diligo, hoc eſt ipſe quod diligo: ergo etiam ipſum diligo, & neſcio. Et ſi impudicum odi, non ergo ipſum odi; quia non eſt quod odi: & tamen dilecto meo,

meo, cum quo ſemper in caritate pudicitiæ habitat anima mea, facio ignarus injuriam, non errans in diſcretione virtutum atque vitiorum, ſed in cordium tenebris humanorum. Proinde ſicut fieri poteſt ut homo bonus hominem bonum oderit neſciens, vel potiùs diligat neſciens: (ipſum enim diligit cùm bonum diligit, quia id quod eſt ille, hoc iſte diligit;) oderit autem neſciens non ipſum, ſed quod putat eſſe ipſum: ita fieri poteſt ut etiam homo injuſtus hominem oderit juſtum, & dum æſtimat ſe ſui ſimilem injuſtum diligere, neſciens diligat juſtum; & tamen dum eum credit injuſtum, diligat non ipſum, ſed quod putat eſſe ipſum. Quemadmodum autem hominem, ſic & Deum. Denique ſi interrogarentur Judæi, utrùm diligerent Deum; quid ſe aliud quàm diligere reſponderent, nec ex animo mentientes, ſed errando potiùs opinantes? Quomodo enim diligerent Patrem veritatis, qui haberent odio veritatem. Nolunt enim ſua facta damnari, & hoc habet veritas ut talia facta damnentur: tantum igitur oderunt veritatem, quantum oderunt ſuas pœnas, quas talibus irrogat veritas. Neſciunt autem illam eſſe veritatem, quæ tales quales ipſi ſunt damnat: oderunt ergo quam neſciunt; & cùm illam oderunt, profectò & eum de quo nata eſt niſi odiſſe non poſſunt. Ac per hoc quia veritatem qua judicante damnantur, de Patre Deo natam neſciunt; utique etiam ipſum & neſciunt, & oderunt. O miſeros homines, qui cùm eſſe volunt mali, nolunt eſſe veritatem qua damnantur mali. Nolunt enim eam eſſe quod eſt, cùm ſeipſos debeant nolle eſſe quod ſunt; ut ipſa manente mutentur, ne ipſa judicante damnentur.

TRACTATUS XCI.

In hoc verba, Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, &c.

Johan. 15. 23. *v.* 24. *v.* 22.

1. DIXERAT Dominus, Qui me odit, & Patrem meum odit. Utique enim qui odit veritatem, neceſſe eſt oderit & à quo veritas nata eſt: unde jam quantum datum eſt, locuti ſumus. Deinde addidit unde nobis nunc loquendum eſt, *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Peccatum illud ſcilicet magnum, de quo & ſuperiùs ait, Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Hoc eſt peccatum quo in eum loquentem & operantem non crediderunt. Neque enim nullum habebant peccatum, antequam loqueretur eis, & operaretur in eis; ſed hoc peccatum quo in eum non crediderunt, ideo ſic commemoratur, quia ipſo peccato tenentur & cetera. Hoc enim ſi non haberent, & in eum crederent, dimitterentur & cetera.

3. Reg. 17. 21. *4. Reg.* 4. 35. *4. Reg.* 13. 21.

2. Sed quid eſt hoc quod cùm dixiſſet, *Si opera non feciſſem in eis*, mox addidit, *quæ nemo alius fecit?* Nulla quippe in operibus Chriſti videntur eſſe majora quàm ſuſcitatio mortuorum: quod ſcimus etiam antiquos feciſſe Prophetas. Fecit enim Elias, fecit Eliſæus & cùm in hac carne viveret & cùm in ſuo monumento ſepultus jaceret. Nam quidam portantes mortuum, cùm irruentibus hoſtibus eò refugiſſent, eumque ibi poſuiſſent, continuò reſurrexit. Fecit tamen aliqua Chriſtus, quæ nemo alius fecit: quod quinque millia hominum de quinque, & quatuor millia de ſeptem panibus pavit; quod ſuper aquas ambulavit, & Petro ut hoc faceret præſtitit; quod aquam mutavit in vinum; quòd aperuit oculos cæci nati, & alia multa quæ commemorare longum eſt. Sed reſpondetur nobis, & alios feciſſe quæ ipſe non fecit, & quæ nemo alius fecit. Quis enim niſi Moyſes Ægyptios plagis tot tantiſque percuſſit, diviſo mari populum duxit, manna de cælo eſurientibus mittravit, aquam de petra ſitientibus fudit? Quis niſi Jeſus Nave populo tranſituro Jordanis fluenta diviſit, & currentem ſolem emiſſa ad Deum oratione frenavit & fixit? Quis præter Samſon propter ſuam ſitim maxillâ mortui aſini exundante ſatiatus eſt? Quis præter Eliam curru igneo in alta ſubvectus eſt? Quis præter Eliſæum, quod paulò antè commemoravi, ſepulto ſuo cadavere, cadaver alterius reddidit vitæ? Quis præter Danielem inter ora incluſorum ſecum leonum eſurientium vixit innocuus? Quis præter tres viros, Ananiam, Azariam, Miſaëlem, in flammis ardentibus & non urentibus deambulavit illæſus?

Exod. 7. 20. *Exod.* 14. 21. *Exod.* 16. 35. *Exod.* 17. 6. *Joſ.* 4. 10. *Ioſ.* 10. 12. *Iudic.* 15. 19. *4. Reg.* 2. 11. *4. Reg.* 13. 21. *Dan.* 6. 22. *Dan.* 3. 93.

3. Prætereo cetera, quoniam hæc ſatis eſſe arbitror, quibus demonſtretur & aliquos ſanctos quædam opera miranda feciſſe, quæ nemo alius fecit. Sed qui tam multa vitia & malas valetudines vexationeſque mortalium tanta poteſtate ſanaret, nullus omnino legitur antiquorum. Ut enim taceantur quos jubendo, ſicut occurrebant, ſalvos ſingulos fecit: Marcus evangeliſta quodam loco ait, Veſpere autem facto cùm occidiſſet ſol, affebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes, & erat omnis civitas ad januam congregata, & curavit multos qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat. Id autem cùm commemoraſſet Matthæus, etiam teſtimonium propheticum addidit dicens: Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem, Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægritudines portavit. Item alio loco dicit Marcus, Et quocumque introibat in vicos, vel in villas, aut in civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent; & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant. Hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum eſt quod ait, *in eis*, non inter eos vel coram eis: ſed prorſus in eis, quia ſanavit eos. Hæc quippe intelligi voluit quæ non ſolùm facerent admirationem, verùm etiam manifeſtam conferrent ſalutem, pro quibus beneficiis utique amorem, non odium retribuere debuerunt. Omnia quidem ceterorum miracula ſuperat, quod eſt natus ex virgine, matriſque integritatem ſolus potuit nec conceptus violare nec natus: ſed hoc nec coram eis factum eſt, nec in eis. Ad cognoſcendam quippe hujus miraculi veritatem, non communi cum eis adſpectu, ſed diſcreto ab eis diſcipulatu Apoſtoli pervenerunt. Jam verò illud quod die tertia in carne in qua occiſus fuerat, de ſepulcro ſe reddidit vivum, & numquam deinde moriturus cum illa adſcendit in cælum, ſuperat etiam cuncta quæ fecit: ſed neque hoc factum eſt in Judæis, neque coram eis; & nondum hoc fecerat, quando dicebat, *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit.*

Marci 1. 32. *& ſeq.* *Matth.* 8. 17. *Iſai.* 53. 4. *Marci* 6. *& ſeq.* 56.

Matth. 14. 21. *& cap.* 15. 38. *Matth.* 14. 25 *&* 29. *Iohan.* 2. 9.

4. Nimirum ergo ſunt illa, quæ in eorum valetudinibus tanta miracula ſalutis oſtendit, quanta in illis antea nemo donavit: hæc enim viderunt, & hoc eis exprobrans adjungit, & dicit, **Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum:* **ſed ut adimpleatur ſermo qui in Lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis.* Eorum Le-

Iohan. 15. *v.* 24. *v.* 25. *Pſal.* 34. 19.

gem dicit, non ab ipsis inventam, sed ipsis datam: sicut dicimus, Panem nostrum quotidianum; quem tamen à Deo petimus, addendo, da nobis. Matth. 6. 11. Gratis autem odit, qui nullum ex odio commodum quærit, vel incommodum fugit: sic oderunt Dominum impii: sic diligunt justi, hoc est gratis, ut alia præter illum non exspectent bona, quoniam ipse erit in omnibus omnia. Quisquis verò altiùs adtenderit Christum dicentem, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit*, (sed hæc & si Pater aut Spiritus-sanctus fecit, nemo alius fecit, quia totius Trinitatis una substantia est:) inveniet ipsum fecisse, si quando quispiam Dei homo tale aliquid fecit. Potest quippe in seipso cuncta per seipsum: nemo autem potest aliquid sine ipso. Christus namque cum Patre & Spiritu-sancto, non sunt tres dii, sed unus Deus, de quo scriptum est, Benedictus Dominus Psal. 71. 18. Deus Israël, qui facit mirabilia solus. Nemo ergo alius fecit quæcumque opera in eis fecit: quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente fecit. Hæc autem ipse, non illis facientibus, fecit.

TRACTATUS XCII.

In hæc verba, Cùm autem venerit paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, &c.

1. DOMINUS Jesus in sermone, quem locutus est discipulis suis post cœnam proximus passioni, tamquam iturus & relicturus eos præsentiâ corporali, cum omnibus autem suis usque in consummationem sæculi futurus præsentiâ spiritali, exhortatus est eos ad perferendas persecutiones impiorum, quos mundi nomine nuncupavit: ex quo tamen mundo etiam ipsos discipulos se elegisse dixit, ut scirent se Dei gratiâ esse quod sunt, suis autem vitiis fuisse quod fuerunt. Deinde persecutores & suos & ipsorum Judæos evidenter expressit, ut omnino appareret etiam ipsos mundi damnabilis appellatione concludos, qui persequitur sanctos. Cumque de illis diceret, quòd ignorarent eum à quo missus est, & tamen odissent & Filium & Patrem, hoc est, & eum qui missus est, & eum à quo missus est, de quibus omnibus in aliis sermonibus jam disseruimus: ad hoc pervenit ubi ait, *Ut adimpleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Johan. 15. 25. Deinde tamquam consequenter adjunxit, unde modò v. 26. disputare suscepimus. *Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhi-* v. 27. *bebit de me:* * *& vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Quid hoc pertinet ad illud quod v. 24. fin. dixerat, *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum: sed ut impleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est, quia odio habuêrunt me gratis?* An quia paracletus quando venit Spiritus-veritatis, eos qui viderunt & oderunt, testimonio manifestione convicit? Immo verò etiam aliquos ex illis qui Galat. 5. 6. viderunt, & adhuc oderant, ad fidem quæ per dilectionem operatur, sui manifestatione convertit. Hoc ut ita intelligamus, ita factum esse recolimus. Venit enim die Pentecostes Spiritus-sanctus in centum-viginti homines congregatos, in quibus & Act. 2. 2. Apostoli omnes erant, qui illo adimpleti cùm linguis omnium gentium loquerentur, plures ex his qui [a] oderant, tanto miraculo stupefacti, (quandoquidem viderunt loquente Petro tam magnum atque divinum testimonium perhiberi de Christo, ut ille qui occisus ab eis inter mortuos deputabatur, resurrexisse & vivere probaretur) compuncti corde conversi sunt; & tanti sanguinis tam impiè atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redemti sanguine quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est. Hoc ergo intuens Dominus dicebat, *Odio habuerunt me gratis: cùm autem venerit paracletus, ille testimonium perhibebit de me*, tamquam diceret, Odio me habuerunt, & occiderunt videntes: sed tale de me paracletus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes.

2. *Et vos*, inquit, *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Perhibebit Spiritus-sanctus, perhibebitis & vos. Quia enim ab initio mecum estis, potestis prædicare quod nostis: quod ut modò non faciatis, illius Spiritûs plenitudo nondum adest vobis. *Ille ergo testimonium perhibebit de me, & vos perhibebitis*: dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi caritas Dei diffusa in cordi- Rom. 5. 5. bus vestris, per Spiritum-sanctum qui dabitur vobis. Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mu- Matth. 26. lieris ancillæ interrogatione perterritus, non po- 70. tuit verum testimonium perhibere; sed contra suam pollicitationem timore magno compulsus est ter- 1. Johan. 4. negare. Timor autem iste non est in caritate, sed 18. perfecta caritas foras mittit timorem. Denique ante passionem Domini, servilis timor ejus interrogatus est à femina servitutis; post resurrectionem verò Domini liberalis ejus amor ab ipso principe li- Johan. 21. bertatis: & ideo ibi turbabatur, hîc tranquillabatur; 15. ibi quem dilexerat negabat, hîc quem negaverat diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat & angustus, donec eum roboraret & dilataret Spiritus-sanctus. Qui postea quàm illi est abundantiâ gratiæ largioris infusus, sic ad perhibendum de Christo testimonium quondam ejus frigidum pectus accendit, atque illa priùs trepida quæ veritatem suppresserant, ora reseravit, ut cùm omnes in quos venerat Spiritus-sanctus, linguis omnium gentium loquerentur, Judæorum circumstantibus turbis, solus ad testimonium de Christo perhibendum præ ceteris promtiùs emicaret, ejusque interfectores de illius resurrectione confunderet. Si quem delectat tam suaviter [b] sanctum tale b spectaculum intueri, Actus Apostolorum legat: ibi beatum Petrum quem negantem doluerat, stupeat Act. 2. 14. prædicantem: ibi linguam illam videat ad fiduciam à diffidentia & ad libertatem à servitute translatam, tot linguas inimicorum convertere ad Christi confessionem, quarum non valendo unam ferre, versa fuerat in negationem. Quid plura? Tantus in illo fulgor gratiæ, tanta Spiritus-sancti plenitudo apparebat, tanta de ore prædicantis pretiosissimæ veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis adversarios interfectores Christi Judæos faceret pro illo paratos mori, à quibus cum illo formidabat occidi. Hoc fecit Spiritus-sanctus tunc missus, antè promissus. Ista Dominus magna atque miranda sua beneficia prævidebat, quando dicebat, *Et viderunt, & oderunt & me & Patrem meum, ut adimpleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis: cùm autem ve-*

[a] MSS. *qui oderant.* [b] In tribus MSS. *tam suaviter sapidum.*

nerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spi- A *ritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Ille quippe testimonium perhibens & testes fortissimos faciens, abstulit Christi amicis timorem, & inimicorum odium convertit in amorem.

TRACTATUS XCIII.

De eo quod Dominus dicit, Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini: *usque ad id*, Sed hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis.

1. IN his quæ præcedunt hoc Evangelii capitulum, Dominus discipulos suos ad inimicorum odia perferenda confirmans, suo quoque præparavit exemplo, ut eum imitando fierent fortiores: addens & promittens eis, quòd venturus esset Spiritus-sanctus, qui de illo testimonium perhiberet, & adjiciens quòd & ipsi fierent testes ejus, hoc utique in eis operante Spiritu-sancto. Sic Johan. 15. 26. enim ait, Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis. Utique quia ille perhibebit, etiam vos perhibebitis: ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris: ille inspirando, vos so- Psal. 18. 5. nando: ut possit impleri, In omnem terram exivit sonus eorum. Parum quippe fuerat eos adhortari exemplo suo, nisi impleret Spiritu suo. Denique Johan. 13. 26. apostolus Petrus cùm jam verba ejus audisset, ubi dixerat, Non est servus major domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur; & hoc in illo D jam videret impleri, in quo patientiam Domini sui, si exemplum sufficeret, debuit imitari: succubuit & negavit, non utique ferens quod illum ferre cernebat. Cùm verè accepit donum Spiritus-sancti, quem negaverat prædicavit; & quem confiteri timuerat, non timuit profiteri. Priùs enim exemplo quidem fuerat edoctus, ut quod fieri convenerat nosset: sed nondum fuerat virtute fultus, ut quod noverat faceret: instructus erat ut staret, sed non erat firmatus ne caderet. Quod postea quàm per E Spiritum-sanctum factum est, annuntiavit usque ad mortem, quem negaverat timens mortem. Ideo Dominus in hoc consequenti capitulo, de quo nunc Johan. 16. 1. vobis loquendum est, *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Canitur quippe in Psalmo, Pax multa diligentibus legem tuam, & non est Psal. 118. 165. illis scandalum. Meritò itaque promisso Spiritu-sancto, quo in eis operante fierent testes ejus, subjunxit, *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Rom. 5. 5. Cùm enim caritas Dei diffunditur in cordi- F bus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis, fit pax multa diligentibus legem Dei, ut non fit illis scandalum.

Johan. 16. 2. 2. Deinde quid passuri essent, jam exprimens ait, *Extra synagogas facient vos.* Quid autem mali erat Apostolis expelli de synagogis Judaïcis, quasi non inde fuerant se separaturi, etiamsi eos nullus expelleret? Sed nimirum hoc voluit denuntiare, quia Judæi Christum non fuerant recepturi, à quo isti non fuerant recessuri; & ideo futurum erat ut G foras mitterentur cum illo, ab eis qui esse nollent in illo, hi qui esse non possent sine illo. Nam profectò quia non erat ullus alius populus Dei quàm illud semen Abrahæ, si agnoscerent & reciperent Rom. 11. 17. Christum, tamquam rami naturales in olea permanerent; nec aliæ fierent Ecclesiæ Christi, aliæ synagogæ Judæorum: [a] eædem quippe essent, si in eodem esse voluissent. Quod quia noluerunt, quid restabat nisi ut remanentes extra Christum, extra synagogas facerent eos qui non relinquerent Christum? Accepto quippe Spiritu-sancto testes ejus effecti, non utique tales essent, de quibus dicitur, Multi principes Judæorum crediderunt in eum, Johan. 12. sed propter metum Judæorum, ne pellerentur de « 42. & 43. synagogis, non audebant confiteri eum; dilexerunt « enim gloriam hominum magis quàm Dei. Crediderunt ergo in eum, sed non sic quomodo eos volebat credere, qui dicebat, Quomodo potestis cre- Johan. 5. dere, gloriam ab invicem exspectantes, & gloriam 44. quæ à solo Deo est non quærentes? Discipulis ergo sic in eum credentibus, ut impleti Spiritu-sancto, hoc est dono gratiæ Dei, non sint de numero eorum, qui ignorantes Dei justitiam, & suam volen- Rom. 10. 3. tes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti; nec de illorum, de quibus dictum est, Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei: illa congruit pro- C phetia, quæ de ipsis invenitur impleta, Domine in Psal. 88. 16. lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo & 17. exsultabunt tota die, & in tua justitia exaltabuntur; « quoniam gloria virtutis eorum tu es: Meritò eis di- « citur, *Extra synagogas facient vos*: illi scilicet, qui zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam: Rom. 10. propter quod ignorantes Dei justitiam, & suam vo- 2. & 3. lentes constituere, & eos expellunt qui non in sua, sed in Dei justitia exaltantur, nec expulsi ab hominibus erubescunt, quoniam gloria virtutis eorum ipse est.

3. Denique cùm hoc eis dixisset, adjecit, * *Sed* Johan. 16. *venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur ob-* v. 2. *sequium se præstare Deo:* * *& hæc facient vobis, quia* v. 3. *non cognoverunt Patrem neque me.* Hoc est, non cognoverunt Deum nec ejus Filium, cui se in vobis occidendis præstare arbitrantur obsequium. Quæ verba Dominus ita subjecit, tamquam ex hoc consolaretur suos, qui de synagogis Judaïcis pellerentur. Prænuntians enim quæ mala essent pro ejus E testimonio perpessuri, *Extra synagogas*, inquit, *facient vos.* Nec ait, Et venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Quid ergo ait? *Sed venit hora:* quemadmodum diceret, si aliquid boni post mala ista prædiceret. Quid sibi ergo vult, *Extra synagogas facient vos: sed venit hora?* Tamquam hoc dicturus fuisset, Separabunt illi quidem vos, sed ego vos colligam; aut, Separabunt quidem illi vos, sed venit hora lætitiæ vestræ. Quid ergo ibi facit hoc verbum F quod ait, *Sed venit hora*, quasi consolationem eis promitteret post tribulationem: cùm magis dicere debuisse videatur indicativo modo, Et venit hora? Sed non ait, Et venit, cùm tribulationem super tribulationem, non consolationem post tribulationem venturam illis esse prædiceret. An fortè sic eos illa de synagogis separatio fuerat turbatura, ut mori mallent, quàm in hac vita sine Judæorum congregationibus immorari? Absit ut sic turbarentur, qui Dei, non hominum gloriam requirebant. Quid ergo est, *Extra synagogas facient vos; sed ve-* G *nit hora:* cùm potiùs dicere debuisse videatur, Et venit hora, *ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo?* Neque enim saltem dictum est, Sed venit hora ut interficiant vos, quasi ut eis mors pro consolatione illius separationis [b] ac- b cideret: sed, *Venit*, inquit, *hora ut omnis qui in-*

[a] Aliquot MSS. *eadem.* [b] MSS. *accederet.*

terficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Prorsus non mihi videtur aliud significare voluisse, nisi ut intelligerent atque gauderent tam multos se Christo adquisituros, cùm de Judæorum congregationibus pellerentur, ut eos non sufficeret pellere, sed non sinerent vivere, ne omnes ad nomen Christi sua prædicatione converterent, & ab observatione Judaïsmi, tamquam divinæ veritatis, averterent. Hoc enim de Judæis dictum debemus accipere, de quibus dixerat, *Extra synagogas facient vos.* Nam testes, id est, martyres Christi, etiamsi occisi sunt à gentilibus: non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed diis suis falsis obsequium se præstare, cùm hæc facerent. Judæorum autem omnis qui occidit prædicatores Christi, Deo se præstare putavit obsequium: credens quòd defererent Deum Israël, quicumque converterentur ad Christum. Ut enim & ipsum Christum occiderent, ista ratione commoti sunt: nam eorum de hac re etiam verba conscripta sunt, Videtis quia totus mundus post eum abiit: si dimiserimus eum vivere, venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem. Et quod Caiphas dixit, Expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Et in hoc ergo sermone suos discipulos suo erexit exemplo, quibus dixerat, Si me persecuti sunt, & vos persequentur: ut quemadmodum illum occidendo, Deo se præstitisse obsequium putaverunt, sic etiam illos.

Iohan. 12. 19. *Iohan. 11. 48. &c.*

4. Iste itaque sensus est in his verbis, *Extra synagogas facient vos*, sed nolite solitudinem formidare: separati quippe à congregatione eorum, tam multos in nomine meo congregabitis, ut illi metuentes ne templum quod erat apud eos, & omnia Legis veteris sacramenta deserantur, interficiant vos, sic fundentes sanguinem vestrum, ut Deo se præstare arbitrentur obsequium. Ecce est illud quod de his dixit Apostolus, Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam: obsequium se putant præstare Deo, interficiendo famulos Dei. O error horrendus! Itane ut placeas Deo, percutis placentem Deo; & templum Dei vivum te feriente prosternitur, ne Dei templum lapideum deseratur? O execrabilis cæcitas! Sed ex parte in Israël facta est, ut plenitudo gentium intraret: ex parte, inquam, facta est, non ex toto. Non enim omnes, sed aliqui ex ramis fracti sunt, ut insereretur oleaster. Nam Spiritu-sancto implente discipulos Christi, cùm linguis omnium gentium loquerentur, cùm per eos divina miracula frequentarentur, & divina eloquia spargerentur, etiam occisus ita dilectus est Christus, ut ejus discipuli expulsi à congregationibus Judæorum, ex ipsis quoque Judæis ingentem multitudinem congregarent, & nullam solitudinem formidarent. Hinc ergo accensi ceteri reprobi & cæci, zelum Dei habentes, sed non secundùm scientiam, & obsequium se præstare Deo credentes, occidebant eos. Sed pro illis occisus colligebat eos, qui de his futuris antequam occideretur, instruxerat eos, ne ignaros atque imparatos animos mala inopinata & improvisa, quamvis citò transitura, turbarent, sed prænognita & patienter accepta ad bona sempiterna perducerent. Hanc enim fuisse causam ut hæc eis prænuntiaret, etiam ipse demonstravit adjungens, *Sed hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.* Hora eorum hora tenebrosa, hora nocturna. Sed in die mandavit Dominus misericordiam suam, & in nocte declaravit: quando nox Judæorum separatum à se diem Christianorum nulla confusione fuscavit; & quando carnem occidere potuit, fidem tenebrare non potuit.

Rom. 10. 2. *Rom. 11. 25.* *Act. 2. 2. &c.* *Iohan. 16. 4.* *Psal. 41. 9.*

TRACTATUS XCIV.

De eo quod dicit Iesus, Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: *usque ad id*, Si autem abiero mittam eum ad vos.

1. Cum Dominus Jesus prædixisset discipulis suis persecutiones, quas passuri fuerant post ejus abscessum, subjunxit, atque ait, *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: nunc autem vado ad eum qui me misit.* Ubi primùm videndum est, utrùm eis futuras non prædixerit antè passiones. Sed alii tres Evangelistæ satis eum prædixisse ista demonstrant, antequam ventum esset ad cœnam: qua peractâ secundùm Johannem ista locutus est, ubi ait, *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.* An fortè hinc ista solvitur quæstio, quia & illi eum narrant passioni proximum fuisse cùm hæc diceret? Non ergo ab initio quando cum illis erat, quia jam discessurus, jamque ad Patrem perrecturus hæc dixit: & ideo etiam secundùm illos Evangelistas verum est quod hîc dictum est, *Hæc autem vobis ab initio non dixi.* Sed quid agimus de fide Evangelii secundùm Matthæum, qui hæc eis à Domino non solùm cùm jam esset Pascha cum discipulis cœnaturus imminente passione, verùm & ab initio denuntiata esse commemorat, ubi primùm nominatim duodecim exprimuntur Apostoli, & ad opera divina mittuntur? Quid sibi ergo vult quod hîc ait, *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram:* nisi quia ea quæ hîc dicit de Spiritu-sancto, quòd sit venturus ad eos & testimonium perhibiturus, quando mala illa passuri sunt, hæc ab initio eis non dixit, quia cum ipsis erat?

Iohan. 16. 5. *Matth. 24. 9.* *Marc. 13. 9.* *Luc. 21. 12.* *Matth. 10. 17.*

2. Consolator ergo ille vel advocatus (utrumque enim interpretatur quod est Græcè paracletus,) Christo abscedente fuerat necessarius; & ideo de illo non dixerat ab initio quando cum illis erat, quia ejus præsentiâ consolabantur: abscessurus autem oportebat ut diceret illum esse venturum, per quem futurum erat ut caritate diffusa in cordibus suis verbum Dei cum fiducia prædicarent; & illo intrinsecùs apud eos testimonium perhibente de Christo, ipsi quoque testimonium perhibent; neque scandalizarentur cùm inimici Judæi absque synagogis facerent eos, & interficerent arbitrantes obsequium se præstare Deo: quoniam caritas omnia tolerat, quæ diffundenda erat in cordibus eorum per Spiritus-sancti donum. Hinc ergo iste totus ducitur sensus, quia facturus eos erat martyres suos, id est, testes suos per Spiritum-sanctum: ut illo in eis operante, persecutionum quæcumque aspera tolerarent, nec frigescerent à caritate prædicandi, illo divino igne succensi. Hæc ergo, inquit, locutus sum vobis, ut cùm venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis. Hæc scilicet locutus sum vobis, non tantùm quia passuri estis ista: sed quia cùm venerit paracletus ille, testimonium perhibebit de me, ne ista timendo taceatis, unde fiet ut etiam vos testimonium perhibeatis. *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram*, & ego vos consolabar meâ corporali præsentiâ exhibitâ humanis sensibus vestris, quam parvuli capere poteratis.

1. Cor. 13. 7. *Rom. 5. 5.* *Iohan. 16. 4.* *v. 5.*

Ibidem. 3. *Nunc autem vado ad eum qui me misit: & nemo*, inquit, *ex vobis interrogat me, Quò vadis.* Significat sic se iturum ut nullus interrogaret, quod palàm fieri visu corporis cernerent: nam superiùs interrogaverant eum quò esset iturus, & responderat eis se iturum quò ipsi tunc venire non possent. Nunc verò ita se promittit iturum, ut nullus eorum quò vadit interroget. Nubes enim suscepit eum quando adscendit ab eis; & euntem in cælum non verbis quæsierunt, sed oculis deduxerunt.

Iohan. 13. 36. *Act. 1. 9.*

Iohan. 16. 6. 4. *Sed quia hæc locutus sum vobis*, inquit, *tristitia implevit cor vestrum.* Videbat utique quid illa sua verba in eorum cordibus agerent: spiritalem quippe nondum interiùs habentes consolationem, quam per Spiritum-sanctum fuerant habituri, id quod exteriùs in Christo videbant, amittere metuebant: & quia se amissuros esse illum vera denuntiantem dubitare non poterant; contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur adspectus. Noverat autem ille quid eis potiùs expediret, quia visus interior ipse est utique melior, quo eos consolaturus fuerat Spiritus-sanctus: non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum, sed seipsum credentium pectoribus infusurus. Denique adjungit, *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos:* tamquam diceret, Expedit vobis ut hæc forma servi auferatur à vobis: caro quidem factum Verbum habito in vobis; sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.* Si alimenta tenera quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis; si carni carnaliter hæseritis, capaces spiritûs non eritis. Nam quid est, *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos?* Numquid hîc positus, eum non poterat mittere? Quis hoc dixerit? Neque enim ubi ille erat, iste inde recesserat; & sic venerat à Patre, ut non maneret in Patre. Postremò quomodo eum etiam hîc constitutum non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse atque mansisse: immo verò à quo scimus eum numquam separabilem fuisse? Quid est ergo, *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos*, nisi non potestis capere Spiritum, quamdiu secundùm carnem persistitis nosse Christum? Unde ille qui jam acceperat Spiritum, Etsi noveramus, inquit, secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Etiam ipsam quippe carnem Christi non secundùm carnem novit, qui Verbum carnem factum spiritaliter novit. Hoc nimirum significare voluit magister bonus dicendo, *Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.*

v. 7. *Iohan. 16. 7.* *2. Cor. 5. 16.*

5. Christo autem discedente corporaliter, non solùm Spiritus-sanctus, sed & Pater & Filius illis adfuit spiritaliter. Nam si ab eis sic abscessit Christus, ut pro illo, non cum illo in eis esset Spiritus-sanctus: ubi est ejus promissio dicentis, Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi; & Veniemus ad eum ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus: cùm & Spiritum-sanctum ita se promiserit esse missurum, ut cum eis esset in æternum? Ac per hoc cùm ex carnalibus vel animalibus essent spiritales futuri, profectò & Patrem & Filium & Spiritum-sanctum capaciùs fuerant habituri. In nullo autem credendus est esse Pater sine Filio & Spiritu-sancto, aut Pater & Filius sine Spiritu-sancto, aut Filius sine Patre & Spiritu-sancto aut sine Patre & Filio Spiritus-sanctus, aut Pater & Spiritus-sanctus sine Filio: sed ubi eorum quilibet unus, ibi trinitas Deus unus. Oportebat autem ita insinuari Trinitatem, ut quamvis nulla esset diversitas substantiarum, singillatim tamen commendaretur distinctio personarum: ubi eis qui rectè intelligunt, numquam videri potest separatio naturarum.

Matth. 28. 20. *Iohan. 14. 23.*

6. Quod autem sequitur, * *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio: * de peccato quidem, quia non credunt in me: * de justitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me: * de judicio autem, quia princeps hujus mundi judicatus est:* tamquam solum sit peccatum non credere in Christum, & tamquam ipsa sit justitia non videre Christum, & tamquam ipsum sit judicium quòd princeps hujus mundi, hoc est diabolus judicatus est: valde latebrosum est, nec isto sermone coartandum, ne fiat obscurius brevitate; sed alio potiùs quantum Dominus adjuverit explicandum.

Iohan. 16. v. 8. v. 9. v. 10. v. 11.

TRACTATUS XCV.

In hæc verba superioris lectionis, Cùm venerit ille arguet mundum de peccato, & de Justitia, &c.

1. Promittens Dominus missurum se Spiritum-sanctum, *Cùm venerit*, inquit, *ille arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.* Quid est hoc? Numquidnam Dominus Christus non arguit mundum de peccato, cùm ait, Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo? Sed nequis fortè dicat hoc ad Judæos propriè pertinere, non ad mundum: nonne ait alio loco, Si de mundo esses, mundus quod suum esset diligeret? Numquid non arguit de justitia, ubi ait, Pater juste, mundus te non cognovit? Numquid non arguit de judicio, ubi se ait finistris esse dicturum, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus? Et multa alia reperiuntur in sancto Evangelio, ubi de his Christus arguit mundum. Quid est ergo quod tamquam propriè tribuit hoc Spiritui-sancto? An fortè quia Christus in Judæorum tantùm gente locutus est, mundum non videtur arguisse, ut ille intelligatur argui qui audit arguentem? Spiritus autem sanctus in discipulis ejus toto orbe diffusis, non unam gentem intelligitur arguisse, sed mundum. Nam hoc illis ait adscensurus in cælum, Non est vestrûm scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem Spiritus-sancti supervenientis in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in tota Judæa, & in Samaria, & usque in fines terræ. Hoc est arguere mundum. Sed quis audeat dicere, quòd per discipulos Christi arguit mundum Spiritus-sanctus, & non arguat ipse Christus; cùm clamet Apostolus, An vultis experimentum accipere ejus qui in me loquitur Christus? Quos itaque arguit Spiritus-sanctus, arguit utique & Christus. Sed quantum mihi videtur, quia per Spiritum-sanctum diffundenda erat caritas in cordibus eorum, quæ foras mittit timorem, quo impediri possent, ne arguere mundum qui persecutionibus fremebat, auderent; propterea dixit, *Ille arguet mundum:* tamquam diceret, Ille diffundet in cordibus vestris caritatem; sic enim timore depulso, arguendi habebitis libertatem. Sæpe autem di-

Iohan. 16. 8. *Iohan. 15. 22.* *Matth. 25. 41.* *Act. 1. 7. & 8.* *2. Cor. 13. 3.* *Rom. 5. 5.* *1. Johan. 4. 18.*

ximus * inseparabilia opera esse Trinitatis: sed sin- A
gillatim commendandas fuisse personas, ut non so-
lùm sine separatione, verùm etiam sine confusione
& unitas intelligatur & Trinitas.

2. Exponit deinde quid dixerit *de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me.* Hoc enim peccatum quasi so-
lum sit, præ ceteris posuit: quia hoc manente ce-
tera detinentur, & hoc discedente cetera remittun-
tur. *De justitia verò*, inquit, *quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* Hîc primò videndum est, B
si rectè quisque arguitur de peccato, quomodo re-
ctè arguatur & de justitia. Numquid enim si ar-
guendus est peccator propterea quia peccator est,
arguendum putabit quisquam & justum propterea
quia justus est? absit. Nam & si aliquando justus
arguitur, ideo rectè arguitur, quia, sicut scriptum
est, Non est justus in terra, qui faciet bonum, &
non peccabit. Quocirca etiam cùm justus arguitur,
de peccato arguitur, non de justitia. Quoniam &
in illo quod legimus divinitus dictum, Noli effici C
justus multùm: non est notata justitia sapientis, sed
superbia præsumentis. Qui ergo fit multùm justus,
ipso nimio fit injustus. Multùm enim se facit ju-
stum, qui dicit se non habere peccatum; aut qui se
putat non gratiâ Dei, sed sua voluntate sufficiente
effici justum: nec rectè vivendo justus est, sed po-
tiùs inflatus, putando se esse quod non est. Quo
pacto igitur mundus arguendus est de justitia, nisi
de justitia credentium? Arguitur itaque de peccato,
quia in Christum non credit: & arguitur de justitia D
eorum qui credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. Hoc & ipsa exposi-
tio satis indicat. Volens enim aperire quid dixerit,
De justitia verò, inquit, *quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me:* Non ait, & jam non videbunt
me; de quibus dixerat, *quia non crediderunt in me.*
Sed peccatum quid vocaret exponens, de illis locu-
tus est dicens, *quia non crediderunt in me:* exponens
autem quam diceret justitiam, de qua mundus ar-
guitur, ad ipsos quibus loquebatur, se convertit, at- E
que ait, *Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* Quapropter mundus de peccato quidem suo,
de justitia verò arguitur aliena, sicut arguuntur de
lumine tenebræ: Omnia enim quæ arguuntur, ait
Apostolus, à lumine manifestantur. Quantum enim
malum sit eorum qui non credunt, non solùm per
seipsum, verùm etiam ex bono potest eorum appa-
rere qui credunt. Et quoniam ista vox infidelium
esse consuevit, Quomodo credimus quod non vi-
demus? ideo credentium justitiam sic oportuit de- F
finiri, *Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* Beati enim qui non vident, & credunt. Nam &
qui viderunt Christum, non in eo laudata est fides
eorum, quia credebant quod videbant, id est filium
hominis; sed quia credebant, quod non videbant,
id est Filium Dei. Cùm verò & ipsa forma servi sub-
tracta eorum esset adspectibus, tum verò ex omni
parte impletum est, Justus ex fide vivit. Est enim
fides, sicut in Epistola quæ ad Hebræos est defi-
nitur, sperantium substantia, convictio rerum quæ G
non videntur.

3. Sed quid est, *Iam non videbitis me?* Non enim
ait, Ad Patrem vado, & non videbitis me, ut
temporis intervallum quo non videbitur, signifi-
casse intelligeretur, sive breve, sive longum, ta-
men utique terminatum: sed dicendo, *Iam non vi-*

* *Supra Tract.* 20.

Johan. 16. 9. *&c.*

Eccle. 7. 21.

Eccle. 7. 17.

* MSS. *judicatorem.*

debitis me, velut numquam eos de cetero visuros
Christum, veritas prænuntiavit. Hæccine justitia
est numquam Christum videre, & in eum tamen
credere: cùm propterea laudetur fides ex qua ju-
stus vivit, quoniam credit, quem modò non videt
Christum, se aliquando esse visurum? Postremò
secundùm hanc justitiam, numquid dicturi sumus
Paulum apostolum non fuisse justum, confitentem
se Christum vidisse post adscensionem ejus in cæ- 1. *Cor.* 15. 8.
lum, de quo utique jam tempore dixerat, *Iam non*
videbitis me? Numquid secundùm hanc justitiam
justus non erat gloriosissimus Stephanus, qui cùm
lapidaretur, ait, Ecce video cælum apertum, & fi- *Act.* 7. 55.
lium hominis stantem ad dexteram Dei? Quid ergo
est, *Ad Patrem vado, & jam non videbitis me*, nisi
quomodo sum, cùm vobiscum sum? Tunc enim
adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati,
qui esurire poterat ac sitire, fatigari atque dormire:
hunc ergo Christum, id est, talem Christum, cùm
transisset de hoc mundò ad Patrem, non erant jam
visuri: & ipsa est justitia fidei, de qua dicit Apos-
tolus, Etsi noveramus Christum secundùm carnem, 2. *Cor.* 5. 16.
sed nunc jam non novimus. Erit itaque, inquit, ve-
stra justitia, qua mundus arguetur, *quia vado ad*
Patrem, & jam non videbitis me: quoniam in eum
quem non videbitis credetis in me: & quando me
videbitis, quod tunc ero, non videbitis me quod
sum vobiscum modò; non videbitis humilem, sed
excelsum; non videbitis mortalem, sed sempiter-
num; non videbitis judicandum, sed [a] judicatu- a
rum: & de hac fide vestra, id est, justitia vestra,
arguet Spiritus-sanctus incredulum mundum.

4. Arguet etiam *de judicio, quia princeps hujus* *Johan.* 16.
mundi judicatus est. Quis est iste, nisi de quo ait alio 11.
loco, Ecce venit princeps mundi, & in me nihil in- *Johan.* 14.
veniet; id est, nihil juris sui, nihil quod ad eum per- 30.
tineat, nullum scilicet omnino peccatum? Per hoc
enim est diabolus princeps mundi. Non enim cæli
& terræ & omnium quæ in eis sunt, est diabolus
princeps, qua significatione intelligitur mundus, *Johan.* 1. 10.
ubi dictum est, Et mundus per eum factus est: sed
mundi est diabolus princeps, de quo mundo ibi
continuò subjungit atque ait, Et mundus eum non
cognovit, hoc est homines infideles, quibus toto
orbe terrarum mundus est plenus: inter quos gemit
fidelis mundus, quem de mundo elegit, per quem
factus est mundus; de quo ipse dicit, Non venit fi- *Johan.* 3. 17.
lius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur
mundus per ipsum. Mundus eo judicante damna-
tur, mundus eo subveniente salvatur: quoniam sicut
arbor foliis & pomis, sicut area paleis & frumen-
tis, ita infidelibus & fidelibus plenus est mundus.
Princeps ergo mundi hujus, hoc est princeps tene-
brarum harum, id est infidelium: de quibus eruitur
mundus, quibus dicitur, Fuistis aliquando tene- *Ephes.* 5. 8.
bræ, nunc autem lux in Domino: princeps mundi
hujus de quo alibi dicit, Nunc princeps mundi hu- *Johan.* 12.
jus missus est foras, utique judicatus est: quoniam 31.
judicio ignis æterni irrevocabiliter destinatus est.
Et de hoc itaque judicio quo princeps judicatus est
mundi, arguitur à Spiritu-sancto mundus: quoniam
cum suo principe judicatur, quem [b] superbus atque b
impius imitatur. Si enim Deus, sicut dicit aposto- 2. *Pet.* 2. 4.
lus Petrus, peccantibus angelis non pepercit, sed
carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in ju-
dicio puniendos servari: quomodo non à Spiritu-
sancto de hoc judicio mundus arguitur, quando in

[b] Lov. *superbum atque impium*; nos hîc ut in editis aliis & MSS.

Spiritu-sancto hæc loquitur Apostolus? Credant A
itaque homines in Christum, ne arguantur de pec-
cato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinen-
tur: transeant in numerum fidelium, ne arguantur
de justitia eorum, quos justificatos non imitantur:
caveant futurum judicium, ne cum mundi principe
judicentur, quem judicatum imitantur. Etenim ne
sibi existimet parci superbia dura mortalium, de su-
perborum supplicio terrenda est angelorum.

TRACTATUS XCVI.

In hæc verba, Adhuc multa habeo vobis dicere,
sed non potestis portare modò: cùm autem
venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos om-
nem veritatem.

1. IN isto sancti Evangelii capitulo, ubi Domi- *Johan.* 16. 12.
nus ait discipulis suis, *Adhuc multa habeo vo-*
bis dicere, sed non potestis portare modò, prius
quærendum illud occurrit, quomodo superiùs di- *Johan.* 15. 15.
xerit, Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci C
vobis: & hîc dicat, *Adhuc multa habeo vobis dice-*
re, sed non potestis portare modò. Verùm illud quo-
modo dixerit, quod nondum fecerat tamquam fe-
cerit, sicut ea quæ futura sunt, Deum fecisse Pro- *Isa.* 45. 11. *sec.* LXX.
pheta testatur dicens, Qui fecit quæ futura sunt,
jam cùm ipsa verba tractaremus, ut potuimus, ex-
posuimus. Nunc ergo quæ ista sint, quæ Apostoli
tunc portare non poterant, vultis forsitan scire.
Sed quis nostrûm audeat eorum se dicere jam capa-
cem, quæ illi capere non valebant? Ac per hoc nec
à me exspectanda sunt ut dicantur, quæ fortè non D
caperem, si mihi ab alio dicerentur; nec vos ea por-
tare possetis, etiamsi ego tantus essem, ut à me ista
quæ vobis altiora sunt audiretis. Et fieri quidem
potest ut sint in vobis aliqui ad ea capienda jam ido-
nei, quæ alii capere nondum valent; & si non om-
nia de quibus magister Deus ille dicebat, *Adhuc*
multa habeo vobis dicere, tamen eorum fortasse
nonnulla: sed quænam sint ista quæ ipse non dixit,
temerarium est velle præsumere ac dicere. Nam & E
mori pro Christo nondum erant idonei tunc Apo- *Johan.* 13. 36.
stoli, quibus dicebat, Non potestis me sequi mo-
dò: unde primus eorum Petrus, qui hoc jam se
posse præsumserat, aliud expertus est quàm puta-
bat: & tamen postea & viri & mulieres, pueri &
puellæ, juvenes & virgines, seniores cum juniori-
bus innumerabiles martyrio coronati sunt, & pos-
se inventæ sunt oves, quod tunc quando ista Do-
minus loquebatur, nondum poterant portare pa-
stores. Numquid ergo debuit illis ovibus dici in illo tentationis articulo, quo certare usque ad mor-
tem pro veritate oportebat, & pro Christi nomine F
vel doctrina sanguinem fundere; numquid, in-
quam, debuit eis dici, Quis vestrûm audeat ido-
neum martyrio se putare, cui Petrus idoneus non-
dum fuerat, quando eum os ad os ipse Dominus
instruebat? Sic itaque dixerit aliquis, non debere
dici populis Christianis, audire cupientibus quæ
sint de quibus Dominus tunc dicebat, *Adhuc multa*
habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, Si G
Apostoli nondum poterant, multò minùs vos po-
testis: quia fortè sic multi possunt audire, quod
tunc nondum poterat Petrus, sicut multi possunt
martyrio coronari, quod tunc nondum poterat
Petrus: præsertim jam misso Spiritu-sancto, qui
tunc nondum erat missus, de quo continuò subjun-

[a] Editi, *ipso ac Spiritu ejus.* Abest *ipso* à MSS.

xit, atque ait, *Cùm autem venerit ille Spiritus ve-* *Johan.* 16. 13.
ritatis, docebit vos omnem veritatem: sic utique de-
monstrans illos ideo quæ habebat dicere, portare
non posse, quia nondum ad eos venerat Spiritus-
sanctus.

2. Ecce concedamus ut ita sit, multos ea mo-
dò portare posse jam misso Spiritu-sancto, quæ
tunc eo nondum misso non poterant portare disci-
puli: numquid ideo scimus quæ sint quæ dicere no-
luit, quæ tunc sciremus si ab eo dicta legeremus
vel audiremus? Aliud est enim scire utrùm à no- B
bis vel à vobis portari possint: aliud autem scire quæ
sint, sive portari possint, sive non possint. Quæ
cùm ipse tacuerit, quis nostrûm dicat, Ista vel illa
sunt? Aut si dicere audeat, unde probat? Quis
enim est tam vanus aut temerarius, qui cùm dixe-
rit etiam vera quibus voluerit, quæ voluerit, sine
ullo testimonio divino affirmet ea esse, quæ tunc
Dominus dicere noluit? Quis hoc nostrûm faciat,
& non maximam culpam temeritatis incurrat, in
quo nec prophetica nec apostolica excellit auctori-
tas? Nam profectò si eorum aliquid legissemus in
libris canonica auctoritate firmatis, qui post ad-
scensionem Domini scripti sunt, parum fuerat hoc
legisse, nisi illic id etiam legeretur, hoc ex eis esse
quæ tunc Dominus noluit discipulis dicere, quia
non poterant illa portare. Tamquam si, verbi gra-
tiâ, ego dicerem, illud quod legimus in hujus *Johan.* 1. 1.
Evangelii capite, In principio erat Verbum, &
Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum,
hoc erat in principio apud Deum, & alia quæ se-
quuntur, quoniam postea scripta sunt, nec ea Do-
minum Jesum dixisse narratum est, cùm hîc esset
in carne, sed hæc unus ex Apostolis ejus, [a] ac Spi- a
ritu ejus sibi revelante conscripsit, ex his esse quæ
noluit tunc Dominus dicere, quia ea discipuli por-
tare non poterant, quis me audiat tam temere ista
dicentem? Si autem ubi hoc legimus, ibi hoc etiam
legeremus, quis non tanto Apostolo crederet?

3. Sed id quoque mihi videtur absurdissimè di-
ci, ea tunc non potuisse portare discipulos, quæ
de invisibilibus & altissimis rebus invenimus in
Apostolicis litteris, quæ postmodum scriptæ sunt,
nec ea Dominum quando cum illis visibiliter erat,
dixisse narratur. Cur enim ea tunc ferre non pote-
rant, quæ nunc in eorum libris quis non legat, quis
non ferat, etiamsi non intelligat? Nonnulla qui-
dem homines infideles in Scripturis sanctis & non
intelligunt cùm legunt vel audiunt, & lecta vel au-
dita ferre non possunt: sicut pagani, quòd per eum
qui crucifixus est, factus est mundus; sicut Judæi,
quòd Filius Dei sit, qui eo modo quo ipsi cele- F
brant sabbatum solvit; sicut Sabelliani, quia Tri-
nitas est Pater & Filius & Spiritus-sanctus; sicut
Ariani, quia æqualis est Patri Filius, & Patri ac
Filio Spiritus-sanctus; sicut Photiniani, quia non
homo tantùm similis nobis, sed etiam Deus Deo
Patri æqualis est Christus; sicut Manichæi, quòd
Christus Jesus per quem [b] liberandi sumus, nasci in b
carne & de carne dignatus est: & ceteri omnes per-
versarum ac diversarum sectarum homines, utique G
ferre non possunt, quidquid in Scripturis sanctis &
in fide catholica reperitur, quod contra eorum
proferatur errores: sicut nos ferre non possumus
sacrilegas eorum vanitates & insanias mendaces.
Quid est enim ferre non posse, nisi æquo animo
non habere? Sed omnia quæ post adscensionem

[b] In editis, *liberati.* At in MSS. *liberandi.*

Domini canonica veritate atque auctoritate conscripta sunt, quis fidelis vel etiam catechumenus antequam Spiritum-sanctum baptizatus accipiat, non æquo animo legit atque audit, etiamsi nondum sicut oportet intelligit? Quomodo ergo aliquid eorum quæ post adscensionem Domini scripta sunt, non possent ferre discipuli, etiam nondum sibi misso Spiritu-sancto, cùm omnia nunc ferant catechumeni nondum accepto Spiritu-sancto? [Catechumenis sacramenta fidelium cur non prodantur.] Quia & si non eis fidelium sacramenta produntur, non ideo fit quòd ea ferre non possunt: sed ut ab eis tantò ardentiùs concupiscantur, quantò eis honorabiliùs occultantur.

4. Quapropter, Carissimi, non à nobis exspectetis audire quæ tunc noluit Dominus discipulis dicere, quia nondum poterant illa portare: sed potiùs in caritate proficite, quæ diffunditur in cordibus vestris per Spiritum-sanctum, qui datus est vobis [Rom. 5. 5.], ut spiritu ferventes & spiritalia diligentes, spiritalem lucem spiritalemque vocem, quam carnales homines ferre non possunt, non aliquo signo corporalibus oculis apparente, nec aliquo sono corporalibus auribus instrepente, sed interiore conspectu & auditu nosse possitis. Non enim diligitur quod penitus ignoratur. Sed cùm diligitur quod ex quantulacumque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione ut meliùs & pleniùs cognoscatur. Si ergo in caritate proficiatis, quam diffundit in cordibus Spiritus-sanctus, *docebit vos omnem veritatem*: vel, sicut alii codices habent, *deducet vos in omni veritate.* [Græc. ὁδηγήσει.] Unde dictum est, Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua. [Psal. 85. 11.] Sic fiet ut non à doctoribus exterioribus illa discatis, quæ noluit Dominus tunc dicere, sed sitis omnes docibiles Deo [Isa. 54. 13. Johan. 6. 45.]: ut ea ipsa quæ per lectiones atque sermones extrinsecùs adhibitos didicistis & credidistis de natura Dei non corporea, nec loco aliquo inclusa, nec per infinita spatia locorum quasi mole distentâ, sed ubique tota & perfecta & infinita, sine nitoribus colorum, sine figuris lineamentorum, sine notis litterarum, sine serie syllabarum, ipsa mente conspicere valeatis. Ecce dixi aliquid quod fortè inde sit, & tamen accepistis; & non solùm ferre potuistis, verùm etiam libenter audistis. Sed ille magister interior, qui cùm adhuc discipulis exteriùs loqueretur, ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, si vellet nobis id quod de incorporea Dei natura dixi, intrinsecùs ita dicere, sicut sanctis Angelis dicit, qui semper vident faciem Patris [Matth. 18. 10.]; nondum ea portare possemus. Proinde quod ait, *Docebit vos omnem veritatem*, vel, *Deducet vos in omni veritate*, non arbitror in hac vita in cujusquam mente posse compleri: (quis enim vivens in hoc corpore quod corrumpitur & aggravat animam [Sap. 9. 15.], possit omnem cognoscere veritatem; cùm dicat Apostolus, Ex parte scimus [1. Cor. 13. 9.]?) sed quia per Spiritum-sanctum fit, unde nunc pignus accepimus [2. Cor. 1. 22.], ut ad ipsam quoque plenitudinem veniamus: de qua idem dicit Apostolus, Tunc autem facie ad faciem, &, Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum [1. Cor. 13. 12.]: non quòd in hac vita scit totum, quod usque ad illam perfectionem futurum nobis Dominus promisit per caritatem Spiritûs, dicens, *Docebit vos omnem veritatem*, vel, *Deducet vos in omni veritate.*

[Manichæos tacitè notat.] 5. Quæ cùm ita sint, Dilectissimi, moneo vos in caritate Christi, ut seductores caveatis impuros & obscœnæ turpitudinis sectas, de quibus ait Apostolus, Quæ autem occultè fiunt ab istis, turpe est & dicere [Ephes. 5. 12.]: ne cùm horrendas immunditias docere cœperint, quas humanæ aures qualescumque sint, portare non possunt, dicant ipsa esse quæ Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*: & per Spiritum-sanctum asserant fieri, ut possint illa immunda & nefanda portari. Alia sunt mala, quæ portare non potest qualiscumque pudor humanus; & alia sunt bona, quæ portare non potest parvus sensus humanus: ista fiunt in corporibus impudicis, illa remota sunt à corporibus universis: hoc impura carne committitur, illud pura mente vix cernitur. Renovamini ergo spiritu mentis vestræ [Ephes. 4. 23.], & intelligite quæ sit voluntas Dei, quod bonum est & beneplacitum & perfectum [Rom. 12. 2.]: ut in caritate radicati & fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo & profundum [Ephes. 3. 17. &c.], cognoscere etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Isto enim modo vos docebit Spiritus-sanctus omnem veritatem, cùm magis magisque diffundet in cordibus vestris caritatem.

TRACTATUS XCVII.

In eamdem lectionem.

1. SPIRITUS-sanctus quem promisit Dominus se discipulis suis esse missurum, qui eos doceret omnem veritatem, quam tunc quando cùm eis loquebatur, portare non poterant: de quo Spiritu-sancto, sicut dicit Apostolus, nunc pignus accepimus [2. Cor. 1. 22. & 5. 5.], quo verbo intelligeremus ejus plenitudinem nobis in vita alia reservari: ipse ergo Spiritus-sanctus & nunc docet fideles, quanta quisque potest capere spiritalia; & eorum pectora desiderio majore succendit, si quisque in ea caritate proficiat, qua & diligat cognita, & cognoscenda desideret: ita ut ea quoque ipsa quæ nunc quomodocumque cognoscit, nondum se scire sciat, sicut scienda sunt in ea vita, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit [Isa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9.]. Quo sciendi modo, si nunc ea vellet interior magister dicere, id est, nostræ menti aperire atque monstrare; humana infirmitas portare non posset. Unde me Vestra Dilectio meminit jam locutum, cùm sancti Evangelii verba tractaremus, ubi Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò* [Iohan. 16. 12.]. Non ut in his Domini verbis nescio quæ secreta nimis abdita suspicemur, quæ cùm dici à docente possint, portari à discente non possint: sed ea ipsa quæ in doctrina religionis in quorumlibet hominum notitia legimus & scribimus, audimus & dicimus, si vellet eo modo nobis Christus dicere, sicut ea dicit Angelis sanctis in seipso unigenito Patris Verbo, Patrique coæterno; quinam portare homines possent, etiam si jam essent spiritales, quales adhuc Apostoli non fuerunt, quando ista eis Dominus loquebatur, qualesque postea veniente sancto Spiritu facti sunt? Nam utique quidquid de creatura sciri potest, minus est ipso Creatore, qui summus & verus & immutabilis est Deus. Et quis eum tacet? Ubi non à legentibus, disputantibus, quærentibus, respondentibus, laudantibus, cantantibus, quoquo modo sermocinantibus, postremò ab ipsis etiam blasphemantibus nominatur? Et cùm eum nemo taceat, quis est qui eum sicut intelligendus

est capiat, cùm de oribus & auribus hominum non recedat? Quis est cujus acies ad eum mentis accedat? Quis est qui eum Trinitatem esse scisset, nisi ipse sic innotescere voluisset? Et quis hominum jam istam sileat Trinitatem: & tamen quis hominum sicut Angeli sapiat Trinitatem? Ea ipsa ergo quæ de Dei æternitate, veritate, sanctitate, in promtu & palàm sine cessatione dicuntur, ab aliis bene, ab aliis malè intelliguntur: immo ab aliis intelliguntur, ab aliis non intelliguntur. Qui enim malè intelligit, non intelligit. Ab eis ipsis autem à quibus bene intelliguntur, ab aliis minùs, ab aliis ampliùs mentis vivacitate cernuntur, & à nullo hominum sicut ab Angelis capiuntur. In ipsa ergo mente, hoc est, in interiore homine quodammodo crescitur, non solùm ut ad cibum à lacte transeatur, verùm etiam ut ampliùs atque ampliùs cibus ipse sumatur. Non autem crescitur spatiosa mole, sed intelligentiâ luminosâ; quia & ipse cibus intelligibilis lux est. Ut ergo crescatis, eumque capiatis, & quantò magis crescitis, tantò magis magisque capiatis, non ab eo doctore, qui vestris auribus sonat, hoc est, forinsecùs operando plantat & rigat [1. Cor. 3. 6.], sed ab eo qui dat incrementum, petere ac sperare debetis.

[A Manichæorum secta deterret.] 2. Proinde sicut præterito sermone commonui, cavete, maximè qui parvuli estis, & adhuc alimentis lacteis indigetis, ne hominibus sub hac occasione deceptis ac deceptoribus, quia Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò* [Johan. 16. 12.], aurem curiosam præbeatis ad incognita scienda, cùm mentes invalidas habeatis ad vera & falsa dijudicanda: maximè propter obscœnissimas turpitudines, quas docuit satanas animas instabiles atque carnales, ad hoc Deo sinente, ut ejus ubique sint tremenda judicia, & in comparatione impuræ nequitiæ dulcescat purissima disciplina: atque ut illi det honorem, timorem autem vel pudorem sibi, qui in illa mala vel illo regente non cecidit, vel illo inde levante surrexit. Cavete timendo & orando, ne irruatis in illud ænigma Salomonis, ubi mulier insipiens & audax, inops panis effecta, convocat prætereuntes dicens, Panes occultos libenter adtingite, & aquæ furtivæ dulcedinem [Prov. 9. 17.]. Hæc enim mulier vanitas est impiorum, cùm sint insipientissimi, aliquid se scire opinantium, sicut de ista muliere dictum est, inops panis effecta. Quæ cùm sit inops panis, promittit panes: id est, cùm sit ignara veritatis, promittit scientiam veritatis. Occultos tamen panes promittit, quos dicit libenter adtingi, & aquæ furtivæ dulcedinem: ut ea scilicet libentiùs & dulciùs audiantur & agantur, quæ palàm in Ecclesia dici credique prohibentur. Ipsa quippe occultatione condiunt quodammodo nefarii doctores sua venena curiosis: ut ideo se existiment aliquid discere magnum, quia meruit habere secretum, & suaviùs hauriant insipientiam, quam putant scientiam, cujus prohibitam quodammodo furantur audientiam.

3. Hinc & nefarios ritus suos hominibus sacrilega curiositate deceptis vel decipiendis magicarum artium doctrina commendat. Hinc illæ illicitæ divinationes inspectis pecudum visceribus occisorum, aut vocibus & volatibus avium, aut signis multiformibus dæmonum, insusurrantur auribus hominum periturorum per colloquia perditorum. Propter hæc illicita atque punienda secreta, mulier illa non solùm insipiens, verùm audax etiam nuncupatur. Sed hæc non solùm à re ipsa, verùm & à nomine nostræ religionis aliena sunt. Quid quod mulier hæc insipiens & audax, sub Christiano vocabulo tot scelestas hæreses condidit, tot nefandas fabulas finxit? Utinam tales quales in theatris sive cantantur, sive saltantur, sive mimica scurrilitate ridentur; & non quasdam tales, quales adversùs Deum fingere potuisse sic illam doleamus insipientiam, ut miremur audaciam. Omnes autem insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, occasione Evangelicæ sententiæ colorare conantur, ubi Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*: quasi hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus-sanctus, quæ palàm docere atque prædicare, quantalibet feratur audaciâ, spiritus erubescit immundus.

4. Hos Apostolus in Spiritu-sancto prævidens ait, "Erit enim tempus quo sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundùm desideria sua magistros sibi coacervabunt prurientes auditu: & à veritate quidem auditum suum avertent, ad fabulas autem convertentur [2. Tim. 4. 3. &c.]. Illa enim secreti furtique commemoratio qua dicitur, Panes occultos libenter adtingite, & aquæ furtivæ dulcedinem [Prov. 9. 17.], pruritum facit audientibus in auribus spiritaliter fornicantibus, sicut pruritu quodam libidinis etiam in carne corrumpitur integritas castitatis. Audite itaque Apostolum talia prævidentem, & ea vitanda salubriter admonentem, Profanas, inquit, verborum novitates evita: multùm enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum sicut cancer serpit [2. Tim. 2. 16.]. Et non ait verborum novitates, sed addidit, profanas. Sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum novitates, sicut ipsum nomen Christianorum quando dici cœperit, scriptum est. In Antiochia enim primùm post adscensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum [Act. 11. 26.]: & xenodochia & monasteria postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. [Xenodochia & Monasteria.] Adversùs impietatem quoque Arianorum hæreticorum novum nomen patris Homousion condiderunt: sed non rem novam tali nomine signaverunt: hoc enim vocatur Homousion, quod est, Ego & Pater unum sumus [Johan. 10. 30.], unius videlicet ejusdemque substantiæ. Nam si omnis novitas profana esset, nec à Domino diceretur, Mandatum novum do vobis [Iohan. 13. 34.]: nec Testamentum appellaretur novum, nec cantaretur in universa terra Canticum novum. Sed profanæ sunt verborum novitates, ubi dicit mulier insipiens & audax, Panes occultos libenter adtingite, & aquæ furtivæ dulcedinem [Prov. 9. 17.]. Ab hac pollicitatione falsæ scientiæ prohibet etiam illo loco Apostolus ubi dicit, O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & contradictiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt [1. Tim. 6. 20.]. Nihil enim sic amant isti quàm scientiam promittere: & fidem rerum verarum quas credere parvuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere.

5. Dicet aliquis, Nihilne spiritales viri habent in doctrina, quod carnalibus taceant, & spiritalibus eloquantur? Si respondero non habent, continuò mihi dicetur ex Epistola ad Corinthios apo-

1. Cor. 3. 1. & 2. stoli Pauli, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, A sed quasi carnalibus, quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim
1. Cor. 2. 6. estis carnales: & illud, Sapientiam loquimur inter
Ibidem 13. perfectos: & illud, Spiritalibus spiritalia compa-
& 14. rantes; animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi. Hoc totum quale sit, ne rursus propter hæc verba Apostoli profanis vocum novitatibus secreta quærantur, & ea quæ debet castorum spiritus corpusque vitare, di- B catur carnales sustinere non posse, sermone alio si Dominus donaverit, disputandum est, ut jam istum aliquando claudamus.

TRACTATUS XCVIII.

In eamdem lectionem.

Johan. 16. 12. 1. EX verbis Domini nostri, ubi dicit, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, exortam difficilem quæ- C stionem me recolo distulisse, ut inde otiosius tractaretur, quia illum modus competens compellebat finire sermonem. Nunc ergo quoniam tempus est promissa reddendi: pertractetur ut Dominus ipse donaverit, qui cordi nostro ut proponeretur ingessit. Hæc est autem quæstio, UTRÙM SPIRITALES HOMINES habeant aliquid in doctrina, quod carnalibus taceant, & spiritalibus dicant. Quia si dixerimus, Non habent: respondebitur nobis, Quid est ergo quod dicebat Apostolus scribens D
1. Cor. 3. 1. & 2. ad Corinthios, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales? Si autem dixerimus, Habent: timendum & cavendum est, ne sub hac occasione in occultis nefaria doceantur, & spiritalium nomine velut ea quæ carnales capere non possunt, non solùm excusatione dealbanda, verùm etiam prædicatione laudanda videantur.

2. Primùm ergo scire debet Caritas Vestra, quòd ipse Christus crucifixus, quo velut lacte parvulos aluisse se dicit Apostolus; ipsa verò caro ejus, in qua facta est vera mors ejus & vulnera vera confixi, sanguisque percussi, non eo modo à carnalibus quo ab spiritalibus cogitatur, & illis est lac, istis cibus; quia & si non audiunt ampliùs, intelligunt ampliùs. Non enim æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab utrisque recipitur. Ita
1 Cor. 1. 23. & 24. fit ut prædicatus ab Apostolis Christus crucifixus, F & Judæis esset scandalum, & gentibus stultitia, & ipsis vocatis Judæis & Græcis Dei virtus & Dei sapientia: sed carnalibus parvulis id tantùm credendo tenentibus, spiritalibus autem capacioribus id etiam intelligendo cernentibus; illis ergo tamquam lacteus potus, istis tamquam solidus cibus: non quia hoc illi aliter in populis, isti aliter in cubiculis cognoverunt; sed quod eodem modo utrique cùm palàm diceretur audiebant, pro suo modo quique capiebant. Cùm enim Christus propterea sit crucifixus, ut in remissionem peccatorum sanguinem funderet, qua ejus Unigeniti passione divina gratia commendatur, ut nemo in homine glorietur; quomodo intelligebant Christum crucifixum qui adhuc
1. Cor. 1. 12. Galat. 6. 14. dicebant, Ego sum Pauli? Numquid quomodo ipse Paulus qui dicebat, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi? De ipso itaque Christo crucifixo, & ipse cibum pro sua capacitate sumebat, & illos lacte pro eorum infirmitate nutriebat. Denique illa quæ scripsit ad Corinthios, aliter utique ab ipsis parvulis, aliter à capacioribus posse intelligi sciens, ait, Si quis est inter vos pro- 1. Cor. 14. pheta aut spiritalis, agnoscat quæ scribo vobis, quia 37. &c. Domini est mandatum: si quis autem ignorat, igno- "
rabitur. Solidam profectò voluit esse scientiam spiritalium, ubi non sola fides accommodaretur, sed certa cognitio teneretur: ac per hoc illi ea ipsa credebant, quæ spirales insuper agnoscebant. Ignorabitur autem, ait, qui ignorat: quia nondum ei revelatum est, ut quod credit sciat. Quod cùm fit in hominis mente, ipse dicitur cognosci à Deo; quia Deus illum cognoscentem facit, sicut alibi ait, Nunc autem cognoscentes Deum, immo cogniti à Galat. 4. 9. Deo. Neque enim tunc cognoverat eos Deus, præcognitos & electos ante mundi constitutionem: sed Ephes. 1. 4. tunc eos seipsum cognoscere fecerat.

3. Hoc igitur primitus cognito, quòd ea ipsa quæ simul audiunt spiritales atque carnales, pro suo quique modulo capiunt, illi ut parvuli, isti ut majores, illi ut lactis alimentum, isti ut cibi solidamentum: nulla videtur esse necessitas, ut aliqua secreta doctrinæ taceantur, & abscondantur fidelibus parvulis, seorsum dicenda majoribus, hoc est intelligentioribus; & hoc ideo faciendum putetur, quia dixit Apostolus, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Hoc ipsum enim quod non judicavit se scire in eis nisi Jesum Chri- 1. Cor. 2. 2. stum, & hunc crucifixum, ipsis non potuit loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quia id sicut spiritales capere non valebant. Quicumque autem spiritales inter eos erant, idem quod illi tamquam carnales audiebant, spiritali ipsi intellectu capiebant: ut sic intelligatur quod ait, Non potui vobis 1. Cor. 3. 1. loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, ac si diceret, Non potuistis quasi spiritales, sed quasi carnales capere quod loquebar. Animalis enim ho- 1. Cor. 2. 14. mo, id est, qui secundùm hominem sapit, animalis E dictus ab anima, carnalis à carne, quia ex anima & carne constat totus homo: non percipit quæ sunt Spiritus Dei, id est, quid gratiæ credentibus crux conferat Christi; & putat hoc illa cruce actum esse tantummodo, ut nobis usque ad mortem pro veritate certantibus imitandum præberetur exemplum. Nam si scirent hujusmodi homines, qui nolunt esse nisi homines, quemadmodum Christus crucifixus factus sit nobis sapientia à Deo, & justitia, & san- 1. Cor. 1. 30. ctificatio, & redemtio, ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur: procul dubio non gloriarentur in homine, nec carnaliter dicerent, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: sed spiritaliter, Ego sum 1. Cor. 1. 12. Christi.

4. Verùm illud adhuc quæstionem facit, quod in Epistola ad Hebræos legitur, Cùm jam debere- Hebr. 5. 12. tis tempore ipso esse doctores, iterum doctrinâ in- &c. digetis, quæ sint elementa sermonum Dei; & facti estis opus habentes lacte, non solido cibo. Omnis enim qui lactatur, inexpertus est verbum justitiæ; infans est enim. Perfectorum est autem solidus cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent sensus, ad separandum bonum à malo. Hîc enim videmus tamquam definitum esse quem perfectorum dicit solidum cibum; & hoc esse illud quod ad Corinthios scriptum est, Sapientiam loquimur in- 1. Cor. 2. 6. ter perfectos. Quos autem perfectos voluerit hoc

loco intelligi, subjecit atque ait, Qui per habitum A exercitatos habent sensus, ad separandum bonum à malo. Hoc ergo qui invalida & inexercitata mente non possunt, profectò nisi fidei quodam lacte teneantur, ut & invisibilia quæ non vident, & intelligibilia quæ nondum intelligunt, credant, facilè ad vanas & sacrilegas fabulas promissione scientiæ ducuntur: ut & bonum & malum nonnisi corporalibus imaginibus cogitent, & ipsum Deum nonnisi aliquod esse corpus existiment, & malum nisi substantiam putare non possint; cùm sit potiùs B ab immutabili substantia mutabilium substantiarum quidam defectus, quas fecit ex nihilo ipsa immutabilis & summa substantia, qui est Deus. Quod profectò quisquis non solùm credit, verùm etiam exercitatis interioribus animi sensibus intelligit, percipit, novit; non est jam metuendum ne seducatur ab eis qui malum putando esse substantiam quam non fecit Deus, mutabilem substantiam faciunt ipsum Deum, sicut Manichæi, vel si quæ aliæ pestes C ita desipiunt.

5. Sed mente adhuc parvulis, quos dicit Apostolus carnales lacte nutriendos, omnis de hac re sermo, quo agitur ut non solùm credatur, verùm etiam intelligatur sciaturque quod dicitur, percipere talia non valentibus onerosus est, faciliúsque illos premit quàm pascit. Ex quo fit ut spiritales ista carnalibus non omnimodo taceant, propter catholicam fidem, quæ omnibus prædicanda est; nec tamen sic differant, ut volentes ea perducere ad intelligentiam non capacem, faciliùs fastidiri faciant in veritate sermonem, quàm in sermone percipi veritatem. Propterea dicit scribens ad Colossenses, Coloss. 2. 5. Et si corpore absens sum, spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinationem vestram, & id quod a deest fidei vestræ in Christo. Et ad Thessalonicenses, Nocte ac die, inquit, abundantiùs oran- 1. Thess. 3. 10. tes, ut videamus faciem vestram, & suppleamus quæ desunt fidei vestræ. Intelligendi sunt utique ita E primùm catechizati, ut lacte alerentur, non solido cibo: cujus lactis ad Hebræos commemoratur ubertas eis quos volebat cibi soliditate jam pascere.
Hebr. 6. 1. &c. Propter quod ait, Ideoque remittentes initii Christi verbum, in consummationem respiciamus: non iterum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, lavacri doctrinæ & impositionis manuum, resurrectionis etiam mortuorum, & judicii æterni. Hæc est lactis ubertas, sine quo non vivunt, qui jam quidem ratione utun- F tur ut possint credere, sed bonum à malo, non credendo tantùm, verùm etiam intelligendo (quod pertinet ad solidum cibum) separare non possunt. Quod autem in lactis commemoratione posuit & doctrinam, ipsa est quæ per symbolum traditur & orationem Dominicam.

6. Sed huic lacti absit ut sit contrarius cibus rerum spiritalium firmâ intelligentiâ capiendus, qui Colossensibus & Thessalonicensibus defuit, & supplendus fuit. Quando enim suppletur quod defuit, G non improbatur quod fuit. Nam & in ipsis quæ sumimus alimentis, usque adeo non est lacti contrarius solidus cibus, ut ipse lactescat, quò possit esse aptus infantibus, ad quos per matris vel nutricis pervenit carnem: sicut fecit etiam mater ipsa sapientia, quæ cùm sit in excelsis Angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo lactescere parvulis, cùm Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Sed ipse homo Christus, qui vera carne, vera cruce, vera morte, vera resurrectione sincerum lac dicitur parvulorum, cùm bene ab spiritalibus capitur, invenitur Dominus Angelorum. Proinde nec sic parvuli sunt lactandi, ut semper non intelligant Deum Christum; nec sic ablactandi, ut deserant hominem Christum. Quod alio modo idipsum ita dici potest: Nec sic lactandi sunt, ut creatorem numquam intelligant Christum; nec sic ablactandi, ut mediatorem umquam deserant Christum. In hoc quippe non convenit huic rei similitudo materni lactis & solidi cibi, sed potiùs fundamenti: quia & puer quando ablactatur, ut ab alimentis infantiæ jam recedat, inter solidos cibos non repetit ubera quæ fugebat: Christus autem crucifixus, & lac fugentibus, & cibus est proficientibus. Fundamenti verò ideo est aptior similitudo, quia ut perficiatur quod struitur, additur ædificium, non subtrahitur fundamentum.

7. Quæ cùm ita sint, ô quicumque estis, qui sine dubio multi estis parvuli in Christo, proficite ad solidum cibum mentis, non ventris. Proficite ad separandum bonum à malo, & magis magisque inhærete mediatori, per quem liberamini à malo: quod non est à vobis loco separandum, sed in vobis potiùs est sanandum. Quisquis autem vobis dixerit, Nolite credere verum hominem Christum, aut non Manichæorum errores. à vero Deo corpus cujuslibet hominis vel cujuslibet animantis creatum, aut non à vero Deo vetus Te- D stamentum datum, & si quid hujusmodi, hæc enim vobis priùs ideo non dicebantur, quando lacte nutriebamini, quoniam ad vera capienda cor nondum habebatis idoneum: non vobis iste cibum præparat, sed venenum. Propter quod beatus Apostolus eos alloquens qui sibi jam videbantur esse perfecti, cùm se imperfectum ipse dixisset, Quotquot ergo, Philip. 3. 15. inquit, perfecti, hoc sapiamus: & si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Et ne fortè incurrerent in seductores, qui eos vellent à fide E avertere promittendo scientiam veritatis, & hoc putarent esse quod dixit Apostolus, id quoque vobis Deus revelabit; continuò subjunxit, Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus. Si quid ergo intellexeris quod non sit contra regulam catholicæ fidei, ad quam velut viam, quæ te ducat ad patriam, pervenisti; & sic intellexeris, ut inde dubitare omnino non debeas: adde ædificium, noli tamen relinquere fundamentum. Sic debent majores docere aliquid parvulos, ut omnium Dominum Christum, & seipsis longè majores Prophetas & Apostolos non dicant aliquid fuisse mentitos. Non autem solùm vaniloquos & mentis seductores fabulosa & falsa garrientes, & in eis vanitatibus velut altam scientiam promittentes contra regulam fidei, quam catholicam suscepistis, cavere debetis: verùm etiam ipsos qui de ipsa divinæ immutabilitate naturæ vel incorporea creatura, sive Creatore veraciter disputant, & quod dicunt, omnino documentis atque rationibus certissimis probant, & tamen ab uno Dei & hominum mediatore conantur G avertere, tamquam pestem insidiosiorem ceteris fugite. Tales enim sunt de quibus dicit Apostolus, Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glori- Rom. 1. 21. ficaverunt. Quid enim prodest habere intelligentiam veram de immutabili bono, ei qui non tenet per quem liberetur à malo? Prorsus admonitio beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat, Si Gal. 5. 9.

a Pro ἡ στέρησις *firmamentum*, legebat ἡ ὑστέρημα *id quod deest*: sic etiam in epistola ad Paulinum, quæ nunc est 149.

quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit. Non ait plus quàm accepistis: sed, præter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipse præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit: qui autem prætergreditur fidei regulam, non accedit in via, sed recedit de via.

8. Quod itaque ait Dominus, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò:* adjicienda illis fuerant quæ nesciebant, non quæ didicerant evertenda. Et ille quidem, sicut in pristino sermone jam exposui, potuit hoc ita dicere, quia illa ipsa quæ docuerat, si vellet eis sic aperire, ut in illo concipiuntur ab Angelis; hoc infirmitas humana in qua adhuc erant, ferre non posset. Spiritalis autem homo quilibet potest alterum hominem docere quod novit, si proficiendo capaciorem faciat Spiritus-sanctus, in quo & ipse doctor aliquid ampliùs addiscere potuit, ut sint ambo docibiles Deo. Quamquam & inter ipsos spirituales sunt utique aliis alii capaciores atque meliores; ita ut quidam illorum ad ea pervenerit, quæ non licet homini loqui. Qua occasione vani quidam Apocalypsim Pauli, quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam, stultissima præsumtione finxerunt: dicentes hanc esse, unde dixerat raptum se fuisse in tertium cælum, & illic audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Utcumque illorum tolerabilis esset audacia, si se audisse dixisset, quæ adhuc non licet homini loqui: cùm verò dixerit, quæ non licet homini loqui; isti qui sunt qui hæc audeant impudenter & infeliciter loqui? Sed jam istum sermonem hoc fine concludam: per quem vos esse cupio sapientes quidem in bono, integros autem à malo.

Johan. 6. 45.

Apocalypsis Pauli.

2. Cor. 12. 4.

TRACTATUS XCIX.

In illud, Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.

1. Quid est quod Dominus ait de Spiritu-sancto, cùm eum venturum esse promitteret, & docturum discipulos ejus omnem veritatem, vel eos deducturum in omni veritate, *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur?* Simile est enim hoc ei quod de se ipse dixit, Non possum à me facere quidquam, sicut audio judico. Sed illud cùm exponeremus, secundùm hominem posse accipi diximus, ut obedientiam suam qua factus est obediens usque ad mortem crucis, prænuntiasse Filius videretur & in judicio futuram, quo vivos & mortuos judicabit; quia hoc per id facturus est quod filius hominis est. Propter quod dixit, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio: quia in judicio non forma Dei qua æqualis est Patri, nec ab impiis videri potest, sed forma hominis apparebit, qua minoratus est etiam modico minùs ab Angelis: quamvis jam in claritate, non in pristina sit humilitate venturus, conspicuus tamen futurus & bonis & malis. Hinc ait & illud, Et potestatem dedit ei judicium facere, quoniam filius hominis est. In quibus verbis ejus manifestatur non eam formam præsentandam esse judicio, in qua cùm esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed illam quam cùm semetipsum exinaniisset, accepit. Semetipsum enim exinanivit formam servi accipiens: in qua videtur etiam ad faciendum judicium obedientiam suam commendasse, cùm dixit, Non possum facere à meipso quidquam, sicut audio judico. Adam namque per cujus unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, non sicut audivit, judicavit; quia quod audivit prævaricavit, & à semetipso fecit malum quod fecit; quia non Dei voluntatem, sed suam fecit: iste autem per cujus unius hominis obedientiam justi constituuntur multi, non solùm obediens fuit usque ad mortem crucis, in qua est vivus judicatus à mortuis; sed obedientem se futurum promittens in ipso quoque judicio, quo est de vivis judicaturus & mortuis, Non possum, inquit, à meipso facere quidquam, sicut audio judico. Sed numquid de Spiritu-sancto quod dictum est, *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur*, secundùm hominem vel secundùm assumtionem cujusquam creaturæ dictum esse audebimus opinari? Solus quippe in Trinitate Filius formam servi accepit, quæ forma illi ad unitatem personæ coaptata est, id est, ut Filius Dei & filius hominis unus sit Jesus Christus; ne non Trinitas, sed quaternitas prædicetur à nobis, quod absit à nobis. Propter quam personam unam ex duabus substantiis divinâ humanâque constantem, aliquando secundùm id quod Deus est loquitur, ut est illud quod ait, Ego & Pater unum sumus: aliquando secundùm id quod homo est, sicuti est illud, Quoniam Pater major me est: secundùm quod accepimus esse ab eo dictum & hoc unde nunc disputo, Non possum à meipso facere quidquam, sicut audio judico. In persona verò Spiritus-sancti quomodo accipiamus quod ait, *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur:* cùm in ea non sit alia divinitatis, alia humanitatis, vel alterius creaturæ cujuscumque substantia, magna exoritur difficultas.

Philip. 2. 8.

Johan. 5. 22.

Philip. 2. 7.

Johan. 5. 30.

Rom. 5. 19.

2. Illud enim quòd sicut columba Spiritus-sanctus apparuit specie corporali, visio fuit ad horam facta atque transacta: sicut etiam quando super discipulos venit, visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis, qui & insedit super unumquemque eorum. Qui ergo dicit columbam ad unitatem personæ Spiritui-sancto fuisse conjunctam, ut ex illa & Deo, (quia Spiritus-sanctus Deus est,) una Spiritus-sancti persona constaret; hoc etiam de illo igne compellitur dicere, ut intelligat nihil horum debere se dicere. Ista enim quæ de substantia Dei quoquo modo ut opus erat significanda, corporeis hominum sensibus se se intulerunt atque transierunt, ad horam divinitus facta sunt de creatura serviente, non de ipsa dominante natura, quæ in se manens quod vult movet, & quod vult immutabilis mutat. Sicut etiam vox illa de nube aures utique adtigit corporales, eumque sensum corporis qui vocatur auditus; nec tamen ullo modo credendum est Verbum Dei, quod est unigenitus Filius, quoniam Verbum dicitur, syllabis soniisque finiri: quia nec omnes simul sonare possunt cùm sermo fit, sed tamquam nascentes morientibus ordine suo soni quicumque succedunt, ut totum quod loquimur noviss imâ syllabâ compleatur. Absit ut sic loquatur Pater ad Filium, hoc est, Deus ad Verbum suum Deum. Sed hoc eorum est capere, quantum ab homine capi potest, ad quos non lac pertinet, sed solidus cibus. Cùm igitur Spiritus-sanctus nulla susceptione hominis sit homo factus, nulla susceptione Angeli sit Angelus factus, nulla susceptione cujusquam creaturæ creatura sit factus; quomodo de illo intelligendum est quod Dominus ait, *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur?* Ardua quæstio, nimis ardua. Ipse adsit Spiritus, ut saltem sicut eam cogitare possumus, sic eloqui possimus, ac sic ad intelligentiam vestram pro mei moduli facultate perveniat.

Matth. 3. 16.

Act. 2. 3.

Columba Spiritui-S. ad personæ unitatem non conjuncta.

3. Priùs itaque nosse debetis, & intelligere qui potestis, credere autem qui intelligere nondum potestis, in ea substantia quæ Deus est, non quasi per corporis molem sensus locis propriis distributos, sicut in carne mortali quorumque animalium alibi est visus, alibi auditus, alibi gustus, alibi olfactus, per totum autem tactus. Absit hoc credere in illa incorporea immutabilique natura. Audire ergo ibi & videre, idipsum est. Dicitur & olfactus in Deo: unde dicit Apostolus, Sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Et gustus intelligi potest, secundùm quem Deus & odit amaricantes, & nec frigidos nec calidos, sed tepidos evomit ex ore suo: & Deus Christus dicit, Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui me misit. Est etiam tactus ille divinus, unde dicit sponsa de sponso, Sinistra ejus sub capite meo, & dextera ejus complectetur me. Non sunt hæc in Deo per diversa corporis loca. Cùm enim dicitur scire, ibi sunt omnia, & videre, & audire, & olfacere, & gustare, & tangere, sine ulla ejus mutatione substantiæ, sine ulla mole quæ in alia parte major, in alia minor: etiam in senibus puerili pectore cogitatur, quando Deus sic cogitatur.

Ephes. 5. 2.

Apoc. 3. 16.

Johan. 4. 34.

Cant. 2. 6.

4. Nec mireris quòd ineffabilis Dei scientia, qua novit omnia, per varios humanæ locutionis modos, omnium istorum corporalium sensuum nominibus nuncupatur: cùm & ipsa mens nostra, hoc est homo interior, cui uniformiter scienti per hos quinque veluti nuntios corporis diversa nuntiantur, quando immutabilem veritatem intelligit, eligit, diligit, & lumen videt de quo dicitur, Erat lumen verum; & verbum audit de quo dicitur, In principio erat Verbum; & odorem capit de quo dicitur, Post odorem unguentorum tuorum curremus; & fontem bibit, de quo dicitur, Apud te est fons vitæ; & tactu fruitur, de quo dicitur, Mihi autem adhærere Deo bonum est: nec aliud atque aliud, sed una intelligentia tot sensuum nominibus nuncupatur. Cùm ergo de Spiritu-sancto dicitur, *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur:* multò magis ibi simplex natura, ubi verissimè simplex est, vel intelligenda est vel credenda, quæ longè altéque naturam nostræ mentis excedit. Mutabilis quippe est mens nostra, quæ percipit discendo quod nesciebat, & amittit dediscendo quod sciebat; & veri similitudine fallitur, ut pro vero approbet falsum, & obscuritate sua quasi quibusdam tenebris impeditur, ne perveniat ad verum. Et ideo non est ista substantia verissimè simplex, cui non hoc est esse quod nosse: potest enim esse, nec nosse. At illa divina non potest, quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud illi sit scientia qua scit, aliud essentia qua est; sed utrumque unum. Nec utrumque dicendum est, quòd simpliciter unum est. Sicut habet Pater vitam in semetipso, nec aliud est ipse quàm vita quæ in ipso est; & dedit Filio habere vitam in semetipso, hoc est, genuit filium qui & ipse vita esset. Sic itaque debemus accipere quod de Spiritu-sancto dictum est, *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur,* ut intelligamus non eum esse à semetipso. Pater quippe solus de alio non est. Nam & Filius de Patre natus est, & Spiritus-sanctus de Patre procedit: Pater autem nec natus est de alio, nec procedit. Nec ideo sanè aliqua disparilitas in summa illa Trinitate cogitationi occurrat humanæ: nam & Filius ei de quo natus est, & Spiritus-sanctus ei de quo procedit, æqualis est. Quid autem illic interfit inter procedere & nasci, & longum est quærendo differere, & temerarium cùm differueris definire: quia hoc & menti utcumque comprehendere, & si quid fortè mens inde comprehenderit, linguæ difficillimum est explicare, quantuslibet præsit doctor, quantuslibet adsit auditor. *Non* ergo *loquetur à semetipso:* quia non est à semetipso. *Sed quæcumque audiet loquetur:* ab illo audiet à quo procedit. Audire illi scire est: scire verò esse, sicut superiùs disputatum est. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quàm scientia.

Johan. 1. 9.

Cant. 1. 3.

Psal. 35. 10.

Psal. 72. 28.

5. Nec moveat, quòd verbum futuri temporis positum est. Non enim dictum est, quæcumque audivit, aut quæcumque audit, sed *quæcumque audiet, loquetur.* Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem quod sempiternum est, sine initio & sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat fuit & erit, sed tantùm, est: ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest; & ideo illi tantùm convenerat dicere, Ego sum qui sum: &, Dices filiis Israël, Qui est misit me ad vos: tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & est. Fuit, in præteritis sæculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit, quia numquam defuit; erit, quia numquam deerit; est, quia semper est. Neque enim velut qui jam non sit, cum præteritis occidit, aut cum præsentibus velut qui non maneat labitur, aut cum futuris velut qui non fuerat orietur. Proinde cùm secundùm volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit aut potest aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus-sanctus, quia semper scit: ergo & scivit, & scit, & sciet: ac per hoc & audivit, & audit, & audiet: quia sicut jam diximus, hoc est illi audire quod scire, & scire illi hoc est quod esse. Ab illo igitur audivit, audit, & audiet à quo est: ab illo est à quo procedit.

Exod. 3. 14.

6. Hîc aliquis forsitan quærat, utrùm & à Filio procedat Spiritus-sanctus. Filius enim solius Patris est Filius, & Pater solius Filii est Pater: Spiritus autem sanctus non est unius eorum Spiritus, sed amborum. Habes ipsum Dominum dicentem, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis: habes & Apostolum, Misit Deus, Spiritum Filii sui in corda vestra. Numquid duo sunt, alius Patris, alius Filii? absit. Unum enim corpus, ait, cùm significaret Ecclesiam; moxque addidit, & unus Spiritus. Et vide quomodo illic impleat Trinitatem. Sicut vocati estis, inquit, in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus; hîc utique Christum intelligi voluit: restat ut etiam Patrem nominet: sequitur ergo, Una

Spiritus-S. an & à Filio procedat.

Matth. 10. 20.

Gal. 4. 6.

Ephes. 4. 4. &c.

» fides, unum baptisma : unus Deus & Pater om-
« nium, qui super omnes, & per [a] omnes, & in omnibus nobis. Cùm ergo sicut unus Pater, & unus Dominus, id est Filius, ita sit & unus Spiritus; profectò amborum est: quandoquidem dicit ipse Christus Jesus, Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Et dicit Apostolus, Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra. Habes alio loco eumdem Apostolum dicentem, Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis : hîc utique Spiritum Patris intelligi voluit: de quo tamen alio loco dicit, Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Et multa alia sunt testimonia, quibus hoc evidenter ostenditur, & Patris & Filii esse Spiritum, qui in Trinitate dicitur Spiritus-sanctus.

Matth. 10. 20. *Galat.* 4. 6. *Rom.* 8. 11.

7. Nec ob aliud existimo ipsum vocari propriè spiritum : cùm etiam si de singulis interrogemur, non possimus nisi & Patrem & Filium spiritum dicere; quoniam spiritus est Deus, id est, non corpus est Deus, sed spiritus. Quod ergo communiter vocatur & singuli, hoc propriè vocari oportuit eum qui non est unus eorum, sed in quo communitas apparet amborum. Cur ergo non credamus quòd etiam de Filio procedat Spiritus-sanctus, cùm Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim non ab eo procederet, non post resurrectionem se repræsentans discipulis suis insufflasset dicens, Accipite Spiritum-sanctum. Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quòd procedat Spiritus-sanctus & de ipso? Ad hoc pertinet etiam illud quod de muliere quæ fluxum sanguinis patiebatur, ait, Tetigit me aliquis, ego enim sensi de me virtutem exiisse. Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum-sanctum, & eo loco clarum est, ubi Angelus dicenti Mariæ, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco : respondit, Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi : & ipse Dominus promittens eum discipulis, ait, Vos autem sedete in civitate quò usque induamini virtute ex alto : & iterum, Accipietis, inquit, virtutem Spiritus-sancti supervenientem in vos, & eritis mihi testes. De hac virtute credendus est dicere Evangelista, Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Johan. 4. 24. *Johan.* 20. 21. *Luc.* 8. 46. *Luc.* 1. 34. *Luc.* 24. 49. *Act.* 1. 8. *Luc.* 6. 19.

b 8. [b] Si ergo & de Patre & de Filio procedit Spiritus-sanctus; cur Filius dixit, De Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre & quod ipsius est, de quo & ipse est? Unde illud est quod ait, Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit. Si igitur intelligitur hîc ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quantò magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus-sanctus, ubi sic ait De Patre procedit, ut non diceret De me non procedit? A quo autem habet Filius ut sit Deus, (est enim de Deo Deus,) ab illo habet utique ut etiam de illo procedat Spiritus-sanctus : ac per hoc Spiritus-sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.

Johan. 15. 26. *Johan.* 7. 16.

9. Hîc utcumque etiam illud intelligitur, quantum à talibus quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potiùs procedere Spiritus-sanctus. Quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris & matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem & Deum Filium tale aliquid suspicemur. Quia nec Filius hominum simul & ex patre & ex matre procedit : sed cùm in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre; & cùm in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul de utroque procedit : quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo, quoque procedat. Neque enim possumus dicere quòd non sit vita Spiritus-sanctus; cùm vita Pater, vita sit Filius. Ac per hoc sicut Pater cùm habeat vitam in semetipso, dedit & Filio habere vitam in semetipso : sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut procedit & de ipso. Sequuntur autem verba Domini dicentis, * *Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* * *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* * *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt : propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Sed quia iste jam prolixus est, in alium sunt differenda sermonem.

Johan. 16. *v.* 13. *v.* 14. *v.* 15.

TRACTATUS C.

In ejusdem lectionis verba postrema.

1. Cum promitteret Dominus venturum Spiritum-sanctum, Docebit vos, inquit, omnem veritatem, vel quod in nonnullis codicibus legitur, Deducet vos in omni veritate. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur. De quibus Evangelicis verbis jam quod donavit Dominus disputavimus : nunc ea quæ sequuntur adtendite. *Et quæ ventura sunt,* inquit, *annuntiabit vobis.* Neque hîc est, quoniam planum est, immorandum : nihil enim habet quæstionis, cujus à nobis expositio flagitetur. Sed quod adjungit, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis,* non negligenter est transeundum. Quòd enim ait, *Ille me clarificabit,* potest intelligi, quia diffundendo in cordibus credentium caritatem, spiritalesque faciendo, delaravit eis quomodo Filius Patri esset æqualis, quem secundùm carnem priùs tantummodo noverant, & hominem sicut homines cogitabant. Vel certè quia per ipsam caritatem fiduciâ repleti & timore depulso annuntiaverunt hominibus Christum : ac sic fama ejus diffusa est toto orbe terrarum. Ut sic dixerit, *Ille me clarificabit,* tamquam diceret, Ille vobis auferet timorem, & dabit amorem, quo me ardentiùs prædicantes, gloriæ meæ per totum mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi fuerant in Spiritu-sancto, hoc eumdem Spiritum dixit esse facturum : quale est etiam illud, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Verbum quippe Græcum quod est δοξάσει, alius *clarificabit,* alius *glorificabit,* Latini interpretes in sua quisque translatione posuerunt : quoniam ipsa quæ Græcè dicitur δόξα, unde dictum est verbum δοξάσει, & claritas interpretatur & gloria. Gloriâ namque fit quisque clarus, & claritate gloriosus : ac per hoc quod utroque verbo significatur, idipsum est. Sicut autem definierunt antiqui Latinæ linguæ clarissimi auctores, Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Quæ cùm est in hoc mundo facta de Christo, non Christo credenda est magnum ali-

Johan. 16. 13. *v.* 14. *Matth.* 10. 20. Gloria quid.

[a] Editi, *per omnia.* At MSS. *per omnes* : nec nisi pauci addunt *nobis* in vers. fine. Porrò in Græco est δι' πάντων incerti generis : & ad finem δι' ὑμῶν ὑμῶν, qua in voce consentiebat Vulg. in antiq. Corbeiens. Bibliis.

[b] Hunc locum transtulit August. in 15. lib. de Trinitate c. 27.

quid contulisse, sed mundo. Bonum enim laudare, non laudato, sed laudantibus prodest.

2. Est autem etiam falsa gloria, quando laudantes errore falluntur, sive in rebus, sive in hominibus, sive in utrisque. Nam in rebus falluntur, quando putant id bonum esse quod malum est : in hominibus autem, quando putant eum bonum esse qui malus est : in utrisque verò, quando & id quod est vitium, virtus putatur; & ipse qui propter hoc laudatur, non habet quod putatur, sive sit bonus, sive sit malus. Donare quippe res suas histrionibus, vitium est immane, non virtus : & scitis de talibus quàm sit frequens fama cum laude; quia, sicut scriptum est, Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. Hîc laudatores non falluntur in hominibus, sed in rebus : malum est enim, quod bonum esse credunt. Illi autem qui hoc malo largitionis vitiosi sunt, tales utique sunt, quales eos hi qui laudant non suspicantur esse, sed cernunt. Porrò si se quisquam justum fingat, & non sit, sed totum quidquid coram hominibus laudabiliter agere videtur, non agat propter Deum, hoc est propter veram justitiam, sed solam quærat & diligat ab hominibus gloriam; illi autem apud quos frequens est ejus fama cum laude, non eum putent nisi propter Deum laudabiliter vivere, non falluntur in re, sed falluntur in homine. Quod enim bonum esse credunt, est bonum : sed quem bonum esse credunt, non est bonus. Quòd si putetur, verbi gratiâ, bonum artium peritia magicarum, & dum quisque patriam liberasse eisdem quas omnino nescit artibus creditur, frequentem cum laude famam, quæ gloria definita est, apud homines impios consequatur; errant in utroque qui laudant, & in re scilicet, quia id quod malum est bonum putant; & in homine, quia non est quod putant. Quapropter falsa est in his tribus generibus gloria. Cùm autem de aliquo per Deum & propter Deum justo, hoc est, veraciter justo, causâ ipsius justitiæ frequens est fama cum laude; vera quidem gloria est, non tamen eâ credendum est beatificari justum, sed laudantibus gratulandum est, quia rectè judicant, & diligunt justum. Quantò magis ergo Dominus Christus, non sibi, sed eis profuit gloriâ suâ, quibus profuit morte sua?

Psal. 9. 3.

3. Sed non est vera ejus apud hæreticos gloria, apud quos tamen frequentem famam videtur habere cum laude. Non est hæc vera gloria, quia in utroque falluntur : nam & bonum putant esse quod bonum non est, & Christum putant esse quod Christus non est. Unigenitum enim Filium æqualem non esse gignenti, non est bonum : unigenitum Dei Filium hominem tantùm esse, non Deum, non est bonum : Veritatis carnem non esse veram carnem, non est bonum. Horum trium quæ dixi, primum sentiunt Ariani, secundum Photiniani, tertium Manichæi. Sed quia & eorum nihil est bonum, & Christus nihil est eorum, in utroque falluntur : nec dant veram gloriam Christo, quamvis apud eos esse videatur cum laude frequens fama de Christo. Et omnes prorsus hæretici, quos commemorare nimis longum est, qui de Christo non rectè sentiunt, ideo errant, quia & de bonis rebus ac malis non verum sentiunt. Pagani etiam quoniam sunt Christi plurimi laudatores, & ipsi in utroque falluntur, qui non secundùm veritatem Dei, sed potiùs secundùm suam suspicionem dicunt eum fuisse hominem magum. Christianos quippe velut imperitos vituperant, Christum autem velut magum laudant, ac sic produnt quod amant : Christum verò non amant; quoniam quod non erat Christus, hoc amant. Ideo ergo in utroque falluntur, quia & magum esse malum est; & magus non fuit Christus, quia bonus est. Quapropter quoniam de his nihil hoc loco dicendum est, qui Christum vituperant atque blasphemant; quia de gloria ejus loquimur, qua est glorificatus in mundo : non eum glorificavit Spiritus-sanctus verâ gloriâ, nisi in Ecclesia sancta catholica. Alibi enim, id est, vel apud hæreticos, vel apud quosdam paganos, vera ejus in terris gloria non potest esse, & ubi videtur esse frequens de illo fama cum laude. Vera ergo ejus gloria in Ecclesia catholica sic à Propheta cantatur : Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Quia itaque post ejus exaltationem venturus erat Spiritus-sanctus, & eum glorificaturus, hoc facer Psalmus, hoc ipse Unigenitus promisit futurum, quod videmus impletum.

Psal. 107. 6.

4. Quod autem ait, *De meo accipiet, & annuntiabit vobis,* catholicis audite auribus, catholicis percipite mentibus. Non enim propterea, sicut quidam hæretici putaverunt, minor est Filio Spiritus-sanctus : quasi Filius accipiat à Patre, & Spiritus-sanctus à Filio quibusdam gradibus naturarum. Absit hoc credere, absit hoc dicere, absit à Christiani cordibus cogitare. Denique continuò solvit ipse quæstionem, & cur hoc dixerit, explanavit. *Omnia,* inquit, *quæcumque habet Pater, mea sunt : propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid vultis amplius? Ergo de Patre accipit Spiritus-sanctus, unde accipit Filius : quia in hac Trinitate de Patre natus est Filius, de Patre procedit Spiritus-sanctus. Qui autem de nullo natus sit, de nullo procedat, Pater solus est. Quomodo autem dixerit unigenitus Filius, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt,* (quia utique non sic quemadmodum dictum est illi Filio non unigenito, sed ex duobus majori, Tu mecum es semper, & omnia mea tua sunt;) eo loco, si Dominus voluerit, diligenti consideratione tractabitur, ubi dicit Unigenitus Patri, Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt : ut hîc iste sermo claudatur; quoniam quæ sequuntur, aliud poscunt, quo differantur, exordium.

Macedoniani. *Johan.* 16. 15. *Luc.* 15. 31. *Johan.* 17. 10.

TRACTATUS CI.

De eo quod Dominus dicit, Modicum & jam non videbitis me : *usque ad id,* Et in illo die me non rogabitis quidquam.

1. Hæc Domini verba ubi ait, *Modicum & jam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem,* ita obscura erant discipulis, antequam id quod dicit impletum esset, ut quærentes inter se quid esset quod diceret, omnino se faterentur nescire. Sequitur enim Evangelium, * *Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem, Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, & quia vado ad Patrem?* * *Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur.* Hoc enim est quod eos movebat, quia dixit, *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* Nam in præcedentibus quia non dixerat, *Modicum,* sed dixerat, Ad Patrem vado, & jam non videbitis me : tamquam

Johan. 16. 16. *v.* 17. *v.* 18. *Ibidem* 20.

apertè illis visus est locutus, nec inter se de hoc ali- A quid quæsierunt. Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit, & mox manifestatum est, jam nobis utique manifestum est: post paululum enim passus est, & non viderunt eum; rursus post paululum resurrexit, & viderunt eum. Illud autem quod ait, *Iam non videbitis me*, quia isto verbo, id est, *jam*, hoc intelligi voluit quòd eum ulteriùs non viderent, ibi exposuimus quomodo accipiendum sit, ubi dixit, *Suprà in Tract. 95.* De justitia arguet mundum Spiritus-sanctus, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me: quia scilicet mortalem Christum ulteriùs non viderent.

v. 19. 2. * *Cognovit autem Jesus*, sicut sequens Evangelista dicit, *quia volebant eum interrogare, & dixit eis, De hoc quæritis inter vos, quia dixi; Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis*
v. 20. *me?* * *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit: vos autem contri-*
a *stabimini, sed tristitia vestra in gaudium* a *erit.* Et hoc sic accipi potest, quia contristati sunt discipuli de morte Domini, & confestim de resurrectione lætati: mundus autem, quo nomine significati sunt ini- C mici, à quibus Christus occisus est, tunc utique lætati sunt occiso Christo, quando sunt discipuli contristati. Mundi quippe nomine, malitia potest mundi hujus intelligi, id est, hominum mundi hujus amicorum. Unde Jacobus apostolus in Epistola sua
Iacobi 4. 4. dicit, Quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. quibus inimicitiis Dei factum est, ut nec ejus Unigenito parceretur.

Iohan. 16. v. 21. 3. Deinde subjungit, & dicit, * *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cùm autem* D *pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gau-*
v. 22. *dium, quia natus est homo in mundum:* * *& vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Nec ista similitudo ad intelligendum videtur esse difficilis: quoniam comparatio ejus in promtu est, eodem ipso exponente cur dicta sit. Parturitio quippe tristitiæ, partus autem gaudio comparatur, quod tunc majus esse consuevit, quando non puella, sed puer nascitur. Quod E verò ait, *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, quia
Rom. 6. 9. gaudium eorum est ipse Jesus, significatum est quod ait Apostolus, Christus surgens à mortuis jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur.

4. Huc usque in isto Evangelii capitulo, unde hodie disputamus, velut facili intellectu omnia cucurrerunt: acrior necessaria est in his quæ sequun-
Iohan. 16. 23. tur intentio. Quid est enim quod ait, *Et in illo die me non rogabitis quidquam?* Hoc verbum quod est
Græc. ἐρωτᾶν. rogare, non solùm petere, verùm etiam interroga- F re significat; & Græcum Evangelium, unde hoc translatum est, tale habet verbum quod utrumque possit intelligi, ut hæc ambiguitas nec inde solvatur: quamquam etsi solveretur, non ideo nulla quæstio remaneret. Dominum etenim Christum postquam resurrexit, & interrogatum legimus & rogatum. Nam interrogatus est à discipulis adscen-
Act. 1. 6. surus in cælum, quando præsentaretur, & quando regnum esset Israël: cùm verò jam esset in cælo,
Act. 7. 59. rogatus est à sancto Stephano, ut spiritum ejus ac- G ciperet. Et quis audeat vel cogitare vel dicere, in cælo sedentem Christum rogandum non esse, & in terra manentem rogatum fuisse? rogandum non esse immortalem, rogari debuisse mortalem? Immo, Carissimi, rogemus eum, ut nodum quæstionis hujus ipse dissolvat, lucendo in cordibus nostris ad videnda quæ dicit.

5. Puto enim quod ait, *Iterum autem videbo vos,* *Iohan. 16.* *& gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tol-* *22.* *let à vobis*, non ad illud tempus esse referendum quo resurrexit, eisque suam carnem cernendam tangendamque monstravit: sed potiùs ad illud un- *Iohan. 20.* de jam dixerat, Qui diligit me, diligetur à Patre *17.* meo, & ego diligam eum, & manifestabo meipsum *Iohan. 14.* illi. Jam quippe resurrexerat, jam se illis in carne *21.* monstraverat, jam sedebat ad dexteram Patris, B quando dicebat idem ipse apostolus Johannes, cujus est hoc Evangelium, in Epistola sua, Dilectissi- *1. Iohan 3. 2.* mi, nunc filii Dei sumus, & nondum manifestatum « est quid erimus: scimus quia cùm manifestatum fue- « rit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum si- « cuti est. Ista visio non vitæ hujus est, sed futuræ; non temporalis, sed æterna. Hæc est autem vita *Iohan. 17. 3.* æterna, dicente ipsâ vitâ, ut cognoscant te, in- « quit, unum verum Deum, & quem misisti Jesum « Christum. De hac visione & cognitione dicit Apostolus, Videmus nunc per speculum in ænigmate, *1. Cor. 13.* tunc autem facie ad faciem: nunc scio ex parte, *12. & 13.* tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Hunc « totius laboris sui fructum Ecclesia nunc parturit desiderando, tunc est paritura cernendo; nunc parturit gemendo, tunc paritura lætando; nunc parturit orando, tunc paritura laudando. Et ideo masculum; quoniam ad istum fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis. Solus est enim liber; quia propter se appetitur, & non refertur ad aliud. Huic servit actio: ad hunc enim refertur quidquid bene agitur, quia propter hunc agitur: ipse autem non propter aliud, sed propter semetipsum tenetur & habetur. Ibi ergo finis qui sufficit nobis. Æternus igitur erit: neque enim nobis sufficit finis, nisi cujus nullus est finis. Hoc inspiratum erat Philippo quando dixit, Ostende nobis Patrem, & sufficit *Iohan. 14. 8.* nobis. In qua ostensione se promisit & Filius dicens, Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? De hoc itaque quod sufficit nobis, rectissimè audimus, *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

6. De hoc etiam quæ superiùs dicta sunt, melius existimo intelligi, *Modicum & jam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* Modicum est enim hoc totum spatium quo præsens pervolat sæculum: unde dicit idem ipse Evangelista in Epi- *1. Iohan. 2.* stola sua, Novissima hora est. Ideo namque addi- *18.* dit, *quia vado ad Patrem:* quod ad priorem sententiam referendum est, ubi ait, *Modicum & jam non videbitis me:* non ad posteriorem ubi ait, *& iterum modicum & videbitis me.* Eundo quippe ad Patrem, facturus erat ut eum non viderent. Ac per hoc non ideo dictum est, quia fuerat moriturus, & donec resurgeret, ab eorum adspectibus recessurus: sed quòd esset iturus ad Patrem, quod fecit postea quàm resurrexit, & cum eis per quadraginta dies *Act. 1. 3. &* conversatus adscendit in cælum. Illis ergo ait, *Mo-* *9.* *dicum & jam non videbitis me*, qui eum corporaliter tunc videbant, quia iturus erat ad Patrem, & eum deinceps mortalem visuri non erant, qualem cùm ista loqueretur videbant. Quod verò addidit, *& iterum modicum & videbitis me*, universæ promisit *Matth. 28.* Ecclesiæ: sicut universæ promisit, Ecce ego vobis- *20.* cum sum usque in consummationem sæculi. Non tardat Dominus promissum: modicum, & videbimus eum, ubi jam nihil rogemus, nihil interroge-

a Sic MSS. At editi, *vertetur in gaudium.*

mus; quia nihil desiderandum remanebit, nihil A quærendum latebit. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: cùm finitum fuerit, tunc sentiemus quàm modicum fuerit. Non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est, *Mundus autem gaudebit*: nec tamen in hujus desiderii parturitione sine gaudio tri-
Rom. 12. 12. stes simus, sed sicut ait Apostolus, Spe gaudentes, in tribulatione patientes: quia & ipsa parturiens, cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole, quàm tristis est de præsenti dolore. Sed hu- B jus sermonis iste sit finis: habent enim quæstionem molestissimam quæ sequuntur, nec brevitate coartanda sunt, ut possint commodiùs, si Dominus voluerit, explicari.

TRACTATUS CII.

De eo quod Dominus ait, Amen, amen dico vobis, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: *usque ad id*, Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. C

1. DOMINI verba nunc ista tractanda sunt, *Amen, amen dico vobis, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jam
Iohan. 16. 23. dictum est in superioribus hujus Dominici sermonis
Suprà Tract. 73. partibus, propter eos qui nonnulla petunt à Patre in Christi nomine, nec accipiunt, non peti in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis. Non enim sonum litterarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono rectè D ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est dicere cùm dicit, *in nomine meo.* Unde qui hoc sentit de Christo quod non est de unico Dei Filio sentiendum, non petit in ejus nomine, etiamsi non taceat litteris ac syllabis Christum: quoniam in ejus nomine petit, quem cogitat cùm petit. Qui verò quod est de illo sentiendum sentit, ipse in ejus nomine petit; & accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quædam enim non negantur, sed E ut congruo dentur tempore differuntur. Ita sanè intelligendum est quod ait, *dabit vobis*, ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt propriè pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utcumque dictum est, *dabit*; sed, *dabit vobis.*

Iohan. 16. 24. 2. *Usque modò*, inquit, *non petistis quidquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum* F *sit plenum.* Hoc quod dicit gaudium plenum, profectò non carnale, sed spiritale gaudium est: & quando tantum erit, ut aliquid ei jam non sit addendum, procul dubio tunc erit plenum. Quidquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si divinam intelligimus gratiam, si verè beatam poscimus vitam. Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omnino res est, sed quia in tantæ rei comparatione quidquid aliud concupisci- G tur, nihil est. Neque enim prorsus nulla res est homo, de quo ait Apostolus, *Qui se putat aliquid esse*
Galat. 6. 3. cùm nihil sit. In comparatione quippe spiritalis hominis, qui scit gratiâ Dei se esse quod est, quisquis vana præsumit, nihil est. Etiam sic ergo rectè intelligi potest, *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* ut hoc quod ait, *si quid*, non quodlibet intelligatur, sed aliquid quod non in beatæ vitæ comparatione sit nihil. Et quod sequitur, *Usque modò non petistis quidquam in nomine meo*, duobus modis intelligi potest: vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognovistis: vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. Ut igitur in ejus nomine non nihil, sed gaudium plenum petant, (quoniam si aliquid aliud petunt, idem aliquid nihil est,) exhortatur dicens, *Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum:* id est, Hoc in nomine meo petite, ut gaudium vestrum sit plenum, & accipietis. Isto enim bono in petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia divina fraudabit.

3. *Hæc*, inquit, *in proverbiis locutus sum vobis: venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed palàm de Patre meo annuntiabo vobis.* Possem dicere hanc de qua loquitur horam, futurum oportere C sæculum intelligi, ubi videbimus palàm, quod bea- *1. Cor. 13. 12.* tus Paulus dicit, facie ad faciem: ut quod ait, *Hæc in proverbiis locutus sum vobis*, hoc sit quod ab eo- *Ibidem.* dem Apostolo dictum est, Videmus nunc per speculum in ænigmate: *annuntiabo* autem *vobis*, quia per Filium Pater videbitur, juxta illud quod alibi ait, Neque Patrem quis cognoscit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Sed istum sensum videtur impedire quod sequitur, *Illo die in nomine meo petetis.* In futuro enim sæculo cùm pervenerimus ad *1. Iohan. 3. 2.* regnum, ubi similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, quid petituri sumus, quando satiabitur in bonis desiderium nostrum? Unde & in alio *Psal. 16. 15.* Psalmo dicitur, Satiabor cùm manifestabitur gloria tua. Petitio namque alicujus est indigentiæ, quæ ibi nulla erit, ubi hæc satietas erit.

4. Relinquitur itaque, quantum sapere valeo, ut intelligatur Jesus discipulos suos de carnalibus vel animalibus se spiritales promisisse facturum, quamvis nondum tales quales erimus, quando spiritale etiam corpus habebimus; sed qualis erat qui dice- E bat, Sapientiam loquimur inter perfectos: &, Non *1. Cor. 2. 6.* potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: &, Non spiritum hujus mundi accepimus, *Ibidem 12.* sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo « &c. donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in sapien- « tiæ humanæ doctis verbis, sed doctis spiritûs, spiri- « talibus spiritalia comparantes: animalis autem ho- « mo non percipit quæ sunt spiritûs Dei. Non itaque « percipiens quæ sunt spiritûs Dei homo animalis, sic audit quæcumque audit de Dei natura, ut aliud F quàm corpus cogitare non possit, quamlibet amplissimum vel immensum, quamlibet lucidum ac speciosum, corpus tamen: ideo proverbia illi sunt quæcumque dicta sapientiæ de incorporea immutabilique substantia; non quòd ea tamquam proverbia deputat, sed quia sic cogitat, quomodo qui proverbia solent audire neque intelligere. Cùm verò spiritalis cœperit omnia dijudicare, ipse autem à ne- *Ibidem 15.* mine dijudicari, etiamsi in hac vita adhuc velut per speculum ex parte, perspicit tamen non ullo corpo- G *1. Cor. 13. 12.* ris sensu, non ulla imaginaria cogitatione quæ capit aut fingit qualiumcumque similitudines corporum, sed mentis certissimâ intelligentiâ, Deum non corpus esse sed spiritum: ita palàm de Patre annuntiante Filio, ut ejusdem substantiæ conspiciatur & ipse qui annuntiat. Tunc in ejus nomine petunt qui petunt; quia in sono ejus nominis non aliud quàm

res ipsa est, quæ hoc nomine vocatur, intelligunt, A nec animi vanitate vel infirmitate confingunt tamquam in alio loco Patrem, in alio Filium ante Patrem stantem, & pro nobis rogantem, spatia sua quæque amborum occupantibus molibus, & Verbum ad eum cujus est Verbum facere verba pro nobis, intervallo interposito inter os loquentis & auriculas audientis; & alia talia quæ sibi animales, iidemque carnales in cordibus fabricantur. Quidquid enim tale spiritalibus de Deo cogitantibus ex corporum consuetudine occurrit, negando atque B respuendo, tamquam importunas muscas, ab interioribus oculis abigunt; & sinceritati ejus lucis adquiescunt, qua teste ac judice has ipsas imagines corporum suis internis adspectibus irruentes, falsas omnino esse convincunt. Hi possunt utcumque cogitare Dominum nostrum Jesum Christum inquantum homo est, pro nobis interpellare Patrem; inquantum autem Deus est, nos exaudire cum Patre. Quod eum significasse arbitror ubi ait, *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.* Ad hoc C quippe intuendum quomodo non rogat Patrem Filius, sed simul exaudiunt rogantes Pater & Filius, nonnisi spiritalis oculus mentis adscendit.

Johan. 16. 27. 5. *Ipse enim Pater*, inquit, *amat vos, quia vos me amastis.* Ideo amat ille, quia nos amamus, an potius, quia ille amat, ideo nos amamus? Ex Epi-
1. Johan. 4. 10. stola sua Evangelista idem ipse respondeat: Nos diligimus, inquit, quia prior ipse dilexit nos. Hinc ergo factum est ut diligeremus, quia dilecti sumus. Prorsus donum Dei est diligere Deum. IPSE UT D DILIGERETUR DEDIT, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, ut esset in nobis unde placeremus. Non enim amaremus Filium, nisi amaremus & Patrem. Amat nos Pater, quia nos amamus Filium; cùm à Patre & Filio acceperimus,
Rom. 5. 5. ut & Patrem amemus & Filium: diffundit enim caritatem in cordibus nostris amborum Spiritus, per quem Spiritum & Patrem amamus & Filium, & quem Spiritum cum Patre amamus & Filio. Amorem itaque nostrum pium quo colimus Deum, fecit E Deus, & vidit quia bonum est: ideo quippe amavit ipse quod fecit. Sed in nobis non faceret quod amaret, nisi antequam id faceret, nos amaret.

Johan. 16. 28. 6. *Et credidistis*, inquit, *quia à Deo exivi. Exivi à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Planè credidimus. Neque enim propterea debet incredibile videri, quia sic ad mundum veniens exiit à Patre, ut non desereret Patrem; & sic vadit ad Patrem relicto mundo, ut non deserat mundum. Exiit enim à Patre, quia de Patre est: F in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit quod de virgine assumsit. Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad Patrem hominis adscensione, nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione.

TRACTATUS CIII.

De eo quod sequitur, Dicunt ei discipuli ejus, Ecce nunc palàm loqueris: *usque ad id*, Sed confidite, ego vici mundum. G

1. QUALES erant discipuli Christi, quando cum eis ante passionem loquebatur magna cum parvis, sed sicut oportebat ut magna dicerentur & parvis, quia nondum accepto Spiritu-sancto, quemadmodum eum post ejus resurrectionem vel ipso insufflante, vel de super acceperunt, humana magis quàm divina sapiebant, multis indiciis per totum Evangelium declaratur: unde & hoc est quod in ista lectione dixerunt. Ait enim Evangelista, * *Dicunt ei discipuli ejus, Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis:* *Johan. 16.* *v. 29.* * *nunc scimus quia nosti omnia, & non opus est tibi* *v. 30.* *ut quis te interroget; in hoc credimus quia à Deo existi.* Ipse Dominus paulò antè dixerat: Hæc in pro- *v. 25. &c.* verbiis locutus sum vobis: venit hora cùm jam non « in proverbiis loquar vobis. Quomodo ergo isti di- « cunt, *Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis?* Numquid hora jam venerat, qua non jam in proverbiis se promiserat locuturum? Prorsus quòd nondum illa hora venisset, continuatio verborum ejus ostendit, quæ ita sese habet: Hæc, « inquit, in proverbiis locutus sum vobis: venit hora « cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed pa- « làm de Patre meo annuntiabo vobis. Illo die in no- « mine meo petetis: & non dico vobis, quia ego ro- « gabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos, « C quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo « exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum « relinquo mundum, & vado ad Patrem. Cùm per « hæc omnia verba adhuc illam promittat horam, qua non jam in proverbiis loquetur, sed palàm de Patre annuntiabit eis: in qua hora dicit eos in suo nomine petituros, nec se Patrem de illis rogaturum, eo quòd ipse Pater amet eos, quia & ipsi amaverunt Christum, & crediderunt quòd à Patre exierit & venerit in mundum, iterum relicturus mundum & iturus ad Patrem: cùm ergo adhuc promittatur hora illa, in qua sine proverbiis locuturus est, cur isti dicunt, *Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis:* nisi quia illa quæ scit ipse non intelligentibus esse proverbia, illi usque adeo non intelligunt, ut neq; saltem non se intelligere intelligant? Parvuli enim erant, & nondum spiritaliter dijudicabant, quæ de rebus non ad corpus, sed ad spiritum pertinentibus audiebant.

* 2. Denique de ipsa eorum ætate adhuc secundùm interiorem hominem parva & infirma eos admonens, * *Respondit eis Jesus, Modò creditis?* * *Ecce* *v. 31. v. 32.* *venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis. Et non sum solus, quia Pater mecum est.* Paulò antè dixerat, Relinquo mundum, & vado ad Patrem: nunc *Ibidem v.* dicit, *Pater mecum est.* Quis vadit ad eum qui cum *28.* illo est? Sed ho c intelligenti est verbum, non intelligenti proverbium: sic tamen quod modò à parvulis non intelligitur, utcumque fugitur; & eis etiam si non præbet, quia nondum eum capiunt, solidum cibum, saltem lacteum non denegat alimentum. Ex hoc alimento est, quòd sciebant eum nosse omnia, nec opus ei esse ut eum quis interroget: quod quidem cur dixerint, quæri potest. Videtur enim potiùs fuisse dicendum, Non opus est tibi, ut quemquam interroges: non, *ut quis te interroget.* Dixerunt quippe, *Scimus quia nosti omnia:* & utique qui novit omnia, magis à nescientibus interrogari solet, ut interrogantes audiant quod volunt, ab eo qui novit omnia; non ipse interrogare, tamquam volens aliquid scire, qui novit omnia. Quid sibi ergo vult, quòd ei quem sciebant nosse omnia, cùm dicere debuisse videantur, Non opus est tibi ut quemquam interroges, dicendum potiùs putaverunt, *Non opus est tibi ut quis te interroget?* Quid quòd utrumque legimus factum, & interrogasse scilicet Dominum, & interrogatum fuisse?

Sed hoc citò solvitur: quia hoc non ei, sed illis potiùs opus erat quos interrogabat, vel à quibus interrogabatur. Neque enim aliquos ille interrogabat, ut ab eis aliquid disceret, sed eos potiùs ut doceret. Et qui interrogabant eum, volentes ab eo aliquid discere, illis profectò id opus erat, ut scirent aliqua ab illo qui noverat omnia. Nimirum ergo propterea non opus erat ut eum quis interrogaret. Quoniam nos quando interrogamur ab eis qui volunt aliquid à nobis scire, ex ipsis interrogationibus eorum cognoscimus quid velint discere; opus est ergo nobis ab eis interrogari, quos docere aliquid volumus, ut inquisitiones eorum quibus respondendum est noverimus: illi autem ne id quidem opus erat, qui omnia noverat: nec opus habebat quod ab eo quisque scire vellet, per ejus interrogationem cognoscere; quia priùs quàm interrogaretur, interrogaturi noverat voluntatem. Sed ideo se patiebatur interrogari, ut vel eis qui tunc aderant, vel qui hæc sive dicta fuerant audituri, sive scripta lecturi, quales essent, à quibus interro- C gabatur, ostenderet: eoque modo nossemus, vel quibus non circumveniretur fraudibus, vel quibus apud eum proficeretur accessibus. Prævidere autem cogitationes hominum, & ideo non opus habere ut eum quis interrogaret, magnum Deo non erat, sed magnum parvulis erat qui ei dicebant, *In hoc credimus quia à Deo existi.* Multo autem majus erat, ad quod intelligendum eos volebat extendi & crescere, quod cùm illi dixissent, verum- D que dixissent, *à Deo existi*, ait ille, *Pater mecum est:* ne sic à Patre Filium cogitarent exisse, ut putarent etiam recessisse.

Johan. 16. 33. 3. Deinde sermonem istum magnum proli- xumque concludens, *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* Illud initium fuerat habitura ista pressura, de quo superiùs ut eos ostenderet parvulos, quibus adhuc non intelligentibus & aliud pro alio sentientibus, proverbia quodammodo essent quæcumque magna & di- E vina dixisset, ait, *Modò creditis? Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria.* Ecce initium pressuræ, sed non eo modo perseveraturæ. Quod enim adjunxit, *& me solum relinquatis*, non vult eos tales esse in consequenti pressura, quam post ejus adscensionem in mundo fuerant habituri, ut relinquant eum: sed ut in illo pacem habeant permanentes in eo. Non enim quando comprehensus est, tantummodo carne sua ejus carnem, verùm etiam mente reliquerunt F fidem. Ad hoc pertinet quod ait, *Modò creditis? Ecce venit hora ut dispergamini in propria, & me relinquatis:* tamquam diceret, Tunc ita perturbabimini, ut etiam quod modò creditis, relinquatis. Venerunt enim ad tantam desperationem, & suæ pristinæ fidei, ut ita dixerim, mortem, quanta apparuit in illo Cleopa, qui post ejus resurrectionem cum illo se loqui nesciens, & quid ei contige- *Luca 24. 1.* rit narrans, Nos, inquit, sperabamus quòd ipse G fuerat redemturus Israël. Ecce quomodo eum reliquerant, deserendo etiam ipsam fidem qua in eum antè crediderant. In ea verò pressura quam post ejus glorificationem accepto Spiritu-sancto pertulerunt, non eum reliquerunt: & quamvis fugerent de civitate in civitatem, ab ipso non refugerunt; sed ut habentes pressuram in mundo, in illo pacem tenerent, non ab ipso refugæ fuerunt, sed ipsum A potiùs refugium habuerunt. Dato quippe illis Spiritu-sancto, factum est in eis quod nunc dictum est eis, *Confidite, ego vici mundum.* Confiderunt, & vicerunt. In quo, nisi in illo? Non enim vicissent ille mundum, si ejus membra vincerent mundus. Unde ait Apostolus, Gratias Deo, qui dat nobis *1. Cor. 15.* victoriam: continuóque subjecit, per Dominum *57.* nostrum Jesum Christum: qui dixerat suis, *Confidite, ego vici mundum.*

TRACTATUS CIV. B

In id quod sequitur, Hæc locutus est Jesus, & sublevatis oculis in cælum dixit, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius clarificet te.

1. ANTE ista quæ nunc sumus adjuvante Domino tractaturi, dixerat Jesus, Hæc *Johan. 16.* locutus sum vobis, ut in me pacem ha- *33.* beatis: quæ non recentiora paulò superiùs ab eo dicta, sed omnia debemus accipere, sive quæcumque illis locutus est ex quo eos cœpit habere discipulos, sive certè ex quo post cœnam exorsus est hunc admirabilem prolixumque sermonem. Talem quippe commemoravit caussam, cur eis sit locutus, ut ad eum finem rectissimè referantur, vel omnia quæ locutus est eis, vel ea maximè quæ dixit jam pro eis moriturus, tamquam verba novissima, postea quàm de convivio sancto ille qui eum fuerat traditurus, egressus est. Hanc enim commendavit caussam sermonis sui, ut in illo pacem haberent, propter quod totum agitur quod Christiani sumus. Hæc enim pax finem temporis non habebit, sed omnis piæ nostræ intentionis actionisque finis ipsa erit. Propter hanc sacramentis ejus imbuimur, propter hanc mirabilibus ejus operibus & sermonibus erudimur, propter hanc Spiritûs ejus pignus accepimus, propter hanc in eum credimus & speramus, & ejus amore quantum donat accendimur: hac pace in pressuris omnibus consolamur, hac à pressuris omnibus liberamur: propter hanc omnem tribulationem fortiter sustinemus, ut in hac feliciter sine ulla tribulatione regnemus. Meritò ad eam clausit verba, quæ parum intelligentibus discipulis erant proverbia: intellecturis ea quando eis dedisset promissum Spiritum-sanctum, de quo superiùs ait, Hæc locutus sum vobis apud vos ma- *Johan. 14.* nens, Paracletus autem Spiritus-sanctus, quem *« 26.* mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit om- « nia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero « vobis. Hæc nimirum futura fuerat illa hora, qua se promiserat non jam in proverbiis locuturum, sed palàm de Patre annuntiaturum. Eadem quippe ipsius verba, revelante Spiritu-sancto, intelligentibus jam non erant futura proverbia. Neque enim loquente in eorum cordibus Spiritu-sancto, tacituras erat unigenitus Filius, qui dixit in ea hora palàm se illis annuntiaturum esse de Patre, quod eis utique jam intelligentibus non esset proverbium. Sed hoc quoque ipsum, quomodo simul loquantur in suorum spiritalium cordibus & Dei Filius & Spiritus-sanctus, immo ipsa Trinitas quæ inseparabiliter operatur, intelligentibus est verbum, non intelligentibus autem proverbium.

2. Cùm ergo dixisset propter quid omnia sit *Johan. 17. 1.* locutus, ut in illo scilicet pacem haberent, in mundo habentes pressuram, exhortatusque fuisset ut confiderent, quia ipse vicit mundum, eo qui erat ad illos sermone finito, deinde ad Patrem verba di-

rexit, & orare jam cœpit. Sic enim Evangelista se-
Johan. 17.1. quitur, dicens, *Hæc locutus est Jesus, & sublevatis oculis in cælum dixit, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.* Poterat Dominus Unigenitus & coæternus Patri, in forma servi & ex forma servi, si hoc opus esset, orare silentio: sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem. Proinde eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis: quoniam tanti magistri non solùm ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est ædificatio. Et si illorum qui hæc dicta aderant audituri, profectò & nostra qui fueramus conscripta lecturi. Quapropter hoc quod ait, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*, ostendit omne tempus, & quid quando faceret vel fieri sineret, ab illo esse dispositum qui temporibus subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hæc hora fato urgente venisse, sed Deo potiùs ordinante. Nec siderea necessitas Christi connexuit passionem: absit enim ut sidera mori cogerent siderum conditorem. Non itaque Christum tempus ut moreretur impegit, sed tempus Christus quo moreretur elegit: qui etiam tempus quo de virgine natus est cum Patre constituit, de quo sine tempore natus est. Secundùm quam veram sanamque doctrinam, etiam Paulus
Galat. 4.4. apostolus, Cùm autem venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus Filium suum: & Deus per
Isai. 49. 8. Prophetam, Tempore, ait, acceptabili exaudivi te, & in die salutis adjuvi te: & rursus Apostolus,
2. Cor. 6.2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Dicat ergo, *Pater, venit hora*, qui cum Patre disposuit omnes horas: tamquam dicens, *Pater*, quam propter homines & apud homines ad me clarificandum simul constituimus, *venit hora, clarifica Filium tuum, ut & Filius tuus clarificet te.*

3. Clarificatum à patre Filium nonnulli acci-
Rom. 8.32. piunt, in hoc quod ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sed si passione clarificatus dicitur, quantò magis resurrectione? Nam in passione magis ejus humilitas quàm claritas commen-
Philip. 2. 8. &c. datur, Apostolo teste, qui dicit, Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: deinde sequitur, & de ejus clarificatione jam dicit, Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Hæc est clarificatio Domini nostri Jesu Christi, quæ ab ejus resurrectione sumsit exordium. Humilitas ergo ejus incipit in sermone Apostoli, ab eo loco ubi ait, Semetipsum exinanivit formam servi accipiens: & pervenit usque, ad mortem crucis. Claritas verò ejus incipit ab eo loco ubi ait, Propter quod & Deus exaltavit eum: & pervenit usque, in gloria est Dei Patris. Nam & ipsum nomen, si inspiciantur codices Græci, ex qua lingua Epistolæ apostolicæ translatæ sunt in Latinam, quod hîc legitur gloria, ibi legitur δόξα: unde verbum derivatum est in Græco ut diceretur δόξασον, quod interpres Latinus ait *clarifica*, cùm posset etiam *glorifica* dicere, quod tantumdem valet. Et ideo posset etiam in Apostoli Epistola, ubi est gloria, claritas poni: quod si fieret, tantumdem valeret. Ut autem non recedatur à verborum A sonis, quemadmodum à claritate clarificatio, sic à gloria glorificatio derivatur. Ut ergo mediator Dei & hominum homo Christus Jesus resurrectione clarificaretur vel glorificaretur, priùs humiliatus est passione: non enim à mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. Sed hoc factum est in forma servi: in forma verò Dei semper fuit, semper erit claritas: immo non fuit quasi jam non sit, nec erit quasi nondum sit; sed sine initio B sine fine semper est claritas. Quod ergo ait, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*: sic intelligendum est, tamquam dixerit, Venit hora seminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis. Sed quid sibi vult quod sequitur, *Ut Filius tuus clarificet te?* Numquid etiam Deus Pater pertulit humilitatem carnis sive passionis, ex qua illum clarificari oporteret? Quomodo igitur eum clarificaturus erat Filius, cujus claritas sempiterna nec ex forma humana potuit videri minor, nec in divina posset esse C amplior? Sed istam quæstionem in hunc sermonem nolo artare, aut hinc eum facere longiorem.

TRACTATUS CV.

Ab eo quod Dominus ait, Ut Filius tuus clarificet te: *usque ad id*, Claritate quam habui priùs quàm mundus esset, apud te.

1. GLORIFICATUM à Patre Filium secundùm formam servi, quam Pater susD citavit à mortuis, & ad suam dexteram collocavit; res ipsa indicat, & nullus ambigit Christianus. Sed quoniam non tantùm dixit, *Pa-* Johan. 17.1. *ter, clarifica Filium tuum*, sed addidit etiam, *ut Filius tuus clarificet te*: meritò quæritur quomodo Patrem clarificaverit Filius, cùm sempiterna claritas Patris nec diminuta fuerit in forma humana, nec augeri potuerit in sua perfectione divina. Sed in seipsa claritas Patris nec minui nec augeri potest; apud homines autem procul dubio minor erat, quando in Judæa tantummodo Deus notus erat, E Psal. 75. 2. nondum à solis ortu usque ad occasum laudabant Psal. 112. 3. pueri nomen Domini. Hoc autem quia per Evangelium Christi factum est, ut per Filium Pater innotesceret gentibus: profectò Patrem clarificavit & Filius. Si autem tantummodo mortuus fuisset Filius, nec resurrexisset, procul dubio nec à Patre clarificatus esset, nec Patrem clarificasset: nunc autem resurrectione clarificatus à Patre, resurrectionis suæ prædicatione clarificat Patrem. Hoc quippe aperit ordo ipse verborum: *Clarifica*, inF quit, *Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te:* tamquam diceret, Resuscita me, ut innotescas toti orbi per me.

2. Deinde magis magisque pandens quomodo clarificet Patrem Filius, *Sicut dedisti*, inquit, *ei* Johan. 17.2. *potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Omnem carnem dixit omnem hominem, à parte totum significans: quemadmodum rursus à parte superiore significatus est homo totus, ubi ait Apostolus, Omnis anima potestatiG Rom. 13.1. bus sublimioribus subdita sit. Quid enim dixit, omnis anima, nisi omnis homo? Et hoc autem quòd potestas Christo à Patre data est omnis carnis, secundùm hominem intelligendum est: nam secundùm Deum omnia per ipsum facta sunt, & in Johan. 1. 3. ipso condita sunt omnia in cælo & in terra, visibi- Coloss. 1. 16. lia & invisibilia. *Sicut* ergo *dedisti ei potestatem*, in-

quit, *omnis carnis*, ita te glorificet Filius tuus, id A est, notum te faciat omni carni quam dedisti ei. Sic enim dedisti, *ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.*

Johan. 17.3. 3. *Hæc est autem*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Ordo verborum est, *ut te & quem misisti Jesum Christum cognoscant solum verum Deum.* Consequenter enim & Spiritus-sanctus intelligitur, quia Spiritus est Patris & Filii, tamquam caritas substantialis & consubstantialis amborum. Quo- B niam non duo dii Pater & Filius, nec tres dii Pater & Filius & Spiritus-sanctus: sed ipsa Trinitas unus solus verus Deus. Nec idem tamen Pater qui Filius, nec idem Filius qui Pater, nec idem Spiritus-sanctus qui Pater & Filius; quoniam tres sunt Pater & Filius & Spiritus-sanctus; sed ipsa Trinitas unus est Deus. Si ergo eo modo te glorificat Filius *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, & sic dedisti, *ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam*, &, *hæc est vita æterna, ut cognoscant te*: sic te igitur C Filius glorificat, ut omnibus quos dedisti ei, te cognitum faciat. Porrò si cognitio Dei est vita æterna, tantò magis vivere tendimus, quantò magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vita æterna: tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit. Summa tunc Dei clarificatio: quia summa gloria, quæ Græcè dicitur δόξα. Unde dictum est δόξασον, quod Latini quidam interpretati sunt clarifica, quidam glorifica. A veteribus autem gloria, qua glorioси homines di- D
Gloria quid sit. cuntur, ita est definita: Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. At si homo laudatur cùm famæ creditur, quomodo Deus laudabitur quando
Psal. 83. 5. ipse videbitur? Propter quod scriptum est, Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Ibi erit Dei sine fine laudatio, ubi erit Dei plena cognitio: & quia plena cognitio, ideo summa clarificatio vel glorificatio.

4. Sed priùs hîc clarificatur Deus, dum annuntiatus hominibus innotescit, & per fidem cre- E
Johan. 17. 4. dentium prædicatur. Propter quod dicit, *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Non ait, jussisti, sed *dedisti*: ubi
Gratia in Christo commendata. commendatur evidens gratia. Quid enim habet quod non accepit, etiam in Unigenito humana natura? An non accepit, ut nihil mali, sed bona faceret omnia, quando in unitatem personæ susceptа est à Verbo, per quod facta sunt omnia? Sed quomodo consummavit opus quod accepit ut faciat, cùm restet adhuc passionis experimentum, ubi F martyribus suis maximè præbuit quod sequerentur
1. Pet. 2. 21. exemplum, unde ait apostolus Petrus, Christus passus est pro nobis relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus: nisi quia consummasse se dicit, quod se consummaturum esse certissimè novit? Sicut longè antè in prophetia præteriti temporis usus est verbis, quando post annos plurimos fu-
Psal. 21. 18. turum fuerat quod dicebat: Foderunt, inquit, manus meas & pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea: non ait, Fodient & dinumerabunt. Et in hoc G
Johan. 15. 15. ipso Evangelio, Omnia, inquit, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis: quibus ait postea, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. Qui enim certis & immutabilibus caussis omnia futura prædestinavit, quidquid facturus
Isai. 45. 11. sec. LXX. est fecit: nam & per Prophetam dictum de illo est, Qui fecit quæ futura sunt.

5. Secundùm hoc etiam quod sequitur dicit, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, cla-* Johan. 17.5. *ritate quam habui priùs quàm mundus esset, apud te.* Nam suprà dixerat, Pater, venit hora, clarifi- v. 1. ca Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: in quo verborum ordine ostenderat priùs à Patre clarificandum Filium, ut Patrem clarificaret Filius. Modò autem dixit, *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam: & nunc clarifica me*: tamquam prior ipse Patrem clarificaverit, à quo deinde ut clarificetur exposcit. Ergo intelligendum est utroque verbo superiùs usum secundùm id quod futurum erat, eoque ordine quo futurum erat, Clarifica Filium ut te clarificet Filius: modò verò usum fuisse verbo præteriti temporis de re futura, ubi ait, *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Deinde dicendo, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum*, quasi posteriùs esset clarificandus à Patre, quem priùs ipse clarificaverat: quid C ostendit, nisi superiùs ubi ait, *Ego te clarificavi super terram*, ita locutum se fuisse, tamquam fecisset quod facturus esset; hîc autem poposcisse ut Pater faceret, per quod illud Filius facturus esset, id est, ut Pater clarificaret Filium, per quam Filii clarificationem etiam Filius clarificaturus esset Patrem? Denique si de re quæ futura erat, ponamus etiam futuri temporis verbum, ubi pro tempore futuro posuit ipse præteritum, nulla sententiæ remanebit obscuritas: veluti si dixisset, Ego te clarificabo super terram, opus consummabo quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum. Nempe ita planum est, sicut illud ubi ait, Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: & ipsa est omnino sententia, nisi quia & hîc dictus est ejusdem clarificationis modus, ibi autem tacitus, tamquam illud isto exponeretur eis quos poterat permovere, quomodo Pater Filium, & maximè quomodo Patrem clarificaret & Filius. Dicendo enim clarificari à se Patrem super terram, se autem à Patre apud eumdem Patrem, modum profectò utriusque clarificationis ostendit. Ipse quippe Patrem clarificavit super terram, eum gentibus prædicando: Pater verò ipsum apud semetipsum, ad suam dexteram collocando. Sed ideo postea de clarificando Patre ubi ait, *Ego te clarificavi*, verbum præteriti temporis ponere maluit, ut monstraret in prædestinatione jam factum, & pro jam facto habendum, quod certissimè fuerat futurum: id est, ut à Patre apud Patrem glorificatus, Patrem F super terram glorificaret & Filius.

6. Sed hanc prædestinationem in sua clarificatione manifestiùs aperuit, qua eum clarificavit Pater, in eo quod adjunxit, *Claritate quam habui, priùs quàm mundus esset, apud te.* Ordo verborum est, *quam habui apud te priùs quàm mundus esset.* Ad hoc valet quod ait, *Et nunc clarifica me*; hoc est, sicut tunc, ita & nunc; sicut tunc prædestinatione, ita & nunc perfectione: fac in mundo, quod apud te jam fuerat ante mundum; fac in tuo tempore, quod ante omnia tempora statuisti. Hoc quidam sic intelligendum putarunt, tamquam natura humana quæ susceptа est à Verbo, converteretur in Verbum, & homo mutaretur in Deum: immo si diligentiùs quod opinati sunt cogitemus, homo periret in Deo. Non enim quisquam ex ista mutatione hominis vel duplicari Dei Verbum dicturus est, vel augeri, ut aut duo sint quod unum fuit,

aut amplius sit quod minus fuit. Porrò si naturâ humanâ in Verbum mutatâ atque conversâ, Verbum Dei quantum erat & quod erat hoc erit, ubi est homo si non perit?

7. Sed ad hanc opinionem, quam veritati prorsus non video convenire, nihil nos urget, si Filio dicente, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priùs quàm mundus esset, apud te*, intelligamus prædestinationem claritatis humanæ quæ in illo est naturæ, ex mortali immortalis apud Patrem futuræ; & hoc jam prædestinando factum fuisse antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret. Si enim *Ephes.* 1. 4. de nobis dixit Apostolus, Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: cur abhorrere putatur à vero, si tunc Pater caput nostrum glorificavit, quando nos in ipso ut membra ejus essemus elegit? Sic enim nos electi, quomodo ipse clarificatus; quia priùs quàm mundus esset, nec nos era- *1. Tim.* 2. 5. mus, nec ipse mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Sed ille qui per ipsum in quantum *Isai.* 45. 11. Verbum ejus est, etiam quæ futura sunt fecit, & *Rom.* 4. 17. vocat ea quæ non sunt tamquam sint, profectò secundùm id quod mediator Dei & hominum homo est, ante mundi constitutionem pro nobis Deus Pater glorificavit ipsum, si tunc elegit etiam nos in *Rom.* 8. 28. &c. ipso. Quid enim dicit Apostolus? Scimus autem » quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur » in bonum, his qui secundùm propositum vocati » sunt. Quos enim præscivit, & prædestinavit con- » formes fieri imaginis Filii ejus: ut sit ipse primoge- » nitus in multis fratribus: quos autem prædestina- » vit, illos & vocavit.

8. Nisi fortè ipsum prædestinatum dicere formidabimus; quia de nobis tantùm ut efficiamur conformes imaginis ejus, hoc dixisse videtur Apostolus. Quasi verò quisquam regulam fidei fideliter intuens, Filium Dei negaturus est prædestinatum, qui eum negare hominem non potest. Rectè quippe dicitur non prædestinatus secundùm id quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim prædestinaretur, cùm jam esset quod erat, sine initio, sine termino sempiternus? Illud autem prædestinandum erat, quod nondum erat, ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat ut fieret. Quisquis igitur Dei Filium prædestinatum negat, hunc eumdem filium hominis negat. Sed propter contentiosos etiam hinc audiamus Apostolum in suarum exordio litterarum. Nam & in prima Epistolarum ejus, quæ est ad Romanos, & ipsius Epistolæ prin- *Rom.* 1. 1. &c. » cipium est, ubi legitur: Paulus servus Jesu Christi, » vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, » quod antè promiserat per Prophetas suos in Scrip- » turis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine » David secundùm carnem, qui prædestinatus est » Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctifica- » tionis ex resurrectione mortuorum. Secundùm hanc ergo prædestinationem etiam clarificatus est antequam mundus esset, ut esset claritas ejus ex resurrectione mortuorum apud Patrem, ad cujus dexteram sedet. Cùm ergo videret illius prædestinatæ suæ clarificationis venisse jam tempus, ut & nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædestinatione jam factum, oravit dicens, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priùs quàm mundus esset, apud te:* tamquam diceret, Claritatem quam habui apud te, id est, illam claritatem quam habui apud te in prædestinatione tua, tempus est ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua. Sed quoniam diu nos tenuit hujus discussio quæstionis, alio quæ sequuntur sermone tractanda sunt.

TRACTATUS CVI.

De eo quod Dominus dicit, Manifestavi nomen tuum hominibus: *usque ad id*, Et crediderunt quia tu me misisti.

1. DE his verbis Domini, sicut ipse donaverit, sermone isto disputaturi sumus, quæ ita se habent: *Manifestavi nomen tuum* *Iohan.* 17. 6. *hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Quod si de his tantùm dicit discipulis, cum quibus cœnavit, & ad quos antequam orare inciperet, tam multa locutus est; non pertinet hoc ad illam clarificationem, sive ut alii interpretati sunt, glorificat onem, de qua superiùs loquebatur, qua Filius clarificat vel glorificat Patrem. Quanta est enim vel qualis gloria, duodecim vel undecim potiùs innotuisse mortalibus? Si autem quod ait, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, omnes intelligi voluit, etiam qui in eum fuerant crediturі, ad ejus magnam quæ futura erat ex omnibus gentibus Ecclesiam pertinentes, de qua in Psalmo canitur, In Ecclesia magna confitebor tibi: est planè ista *Psal.* 21. 26. clarificatio quia Filius clarificat Patrem, cùm ejus nomen notum facit omnibus gentibus, & tam multis generationibus hominum. Et tale est hoc quod ait, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, quale illud quod paulò antè dixerat, Ego te clarificavi super terram: pro tempore futu- *Iohan.* 17. 4. ro & illic & hîc præteritum ponens, sicut qui sciret prædestinatum esse ut id fieret, & ideo fecisse dicens se, quod erat sine ulla dubitatione facturus.

2. Sed de his qui jam erant discipuli ejus, non de omnibus qui in illum fuerant crediturі, eum dixisse quod dixit, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, ea quæ sequuntur, credibilius esse demonstrant. Cùm enim hoc dixisset, adjunxit: * *Tui erant, & mihi eos dedisti,* & *Iohan.* 17. *sermonem tuum servaverunt:* * *nunc cognoverunt quia* *v.* 6. *omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt;* * *quia verba quæ* *v.* 7. *dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognove-* *v.* 8. *runt verè quia à te exivi, & crediderunt quia tu me misisti.* Quamquam & hæc omnia de futuris omnibus fidelibus dici potuerunt [a] spe jam perfecta, cùm adhuc essent futura: sed ut de his solis quos tunc habebat discipulis hæc loqui intelligatur, illud magis urget quod paulò pòst ait, *Cùm essem cum* *v.* 12. *eis, ego servabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur,* Judam significans qui tradidit eum: ex isto quippe duodenario numero Apostolorum solus periit. Deinde subjungit, *Nunc autem ad* *v.* 13. *te venio.* Unde manifestum est eum de corporali sua dixisse præsentia, *Cùm essem cum eis, ego servabam eos*, veluti jam cum eis eâ præsentiâ non esset. Eo modo enim significare voluit adscensionem suam mox futuram, de qua dixit, *Nunc autem ad te venio:* iturus utique ad dexteram Patris: unde venturus est ad vivos & mortuos judicandos præsentiâ itidem corporali, secundùm fidei regulam sanam-

[a] Sic tres MSS. At ceteri cum editis, *specie perfecta.*

que doctrinam: nam præsentiâ spiritali cum eis erat utique futurus post adscensionem suam, & cum *Matth.* 28. 20. tota Ecclesia sua in hoc mundo usque in consummationem sæculi. Non itaque rectè intelliguntur de quibus dixerit, *Cùm essem cum eis, ego servabam illos*, nisi hi quos in se credentes servare jam cœperat præsentiâ corporali, & quos relicturus fuerat absentiâ corporali, ut eos cum Patre servaret præsentiâ spiritali. Pòst verò adjungit & ceteros suos, *Iohan.* 17. 20. ubi dicit, *Non pro his autem rogo tantùm, sed & pro his qui crediturі sunt per verbum eorum in me.* Ubi manifestiùs ostendit, quòd non de omnibus ad eum pertinentibus superiùs loqueretur, ab eo loco ubi ait, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi:* sed de his tantùm qui eum, cùm illa diceret, audiebant.

3. Ab ipso itaque orationis ejus exordio, ubi *Ibidem v.* 1. blevatis oculis in cælum, dixit, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, *v.* 5. usque ad illud quod paulò pòst ait, Et nunc clarifi- » ca me tu Pater apud temetipsum, claritate quam » habui priùs quàm mundus esset, apud te, omnes suos volebat intelligi, quibus notum faciendo Patrem, clarificat eum. Cùm enim dixisset, ut Filius tuus clarificet te: mox quemadmodum id fieret, *v.* 2. &c. demonstravit dicens, Sicut dedisti ei potestatem » omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vi- » tam æternam: hæc est autem vita æterna, ut co- » gnoscant te solum verum Deum, & quem misisti » Jesum Christum. Non enim potest cognitione homines fit, quibus suis membris caput est Christus. Neque enim de solis Apostolis potest intelli- » gi, Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut » omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam: sed utique de omnibus quibus in eum credentibus vita æterna datur.

4. Jam nunc ergo videamus quid de illis, à quibus tunc audiebatur, discipulis suis dicat. *Manifestavi*, inquit, *nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* Non ergo noverant Dei nomen, cùm essent *Psal.* 75. 2. Judæi? Et ubi est quod legitur, Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus? Ergo *manifestavi nomen tuum hominibus* istis, *quos dedisti mihi de mundo*, qui me audiunt hæc dicentem: non illud nomen tuum quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris Pater meus: quod nomen manifestari sine ipsius Filii manifestatione non posset. Nam quòd Deus dicitur universæ creaturæ, etiam omnibus gentibus antequam in Christum crederent, non omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. HÆC EST enim VIS VERÆ DIVINITATIS, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis[a] in quibus natura nimiùm depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem. In hoc ergo quòd fecit hunc mundum cælo terrâque conspicuum, & antequam imbueren- tur in fide Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem quòd non est injuriis suis cum diis falsis colendus, notus in Judæa Deus. In hoc verò quod Pater est hujus Christi, per quem tollit peccatum mundi, hoc nomen ejus priùs occultum omnibus, nunc manifestavit eis quos dedit ei Pater ipse de mundo. Sed quomodo manifestavit, si nondum venit hora de qua superiùs dixerat, quòd veniret hora, cùm jam non in proverbiis, inquit, lo- *Iohan.* 16. quar vobis, sed palàm de Patre meo annuntiabo *v.* 25. vobis? An verò annuntiatio manifesta putabitur in proverbiis? Cur ergo dictum est, Palàm annuntiabo vobis, nisi quia in proverbiis non est palàm? Quod autem non in proverbiis occultatur, sed verbis manifestatur, procul dubio palàm dicitur. Quomodo ergo manifestavit, quod nondum palàm dixit? Proinde sic intelligendum est, pro tempore futuro præteritum positum, quemadmodum illud, Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis: *Iohan.* 15. quod nondum fecerat, sed loquebatur quasi fecis- 15. set, quod immobiliter esse præfixum sciebat ut faceret.

5. Quid est autem, *Quos dedisti mihi de mundo?* *Iohan.* 17. Dictum est enim de illis, quòd non essent de mun- 6. do. Sed hoc illis regeneratio præstitit, non generatio. Quid est etiam quod sequitur, *Tui erant, & mihi eos dedisti?* An aliquando erant Patris, quando non erant unigeniti Filii ejus; & habuit aliquando Pater aliquid sine Filio? absit. Verumtamen habuit aliquid aliquando Deus Filius, quod nondum habuit idem ipse homo filius: quia nondum erat homo factus ex matre, quando tamen habebat universa cum Patre. Quapropter quod dixit, *Tui erant*, non inde se separavit Deus Filius, sine quo nihil umquam Pater habuit: sed solet ei tribuere omne quod potest, à quo est ipse qui potest. A quo enim habet ut sit, ab illo habet ut possit: & simul utrumque semper habuit, quia numquam fuit & non potuit. Quocirca quidquid potuit Pater, semper cum illo Filius potuit: quoniam ille qui numquam fuit & non potuit, numquam sine Patre fuit, numquam sine illo Pater fuit. Ac per hoc sicut Pater æternus omnipotens, ita Filius coæternus omnipotens; & si omnipotens, utique omnitenens. Id enim potiùs verbum è verbo interpretamur, si propriè volumus dicere, quod à Græcis dicitur παντοκράτωρ: quod nostri non sic interpretarentur, ut omnipotens dicerent, cùm sit παντοκράτωρ omnitenens, nisi tantumdem valere sentirent. Quid ergo umquam habere potuit æternus omnitenens, quod non simul habuerit coæternus omnitenens? Quod itaque ait, *Et mihi eos dedisti*, hominem se accepisse hanc potestatem ut eos haberet, ostendit: quoniam qui semper omnipotens fuit, non semper homo fuit. Quamobrem cùm Patri potiùs tribuisse videatur, ut ab eo illos acceperit, quoniam ex ipso est quidquid est de quo est: etiam ipse sibi eos dedit, hoc est, cum Patre Deus Christus, homini Christo quod cum Patre non est, homines dedit. Denique qui hoc loco dicit, *Tui erant, & mihi eos dedisti*, jam superiùs eisdem discipulis dixerat, Ego vos de mun- *Iohan.* 15. do elegi. Conteratur hîc cogitatio carnalis, atque 19. dispereat. De mundo sibi à Patre dicit Filius datos homines, quibus alio loco dicit, Ego vos elegi de mundo. Quos Deus Filius de mundo elegit cum Patre, idem ipse homo filius de mundo eos accepit à Patre: non enim Pater illos Filio dedisset, nisi elegisset. Ac per hoc Filius sicut non inde separavit Patrem, quando dixit, Ego vos de mundo elegi, quoniam simul eos elegit & Pater: sic non inde separavit & se, quando dixit, *Tui erant*, quia & ipsius Filii pariter erant. Nunc autem homo idem ipse Filius accepit eos qui non erant ipsius, quia & formam servi accepit Deus idem quæ non erat ipsius.

Johan. 17. *v.* 6. 6. Sequitur, ac dicit, * *Et sermonem tuum servaverunt:* * *nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt:* id est, cognoverunt quia abs te sum. Simul enim Pater dedit omnia, cùm genuit *v.* 7. *v.* 8. qui haberet omnia. *Quia verba*, inquit, *quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt:* id est, intellexerunt, atque tenuerunt. Tunc enim verbum accipitur, quando mente percipitur. *Et cognoverunt:* inquit, *verè quia à te exivi, & crediderunt quia tu me misisti.* Et hîc subaudiendum est, *verè.* Quod enim dixit, *cognoverunt verè*, exponere voluit adjungendo, *& crediderunt.* Hoc itaque crediderunt verè, quod cognoverunt verè: id enim est *à te exivi*, quod est *tu me misisti.* Cùm ergo dixisset, *cognoverunt verè*, ne quisquam putaret istam cognitionem jam per speciem factam, non per fidem; exponendo addidit, *& crediderunt*, ut subaudiamus *verè*, & intelligamus hoc dictum esse, *cognoverunt verè*, quod est *crediderunt verè:* non eo modo quem *Johan.* 16. 31. & 32. significavit paulò antè, cùm dixit, Modò creditis? » Venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis. Sed *crediderunt verè*, id est quomodo credendum est, inconcussè, firmè, stabiliter, fortiter: non jam in propria redituri, & Christum relicturi. Adhuc ergo discipuli non erant tales, quales eos dicit verbis præteriti temporis, quasi jam essent, prænuntians quales futuri essent, accepto scilicet Spiritu-sancto, qui eos sicut promissum est, doceret omnia. Quem priùs quàm acciperent quomodo servaverunt ejus sermonem, quod de illis quasi fecerint, dixit; *Matth.* 26. 75. quando primus eorum ter eum negavit, cùm ex ore ejus audisset quid futurum esset homini, qui eum coram hominibus negavisset? Dedit ergo eis verba sicut dixit, quæ dedit ei Pater: sed quando illa non foris in auribus, sed intus in cordibus spiritaliter acceperunt, tunc verè acceperunt, quia tunc verè cognoverunt: verè autem cognoverunt, quia verè crediderunt.

7. Ipsi autem Filio quomodo Pater ea verba dederit, quibus verbis homo poterit explicare? Facilior sanè quæstio videtur, si secundùm id quod filius est hominis, accepisse à Patre illa verba credatur. Quamquam natus ex virgine quando & quomodo ea didicerit, quis enarrabit: quando etiam ipsam quæ de virgine facta est, generationem ejus quis enarrabit? Si verò secundùm id quod est de Patre genitus Patrique coæternus, accepisse à Patre ista verba cogitatur, nihil ibi temporis cogitetur, quasi priùs fuerit qui ea non habuerit, atque ut haberet quæ non habebat acceperit: quoniam quidquid Deus Pater Deo Filio dedit, gignendo dedit. Ita enim dedit Filio Pater, sine quibus Filius esse non posset, sicut ei dedit ut esset. Nam quomodo aliter Verbo verba daret aliqua, in quo ineffabiliter dixit omnia? Sed jam quæ sequuntur, alio sunt exspectanda sermone.

TRACTATUS CVII.

De eo quod dicit Jesus, Ego pro eis rogo *&c. usque ad id*, Ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

Johan. 17. 9. 1. Cum de his, quos jam discipulos habebat, Dominus loqueretur ad Patrem, inter alia etiam dixit hoc: *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Mundum vult modò intelligi, qui vivunt secundùm concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, sed pro his quos ei Pater dedit, rogare se dicit: per hoc enim quòd eos illi Pater jam dedit, factum est ut non pertineant ad eum mundum, pro quo non rogat.

2. Deinde subjungit, *Quia tui sunt.* Neque enim quia Pater eos Filio dedit, amisit ipse quos dedit: cùm adhuc Filius sequatur, & dicat, *Et mea omnia* *v.* 10. *tua sunt, & tua mea.* Ubi satis apparet quomodo unigeniti Filii sint omnia quæ sunt Patris; per hoc utique quòd etiam ipse Deus est, & de Patre Patri est natus æqualis: non quomodo dictum est uni ex duobus filiis, majori scilicet, Tu semper mecum *Luc.* 14. 31. es, & omnia mea tua sunt. Illud enim dictum est de his omnibus creaturis, quæ infra creaturam sanctam rationalem sunt, quæ utique subduntur Ecclesiæ; in qua universa Ecclesia & illi duo intelliguntur filii major & minor, cum omnibus Angelis sanctis, quibus erimus æquales in regno Christi & *Matth.* 22. Dei: hoc autem ita dictum est, *Et mea omnia tua* 30. *sunt, & tua mea*, ut hîc sit etiam ipsa creatura rationalis, quæ non nisi Deo subditur, ut ei quæ infra illam sunt cuncta subdantur. Hæc ergo cùm sit Dei Patris, non simul esset & Filii, nisi Patri esset æqualis: de ipsa quippe agebat, cùm diceret, *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi: quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea.* Nec fas est ut sancti, de quibus hæc locutus est, cujusquam sint, nisi ejus à quo creati & sanctificati sunt: ac per hoc & omnia quæ ipsorum sunt, necesse est ut ejus sint cujus & ipsi sunt. Ergo cùm & Patris & Filii sunt, æquales eos esse demonstrant, quorum æqualiter sunt. Illud autem quod ait, cùm de Spiritu-sancto loqueretur, Omnia quæ habet Pater, *Johan.* 16. mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet & 15. annuntiabit vobis: de his dixit quæ ad ipsam Patris pertinent divinitatem, in quibus illi est æqualis, omnia quæ habet habendo. Neque enim Spiritus-sanctus de creatura quæ Patri est subdita & Filio, fuerat accepturus quod ait, de meo accipiet: sed utique de Patre de quo procedit Spiritus, de quo est natus & Filius.

3. *Et clarificatus sum*, inquit, *in eis.* Nunc suam *Johan.* 17. clarificationem tamquam facta sit dicit, cùm ad- 10. huc esset futura: superiùs autem à Patre poscebat *Ibidem* 1. ut fieret. Sed utrùm ipsa sit clarificatio, de qua dixerat, Et nunc clarifica me tu Pater apud temet- *Ibidem* 5. ipsum claritate quam habui priùs quàm mundus esset, apud te: utique requirendum est. Si enim apud te, quomodo *in eis?* An cùm hoc ipsum innotescit eis, ac per ipsos omnibus qui credunt eis testibus suis? Possumus planè sic intelligere dixisse Dominum de Apostolis, quòd clarificatus sit in eis: dicendo enim esse jam factum, ostendit jam fuisse prædestinatum, & certum haberi voluit quod esset futurum.

4. *Et jam*, inquit, *non sum in mundo, & hi in* *v.* 11. *mundo sunt.* Si horam prorsus illam qua loquebatur adtendas, utrique adhuc in mundo erant, & ipse scilicet, & illi de quibus hoc dicebat: non enim secundùm provectum cordis & vitæ id accipere possumus vel debemus, ut illi propterea adhuc esse dicantur in mundo, quòd mundana adhuc sapiant, ille autem jam non esse in mundo, sapiendo divina. Positum est hîc enim verbum unum, quod nos ita intelligere omnino non sinat: quia non ait, Et non sum in mundo; sed, *Iam non sum in mundo:* per hoc

hoc ostendens fuisse se in mundo, jam non esse. Numquid ergo fas est ut eum credamus aliquando mundana sapuisse, & ab hoc errore liberatum jam illa non sapere? Quis tam impio sensu se induerit? Restat igitur ut secundùm id quod ipse etiam in mundo priùs erat, in mundo se dixerit jam non esse, profectò præsentiâ corporali, à mundo scilicet absentiam suam jam citò futuram, illorum autem tardiùs, per hoc ostendens, quòd se jam non hîc esse, illos autem hîc esse dixit, cùm & ipse hîc & illi adhuc essent. Sic enim est locutus, homo congruens hominibus, ut mos loquendi sese habet humanus. An non quotidiè dicimus, Jam non est hîc, de aliquo quantocyus abituro? Et maximè hoc de moriturisolet dici. Quamquam & ipse Dominus tamquam prævidens, quid lecturos movere posset, adjecit, *Et ego ad te venio:* sic exponens quodammodo cur dixerit, *Iam non sum in mundo.*

5. Commendat ergo eos Patri, quos corporali *Ibidem.* absentiâ relicturus est, dicens, *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi.* Nempe sicut homo Deum rogat pro discipulis suis, quos accepit à Deo. Sed adtende quod sequitur: *Ut sint*, inquit, *unum sicut & nos.* Non ait, Ut nobiscum sint unum, aut simus unum ipsi & nos, sicut unum sumus nos; sed ait, *Ut sint unum sicut & nos.* Ipsi utique in natura sua sint unum, sicut & nos in nostra unum sumus. Quod procul dubio verum non diceret, nisi secundùm hoc diceret, quod ejusdem naturæ Deus est cujus & Pater, secundùm quod alibi dixit, Ego *Johan.* 10. 30. & Pater unum sumus: non secundùm id quod etiam homo est; nam secundùm hoc, Pater major me est, *Johan.* 14. 28. dixit. Sed quoniam una eademque persona est Deus & homo, intelligimus hominem in eo quod rogat: intelligimus autem Deum in eo quod unum sunt & ipse & ille quem rogat. Sed est adhuc in consequentibus locus, ubi de hac re diligentiùs disputandum est.

Johan. 17. 22. 6. Hîc autem sequitur, *Cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.* Me, inquit, veniente ad te, serva eos in nomine tuo, in quo eos quando cum eis eram, & ipse servabam. In nomine Patris servabat discipulos suos Filius homo, cum eis humanâ præsentiâ constitutus: sed etiam Pater in nomine Filii servabat, quos in nomine Filii petentes *Johan.* 16. 23. exaudiebat. His quippe idem Filius dixerat, Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Neque hoc tam carnaliter debemus accipere, velut vicissim nos servent Pater & Filius, amborum in nobis custodiendis alternante custodiâ, quasi succedat alius quando discesserit alius: simul enim nos custodiunt Pater & Filius & Spiritus-sanctus, qui est unus verus & beatus Deus. Sed Scriptura nos non levat, nisi descendat ad nos: sicut Verbum caro factum descendit ut levaret, non cecidit ut jaceret. Si descendentem cognovimus, cum levante surgamus; & intelligamus, cùm ita loquitur, personas eum distinguere, non separare naturas. Quando ergo servabat discipulos suos Filius præsentiâ corporali, non exspectabat Pater ad custodiendum succedere Filio discedenti, sed eos ambo servabant potentiâ spirituali: & quando ab eis abstulit Filius præsentiam corporalem, tenuit cum Patre custodiam spiritualem. Quia & custodiendos quando Filius homo accepit, custodiæ paternæ non eos abstulit; & cùm Pater Filio custodiendos dedit, non dedit sine ipso cui dedit, sed dedit homini Filio, non sine Deo eodem ipso utique Filio.

7. Sequitur ergo Filius, & dicit, *Quos dedisti mi-* *Johan.* 17. 12. *hi, custodivi: & nemo ex his periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* Filius perditionis dictus est traditor Christi, perditioni prædestinatus, secundùm Scripturam quæ de illo in Psalmo centesimo-octavo maximè prophetatur.

8. *Nunc autem*, inquit, *ad te venio; & hæc lo-* *v.* 13. *quor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.* Ecce in mundo se loqui dicit, qui paulò antè dixerat, *Iam non sum in mundo:* quod cur dixerit, ibi exposuimus, immo ipsum id exposuisse docuimus. Ergo & quia nondum abierat, hîc adhuc erat; & quia mox fuerat abiturus, hîc quodammodo jam non erat. Quod sit autem hoc gaudium de quo ait, *ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis*, jam superiùs expressum est, ubi ait, *Ut sint unum sicut & nos.* Hoc gaudium suum, id est, à se in eos collatum, in eis dicit implendum; propter quod locutum se dixit in mundo. Hæc est pax illa & beatitudo in futuro sæculo, propter quam consequendam temperanter & justè & piè vivendum est in hoc sæculo.

TRACTATUS CVIII.

De eo quod ait Jesus, Ego dedi eis sermonem tuum; *usque ad id*, Ut sint & ipsi sanctificati in veritate.

Johan. 17. 14. 1. Loquens adhuc Dominus ad Patrem, & orans pro discipulis suis, dicit, *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit.* Nondum id experti fuerant passionibus suis, quæ illos postea sunt secutæ: sed more suo dicit ista, verbis præteriti temporis futura prænuntians. Deinde causam subjiciens cur eos oderit mundus, *Quia* *Johan.* 15. 19. *non sunt*, inquit, *de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Hoc eis regeneratione collatum est: nam generatione de mundo erant, propter quod jam eis dixerat, Ego vos de mundo elegi. Donatum est ergo eis, ut sicut ipse, nec ipsi essent de mundo, eos ipso liberante de mundo. Ipse autem de mundo numquam fuit: quia etiam secundùm formam servi de Spiritu-sancto ipse natus est, de quo illi renati. Nam si propterea illi jam non de mundo, quia renati sunt de Spiritu-sancto: propterea ille numquam de mundo, quia natus est de Spiritu-sancto.

Johan. 17. 15. 2. *Non rogo*, inquit, *ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex malo.* Adhuc enim necessarium habebant, quamvis jam non essent de mundo, esse tamen in mundo. Repetit eamdem sententiam: *v.* 16. * *De mundo*, inquit, *non sunt, sicut & ego non sum* *v.* 17. *de mundo.* * *Sanctifica eos in veritate.* Sic enim servantur ex malo, quod superiùs oravit ut fieret. Quæri autem potest quomodo de mundo jam non erant, si sanctificati in veritate nondum erant: aut si jam erant, cur poscat ut sint. An quia & sanctificati in eadem proficiunt sanctitate, fiuntque sanctiores; neque hoc sine adjutorio gratiæ Dei, sed illo eorum sanctificante provectum, qui sanctificavit incœptum? Unde & Apostolus dicit, Qui in vo- *Philip.* 1. 6. bis opus bonum cœpit, perficiet usque in diem Christi Jesu. Sanctificantur itaque in veritate heredes Testamenti novi, cujus veritatis umbræ fuerunt sanctificationes veteris Testamenti: & cùm sanctificantur in veritate, utique sanctificantur in Christo, qui veraciter dixit, Ego sum via, & veritas, & *Johan.* 14. 6. vita. Item quando ait, Veritas liberabit vos, paulò *Johan.* 8. 32. & 36. post exponens quid dixerit, Si vos, inquit, Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: ut ostenderet

hoc se priùs dixisse veritatem, quod postmodum Filium. Quid ergo aliud & hoc loco dixit, *Sanctifica eos in veritate*, nisi, Sanctifica eos in me?

Johan. 17. 17. 3. Denique sequitur, & hoc apertiùs insinuare non desinit: *Sermo*, inquit, *tuus veritas est.* Quid aliud dixit, quàm Ego veritas sum? Græcum quippe Evangelium λόγος habet, quod etiam ibi legi- *Johan.* 1. 1. tur, ubi dictum est, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et utique Verbum ipsum novimus unigenitum Dei Filium, quod caro factum est, & habitavit in nobis. Unde & hîc poni potuit, & in quibusdam codicibus positum est, *Verbum tuum veritas est*: sicut in quibusdam codicibus etiam ibi scriptum est, In principio erat sermo. In Græco autem sine ulla varietate, & ibi & hîc λόγος est. Sanctificat itaque Pater in veritate, id est, in Verbo suo, in Unigenito suo, suos heredes ejusque coheredes.

Johan. 17. 18. 4. Sed nunc adhuc de Apostolis loquitur; nam secutus adjungit, *Sicut me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.* Quos misit, nisi Apostolos suos? Nam & ipsum nomen Apostolorum, quoniam Græcum est, nihil nisi missos significat in Latino.

Rom. 8 3. Misit ergo Deus Filium suum non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati; & misit Filius ejus eos, quos natos in carne peccati sanctificavit à labe peccati.

1. Tim. 2. 5. 5. Sed quoniam per hoc quòd mediator Dei & hominum homo Christus Jesus factus est caput Ecclesiæ, illi membra sunt ejus; ideo ait quod sequi- *Johan.* 17. 19. tur, *Et pro eis ego sanctifico meipsum.* Quid est enim, *Et pro eis ego sanctifico meipsum*, nisi, eos in meipso sanctifico, cùm & ipsi sint ego? Quoniam de quibus hoc ait, ut dixi, membra sunt ejus, & unus est Christus caput & corpus: docente Apostolo atque *Gal.* 3. 29. dicente de semine Abrahæ, Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis: cùm dixisset superiùs, *Ibidem* 16. Non dicit, Et seminibus tamquam in multis; sed tamquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus. Si ergo semen Abrahæ, hoc est Christus; quid aliud dictum est quibus dictum est, Ergo semen Abrahæ estis, nisi, ergo Christus estis? Inde est quod alio *Coloss.* 1. 24. loco idem ipse Apostolus ait, Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt pressurarum Christi in carne mea. Non dixit, pressurarum mearum, sed Christi, quia membrum erat Christi: & in persecutionibus suis, quales Christum in suo toto corpore pati oportebat, etiam ipse pressuras ejus pro sua portione adimplebat. Quod ut etiam hoc loco certum sit, adtende sequentia. Cùm enim dixisset, *Et pro eis ego sanctifico meipsum,* *Johan.* 17. 19. ut intelligeremus hoc eum dixisse, quòd eos sanctificaret in se, mox addidit, *Ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Quod quid est aliud quàm, in me, secundùm id quod veritas est Verbum illud in principio Deus? In quo & ipse filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro: quia una persona facta est Verbum & homo. Tunc ergo sanctificavit se in se, hoc est, hominem se in Verbo se: quia unus Christus Verbum & homo, sanctificans hominem in Verbo. Propter G suа verò membra, *Et pro eis*, inquit, *ego*, id est, quod profit etiam ipsis, quia & ipsi sunt ego; sicut mihi profuit in me, quia homo sum sine ipsis: *Et ego sanctifico meipsum*, hoc est, ipsos in me tamquam meipsum sanctifico ego, quoniam in me etiam ipsi sunt ego. *Ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Quid est *&* *ipsi*, nisi, quemadmodum ego: *in veritate*, A quod ipse sum ego? Deinde jam non solùm de Apostolis, sed etiam de suis ceteris membris incipit dicere: quod donante ipso, alio sermone tractandum est.

TRACTATUS CIX.

In illud, Non pro his autem rogo tantùm, sed & pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me.

1. DOMINUS Jesus jam sua propinquante passione, cùm orasset pro discipulis suis, quos & Apostolos nominavit, cum quibus cœnaverat ultimam cœnam, de qua traditor ejus per buccellam manifestatus exierat, & cum quibus post ejus egressum antequam pro eis oraret, multa jam fuerat locutus; adjunxit & ceteros, qui in eum fuerant crediturі, & ait ad Patrem, *Non* *Johan.* 17. *pro his autem rogo tantùm*, id est pro discipulis, qui 20. cum illo tunc erant: *sed & pro eis*, inquit, *qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ubi omnes suos C intelligi voluit, non solùm qui tunc erant in carne, sed etiam qui futuri erant. Quotquot enim postea crediderunt in eum, per verbum Apostolorum sine dubio crediderunt, & donec veniat, crediturі sunt: ipsis enim dixerat, Et vos testimonium perhibebi- *Johan.* 15. tis, quia ab initio mecum estis: & per hos Evange- 27. lium ministratum est, & antequam scriberetur; & utique quisquis in Christum credit, Evangelio credit. Non itaque hi tantùm intelligendi sunt, quos D ait in se credituros per verbum eorum, qui ipsos cùm in carne viverent, Apostolos audierunt: sed & post obitum eorum, & nos longè pòst nati, per verbum eorum credidimus in Christum. Quoniam ipsi qui cum illo tunc fuerunt, quod ab illo audierunt, ceteris prædicaverunt: atque ita verbum eorum ut etiam nos crederemus, ad nos usque pervenit, ubicumque est ejus Ecclesia; & perventurum est ad posteros, quicumque, ubicumque postea in eum crediturі sunt.

2. Potest itaque videri Jesus in hac oratione non orasse pro quibusdam suis, nisi diligenter scrutemur in eadem oratione verba ejus. Si enim pro eis priùs oravit, sicut jam ostendimus, qui cum illo tunc erant, postea verò etiam pro eis, qui per verbum eorum in illum fuerant crediturі; potest dici non orasse pro illis, qui neque tunc erant cum illo quando ista dicebat, neque per verbum eorum postea, sed in eum sive per ipsos, sive quomodolibet, tamen antè crediderant. Numquid enim cum illo tunc *Johan.* 19. erat Nathanaël? Numquid Joseph ille ab Arima- 38. thia, qui corpus ejus à Pilato petiit, quem jam discipulum ejus fuisse iste ipse Johannes evangelista testatur? Numquid Maria mater ejus, & aliæ feminæ, quas ejus discipulas in Evangelio jam tunc fuisse didicimus? Numquid cum illo tunc erant de quibus sæpe dicit idem Johannes evangelista, Multi *Iohan.* 2. 23. crediderunt in eum? Nam unde erat multitudo illa *&* 4. 39. *&* eorum, qui cum ramis partim præcedebant, par- 7. 31. *&* 8. tim sequebantur insidentem jumento, dicentes, Be- 30. *&* 10. 42. nedictus qui venit in nomine Domini: & cum eis *Matth.* 21. pueri, de quibus ipse ait fuisse prædictum, Ex ore 9. *&c.* infantium & lactentium perfecisti laudem? Unde *Psal.* 8. 3. quingenti fratres, quibus simul post resurrectionem *1. Cor.* 15. 6. non apparuisset, nisi in eum antè credidissent? Unde illi centum & novem, qui cum istis undecim centum & viginti erant, quando simul congregati post *Act.* 1. 15. *&* cap. 2. 4. ejus adscensum exspectaverunt, & acceperunt

promissum Spiritum-sanctum? Unde erant isti omnes, nisi ex illis de quibus dictum est, Multi crediderunt in eum? Non ergo pro eis tunc oravit Salvator, quoniam pro eis oravit qui cum illo tunc erant, & pro aliis qui per verbum eorum in eum non jam crediderant, sed fuerant crediturі. Isti autem nec cum illo tunc erant, & in eum jam antè credide- *Lucæ* 2. 28. *&c.* rant. Omitto dicere de Simeone sene, qui in infantulum credidit; de Anna prophetissa; de Zacha- *Lucæ* 1. 42. *&c.* ria & Elizabeth, qui eum prophetaverunt antequam de virgine nasceretur; de filio eorum Johan- B ne præcursore ejus, amico sponsi, qui eum & in sancto Spiritu agnovit, & absentem prædicavit, & aliis agnoscendum cùm præsens esset ostendit: hos omitto, quoniam responderi potest orandum pro talibus mortuis non fuisse, qui cum magnis suis meritis hinc abierant, & recepti quiescebant; hoc enim & de antiquis justis similiter respondetur. Quis enim eorum à damnatione totius massæ perditionis, quæ per unum hominem facta est, salvus *1. Tim.* 2. 5. esse potuisset, nisi in unum mediatorem Dei & ho- C minum in carne venturum revelante Spiritu credidisset? Sed numquid ei pro Apostolis orandum fuit; & pro tam multis, qui in hac vita adhuc erant, nec cum illo tunc erant, & jam antè crediderant, orandum non fuit? Quis hoc dixerit?

3. Intelligendum est igitur, quòd nondum in eum sic crediderant, quomodo in se credi volebat: quandoquidem & ipse Petrus, cui confiten- *Matth.* 16. 16. ti & dicenti, Tu es Christus Filius Dei vivi, tam magnum testimonium perhibuerat, magis eum D mori nolebat, quàm mortuum resurrecturum esse *Ibidem* 23. credebat; unde mox ab eo appellatus est satanas. Fideliores itaque reperiuntur, qui defuncti jam fuerant, & resurrecturum Christum revelante Spiritu non utique dubitabant, quàm illi qui cùm credidissent ipsum redemturum Israël, visa ejus morte spem totam quam de illo habuerant perdiderunt. Nihil itaque melius credimus, quàm post ejus resurrectionem impertito Spiritu-sancto, & doctis & confirmatis Apostolis, eisque in Ecclesia primitus E doctoribus constitutis, per eorum verbum sic alios credidisse quemadmodum in Christum credi oportebat, id est, ut fidem resurrectionis ejus tenerent. Ac per hoc & illos omnes qui jam in eum credidisse videbantur, ad eorum numerum pertinuisse pro quibus oravit, dicens, *Non pro his autem rogo tantùm, sed & pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me.*

4. Sed restat nobis ad istam quæstionem adhuc solvendam beatus Apostolus, & latro ille crudelis F *Galat.* 1. 1. in scelere, fidelis in cruce. Paulus quippe apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum se dicit factum Apostolum: & *Ibidem* 12. de ipso suo Evangelio loquens ait, Neque enim ab » homine ego accepi illud, neque didici, sed per » revelationem Jesu Christi. Quomodo igitur erat in eis de quibus dictum est, *crediturі sunt per verbum eorum in me?* Latro verò ille tunc credidit, quando in ipsis doctoribus fides quæ fuerat qualiscumque defecit. Nec ipse itaque per eorum verbum credi- G dit in Christum Jesum: & tamen sic credidit, ut quem videbat crucifixum, confiteretur non solùm resurrecturum, verùm etiam regnaturum, dicen- *Lucæ* 23. 42. do, Memento mei cùm veneris in regnum tuum.

5. Proinde relinquitur, ut si Dominus Jesus hac oratione pro suis omnibus quicumque in hac *Job* 7. 1. vita, quæ tentatio est super terram, vel tunc erant, vel futuri erant, oravisse credendus est, sic intelligamus quod dictum est, *per verbum eorum*, ut ipsum verbum fidei quod prædicaverunt in mundo, hîc significatum esse credamus: dictum autem esse verbum eorum, quoniam ab ipsis est primitus ac præcipuè prædicatum. Jam enim ab ipsis prædicabatur in terra, quando per revelationem Jesu Christi ipsum verbum eorum Paulus accepit. Unde & con- *Galat.* 2. 2. tulit cum eis Evangelium, ne fortè in vacuum curreret aut curreret; & dexteras ei dederunt: quia & in illo, quamvis non per eos illi datum, tamen verbum suum, quod jam prædicabant, & in quo fundati fuerant, invenerunt. De quo verbo resurrectionis Christi idem dicit Apostolus, Sive *1. Cor.* 15. 11. ego, sive illi, sic prædicamus, & sic credidistis: & iterum, Hoc est, inquit, verbum fidei quod præ- *Rom.* 10. 8. » dicamus, quia si confessus fueris in ore tuo quia » *&* 9. Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo quia » Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Et in » Actibus Apostolorum legitur, quòd in Christo *Act.* 17. 31. Deus definierit fidem omnibus, suscitans eum à mortuis. Hoc verbum fidei, quia principaliter ac primitus per Apostolos, qui ei cohæserant prædicatum est, ideo verbum eorum dictum est. Neque enim propterea non est verbum Dei, quia dictum est verbum eorum: cùm dicat idem Apostolus Thessalonicenses excepisse à se, non ut verbum *Thess.* 2. 13. hominum, sed sicut est, inquit, verè verbum Dei. Ideo ergo Dei, quia Deus id donavit: eorum verò verbum dictum est, quia hoc prædicandum illis Deus primitus ac præcipuè commendavit. Ac per hoc etiam ille latro in sua fide verbum eorum habebat: quod eorum propterea dictum erat, quoniam prædicandum ad eorum officium primitus ac præcipuè pertinebat. Denique cùm murmur factum esset de ministerio mensarum à viduis Græcorum, antequam Paulus credidisset in Christum; responderunt Apostoli, qui Domino antè cohæserant, Non est bonum nos relinquere *Act.* 6. 2. verbum Dei, & ministrare mensis. Tunc ordinandos diaconos providerunt, ne ipsi à prædicandi verbi avocarentur officio. Unde meritò dictum est verbum eorum, quod est verbum fidei, per quod omnes in Christum undecumque id audierint crediderunt, vel auditurі & crediturі sunt. Ergo illa oratione pro omnibus quos redemit, sive tunc in carne viventes, sive postea futuros, redemtor noster oravit, cùm rogans pro Apostolis qui cum illo tunc erant, adjunxit etiam illos qui per eorum verbum in eum fuerant crediturі. Quid autem adjunctis illis deinde dicat, alia est disputatione tractandum.

TRACTATUS CX.

De eo quod sequitur, Ut omnes unum sint, &c. *usque ad id*, Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti.

1. CUM Dominus Jesus orasset pro discipulis suis, quos tunc secum habebat, atque adjunxisset suos alios, dicens, Non pro *Johan.* 17. 20. his autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: velut quæreremus, quid vel quare pro illis rogaret, continuò subintulit, dicens, *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* *v.* 21. Et superiùs cùm adhuc pro solis discipulis, quos secum habebat, oraret, Pater sancte, inquit, serva *Ibid.m* 11. eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. Hoc ergo nunc etiam & pro nobis ro-

gavit, quod tunc pro illis, ut omnes, hoc est, & nos & illi, unum simus. Ubi diligenter advertendum est, non dixisse Dominum ut omnes unum simus; sed, *Vt omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te*, subintelligitur, unum simus; quod apertiùs dicitur postea: quia & priùs dixerat de discipulis qui cum illo erant, Ut sint unum sicut & nos. Quamobrem ita est Pater in Filio, & Filius in Patre, ut unum sint, quia unius substantiæ sunt: nos verò esse quidem in eis possumus, unum tamen cum eis esse non possumus; quia unius substantiæ nos & ipsi non sumus, inquantum Filius cum Patre Deus est. Nam inquantum homo est, ejusdem substantiæ est cujus & nos sumus. Sed nunc illud potiùs voluit commendare, quod alio loco ait, Ego & Pater unum sumus: ubi eamdem Patris & suam significavit esse naturam. Ac per hoc & cùm in nobis sunt Pater & Filius, vel etiam Spiritus-sanctus, non debemus eos putare naturæ unius esse nobiscum. Sic itaque sunt in nobis, vel nos in illis, ut illi unum sint in natura sua, nos unum in nostra. Sunt quippe ipsi in nobis, tamquam Deus in templo suo: sumus autem nos in illis, tamquam creatura in creatore suo.

Iohan. 10. 30.

2. Deinde cùm dixisset, *Vt & ipsi in nobis unum sint*, adjunxit, *Vt mundus credat quia tu me misisti.* Quid est hoc? Numquidnam tunc crediturus est mundus, quando in Patre & Filio unum omnes erimus? Nonne ista est pax illa perpetua, & potiùs fidei merces quàm fides? Unum enim erimus, non ut credamus, sed quia credidimus. Sed etsi in hac vita propter ipsam communem fidem, omnes qui in unum credimus, unum sumus, juxta illud Apostoli, Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu: etiam sic non ut credamus, sed quia credimus, unum sumus. Quid est ergo, *Omnes unum sint, ut mundus credat?* Ipsi quippe *omnes* mundus est credens. Neque enim alii sunt qui unum erunt, & alius est mundus propterea crediturus, quia illi unum erunt: cùm procul dubio de his dicat, *Vt omnes unum sint*, de quibus dixerat, Non pro his autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: continuò subjungens, *Vt omnes unum sint.* Isti autem *omnes* quid est, nisi mundus, non hostilis utique, sed fidelis? Nam ecce qui dixerat, Non pro mundo rogo, pro mundo rogat ut credat. Quoniam est mundus de quo scriptum est, Ne cum hoc mundo damnemur. Pro isto mundo non rogat: neque enim quò sit prædestinatus, ignorat. Et est mundus de quo scriptum est, Non enim venit filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum: unde & Apostolus, Deus, inquit, erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Pro isto mundo rogat, dicens, *Vt mundus credat quia tu me misisti.* Per hanc enim fidem mundus reconciliatur Deo, cùm credit in Christum qui est missus à Deo. Quomodo ergo intellecturi sumus quod ait, *Vt & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti:* nisi quia non in eo causam posuit ut credat mundus, quia illi unum sunt, tamquam ideo credat quòd eos esse unum videt; cùm ipse mundus sint omnes, qui credendo unum fiunt: sed orando dixit, *Vt mundus credat*; sicut orando dixit, *Vt omnes unum sint*; orando dixit, *Vt & ipsi in nobis unum sint?* Hoc est enim *omnes unum sint*, quod est *mundus credat*: quoniam credendo unum fiunt: perfectè unum, qui cùm naturâ essent unum, dissentiendo ab uno non erant unum. Denique si verbum quod ait, *rogo*, tertiò subaudiamus, vel potiùs quò plenius fiat, ubique ponamus; erit hujus expositio sententiæ manifestior: *Rogo ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: rogo ut & ipsi in nobis unum sint: rogo ut mundus credat quia tu me misisti.* Ideo quippe addidit, quod dixit, *in nobis*, ut quod unum efficimur fidelissima caritate, gratiæ Dei noverimus tribuendum esse, non nobis: sicut Apostolus cùm dixisset, Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux, inquit, & ne sibi hoc tribuerent, adjecit, in Domino.

Iohan. 17. 21.

Galat. 3. 28.

Iohan. 17. 20.

Ibidem 9.

1. Cor. 11. 32.

Iohan 3. 17.

2. Cor. 5. 19.

Ephes. 5. 8.

3. Deinde Salvator noster rogando Patrem, se hominem demonstrabat: nunc demonstrans & seipsum, quoniam cum Patre Deus est, facere quod rogat, *Et ego*, inquit, *claritatem quam dedisti mihi, dedi illis.* Quam claritatem, nisi immortalitatem, quam natura humana in illo fuerat accepturа? Nam nec ipse adhuc acceperat eam, sed more suo propter immobilitatem prædestinationis, præteriti temporis verbis futura significat, quòd nunc clarificandus, hoc est suscitandus à Patre, & ipse sit nos ad eam claritatem suscitaturus in fine. Simile est hoc ei quod alibi dicit, Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat. Et quos, nisi eosdem quos Pater? Quæcumque enim Pater facit, non alia, sed hæc & Filius; nec aliter, sed similiter facit. Ac per hoc suscitavit & seipsum etiam ipse. Nam inde est, Solvite templum hoc, inquit, & in triduo resuscitabo illud. Proinde immortalitatis claritatem, quam sibi à Patre datam dicit, etiam ipse sibi dedisse intelligendus est, etsi non dicit. Ideo quippe sæpius solum Patrem facere dicit quod & ipse facit cum Patre, ut quidquid est ei tribuat de quo est. Sed & aliquando etiam tacito Patre, se dicit facere quod facit cum Patre: ut intelligamus ita Filium non esse à Patris opere separandum, quando se tacito Patrem dicit aliquid operari; quemadmodum nec Pater ab opere Filii separatur, quando ipso tacito Filius operari dicitur, quod nihilominus pariter operantur. Cùm ergo tacet Filius in opere Patris operationem suam, humilitatem commendat, ut sit nobis salubrior: cùm verò vicissim in opere suo tacet operationem Patris, parilitatem suam commendat, ne credatur inferior. Isto igitur modo & hoc loco nec se facit alienum à Patris opere, quamvis dixerit, *Claritatem quam dedisti mihi*; quia & ipse dedit eam sibi: nec Patrem facit alienum ab opere suo, quamvis dixerit, *dedi eis*; quia & Pater illam dedit eis. Inseparabilia namque sunt opera, non solùm Patris & Filii, verùm etiam Spiritus-sancti. Sicut autem ex eo quòd Patrem pro suis omnibus rogavit, hoc fieri voluit, *Vt omnes unum sint:* ita ex hoc etiam suo beneficio quod ait, *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis*, id fieri nihilominus voluit: nam continuò subjunxit, *Vt sint unum, sicut & nos unum sumus.*

Iohan. 5. 21.

Iohan. 2. 19.

Iohan. 17. 22.

4. Deinde addidit, *Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.* Ubi se mediatorem inter Deum & homines breviter intimavit. Neque enim hoc ita dictum est, tamquam Pater non sit in nobis, aut nos in Patre non simus; cùm & alio loco dixerit, Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus: & hîc paulò antè non dixerit, *Ego in eis & tu in me*, quod dixit modò; aut, Ipsi in me & ego in te; sed, *Tu in me & ego in te, & ipsi in nobis.* Quod ergo nunc ait, *Ego in eis & tu in*

Iohan. 17. 22. *v.* 23

Iohan. 14. 23.

me, ita dictum est ex persona mediatoris, sicut illud quod Apostolus ait, Vos Christi, Christus verò Dei. Quod verò addidit, *Vt sint consummati in unum*, ostendit eò perduci reconciliationem, quæ fit per mediatorem, ut perfecta beatitudine, cui jam nihil possit adjici, perfuamur. Unde id quod sequitur, *Vt cognoscat mundus quia tu me misisti*, non sic accipiendum puto, tamquam iterum dixerit, *Vt credat mundus*: aliquando enim & cognoscere pro eo quod est credere ponitur, ut est quod ait aliquantò superiùs, Et cognoverunt verè quia à te exivi, & crediderunt quia tu me misisti. Hoc dixit posteriùs crediderunt, quod priùs dixerat cognoverunt. Sed hîc quandoquidem de consummatione loquitur, talis est intelligenda cognitio, qualis erit per speciem, non qualis nunc est per fidem. Nam videtur ordo esse servatus in eo quod paulò antè dixit, *Vt credat mundus:* hîc autem, *Vt cognoscat mundus.* Ibi enim quamvis dixerit, *Vt omnes unum sint, & in nobis unum sint*; non ait tamen, *Sint consummati in unum*, atque ita subnexuit, *Vt credat mundus quia tu me misisti:* hîc verò, *Vt sint*, inquit, *consummati in unum*; ac deinde non addidit, *Vt credat mundus*; sed, *Vt cognoscat mundus quia tu me misisti.* Quamdiu enim credimus quod non videmus, nondum sumus ita consummati, quemadmodum erimus cùm meruerimus videre quod credimus. Rectissimè igitur ibi, *Vt credat mundus*; hîc, *Vt cognoscat mundus:* tamen & ibi & hîc, *quia tu me misisti*; ut noverimus quantum pertinet ad Patris & Filii inseparabilem caritatem, hoc nos modò credere quod tendimus credendo cognoscere. Si autem diceret, Ut cognoscant quia tu me misisti: tantumdem valeret quantum hoc quod ait, *Vt cognoscat mundus.* Ipsi sunt enim mundus, non permanens inimicus, qualis est mundus damnationi prædestinatus; sed ex inimico amicus effectus, propter quem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Ideo dixit, *Ego in eis & tu in me:* tamquam diceret, Ego in eis ad quos misisti me, & tu in me mundum reconcilians tibi per me.

1. *Cor.* 3. 23.

Iohan. 17. 23.

Ibidem 8.

2. *Cor.* 5 19.

5. Propterea sequitur etiam illud quod ait, *Et dilexisti eos sicut & me dilexisti.* In Filio quippe nos Pater diligit, quia in ipso nos elegit ante constitutionem mundi. Qui enim diligit Unigenitum, profectò diligit & membra ejus quæ adoptavit in eum per eum. Nec ideo pares sumus unigenito Filio per quem creati & [a] recreati sumus: quia dictum est, *Dilexisti eos sicut & me.* Neque enim semper æqualitatem significat, qui dicit, Sicut illud, ita & illud: sed aliquando tantùm, Quia est illud, est & illud; aut, Quia est illud, ut sit & illud. Quis enim dixerit eo prorsus modo in mundum à Christo Apostolos missos, quomodo est ipse missus à Patre? Ut enim alias taceam differentias, quas commemorare longum est, missi sunt certè illi cùm jam homines essent; missus est autem ipse ut homo esset: & tamen superiùs ait, Sicut me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum: tamquam diceret, Quia misisti me, misi eos. Ita & hoc loco, *Dilexisti eos*, inquit, *sicut me dilexisti:* quod nihil aliud est quàm, Dilexisti eos, quoniam & me dilexisti. Non enim membra Filii non diligeret qui diligit Filium; aut alia causa est diligendi membra ejus, nisi quia diligit eum. Sed diligit Filium secundùm divinitatem, quia genuit illum æqualem sibi; diligit eum etiam secundùm id quod homo est, quia ipsum unigenitum Verbum caro factum est, & propter Verbum est ei cara Verbi caro: nos autem diligit, quoniam sumus ejus membra quem diligit; & hoc ut essemus, propter hoc nos dilexit antequam essemus.

Ephes. 1. 4.

a

Iohan. 17. 18.

6. Quapropter incomprehensibilis est dilectio, qua diligit Deus, neque mutabilis. Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem Filii ejus, nos cœpit diligere: sed ante mundi constitutionem dilexit nos, ut cum ejus Unigenito etiam nos filii ejus essemus, priùs quàm omnino aliquid essemus. Quòd ergo reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, non sic audiatur, non sic accipiatur, quasi ideo nos reconciliaverit ei Filius, ut jam inciperet amare quos oderat; sicut reconciliatur inimicus inimico, ut deinde sint amici, & invicem diligant qui oderant invicem: sed jam nos diligenti reconciliati sumus ei, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Quod utrùm verum dicam, adtestetur Apostolus: Commendat, inquit, dilectionem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Habebat ita que ille erga nos caritatem, etiam cùm inimicitias adversùm eum exercentes operaremur iniquitatem: & tamen ei verissimè dictum est, Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem. Proinde miro & divino modo & quando nos oderat, diligebat: oderat enim nos, quales ipse non fecerat; & quia iniquitas nostra opus ejus non omni ex parte consumserat, noverat simul in unoquoque nostrûm & odisse quod feceramus, & amare quod fecerat. Et hoc quidem in omnibus intelligi potest de illo, cui veraciter dicitur, Nihil odisti eorum quæ fecisti. Non enim quodcumque odisset esse voluisset, aut omnino esset quod omnipotens esse noluisset, nisi & in eo quod odit, esset etiam quod amaret. Meritò quippe odit, & velut à regula suæ artis alienum improbat vitium: amat tamen suum etiam in vitiosis vel [b] sanatione beneficium, vel damnatione judicium. Ita Deus, & nihil odit eorum quæ fecit; naturarum enim, non vitiorum conditor; mala quæ odit, ipse non fecit; & de malis eisdem vel sanando ea per misericordiam, vel ordinando per judicium, bona sunt ipsa quæ facit. Cùm igitur eorum quæ fecit nihil oderit, quis dignè possit eloqui, quantum diligat membra Unigeniti sui, & quantò ampliùs ipsum Unigenitum, in quo condita sunt omnia visibilia & invisibilia, quæ in suis generibus ordinata ordinatissimè diligit? Membra quippe Unigeniti ad Angelorum sanctorum æqualitatem gratiæ suæ largitate perducit: Unigenitus autem cùm sit Dominus omnium, procul dubio est Dominus Angelorum, naturâ qua Deus est, non Angelis, sed Patri potiùs æqualis: gratiâ verò qua homo est, quomodo non excedit excellentiam cujuslibet Angeli, cùm sit una persona carnis & Verbi?

Sap. 11. 25.

b

Rom. 5. 8.

7. Quamquam non desint qui etiam nos Angelis præferant: quia pro nobis, inquiunt, non pro Angelis mortuus est Christus. Id quid est aliud, quàm de impietate velle gloriari? Etenim Christus, sicut ait Apostolus, juxta tempus pro impiis mortuus est. Hîc ergo non meritum nostrum, sed Dei misericordia commendatur. Nam quale est ideo se velle laudari, quia vitio suo tam detestabiliter ægrotavit, ut non posset aliter quàm medici morte sanari? Non est hæc nostrorum gloria meritorum,

Rom. 5. 8.

[a] In editis, *reconciliati*. At in MSS. *recreati*.

[b] Sic MSS. Editi verò, *sanationis benef. vel damnationis* &c.

tum faciam. Notum feci per fidem, notum faciam per speciem: notum feci cum fine peregrinantibus, notum faciam sine fine regnantibus. *Vt dilectio*, inquit, *quam dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* Non est usitata locutio, *dilectio quam dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis*: usitatè quippe diceretur, dilectio qua dilexisti me. De Græco quidem ista translata est; sed sunt similes & Latinæ; sicut dicimus, fidelem servitutem servivit, strenuam militiam militavit; cùm dici debuisse videatur, fideli servitute servivit, strenuâ militiâ militavit. Qualis autem ista locutio est, *dilectio quam* 2. Tim 4.7. *dilexisti me*: tali & Apostolus usus est, Bonum certamen certavi. Non ait, bono certamine, quod usitatiùs & tamquam rectiùs diceretur. Quomodo autem dilectio quam dilexit Pater Filium, est & in nobis, nisi quia membra ejus sumus, & in illo diligimur, cùm ipse diligitur totus, id est, caput & corpus? Ideo subjunxit, *& ego in ipsis*: tamquam diceret, quoniam ego sum & in ipsis. Aliter enim est in nobis tamquam in templo suo; aliter autem quia & nos ipse sumus, cùm secundùm id quod ut caput nostrum esset, homo factus est, corpus ejus sumus. Finita est Salvatoris ORATIO, incipit PASSIO: ergo & iste sermo finiatur, ut de passione quod ipse donaverit, aliis sermonibus disputetur.

TRACTATUS CXII.

In id quod sequitur, Hæc cùm dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis *&c. usque ad id*; Comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum.

1. TERMINATO magno prolixoque sermone, quem post cœnam Dominus, fundendo pro nobis proximus sanguini, ad discipulos habuit qui cum illo tunc erant, adjuncta oratione quam direxit ad Patrem, deinceps ejus
Ioan. 18. v. 1. passionem Johannes Evangelista sic orsus est: **Hæc cùm dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis transtorrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit*
v. 2. *ipse & discipuli ejus.* * *Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Hoc quod narrat ingressum Dominum cum discipulis suis in hortum, non continuò factum est, cùm ejus illa finita esset oratio, de cujus verbis ait, *Hæc cùm dixisset Jesus*: sed alia quædam sunt interposita quæ ab isto prætermissa apud alios Evangelistas leguntur: sicut apud hunc inveniuntur multa, quæ illi similiter in sua narratione tacuerunt. Quomodo autem inter se omnes conveniant, nec veritati quæ per alium promitur, ab alio repugnetur, quisquis nosse desiderat, non in his sermonibus, sed in aliis laboriosis
* Mittit ad suos libros de consensu Evangelistarum. litteris quærat; nec stando & audiendo, sed potiùs sedendo & legendo, vel legenti aurem mentemque intentissimam præbendo, illa condiscat. Credat tamen antequam sciat, sive id etiam scire in hac vita possit, sive per aliqua impedimenta non possit, nihil ab aliquo Evangelista esse conscriptum quantum ad hos attinet quos in auctoritatem canonicam recepit Ecclesia, quod vel ipsius vel alterius non minùs veraci narrationi possit esse contrarium. Nunc itaque hujus beati Johannis narrationem, ut suscepimus tractandam, sine aliorum comparatione videamus, in eis quæ manifesta sunt non immorantes: ut hoc ubi opus est, causâ poscente faciamus. Non ergo sic accipiamus quod ait, *Hæc cùm dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse & discipuli ejus*, tamquam continuò post illa verba in illum hortum fuerit ingressus: sed ad hoc valeat quod dictum est, *Hæc cùm dixisset Jesus*, ut non eum antè opinemur ingressum, quàm illa verba finiret.

2. *Sciebat*, inquit, *& Judas qui tradebat eum, locum.* Ordo verborum est, *Sciebat locum qui tradebat eum. Quia frequenter*, inquit, *Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Ibi ergo lupus ovina pelle contectus, & inter oves alto patris-familiâs consilio toleratus, didicit ubi ad tempus exiguum dispergeret gregem, insidiis appetendo pastorem. *Judas* v. 3. *ergo*, inquit, *cùm accepisset cohortem, & à Principibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis.* Cohors non Judæorum, sed militum fuit. A præside itaque intelligatur accepta, tamquam ad tenendum reum, servato ordine legitimæ potestatis, ut nullus tenentibus auderet obsistere: quamquam & manus tanta fuerat congregata, & sic armata veniebat, ut vel terreret vel etiam repugnaret, si quisquam Christum defendere auderet. Ita quippe ejus abscondebatur potestas, & obtendebatur infirmitas, ut hæc inimicis necessaria viderentur adversùs eum, in quem nihil valuisset nisi quod ipse voluisset: bene utens bonus malis, & faciens bona de malis, ad faciendos bonos ex malis, & discernendos bonos à malis.

3. * *Jesus itaque*, sicut Evangelista secutus adjun- v. 4. git, *sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, & dicit eis, Quem quæritis?* * *Responderunt ei,* v. 5. *Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus, Ego sum. Stabat autem & Judas qui tradebat eum cum ipsis:* * *ut ergo* v. 6. *dixit eis Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Ubi nunc militum cohors, & ministri Principum ac pharisæorum? Ubi terror & munimen armorum? Nempe una vox dicentis, *Ego sum*, tantam turbam odiis ferocem armisque terribilem, sine telo ullo percussit, repulit, stravit. Deus enim latebat in carne: & sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut lucernis & facibus quæreretur occidendus à tenebris. *Ego sum* dicit, & impios dejicit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Et nunc ubique per Evangelium, *Ego sum*, dicit Christus: & à Judæis exspectatur Antichristus, ut retrò redeant, & in terram cadant, quoniam deserentes cælestia, terrena desiderant. Certè ad comprehendendum Jesum persecutores cum traditore venerunt, quem quærebant invenerunt, audierunt *Ego sum*: quare non comprehenderunt, sed abierunt retrò, & ceciderunt, nisi quia hoc voluit, qui potuit quidquid voluit? Verùm si numquam se ab eis permitteret apprehendi, non quidem illi facerent propter quod venerant, sed nec ipse faceret propter quod venerat. Eum quippe illi occidendum quærebant sæviendo, sed quærebat nos & ipse moriendo. Proinde quia tenere volentibus, nec valentibus, ostendit potestatem suam: jam teneant eum, ut faciat de nescientibus voluntatem suam.

4. * *Iterum ergo eos interrogavit, Quem quæritis?* v. 7. *Illi autem dixerunt, Jesum Nazarenum.* * *Respondit* v. 8. *Jesus, Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* * *Vt impleretur sermo quem dixit, Quia* v. 9. *quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Si me,* inquit, *quæritis, sinite hos abire.* Inimicos videt, & hoc

hoc faciunt quod jubet: sinunt eos abire, quos non vult perire. Numquid autem non erant postea morituri? Cur ergo si tunc morerentur, perderet eos, nisi quia nondum sic in eum credebant, quomodo credunt quicumque non pereunt?

v. 10. 5. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit servum Principis sacerdotum, & abscidit ejus auriculam dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.* Solus hic Evangelista etiam nomen hujus servi expressit: sicut Lucas solus, quòd ejus auricu-
Luc. 22. 51. lam Dominus tetigerit, & sanaverit eum. Malchus autem interpretatur regnaturus. Quid ergo auris pro Domino amputata & à Domino sanata significat, nisi auditum amputata vetustate renovatum,
Rom. 7. 6. ut sit in novitate spiritûs, & non in vetustate litteræ? Quod cui præstitum fuerit à Christo, quis dubitet regnaturum esse cum Christo? Quòd autem servus inventus est, & hoc ad illam pertinet vetustatem, quæ in servitutem generat, quod est Agar.
Galat. 4. 24. Sed cùm accessit sanitas, figurata est & libertas. Factum tamen Petri Dominus improbavit, & pro-
Johan. 18. 11. gredi ultrà prohibuit dicens, *Mitte gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* In suo quippe facto ille discipulus magistrum defendere voluit, non quod significandum est cogitavit. Et ille igitur ad patientiam commonendus fuit, & hoc ad intelligentiam conscribendum. Quod autem à Patre sibi dicit datum calicem passionis, profectò illud est quod ait Apostolus, Si
Rom. 8. 31. & 32. » Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio pro» prio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Verùm auctor calicis hujus est etiam ipse qui
Ephes. 5. 2. » bibit. Unde idem Apostolus item dicit, Christus » dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, obla» tionem & hostiam Deo in odorem suavitatis.

Johan. 18. 12. 6. *Cohors autem & tribunus & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum.* Comprehenderunt ad quem non accesserunt: quoniam dies ille, illi verò tenebræ permanserunt; nec au-
Psal. 33. 6. dierunt, Accedite ad eum & illuminamini. Si enim sic accederent, non eum manibus occidendum, sed recipiendum corde comprehenderent. Nunc autem quando eum illo modo comprehenderunt, tunc ab illo longiùs recesserunt: & ligaverunt eum à quo solvi potiùs velle debuerunt. Et erant fortassis in eis, qui tunc imposuerunt Christo vincula sua,
Psal. 115. 16. atque ab eo postea liberati dixerunt, Dirupisti vincula mea. Hæc hodie satis sint, tractabuntur Deo volente sermone alio quæ sequuntur.

TRACTATUS CXIII.

Ab eo quod legitur, Et adduxerunt eum ad Annam primùm: *usque ad id*, Iterum ergo negavit Petrus, & statim gallus cantavit.

1. POSTEA quàm persecutores tradente Juda comprehensum Dominum ligaverunt, qui dilexit nos & tradidit semet-
Ephes. 5. 2. ipsum pro nobis, & cui Pater non pepercit, sed
Rom. 8. 32. pro nobis omnibus tradidit eum; ut intelligatur Judas, non laudabilis utilitate traditionis hujus, sed
Johan. 18. 13. sceleris voluntate damnabilis: *Adduxerunt eum*, sicut Johannes evangelista narrat, *ad Annam primùm.* Nec tacet causam, cur ita factum sit. *Erat enim*, inquit, *socer Caiphæ, qui erat pontifex anni*
v. 14. *illius. Erat autem*, inquit, *Caiphas,* * *qui consilium dedit Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo.* Meritò & Matthæus cùm id brevius narrare voluisset, eum ad Caipham ductum fuisse commemorat; quia & ad Annam priùs ideo ductus est, quòd socer ejus fuerit: ubi intelligendum est hoc eumdem Caipham fieri voluisse.
Matth. 26. 57.

2. *Sequebatur autem*, inquit, *Jesum Simon Pe-* Johan. 18. 15. *trus, & alius discipulus.* Quisnam iste sit discipulus, non temere affirmandum est, quia tacetur. Solet autem se idem Johannes ita significare, & addere, Johan. 13. 23. & 19. 26. &c. quem diligebat Jesus. Fortassis ergo & hic ipse est: quisquis tamen sit, sequentia videamus.* *Discipulus* Johan. 18. v. 15. *autem ille*, inquit, *erat notus pontifici, & introivit cum Jesu in atrium pontificis:* * *Petrus autem stabat ad* v. 16. *ostium foris: exiit ergo alius discipulus qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.* * *Dicit* v. 17. *ergo Petro ancilla ostiaria, Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille, Non sum.* Ecce [a columna firmissima ad unius auræ impulsum a tota contremuit. Ubi] est illa promittentis audacia, & de se plurimùm præsidentis? Ubi sunt verba illa, quando ait, Quare non possum te sequi modò? Johan. 13. 37. Animam meam pro te ponam. Hoccine est sequi magistrum, se negare discipulum? Siccine pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Sed quid mirum si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumsit? Sanè in ista quæ jam cœpta est negatione apostoli Petri, debemus advertere non solùm ab eo negari Christum, qui 11. q. 3. c. Non solùm abnegat. dicit eum non esse Christum; sed ab illo etiam qui cùm sit, negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro, Discipulum meum te negabis; sed, me negabis. Negavit ergo ipsum, cùm se negavit ejus esse discipulum. Quid autem aliud isto modo quàm se negavit esse Christianum? Quamvis enim discipuli Christi nondum appellarentur hoc nomine, post adscensionem quippe ejus in Antiochia Act. 11. 26. primùm cœperunt appellari discipuli Christiani: jam tamen erat res ipsa illo postea vocabulo nuncupanda, jam erant discipuli qui postea appellati sunt Christiani: & hoc commune nomen, sicut communem fidem, etiam ad posteros transmiserunt. Qui ergo se Christi negavit esse discipulum, ipsam rem negavit, cujus nomen est vocari Christianum. Quàm multi postea, non dico senes & anus, in quibus hujus vitæ satietas faciliùs potuit mortem pro Christi confessione contemnere; nec solùm juventus utriusque sexus, de qua ætate convenienter videtur exigi fortitudo; sed etiam pueri puellæque potuerunt, & innumerabilis societas sanctorum Martyrum in regnum cælorum fortiter & violenter intravit, quod tunc iste non potuit, qui claves regni ejus accepit? Ecce unde dictum est, Matth. 16. 19. Johan. 18. 8. Sinite hos abire: quando se pro nobis tradidit, qui suo sanguine nos redemit; ut impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Utique enim Petrus si negato Christo hinc iret, quid aliud quàm periret?

3. *Stabant autem servi & ministri ad prunas, quia* v. 18. *frigus erat, & calefaciebant se.* Non hyems erat, sed tamen frigus erat: quod solet etiam æquinoctio verno aliquando contingere, *Erat autem cum eis &* *Petrus stans, & calefaciens se.* * *Pontifex ergo interroga-* v. 19. *vit Jesum de discipulis ejus, & de doctrina ejus.* * *Res-* v. 20. *pondit ei Jesus, Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in* b *synagoga & in templo, quò omnes* b *Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil:* * *quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid* v. 21.

a Verba isthæc ansulis clauduntur, quia non exstant in MSS.

b MSS. *in synagogis.*

locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Non A prætereunda nascitur quæstio, quomodo dixerit Dominus Jesus, *Ego palàm locutus sum mundo*: & maximè illud quod ait, *In occulto locutus sum nihil.* Nonne in hoc ipso recentiore sermone, quem post
Iohan. 16. 25. cœnam discipulis est locutus, ait illis, Hæc in proverbiis locutus sum vobis: venit hora cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed palàm de Patre meo annuntiabo vobis? Si ergo ipsis conjunctioribus discipulis suis non loquebatur palàm, sed horam promittebat quando palàm erat locuturus, quomodo palàm locutus est mundo? Deinde illis ipsis suis, sicut aliorum quoque Evangelistarum testatur auctoritas, in eorum comparatione qui discipuli ejus non erant, multò utique manifestiùs loquebatur, quando cum solis erat, remotus à turbis: tunc enim eis & parabolas aperiebat, quas clausas proferebat ad alios. Quid est ergo, *In occulto locutus sum nihil?* Sed intelligendum est ita eum dixisse, *Palàm locutus sum mundo*: ac si dixisset, Multi me audierunt. Ipsum autem *palàm* modo quodam erat palàm, modo autem quodam non erat palàm. Palàm quippe erat, quia multi audiebant: & rursum non erat palàm, quia non intelligebant. Et quod seorsum discipulis loquebatur, non in occulto utique loquebatur. Quis namque in occulto loquitur, qui coDeut. 19. 15. Matth. 18. 16. ram tot hominibus loquitur; cùm scriptum sit, In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum: præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos velit innotescere multis: sicut ipse Dominus ait illis,
Matth. 10 27. quos adhuc paucos habebat, Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, » prædicate super tecta? Ergo & hoc ipsum quod ab ipso dici videbatur occultè, quodammodo non dicebatur in occulto: quia non ita dicebatur, ut ab eis quibus dictum fuerat, taceretur; sed ita potiùs, ut usquequaque prædicaretur. Sic ergo dici potest aliquid & palàm simul & non palàm, vel in occulto
Marci 4. 12. simul & non in occulto, quomodo dictum est, Ut videntes videant, & non videant. Quomodo enim videant, nisi quia palàm, non in occulto: & quomodo idem ipsi rursus non videant, nisi quia non palàm, sed in occulto? Ea tamen ipsa quæ audierant & non intellexerant, talia erant, ut non possent justè ac veraciter criminari: & quotiescumque interrogando tentarunt, ut invenirent unde accusarent eum, sic eis respondit, ut omnes eorum retunderentur doli, & calumniæ frustrarentur. Ideo
Iohan. 18. 41. dicebat, *Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis; ecce hi sciunt quæ dixerim ego.*

v. 22. 4. * *Hæc autem cùm dixisset, unus adstitens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens, Sic respondes pontifici?* * *Respondit ei Jesus, Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Quid ista responsione verius, mansuetius, justius? Ejus est enim de quo prophetica vox præPsal. 44. 5. cesserat, Intende, & prosperè procede, & regna, propter veritatem & mansuetudinem & justitiam. Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit, aut cælesti igne consumi, aut terrâ dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut aliqua hujusmodi qualibet pœnâ, vel etiam graviore puniri? Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset qua vincitur mundus? Hîc dicet aliquis, Cur non fecit
Matth. 5. 39. quod ipse præcepit? Percutienti enim non sic respondere, sed maxillam debuit alteram præbere. Quid quod & veraciter, mansuetè, justéque respondit, & non solùm alteram maxillam iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparavit in ligno? Et hinc potiùs demonstravit, quod demonstrandum fuit, sua scilicet magna illa præcepta patientiæ non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda. Fieri enim potest, ut alteram maxillam visibiliter præbeat homo, & iratus. Quantò ergo meliùs & respondet vera placatus, & ad B perferenda graviora tranquillo animo sit paratus? Beatus est enim qui in omnibus quæ injustè pro justitia patitur, potest veraciter dicere, Paratum cor Psal. 56. 8. meum Deus, paratum cor meum: hinc fit quippe quod sequitur, Cantabo & psallam: quod Paulus & Barnabas etiam in vinculis durissimis facere potuerunt.

Paulus & Barnabas in vinculis psallentes.

5. Sed ad narrationis Evangelicæ sequentia redeamus. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham* Iohan. 18. 24. Matth. 26. 57. *pontificem.* Ad illum, sicut Matthæus dicit, ab inio ducebatur, quoniam ipse erat illius anni princeps sacerdotum. Alternos quippe intelligendi sunt agere solere annos ambo pontifices, id est principes sacerdotum, qui erant illo tempore Annas & Caiphas, quos Lucas evangelista commemorat, narrans quo tempore cœperit Domini præcursor Johannes prædicare regnum cælorum, & congre- Luc. 3. 2. gare discipulos. Sic enim dicit, Sub principibus sa- " cerdotum Anna & Caipha factum est verbum Do- " mini super Johannem Zachariæ filium in deserto, & " cetera. Proinde isti ambo pontifices vicissim suos annos agebant: & erat annus Caiphæ quando pas- Matth. 26. 57. sus est Christus. Ideo secundùm Matthæum cùm comprehensus esset, ad eum ductus est: sed priùs Iohan. 18. 13. ad Annam secundùm Johannem venerunt cum illo; non quia collega, sed quia socer ejus erat. Et credendum est secundùm voluntatem Caiphæ id esse factum, vel etiam domos eorum ita fuisse positas, ut non deberet Annas à transeuntibus præteriri.

6. Sed cùm dixisset Evangelista quòd eum ligatum miserit Annas ad Caipham, reversus est ad E locum narrationis, ubi reliquerat Petrum, ut explicaret quod in domo Annæ de trina ejus negatione contigerat. *Erat autem*, inquit, *Simon Petrus* v. 25. *stans & calefaciens se.* Hoc recapitulat quod antè Ibidem 17. jam dixerat: deinde quæ secuta sunt jungit. *Dixe-* v. 25. *runt ergo ei, Numquid & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit, Non sum.* Jam semel negaverat: ecce iterum. Deinde ut tertia negatio compleatur, * *Dicit unus ex servis pontificis, cognatus* v. 26. *ejus cujus abscidit Petrus auriculam, Nonne ego te* F *vidi in horto cum illo?* * *Iterum ergo negavit Petrus* v. 27. *& statim gallus cantavit.* Ecce medici completa est prædictio, ægroti convicta præsumtio. Non enim factum est quod iste dixerat, Animam meam pro Iohan. 13. te ponam: sed factum est quod ille prædixerat, Ter 38. me negabis. Sed trina Petri negatione completa, jam & iste sermo compleatur, ut deinceps quæ de Domino apud Pontium Pilatum præsidem gesta sunt, ab alio consideremus exordio.

TRACTATUS CXIV.

Ab eo loco, Adducunt ergo Jesum ad Caipham in prætorium: *usque ad id*, Ut sermo Jesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

1. QUÆ cum Domino vel de Domino nostro Jesu Christo apud Pontium Pilatum præsidem gesta sint, quantum Johannes

evangelista indicat, deinde videamus. Redit enim A ad locum narrationis suæ ubi eam reliquerat, ut explicaret Petri negationem. Jam quippe dixerat,
Iohan. 18. 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem: atque inde regressus ubi dimiserat Petrum calefacientem se ad ignem in atrio, postea quàm totam ejus negationem, quæ ter facta est, terminav. 28. a vit, *Adducunt ergo Jesum*, inquit, *ad*[a] *Caipham in prætorium.* Ad Caipham quippe ab Anna collega & socero ejus dixerat missum. Sed si ad Caipham, cur in prætorium? Quod nihil aliud vult intelligi, B quàm ubi præses Pilatus habitabat. Aut igitur aliqua urgente causâ de domo Annæ, quò ad audiendum Jesum ambo convenerant, Caiphas perrexerat ad prætorium præsidis, & socero suo Jesum reliquerat audiendum: aut in domo Caiphæ prætorium Pilatus acceperat, & tanta domus erat, ut seorsum habitantem dominum suum, seorsum judicem ferret.

Ibidem. 2. *Erat autem manè, & ipsi*, id est, qui ducebant Jesum: *non introierunt in prætorium*, hoc est in C eam partem domus quam Pilatus tenebat, si ipsa erat domus Caiphæ. Cur autem non introierunt in prætorium, exponens caussam, *Ut non contaminarentur*, inquit, *sed ut manducarent Pascha.* Dies enim agere cœperant azymorum: quibus diebus contaminatio illis erat in alienigenæ habitaculum intrare. O impia cæcitas! Habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio? Alienigenæ judicis prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis sanguine D non timebant: ut hoc solum interim dicam, ubi rea malorum conscientia tenebatur. Nam quòd etiam Dominus erat, qui eorum impietate ducebatur ad mortem, & vitæ dator occidebatur; non eorum conscientiæ, sed ignorantiæ deputetur.

v. 29. 3. * *Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc?*
v. 30. * *Responderunt, & dixerunt ei, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Interrogentur atque respondeant ab immundis spiritibus liberati, E languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, & quod omnia superat, stulti sapientes, utrùm sit malefactor Jesus. Sed ista dicebant, de quibus
Psal. 34. 12. per Prophetam jam ipse prædixerat, Retribuebant mihi mala pro bonis.

Iohan. 18. 31. 4. *Dixit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi, Nobis non licet interficere quemquam.* Quid est quod loquitur insana crudelitas? An non inter-
De pœn. dist. 1. cap. Periculosè. F ficiebant, quem interficiendum offerebant? An fortè crux non interficit? Sic desipiunt, qui non sectantur, sed insectantur sapientiam. Quid est autem, *Nobis non licet interficere quemquam?* Si male-
Deut. 13. 5. factor est, cur non licet? Nonne Lex eis præcepit, ne malefactoribus, præsertim (qualem istum putabant) à suo Deo seductoribus parcant? Sed intelligendum est eos dixisse, non sibi licere interficere quemquam, propter diei festi sanctitatem, quem celebrare jam cœperant: propter quem de ingres- G su etiam prætorii contaminari metuebant. Itane obduruistis falsi Israëlitæ? Itane omnem sensum nimiâ malitiâ perdidistis, ut ideo vos à sanguine innocentis impollutos esse credatis, quia eum fundendum alteri tradidistis? Numquid & Pilatus illum, qui potestati ejus à vobis ingeritur occidendus, suis est manibus occisurus? Si non eum voluistis occidi, si non insidiati estis, si non vobis tradendum pecuniâ comparastis, si non comprehendistis, vinxistis, adduxistis, si non occidendum manibus obtulistis, vocibus poposcistis, non eum à vobis interfectum esse jactate. Si autem illis omnibus vestris præcedentibus factis, etiam Crucifige, crucifige, clamaIohan. 19. 6. stis; audite quod contra vos etiam Propheta clamat, Filii hominum, dentes eorum arma & sagitPsal. 56. 5. tæ, & lingua eorum machæra acuta. Ecce quibus armis, quibus sagittis, qua machærâ justum interfecistis, quando vobis interficere quemquam non licere dixistis. Hinc est quod ad comprehendendum Jesum, cùm sacerdotum non venissent principes, sed misissent: Lucas tamen Evangelista in eodem narrationis suæ loco ait, Dixit autem, in- Luc. 22. 52. quit, Jesus ad eos qui venerant ad se principes sa- " cerdotum, & magistratus templi, & seniores, " Quasi ad latronem existis, & cetera. Sicut ergo " principes sacerdotum non per seipsos, sed per eos quos miserant ad comprehendendum Jesum, quid aliud quàm ipsi in suæ jussionis potestate venerunt? sic omnes qui crucifigendum Christum impiis vocibus clamaverunt, non quidem per seipsos eum, sed tamen ipsi per illum qui eorum clamore ad hoc nefas impulsus est, occiderunt.

5. Quod verò Johannes evangelista subjungit, *Ut sermo Jesu impleretur quem dixit, significans qua* Iohan. 18. 32. *morte esset moriturus*: Si mortem crucis hîc velimus accipere, tamquam ideo dixerint Judæi, *Nobis non licet interficere quemquam*, quia interfici aliud est, aliud crucifigi: non video quomodo id possit consequenter intelligi, cùm hoc ad Pilati verba responderint, quibus eis dixerat, *Accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum.* Numquid ergo eum non poterant accipere, & ipsi eum crucifigere, si per tale genus supplicii interfectionem cujusquam vitare cupiebant? Quis autem non videat, quàm sit absurdum eis licere quemquam crucifigere, quibus non licet quemquam interficere? Quid quòd ipse Dominus eamdem mortem suam, E id est mortem crucis, etiam interfectionem vocat; sicut legimus apud Marcum, ubi ait, Ecce adscen- Marci 10. 33. & 34. dimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & Scribis, & damnabunt " eum morte, & tradent eum gentibus, & illudent " ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & in- " terficient eum, & tertia die resurget? Nimirum ergo ista dicendo significavit Dominus qua esset morte moriturus: non quòd hîc mortem crucis vellet intelligi, sed quòd eum Judæi fuissent gentibus traditur[i], hoc est Romanis. Nam Pilatus Romanus erat, eumque in Judæam Romani præsidem F miserant. Ut ergo iste sermo Jesu impleretur, id est, ut eum sibi traditum gentes interficerent, quod Jesus futurum esse prædixerat; ideo Pilatus qui judex Romanus erat, cùm vellet eum reddere Judæis, ut secundùm Legem suam judicarent eum, noluerunt eum accipere dicentes, *Nobis non licet interfi- cere quemquam.* Ac sic impletus est sermo Jesu, quem G de sua morte prædixit, ut eum à Judæis traditum interficerent gentes: minore scelere quàm Judæi, qui se isto modo ab ejus interfectione velut alienos facere voluerunt, non ut eorum innocentia, sed ut dementia monstraretur.

[a] Sic etiam in 3. lib. de Consensu Evangelistarum c. 7. At in sacris Bibliis habetur nunc, ἐπὶ τὸν Καϊάφαν, *à Caipha.*

TRACTATUS CXV.

De eo quod dicitur, Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus: *usque ad id*, Erat autem Barabbas latro.

1. QUID Pilatus dixerit Christo, quidve Pilato ille responderit, isto sermone considerandum atque tractandum est. *Johan. 18. 31.* Cùm enim dictum esset Judæis, Accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum, atque illi respondissent, Nobis non licet occidere quem- *v. 31.* quam, * *Introivit iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Iesum, & dixit ei, Tu es rex Iudæorum?* *v. 34.* * *Et respondit Iesus, A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Sciebat utique Dominus, & quod ipse interrogavit, & quod ille responsurus fuit: sed tamen dici voluit, non ut ipse sciret, sed ut scri- *v. 35.* beretur, quod nos voluit ut sciremus. * *Respondit Pilatus, Numquid ego Iudæus sum? Gens tua & v. 36. pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?* * *Respondit Iesus, Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc.* Hoc est quod bonus magister scire nos voluit: sed priùs nobis demonstranda fuerat vana hominum de regno ejus opinio, sive gentium, sive Judæorum, à quibus id Pilatus audierat: quasi propterea morte fuisset plectendus, quòd illicitum affectaverit regnum; vel quoniam solent regnaturis invidere regnantes, & videlicet cavendum erat, ne ejus regnum sive Romanis, sive Judæis esset adversum. Poterat autem Dominus quod ait, *Regnum meum non est de hoc mundo*, &c. ad primam interrogationem præsidis respondere, ubi ei dixit, *Tu es rex Iudæorum?* sed eum vicissim interrogans, utrùm hoc à semetipso diceret, an audisset ab aliis, illo respondente ostendere voluit hoc sibi apud illum fuisse à Judæis velut crimen objectum: patefaciens nobis cogitationes hominum, quas ipse noverat, quoniam vanæ sunt; eisque post responsionem Pilati, jam Judæis & gentibus opportunius aptiúsque respondens, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quod si interroganti Pilato continuò respondisset; non etiam Judæis, sed solis gentibus hoc de se opinantibus respondisse videretur. Nunc verò quoniam respondit Pilatus, *Numquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi*: abstulit à se suspicionem, qua posset putari à semetipso dixisse quòd Jesum regem dixerat esse Judæorum, id se à Judæis audisse demonstrans. Deinde dicendo, *Quid fecisti?* satis ostendit illud ei pro crimine objectum: tamquam diceret, Si regem te negas, quid fecisti ut tradereris mihi? Quasi mirum non esset, si puniendus judici traderetur, qui se diceret regem: si autem hoc non diceret, quærendum ab illo esset, quid aliud fortè fecisset, unde tradi judici dignus esset.

2. Audite ergo Judæi & gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena, Non impedio dominationem vestram in hoc mundo, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille ma- *Matth. 2. 3. &c.* jor cùm Christus natus nuntiaretur, expavit, & tot infantes ut ad eum mors perveniret, occidit, timendo magis quàm irascendo crudelior, *Regnum* inquit, *meum non est de hoc mundo.* Quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo: venite credendo, & nolite sævire metuendo. Dicit quidem in prophetia de Deo Patre, Ego *Psal. 2. 6.* autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: sed Sion illa & mons ille non est de hoc mundo. Quod est enim ejus regnum nisi credentes in eum, quibus dicit, De mundo non estis, *Johan. 17.* sicut & ego non sum de mundo? Quamvis eos esse *16.* vellet in mundo: propter quod de illis dixit ad Patrem, Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut *Ibidem 15.* serves eos ex malo. Unde & hîc non ait, *Regnum meum non est* in hoc mundo; sed, *non est de hoc mundo.* Et cùm hoc probaret dicens, *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis*: non ait, *Nunc autem regnum meum* non est hîc; sed, *non est hinc.* Hîc est enim regnum ejus usque in finem sæculi, habens inter se commixta zizania usque ad messem: messis enim finis est sæculi, quando messores venient, id est *Matth. 13.* Angeli, & colligent de regno ejus omnia scandala: *39 &c.* quod utique non fieret, si regnum ejus non esset hîc. Sed tamen non est hinc; quia peregrinatur in mundo: regno suo quippe dicit, De mundo non *Johan. 15.* estis, sed ego vos elegi de mundo. Erant ergo de *19.* mundo, quando regnum ejus non erant, sed ad mundi principem pertinebant. De mundo est ergo quidquid hominum à vero quidem Deo creatum, sed ex Adam vitiata atque damnata stirpe generatum est: factum est autem regnum non jam de mundo, quidquid inde in Christo regeneratum est. Sic enim nos Deus eruit de potestate tenebrarum, *Coloss. 1. 13.* & transtulit in regnum Filii caritatis suæ: de quo regno dicit, *Regnum meum non est de hoc mundo*, vel *Regnum meum non est hinc.*

3. *Dixit itaque ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit Iesus, Tu dicis, quia rex sum ego.* Non quia *Johan. 18. 37.* regem se timuit confiteri; sed *Tu dicis* ita libratum est, ut neque se regem neget, (rex est enim cujus regnum non est de hoc mundo) neque regem talem se esse fateatur, cujus regnum putetur esse de hoc mundo. Talem quippe ille sentiebat qui dixerat, *Ergo rex es tu*, cui responsum est, *Tu dicis, quia rex sum ego.* Dictum est enim, *Tu dicis*, ac si dictum esset, carnalis carnaliter dicis.

4. Deinde subjungit, *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* *Ibidem.* Non est producenda hujus pronominis syllaba, quod ait, *In hoc natus sum*, tamquam dixerit, In hac re natus sum: sed corripienda, tamquam dixerit, Ad hanc rem natus sum, vel Ad hoc natus sum, sicut ait, Ad hoc veni in mundum.* In Græco ** Græc. ὡς* namque Evangelio nihil est hujus locutionis ambi- *τοῦτο.* guum. Unde manifestum est eum temporalem nativitatem suam hîc commemorasse, qua incarnatus venit in mundum; non illam sine initio qua Deus erat, per quem Pater condidit mundum. In hoc ergo se dixit natum, id est, propter hoc natum, & ad hoc venisse in mundum, utique nascendo de virgine, ut testimonium perhibeat veritati. Sed quia non omnium est fides, adjunxit, atque ait, *Omnis qui est ex veritate, audit meam vocem.* Audit *Ibidem.* utique interioribus auribus, id est, obaudit meæ voci: quod tantumdem valeret si diceret, credit mihi. Cùm itaque Christus testimonium perhibet veritati, profectò testimonium perhibet sibi: ejus quippe vox est, Ego sum veritas: & dixit alio *Johan. 14.* quoque loco, Ego testimonium perhibeo de me. *6.* *Johan. 8. 18.* Quod verò ait, *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam*, gratiam commendavit qua secundùm

propositum vocat. De quo proposito dicit Apostolus, Scimus quia diligentibus Deum omnia coope- *Rom. 8. 28.* » rantur in bonum, his qui secundùm propositum Dei vocati sunt: propositum scilicet vocantis, non vocatorum: quod alibi apertiùs ita positum est, *2. Tim. 1 8.* Conlabora Evangelio secundùm virtutem Dei *& 9.* » salvos nos facientis & vocantis vocatione sua sancta, » non secundùm opera nostra, sed secundùm suum » propositum & gratiam. Nam si naturam cogitemus in qua creati sumus, cùm omnes veritas creaverit, quis non est ex veritate? Sed non omnes sunt quibus ut audiant veritatem, hoc est ut obaudiant veritati, & credant in veritatem, ex ipsa veritate præstatur; nullis procul dubio præcedentibus meritis, ne gratia non sit gratia. Si enim dixisset, Omnis qui audit meam vocem, ex veritate est; ideo dictus ex veritate putaretur, quia obtemperat veritati: non autem hoc ait; sed ait, *Omnis qui est ex veritate, audit meam vocem.* Ac per hoc non ideo est ex veritate, quia ejus audit vocem: sed ideo audit, quia ex veritate est, id est, quia hoc illi donum ex veritate collatum est. Quod quid est aliud, quàm donante Christo credit in Christum?

Johan. 18. 38.

5. *Dixit ei Pilatus, Quid est veritas?* Nec exspectavit audire responsum: sed *cùm hoc dixisset, iterum exivit ad Iudæos, & dixit eis, Ego nullam invenio in v. 39. eo causam.* * *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum.* Credo cùm dixisset Pilatus, *Quid est veritas*, in mentem illi venisse continuò consuetudinem Judæorum, qua solebat eis dimitti unus in Pascha: & ideo non exspectavit ut responderet ei Jesus quid est veritas, ne mora fieret cùm recoluisset morem, quo posset eis per Pascha dimitti, quod eum valde voluisse manifestum est. Avelli tamen ex ejus corde non potuit Jesum regem esse Judæorum, tamquam hoc ibi, sicut in titulo, ipsa veritas fixerit, de qua quid esset interrogavit. Se hoc audito, *v. 40. Clamaverunt rursum omnes dicentes, Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.* Non reprehendimus, ô Judæi, quòd per Pascha liberatis nocentem, sed quòd occiditis innocentem: quod tamen nisi fieret, verum Pascha non fieret. Sed umbra veritatis à Judæis errantibus tenebatur, & mirabili dispensatione divinæ sapientiæ per homines fallaces ejusdem umbræ veritas implebatur: quia ut verum Pascha fieret, Christus velut ovis immolabatur. Hinc ea sequuntur quæ injuriosa Christo Pilatus & cohors ejus ingessit, sed alia disputatione tractanda sunt.

TRACTATUS CXVI.

In id quod sequitur, Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit: *usque ad id*, Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt.

1. CUM Judæi clamassent, non Jesum sibi à Pilato dimitti velle per Pascha, sed Barabbam latronem; non salvatorem, sed interfectorem; non datorem vitæ, sed adem- *Johan. 19. 1.* torem: *Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judæi satiati sufficere sibi existimarent, & usque ad ejus mortem sævire desisterent. Ad hoc pertinet quòd idem præses cohortem suam etiam permisit facere quæ sequuntur; aut fortassis & jussit, quamvis hoc Evangelista tacuerit. Dixit enim quid deinde fecerint milites. Pilatum tamen id jussisse non dixit. * *Et milites*, inquit, *v. 2. plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum.* * *Et veniebant ad v. 3. eum & dicebant, Ave rex Iudæorum. Et dabant ei alapas.* Sic implebantur quæ de se prædixerat Christus: sic Martyres informabantur ad omnia quæ persecutores libuisset facere, perferenda: sic paulisper occultatâ tremendâ potentiâ, commendabatur priùs imitanda patientia: sic regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat: sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumeliâ, ut mirabili pullulâret in gloria.

2. *Exiit iterum Pilatus foras, & dicit eis, Ecce v. 4. adduco eum foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam caussam invenio.* * *Exiit ergo Iesus portans spineam v. 5. coronam & purpureum vestimentum. Et dicit eis, Ecce homo.* Hinc apparet non ignorante Pilato hæc à militibus facta, sive jusserit ea, sive permiserit, illâ scilicet caussâ, quam supra diximus, ut hæc ejus ludibria inimici libentissimè biberent, & ulteriùs sanguinem non sitirent. Egreditur ad eos Jesus portans spineam coronam & purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio; & dicitur eis, *Ecce homo*: si regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis: flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus est: fervet ignominia, frigescat invidia. Sed non frigescit, inardescit potiùs & increscit.

3. * *Cùm ergo vidissent eum pontifices & ministri, v. 6. clamabant dicentes, Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos & crucifigite: ego enim non invenio in eo caussam.* * *Responderunt ei Iudæi, v. 7. Nos Legem habemus, & secundùm Legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Ecce altera major invidia. Parva quippe illa videbatur, velut affectatæ illicito ausu regiæ potestatis, & tamen neutrum sibi Jesus mendaciter usurpavit; sed utrumque verum est, & unigenitus est Dei Filius, & rex ab eo constitutus super Sion montem sanctum ejus: & utrumque nunc demonstraretur, nisi quantò erat potentior, tantò mallet esse patientior.

4. * *Cùm ergo audisset Pilatus hoc verbum, magis v. 8. timuit:* * *& ingressus est prætorium iterum, & dicit ad v. 9. Iesum, Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei.* Hoc silentium Domini nostri Jesu Christi non semel factum, collatis omnium Evangelistarum narrationibus reperitur, & apud principes sacerdotum, & apud Herodem, quò eum, sicut Lucas *Luc. 23. 7.* indicat, miserat Pilatus audiendum, & apud ipsum Pilatum: ut non frustra de illo prophetia præcesserit, Sicut agnus coram tondente fuit sine voce, sic *Isa. 53. 7.* non aperuit os suum; tunc utique quando interrogantibus non respondit. Quamvis enim quibusdam interrogationibus æpe responderit: tamen propter illa in quibus noluit respondere, ad hoc data est de agno similitudo, ut in suo silentio non reus, sed innocens haberetur. Cùm ergo judicaretur, ubicumque non aperuit os suum, sicut agnus non aperuit: id est, non sicut malè sibi conscius qui de peccatis convincebatur suis, sed sicut mansuetus qui pro peccatis immolabatur alienis.

5. * *Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? Iohan. 19. Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* * *Respondit Iesus, Non ha- v. 10. v. 11. beres adversùm me potestatem ullam, nisi tibi datum*

esset de super : propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Ecce respondit, & tamen ubicumque non respondit, non sicut reus sive dolosus, sed sicut agnus, hoc est sicut simplex atque innocens non aperuit os suum. Proinde ubi non respondebat, sicut ovis silebat : ubi respondebat, sicut pastor docebat. Discamus ergo quod dixit, quod & per
Rom. 13. 1. Apostolum docuit ; quia non est potestas nisi à Deo: & quia plus peccat qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quàm potestas ipsa si eum timore alterius majoris potestatis occidit. Talem quippe Pilato Deus dederat potestatem, ut etiam esset sub Cæsaris potestate. Quapropter *non haberes*, inquit, *adversùm me potestatem ullam*, id est, quantulamcumque habes, *nisi* hoc ipsum quidquid est, *tibi esset datum de super.* Sed quoniam scio quantum sit, non enim tantum est, ut tibi omni modo liberum sit: *propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Ille quippe me tuæ potestati tradidit invidendo, tu verò eamdem potestatem in me exserturus es metuendo. Nec timendo quidem, præsertim innocentem, homo hominem debet occidere : sed tamen id zelando facere multò magis malum est, quàm timendo. Et ideo non ait verax magister, *Qui me tradidit tibi*, ipse habet peccatum, tamquam ille non haberet : sed ait, *majus habet peccatum*, ut etiam se habere intelligeret. Neque enim propterea illud nullum est, quia hoc majus est.

Johan. 19. 11. 6. *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* Quid est hoc quod dictum est, *exinde*, quasi antea non quærebat? Lege superiora, & invenies jamdudum eum quærere dimittere Jesum. *Exinde* itaque intelligendum est propter hoc, id est, ex hac caussa, ne haberet peccatum occidendo innocentem sibi traditum, quamvis minùs peccans quàm Judæi, qui eum illi tradiderant occidendum. *Exinde* ergo, id est, ideo ne hoc peccatum faceret, non nunc primùm, sed ab initio quærebat eum dimittere.

Ibidem. 7. *Judæi autem clamabant dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Majorem timorem se ingerere putaverunt Pilato, terrendo de Cæsare ut occideret Christum, quàm superiùs ubi dixerunt,
v. 7. *Nos Legem habemus, & secundùm Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Eorum Legem quippe ille non timuit, [a] ut occideret : sed magis Filium Dei timuit, ne occideret. Nunc vero non sic potuit contemnere Cæsarem auctorem potestatis suæ, quemadmodum Legem gentis alienæ.

8. Adhuc tamen Evangelista sequitur, & dicit,
v. 13. * *Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraïcè autem Gabbatha.* * *Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta.* Qua horâ sit Dominus crucifixus, propter Evangelistæ alte-
Marci 15. 25. V. infrà Tract. 117. rius testimonium, qui dixit, Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum : quoniam magna disceptatio solet oboriri, cùm ad ipsum locum ubi crucifixus narratur ventum fuerit, ut potuerimus, si Dominus voluerit, differemus. Cùm ergo pro tri-
Johan. 19. v. 14 v. 15. bunali sedisset Pilatus, *. *Dicit Judæis, Ecce rex vester.* * *Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dixit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam?* Adhuc terrorem quem de Cæsare ingesserant, superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere dicendo, *Regem vestrum crucifigam?* quos de ignominia Christi mitigare non potuit : sed timore mox vincitur.

9. *Responderunt* enim *Pontifices, Non habemus regem nisi Cæsarem.* * *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.* Apertissimè quippe contra Cæsarem venire videretur, si regem se non habere nisi Cæsarem profitentibus, alium regem vellet ingerere dimittendo impunitum, quem propter hos ausus ei tradiderant occidendum. *Tradidit ergo eis illum ut crucifigeretur.* Sed numquid aliud & antè cupiebat quando dicebat, *Accipite eum vos, & crucifigite* : vel etiam superiùs, Accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum? Cur autem illi tantopere noluerunt, dicentes, Nobis non licet interficere quemquam : & omni modo instantes, ut non ab eis, sed à præside occideretur, & ideo eum occidendum accipere recusantes, si nunc eum accipiunt occidendum? Aut si hoc non fit, cur dictum est, *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur?* An aliquid interest? Planè interest. Non est enim dictum, *Tunc ergo tradidit eis illum* ut crucifigerent eum; sed, *ut crucifigeretur*, id est, ut judicio ac potestate præsidis crucifigeretur. Sed ideo illis traditum dixit Evangelista, ut eos crimini implicatos, à quo alieni esse conabantur, ostenderet : non enim faceret hoc Pilatus, nisi ut id quod eos cupere cernebat, impleret. Quod autem sequitur, *Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt*, potest ad milites jam referri apparitores præsidis. Nam postea evidentiùs dicitur, Milites ergo cùm crucifixissent eum : quamvis Evangelista etiam si totum Judæis tribuit, meritò facit : ipsi enim susceperunt quod avidissimè flagitaverunt, & ipsi fecerunt quidquid ut fieret extorserunt. Sed hæc sequentia alio sermone tractanda sunt.

v. 16. *Johan. 18. 31.* *Johan. 19. 16.* *v. 23.*

TRACTATUS CXVII.

De eo quod sequitur, Et bajulans sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum : *usque ad id*, Respondit Pilatus, Quod scripsi scripsi.

1. JUDICANTE atque damnante Pilato pro tribunali Dominum Jesum Christum horâ quasi sextâ susceperunt, & eduxerunt. * *Et bajulans sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraïcè Golgotha,* * *ubi crucifixerunt eum.* Quid est ergo quod Marcus Evangelista dicit, Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum : nisi quia hora tertiâ crucifixus est Dominus linguis Judæorum, horâ sextâ manibus militum? Ut intelligamus horam quintam jam fuisse transactam, & aliquid de sexta cœptum quando sedit pro tribunali Pilatus, quæ dicta est à Johanne hora quasi sexta : & cùm duceretur, & ligno cum duobus latronibus configeretur, & juxta ejus crucem gererentur quæ gesta narrantur, hora sexta integra compleretur; ex qua hora usque ad nonam sole obscurato, tenebras factas trium Evangelistarum, Matthæi, Marci, & Lucæ contestatur auctoritas. Sed quoniam Judæi facinus interfecti Christi à se in Romanos, id est, in Pilatum & ejus milites transferre conati sunt : propterea Marcus suppressâ eâ horâ qua Christus à militibus crucifixus est, quæ agi sexta jam cœperat, tertiam potiùs horam recordatus expressit, qua horâ intelliguntur apud Pilatum clamare potuisse, Crucifige, crucifige : ut non illi tantùm reperiantur crucifixisse Jesum, id est, milites

v. 17. *Johan. 19. v. 17.* *v. 18.* *Marc. 15. 25.* *Matth. 27. 45.* *Marc. 15. 33.* *Luc. 23. 44.* *Marc. 15. 25.*

[a] Plerique MSS. *timuit occidere.* Unus, *timuit offendere.*

qui eum ligno sextâ horâ suspenderunt ; verùm etiam Judæi, qui ut crucifigeretur, horâ tertiâ clamaverunt.

2. Est & alia hujus solutio quæstionis, ut non hîc accipiatur hora sexta diei, quia nec Johannes ait, Erat autem hora diei quasi sexta, aut hora
Johan. 19. 14. quasi sexta ; sed ait, Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta. Parasceve autem Latinè præparatio est : sed isto verbo Græco libentiùs utuntur Judæi in hujusmodi observationibus, etiam qui magis Latinè quàm Græcè loquuntur. Erat ergo præparatio Paschæ. Pascha verò nostrum, sicut dicit
1. Cor. 5. 7. Apostolus, immolatus est Christus : cujus Paschæ præparationem si ab hora noctis nona computemus (tunc enim videntur principes Sacerdotum pronuntiasse immolationem Domini, dicentes,
Matth. 26. 66. Reus est mortis : cùm adhuc in domo pontificis audiretur : unde congruenter accipitur inde cœpisse præparationem veri Paschæ, cujus umbra erat Pascha Judæorum, id est, immolationis Christi, ex quo à sacerdotibus pronuntiatus est immolandus) profectò ab ea noctis hora, quæ tunc nona fuisse conjicitur, usque ad horam diei tertiam qua cruci-
Marc. 15. 25. fixum esse Christum Marcus evangelista testatur, sex horæ sunt, tres nocturnæ & tres diurnæ. Unde in hac parasceve Paschæ, id est præparatione immolationis Christi, quæ ab hora noctis nona cœperat, quasi sexta agebatur hora, id est, peractâ quintâ jam sexta currere cœperat, quando Pilatus tribunal adscendit : adhuc enim erat ipsa præparatio, quæ ab hora noctis nona cœperat, donec fieret quæ præparabatur Christi immolatio : quæ facta est horâ tertiâ secundùm Marcum, non præparationis, sed diei ; eademque sextâ non diei, sed præparationis, sex utique horis à noctis nona usque ad diei tertiam computatis. Harum duarum solutionum istius difficilis quæstionis, eligat quisque quam volet. Melius autem quid eligat judicabit,
Lib. 3. de Consensu Evangelist. cap. 23. qui de Consensu Evangelistarum quæ operosissimè disputata sunt, legerit. Quòd si & aliæ solutiones ejus potuerint inveniri, cumulatiùs Evangelicæ veritatis constantia defendetur adversùs calumnias infidelis atque impiæ vanitatis. Nunc ad narrationem Johannis evangelistæ post ista breviter tractata redeamus.

Johan. 19. v. 16. 3. * *Susceperunt autem*, inquit, *Jesum, & eduxerunt:* * *& bajulans sibi crucem exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraïcè Golgotha,* * *ubi crucifixerunt eum.* Ibat ergo ad locum ubi fuerat crucifigendus, portans crucem suam Jesus. Grande spectaculum : sed si spectet impietas, grande ludibrium ; si pietas, grande mysterium : si spectet impietas, grande ignominiæ documentum ; si pietas, grande fidei munimentum : si spectet impietas, videt regem pro virga regni lignum sui portare supplicii ; si pietas, videt regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum : in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda sanctorum. Dicturo
Galat. 6. 14. enim Paulo, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, ipsam crucem suam
Matth. 5. 15. suo gestans humero commendabat ; & lucernæ arsuræ quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat. *Bajulans* ergo *sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraïcè Golgotha : ubi eum crucifixerunt ; & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Jesum.* Isti duo latrones erant, sicut
Matth. 27. 38.

[a] Sic omnes MSS. At editi, *& filium.*

aliorum Evangelistarum narratione didicimus, cum quibus crucifixus & inter quos fixus est Christus : de quo præmissâ dixerat prophetia, Et inter iniquos deputatus est.

Marc. 15. 27. Luca 23. 33. Isai. 53. 12.

4. * *Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem : erat autem scriptum, Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* * *Hunc ergo titulum multi legerunt Judæorum, quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraïcè, Græcè & Latinè: Rex Judæorum.* Hæ quippe tres linguæ ibi præ ceteris eminebant : Hebræa propter Judæos in Dei Lege gloriantes, Græca propter gentium sapientes, Latina propter Romanos multis ac penè omnibus jam tunc gentibus imperantes.

Johan. 19. v. 19. v. 20.

5. * *Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum, Noli scribere, Rex Judæorum ; sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum.* * *Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.* O ineffabilem vim divinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium ! Nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tantò antè in Psalmorum litteris prophetatum est, Ne corrumpas tituli inscriptionem ? Ecce tituli inscriptionem non corrumpit : quod scripsit, scripsit. Sed etiam pontifices qui hoc corrumpi volebant, quid dicebant? *Noli, scribere*, inquiunt, *Rex Judæorum ; sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum.* Quid loquimini insani? Quid fieri contradicitis, quod mutare nullo pacto potestis ? Numquid enim propterea non erit verum, quia Jesus ait, *Rex sum Judæorum* ? Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod veritas dixit ? Sed Judæorum tantùm rex est Christus, an & gentium? Immo & gentium. Cùm enim dixisset in prophetia, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini : ne propter « montem Sion solis Judæis eum regem quisquam diceret constitutum, continuò subjecit, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te : « postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem « tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Unde « & ipse jam per os proprium loquens apud Judæos, Habeo, inquit, alias oves quæ non sunt de hoc ovili, oportet me & ipsas adducere, & vocem « meam audient, & erit unus grex & unus pastor. « Cur ergo magnum volumus intelligi in hoc titulo sacramentum, in quo scriptum erat, *Rex Judæorum*, si rex est Christus & gentium ? Quia scilicet oleaster factus est particeps pinguedinis oleæ, non olea particeps facta est amaritudinis oleastri. Nam in eo quod de Christo veraciter scriptus est titulus, *Rex Judæorum*, qui sunt intelligendi Judæi, nisi semen Abrahæ, filii promissionis, qui sunt etiam filii Dei ? Quoniam non qui filii carnis, ait Apostolus, « hi filii Dei : sed qui filii promissionis deputantur in « semine. Et gentes erant quibus dicebat, Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundùm promissionem heredes. Rex ergo Judæorum Christus, sed Judæorum circumcisione cordis, spiritu, non litterâ ; quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est ; pertinentium ad Jerusalem liberam matrem nostram æternam in cælis, Saram spiritalem, ancillam & filios [a] ejus de domo libertatis ejiciendam. Ideo enim Pilatus quod scripsit scripsit ; quia Dominus quod dixit dixit.

Rom. 11. 17. Rom. 9. 7. & 8. Galat. 3. 29. Rom. 2. 29. Galat. 4. 26.

[a]

TRACTATUS CXVIII.

In hæc verba, Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, *&c.*

1. EA quæ geſta ſunt juxta crucem Domini, cùm jam crucifixus eſſet, iſto, quantum adjuvat, ſermone tractemus. [Johan 19. v. 23.] * *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, de ſuper* [v. 24.] *contexta per totum:* * *dixerunt ergo ad invicem, Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit. Ut* [Pſal. 21.19.] *Scriptura impleretur dicens, Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem.* Factum eſt quod voluerunt Judæi: non ipſi, ſed milites qui parebant Pilato, judicante ipſo, crucifixerunt Jeſum: & tamen ſi voluntates, ſi inſidias, ſi operam, ſi traditionem, poſtremò ſi extorquentes clamores eorum cogitemus, magis utique Judæi crucifixerunt Jeſum.

2. Sed de partitione & ſortitione veſtimentorum ejus non eſt prætereunter loquendum. Quamvis enim omnes Evangeliſtæ quatuor hujus rei meminerint, ceteri tamen breviùs quàm Johannes: & clausè illi, iſte verò apertiſſimè. Nam Matthæus [Matth. 27. 35.] ait, Poſtquam autem crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus ſortem mittentes. Marcus, Et [Marci 15. 24.] crucifigentes eum, diviſerunt veſtimenta ejus, mittentes ſortem ſuper eis quis quid tolleret. Lucas, [Lucæ 23 34.] Dividentes verò veſtimenta ejus miſerunt ſortes. Johannes autem & quot partes de veſtimentis ejus fecerint, dixit, id eſt, quatuor, ut ſingulas tollerent. Unde apparet quatuor fuiſſe milites, qui in eo crucifigendo præſidi paruerunt. Manifeſtè quippe ait, *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam*, ſubaudiendum eſt, acceperunt: ut iſte ſit ſenſus, Acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, acceperunt & tunicam. Et ſic locutus eſt, ut de ceteris veſtimentis nullam ſortem miſſam eſſe videamus: ſed de tunica quam ſimul cum ceteris acceperunt, ſed non ſimiliter diviſerunt. De hac enim ſequitur exponens, *Erat autem tunica inconſutilis, de ſuper contexta per totum.* Cur autem de illa ſortem miſerunt narrans, *Dixerunt ergo*, inquit, *ad invicem, Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit.* Apparet itaque in aliis veſtibus æquales eos habuiſſe partes, ut ſortiri neceſſe non fuerit: in illa verò una non eos habere potuiſſe ſingulas partes, niſi ſcinderetur, ut pannos ejus inutiliter tollerent; quod ne facerent, ad unum eam pervenire ſortitione maluerunt. Hujus Evangeliſtæ narrationi conſonat etiam propheticum teſtimonium, quod & ipſe continuò ſubjungens, *Ut ſcriptura*, inquit, *impleretur dicens, Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Non enim, ait, ſortiti, ſed *partiti*: nec ait, ſortientes partiti ſunt, ſed in ceteris veſtimentis ſortem omnino non nominans, poſtea dixit, *& in veſtem meam miſerunt ſortem*, propter illam reliquam tunicam. De qua re dicam quod ipſe donaverit, cùm priùs eam quæ oboriri poteſt, tamquam Evangeliſtæ inter ſe diſcrepent, calumniam propulſavero, demonſtrans nullius ceterorum verba narrationi Johannis eſſe contraria.

3. Matthæus enim dicendo, Diviſerunt veſtimenta ejus ſortem mittentes, ad totam diviſionem veſtimentorum voluit intelligi etiam tunicam pertinere, de qua ſortem miſerunt: quia utique omnes veſtes dividendo, in quibus & illa fuit, de ipſa ſortiti ſunt. Tale eſt etiam quod ait Lucas, Dividentes veſtimenta ejus miſerunt ſortes: dividentes enim venerunt ad tunicam, de qua facta eſt ſortitio, ut inter eos univerſa veſtimentorum ejus diviſio compleretur. Quid autem intereſt utrùm dicatur, Dividentes miſerunt ſortes, quod ait Lucas; an, Diviſerunt ſortem mittentes, quod ait Matthæus? niſi quòd Lucas dicendo ſortes, pluralem pro ſingulari numero poſuit: quæ locutio Scripturis ſanctis inſolita non eſt: quamvis nonnulli codices * ſortem reperiantur habere, non ſortes. [* Sic hodie in Græco, κλῆρον.] Marcus itaque ſolus videtur aliquam intuliſſe quæſtionem: dicendo enim, Mittentes ſortem ſuper eis quis quid tolleret, tamquam ſuper omnibus veſtimentis, non ſuper ſola tunica ſors miſſa ſit, locutus videtur. Sed etiam hîc brevitas obſcuritatem facit: ſic enim dictum eſt, Mittentes ſortem ſuper eis, ac ſi diceretur, Mittentes ſortem cùm dividerentur: quod & factum eſt. Omnium quippe veſtimentorum ejus diviſio completa non eſſet, niſi ſorte claruiſſet quis etiam illam tunicam tolleret, ut ſic contentio dividentium finiretur, vel nulla potiùs oriretur. Quod ergo ait, Quis quid tolleret, quandoquidem hoc ſorti deputatur, non ad omnia quæ diviſa ſunt veſtimenta referendum eſt: ſors enim miſſa eſt, quis illam tunicam tolleret: de qua quoniam narrare prætermiſit qualis fuerit, & quemadmodum æqualibus factis partibus ſola remanſerit, quæ ne conſcinderetur, veniret in ſortem; propterea poſitum eſt quod ait, Quis quid tolleret, id eſt, quis eam tolleret: tamquam ſi totum ita diceretur, Diviſerunt veſtimenta ejus, mittentes ſortem ſuper eis, quis tunicam quæ partibus æqualibus ſuperfuerat, tolleret.

4. Quærat fortè aliquis, quid ſignificet in tot partes veſtimentorum facta diviſio, & de tunica illa ſortitio. Quadripartita veſtis Domini Jeſu Chriſti, quadripartitam figuravit ejus Eccleſiam, toto ſcilicet, qui quatuor partibus conſtat, terrarum orbe diffuſam, & omnibus eiſdem partibus æqualiter, id eſt concorditer diſtributam. Propter quod alibi dicit miſſurum ſe Angelos ſuos, ut colligant [Matth. 24. 31.] electos ejus à quatuor ventis: quod quid eſt, niſi à quatuor partibus mundi, Oriente, Occidente, Aquilone & Meridie? Tunica verò illa ſortita, omnium partium ſignificat unitatem, quæ caritatis vinculo continetur. De caritate autem locuturus [1. Cor. 12. 31.] Apoſtolus, Supereminentem, inquit, viam vobis demonſtro: & alio loco ait, Cognoſcere etiam ſu- [Epheſ. 3. 19.] pereminentem ſcientiæ caritatem Chriſti: itemque alibi, Super omnia autem hæc caritatem, quæ [Coloſſ. 3. 14.] eſt vinculum perfectionis. Si ergo caritas & ſupereminentiorem habet viam, & ſupereminet ſcientiæ, & ſuper omnia præcepta eſt: meritò veſtis qua ſignificatur, de ſuper contexta perhibetur. Inconſutilis autem, ne aliquando diſſuatur: & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit. Sicut in Apoſtolis cùm eſſet etiam ipſe numerus duodenarius, id eſt, quadripartitus in ternos, & omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit, Tu [Matt. 16. 16. &c.] es Chriſtus Filius Dei vivi: & ei dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum, tamquam ligandi & ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem: cùm & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tamquam perſonam gerens ipſius unitatis acceperit:

ideo unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus. Unde & hîc cùm dixiſſet, *de ſuper contexta*: addidit, *per totum*. Quod ſi referamus ad id quod ſignificat, nemo ejus eſt expers qui pertinere invenitur ad totum: [Græc. ὅλον totum.] à quo toto, ſicut Græca indicat lingua, catholica vocatur Eccleſia. In ſorte autem quid niſi Dei gratia commendata eſt? Sic quippe in uno ad omnes pervenit, cùm ſors omnibus placuit, quia & Dei gratia in unitate ad omnes pervenit: & cùm ſors mittitur, non perſonæ cujuſque vel meritis, ſed occulto judicio Dei ceditur.

5. Nec ideo iſta non aliquid boni ſignificaſſe quis dixerit, quia per malos facta ſunt, non ſcilicet per eos qui Chriſtum ſecuti, ſed qui ſunt perſecuti. [Crux Chriſti quid ſignificet.] Quid enim de ipſa cruce dicturi ſumus, quæ certè ſimiliter ab inimicis atque impiis Chriſto facta & impacta eſt? Et tamen eâ ſignificari rectè intelligitur, [Epheſ. 3. 18.] quod ait Apoſtolus, quæ ſit latitudo & longitudo & altitudo & profundum. Lata eſt quippe in tranſverſo ligno, quo extenduntur pendentis manus; & ſignificat opera bona, in latitudine caritatis: longa eſt à tranſverſo ligno uſque ad terram, ubi dorſum, pedeſque figuntur; & ſignificat perſeverantiam in longitudine temporis uſque in finem: alta eſt in cacumine, quo tranſverſum lignum ſurſum versùs exceditur; & ſignificat ſupernum finem, quò cuncta opera referuntur; quoniam cuncta quæ latitudine ac longitudine bene ac perſeveranter fiunt, propter altitudinem divinorum facienda ſunt præmiorum: profunda eſt in ea parte qua in terra figitur: ibi quippe & occulta eſt, nec videri poteſt, ſed cuncta ejus apparentia & eminentia inde conſurgunt; ſicut bona noſtra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi ac dijudicari non poteſt, univerſa procedunt. Sed etſi crux Chriſti hoc ſolum ſignificet, quod ait Apoſtolus, [Galat. 5. 24.] Qui autem Jeſu » Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum paſ- » ſionibus & concupiſcentiis, quàm magnum bonum eſt? Nec tamen facit hoc niſi concupiſcens adversùs carnem ſpiritus bonus, cùm illam crucem Chriſti fecerit inimicus, id eſt, ſpiritus malus. Poſtremò quid eſt, quod omnes noverunt, Signum Chriſti, [Signum Chriſti in Sacramentorum celebratione.] niſi crux Chriſti? Quod ſignum niſi adhibeatur, ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ ex qua regenerantur, ſive oleo quo chriſmate unguuntur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni ſignificatur; quando per crucem Chriſti, quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum ejus bonum nobis omne ſignatur? Sed hæc hactenus: quæ autem ſequuntur, aliàs, ut Deus opitulabitur, differendo videbimus.

TRACTATUS CXIX.

Ab eo quod ſequitur, Et milites quidem hæc fecerunt: *uſque ad id*, Et inclinato capite tradidit ſpiritum.

1. CRUCIFIXO Domino, poſtea quàm diviſio veſtimentorum ejus etiam forte miſſâ completa eſt, quæ deinde narret Johannes evangeliſta videamus. [Johan. 19. v. 24.] * *Et milites quidem*, inquit, *hæc fecerunt.* [v. 25.] * *Stabant autem juxta crucem Jeſu, mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleopæ, & Maria Magdalene:* [v. 26.] * *cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dicit matri ſuæ, Mulier, ecce filius tuus:* [v. 27.] * *deinde dicit diſcipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.* Hæc nimirum eſt illa hora, de qua Jeſus aquam converſurus in vinum, dixerat matri, Quid mihi & tibi eſt, mulier? [Johan. 2. 4.] Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat [Suprà in Tract. 8.] quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoſcere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, ſed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat: nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat, innoteſcebat virtute: nunc verò quod Maria pepererat, pendebat in cruce.

2. Moralis igitur inſinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos inſtruxit præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magiſtri docentis. Ex hac ſana doctrina didicerat Paulus apoſtolus quod docebat, quando dicebat, Si quis au- [1. Tim. 5. 8.] « tem ſuis, & maximè domeſticis non providet, fi- « dem negavit, & eſt infideli deterior. Quid autem tam cuique domeſticum, quàm parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque ſaluberrimi præcepti ipſe magiſter ſanctorum de ſeipſo conſtituebat exemplum, quando non ut famulæ Deus quam creaverat & regebat, ſed ut matri homo de qua creatus fuerat & quam relinquebat, alterum pro ſe quodammodo filium providebat. Nam cur hoc fecerit, quod ſequitur indicat: ait enim Evangeliſta, *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*, de ſeipſo dicens. Sic quippe commemorare ſe ſolet, quòd eum diligebat Jeſus: qui utique omnes, ſed ipſum præ ceteris & familiariùs diligebat, ita ut in convivio ſuper pectus ſuum diſcumbere faceret: [Iohan. 13. 23.] credo ut iſtius Evangelii, quod per eum fuerat prædicaturus, divinam excellentiam hoc modo altiùs commendaret.

3. Sed in qua ſua Johannes matrem Domini accepit? Neque enim non ex eis erat qui dixerunt ei, Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te. [Matth. 19. 27.] Sed ibi quoque audierat, Quicumque iſta dimiſerit propter me, accipiet in hoc ſæculo centies tantum. Habebat ergo ille diſcipulus centùpliciter plura quàm dimiſerat, in quæ ſuſciperet ejus matrem qui illa donaverat. Sed in ea ſocietate beatus Johannes receperat centuplum, ubi nemo dicebat aliquid ſuum, ſed erant illis omnia communia: ſicut [Act. 4. 32.] in Apoſtolorum Actibus ſcriptum eſt. Sic enim Apoſtoli erant, quaſi nihil habentes, & omnia [2. Cor. 6. 10.] poſſidentes. Quomodo ergo matrem magiſtri & Domini ſui diſcipulus & famulus accepit in ſua, ubi aliquid ſuum nemo dicebat? An quia paulò pòſt in eodem libro legitur, Quotquot enim poſſeſſores [Act. 4. 34. & 35.] prædiorum vel domorum erant, vendentes afferebant « pretia eorum, & ponebant ad pedes Apoſtolorum, « diſtribuebatur autem unicuique prout opus « erat, intelligendum eſt ſic diſtributum fuiſſe huic diſcipulo quod opus erat, ut illic etiam beatæ Mariæ tamquam matris ejus portio poneretur: magiſque ſic debemus accipere quod dictum eſt, *Ex illa hora ſuſcepit eam diſcipulus in ſua*, ut ad ejus curam quidquid ei eſſet neceſſarium pertineret? Suſcepit ergo eam in ſua, non prædia, quæ nulla propria poſſidebat; ſed officia, quæ propriâ diſpenſatione exſequenda curabat.

4. Deinde ſubjungit, * *Poſtea ſciens Jeſus quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura,* [Iohan. 19. v. 28.]

v. 29. *dicit, Sitio. * Vas ergo positum erat aceto plenum, illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes,*
v. 30. *obtulerunt ori ejus. * Cùm ergo accepisset Jesus acetum, dixit, Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum.* Quis potest quæ facit, ita disponere, quomodo disposuit homo iste quæ passus est? Sed
1. Tim. 2. 5. homo mediator Dei & hominum, homo de quo prædictum legitur, Et homo est, & quis agnoscet eum? quoniam homines per quos hæc fiebant, non agnoscebant hominem Deum. Homo namque apparebat qui Deus latebat: patiebatur hæc omnia qui apparebat, & idem ipse disponebat hæc B omnia qui latebat. Vidit ergo quia consummata sunt omnia, quæ oportebat ut fierent antequam acciperet acetum & traderet spiritum: atque ut hoc etiam consummaretur quod Scriptura prædi-
Psal. 68. 22. xerat, Et in siti mea potaverunt me aceto, *Sitio*, inquit: tamquam diceret, Hoc minùs fecistis, date quod estis. Judæi quippe ipsi erant acetum, degenerantes à vino Patriarcharum & Prophetarum; & tamquam de pleno vase, de iniquitate mundi hujus impleti, cor habentes velut spongiam, caver- C nosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, & pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus: quam circumdederunt, & se circumvenisse putaverunt. Unde est illud in Psal-
Psal. 50. 9. mo, Asperges me hyssopo, & mundabor. Christi namque humilitate mundamur: quia nisi humiliasPhilip. 2. 8. set semetipsum, factus obediens usque ad mortem crucis, non utique sanguis ejus in peccatorum re- D missionem, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus.

5. Nec moveat quomodo spongia ori ejus potuerit admoveri, qui in cruce fuerat exaltatus à
Matth. 27. 48. Marci 15. 36. terra. Sicut enim apud alios Evangelistas legitur, quod hic prætermisit, in arundine est factum, ut in spongia talis potus ad crucis sublimia levaretur. Per arundinem verò Scriptura significabatur, quæ implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur vel Græca vel Latina, vel alia quælibet sonum significans, qui lingua promitur: sic arundo dici potest lit- E tera, quæ arundine scribitur. Sed sonos significantes vocis humanæ usitatissimè dicimus linguas: Scripturam verò arundinem dici, quo minùs est usitatum, eo magis est mysticè figuratum. Faciebat ista populus impius, patiebatur ista misericors Christus. Qui faciebat, quid faceret nesciebat: qui patiebatur autem, non solùm quid fieret & cur fieret sciebat, verùm etiam de malè facientibus bene ipse faciebat.

6. *Cùm ergo accepisset Jesus acetum, dixit, Consummatum est.* Quid, nisi quod prophetia tantò antè prædixerat? Deinde quia nihil remanserat, quod antequam moreretur fieri adhuc oporteret,
Johan. 10. 18. tamquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam: peractis omnibus quæ ut peragerentur exspectabat, *Inclinato capite tradidit spiritum.* Quis ita dormit quando voluerit, sicut Jesus mortuus est quando voluit? Quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut se carne G exuit quando voluit? Quis ita cùm voluerit abit, quomodo cùm voluit obiit? Quanta speranda vel timenda potestas est judicantis, si apparuit tanta morientis?

TRACTATUS CXX.

Ab eo quod sequitur, Judæi ergo quoniam parasceve erat, *&c. usque ad id*, Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportet eum à mortuis resurgere.

1. POSTEA quàm Dominus Jesus, peractis omnibus quæ ante suam mortem peragi oportere præsciebat, quando voluit tradidit spiritum, quæ deinde secuta sunt, Evange-
Johan. 19. 31. lista narrante videamus. *Judæi ergo*, inquit, *quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati;) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Non crura tollerentur, sed hi quibus ideo frangebantur ut morerentur, & auferrentur ex ligno: ne pendentes in crucibus magnum diem festum sui diurni cruciatus horrore fœdarent.

2. ** Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. * Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: * sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed, *aperuit*: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, undè sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum: hæc & lavacrum præstat, & potum. Hoc præ-
Gen. 6. 16. nuntiabat quod Noë in latere arcæ ostium facere jussus est, quà intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri
Gen. 2. 22. &c. dormientis, & appellata est vita materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjunx, quod de latere dormientis effluxit. O mors unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius?

3. *Et qui vidit*, inquit, *testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus: & ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis.* Non dixit, ut & vos sciatis; sed, *ut credatis*: scit enim qui vidit, cujus credat testimonio qui non vidit. Magis autem ad fidem credere pertinet quàm videre. Nam quid est aliud credere, quàm fidem accommodare? * *Facta*
Exod. 12. 46. *sunt enim hæc*, inquit, *ut Scriptura impleretur, Os* F *non comminuetis ex eo. * Et iterum alia Scriptura dicit, Videbunt in quem confixerunt.* Duo testimonia de Scripturis reddidit singulis rebus, quas factas fuisse narravit. Nam quia dixerat, *Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura*, ad hoc pertinet testimonium, *Os non comminuetis ex eo*: quod præceptum est eis qui celebrare Pascha jussi sunt ovis immolatione in veteri Lege, quæ Dominicæ passionis umbra præcesserat. Unde Pascha nostrum immolatus est Chri-
1. Cor. 5. 7. stus: de quo & Isaias propheta prædixerat, Sicut
Isai. 53. 7. ovis ad immolandum ductus est. Item quia subjunxerat dicens, *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit*, ad hoc pertinet alterum testimonium *Videbunt in quem confixerunt*: ubi promissus est Chri-
Johan. 19. stus, in ea qua crucifixus est carne venturus.

4. ** Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab*

Arimathia, eo quòd esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum, ut tolleret corpus Jesu: & permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus
v. 39. *Jesu. * Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum.* Non ita distinguendum est, ut dicamus, *primùm ferens mixturam myrrhæ*: sed ut quod dictum est, *primùm*, ad superiorem sensum
Johan. 3. 2. pertineat. Venerat enim Nicodemus ad Jesum nocte primùm, quod idem Johannes narravit in prioribus Evangelii sui partibus. Hîc ergo intelligen- B dum est ad Jesum, non tunc solùm, sed tunc primùm venisse Nicodemum; ventitasse autem postea ut fieret audiendo discipulus: quod certè modò [a] in revelatione corporis beatissimi Stephani
v. 40. ferè omnibus gentibus declaratur. *Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.* Non mihi videtur Evangelista frustra dicere voluisse, *sicut mos est Judæis sepelire*: ita quippe, nisi fallor, admonuit in hujusmodi officiis, quæ mortuis exhibentur, morem cu- C jusque gentis esse servandum.

v. 41. 5. *Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.* Sicut in Mariæ virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est: ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. *Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxtà erat monumentum, posuerunt Jesum.* Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne advesperasceret: quando jam propter parasceven, D quam Cœnam puram Judæi Latinè usitatiùs apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.

Johan. 20. 1. 6. UNA *autem sabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum; & vidit lapidem sublatum à monumento.* Una sabbati est, quem jam diem Dominicam propter Domini resurrectionem mos Christianus appellat:
Matth. 28. 1. Johan. 20. 2. quem Matthæus solus in Evangelistis primam Sabbati nominavit. *Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem amabat Je-* E *sus; & dicit eis, Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.* Nonnulli codices etiam Græci habent, *Tulerunt Dominum meum*, quod videri dictum potest propensiore caritatis vel famulatûs affectu: sed hoc in pluribus codicibus, quos in promtu habuimus, non invenimus.

v. 3. 7. *Exiit ergo Petrus & ille alius discipulus, &*
v. 4. *venerunt ad monumentum. * Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum.* Advertenda hîc F & commendanda est recapitulatio, quomodo reditum est ad id quod fuerat prætermissum: & tamen quasi hoc sequeretur adjunctum est. Cùm enim jam dixisset, *venerunt ad monumentum*: regressus est ut narraret quomodo venerunt; atque ait, *Currebant autem duo simul*, &c. Ubi ostendit quòd præcurrens ad monumentum prior venerit alius ille discipulus, quem seipsum significat, sed tamquam de alio cuncta narrat.

v. 5. 8. ** Et cùm se inclinasset*, inquit, *vidit posita* G
v. 6. *linteamina, non tamen introivit. * Venit ergo Simon*
v. 7. *Petrus sequens eum, & introivit in monumentum; & vidit linteamina posita, * & sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.* Putamusne nihil ista significant? Nequaquam hoc putaverim. Sed ad alia festinamus, in quibus immorari quæstionis vel obscuritatis alicujus necessitate compellimur. Nam ista quæ per seipsa manifesta sunt, quid singula etiam significent, quærere sanctæ quidem deliciæ sunt, sed otiosorum, quod non sumus nos.

9. *Tunc ergo introiit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum.* Prior venit, & poste- v. 8. rior intravit. Neque hoc utique vacat, sed mihi ad ista non vacat. *Et vidit*, inquit, *& credidit.* Hîc nonnulli parum adrendentes, putant hoc Johannem credidisse, quòd Jesus resurrexit: sed quod sequitur, hoc non indicat. Quid sibi enim vult, quod statim adjunxit, *Nondum enim sciebant Scripturam,* v. 9. *quia oportet eum à mortuis resurgere?* Non ergo eum credidit resurrexisse, quem nesciebat oportere resurgere. Quid ergo vidit, quid credidit? Vidit scilicet inane monumentum, & credidit quod dixerat mulier, eum de monumento esse sublatum. *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportet eum à mortuis resurgere.* Et ideo quando id ab ipso Domino audiebant, quamvis apertissimè diceretur, consuetudine audiendi ab illo parabolas, non intelligebant, & aliquid aliud eum significare credebant. Sed ea quæ sequuntur in sermonem alium differamus.

TRACTATUS CXXI.

De eo quod sequitur, Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli: *usque ad id*, Beati qui non viderunt, & crediderunt.

1. SUBLATUM esse Dominum de monumento, discipulis ejus Petro & Johanni nuntiaverat Maria Magdalene: quò illi venientes, invenerunt sola linteamina, quibus corpus fuerat involutum: & quid aliud credere potuerunt, nisi quod dixerat, quod etiam ipsa crediderat? *Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli*: id Johan. 20. est, ubi habitabant, & unde ad monumentum 10. cucurrerant. *Maria autem stabat ad monumentum* v. 11. *foris plorans.* Viris enim redeuntibus, infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affectus. Et oculi qui Dominum quæsierant & non invenerant, lacrymis jam vacabant, ampliùs dolentes quòd fuerat de monumento ablatus, quàm quòd fuerat in ligno occisus: quoniam magistri tanti, cujus eis vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat. Tenebat itaque ad monumentum jam dolor iste mulierem. *Cùm ergo fleret, inclinavit se & prospexit in monumentum.* Cur hoc fecerit nescio. Non enim nesciebat non ibi esse jam quem quærebat; quandoquidem inde sublatum & discipulis ipsa nuntiaverat; & illi ad monumentum venerant, & non solùm intuendo, sed etiam intrando corpus Domini quæsierant, nec invenerant. Quid sibi ergo vult, quòd ista cùm fleret, rursum in monumentum inclinata prospexit? Utrùm quod nimiùm dolebat, nec suis nec illorum oculis facilè putabat esse credendum? An potiùs divino instinctu in animo ejus effectum est ut prospiceret? Prospexit enim, *Et vidit duos Angelos in albis sedentes, unum* v. 12. *ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.* Quid est quòd unus ad caput, & ad pedes alter sedebat? An quoniam qui Græcè Angeli dicuntur, Latinè sunt nuntii, isto modo Christi

[a] Eam revelationem, qua ipsius etiam Nicodemi corpus detectum fuit, ad anni 415. finem referunt, freti auctoritate Luciani presbyteri in libello hac de re conscripto.

Evangelium velut à capite usque ad pedes, ab initio usque in finem significabant esse nuntiandum?

v. 13. *Dicunt ei illi, Mulier quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Angeli lacrymas prohibebant: ubi quid aliud quàm futurum quodammodo gaudium nuntiabant? Ita enim dixerunt, *Quid ploras?* ac si dicerent, Noli plorare. At illa eos putans interrogasse nescientes, causas prodit lacrymarum. *Quia tulerunt*, inquit, *Dominum meum:* Dominum suum vocans corpus exanime Domini sui, à toto partem significans: sicut omnes confitemur Jesum Christum Filium Dei unicum Dominum nostrum, quod utique simul est & Verbum & anima & caro, crucifixum tamen & sepultum, cùm sola ejus sepulta sit caro. *Et nescio*, inquit, *ubi posuerunt eum.* Hæc erat caussa major doloris, quia nesciebat quò iret ad consolandum dolorem. Sed hora jam venerat, qua id quod nuntiatum quodammodo fuerat ab Angelis flere prohibentibus, gaudium succederet fletibus.

v. 14. 2. Denique * *hæc cùm dixisset, conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem, & non sciebat quia Jesus*

v. 15. *est.* * *Dicit ei Jesus, Mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego*

v. 16. *eum tollam.* * *Dicit ei Jesus, Maria. Conversa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister.* Nemo calumnietur mulieri quòd hortulanum dixerit dominum, & Jesum Magistrum. Ibi enim rogabat, hîc agnoscebat: ibi honorabat hominem, à quo beneficium postulabat; hîc recolebat doctorem, à quo discere humana & divina discebat. Appellabat dominum cujus ancilla non erat, ut per eum perveniret ad Dominum cujus erat. Aliter ergo Dominum dixit, *Sustulerunt Dominum meum:* aliter autem, *Domine, si tu sustulisti eum.* Nam & Prophetæ appellaverunt dominos eos qui homines erant: sed aliter il-

Psal. 67. 5. lum de quo scriptum est, Dominus nomen ei. Sed ista mulier quæ jam fuerat conversa retrorsum ut videret Jesum, quando eum putavit esse hortulanum, & cum illo utique loquebatur, quomodo rursus conversa dicitur, ut ei diceret, *Rabboni*: nisi quia tunc conversa corpore quod non erat putavit, nunc corde conversa quod erat agnovit?

Johan. 20. 17. 3. *Dicit ei Jesus, Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis, Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Est in his verbis quod breviter quidem, sed tamen adtentiùs pertractare debemus. Jesus quippe mulierem quæ illum magistrum agnovit & appellavit, cùm hæc ei responderet, fidem docebat: & hortulanus ille in ejus corde, tamquam in horto suo granum sinapis seminabat. Quid est ergo, *Noli me tangere?* Et tamquam hujus prohibitionis caussa quæreretur, adjunxit, *nondum enim adscendi ad Patrem meum.* Quid est hoc? Si stans in terra non tangitur, sedens in cælo quomodo ab hominibus tangeretur? Qui certè antequam adscenderet, discipulis se tangendum obtulit dicens, sicut Lucas

Luc. 9. 14. 39. evangelista testatur, Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: vel quando dixit discipulo Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum. Quis autem tam sit absurdus, ut dicat eum à discipulis quidem antequam ad Patrem adscendisset, voluisse se tangi, à mulieribus autem noluisse, nisi cùm adscendisset ad Patrem? Sed nec sic, qui vellet, desipere sineretur. Leguntur enim etiam feminæ post resurrectionem antequam ad Patrem adscenderet, tetigisse Jesum, in quibus erat etiam ipsa Maria Magdalene narrante Matthæo, quòd occurrerit illis Jesus dicens, Avete. Illæ autem accesserunt, in- Matth. 28. 9. quit, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Hoc à Johanne prætermissum est, sed à Matthæo verum dictum. Restat ergo ut aliquod in his verbis lateat sacramentum: quod sive inveniamus, sive invenire minimè valeamus, inesse tamen nullo modo dubitare debemus. Aut ergo sic dictum est, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum*, ut in illa femina figuraretur Ecclesia de gentibus, quæ in Christum non credidit, nisi cùm adscendisset ad Patrem: aut sic in se credi voluit Jesus, hoc est, sic se spiritaliter tangi, quòd ipse & Pater unum sint. Ejus quippe intimis sensibus quodammodo adscendit ad Patrem, qui sic in eo profecerit ut Patri agnoscat æqualem: aliter non rectè tangitur, id est, aliter non rectè in eum creditur. Poterat autem sic credere Maria, ut eum putaret imparem Patri, quod utique prohibetur cùm ei dicitur, *Noli me tangere:* id est, Noli in me sic credere, quemadmodum adhuc sapis; noli tuum sensum huc usque pertendere quod pro te factus sum, nec transire ad illud per quod facta es. Quomodo enim non carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat? *Nondum enim adscendi*, inquit, *ad Patrem meum*: ibi me tanges, quando me credideris Patri non imparem Deum. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Non ait, Patrem nostrum: aliter ergo meum, aliter vestrum; naturâ meum, gratiâ vestrum. *Et Deum meum, & Deum vestrum.* Neque hîc dixit, Deum nostrum: ergo & hîc aliter meum, aliter vestrum; Deum meum sub quo & ego homo sum, Deum vestrum inter quos & ipsum mediator sum.

4. * *Venit Mariæ Magdalene annuntians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* * *Cùm esset ergo serò die illa una sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, & stetit in medio, & dicit eis,* * *Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.* Clavi enim manus fixerant, lancea latus ejus aperuerat: ubi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt servata vestigia. Moli autem corporis ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit. *Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.* * *Dixit ergo eis iterum, Pax vobis.* Iteratio confirmatio est, ipse quippe dat per Prophetam promissam pacem super pacem. *Sicut misit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos.* Æqualem Patri Filium novimus, sed hîc verba mediatoris agnoscimus. Medium quippe se ostendit dicendo: ille me, & ego vos. *Hoc cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum-sanctum.* Insufflando significavit Spiritum-sanctum non Patris solius esse Spiritum, sed & suum. *Quorum remiseritis*, inquit, *peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ecclesiæ caritas quæ per Spiritum-sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit: eorum autem qui non sunt ejus participes, tenet. Ideo postea quàm dixit, *Accipite Spiritum-sanctum:* hoc continuò de peccatorum remissione ac detentione subjecit.

Johan. 20. v. 18. v. 19. v. 20. v. 21. v. 22. v. 23. 4. Sent. dist. 18. cap. Nec ideo.

Ibid. v. 24. 5. * *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur* erat à Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex

v. 25. *Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus:* * *dixerunt ergo ei alii discipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum,*

v. 26. *& mittam manum meam in latus ejus, non credam.* * *Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis: venit Jesus januis clausis, & stetit in me-*

v. 27. *dio, & dixit, Pax vobis.* * *Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredu-*

v. 28 *lus, sed fidelis.* * *Respondit Thomas & dixit ei, Dominus meus & Deus meus.* Videbat tangebatque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat neque tangebat: sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud jam remota dubitatione credebat.

v. 29. *Dicit ei Jesus, Quia vidisti me, credidisti.* Non ait, tetigisti me; sed, *vidisti me*: quoniam generalis quodammodo sensus est visus. Nam & per alios quatuor sensus nominari solet: velut cùm dicimus, Audi & vide quàm bene sonet, olfac & vide quàm bene oleat, gusta & vide quàm bene sapiat, tange & vide quàm bene caleat. Ubique sonuit, Vide, cùm visus propriè non negetur ad oculos pertinere. Unde & hîc ipse Dominus, *Infer*, inquit, *digitum tuum huc, & vide manus meas*: quid aliud ait, quàm tange & vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo sive intuendo, sive etiam tangendo, *Quia vidisti me*, inquit, *credidisti.* Quamvis dici possit non ausum fuisse discipulum tangere, cùm se offerret ille tangendum: non enim scriptum est, Et tetigit Thomas. Sed sive adspiciendo tantùm, sive etiam tangendo viderit & crediderit, illud quod sequitur, magis gentium fidem prædicat atque commendat, *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Præteriti temporis usus est verbis, tamquam ille qui quod erat futurum, in sua noverat prædestinatione jam factum. Sed jam sermo iste à prolixitate cohibendus est: donabit Dominus, ut de his quæ restant, aliàs disputemus.

TRACTATUS CXXII.

De eo quod sequitur, Multa quidem & alia signa fecit Jesus: *usque ad id*, Et cùm tanti essent, non est scissum rete.

1. POST narrationem rei gestæ, in qua Thomas discipulus oblatis sibi tangendis in Christi carne vulnerum locis, vidit quod credere nolebat, & credidit, interponit hæc evangelista Johannes, & dicit, * *Multa quidem &*

Johan. 20. v. 30. *alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suo-*

v. 31. *rum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* * *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Hoc capitulum velut libri hujus indicat finem: sed narratur hîc deinde quemadmodum se manifestaverit Dominus ad mare Tiberiadis, & in captura piscium commendaverit Ecclesiæ sacramentum, qualis futura est ultima resurrectione mortuorum. Ad hoc itaque commendandum valere arbitror, quòd tamquam finis interpositus est libri, quod esset etiam secuturæ narrationis quasi procœmium, quod ei quodammodo faceret eminentiorem locum, quæ narratio incipit ita. * POSTEA

Johan. 21 v. 1. *manifestavit se iterum Jesus ad mare Tiberiadis,*

v. 2 *manifestavit autem sic:* * *Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanaël qui*

discipulis ejus duo: * *dicit eis Simon Petrus, Vado* v. 3. *piscari. Dicunt ei, Venimus & nos tecum.*

2. Quæri solet de hac piscatione discipulorum, cur redierint Petrus & filii Zebedæi ad id quod fuerunt priùs quàm à Domino vocarentur: erant enim piscatores quando eis dixit, Venite post me, & fa- Matth. 4. 19. ciam vos piscatores hominum. Tunc eum quippe illi secuti sunt, ut magisterio ejus relictis omnibus adhærerent: in tantum ut cùm ab eo dives ille tristis abscederet, cui dixerat, Vade, vende quæ ha- Matth. 19. bes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in « 21. & c. cælo, & veni sequere me, diceret ei Petrus, Ecce « nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Quid est « ergo quòd nunc quasi Apostolatu relicto fiunt quod fuerunt, & quod dimiserant repetunt, tamquam obliti quod audierant, Nemo ponens manum su- Luc. 9. 62. « per aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno « cælorum? Quod si fecissent defuncto Jesu priùs quàm resurrexisset à mortuis: (quod quidem non poterant, quoniam dies quo crucifixus est, totos eos tenebat adtentos, usque ad ejus sepulturam, quæ ante vesperam facta est: sequens autem dies erat sabbati, quando eis morem patrium servantibus, operari utique non licebat: tertio verò die Dominus resurrexit, eosque revocavit ad spem quam de illo non habere jam cœperant:) tamen si tunc fecissent, putaremus eos illâ, quæ animos eorum occupaverat, desperatione feciss. Nunc verò post eum sibi de sepulcro redditum vivum, post oblatam suis oculis & manibus, non solùm videndam, verùm etiam tangendam atque palpandam redivivæ carnis evidentissimam veritatem; post inspecta vulnerum loca, usque ad apostoli Thomæ confessionem, qui se aliter creditum non esse prædixerat; post acceptum ejus insufflitione Spiritum-sanctum, post verba in suas aures ejus ore prolata, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, quorum re- Johan. 20. « 21. & c. miseritis peccata, remittuntur eis, & quorum re- « tinueritis, retenta sunt: subitò fiunt sicut fuerant, « E non hominum, sed piscium piscatores.

3. His ergo quos hoc movet respondendum est, non eos fuisse prohibitos arte sua, licitâ scilicet atque concessâ, victum necessarium quærere, sui Apostolatus integritate servata, si quando unde viverent aliud non haberent. Nisi fortè quispiam putare audebit aut dicere, apostolum Paulum non pertinuisse ad eorum perfectionem, qui relictis om- Matth. 19. 27. nibus Christum secuti sunt, quoniam ne quem- 2. Thess. 3. 8. quam eorum gravaret, quibus Evangelium prædi- F cabat, suum victum suis manibus transigebat: ubi magis impletum est quod ait, Plus omnibus illis la- 1. Cor. 15. boravi: & adjunxit, Non autem ego, sed gratia « 10. Dei mecum: ut hoc quoque appareat Dei gratiæ deputandum, quod & animo & corpore poterat usque adeo plus illis omnibus laborare, ut neque cessaret ab Evangelio prædicando, neque tamen ex Evangelio, sicut illi, sustentaret hanc vitam; cùm id per tot gentes in quibus Christi nomen non fuerat prophetatum, multò latiùs atque fertiliùs seminaret. Ubi ostendit ex Evangelio vivendi; hoc est victum habendi non necessitatem Apostolis impositam, sed potestatem datam. Quam potestatem commemorat idem Apostolus dicens, Si nos vobis 1. Cor. 9. 11. & c. spiritalia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus? Si alii potestatis vestræ participant, « non magis nos? Sed non sumus, inquit, usi hac po- « testate. Et paulò pòst, Qui altari serviunt, inquit, «

» altari compartiuntur: sic & Dominus ordinavit his A
» qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere:
» ego autem nullo horum usus sum. Satis igitur apertum est, non imperatum, sed in potestate Apostolis positum, ut aliunde non viverent nisi ex Evangelio, & ab eis quibus Evangelium prædicando spiritalia seminabant, carnalia meterent, hoc est carnis hujus sustentaculum sumerent, & tamquam milites Christi stipendium debitum acciperent, sicut à [a] Provincialibus Christi. Unde idem ipse miles
[a] *Ibidem 7.* egregius paulò superiùs de hac re dixerat, Quis B militat suis stipendiis umquam? Quod tamen ipse faciebat, quia plus illis omnibus laborabat. Si ergo beatus Paulus ut ea potestate, quam profectò cum ceteris Evangelii prædicatoribus habebat, non cum ceteris uteretur, sed suo stipendio militaret, ne gentes à nomine Christi penitus alienas doctrina
Paulus susceptо evangelizandi munere artem ad victum sibi comparandum didicit. ejus quasi venalis offenderet, aliter educatus, artem quam non noverat didicit, ut dum suis manibus transigitur doctor, nullus gravaretur auditor: quantò magis beatus Petrus, qui jam piscator fue- C rat, quod noverat fecit, si ad præsens illud tempus, aliud unde viveret, non invenit?

4. Sed respondebit quispiam, Et cur non inve-
Matth 6.33. nit, cùm Dominus promiserit dicens, Quærite
» primùm regnum & justitiam Dei, & hæc omnia
» apponentur vobis? Prorsus etiam sic Dominus quod promisit implevit. Nam quis alius pisces qui caperentur apposuit? qui non ob aliud credendus est eis ingessisse penuriam qua compellerentur ire piscatum, nisi dispositum volens exhibere miraculum: D ut simul & prædicatores Evangelii sui pasceret, & ipsum Evangelium tanto sacramento quod erat de numero piscium commendaturus augeret. De qua re etiam nos quod ipse apposuerit, dicere jam debemus.

Iohan. 21. v. 3. 5. * *Dicit* ergo *Simon Petrus, Vado piscari. Dicunt ei* qui cum illo erant, *Venimus & nos tecum. Et exierunt & adscenderunt in navem: & illa nocte ni-*
v. 4. hil apprehenderunt. * *Manè autem jam facto stetit Jesus in littore, non tamen cognoverunt discipuli, quia* E
v. 5. Jesus est. * *Dicit ergo eis Jesus, Pueri numquid pul-*
v 6. mentarium habetis? Responderunt ei: Non. * *Dicit eis, Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miserunt ergo, & jam non valebant illud trahere à*
v. 7. multitudine piscium. * *Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro, Dominus est. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunicâ succinxit se,*
v. 8. erat enim nudus, & misit se in mare. * *Alii autem discipuli navigio venerunt, (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis,) trahentes rete pis-* F
v. 9. cium. * *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt pru-*
v 10. nas positas, & piscem superpositum, & panem. * *Dicit eis Jesus, Afferte de piscibus quos apprehendistis nunc.*
v. 11. * *Adscendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum-quinquaginta-tribus. Et cùm tanti essent, non est scissum rete.*

6. Hoc est magnum sacramentum in magno Johannis Evangelio: & ut vehementiùs commenderetur, loco ultimo scriptum. Quòd ergo septem discipuli fuerunt in ista piscatione, Petrus, & Tho- G mas, & Nathanaël, & duo filii Zebedæi, & alii duo quorum nomina tacentur, isti suo septenario numero finem significant temporis. Universum quippe septem diebus volvitur tempus. Ad hoc pertinet quòd manè facto Jesus stetit in littore; quia etiam littus finis est maris, & ideo finem significat sæculi. Eumdem finem sæculi ostendit & quòd Petrus rete extraxit in terram, hoc est in littus. Quod ipse Dominus aperuit, ubi alio quodam loco de sagena in mare missa similtudinem dedit: & eam trahunt, inquit, ad littus. Quod littus quid esset exponens, ait, Sic erit in consummatione *Matth 13. 49.* sæculi.

7. Sed illa verbi est, non rei gestæ parabola: re autem gesta, sicut hoc loco qualiter in sæculi fine futura sit, ita Dominus alia piscatione * significavit Ecclesiam qualiter nunc sit. Quòd autem illud fecit in initio prædicationis suæ, hoc verò post resurrectionem suam, hinc ostendit illam capturam piscium, bonos & malos significare, quos nunc habet Ecclesia; istam verò tantummodo bonos, quos habebit in æternum, completa in fine hujus sæculi resurrectione mortuorum. Denique ibi Jesus non sicut hîc in littore stabat, quando jussit pisces capi; sed adscendens in unam navim quæ erat Simonis, *Ibidem 3. &c.* rogavit eum ut à terra reduceret pusillùm, & in ea sedens docebat turbas: ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia « vestra in capturam. Et illic quod captum est piscium in naviculis fuit, non sicut hîc rete extraxerunt in terram. His signis & si qua alia potuerint reperiri, ibi Ecclesia in hoc sæculo, hîc verò in fine sæculi figurata est: ideo illud ante, hoc autem post resurrectionem Domini factum est; quia ibi nos Christus significavit vocatos, hîc resuscitatos. Ibi retia non mittuntur in dexteram, ne solos significent bonos, nec in sinistram, ne solos malos; sed indifferenter, Laxate, inquit, retia vestra in capturam, vt permixtos intelligamus bonos & malos: hîc autem, inquit, *Mittite in dexteram navigii rete*, ut significaret eos qui stabant ad dexteram, solos bonos. Ibi rete propter significanda schismata rumpebatur: hîc verò quoniam tunc jam in illa summa pace sanctorum nulla erunt schismata, pertinuit ad Evangelistam dicere, *Et cùm tanti essent*, id est, tam magni, *non est scissum rete*: tamquam illud respiceret ubi scissum est, & in illius mali comparatione commendaret hoc bonum. Ibi capta est multitudo piscium tanta, ut impleta duo navigia mergerentur, id est, in submersionem premerentur: non enim mersa sunt, sed tamen periclitata. Unde enim exsistunt in Ecclesia, tanta quæ gemimus: nisi cùm tantæ multitudini obsisti non potest, quæ ad submergendam propemodum disciplinam intrat cum moribus suis à sanctorum itinere penitus alienis? Hic autem miserunt rete in dexteram partem, *& jam non valebant illud trahere à multitudine piscium.* Quid est, *jam non valebant illud trahere*, nisi quia illi qui pertinent ad resurrectionem vitæ, id est ad dexteram, & intra Christiani nominis retia defunguntur, nonnisi in littore, id est in fine sæculi cùm resurrexerint, apparebunt? Ideo non valuerunt sic trahere retia, ut in navem refunderent quos ceperant pisces; sicut de illis omnibus factum est, quibus rete disruptum, & naviculæ pressæ sunt. Habet autem istos dextros Ecclesia post finem vitæ hujus in somno pacis, velut in profundo latentes, donec ad littus rete perveniat quò trahebatur, quasi à cubitis ducentis. Quòd autem illic duabus naviculis, propter circumcisionem & præputium: hoc isto loco ducentis cubitis existimo

[a] Milites itaque stipendium à Provincialibus accipiebant: quò spectare videtur illud suprà in Tract. 13. n. 17. *Aliquando enim & desertor terret Provincialem, sed utrum in castris sit, & aliquid illi profit character ille in quo signatus est, hoc adtendit qui terreri & seduci non vult.*

figuratum, propter utriusque generis electos, & circumcisionis & præputii, tamquam centum & centum; quia in summa centenarii numerus ad dexteram transit. Postremò in illa piscatione numerus piscium non exprimitur, tamquam illud ibi fiat
Psal. 39. 6. quod prædictum est per Prophetam, Annuntiavi & locutus sum, multiplicati sunt super numerum: hîc verò non sunt aliqui super numerum, sed certus est numerus centum-quinquaginta-tres: cujus numeri ratio Domino adjuvante reddenda est.

8. Si enim numerum constituamus qui Legem B significet, quid erunt nisi decem? Decalogum quippe Legis, id est, decem notissima illa præ-
Deut. 9. 10. cepta digito Dei duabus lapideis tabulis primùm fuisse conscripta certissimum nobis est. Sed Lex quando non adjuvat gratia, prævaricatores facit, & tantummodo in littera est: propter hoc enim
2. Cor. 3. 6. maximè ait Apostolus, Littera occidit, spiritus autem vivificat. Accedat ergo ad litteram spiritus, ne occidat littera quem non vivificat spiritus: sed ut operemur præcepta Legis, non viribus nostris, sed C munere Salvatoris. Cùm autem accedit ad Legem gratia, id est, ad litteram spiritus, quodammodo denario numero additur septenarius. Isto quippe numero, id est, septenario, significari Spiritum-sanctum, advertenda litterarum sacrarum documenta testantur. Nempe enim sanctitas vel sanctificatio ad sanctum propriè pertinet Spiritum: unde cùm & Pater spiritus sit, & Filius spiritus sit, quo-
Iohan. 4. 24. niam Deus spiritus est; & Pater sanctus, & Filius sanctus sit: proprio tamen nomine amborum spiri- D tus vocatur Spiritus-sanctus. Ubi ergo primùm in Lege sonuit sanctificatio, nisi in die septimo? Non enim sanctificavit Deus diem primum, in quo fecit lucem; aut secundum, in quo firmamentum; aut tertium, in quo discrevit mare à terra, & terra herbam lignumque produxit; aut quartum, in quo sidera sunt creata; aut quintum, in quo animalia quæ in aquis vivunt & in aëre volitant; aut sextum, in quo terrestris anima viva & ipse homo: sed san-
Gen. 2. 3. ctificavit diem septimum, in quo requievit ab ope- E ribus suis. Convenienter igitur septenario numero
Isai. 11. 2. &c. significatur Spiritus-sanctus. Isaias etiam propheta, Requiescet, inquit, in eo Spiritus Dei: eumque deinceps commendans opere vel munere septenario, Spiritus, inquit, sapientiæ & intellectus, » spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & » pietatis, & implebit illum spiritus timoris Dei.
Apoc. 3. 1. 1. Cor. 12. 11. Quid in Apocalypsi, nonne septem spiritus Dei dicuntur, cùm sit unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult? Sed operatio septe- F naria unius Spiritus sic appellata est ab eodem Spiritu, qui scribenti adfuit, ut septem spiritus dicerentur. Cùm itaque Legis denario Spiritus-sanctus per septenarium numerum accedit, fiunt decem & septem; qui numerus ab uno usque ad seipsum computatis omnibus crescens, ad centum-quinquaginta-tres pervenit. Ad unum enim si adjicias duo, fiunt utique tres; his si adjicias tres & quatuor, fiunt omnes decem; deinde si adjicias omnes numeros qui sequuntur usque ad decem & septem, ad su- G pradictum numerum summa perducitur, id est, si ad decem, quò ab uno usque ad quatuor perveneras, addas quinque, fiunt quindecim: his addas sex, & fiunt viginti unum; his addas septem, & fiunt viginti-octo; his addas octo & novem & decem, & fiunt quinquaginta-quinque; his addas undecim & duodecim & tredecim, & fiunt nonaginta-unum; his rursùm quatuordecim & quindecim & sedecim, & fiunt centum-triginta-sex: huic numero adde illum qui restat de quo agitur, id est, decem & septem, & piscium numerus ille complebitur. Non ergo tantummodo centum-quinquaginta-tres sancti ad vitam resurrecturi significantur æternam, sed millia sanctorum ad gratiam Spiritus pertinentium: qua gratiâ cum Lege Dei tamquam cum adversario concordatur; ut vivificante Spiritu littera non occidat, sed quod per litteram jube-
B tur, Spiritu adjuvante compleatur, & si quid minùs fit, remittatur. Omnes ergo ad istam gratiam pertinentes, hoc numero figurantur, hoc est figuratè significantur. Qui numerus ter habet etiam quinquagenarium numerum, & insuper ipsa tria propter mysterium Trinitatis: quinquagenarius autem multiplicatis septem per septem, & unius adjectione completur: nam septies septem fiunt quadraginta-novem. Unus autem additur, ut eo significetur unum esse, qui per septem propter operationem septenariam demonstratur: & novimus Spiritum-sanctum post adscensionem Domini quinqua- *Act. 2. 2.* gesimo die missum, quem discipuli jussi sunt exspectare promissum.

9. Non igitur frustra dicti sunt hi pisces, & tot & tanti, id est, & centum-quinquaginta-tres, & magni. Sic enim scriptum est: *Et traxit rete in ter-* *Iohan. 21. 11.* *ram plenum magnis piscibus, centum-quinquaginta-tribus.* Cùm enim dixisset Dominus, Non veni *Matth. 5. 17.* solvere Legem, sed implere, daturus utique Spiritum per quem Lex posset impleri, tamquam septem additurus ad decem, paucissimis verbis interpositis ait, Qui ergo solverit unum de mandatis istis *Ibidem 19.* minimis, & docuerit sic homines, minimus voca- « bitur in regno cælorum: qui autem fecerit & do- « cuerit, magnus vocabitur in regno cælorum. Iste « ergo poterit pertinere ad numerum piscium magnorum. Minimus autem ille, qui solvit factis quod docet verbis, in tali Ecclesia potest esse, qualem significat piscium prima illa captura, habentem bonos & malos, quia & ipsa dicitur regnum cælo- *Matth. 13. 47.* rum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere congreganti. Ubi vult intelligi etiam bonos, & malos: quos dicit in littore, id est, in fine sæculi separandos. Denique ut ostenderet istos minimos reprobos esse, qui docent bona loquendo, quæ solvunt malè vivendo, nec quasi minimos in vita æterna futuros, sed omnino ibi non futuros; cùm dixisset, Minimus vocabitur in regno cælorum, continuò subjecit, Dico enim vobis, quia nisi abundaverit ju- *Matth. 5. 20.* stitia vestra plus quàm Scribarum & pharisæorum, « non intrabitis in regnum cælorum. Illi sunt certè, « Scribæ & pharisæi, qui cathedram Moysi sedent, & de quibus ait, Quæ dicunt facite, quæ autem fa- *Matth. 23. 3.* ciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt: docent sermonibus, quod solvunt moribus. Consequens est ergo, ut qui minimus est in regno cælorum, qualis nunc est Ecclesia, non intret in regnum cælorum, qualis tunc erit Ecclesia; quoniam docendo quod solvit, ad eorum societatem qui faciunt quod docent, non pertinebit: & ideo non erit in numero piscium magnorum; quoniam qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum. Et quia hîc magnus erit, ideo ibi erit, ubi minimus ille non erit. Usque adeo quippe ibi magni erunt, ut qui minor ibi est, major sit eo quo hîc *Matth. 11. 11.* nemo major est. Sed tamen qui hîc magni sunt, id

est, qui in regno cælorum, ubi sagena congregat bonos & malos, faciunt bona quæ docent, ipsi erunt in illa regni cælorum æternitate majores, quos isti ad dexteram & resurrectionem vitæ pertinentes indicant pisces. Sequitur de prandio Domini cum istis septem discipulis, & de his quæ post prandium locutus est, ac de ipsius Evangelii termino, ut Deus quod donaverit disseramus: sed hoc non est isto sermone coartandum.

TRACTATUS CXXIII.

De eo quod dicit Jesus, Venite, prandete: *usque adid*, Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.

1. IN eo quod tertiò Dominus post resurrectionem manifestavit se discipulis suis, beati Johannis apostoli Evangelium terminatur: in quo jam pertractavimus, ut valuimus, partem priorem, usque ad eum locum ubi narratum est, captos fuisse pisces centum-quinquaginta-tres à discipulis, quibus se demonstravit, & cùm magni essent, retia non esse disrupta. Deinde quæ sequuntur consideranda sunt, & quantum adjuvat Dominus, sicut res postulare videbitur, differenda. Peracta quippe illa piscatione, *Dicit eis Jesus, Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu qui es? scientes quia Dominus est.* Si ergo sciebant, quid opus erat ut interrogarent? Si autem non opus erat, quare dictum est, *non audebant*; quasi opus esset, sed timore aliquo non auderent? Sensus ergo hic est: Tanta erat evidentia veritatis, qua Jesus illis discipulis apparebat, ut eorum non solùm negare, sed nec dubitare quidem ullus auderet: quoniam si quisquam dubitaret, utique interrogare deberet. Sic ergo dictum est, *Nemo audebat eum interrogare, Tu quis es*: ac si diceretur, Nemo audebat dubitare quòd ipse esset.

Joan. 21. 12.

v. 13. 2. *Et venit Jesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter.* Ecce dictum est etiam quid prandierent: de quo prandio aliquid suave ac salubre dicemus & nos, si pascat & nos. Superiùs narratum est, quòd isti discipuli, quando descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Ubi non est intelligendum etiam superpositum panem fuisse prunis, sed tantùm subaudiendum, viderunt. Quod verbum si repetamus eo loco ubi subaudiendum est, ita totum dici potest: Viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem viderunt. Vel ita potiùs: Viderunt prunas positas, & piscem superpositum, viderunt & panem. Jubente etiam Domino adtulerunt & de piscibus, quos ipsi ceperant: quod eos fecisse quamvis à narrante non esset expressum; tamen Dominum jussisse non tacitum est. Ait enim, Afferte de piscibus, quos apprehendistis nunc. Et utique jubente illo eos non fecisse quis credat? Hinc ergo fecit prandium Dominus illis septem discipulis suis, de pisce scilicet, quem prunis superpositum viderant, huic adjungens ex illis quos ceperant, & de pane quem nihilominus eos vidisse narratum est. Piscis assus, Christus est passus. Ipse est & panis qui de cælo descendit. Huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam. Propter quod dictum est, Afferte de piscibus, quos apprehendistis nunc: ut omnes qui hanc spem gerimus, per illum septenarium numerum discipulorum, per quem potest hoc loco nostra universitas intelligi figurata, tanto sacramento nos communicare nosse-mus, & eidem beatitudini sociari. Hoc Domini prandium est cum discipulis suis, ad quod Johannes Evangelium suum, cùm haberet de Christo alia multa quæ diceret, magnâ, ut existimo, & rerum magnarum contemplatione concludit. Hîc enim Ecclesia qualis in solis bonis futura est, significatur per capturam centum-quinquaginta-trium piscium: & eis qui hæc credunt, sperant, diligunt, participatio tantæ beatitudinis per hoc prandium demonstratur.

Joan. 21. 6. 41.

Joan. 21. 10.

3. *Hoc jam tertio*, inquit *manifestatus est Jesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.* Quod non ad ipsas demonstrationes, sed ad dies referre debemus: id est primo die cùm surrexit, & post dies octo quando discipulus Thomas vidit & credidit, & hodie quando hoc de piscibus fecit; post quot autem dies id fecerit, dictum non est: nam ipso primo die non semel visus est, sicut Evangelistarum omnium testimonia collata demonstrant: sed sicut dictum est, secundùm dies numerandæ sunt manifestationes ejus, ut ista sit tertia; prima quippe habenda sit, eademque una propter unum diem, quotiescumque se & quibuscumque die illo quo resurrexit ostendit; secunda post dies octo, & hæc tertia, & deinde quotiens voluit usque ad diem quadragesimum, quo adscendit in cælum, quamvis non scripta sint omnia. *v.* 14.

4. * *Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro, Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos.* * *Dicit ei iterum, Simon Joannis diligis me? Ait illi, Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos.* * *Dicit ei tertiò, Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me; & dicit ei, Domine tu omnia scis, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce oves meas.* * *Amen, amen dico tibi, cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* * *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Hunc invenit exitum ille negator, & amator; præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus: hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfecta dilectione moreretur, cùm quo se moriturum perversa festinatione promiserat. Faciat ejus resurrectione firmatus, quod immaturè pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat, ut priùs Christus pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi prædicatione moreretur. Præposterum fuit quod audere coeperat humana temeritas, cùm istum disposuisset ordinem veritas. Animam suam se posituram pro Christo Petrus putabat, pro liberatore liberandus: cùm Christus venisset animam suam posituram pro suis omnibus, in quibus erat & Petrus, quod ecce jam factum est. Nunc jam firmitas cordis ad suscipiendam mortem pro nomine Domini vera ipso donante sumatur, non falsa nobis errantibus præsumatur. Nunc est ut vitæ hujus non metuamus interitum; quia resurgente Domino vitæ alterius præcessit exemplum. Nunc est, Petre, ut mortem non timeas; quia vivit quem mortuum dolebas, & quem pro nobis mori carnali amore prohibebas. Ausus es prævenire ductorem, formidasti ejus persecutorem: jam pretio pro te fuso, nunc est ut sequaris emtorem, & sequaris omnino usque ad mortem crucis. Verba ejus audisti, quem *v.* 15. *v.* 16. *v.* 17. *v.* 18. *v.* 19. *Joan.* 13. 37.

quem jam veracem probasti: passurum te ipse prædixit, qui te prædixerat negaturum.

5. Sed priùs Dominus quod sciebat interrogat, nec semel, sed iterum ac tertiò, utrùm Petrus eum diligat; nec aliud totiens audit à Petro, quàm se diligi; nec aliud totiens commendat Petro, quàm suas oves pasci. Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minùs amori lingua serviat quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium, pascere Dominicum gregem; si fuit timoris indicium, negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse non Christi, se convincuntur amare, non Christum; vel gloriandi, vel dominandi, vel adquirendi cupiditate, non obediendi & subveniendi & Deo placendi caritate. Contra hos ergo vigilat totiens inculcata ista vox Christi, quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ Jesu Christi. *Philip.* 2. 21. Nam quid est aliud, *Diligis me? pasce oves meas*, quàm si diceretur, Si me diligis, non te pascere cogita: sed oves meas, sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam; dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua, ne sis in eorum societate qui pertinent ad tempora periculosa, seipsos amantes, & cetera quæ huic malorum initio connectuntur? Cùm enim dixisset Apostolus, Erunt enim homines seipsos amantes: *2. Tim.* 3. 2. &c. » secutus adjunxit, Amatores pecuniæ, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, irreligiosi, sine affectione, detractores, incontinentes, immites, sine benignitate, prodi- D tores, procaces, cæcati, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Hæc omnia mala ab eo velut fonte manant, quod primum posuit, seipsos amantes. Meritò dicitur Petro, *Diligis me?* & respondet, *Amo te*; eique refertur, *Pasce agnos meos*: & hoc iterum, hoc tertiò. Ubi etiam demonstratur unum atque idem esse amorem & dilectionem: nam etiam Dominus novissimè non ait, *Diligis me*; sed, *Amas me?* Non ergo nos, sed ipsum E amemus: & in pascendis ovibus ejus ea quæ sunt ejus, non ea quæ sunt nostra quæramus. Nescio quo enim inexplicabili modo, quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se: non ergo se amat, qui ne vivat se amat. Cùm verò ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea non se diligit, ut eum diligat de quo vivit. Non sint ergo seipsos amantes qui pas- F cunt oves Christi, ne tamquam suas, sed tamquam ipsius eas pascant; & velint ex illis sua lucra conquirere, sicut amatores pecuniæ; vel eis dominari, sicut elati; vel gloriari de honoribus quos ab eis sumunt, sicut superbi; vel in tantum progredi ut etiam hæreses faciant, sicut blasphemi: nec cedant sanctis patribus, sicut parentibus non obedientes; & eis qui illos corrigere volunt quia perire nolunt, mala pro bonis reddant, sicut ingrati: interficiant animas & suas & alienas, sicut scelesti, G materna Ecclesiæ viscera dissipent, sicut irreligiosi; non compatiantur infirmis, sicut sine affectione; famam sanctorum maculare conentur, sicut detractores; cupiditates pessimas non refrenent, sicut incontinentes; exerceant lites, sicut immites; nesciant subvenire, sicut sine benignitate; indicent inimicis piorum quæ occultanda cognoverint, sicut proditores; humanam verecundiam inverecunda exagitatione perturbent, sicut procaces; non intelligant neque quæ loquuntur; neque de quibus affirmant, sicut cæcati; lætitias carnales spiritalibus gaudiis anteponant, sicut voluptatum amatores magis quàm Dei. Hæc enim atque hujusmodi vitia, sive uni homini accidant omnia, sive his alia, illis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant, cùm sunt homines seipsos amantes. Quod vitium maximè cavendum est eis qui pascunt oves Christi, ne sua quærant, non quæ Jesu Christi; & in usus cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi. Cujus amor in eo qui pascit oves ejus, in tam magnum debet spiritalem crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus, & quando cùm Christo vivere volumus. Nam & apostolus Paulus dicit *Philip.* 1. 23. se habere concupiscentiam dissolvi & esse cum Christo: ingemiscit tamen gravatus, & non vult 2. *Cor.* 5. 4. exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita. Et huic Dominus dilectori suo, * *Cùm senueris*, inquit, *extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* * *Hoc enim ei dixit*; *significans qua morte clarificaturus erat Deum. Extendes*, inquit, *manus tuas*, hoc est; crucifigêris. Ad hoc autem ut venias, *altus te cinget, & ducet*, non quò vis, sed *quò non vis*. Priùs dixit quod fieret, & deinde quomodo fieret. Non enim crucifixus, sed utique crucifigendus quò nollet est ductus: nam crucifixus non quò nolebat abiit, sed potiùs quò volebat. Solutus quippe à corpore volebat esse cum Christo, sed si fieri posset, præter mortis molestiam vitam concupiscebat æternam: ad quam molestiam nolens ductus est, sed ab ea volens eductus est: nolens ad eam venit, sed volens eam vicit; & reliquit hunc infirmitatis affectum quo nemo vult mori, usque adeo naturalem, ut eum beato Petro nec senectus auferre potuerit, cui dictum est, *Cùm senueris, ducèris quò non vis*. Propter nos consolandos hunc etiam in se transfiguravit ipse Salvator, dicens, Pater si fieri potest; transeat à *Matth.* 26. me calix iste: qui utique mori venerat, nec habe- 39. bat mortis necessitatem, sed voluntatem, potestate posituru animam suam, & rursus eam potestate *Joan.* 10. sumturus. Sed molestia quantacumque sit mortis, 18. debet eam vincere vis amoris, quo amatur ille qui cùm sit vita nostra, etiam mortem voluit perferre pro nobis. Nam si nulla esset mortis vel parva molestia, non esset tam magna Martyrum gloria. Sed *Ibidem* 11. si pastor bonus qui posuit animam suam pro ovibus suis, ex ipsis ovibus tam multos sibi Martyres fecit: quantò magis debent usque ad mortem pro veritate certare, & usque ad sanguinem adversùs peccatum, quibus oves ipsas pascendas, hoc est docendas regendasque committit? Ac per hoc præcedente passionis ejus exemplo, quis non videat magis debere imitando pastori hærere pastores, si eum multæ etiam imitatæ sunt oves, sub quo pastore uno in grege uno, & pastores ipsi sunt oves? Omnes quippe fecit suas oves, pro quibus est omnibus passus: quia & ipse ut pro omnibus pateretur, ovis est factus.

TRACTATUS CXXIV.

Ab eo loco, Et cùm hoc dixisset, dicit ei, Sequere me *&c. usque in finem Evangelii.*

1. NON parva quæstio est, cur Apostolo Petro, quando se tertiò manifestavit discipulis, dixerit Dominus, *Sequere*

me, de Apostolo autem Johanne, *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Huic quæstioni, quantum Dominus ipse donaverit, sive pertractandæ, sive solvendæ sermonem novissimum hujus operis impendimus. Cùm ergo prænuntiasset Dominus
Johan. 21. v. 19. Petro, qua morte clarificaturus esset Deum, * *dicit ei, Sequere me.* * *Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem: qui & recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit, Domine,*
v. 20.
v. 21. quis est qui tradet te? * *Hunc ergo cùm vidisset Petrus,*
v. 22. dicit Jesu, Domine; hic autem quid? * *Dicit ei Jesus, Sic eum volo manere donec veniam: quid ad te?*
v. 23. Tu me sequere. * *Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus, Non moritur; sed, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Ecce quò usque in hoc Evangelio extenditur quæstio, quæ sua profunditate non mediocriter mentem scrutantis exercet. Cur enim dicitur Petro, *Sequere me*, nec dicitur ceteris qui simul aderant? Et profectò eum sicut magistrum discipuli sequebantur. Sed si ad passionem intelligendum est, numquid solus pro Christiana veritate passus est Petrus? Nonne ibi erat in illis septem alius filius Zebedæi frater Johannis, qui post ejus adscensionem
Act. 12. 2. ab Herode manifestatur occisus? Verùm aliquis dixerit, quoniam Jacobus non est crucifixus, meritò dictum esse Petro, *Sequere me*, qui non solùm mortem, sed etiam mortem crucis, sicut Christus, expertus est. Sit hoc, si nihil aliud quod sit convenientius potuerit inveniri. Cur ergo de Johanne dictum est, *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* & repetitum est, *Tu me sequere*: tamquam ille ideo non sequeretur, quoniam eum manere voluit donec veniat? Quis facilè aliud dictum esse credat, quàm quòd fratres crediderant qui tunc erant, eo quòd scilicet non esset discipulus ille moriturus, sed donec Jesus veniret, ista maneret in vita? Sed hanc opinionem Johannes ipse abstulit, non hoc dixisse Dominum aperta contradictione declarans. Cur enim subjungeret, *Non dixit Jesus, Non moritur*, nisi ne hominum cordibus quod falsum fuerat inhæreret?

2. Sed cui placet, adhuc resistat; & dicat verum esse quod ait Johannes, non dixisse Dominum quòd discipulus ille non moritur, sed hoc tamen significatum esse talibus verbis, qualia eum dixisse narravit; & asserat Apostolum Johannem vivere, atque in illo sepulcro ejus quod est apud Ephesum, dormire eum potiùs quàm mortuum jacere contendat. Assumat in argumentum, quòd illic terra sensim scatere, & quasi ebullire perhibetur; atque hoc ejus anhelitu fieri, sive constanter sive pertinaciter asseveret. Non enim possunt deesse qui credant, si non desunt qui etiam Moysen asserant vi-
Deut. 34. 6. vere; quia scriptum est ejus sepulcrum non inveni-
Matth. 17. 3. ri, & apparuit cum Domino in monte, ubi & Elias
4. Reg. 2. 11. fuit, quem mortuum legimus non esse, sed raptum. Quasi Moysi corpus non potuerit alicubi sic abscondi, ut prorsus homines lateret ubi esset, atque inde ad horam divinitus excitari, quando cum Christo Elias & ipse sunt visi: sicut ad horam multa sanctorum corpora surrexerunt, quando passus
Matth. 27. 52. & 53. est Christus, & post ejus resurrectionem apparuerunt multis in sancta, sicut scriptum est, civitate. Sed tamen, ut dicere cœperam, si quidam Moysen mortuum negant, quem Scriptura ipsa, ubi sepulcrum ejus nusquam inveniri legimus, mortuum tamen esse sine ulla ambiguitate testatur: quantò magis Johannes ex istorum occasione verborum ubi Dominus ait, *Sic eum volo manere donec venio*, creditur vivus dormire sub terra? Quem tradunt etiam (quod in quibusdam Scripturis quamvis apocryphis reperitur) quando sibi fieri jussit sepulcrum, incolumem fuisse præsentem; eoque effosso & diligentissimè præparato, ibi se tamquam in lectulo collocasse, statimque eum esse defunctum: ut autem isti putant, qui hæc verba Domini sic intelligunt, non defunctum, sed defuncto similem cubuisse; & cùm mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem; & donec Christus veniat sic manere, suamque vitam scaturigine pulveris indicare: qui pulvis creditur, ut ab imo ad superficiem tumuli adscendat, flatu quiescentis impelli. Huic opinioni supervacaneum existimo relúctari. Viderint enim qui locum sciunt, utrùm hoc ibi faciat vel patiatur terra quod dicitur: quia & re vera non à levibus hominibus id audivimus.

3. Interim cedamus opinioni, quam certis documentis refellere non valemus, ne rursus aliud quod à nobis quæratur exsurgat, Cur super humatum mortuum ipsa humus quodammodo vivere ac spirare videatur. Sed numquid hinc tanta ista solvitur quæstio, si magno miraculo, qualia potest facere omnipotens, tamdiu vivum corpus in sopore sub terra est, donec veniat terminus sæculi? Quin immo fit amplior & difficilior, cur discipulo Jesus, quem diligebat præ ceteris, in tantum ut super pectus ejus discumbere mereretur, pro magno munere longum in corpore donaverit somnum: cùm beatum Petrum per ingentem martyrii gloriam, ab onere ipsius corporis solverit, eique concesserit quod apostolus Paulus se concupisse dixit, & scripsit, Dissolvi & esse cum Christo. Si autem quod *Philip. 1. 23.* magis creditur, ideo sanctus Johannes ait, non dixisse Dominum, *Non moritur*, ne illis verbis quæ dixit, hoc voluisse intelligi putaretur; corpusque ejus in sepulcro ejus exanime sicut aliorum mortuorum jacet: restat ut si verè ibi fit quod sparsit fama de terra, quæ subinde ablata succrescit, aut ideo fiat ut eo modo commendetur pretiosa mors ejus, quoniam non eam commendat martyrium, (non enim eum pro fide Christi persecutor occidit,) aut propter aliquid aliud quod nos latet. Manet tamen quæstio cur dixerit Dominus de homine morituro, *Sic eum volo manere donec veniam.*

4. Illud etiam in his duobus apostolis Petro & Johanne quem non moveat ad quærendum, cur Johannem plus dilexerit Dominus, cùm ipsum Dominum plus dilexerit Petrus? Ubicumque enim se commemorat Johannes, ut nomine suo tacito ipse possit intelligi, hoc addit quòd eum diligebat Jesus, quasi solum diligeret, ut hoc signo discerneretur à ceteris, quos utique omnes diligebat: quid ergo nisi ampliùs se dilectum, cùm hoc diceret, volebat intelligi? quod absit ut mendaciter diceret. Quod autem majus dare potuit Jesus majoris erga eum suæ dilectionis indicium, quàm ut homo cum ceteris condiscipulis suis socius tantæ salutis, solus tamen discubuerit super pectus ipsius Salvatoris? Porrò quòd apostolus Petrus plus aliis dilexit Christum, possunt quidem documenta multa proferri: sed ut longè in alia non eamus, ipsius tertiæ manifestationis Domini paulò superiore lectione, quæ istam præcedit, satis evidenter apparet, ubi interrogans eum, dixit, Diligis me plus his? Quod *Johan. 21.* utique sciebat, & tamen interrogabat, ut etiam *15.*

nos qui legimus Evangelium, amorem Petri erga Dominum, & illo interrogante & isto respondente nossemus. Quòd autem in eo quod respondit Petrus, Amo te, non addidit, plus his, hoc respondit quod de seipso sciebat. Non enim quantum ab alio quolibet diligeretur scire poterat, qui cor alterius videre non poterat. Sed tamen superioribus verbis dicendo, Etiam Domine, tu scis, satis & ipse
Johan. 21. 16. declaravit, scientem Dominum interrogasse quod interrogavit. Sciebat igitur Dominus, non solùm quòd diligeret, verùm etiam quòd plus illis eum diligeret Petrus. Et tamen si proponamus quærentes, quis duorum sit melior, utrùm qui plus, an qui minùs diligit Christum; quis dubitabit respondere, eum qui plus diligit esse meliorem? Item si proponamus quis duorum sit melior, utrùm quem minùs, an quem plus diligit Christus; eum qui plus diligitur à Christo, meliorem procul dubio respondebimus. In illa ergo comparatione quam priùs posuit Petrus Johanni; in hac verò altera, Johannes anteponitur Petro. Proinde tertiam sic proponimus: Quis est duorum discipulorum melior, qui minùs quàm condiscipulus ejus diligit Christum, & plus quàm condiscipulus ejus diligitur à Christo; an ille quem minùs quàm condiscipulum ejus diligit Christus, cùm plus ipse quàm suus condiscipulus diligat Christum? Hîc planè cunctatur responsio, & augetur quæstio. Quantum autem ipse sapio, meliorem qui plus diligit Christum, feliciorem verò quem plus diligit Christus, facilè responderem; si justitiam Liberatoris nostri minùs eum diligentis à quo plus diligitur, & eum plus à quo minùs diligitur, quemadmodum defenderem, perviderem.

5. Aggrediar igitur in ejus manifesta misericordia, cujus est occulta justitia, de solvenda quæstione tam ingenti, pro viribus quas ipse donaverit, disputare: huc usque enim proposita est, non exposita. Exponendæ verò ejus hoc sit exordium; ut me-
Sap. 9. 15. minerimus in hoc corruptibili corpore quod aggravat animam, vitam nos miseram vivere. Sed qui jam redemti per mediatorem sumus, & Spiritum-
Rom. 8. 24. & 25. sanctum pignus accepimus, beatam vitam in spe habemus, etsi re ipsa nondum tenemus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. In malis autem quæ quisque patitur, non in bonis quibus fruitur, opus est patientiâ. Hanc itaque vitam de qua
Iob 7. 1. scriptum est, Numquid non tentatio est vita humana super terram? in qua quotidie clamamus ad
Matth. 6. 13. Dominum, Libera nos à malo, cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis: quamvis ut in eam veniret misericordiam, primùm fuerit caussa peccatum. Productior est enim pœna quàm culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, & quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa, Hæc est istorum dierum, quos in hac mortalitate agimus malos, quamvis in ea diligamus videre dies bonos, flenda quidem, sed non reprehendenda conditio. Venit enim de ira Dei justa, de qua Scriptura lo-
Iob 14. 1. quens, Homo, inquit, natus ex muliere, brevis vitæ, & plenus iræ: cùm ira Dei non sit ut hominis, id est perturbatio concitati animi, sed tranquilla justi supplicii constitutio. In hac ira sua Deus non continens, sicut scriptum est, miserationes *Psal. 76. 10.* suas, præter alia solatia miserorum quæ generi humano præbere non cessat, in plenitudine temporis, quo ipse sciebat hoc esse faciendum, misit Filium suum unigenitum, per quem creavit universa, ut manens Deus fieret homo, & esset mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: in quem *1. Tim. 2. 5.* credentes per lavacrum regenerationis soluto reatu omnium peccatorum, & originalis videlicet quod generatio trahit, contra quam maximè regenera-
B tio est instituta, & ceterorum quæ malè agendo contracta sunt, liberarentur à damnatione perpetua, & viverent in fide & spe & caritate, peregrinantes in hoc sæculo, atque in ejus tentationibus laboriosis & periculosis, consolationibus autem Dei & corporalibus & spiritalibus ambularent ad conspectum ejus, viam tenentes, quod eis factus est Christus. Et quia in ipso quoque ambulantes non sunt sine peccatis, quæ de hujus vitæ infirmitate subrepunt, dedit cleemosynarum remedia
C salutaria, quibus eorum adjuvaretur oratio, ubi eos dicere docuit, Dimitte nobis debita nostra, *Matth. 6. 12.* sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa: cujus Ecclesiæ Petrus apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, naturâ unus homo erat, gratiâ unus Christianus, abundantiore gratiâ unus idemque primus Apostolus: sed quando ei dictum est, Tibi dabo claves re- *Matth. 16.*
D gni cælorum, & quodcumque ligaveris super ter- *19.* ram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis, univer- " sam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diversis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra; sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus, Super
E hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Christus Filius Dei vivi. Super *Ibidem 17.* hanc ergo, inquit, petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam, Petra enim erat Chri- *1 Cor. 10. 4.* stus; super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo *1. Cor. 3. 11.* potest ponere præter id quod positum est, quod est, Christus Jesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi solvendique peccata. Quod est enim per proprietatem in Christo
F Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra; qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia quam significabat Petrus, quamdiu degit in malis, amando & sequendo Christum liberatur à malis. Magis autem sequitur in eis qui certant pro veritate usque ad mortem. Sed universitati dicitur, *Sequere me*, pro qua universitate passus est Christus: de quo dicit idem Petrus, Christus pro nobis passus est, relin- *1. Petr. 2. 21.*
G quens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Ecce propter quod ei dictum est, *Sequere me.* Est autem alia vita immortalis, quæ non est in malis: ibi faciè ad faciem videbimus, quod hîc per specu- *1. Cor. 13.* lum & in ænigmate videtur, quando multùm in *12.* conspicienda veritate proficitur. Duas itaque vitas sibi divinitus prædicatas & commendatas novit Ecclesia, quarum est una in fide, altera in spe.

cie ; una in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis ; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria ; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis ; una declinat à malo & facit bonum, altera nullum habet à quo declinet malum, & magnum habet quo fruatur bonum ; una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat ; una fortis est in adversis, altera nihil sentit adversi ; una carnales libidines frenat, altera spiritalibus delectationibus vacat ; una est vincendi curâ sollicita, altera victoriæ pace secura ; una in tentationibus adjuvatur, altera sine ulla tentatione in ipso adjutore lætatur ; una subvenit indigenti, altera ibi est ubi nullum invenit indigentem; una aliena peccata ut sua sibi ignoscantur ignoscit, altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci ; una flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, ut sine ulla tentatione superbiæ cohæreat summo bono ; una bona & mala discernit, altera quæ sola bona sunt cernit : ergo una bona est, sed adhuc misera ; altera melior & beata. Ista significata est per apostolum Petrum, illa per Johannem. Tota hîc agitur ista usque in hujus sæculi finem, & illic invenit finem : differtur illa complenda post hujus sæculi finem, sed in futuro sæculo non habet finem. Ideo dicitur huic, *Sequere me*: de illo autem, *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere.* Quid enim est hoc? Quantum sapio, quantum capio, quid est hoc, nisi, Tu me sequere per imitationem perferendi temporalia mala, ille maneat donec sempiterna venio redditurus bona ? Quod apertiùs ita dici potest, Perfecta me sequatur actio, informata meæ passionis exemplo ; inchoata verò contemplatio maneat donec venio, perficienda cùm venero. Sequitur enim Christum, perveniens usque ad mortem pia plenitudo patientiæ : manet autem donec veniat Christus, tunc manifestanda plenitudo scientiæ. Hîc quippe tolerantur mala hujus mundi in terra morientium, ibi videbuntur bona Domini in terra viventium. Quod enim ait, *Volo eum manere donec veniam*, non sic intelligendum est quasi dixerit, remanere vel permanere ; sed, exspectare : quoniam quod per eum significatur, non utique nunc, sed cùm venerit Christus, implebitur. Quod autem per hunc significatur, cui dictum est, *Tu me sequere*, nisi nunc agatur, non pervenietur ad illud quod exspectatur. In hac autem activa vita quantò magis Christum diligimus, tantò facilius liberamur à malo. At ipse nos minùs diligit quales nunc sumus : & hinc ideo liberat, ne semper tales simus. Ibi verò amplius nos diligit ; quoniam quod ei displiceat, & quod à nobis auferat, non habebimus : nec ob aliud nos hîc diligit, nisi ut sanet & transferat ab his quæ non diligit. Hîc ergo minùs, ubi non vult remaneamus: ibi ampliùs, quò vult transeamus, & unde non vult pereamus. Amet ergo eum Petrus, ut ab ista mortalitate liberemur : ametur ab eo Johannes, ut in illa immortalitate servemur.

6. Sed ista ratione illud ostenditur, cur ampliùs Johannem quàm Petrum amaverit Christus, non cur ampliùs Petrus quàm Johannes amaverit Christum. Neque enim si plus nos diligit Christus in futuro sæculo, ubi cum illo sine fine vivemus, quàm in isto unde eruimur, ut illic semper simus, propterea nos tunc eum minùs dilecturi sumus quando meliores erimus ; cùm meliores utique nisi ampliùs eum diligendo, nullo modo esse possimus. Cur ergo Johannes minùs eum diligebat quàm Petrus, si eam vitam significabat, in qua est multò ampliùs diligendus, nisi quia propterea dictum est, *Volo eum manere*, id est, exspectare *donec venio*, quoniam & ipsum amorem qui tunc multò amplior erit, nondum habemus, sed futurum exspectamus, ut cùm ipse venerit, habeamus ? Nam sicut in Epistola sua idem dicit Apostolus, Nondum apparuit quod erimus, scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Tunc ergo ampliùs quod videbimus, diligemus. Ipse autem Dominus illam quæ futura est vitam nostram, qualis in nobis futura sit sciens, prædestinatione plus amat, ut ad eam nos amando perducat. Quocirca quoniam universæ viæ Domini misericordia & veritas, miseriam nostram præsentem novimus, quia sentimus, & ideo misericordiam Domini, quam nobis de miseria liberandis exhiberi volumus, plus amamus, eamque quotidie maximè pro peccatorum remissione poscimus & habemus : hoc per Petrum significatum est plus amantem, sed minùs amatum ; quia minùs nos amat Christus miseros quàm beatos. Veritatis autem contemplationem qualis tunc futura est, minùs amamus, quia nondum novimus nec habemus : hæc per Johannem significata est minùs amantem, atque ideo & ad ipsam, & ad ejus in nobis amorem, qualis ei debetur, implendum, donec veniat Dominus exspectantem ; sed plus amatum, quia id quod per illum figuratum est, hoc efficit beatum.

7. Nemo tamen istos insignes Apostolos separet. Et in eo quod significabat Petrus, ambo erant: & in eo quod significabat Johannes, ambo futuri erant. Significando sequebatur iste, manebat ille: credendo autem ambo mala præsentia hujus miseriæ tolerabant, ambo futura bona illius beatitudinis exspectabant. Nec ipsi soli, sed universa hoc facit sancta Ecclesia sponsa Christi, ab istis tentationibus eruenda, in illa felicitate servanda. Quas duas vitas Petrus & Johannes figuraverunt, singuli singulas : verùm & in hac temporaliter ambulaverunt ambo per fidem, & illâ in æternum fruentur ambo per speciem. Omnibus igitur sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter hujus vitæ procellosissimæ gubernaculum, ad ligan-
da & solvenda peccata claves regni cælorum primus Apostolorum Petrus accepit : eisdemque omnibus sanctis propter vitæ illius secretissimæ quietissimum sinum, super pectus Christi Johannes Evangelista discubuit. Quoniam nec iste solus, sed universa Ecclesia ligat solvitque peccata : nec ille in principio Verbum Deum apud Deum, & cetera de Christi divinitate, & de totius divinitatis Trinitate atque unitate sublimia, quæ in illo regno facie ad faciem contemplanda, nunc autem donec veniat Dominus, in speculo atque in ænigmate contuenda sunt, quæ prædicando ructaret, de fonte Dominici pectoris solus bibit ; sed ipse Dominus ipsum Evangelium pro sua cujusque capacitate omnibus suis bibendum toto terrarum orbe diffudit. Sunt qui sentirent, * & hi quidem non contemtibiles sacri eloquii tractatores, à Christo Johannem apostolum propterea plus amatum, quòd neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Hoc quidem in Scripturis canonicis non evidenter apparet : verumtamen id quoque multùm adjuvat congruentiam hujusce sententiæ, quòd illa vita per eum significata est, ubi non erunt nuptiæ.

1. Johan. 3. 2.

Matth. 16. 19.

Johan. 21. 12.

* Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum.

8. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc ; & scimus quia verum est testimonium ejus.* * *Sunt autem*, inquit, *& alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros.* Non spatio locorum, credendum est mundum capere non posse, quæ in eo scribi quomodo possent, si scripta non ferret ? Sed capacitate legentium comprehendi fortasse non possent: quamvis salva rerum fide, plerumque verba excedere videantur fidem. Quod non fit quando aliquid quod erat obscurum vel dubium, caussâ & ratione redditâ exponitur : sed quando id quod apertum est vel augetur, vel extenuatur, nec tamen à tramite significandæ veritatis erratur : quoniam sic verba rem quæ indicatur excedunt, ut voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui novit quò usque credatur, à quo ultra quàm credendum est vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur. Hunc loquendi modum Græco nomine, non solùm Græcarum, verùm etiam Latinarum litterarum magistri Hyperbolen vocant. Qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis divinis litteris invenitur : ut est, Posuerunt in cælum os suum : &, Verticem capilli perambulantium in delictis suis : & multa hujusmodi, quæ Scripturis sanctis non desunt, sicut alii tropi, hoc est locutionum modi. De quibus operosiùs disputarem, nisi Evangelista terminante Evangelium suum, etiam ipse compellerer meum terminare sermonem.

1. Johan. 21. v. 24. v. 25.

Hyperbolé in divinis litteris. Psal. 72. 9. Psal. 67. 22.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
IN EPISTOLAM
JOHANNIS AD PARTHOS
TRACTATUS DECEM. *

* Scripti circiter Christianum 416.

PROLOGVS.

MEMINIT Sanctitas Vestra Evangelium secundùm Johannem ex ordine lectionum nos solere tractare : sed quia nunc interposita est sollemnitas sanctorum dierum, quibus [a] certas ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint ; ordo ille quem susceperamus, necessitate paululùm intermissus est, non amissus. Cùm autem cogitarem quid secundùm hilaritatem præsentium dierum per hanc hebdomadam vobiscum de Scripturis agerem, quantum Dominus donare dignatur, quod posset in istis septem vel octo diebus finiri, occurrit mihi Epistola beati Johannis : ut cujus Evangelium paululùm intermisimus, ejus Epistolam tractando ab eo non recedamus : præsertim quia in ipsa Epistola satis dulci omnibus, quibus sanum est palatum cordis ubi sapiat panis Dei, & satis memorabili in sancta Ecclesia Dei, maximè Caritas commendatur. Locutus est multa, & propè omnia de Caritate. Qui habet in se unde audiat, necesse est gaudeat ad quod audit. Sic enim illi erit lectio ista, tamquam oleum in flamma ; si est ibi quod nutriatur, nutritur, & crescit, & permanet. Item quibusdam sic esse debet, tamquam flamma ad fomitem ; ut si non ardebat, accedente sermone accendatur. In quibusdam enim nutritur quod est, in quibusdam accenditur si deest : ut omnes in una caritate gaudeamus. Ubi autem caritas, ibi pax : & ubi humilitas, ibi caritas. Jam ipsum audiamus ; & ad ejus verba, quæ Dominus suggerit, etiam vobis ut bene intelligatis, loquamur.

[a] Id nempe etiam in Sermone 144. & 146. de Tempore testatur usu receptum fuisse, ut Paschali sollemnitate *per septem vel octo dies* historia Dominicæ resurrectionis recitaretur *secundùm omnes Evangelistas* : nec eodem semper ordine ; sed ita ut Lucæ Marcus nonnumquam postponeretur. Et verò Tractatus hîc secundus, quem *secunda feria Paschæ* adsignat vetustissimus codex Theodericensis, ex ipsius initio intelligitur habitus ea die, qua Lucas de illa duobus discipulis Emmaüs euntibus Christi apparitione lectus fuerat. Pascha autem in 2. Aprilis incidebat anno illo 416. cui non temere adscribas hosce Tractatus : quippe quos cœpta jàm antè in Johannis Evangelium Tractatione, eademque paulisper intermissâ, pronuntiatos à se dicit Augustinus in Prologo. De his nulla mentio in Retractationum opere, quò nimirum soleò ex opusculis suis libros recensuit, sperans aliud à se edendum opus *in Epistolas & Tractatus populares* ; uti ad Quodvultdeum Epist 124. scribit. At in Possidii Indiculo c. 9. notantur his verbis, *De Epistola Johannis ad Parthos Sermones decem.* In omnibus MSS tribuuntur Augustino, sed in paucioribus *Tractatus* ; in aliis *Sermones*, aut *Homilia* inscribuntur, addito in nonnullis titulo *De Caritate.* In MSS. denique Prologus pars est primi Tractatus, nec ab ipso notâ ullâ vel tituli, ut in Excusis, interpositione disjungitur.

TRACTATUS I.

De eo quod Johannes scribit, Quod erat ab initio, quod audivimus, & quod vidimus, &c. *usque ad id*, Quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus.

1. Johan. 1. 1.

QUOD *erat ab initio, quod audivimus, & quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ.* Quis est qui manibus tractat Verbum, nisi quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis ? Hoc autem Verbum quod caro factum est, ut manibus tractaretur, cœpit esse caro ex virgine Maria : sed non tunc cœpit Verbum, quia *quod erat ab initio* dixit. Videte si non adtestatur Epistola sua Evangelio suo, ubi modò audistis, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Fortè de Verbo vitæ sic quisque accipiat quasi locutionem quamdam

Johan. 1. 14. Ibidem 1.

de Christo, non ipsum corpus Christi quod manibus tractatum est. Videte quid sequatur : *Et ipsa vita manifestata est.* 1. Iohan. 1. 2. Christus ergo Verbum vitæ. Et unde manifestata est ? Erat enim ab initio ; sed non erat manifestata hominibus : manifestata autem erat Angelis videntibus , & tamquam pane suo cibantibus. Sed quid ait Scriptura? Panem Angelorum manducavit homo. Ergo manifestata est ipsa vita in carne : quia in manifestatione posita est, ut res quæ solo corde videri potest , videretur & oculis , ut corda sanaret. Solo enim corde videtur Verbum : caro autem & oculis corporalibus videtur. Erat unde videremus carnem , sed non erat unde videremus Verbum : factum est Verbum caro, quam videre possemus , ut sanaretur in nobis unde Verbum videremus. Psalm. 77. 25.

1. Iohan. 1. 2. 2. *Et vidimus , & testes sumus.* Fortè aliqui fratrum nesciunt, qui Græcè non norunt , quid sint *testes* Græcè : & usitatum nomen est omnibus & religiosum : quos enim testes Latinè dicimus, Græcè martyres sunt. Quis autem non audivit martyres , aut in cujus Christiani ore non quotidie habitat nomen martyrum? Atque utinam sic habitet & in corde , ut passiones martyrum imitemur, non eos calcibus persequamur. Ergo hoc dixit , *Vidimus , & testes sumus* : Vidimus, & martyres sumus. Testimonium enim dicendo ex eo quod viderunt, & testimonium dicendo ex eo quod audierunt ab his qui viderunt , cùm displiceret ipsum testimonium hominibus adversùs quos dicebatur , passi sunt omnia quæ passi sunt martyres. Testes Dei sunt Martyres. Deus testes habere voluit homines, ut & homines habeant testem Deum. *Vidimus*, inquit, *& testes sumus.* Ubi viderunt ? in manifestatione. Quid est , in manifestatione ? in sole , id est, in hac luce. Unde autem potuit videri in sole qui fecit solem , nisi quia in sole posuit tabernaculum suum , & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo , exsultavit ut gigas ad currendam viam ? Ille ante solem qui fecit solem , ille ante luciferum , ante omnia sidera , ante omnes Angelos, verus creator , (quia omnia per ipsum facta sunt , & sine ipso factum est nihil ,) ut videretur oculis carneis qui solem vident , ipsum tabernaculum suum in sole posuit , id est carnem suam in manifestatione hujus lucis ostendit : & illius sponsi thalamus fuit uterus virginis , quia in illo utero virginali conjuncti sunt duo , sponsus & sponsa , sponsus Verbum & sponsa caro ; quia scriptum est, Et erunt duo in carne una : & Dominus dicit in Evangelio , Igitur jam non duo , sed una caro. Et Isaias optimè meminit unum esse ipsos duos , loquitur enim ex persona Christi, & dicit , Sicut sponso imposuit mihi mitram , & sicut sponsam ornavit me ornamento. Unus videtur loqui, & sponsum se fecit & sponsam se fecit ; quia non duo , sed una caro : quia Verbum caro factum est , & habitavit in nobis. Illi carni adjungitur Ecclesia , & fit Christus totus , caput & corpus. Psal. 18. 6. Johan. 1. 3. Gen. 2. 24. Matth. 19. 6. Isaiæ 61 10.

1. Iohan 1. 2. 3. *Et testes* , inquit , *sumus ; & annuntiamus vobis vitam æternam , quæ erat apud Patrem , & manifestata est in nobis* : hoc est , manifestata est inter nos : quod apertiùs diceretur, manifestata est nobis. *Quæ* ergo *vidimus & audivimus , nuntiamus vobis.* Intendat Caritas Vestra : *Quæ* ergo *vidimus & audivimus , nuntiamus vobis.* Illi viderunt ipsum Dominum præsentem in carne , & audierunt verba ex ore Domini , & annuntiaverunt nobis. Et nos ergo audivimus , sed non vidimus. Minùs ergo sumus felices quàm illi qui viderunt & audierunt? Et quomodo adjungit , *Ut & vos societatem habeatis nobiscum ?* Illi viderunt , nos non vidimus , & tamen socii sumus ; quia fidem communem tenemus. Nam & quidam videndo non credidit , & palpare voluit , & sic credere , & ait , Non credam nisi digitos meos misero in locum clavorum , & cicatrices ejus tetigero. Et præbuit se ex tempore palpandum manibus hominum , qui semper se præbet videndum adspectibus Angelorum : & palpavit ille discipulus & exclamavit , Dominus meus & Deus meus. Quia tetigit hominem , confessus est Deum. Et Dominus consolans nos qui ipsum jam in cælo sedentem manu contrectare non possumus, sed fide contingere , ait illi , Quia vidisti , credidisti; beati qui non vident & credunt. Nos descripti sumus , nos designati sumus. Fiat ergo in nobis beatitudo , quam Dominus prædixit futuram : firmè teneamus quod non videmus ; quia illi nuntiant qui viderunt. *Ut & vos*, inquit, *societatem habeatis nobiscum.* Et quid magnum societatem habere cum hominibus ? Noli contemnere : vide quid addat : *Et societas nostra sit cum Deo Patre , & Iesu Christo Filio ejus.* Et hæc* , inquit , *scribimus vobis , ut gaudium vestrum sit plenum.* Plenum gaudium dicit in ipsa societate , in ipsa caritate , in ipsa unitate. *Ibidem.* 1. Iohan. 1. 3. v. 4.

4. *Et hæc est annuntiatio quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis.* Quid est hoc ? Ipsi viderunt, contrectaverunt manibus Verbum vitæ : ab initio erat , ad tempus visibilis & palpabilis factus est unicus Filius Dei. Ad quam rem venit , vel quid nobis novum nuntiavit ? Quid docere voluit ? Quare fecit hoc quod fecit , ut Verbum caro fieret , ut Deus super omnia indigna ab hominibus pateretur , ut alapas eorum sustineret de manibus quas ipse formavit ? Quid voluit docere ? quid voluit ostendere ? quid voluit annuntiare ? Audiamus : nam sine fructu præcepti, auditio rei gestæ, quia natus est Christus , & quia passus est Christus , avocamentum mentis est , non firmamentum. Quid magnum audis ? quo fructu audis , vide. Quid voluit docere ? quid annuntiare ? Audi : *Quia Deus lux est* , inquit, *& tenebræ in eo non sunt ullæ.* Adhuc lucem quidem nominavit , sed obscura sunt verba : bonum est nobis ut ipsa lux quam nominavit , illustret corda nostra , & videamus quid dixit. Hoc est quod annuntiamus , *quia Deus lux est , & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Quis enim auderet dicere , quia in Deo sunt tenebræ ? Aut quid est ipsa lux ? aut quid sunt tenebræ ? ne fortè talia dicat , quæ ad oculos istos nostros pertineant. *Deus lux est* : ait nescio quis , Et sol lux est , & luna lux est , & lucerna lux est. Aliquid debet esse longè his majus, longè præstantius , longéque supereminentius. Quantum Deus à creatura , quantum conditor à conditione, quantum sapientia ab eo quod factum est per sapientiam , longè ultra omnia debet esse lux ista. Et fortè vicini ei erimus , si quæ sit lux ista cognoverimus , & ad eam nos applicaverimus , ut ex ipsa illuminemur : quia in nobis tenebræ sumus , & ab illa illuminati possumus esse lux , & non confundi de illa , quia de nobis confundimur. Quis est qui de se confunditur ? qui se cognoscit peccatorem. Quis de illa non confunditur ? qui ab illa illuminatur. Quid est ab illa illuminari ? qui jam videt se peccatis tenebrari , & cupit ab illa illuminari , accedit ad il- 1. Iohan. 1. 3. v. 5.

lam : unde dicit Psalmus , Accedite ad eum & illuminamini , & vultus vestri non erubescent. Sed non erubescés de illa , si, quando tibi te fœdum ostenderit , displiceat tibi fœditas tua , ut percipias pulcritudinem illius. Hoc est quod vult docere. Psal. 33. 6.

5. Et fortasse præproperè illud nos dicimus? Ipse hoc manifestet in consequentibus. Mementote in principio sermonis nostri , quia Epistola ista caritatem commendat , *Deus lux est* , inquit , *& tenebræ in eo non sunt ullæ.* Et quid superiùs dixerat ? *Ut societatem habeatis nobiscum , & societas nostra sit cum Deo Patre & Filio ejus Iesu Christo.* Porrò si Deus lux est , & tenebræ in eo non sunt ullæ , & societatem cum illo habere debemus , & à nobis pellendæ sunt tenebræ , ut fiat in nobis lux : nam tenebræ cum luce societatem habere non possunt : ideo vide quid sequatur : *Quòd si dixerimus quia societatem habemus cum eo , & in tenebris ambulamus ; mentimur.* Habes & apostolum Paulum dicentem , Aut quæ societas luci ad tenebras ? Dicis te societatem habere cum Deo , & in tenebris ambulas ; & *Deus lux est , & tenebræ in eo non sunt ullæ* : quomodo ergo est societas luci & tenebris? Jam ergo dicat sibi homo , Quid faciam ? unde erò lux ? In peccatis & in iniquitatibus vivo. Quasi subrepit quædam desperatio & tristitia. Salus nulla est , nisi in societate Dei. *Deus lux est , & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Peccata autem tenebræ sunt , sicut dicit Apostolus diabolum & angelos ejus rectores tenebrarum harum esse. Non diceret rectores tenebrarum, nisi rectores peccatorum, dominatores iniquorum. Quid ergo facimus , Fratres mei ? Societas cum Deo habenda est , alia spes vitæ æternæ nulla est: *Deus* autem *lux est , & tenebræ in eo sunt nullæ* : iniquitates autem tenebræ sunt ; inquitatibus premimur , ne societatem cum Deo habere possimus: quæ ergo spes ? Nonne promiseram me aliquid locuturum istis diebus quod gaudium faciat ? Quòd si non exhibeo , tristitia est ista. *Deus lux est , & tenebræ in eo non sunt ullæ* : peccata tenebræ sunt: quid erit nobis ? Audiamus ne fortè consoletur , erigat , det spem , ne deficiamus in via. Currimus enim , & ad patriam currimus : & si nos perventuros desperamus , ipsa desperatione deficimus. Ille autem qui nos vult pervenire , ut conservet in patria, pascit in via. Audiamus ergo: *Quòd si dixerimus quia societatem habemus cum eo , & in tenebris ambulamus ; mentimur , & non facimus veritatem.* Non dicamus quia societatem cum illo habemus , si in tenebris ambulamus. *Quòd si in lumine ambulamus, sicut & ipse est in lumine ; societatem habemus cum invicem.* In lumine ambulemus , sicut & ipse est in lumine , ut possimus societatem habere cum illo. Et quid facimus de peccatis ? Audi quid sequitur : *Et sanguis Iesu Christi Filii ejus purgabit nos ab omni delicto.* Magnam securitatem dedit Deus. Meritò Pascha celebramus, ubi fusus est sanguis Domini , quo purgamur ab omni delicto. Simus securi : cautionem contra nos servitutis diabolus tenebat , sed sanguine Christi deleta est. *Sanguis* , inquit , *Filii ejus purgabit nos ab omni delicto.* Quid est *ab omni delicto* ? Adtendite : Ecce jam in nomine Christi per sanguinem ejus , quem nunc confessi sunt isti qui appellantur infantes , mundata sunt omnia peccata ipsorum. Veteres intraverunt , novi exierunt. Quid est, Veteres intraverunt , novi exierunt ? Senes intraverunt , infantes exierunt. Senectus enim veternosa , vetusta vita : infantia autem regenerationis, nova vita. Sed quid facimus ? Præterita peccata donata sunt , non tantùm ipsis , sed & nobis ; & post donationem & abolitionem omnium peccatorum vivendo in hoc sæculo inter tentationes , quædam fortè contracta sunt. Ideo quod potest homo faciat: ipse confiteatur quod est, ut ab illo curetur qui semper est quod est : ipse enim semper erat & est , nos non eramus & sumus. Ephes. 6. 12. 1. Iohan. 1. 5. v. 3. 2. Cor. 6. 14. Infantes appellantur recèns baptizati.

6. Vide enim quid dicat : *Quòd si dixerimus quia peccatum non habemus ; nosmetipsos seducimus , & veritas in nobis non est.* Ergo si te confessus fueris peccatorem , est in te veritas : nam ipsa veritas lux est. Nondum perfectè splenduit vita tua , quia insunt peccata : sed tamen jam illuminari cœpisti , quia inest confessio peccatorum. Vide enim quid sequatur : *Quòd si confessi fuerimus delicta nostra ; fidelis est & justus , ut dimittat nobis delicta nostra , & purget nos ex omni iniquitate.* Non tantùm præterita, sed & si qua fortè contraximus ex hac vita : quia non potest homo quamdiu carnem portat , nisi habere vel levia peccata. Sed ista levia quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis , quando appendis; expavesce , quando numeras. Levia multa faciunt unum grande ; multæ guttæ implent flumen : multa grana faciunt massam. Et quæ spes est? Ante omnia confessio: ne quisquam se justum putet, & ante oculos Dei qui videt quod est , erigat cervicem homo qui non erat & est. Ante omnia ergo confessio , deinde dilectio : quia de caritate quid dictum est ? Caritas cooperit multitudinem peccatorum. Jam videamus si ipsam caritatem commendat , propter subrepentia delicta : quia sola caritas exstinguit delicta. Superbia exstinguit caritatem : humilitas ergo roborat caritatem : caritas exstinguit delicta. Humilitas pertinet ad confessionem , qua confitemur nos peccatores esse : ipsa est humilitas , non ut dicamus illud linguâ ; quasi propter arrogantiam, ne displiceamus hominibus , si nos justos esse dixerimus. Faciunt hoc impii & insani : Scio quidem quia justus sum , sed quid dicturus sum ante homines ? si me justum dixero , quis ferat , quis toleret ? apud Deum nota sit justitia mea : ego tamen dicam me peccatorem ; non quia sum , sed ne arrogantiâ odiosus inveniar. Dic hominibus quod es , dic Deo quod es. Quia si non dixeris Deo quod es , damnat Deus quod in te inveniet. Non vis ut ille damnet? tu damna. Vis ut ille ignoscat ? tu agnosce , ut possis Deo dicere , Averte faciem tuam à peccatis meis. Dic illi etiam illa verba in ipso Psalmo , Quoniam iniquitatem meam ego agnosco. * *Quòd si confessi fuerimus delicta nostra ; fidelis est & justus , qui dimittat nobis delicta nostra , & purget nos ex omni iniquitate,* * *Quòd si dixerimus quia non peccavimus ; mendacem facimus eum , & verbum ejus non est in nobis.* Si dixeris , Non peccavi ; illum facis mendacem , cùm te vis facere veracem. Unde fieri potest ut Deus mendax sit , & homo verax ; cùm contradicat Scriptura , Omnis homo mendax , Deus solus verax? Ergo Deus per seipsum verax , tu per Deum verax; nam per te mendax. v. 8. 1. Iohan. 1. 8. Psal. 50. 11. Ibidem 5. 1. Iohan. 1. v. 9. v. 10. Rom. 3. 4. Psal. 115. 11.

7. Et ne fortè impunitatem videretur dedisse peccatis , quia dixit , *Fidelis est & justus , qui mundet nos ab omni iniquitate* : & dicerent jam sibi homines , Peccemus, securi faciamus quod volumus, purgat nos Christus , fidelis est & justus , purgat nos ab omni iniquitate ; tollit tibi malam securitatem , & inserit utilem timorem. Malè vis esse securus , sollicitus esto, Fidelis enim est & justus , ut di-

mittat nobis delicta nostra, si semper tibi displiceas, A & muteris donec perficiaris. Ideo quid sequitur ?
1 Johan. 2. 1. FILIOLI *mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis.* Sed fortè subrepit de vita humana peccatum : quid ergo fiet ? quid, jam desperatio erit ? Audi: *Et si quis,* inquit, *peccaverit, advocatum habemus ad Patrem,*
v. 2. *Jesum Christum justum :* * *& ipse propitiator est peccatorum nostrorum.* Ille est ergo advocatus : da operam tu ne pecces : si de infirmitate vitæ subrepserit peccatum, continuò vide, continuò displiceat, continuò damna ; & cùm damnaveris, securus ad B judicem venies. Ibi habes advocatum : noli timere ne perdas caussam confessionis tuæ. Si enim aliquando in hac vita committit se homo disertæ linguæ, & non perit ; committis te Verbo, & periturus es ? Clama, *Advocatum habemus ad Patrem.*

8. Videte ipsum Johannem servantem humilitatem. Certè vir justus erat & magnus, qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat : ille, ille qui bibendo de pectore Domini divinitatem ructavit, In principio erat Verbum, & Verbum erat C apud Deum : ille talis vir non dixit, Advocatum habetis apud Patrem : sed, *Si quis peccaverit, advocatum,* inquit, *habemus.* Non dixit, habetis ; nec, me habetis, dixit ; nec, ipsum Christum habetis, dixit : sed & Christum posuit, non se ; & *habemus* dixit, non habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Christum, quàm ponere se pro Christo advocatum, & inveniri inter damnandos superbos. Fratres, Jesum Christum justum, ipsum habemus advocatum ad D Patrem : ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim non fecit : hoc qui tenuit, schisma non fecit. Unde enim facta sunt schismata ? Cùm dicunt homines, Nos justi sumus : cùm di-
Contra Donatistas. cunt homines, Nos sanctificamus immundos, nos justificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Johannes autem quid dixit ? *Et si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum.* Sed dicet aliquis, Ergo sancti non petunt pro nobis ? Ergo episcopi & præpositi non petunt pro E populo ? Sed adtendite Scripturas, & videte, quia & præpositi commendant se populo. Nam Apo-
Coloss. 4. 3. stolus dicit plebi, Orantes simul & pro nobis. Orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo. Oramus pro vobis, Fratres : sed & vos orate pro nobis. Invicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet. Propterea non mirum quia sequitur hîc, & claudit ora dividentibus Ecclesiam Dei. Qui enim dixit, *Jesum Christum habemus justum, & ipse propitiatio est peccatorum nostrorum :* F
Matth. 24. 23. propter illos qui se divisuri erant, & dicturi, Ecce hîc est Christus, ecce illic ; & vellent ostendere eum in parte qui emit totum, & possidet totum ;
1. Johan. 2. 2. continuò secutus est, *Non tantùm nostrorum, sed & totius mundi.* Quid est hoc, Fratres ? Certè invenimus eam in campis saltuum, invenimus Ecclesiam
Psal. 132 6. in omnibus gentibus. Ecce Christus *propitiatio est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed & totius mundi.* Ecce habes Ecclesiam per totum mundum, noli sequi falsos justificatores, & veros [a] præ- G cisores. In illo monte esto qui implevit orbem terrarum : quia Christus *propitiatio est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed & totius mundi,* quem suo sanguine comparavit.
1 Johan. 2. 3. 9. *Et in hoc,* inquit, *cognoscimus eum, si mandata ejus servaverimus.* Quæ mandata ? *Qui dicit* v. 4. *quia cognovit eum, & mandata ejus non servat ; mendax est, & in hoc veritas non est.* Sed adhuc quæris, Quæ mandata ? *Qui autem,* inquit, *servaverit* v. 5. *verbum ejus, verè in hoc perfecta est dilectio Dei.* Videamus ne ipsum mandatum dilectio vocetur. Quærebamus enim, quæ mandata, & ait, *Qui autem servaverit verbum ejus, verè in hoc perfecta est dilectio Dei.* Adtende Evangelium, si non est hoc mandatum : Mandatum, inquit, novum do vobis, *Johan.* 13. B ut vos invicem diligatis. *In hoc cognoscimus quia in* 34. 1. Johan. 2. *ipso sumus,* [b] *si in ipso perfecti fuerimus.* Perfectos 5. in dilectione vocat. Quæ est PERFECTIO DILECTIONIS ? Et inimicos diligere, & ad hoc diligere, ut sint fratres. Non enim dilectio nostra carnalis esse debet. Optare alicui salutem temporalem, bonum est : sed & si desit, anima tuta sit. Optas alicui amico tuo vitam ? bene facis. Gaudes de morte inimici tui ? malè facis. Sed fortè & amico tuo vita illa quam optas inutilis est, & inimi- C co tuo mors de qua gaudes utilis fuit. Incertum est utrùm alicui sit utilis vita ista, an inutilis : vita verò quæ est apud Deum, sine dubio utilis est. Sic dilige inimicos tuos, ut fratres optes : sic dilige inimicos tuos, ut in societatem tuam vocentur. Sic enim dilexit ille qui in cruce pendens ait, Pater ignosce *Luce* 23.34. illis, quia nesciunt quid faciunt. Neque enim dixit, Pater, vivant isti multo tempore, me quidem occidunt, sed ipsi vivant. Sed quid ait ? Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Mortem sempiternam ab eis expellebat, prece misericordissima, & D potentiâ præstantissima. Multi ex eis crediderunt, & dimissus est eis fusus sanguis Christi. Primò fuderunt cùm sævirent, nunc biberunt cùm crederent. *In hoc cognoscimus quia in ipso sumus, si in ipso perfecti fuerimus.* De ipsa perfectione diligendorum inimicorum Dominus admonens, ait, Esto- *Matth.* 5. te ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis 48. perfectus est. *Qui* ergo *dicit se in ipso manere, debet* 1. Johan. 2. *sicut ipse ambulavit & ipse ambulare.* Quomodo, Fra- 6. tres ? Quid nos monet ? *Qui dicit se in ipso manere,* id est, in Christo, *debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare.* Fortè hoc nos monet, ut ambulemus in mari ? absit. Hoc ergo, ut ambulemus in via justitiæ. In qua via ? Jam commemoravi. Fixus in cruce erat, & in ipsa via ambulabat : ipsa est via [c] caritatis, c Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sic *Luce* 23.34. ergo, si didiceris orare pro inimico tuo, ambulas viam Domini.

10. *Dilectissimi, non mandatum novum scribo vo-* 1. Johan. 2. *bis, sed mandatum vetus quod habebatis ab initio.* 7. Quod mandatum vetus dixit ? *quod habebatis,* inquit, *ab initio.* Ideo ergo vetus, quia jam illud audistis : alioquin contrarius erit Domino, ubi ait, Mandatum novum do vobis, ut vos invicem dili- *Iohan.* 13. gatis. Sed mandatum vetus quare ? non quia ad ve- 34. terem hominem pertinet. Sed quare ? *quod habebatis ab initio. Mandatum vetus est, verbum quod audistis.* Ideo ergo vetus, quia jam audistis. Et idipsum novum ostendit dicens, *Iterum mandatum no-* 1. Johan. 2. *vum scribo vobis.* Non alterum, sed idem ipsum, 8. quod dixit vetus, idem est & novum. Quare ? *Quod est verum in ipso & in vobis.* Jam quare vetus, audistis ; quia jam illud noveratis. Quare autem novum ? *Quia tenebræ transierunt, & lux vera jam lucet.* Ecce unde novum : quia tenebræ ad veterem

[a] Editi, *præcipitatores.* MSS. verò, *præcisores.*
[b] Istud, *si in ipso perfecti fuerimus,* habetur hîc in omnibus codicibus : sed abest à sacris Bibliis.
[c] In quatuor MSS. *ipsa via est caritas.*

hominem,

hominem, lux verò ad novum pertinet. Quid dicit A
Coloss. 3. 9. apostolus Paulus ? Exuite vos veterem hominem,
Ephes. 5. 8. & induite novum. Et iterum quid dicit ? Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.
1. Johan. 2. 9. II. *Qui dicit se esse in lumine,* modò manifestat totum quod dixit : *Qui dicit se esse in lumine, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.* Eia Fratres mei, quamdiu dicemus vobis, Diligite inimicos ? Videte quod pejus est, ne adhuc fratres oderitis. Si fratres solùm amaretis, nondum essetis perfecti : si autem fratres oditis, quid estis ? ubi B estis ? Respiciat unusquisque cor suum : non teneat odium contra fratrem pro aliquo verbo duro ; pro contentione terræ, ne fiat terra. Quisquis enim odit fratrem suum, non dicat quia in lumine ambulat. Quid dixi ? non dicat quia in Christo ambulat. *Qui dicit se esse in luce, & odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc.* Nescio quis enim ex Pagano factus est Christianus : intendite : ecce in tenebris erat, quando Paganus erat ; modò jam Christianus factus est, Deo gratias, omnes gratulantur : C
Ephes 5. 8. recitatur Apostolus gratulans, Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Adorabat idola, adorat Deum : adorabat quæ fecit, adorat qui eum fecit. Mutatus est, Deo gratias, omnes gratulantur Christiani. Quare ? Quia jam adorator Patris & Filii & Spiritus-sancti, & detestator dæmoniorum & idolorum est. Adhuc de isto Johannes sollicitus est, multis gratulantibus adhuc suspectus est. Fratres, maternam sollicitudinem libenter amplectamur. Non sine caussa mater D sollicita est de nobis, cùm alii gaudent : matrem dico caritatem ; ipsa enim habitabat in corde Johannis, cùm ista diceret. Quare, nisi quia aliquid timet in nobis, & cùm jam nobis homines gratulantur ? Quid est quod timet ? *Qui dicit se esse in lumine.* Quid est hoc ? qui jam dicit se esse Christianum : *& fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.* Quod exponere non est : sed quod gaudere si non fiat, aut quod plangere si fiat.
1. Johan. 2. 10. 12. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.* Obsecro per Christum, pascit nos Deus, refecturi sumus corpora in nomine Christi, & aliquantùm refecta, sunt & reficienda sunt, mens nostra pascatur. Non quia diu dicturus sum dico, nam ecce jam finitur lectio : sed ne fortè ex tædio minùs adtentè audiamus quod maximè necessarium est. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.* Qui sunt qui patiuntur scandalum, aut faciunt ? Qui scandalizantur in Christo & in Ecclesia. Qui in Chri- F sto scandalizantur, tamquam à sole uruntur : qui in Ecclesia, tamquam à luna. Dicit autem Psalmus,
Psal. 120. 6. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem : id est, Si tenueris caritatem, nec in Christo scandalum patieris, nec in Ecclesia : nec Christum relinques, nec Ecclesiam. Qui enim Ecclesiam relinquit, quomodo est in Christo, qui in membris Christi non est ? quomodo est in Christo, qui in corpore Christi non est ? Illi ergo patiuntur scandalum, qui relinquunt aut Christum aut Ecclesiam. G Unde intelligimus quia inde dixit Psalmus, Per
» diem sol non uret te, neque luna per noctem, quia ipsam ustionem scandalum vult intelligi ? Primò ipsam similitudinem adtende. Quomodo qui uritur dicit, Non tolero, non fero, & subducit se : sic qui quædam non feruntin Ecclesia, & subtrahunt se vel nomini Christi vel Ecclesiæ, scandalum patiuntur. Videte enim quomodo passi sunt scandalum tamquam à sole illi carnales, quibus prædicabat carnem suam Christus, & dicebat, Qui non mandu- *Johan.* 6. caverit carnem filii hominis, & biberit ejus sangui- 54. *Greg.* nem, non habebit in se vitam. Septuaginta fermè homines dixerunt, Durus est hic sermo : & recesserunt ab eo : & remanserunt duodecim. Omnes illos ussit sol, & recesserunt, non valentes ferre vim verbi. Remanserunt ergo duodecim. Et ne fortè putarent homines, quia ipsi præstant Christo credendo in Christum, & non ab ipso illis præstatur beneficium ; cùm duodecim remansissent, ait illis Dominus, Numquid & vos vultis ire ? Ut noveri- « tis, quia vobis necessarius ego sum, non vos mihi. Illi autem quos non usserat sol, responderunt ex voce Petri, Domine, verbum vitæ æternæ habes, « quò ibimus ? Quos autem urit Ecclesia tamquam luna per noctem ? Qui schismata fecerunt. Audi ipsum verbum positum in Apostolo : Quis infirma- 2. Cor. 11. tur, & ego non infirmor ? quis scandalizatur, & 29. ego non uror ? Quomodo ergo non est scandalum in eo qui diligit fratrem ? Quia qui diligit fratrem, tolerat omnia propter unitatem : quia in unitate caritatis est fraterna dilectio. Offendit te nescio quis, sive malus, sive ut tu putas malus, sive ut tu fingis malus, & deseris tot bonos ? Qualis dilectio fraterna est, qualis apparuit in * istis ? Cùm * Donatistis. accusant Afros, deseruerunt orbem terrarum. Numquid in orbe terrarum sancti non erant ? Aut inauditi à vobis damnari potuerunt ? Sed ô si diligeretis fratres, scandalum in vobis non esset. Audi Psalmum, quid dicat : Pax multa diligentibus legem *Psal.* 118. tuam, & non est eis scandalum. Pacem multam di- 165. xit eis qui diligunt legem Dei, & ideo non eis esse scandalum. Illi ergo qui scandalum patiuntur, pacem perdunt. Et quos dixit non pati scandalum, aut non facere ? diligentes legem Dei. Ergo in caritate positi sunt. Sed dicit aliquis, Legem Dei dixit diligentibus, non fratres. Audi quid Dominus dicat : Mandatum novum do vobis, ut vos invi- *Johan.* 13. cem diligatis. Quid est lex nisi mandatum ? Quo- 34. modo autem non patiuntur scandalum, nisi dum sufferunt invicem ? Sicut Paulus dicit, Sufferentes *Ephes.* 4. 2. invicem in dilectione, studentes servare unitatem & 3. spiritûs in vinculo pacis. Et quia ipsa est lex Christi, eumdem audi Apostolum commendantem ipsam legem : Invicem, inquit, onera vestra portate, & *Galat.* 6. 2. sic adimplebitis legem Christi.

13. *Nam qui odit fratrem suum, in tenebris est,* 1. Johan. 2. *& in tenebris ambulat, & nescit quò eat.* Magna res, 11. Fratres : adtendite, rogamus vos. *Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, & nescit quò eat : quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus.* Quid tam cæcum, quàm isti qui oderunt fratres ? Nam ut noveritis quia cæci sunt, in montem offenderunt. Ea- *V. in Iohan. Evang. Tract.* 4. n. 4. dem dico, ne vobis excidant. Nonne lapis iste qui *Dan.* 2. 34. præcisus est de monte sine manibus, Christus est de regno Judæorum sine opere maritali ? Nonne ille lapis confregit omnia regna terrarum, id est, omnes dominationes idolorum & dæmoniorum ? Nonne ille lapis crevit, & factus est mons magnus, & implevit universum orbem terrarum ? Numquid digito ostendimus istum montem, quomodo ostenditur hominibus tertia luna ? Verbi gratiâ, quando volunt homines videre lunam novam : dicunt, Ecce luna, ecce ubi est : & si sunt ibi qui non valeant intendere aciem, & dicant, Ubi ? intenditur illis digitus ut videant. Aliquando dum erubescunt, ne

cæci putentur, dicunt se vidisse quod non viderunt. A
Numquid sic ostendimus Ecclesiam, Fratres mei? Nonne aperta est? nonne manifesta? nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos promissum est Abrahæ, in semine ejus benedici omnes gentes? Uni fideli promissum est, & millibus fidelium mundus impletus est. Ecce mons implens universam faciem terræ: ecce civitas de qua dictum est, Non potest civitas abscondi super montem constituta. Illi autem offendunt in montem. Et cùm eis dicitur, Adscendite: Non est B
mons, dicunt; & facilius illuc faciem impingunt, quàm illic habitaculum quærunt. Isaias hesterna die lectus est: quisquis vestrûm vigilabat, non oculis tantùm, sed aure, nec aure corporis, sed aure cordis, advertit, Erit in novissimis diebus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium. Quid tam manifestum quàm mons? Sed sunt & montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt. Quis vestrûm novit Olympum montem? quomodo ibi qui habitant, [a] Giddabam nostrum non norunt. In partibus sunt isti montes. Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terræ: & de illo dicitur, Paratus in cacumine montium. Mons est super cacumina omnium montium. Et congregabuntur, inquit, ad eum omnes gentes. Quis errat in hoc monte? Quis frangit faciem offendendo in illum? Quis ignorat civitatem super montem constitutam? Sed nolite mirari, quia ignoratur ab istis qui oderunt fratres: quia in tenebris ambulant, & nesciunt quò eant; quia tenebræ D
excæcaverunt oculos eorum. Montem non vident: nolo mireris, oculos non habent. Unde oculos non habent? Quia tenebræ excæcaverunt eos. Unde probamus? Quia fratres oderunt, quia cùm offenduntur in Afris, separant se ab orbe terrarum: quia non tolerant pro pace Christi quos * infamant, & tolerant pro parte Donati * quos damnant.

Gen. 22. 18.

Matth. 5. 14.

Isai. 2. 2.

a

* Scil. Caecilianum ejusque ordinatores.

* Maximianistae, V. Epistol. 51. 108. &c.

TRACTATUS * II.

* Habitus secundâ feriâ Paschæ, juxta vet. Cod.

Ab eo versiculo, Scribo vobis filioli, quia remittuntur vobis peccata per nomen ejus: *usque ad ipsum*, Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & ipse manet in æternum. E

1. OMNIA quæ leguntur de Scripturis sanctis, ad institutionem & salutem nostram, intentè oportet audire. Maximè tamen memoriæ commendanda sunt, quæ adversùs hæreticos valent plurimùm: quorum insidiæ infirmiores quosque & negligentiores circumvenire non cessant. Mementote Dominum nostrum & salvatorem Jesum Christum, & mortuum esse pro nobis & resurrexisse; mortuum scilicet propter delicta nostra, resurrexisse propter justificationem nostram. Sicut modò audistis, quia discipulorum duorum, quos invenit in via, tenebantur oculi ne eum agnoscerent: & invenit eos desperantes de redemptione quæ erat in Christo, & existimantes jam illum passum & mortuum fuisse, sicut hominem, nec G
tamquam Filium Dei putantes semper vivere; & in carne ita mortuum ut non revivisceret, sed tamquam unum ex Prophetis: sicut verba eorum paulò antè qui intenti eratis, audistis. Tunc aperuit illis Scripturas, incipiens à Moyse per omnes Prophetas, ostendens eis omnia quæ passus erat prædicta fuisse: ne illi magis moverentur, si resurrexisset Dominus, & magis ei non crederent, si de illo ista antè dicta non essent. Firmitas enim fidei in eo est, quia omnia quæ evenerunt in Christo, prædicta sunt. Discipuli ergo eum non agnoverunt, nisi in fractione panis. Et verè qui non sibi judicium manducat & bibit, in fractione panis Christum agnoscit. Postea & illi undecim putabant se spiritum videre. Præbuit se palpandum, qui se præbuit crucifigendum; crucifigendum inimicis, palpandum amicis: medicus tamen omnium, & illorum impietatis, & istorum incredulitatis. Namque audistis cùm Actus Apostolorum legerentur, quot millia crediderunt ex interfectoribus Christi. Si crediderunt postea qui occiderant, non erant crediturus qui paululùm dubitabant? Et ipsis tamen, (quod maximè debetis animadvertere, & memoriæ vestræ mandare, quia contra insidiosos errores Deus voluit ponere firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui quoquo modo se vult videri Christianum:) cùm se palpandum præbuisset, non illi sufficit, nisi de Scripturis confirmaret cor credentium: prospiciebat enim nos futuros; in quo quod palpemus nos non habemus, sed quod legamus habemus. Si enim propterea illi crediderunt, quia tenuerunt & palpaverunt: nos quid faciemus? Jam Christus adscendit in cælum, non est venturus nisi in fine, ut judicet de vivis & mortuis: unde crediturus sumus, nisi unde & ipsos palpantes voluit confirmari? Aperuit enim illis Scripturas, & ostendit eis quia oportebat pati Christum, & impleri omnia quæ de illo scripta sunt in Lege Moysi & Prophetis & Psalmis. Omnem veterem textum Scripturarum circumplexus est. Quidquid illarum Scripturarum est, Christum sonat: sed si aures inveniat. Et aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas. Unde & nobis hoc orandum est, ut ipse sensum nostrum aperiat.

Rom. 4. 25.

Luc. 24. 16. &c.

2. Quid autem ostendit Dominus scriptum de se in Lege Moysi & Prophetis & Psalmis? quid ostendit? Ipse dicat. Breviter hoc Evangelista posuit, ut nos nossemus, quid in tanta latitudine Scripturarum credere & intelligere debeamus. Certè multæ sunt paginæ, & multi libri, hoc habent omnes quod dixit Dominus breviter discipulis suis. Quid est hoc? Quia oportebat pati Christum, & resurgere tertia die. Habes jam de sponso, quia oportebat Christum pati & resurgere. Commendatus est nobis sponsus. De sponsa videamus quid dicat: ut tu cùm cognoveris sponsum & sponsam, non sine caussa ad nuptias venias. Celebratio enim nuptiarum omnis celebratio: Ecclesiæ nuptiæ celebrantur. Ducturus est uxorem filius regis, & ipse filius regis rex: & qui frequentant, ipsi sunt sponsa. Non quomodo in nuptiis carnalibus alii frequentant nuptias, & alia nubit: in Ecclesia qui frequentant, si bene frequentant, sponsa fiunt. Omnis enim Ecclesia sponsa Christi est, cujus principium & primitiæ caro Christi est: ibi juncta est sponsa sponso in carne. Meritò [b] carnem ipsam cùm commendaret, panem fregit: & meritò in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum, & agnoverunt eum. Quid ergo dixit Dominus scriptum esse de se in Lege & Prophetis & Psalmis? Quia oportebat pati Christum. Si non adderet, & resurgere, rectè illi plangerent, quorum oculi tenebantur: sed & resurgere prædictum est. Et ut quid hoc? Quare

Luc. 24. 46.

[a] MSS. sex, *Gibbam.* Duo, *Gibam.* Tres, *Giblam.*

[b] Sex MSS. *Meritò ut carnem ipsam commendaret.*

oportebat pati Christum & resurgere? Propter illum Psalmum, quem vobis maximè commendavimus, quartâ sabbati, statione prima novissimæ hebdomadis. Quare oportebat Christum pati & resurgere? Propterea: Commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium. Nam ut noveritis, quia oportebat pati Christum & resurgere; & hîc quid addidit, ut post commendationem sponsi commendaret & sponsam? Et prædicari, inquit, in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipiens ab Jerusalem. Audistis Fratres, renete. Nemo dubitet de Ecclesia, quia per omnes gentes est: nemo dubitet, quia ab Jerusalem cœpit, & omnes gentes implevit. Agnoscimus agrum ubi vitis plantata est: cùm autem creverit, non agnoscimus, quia totum occupavit. Unde cœpit? ab Jerusalem. Quò pervenit? ad omnes gentes. Paucæ remanserunt, omnes tenebit. Interea dum omnes tenet, aliqua sarmenta inutilia visa sunt agricolæ præcidenda: & fecerunt hæreses & schismata. Non vos inducant præcisa, ut præcidamini: hortamini magis quæ præcisa sunt, ut iterum inserantur. Manifestum est Christum passum, resurrexisse, & adscendisse in cælum: manifestata est & Ecclesia, quia prædicatur in nomine ejus pœnitentia & remissio peccatorum per omnes gentes. Unde cœpit? Incipiens ab Jerusalem. Audit stultus, vanus, & quid ampliùs dicturus sum quàm cæcus, qui tam magnum montem non videt; qui contra D
lucernam in candelabro positam oculos claudit?

Psal. 21. 28.

Luc. 24. 47.

Contra Donatistas.

3. Cùm eis dicimus, Si Christiani catholici estis, communicate illi Ecclesiæ unde Evangelium toto orbe diffunditur; illi Jerusalem communicate, quando eis dicimus, respondent nobis, Non communicamus illi civitati, ubi occisus est rex noster, ubi occisus est Dominus noster: quasi oderint civitatem ubi occisus est Dominus noster. Occiderunt Judæi quem invenerunt in terra, exsufflant isti eum qui sedet in cælo. Qui sunt pejores, qui contemserunt quia hominem putabant, an qui sacramenta ejus exsufflant, quem jam Deum confitentur? Sed oderunt videlicet civitatem, in qua occisus est Dominus ipsorum. Pii homines & misericordes, multùm dolent occisum esse Christum, & occidunt in hominibus Christum. At ille dilexit illam civitatem, & misertus est ejus: inde dixit incipere prædicationem suam, Incipiens ab Jerusalem. Ille ibi principium fecit prædicationis nominis sui: & tu exhorresces communionem illius civitatis? Non est mirum F
si præcisus odisti radicem. Quid ait ille discipulis suis? Estote sedentes in civitate, quia ego mitto promissionem meam in vos. Ecce quam civitatem oderunt. Fortè amarent, si Judæi interfectores Christi in illa habitarent. Manifestum est enim omnes interfectores Christi, id est Judæos, expulsos esse de illa civitate. Quæ habebat sævientes in Christum, habet adorantes Christum. Propterea illam isti oderunt, quia Christiani in illa sunt. Ibi voluit sedere discipulos suos, & ibi illis mittere Spiritum- G
sanctum. Ubi inchoata est Ecclesia, nisi ubi venit de cælo Spiritus-sanctus, & implevit uno loco sedentes centum-viginti? Duodenarius ille numerus decuplatus erat. Sedebant centum-viginti homines, & venit Spiritus-sanctus, & implevit totum locum, & factus est sonus, quasi ferretur flatus vehemens, & linguæ divisæ sunt velut ignis. Audistis

Luc. 24. 49.

Act. 1. 15. & 2. 2.

Actus Apostolorum, *hodie lecta est ipsa lectio: Cœperunt linguis loqui quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Et omnes qui aderant illic, de diversis gentibus venientes Judæi, agnoscebant unusquisque linguam suam; & mirabantur illos idiotas & imperitos subitò didicisse non unam aut duas linguas, sed omnium omnino gentium. Ubi ergo jam omnes linguæ sonabant, omnes linguæ credituræ ostendebantur. Isti autem qui multùm amant Christum; & ideo nolunt communicare civitati quæ interfecit Christum, sic honorant Christum, ut dicant illum remansisse ad duas linguas, Latinam, & Punicam, id est, Afram. Solas duas linguas tenet Christus? Istæ enim duæ linguæ solæ sunt in parte Donati, plus non habent. Evigilemus, Fratres; videamus potiùs donum Spiritus Dei, & credamus antè dictis de illo, & videamus impleta quæ antè dicta sunt in Psalmo, Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Et ne fortè ipsæ linguæ venerunt ad unum locum, & non potiùs donum Christi venit ad omnes linguas, audi quid sequitur: In omnem terram exiit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum. Quare hoc? Quia in sole posuit tabernaculum suum, id est, in manifesto. Tabernaculum ejus, caro ejus; tabernaculum ejus, Ecclesia ejus: in sole posita est, non est in nocte, sed in die. Sed quare illi non agnoscunt? Redite ad lectionem, ad quam heri finis factus est; & videte quare non agnoscunt: *Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, & nescit quò eat; quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus.* Nos ergo sequentia videamus, & non simus in tenebris. Unde non erimus in tenebris? si amemus fratres. Unde probatur quia amamus fraternitatem? quia non scindimus unitatem, quia tenemus caritatem.

* Liber Act. Apost. anniversaria Sollemnitate post Passionem Dom. recitabatur; ex Tract. 6. in Evang. Joh. n. 18.

Psal. 18. 4.

Ibidem 5.

Ibidem 6.

1. Johan. 2. 11.

4. *Scribo vobis, filioli, quia remittuntur vobis peccata per nomen ejus.* Ideo filioli, quia dimissis peccatis nascimini. Sed per cujus nomen remittuntur peccata? Numquid per Augustini? Ergo nec per nomen Donati. Videris quis Augustinus, aut quis Donatus: nec per nomen Pauli, nec per nomen Petri. Nam dividentibus sibi Ecclesiam, & partes facere de unitate conantibus, parturiens parvulos mater caritas in Apostolo, exponit viscera sua, consscindit quodammodo verbis ubera sua, plorat filios quos videt efferri, revocat ad unum nomen eos qui multa nomina sibi facere volebant, repellit ab amore suo ut Christus ametur, & dicit, Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quid dicit? Nolo mei sitis: ut mecum sitis, mecum estote: omnes illius sumus qui pro nobis mortuus est, qui pro nobis crucifixus est: unde & hîc, *Dimittuntur vobis peccata per nomen ejus*, non per hominis alicujus. E

v. 12.

1. Cor. 1. 13.

5. *Scribo vobis patres.* Quare primò filii? *Quia remittuntur vobis peccata per nomen ejus*, & regeneramini in novam vitam, ideo filii. Patres quare? *Quia cognovistis eum qui à principio est*: principium enim ad paternitatem pertinet. Novus Christus in carne, sed antiquus in divinitate. Quàm antiquus putamus? quot annorum? Putamusne major quàm mater sua? Major planè quàm mater: omnia enim per ipsum facta sunt. Si omnia, & ipsam matrem antiquus fecit; de qua nasceretur novus. Putamusne ante matrem solam? Et ante avos matris antiquus? Avus matris ipsius Abraham: & Dominus dicit, Ante Abraham ego sum. Ante Abraham dicimus? Cælum & terra antequam esset homo, facta sunt.

1. Johan. 2. 13.

v. 13.

Johan. 1. 3.

Johan. 8. 58.

Ante ista fuit Dominus, immo & est. Optimè enim non ait, Ante Abraham ego fui; sed, Ante Abraham ego sum. Quod enim dicitur quia fuit, non est; & quod dicitur quia erit, nondum est: ille non novit nisi esse. Secundùm quod Deus est, esse novit: fuisse & futurum esse non novit. Dies est ibi unus, sed sempiternus. Non ponunt illum diem in medio hesternus & crastinus: hesterno enim die finito, incipiens hodiernus venturo crastino finietur. Ille unus dies ibi est sine tenebris, sine nocte, sine spatiis, sine mensura, sine horis. Quod vis illum dic: si vis, dies est; si vis, annus est; si vis, anni sunt. Dictum est enim de ipso die, Et anni tui non deficient. Quando autem dictus est dies? quando dictum est Domino, Ego hodie genui te. Ab æterno Patre genitus, ex æternitate genitus, in æternitate genitus: nullo initio, nullo termino, nullo spatio latitudinis; quia est quod est, quia ipse est qui est. Hoc nomen suum dixit Moysi: Dices eis, Qui est, misit me ad vos. Quid ergo ante Abraham? quid ante Noë? quid ante Adam? Audi Scripturam: Ante luciferum genui te. Postremò ante cælum & terram. Quare? Quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ideo patres agnoscite: patres enim fiunt agnoscendo quod est ab initio.

Psal. 101. 28. *Psal.* 2. 7. *Exod.* 3. 14. *Psal.* 109. 3. *Johan.* 1. 3.

6. *Scribo vobis juvenes.* Filii sunt, patres sunt, juvenes sunt; filii quia nascuntur; patres, quia principium agnoscunt: juvenes quare? *Quia vicistis malignum.* In filiis nativitas, in patribus antiquitas, in juvenibus fortitudo. Si malignus à juvenibus vincitur, pugnat nobiscum. Pugnat, sed non expugnat. Quare? Quia nos sumus fortes, an quia ille est fortis in nobis, qui inter manus persequentium infirmus inventus est? Ille nos fortes fecit, qui persequentibus non restitit. Crucifixus est enim ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.

1. *Johan.* 2. 13. 2. *Cor.* 13. 4.

7. *Scribo vobis pueri.* Unde pueri? *Quia cognovistis Patrem. Scribo vobis patres*: commendat hoc, & * repetit, *Quia cognovistis eum qui à principio est.* Mementote vos patres esse: si obliviscimini eum qui à principio est, perdidistis paternitatem. *Scribo vobis juvenes.* Etiam atque etiam considerate, quia juvenes estis: pugnate, ut vincatis; vincite, ut coronemini; humiles estote, ne cadatis in pugna. *Scribo vobis juvenes, quia fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum.*

1. *Johan.* 2. 14. * *Non repetit in Vulgata, nec in Græco.*

8. Hæc omnia, Fratres, quia cognovimus id quod à principio est, quia fortes sumus, quia cognovimus Patrem: omnia ista quasi cognitionem commendant, caritatem non commendant? Si cognovimus, amemus: nam cognitio sine caritate non salvos facit. Scientia inflat, caritas ædificat. Si confiteri vultis & non amare; incipitis dæmonibus similes esse. Confitebantur dæmones Filium Dei, & dicebant, Quid nobis & tibi? Et repellebantur. Confitemini, & amplectimini. Illi enim timebant de iniquitatibus suis: vos amate dimissorem iniquitatum vestrarum. Sed quomodo poterimus amare Deum, si amamus mundum? Parat nos ergo inhabitari caritate. Duo sunt amores, mundi & Dei: si mundi amor habitet, non est quà intret amor Dei: recedat amor mundi, & habitet Dei; melior accipiat locum. Amabas mundum, noli amare mundum: cùm exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem divinum; & incipit habitare jam caritas, de qua nihil mali potest procedere. Audite ergo verba purgantis modò, quasi agrum invenit corda hominum. Sed quomodo invenit? Si silvam invenit, exstirpat: si agrum purgatum invenit, plantat. Plantare ibi vult arborem, caritatem. Et quam silvam vult exstirpare? amorem mundi. Audi exstirpatorem silvæ. *Nolite diligere mundum*, hoc enim sequitur, *neque ea quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso.*

Matth. 8. 29. 1. *Cor.* 8. 1. 1. *Johan.* 2. 15.

9. Audistis, quia *Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso.* Ne quis dicat in corde suo falsum esse hoc, Fratres: Deus dicit, per Apostolum Spiritus-sanctus locutus est, nihil verius, *Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso.* Vis habere dilectionem Patris, ut sis coheres Filii? noli diligere mundum. Exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei. Vas es, sed adhuc plenus es: funde quod habes, ut accipias quod non habes. Certè jam renati sunt ex aqua & Spiritu fratres nostri: & nos ante aliquot annos renati sumus ex aqua & Spiritu. Bonum est nobis ut non diligamus mundum, ne remaneant in nobis sacramenta ad damnationem, non firmamenta ad salutem. Firmamentum salutis est, habere radicem caritatis, habere virtutem pietatis, non formam solam. Bona forma, sancta forma: sed quid valet forma, si non teneat radicem? Sarmentum præcisum nonne in ignem mittitur? Habe formam, sed in radice. Quomodo autem radicamini, ut non eradicemini? tenendo caritatem, sicut dicit apostolus Paulus, In caritate radicati & fundati. Quomodo ibi radicabitur caritas, inter tanta silvosa amoris mundi? Exstirpate silvas. Magnum semen posituri estis: non sit in agro quod offocet semen. Hæc sunt verba exstirpantia quæ dixit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in eo.*

Ephes. 3. 17.

10. * *Quia omne quod in mundo est, desiderium est carnis, & desiderium oculorum, & ambitio sæculi*, tria dixit, *quæ non sunt ex Patre, sed ex mundo sunt.* * *Et mundus transit & desideria ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & ipse manet in æternum.* Quare non amem quod fecit Deus? Quid vis, utrùm amare temporalia, & transire cum tempore: an mundum non amare, & in æternum vivere cum Deo? Rerum temporalium fluvius trahit: sed tamquam circa fluvium arbor nata est Dominus noster Jesus Christus. Assumsit carnem, mortuus est, resurrexit, adscendit in cælum. Voluit se quodammodo circa fluvium temporalium plantare. Raperis in præceps? tene lignum. Volvit te amor mundi: tene Christum. Propter te factus est temporalis, ut tu fias æternus: quia & ille sic factus est temporalis, ut maneret æternus. Accessit illi aliquid ex tempore, non decessit ex æternitate. Tu autem temporalis natus es, & per peccatum temporalis factus es: tu factus es temporalis per peccatum, ille factus est temporalis per misericordiam dimittendi peccata. Quantum interest, cùm duo sunt in carcere, inter reum & visitatorem ipsius? Homo enim aliquando venit ad amicum suum, & intrat visitare eum, & ambo in carcere videntur: sed multùm distant & distincti sunt. Illum caussa premit, illum humanitas adduxit. Sic in ista mortalitate nos reatú tenebamur, ille misericordiâ descendit: intravit ad captivum redemtor, non oppressor. Dominus pro nobis sanguinem suum fudit, redemit nos, mutavit spem nostram. Adhuc portamus mortalitatem carnis, & de futura immortalitate præsumimus: & in mari fluctuamus, sed anchoram spei in terra jam fiximus.

1. *Johan.* 2. 16. *v.* 17.

11. Sed non diligamus mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quæ enim in mundo sunt, *desiderium carnis est, & desiderium oculorum, & ambitio sæculi.* Tria sunt ista: ne quis fortè dicat, Quæ in mundo sunt, Deus fecit, id est, cælum & terram, mare, solem, lunam, stellas, omnia ornamenta cælorum. Quæ sunt ornamenta maris? omnia repentia. Quæ terræ? animalia, arbores, volatilia. Ista sunt in mundo, Deus illa fecit. Quare ergo non amem quod Deus fecit? Spiritus Dei sit in te, ut videas quia hæc omnia bona sunt: sed væ tibi si amaveris condita, & deserueris conditorem. Pulcra sunt tibi: sed quantò est ille pulcrior qui ista formavit? Intendat Caritas Vestra. Similitudinibus enim potestis instrui: ne subrepat vobis satanas, dicens quod solet dicere, Bene vobis sit in creatura Dei: quare illa fecit, nisi ut bene vobis sit? Et inebriantur, & pereunt, & obliviscuntur Creatorem suum: dum non temperanter, sed cupidè utuntur creatis, Creator contemnitur. De talibus dicit Apostolus, Coluerunt & servierunt creaturæ » potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Non te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem: sed approbare & laudare ut ames Creatorem. Quemadmodum, Fratres, si sponsus faceret sponsæ suæ anulum, & illa acceptum anulum plus diligeret quàm sponsum qui illi fecit anulum; nonne in ipso dono sponsi adultera anima deprehenderetur, quamvis hoc amaret quod dedit sponsus? Certè hoc amaret, quod dedit sponsus: tamen si diceret, Sufficit mihi anulus iste, jam illius faciem nolo videre: qualis esset? Quis non detestaretur hanc amentiam? Quis non adulterinum animum convinceret? Amas aurum pro viro, amas anulum pro sponso: si hoc est in te, ut ames anulum pro sponso tuo, & nolis videre sponsum tuum; ad hoc tibi arrham dedit, ut non te oppigneraret, sed averteret. Ad hoc utique arrham dat sponsus, ut in arrha sua ipse ametur. Ergo dedit tibi Deus omnia ista, ama illum qui fecit. Plus est quod tibi vult dare, id est, seipsum, qui ista fecit. Si autem amaveris hæc, quamvis illa Deus fecerit; & neglexeris Creatorem, & amaveris mundum; [a] nonne tuus amor adulterinus deputabitur?

Rom. 1. 25.

12. Mundus enim appellatur non solùm ista fabrica quam fecit Deus, cælum & terra, mare, visibilia & invisibilia: sed habitatores mundi mundus vocantur, quomodo domus vocatur & parietes & inhabitantes. Et aliquando laudamus domum, & vituperamus inhabitantes. Dicimus enim, Bona domus, quia marmorata est & pulcrè laqueata: & aliter dicimus, Bona domus, nemo ibi patitur injuriam, nullæ rapinæ, nullæ oppressiones ibi fiunt. Modò non parietes laudamus, sed inhabitatores parietum: domus tamen vocatur, sive illa, sive illa. Omnes enim dilectores mundi, quia dilectione inhabitant mundum; sicut cælum inhabitant quorum sursum est cor, & ambulant carne in terra: omnes ergo dilectores mundi mundus vocantur. Ipsi non habent nisi ista tria, desiderium carnis, desiderium oculorum, & ambitionem sæculi. Desiderant enim manducare, bibere, concumbere, uti voluptatibus istis. Numquid non est in his modus? Aut quando dicitur, Nolite ista diligere, hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis? Non hoc dicitur. Sed sit modus propter Creatorem, ut non vos illigent ista dilectione; ne ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis. Non autem probamini, nisi quando vobis proponuntur duo, hoc aut illud: Justitiam vis, an lucra? Non habeo unde vivam, non habeo unde manducem, non habeo unde bibam. Sed quid si non potes habere ista nisi per iniquitatem? Nonne meliùs amas quod non amittis, quàm iniquitatem committis? Lucrum auri vides, damnum fidei non vides. Hoc ergo, ait nobis, *desiderium carnis est*, id est, desiderium earum rerum quæ pertinent ad carnem, sicut cibus & concubitus, & cetera hujusmodi.

a

13. *Et desiderium oculorum*: desiderium oculorum dicit omnem curiositatem. Jam quàm latè patet curiositas? Ipsa in spectaculis, in theatris, in sacramentis diaboli, in magicis artibus, in maleficiis ipsa est curiositas. Aliquando tentat etiam servos Dei, ut velint quasi miraculum facere, tentare utrùm exaudiat illos Deus in miraculis; curiositas est, hoc est desiderium oculorum; non est à Patre. Si dedit Deus, fac; obtulit enim ut facias: non enim qui non fecerunt, ad regnum Dei non pertinebunt. Cùm gauderent Apostoli quia dæmonia eis subjecta erant, quid eis dixit Dominus? Nolite in hoc gaudere; sed gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælo. Inde voluit gaudere Apostolos, unde gaudes & tu. Væ tibi enim, si nomen tuum non est scriptum in cælo. Numquid væ tibi, si non suscitaveris mortuos? numquid væ tibi, si non ambulaveris in mari? numquid væ tibi, si non excluseris dæmonia? Si accepisti unde facias, utere humiliter, non superbè. Nam & de quibusdam pseudo-prophetis dixit Dominus, quia facturi sunt signa & prodigia. Ergo non sit ambitio sæculi. Ambitio sæculi superbia est. Jactare se vult in honoribus: magnus sibi videtur homo, sive de divitiis, sive de aliqua potentia.

Luca 10. 20. *Matth.* 24. 24.

14. Tria sunt ista, & nihil invenis unde tentetur cupiditas humana, nisi aut desiderio carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione sæculi. Per ista tria tentatus est Dominus à diabolo. Desiderio carnis tentatus est, quando dictum est ei, Si Filius Dei es, dic lapidibus istis ut panes fiant: quando esurivit post jejunium. Sed quomodo repulit tentatorem, & docuit pugnare militem? Adtende quid illi ait: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Tentatus est & desiderio oculorum de miraculo, quando ei dixit, Mitte te deorsum, quia scriptum est, Angelis suis mandavit de te, ut suscipiant te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Ille restitit tentatori: si enim faceret miraculum, non videretur nisi aut cessisse, aut curiositate fecisse: fecit enim quando voluit tamquam Deus, sed tamquam infirmos curans. Nam si tunc faceret, quasi tantummodo miraculum voluisse facere putaretur. Sed ne hoc homines sentirent, adtende quid respondit; & quando tibi talis tentatio evenerit, dic illud & tu, Redi post me satanas, scriptum est enim, Non tentabis Dominum Deum tuum: id est, Si hoc fecero, tentabo Deum. Hoc dixit, quod te voluit dicere. Quando tibi suggerit inimicus, Qualis homo, qualis Christianus? modò vel unum miraculum fecisti, aut orationibus tuis mortui surrexerunt, aut febrientes sanasti? si verè esses alicujus [b] momenti, faceres aliquod miraculum. Respondè & dic, Scriptum est, Non tentabis Domi-

Matth. 4. 3. *&c.* *Deut.* 8. 3. *Psal.* 90. 11. *Matth.* 4. 7. *Deut.* 6. 16. b

[a] MSS. *delinquis.* Am. Bad. Er. *amittis creatorem qui fecit mundum.* [b] Theodericensis vetus cod. *meriti.*

num Deum tuum: non ergo tentabo Deum, quasi tunc pertineam ad Deum si fecero miraculum, & non pertineam si non fecero. Et ubi sunt verba ejus, *Luca 10. 20.* Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo? De ambitione sæculi quomodo tentatus est Dominus? quando elevavit eum in excelsum, & dixit ei, *Matth. 4. 9.* Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me. De elatione regni terreni voluit tentare regem sæculorum: sed Dominus qui fecit cælum & terram, diabolum calcabat. Quid magnum, à Domino diabolum vinci? Quid ergo respondit diabolo, nisi *Deut. 6. 13.* quod te docuit ut respondeas? Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Tenentes ista, non habebitis concupiscentiam mundi: non habendo concupiscentiam mundi, non vos subjugabit nec desiderium carnis, nec desiderium oculorum, nec ambitio sæculi: & facietis locum caritati venienti, ut diligatis Deum. Quia si fuerit ibi dilectio mundi, non ibi erit dilectio Dei. Tenete potiùs dilectionem Dei, ut quomodo Deus est æternus, sic & vos maneatis in æternum: quia TALIS EST QUISQUE, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? quid dicam, Deus eris? Non audeo dicere ex me, Scrip- *Psal. 81. 6.* turas audiamus, Ego dixi, dii estis, & filii Altissimi omnes. Si ergo vultis esse dii & filii Altissimi, *nolite diligere mundum, nec ea quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo. Quia omnia quæ sunt in mundo, desiderium carnis est, & desiderium oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo:* id est, ab hominibus dilectoribus mundi. *Et mundus transit, & desideria ejus: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & Deus manet in æternum.*

* Habitus feriâ tertiâ Paschæ juxta vet. Cod.

TRACTATUS * III.

De eo quod sequitur, Pueri, novissima hora est: *usque ad id,* Unctio ipsius docet vos de omnibus.

1. Johan. 2. 18. PUERI, *novissima hora est.* In hac lectione pueros alloquitur, ut festinent crescere, quia novissima hora est. Ætas corporis non est in voluntate. Ita nullus secundùm carnem crescit quando vult; sicut nullus quando vult nascitur: ubi autem nativitas in voluntate est, & crementum in voluntate est. Nemo ex aqua & Spiritu nascitur nisi volens. Ergo si vult, crescit: si vult, decrescit. Quid est crescere? proficere. Quid est decrescere? deficere. Quisquis novit natum se esse, audiat quia puer est & infans, avidè inhiet uberibus matris, & citò crescit. Est autem mater, Ecclesia: & ubera ejus duo Testamenta Scripturarum divinarum. Hinc sugatur lac omnium sacramentorum temporaliter pro æterna salute nostra gestorum, ut nutritus atque roboratus perveniat ad manducandum cibum, quod est, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Lac nostrum, Christus humilis est: cibus noster, idem ipse Christus æqualis Patri. Lacte te nutrit, ut pane pascat: nam corde contingere Jesum spiritaliter, hoc est cognoscere quia æqualis est Patri.

2. Propterea & Mariam prohibebat se tangere, *Johan. 20. 19.* & dicebat ei, Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem. Quid est hoc? Discipulis se palpandum præbuit, & Mariæ contactum vitavit? *Ibidem 27.* Nonne ipse est qui dubitanti discipulo dixit, Mitte digitos, & palpa cicatrices? Numquid jam ad Patrem adscenderat? Quare ergo Mariam prohibet, & dicit, Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem? An hoc dicturi sumus, quòd à viris se tangi non timuit, & à mulieribus tangi timuit? Contactus illius omnem carnem mundat. Quibus primò voluit manifestari, ab his se timuit contrectari? Nonne viris resurrectio ejus per feminas nuntiata est, ut contraria arte serpens vinceretur? Quia enim ille mortem primo homini per feminam nuntiavit; & viris vita per feminam nuntiata est. Quare ergo se tangi noluit, nisi quia contactum illum spiritalem intelligi voluit? Contactus spiritalis est de corde mundo. Ille adtingit de corde mundo Christum, qui eum intelligit Patri coæqualem. Qui autem nondum intelligit divinitatem Christi, usque ad carnem venit, usque ad divinitatem non venit. Quid autem magnum est, usque illuc adtingere, usque quò persecutores qui crucifixerunt? Illud est magnum, intelligere Verbum Deum apud Deum in principio, per quod facta sunt omnia: qualem se cognosci volebat, quando ait Philippo, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis *Johan. 14. 9.* me, Philippe? Qui videt me, videt & Patrem.

3. Sed nè quis piger sit ad proficiendum, audiat: *Pueri, novissima hora est.* Proficite, currite, crescite, novissima hora est. Ipsa novissima hora diuturna est: tamen novissima est. Horam enim pro tempore posuit novissimo; quia in novissimis temporibus venit Dominus noster Jesus Christus. Sed dicturi sunt aliqui, Quomodo novissimum tempus? quomodo novissima hora? certè priùs veniet Antichristus, & tunc veniet dies judicii. Vidit Johannes cogitationes istas: ne quasi securi fierent, & ideo non esse horam novissimam putarent, quòd venturus esset Antichristus, ait illis, *Et sicut audi- 1. Johan. 2. stis quòd Antichristus sit venturus, nunc Antichristi 18. multi facti sunt.* Numquid posset habere multos Antichristos, nisi hora novissima?

4. Quos dixit Antichristos? Sequitur, & exponit. *Unde cognoscimus quòd novissima sit hora.* Unde? Quia Antichristi multi facti sunt. *Ex nobis exierunt: v. 19.* Videte Antichristos. *Ex nobis exierunt*: Ergo planginus damnum. Audi consolationem: *Sed non erant ex nobis.* Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt: sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis. Si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus sunt, non exierunt, sed tamen Antichristi sunt. Audemus hoc dicere: ut quid, nisi ut unusquisque cùm intus est, non sit Antichristus? Descripturus enim & designaturus est Antichristos; & videbimus eos nunc. Et interrogare debet unusquisque conscientiam suam, an sit Antichristus. Latinè enim Antichristus, contrarius est Christo. Non quomodo nonnulli intelligunt Antichristum ideo dictum, quòd ante Christum venturus sit, id est, post eum venturus sit Christus: non sic dicitur, nec sic scribitur; sed Antichristus, id est, contrarius Christo. Jam quis sit contrarius Christo, nunc advertitis ipso exponente, & intelligitis non posse exire foras nisi Antichristos; eos autem qui non sunt Christo contrarii, foras exire nullo modo posse. Qui enim non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret, & membrum computatur. Numquam sibi sunt membra contraria. Corporis integritas universis membris constat. Et quid de concordia membrorum dicit Apostolus? Si patitur unum membrum, com- *1. Cor. 12. 26.*

» patiuntur omnia membra; & si glorificatur unum » membrum, congaudent omnia membra. Si ergo in glorificatione membri cetera membra congaudent, & in passione omnia membra patiuntur: concordia membrorum non habet Antichristum. Et sunt qui intus sic sunt in corpore Domini nostri Jesu Christi; quandoquidem adhuc curatur corpus ipsius, & sanitas perfecta non erit nisi in resurrectione mortuorum: sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali. Quando evomuntur, tunc relevatur corpus: sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur. Et dicit quando eos evomit atque projicit corpus, Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cùm inessent.

1. Johan. 2. 19. 5. *Ex nobis exierunt: sed,* nolite tristes esse, *non erant ex nobis.* Unde probas? *Quòd si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Hinc ergo videat Caritas Vestra, quia multi qui non sunt ex nobis, accipiunt nobiscum Sacramenta, accipiunt nobiscum Baptismum, accipiunt nobiscum quod norunt a fideles se accipere, Benedictionem,[a] Eucharistiam, & quidquid in sacramentis sanctis est; ipsius altaris communicationem accipiunt nobiscum, & non sunt ex nobis. Tentatio probat, quia non sunt ex nobis. Quando illis tentatio venerit, velut occasione venti, volant foras; quia grana non erant. Omnes autem tunc volabunt, quod sæpe dicendum est, cùm area Dominica cœperit ventilari in die judicii. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: quòd si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Nam vultis nosse, Carissimi, quàm certissimè dicatur hoc, ut qui fortè exierunt, b & redeunt non sint Antichristi, non sint contrarii Christo? Qui non sunt Antichristi, non potest fieri ut remaneant foris. Sed de voluntate sua quisque aut Antichristus, aut in Christo est. Aut in membris sumus, aut in humoribus malis. Qui se in melius commutat, in corpore membrum est: qui autem in malitia permanet, humor malus est: & quando exierit, relevabuntur qui premebantur. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: quòd si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifestarentur, quòd non omnes erant ex nobis.* Ideo addidit, *ut manifestarentur,* quia & intus cùm sunt, non ex nobis sunt; non tamen manifesti sunt, sed exeundo ma- *1. Johan. 2. 20.* nifestantur. *Et vos unctionem habetis à Sancto, ut ipsi vobis manifesti sitis.* Unctio spiritalis ipse Spiritus-sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili. Hanc unctionem Christi dicit omnes qui habent, cognoscere malos & bonos; nec opus esse ut doceantur, quia ipsa unctio docet eos.

Unctio spiritalis, unctio visibilis.

v. 21. 6. *Scribo vobis, non quòd nescieritis veritatem; sed quia nostis eam, & quia omne mendacium non est ex veritate.* Ecce admoniti sumus quomodo cognoscamus Antichristum. Quid est Christus? Veritas. *Johan. 14. 6.* Ipse dixit, Ego sum veritas. *Omne* autem *mendacium non est ex veritate:* omnes igitur qui mentiuntur, nondum sunt ex Christo. Non dixit quoddam mendacium ex veritate, & quoddam mendacium non ex veritate. Sententiam adtendite: ne vos palpetis, ne vos aduletis, ne vos decipiatis, ne vos illudatis: *Omne mendacium non est ex veritate.* Videamus ergo quomodo Antichristi mentiuntur, quia non *1. Johan. 2. 22.* est unum genus mendacii. *Quis est mendax, nisi is qui negat quòd Jesus non est Christus?* Aliam significationem habet Jesus, aliam habet Christus: cùm sit unus Jesus Christus salvator noster, Jesus tamen proprium nomen est illi. Quomodo Moyses proprio nomine appellatus est, quomodo Elias, quomodo Abraham: sic tamquam proprium nomen habet Dominus noster Jesus: Christus autem sacramenti nomen est. Quomodo si dicatur prophetа, quomodo si dicatur sacerdos: sic Christus commendatur unctus, in quo esset redemtio totius populi Israël. Iste Christus sperabatur venturus à populo Judæorum: & quia humilis venit, non est agnitus: quia lapis parvus erat, offenderunt in illum, & fracti sunt. Sed crevit lapis, & factus est mons *Dan. 2. 35.* magnus: & quid ait Scriptura? Quicumque offen- *Luc. 20. 18.* derit in lapidem istum, conquassabitur; & super quem venerit lapis iste, conteret eum. Discernenda sunt verba: offendentem dixit conquassari; super quem autem venerit, conteri. Primò quia humilis venit, offenderunt in illum homines: quia excelsus venturus est ad judicium, super quem venerit, conteret eum. Sed illum non conteret venturus, quem non quassavit cùm venit. Qui in humilem non offendit, non formidabit excelsum. Breviter audistis Fratres: Qui in humilem non offendit, non formidabit excelsum. Omnibus enim malis lapis offensionis est Christus: quidquid dicit Christus, amarum est illis.

7. Etenim audite, & videte: Omnes certè qui exeunt de Ecclesia, & ab unitate Ecclesiæ præciduntur, Antichristi sunt: nemo dubitet; ipse enim designavit, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Quicumque ergo non manent nobiscum, sed exeunt ex nobis, manifestum est quòd Antichristi sunt. Et quomodo probantur Antichristi? ex mendacio. Et *quis est mendax, nisi qui negat quòd Jesus non est Christus?* Interrogemus hæreticos: quem invenis hæreticum, qui negat quia Jesus non est Christus? Videat Caritas Vestra magnum sacramentum. Adtendite quid inspiraverit nobis Dominus Deus, & quid insinuare vobis velim. Ecce exierunt à nobis, & facti sunt Donatistæ: interrogamus eos utrùm Jesus sit Christus; statim confitentur, quia Jesus Christus est. Si ergo ille est Antichristus, qui negat Jesum esse Christum: nec nos possunt illi dicere Antichristos, nec nos illos; quia & nos confitemur, & illi. Si ergo nec illi nos dicunt, nec nos illos: ergo nec illi à nobis exierunt, nec nos ab ipsis. Si ergo non à nobis eximus, in unitate sumus: si in unitate sumus, quid faciunt in hac civitate duo altaria? quid faciunt divisæ domus, divisa conjugia? quid facit communis lectus, & divisus Christus? Admonet nos, vult nos fateri quod verum est. Aut ipsi à nobis exierunt, aut nos ab ipsis. Sed absit ut nos ab ipsis: habemus enim testamentum Dominicæ hereditatis, recitamus, & ibi nos invenimus, Dabo tibi gentes hereditatem *Psal. 2. 8.* tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Tenemus hereditatem Christi: illi eam non tenent; non communicant orbi terrarum, non communicant universitati redemtæ sanguine Domini. Habemus ipsum Dominum resurgentem à mortuis, qui se dubitantium manibus discipulorum præbuit palpandum. Et cùm adhuc illi dubitarent, ait illis, Oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, *Luc. 24. 46. & 47.*

a In duobus MSS. Benedictionem Eucharistiæ.
b In MSS. plerisque, *ut qui fortè exierunt, non sint Antichristi. Redeant, & non sunt contrarii Christo: hoc sunt enim Antichristi. Non potest fieri ut remaneant &c.*

» & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remis-
» sionem peccatorum. Ubi? quà? quibus? Per om-
» nes gentes, incipiens ab Jerusalem. Securi sumus de
unitate hereditatis. Quisquis huic hereditati non
communicat, foras exiit.

8. Sed non contristemur: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Si ergo ex nobis exierunt, Antichristi sunt: si Antichristi sunt, mendaces sunt: si mendaces sunt, negant Jesum esse Christum. Iterum redimus ad difficultatem quæstionis. Singulos interroga, confitentur Jesum esse Christum. Coartat nos angustus intellectus in hac Epistola. Videtis certè quæstionem: hæc quæstio & nos & ipsos turbat, si non intelligatur. Aut nos sumus Antichristi, aut illi sunt Antichristi: illi nos Antichristos vocant, & dicunt quòd eximus ab eis: nos illos similiter: sed designavit hæc Epistola Antichristos. Quicumque negat quòd Jesus non sit Christus, ipse est Antichristus. Jam ergo quæramus quis neget: & non adtendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim omnes interrogentur, omnes uno ore confitentur Jesum esse Christum. Quiescat paululùm lingua, vitam interroga. Si invenerimus hoc, si ipsa Scriptura nobis dixerit, quia negatio non tantùm linguâ fit, sed & factis; certè invenimus multos Antichristos, qui ore profitentur Christum, & moribus dissentiunt à Christo. Ubi invenimus hoc in Scriptura? Paulum audi apostolum: de ta-
Tit. 1. 16. libus cùm loquereretur, ait, Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant. Invenimus & ipsos Antichristos: quisquis factis negat Christum, Antichristus est. Non audio quid sonet, sed video quid vivat. Opera loquuntur, & verba requirimus? Quis enim malus non bene vult loqui? Sed quid di-
Matth. 12. 34. cit talibus Dominus? Hypocritæ quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Voces vestras ad aures meas profertis, ego cogitationes vestras inspicio: voluntatem malam ibi video, & falsos fructus
Matth. 7. 16. ostenditis. Novi quid unde colligam: non colligo de tribulis ficus, non colligo de spinis uvas. Unaquæque enim arbor à fructu cognoscitur. Magis mendax est Antichristus, qui ore profitetur Jesum esse Christum, & factis negat. Ideo mendax, quia aliud loquitur, aliud agit.

9. Jam ergo, Fratres, si facta interroganda sunt, non solùm multos invenimus Antichristos foras exisse: sed multos nondum manifestos, qui minimè foras exierunt. Quotquot enim habet Ecclesia perjuros, fraudatores, maleficos, fortilegorum inquisitores, adulteros, ebriosos, fœneratores, mangones, & omnia quæ numerare non possumus; contraria sunt doctrinæ Christi, contraria sunt verbo Dei: Verbum autem Dei Christus est: quidquid contrarium est Verbo Dei, in Antichristo est. Antichristus enim contrarius est Christo. Et vultis nosse quàm apertè resistant isti Christo? Aliquando evenit ut aliquid mali faciant, & incipiant corripi; quia Christum non audent blasphemare, ministros ejus blasphemant, à quibus corripiuntur: si autem ostenderis illis, quia Christi verba dicis, non verba tua; conantur quantum possunt ut te convincant verba tua te dicere, non verba Christi: si autem manifestum fuerit, quia verba Christi dicis; eunt & in Christum, incipiunt reprehendere Christum: Quomodo, inquiunt, & quare tales nos fecit? Nonne dicunt hoc quotidie homines convicti de factis suis? Prava voluntate perversi, artificem accusant. Clamat illis artifex de cælo: (quia ipse nos fecit, qui nos refecit:) Quid te feci? Ego hominem feci, non avaritiam; ego hominem feci, non latrocinium; ego hominem feci, non adulterium. Audisti quia laudant me opera mea. Ex ore trium puerorum ipse hymnus erat *Dan. 3. 52.* qui ab ignibus defendebat. Laudant opera Domini Dominum; laudat cælum, terra, mare, laudant omnia quæ sunt in cælo; laudant Angeli, laudant stellæ, laudant luminaria; laudat quidquid natat, quidquid volat, quidquid ambulat, quidquid repit; laudant ista omnia Dominum. Numquid audisti quia laudat Dominum avaritia? numquid audisti, quia laudat Dominum ebriositas; quia laudat luxuria, laudat nugacitas? Quidquid ibi non audis laudem dare Domino, non fecit Dominus. Corrige quod tu fecisti, ut salvetur quod in te Deus fecit. Si autem non vis, & amas & amplecteris peccata tua: contrarius es Christo. Intus sis, foris sis, Antichristus es: intus sis, foris sis, palea es. Sed quare foris non es? quia occasionem venti non invenisti.

10. Jam ista manifesta sunt, Fratres. Ne quis dicat, Christum non colo, sed Deum colo Patrem ipsius. *Omnis qui negat Filium, nec Filium nec Pa-* *1. Johan. 2.* *trem habet: & qui confitetur Filium, & Filium &* *23.* *Patrem habet.* Vos grana alloquitur: & qui palea erant, audiant, & grana fiant. Unusquisque considerans conscientiam suam, si mundi amator est, mutetur; fiat amator Christi, ne sit Antichristus. Si quis ei dixerit quòd Antichristus sit, irascitur, injuriam sibi factam putat: fortassis inscriptionem minatur, si audiat à litigante quòd Antichristus sit. Dicit ei Christus, Patiens esto, si falsum audisti, gaude mecum; quia & ego falsa ab Antichristis audio: si autem verum audisti, conveni conscientiam tuam; & si audire times, esse plus time.

11. * *Ergo vos quod ab initio audistis, in vobis* *v. 24.* *maneat. Quòd si in vobis manserit quod ab initio au-* *distis; & vos in Filio & Patre manebitis.* * *Hæc est* *v. 25.* *pollicitatio quam ipse pollicitus est nobis.* Fortè enim mercedem quæreres, & diceres, Ecce in me quod ab initio audivi custodio, obtempero; pericula, labores, tentationes pro ista permansione sustineo: quo fructu? qua mercede? Quid mihi postea dabit, quia in hoc sæculo me video laborare inter tentationes? Non video hîc requiem esse aliquam; mortalitas ipsa aggravat animam, & corpus quod corrumpitur premit ad inferiora: sed tolero omnia, ut illud quod ab initio audivi, maneat in me; & di-
Psal. 16. 4. cam Deo meo, Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Ad quam ergo mercedem? Audi, & noli deficere. Si deficiebas in laboribus, promissa mercede fortis esto. Quis est qui operetur in vinea, & recedat illi de corde quod accepturus est? Fac illum oblitum mercedem suam, deficiunt manus. Memoria promissæ mercedis perseverantem facit in opere: & homo promisit qui te potest fallere. Quantò fortior esse debes in agro Dei, quando promisit veritas, cui nec succedi potest, nec mori, nec fallere potest eum cui promissum est? Et quid est promissum? Videamus quid promisit. Aurum est, quod hîc multùm amant homines, an argentum? An possessiones, ad quas fundunt homines aurum, quamvis multùm ament aurum? An amœna prædia, amplæ domus, multa mancipia, animalia numerosa? Non hæc est quædam merces, ad quam nos hortatur, ut in labore duremus. Quid dicitur

dicitur merces ista? Vita æterna. Audistis, & gavisi exclamastis: amate quod audistis, & liberamini à laboribus vestris in requiem vitæ æternæ. Ecce quid promittit Deus, vitam æternam. Ecce quid
Matt. 25. 34. & 6. minatur Deus, ignem æternum. Quid illis ad dexteram constitutis? Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Ad sinistram quid? Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ejus. Illud nondum amas, vel hoc time.

12. Mementote ergo, Fratres mei, quia vitam
1. Johan. 2. 25. æternam nobis promisit Christus, * *Hæc est*, inquit, *pollicitatio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æ-*
v. 26. *ternam.* * *Hæc scripsi vobis de his qui vos seducunt.* Nemo vos seducat ad mortem, promissionem vitæ æternæ desiderate. Quid potest mundus promittere? Quidquid libet promittat, fortassis crastinâ morituro promittit. Et qua fronte ad illum qui manet in æternum, exiturus es? Sed minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam. Quid minatur? carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias: numquid ignem æternum? Exhorresce quod minatur Omnipotens, ama quod pollicetur Omnipotens; & vilescit omnis mundus, sive promittens, sive ter-
2 rens. *Hæc scripsi vobis de his qui vos seducunt:* [a] *ut*
v. 27. *sciatis quia unctionem habetis;* * *& unctio quam acce-*
De pœn. dist. 2. Unctio. *pimus ab eo, permaneat in nobis.* Unctionis sacramentum est, virtus ipsa invisibilis: unctio invisibilis, Spiritus-sanctus; unctio invisibilis, caritas illa est, quæ in quocumque fuerit, tamquam radix illi erit, quamvis ardente sole arescere non potest. Omne quod radicatum est, nutritur calore solis, non arescit.

Ibidem. 13. *Et non habetis necessitatem ut aliquis vos do-* *ceat, quia unctio ipsius docet vos de omnibus.* Quid ergo nos facimus, Fratres, quia docemus vos? Si unctio ejus docet vos de omnibus, quasi nos sine caussa laboramus. Et ut quid tantum clamamus? Dimittamus vos unctioni illius, & doceat vos unctio ipsius. Sed modò mihi facio quæstionem, & illi ipsi Apostolo facio: dignetur audire parvulum quærentem à se; ipsi Johanni dico, Unctionem habebant quibus loquebaris? Tu dixisti, quia *unctio ipsius docet vos de omnibus.* Ut quid talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? quid instruebas? quid ædificabas? Jam hîc videte magnum sacramentum, Fratres: Sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ: si non sit intus qui doceat, inanis sit strepitus noster. Adeo Fratres, vultis nosse? Numquid non sermonem istum omnes audistis? Quàm multi hinc indocti exituri sunt? Quantum ad me pertinet, omnibus locutus sum: sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus-sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecùs, adjutoria quædam sunt & admonitiones. Cathedram in cælo habet qui corda
Matth. 23. 8. docet. Propterea ait & ipse in Evangelio, Nolite vobis dicere magistrum in terra, unus est magister vester Christus. Ipse vobis ergo intus loquatur, quando nemo hominum illic est: quia etsi aliquis est à latere tuo, nullus est in corde tuo. Et non sit nullus in corde tuo: Christus sit in corde tuo: unctio ipsius sit in corde, ne sit in solitudine cor sitiens, & non habens fontes quibus irrigetur. Interior ergo magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Ubi illius inspiratio & unctio illius non est, forinsecùs inaniter perstrepunt verba. Sic sunt ista verba, Fratres, quæ forinsecùs dicimus, quomodo est agricola ad arborem: forinsecùs operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ: quælibet forinsecùs adhibeat, numquid poma format? numquid nuditatem lignorum vestit umbrâ foliorum? numquid tale aliquid intrinsecùs agit? Sed quis agit hoc? Audite agricolam Apostolum, & videte quid sumus, & audite magistrum interio-
1. Cor. 3. 6. rem: Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit: neque qui plantat est aliquid, « neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. « Hoc ergo vobis dicimus: Sive plantemus, sive rigemus loquendo, non sumus aliquid: sed ille qui incrementum dat Deus, id est, unctio illius quæ docet vos de omnibus.

TRACTATUS * IV.

* Habitus quartâ feriâ Paschæ, juxta vet. Cod.

De eo quod sequitur, Et verax est, & non est mendax: *usque ad id*, In hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli.

1. MEMINISTIS Fratres, hesternam lectionem ad hoc terminatam, quia non habetis necessitatem, ut quis doceat vos, sed ipsa unctio docet vos de omnibus. Hoc autem, sicut vos recordari certus sum, sic exposuimus vobis, quia nos qui forinsecùs loquimur ad aures vestras, ita sumus quasi operarii, adhibentes culturam forinsecùs ad arborem, sed incrementum dare non possumus, nec fructus formare: ille autem qui vos creavit, & redemit, & vocavit, per fidem & Spiritum suum habitans in vobis, nisi loquatur vobis intus, sine caussa nos perstrepimus. Unde hoc apparet? Quia cùm multi audiant, non omnibus persuadetur quod dicitur; sed illis solis, quibus intus loquitur Deus. Illis autem intus loquitur, qui ei locum præbent: illi autem Deo locum præbent, qui diabolo locum non præbent. Habitare enim vult diabolus corda hominum, & loqui ibi omnia quæ valent ad seductionem. Sed quid ait Dominus Jesus? Princeps hujus mundi missus est *Johan. 12. 31.* foras. Unde missus est? numquid extra cælum & terram? numquid extra fabricam mundi? [c] sed extra corda credentium. Foras missio invasore, habitet redemtor: quia ipse redemit qui creavit. Et diabolus jam forinsecùs oppugnat, non vincit illum qui intus possidet. Forinsecùs autem oppugnat, immittendo varias tentationes: sed ille non consentit cui Deus intus loquitur, & unctio quam audistis.

2. *Et verax est*, inquit, eadem unctio, id est, *1. Johan. 2.* ipse Spiritus Domini qui docet homines, mentiri *27.* non potest. *Et non est mendax.* * *Sicut docuit vos per-* *v. 28.* *manete in* [b] *ipsa. Et nunc filioli, manete in eo,* *b* *ut cùm manifestatus fuerit, habeamus fiduciam in conspectu ejus, ut non confundamur ab eo in ad-* *ventu ejus.* Videtis Fratres. Credimus in Jesum quem non vidimus. Annuntiaverunt eum qui viderunt, qui contrectaverunt, qui verbum ex ore ipsius audierunt, & ut hæc persuaderent generi humano, ab illo missi sunt, non à seipsis ire ausi sunt. Et quò missi sunt? Audistis cùm Evangelium legeretur, Ite, prædicate Evangelium universæ crea- *Marci 16. 15.*

[a] MSS duo, *& vos unctionem quam accepistis ab eo*: omisso, *ut sciatis quia unctionem habetis.*

[b] MSS. duo, *in ipso.*

[c] Editi hîc addunt, *Non*: quod abest à MSS.

turæ quæ sub cælo est. Ubique ergo discipuli missi A sunt, adestantibus signis & prodigiis ut crederetur illis, quia ea dicebant quæ viderant. Et credimus in eum quem non vidimus, & venturum eum exspectamus. Quicumque illum fide exspectant, cùm venerit gaudebunt: qui sine fide sunt, cùm venerit quod nunc non vident, erubescent. Et confusio illa non erit unius diei & transiet, quomodo solent confundi qui inveniuntur in aliqua culpa, & eis insultatur ab hominibus. Confusio illa traducet con-
Matth. 25. 41. fusos ad sinistram, ut audiant, Ite in ignem æter- B num, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Maneamus ergo in verbis ejus, ne confundamur cùm venerit. Ipse enim dicit in Evangelio eis qui in eum
Iohan. 8. 31. & 32. crediderant, Si permanseritis in verbo meo, verè » discipuli mei estis. Et quasi dicerent, Quo fructu? » Et cognoscetis, inquit, veritatem, & veritas libe- » rabit vos. Modò enim salus nostra in spe, nondum in re: non enim tenemus jam quod promissum est, sed venturum speramus. Fidelis autem est qui promisit; non te fallit: tantùm tu noli deficere, sed C exspecta promissionem. Non enim novit fallere veritas. Tu noli esse mendax, ut aliud profitearis, aliud agas: tu serva fidem, & servat ille pollicitationem. Si autem non tu servaveris fidem, tu te fraudasti, non ille qui promisit.

1. Iohan. 2. 29. 3. *Si scitis quia justus est, scitote quia omnis qui facit justitiam, ex ipso est natus.* Justitia modò nostra ex fide. Justitia perfecta non est nisi in Angelis; & vix in Angelis, si Deo comparentur: tamen si qua perfecta justitia animarum & spirituum est quos Deus D creavit, in Angelis est sanctis, justis, bonis, nullo lapsu aversis, nullâ superbiâ cadentibus, sed manentibus semper in contemplatione Verbi Dei, & nihil aliud dulce habentibus, nisi à quo creati sunt, in ipsis perfecta justitia est: in nobis autem ex fide cœpit esse secundùm spiritum. Audistis cùm Psal-
Psal. 146. 7. mus legeretur, Incipite Domino in confessione. Incipite, inquit: initium justitiæ nostræ, confessio est peccatorum. Cœpisti non defendere peccatum tuum, jam inchoasti justitiam: perficietur autem in E te, quando nihil aliud facere delectabit, quando ab-
1. Cor. 15. 54. sorbebitur mors in victoriam, quando nulla concupiscentia titillabit, quando non erit lucta cum carne & sanguine, quando erit corona victoriæ, triumphus de inimico; tunc erit perfecta justitia. Modò adhuc pugnamus: si pugnamus, in stadio sumus; ferimus, & ferimur: sed qui vincat, exspectatur. Ille autem vincit, qui & quod ferit, non de viribus suis præsumit, sed de hortatore Deo. Solus diabolus adversùm nos pugnat. Nos si cum Deo F sumus, diabolum vincimus: nam & si tu solus cum diabolo pugnaveris, vincêris. Exercitatus hostis est. Quot palmarum? Considerate quò dejecerit: Ut mortales nasceremur, primò ipsam originem nostram de paradiso dejecit. Quid ergo faciendum est, quia ipse exercitatus est? Invocetur Omnipotens adversùs exercitatum diabolum. Habitet in te qui non potest vinci: & securus vinces eum qui vincere solet. Sed quos? in quibus non habitat Deus. Nam
Gen. 3. 6. ut noveritis Fratres, contemsit Adam in paradiso G posítus præceptum Dei, & erexit cervicem, veluti in potestate sua esse cupiens, & nolens subdi voluntati Dei, & lapsus est ab illa immortalitate, ab illa beatitudine. Homo autem quidam jam exercitatus, natus mortalis, cùm sederet in stercore putris vermibus, diabolum vicit: vicit & ipse Adam, & in Job ipse; quia de genere ipsius, Job, Ergo Adam victus in paradiso, vicit in stercore. In paradiso cùm esset, audivit persuasionem mulieris, quam illi immiserat diabolus: in stercore autem cùm esset, ait Evæ, Tamquam una ex insipientibus *Iob 2. 10.* mulieribus locuta es. Ibi aurem apposuit; hîc responsum dedit: cùm esset lætus, audivit; cùm esset flagellatus, vicit. Ideo videte quid sequitur, Fratres, in Epistola ista: quia hoc nobis commendat, ut diabolum quidem vincamus, sed non ex nobis. *Si scitis quia justus est*, ait, *scitote quia omnis qui facit justitiam, ex ipso est natus*: ex Deo, ex Christo. Et quia dixit, *Ex ipso est natus*, hortatur nos. Jam ergo quia nati ex illo sumus, perfecti sumus.

4. Audite: ECCE *qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur & simus.* Nam qui *1. Iohan. 3. 1.* vocantur & non sunt, quid illis prodest nomen ubi res non est? Quàm multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quàm multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inveniuntur; quia hoc quod vocantur non sunt, id est in vita, in moribus, in fide, in spe, in caritate. Hîc autem quid audistis Fratres? *Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur & simus. Propter hoc mundus non cognoscit nos, quia non cognovit eum, & nos non cognoscit mundus.* Totus mundus Christianus, & totus mundus impius: per totum enim mundum impii, & per totum mundum pii: illi illos non cognoscunt. Quomodo putamus quia non cognoscunt? insultant bene viventibus. Adtendite, & videte, quia fortè sunt & inter vos. Unusquisque vestrûm qui jam piè vivit, qui contemnit sæcularia, qui non vultire ad spectacula, qui non vult se inebriare quasi sollemniter, & quod est gravius, accedente patrocinio sanctorum dierum fieri immundus: qui ista facere noluerit, quomodo ei insultatur ab his qui faciunt? Numquid insultaretur ei si agnosceretur? Quare autem non agnoscitur? mundus eum non agnoscit. Quis est mundus? Illi habitatores mundi, quomodo dicitur domus habitatores ejus. Jam ista sæpe dicta sunt, & non ea vobis cum odio repetimus. Jam cùm auditis mundum in mala significatione, non intelligatis nisi dilectores mundi: quia per dilectionem inhabitant, & per quod inhabitant, nomen habere meruerunt. Propter hoc mundus non cognovit nos, quia non cognovit eum. Ambulabat & ipse Dominus Jesus Christus, in carne erat Deus, latebat in infirmitate. Et unde non est cognitus? Quia omnia peccata arguebat in hominibus. Illi amando delectationes peccatorum, non agnoscebant Deum: amando quod febris suadebat, injuriam medico faciebant.

5. Quid ergo nos? Jam nati sumus ex ipso: sed quia in spe sumus, *Dilectissimi*, inquit, *nunc filii* *v. 2.* *Dei sumus.* Jam nunc? Quid est ergo quod exspectamus, si jam filii Dei sumus? *Et nondum*, inquit, *manifestatum est quid erimus.* Quid autem erimus aliud, quàm filii Dei? Audite quid sequitur: *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Intelligat Caritas Vestra. Magna res: *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Jam illud adtendite quid vocatur *est*. Nostis quid vocatur. *Est* quod vocatur, & non solùm vocatur, sed verè est, incommutabile est: semper manet, mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur: nec proficit, quia perfectum est; nec deficit, quia æternum est. Et quid est hoc? In principio erat Verbum, & Verbum *Iohan. 1. 1.*

erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et quid A
Philip. 2. 6. est hoc? Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Hoc modo Christum in forma Dei, Verbum Dei, Unicum Patri, æqualem Patri, non possunt videre mali. Secundùm id verò quod Verbum caro factum est, poterunt & mali: quia in die judicii videbunt & mali; quia sic veniet judicaturus quomodo venerat judi-
Ier. 17. 5. candus. In ipsa forma homo, sed Deus: nam maledictus omnis qui spem suam ponit in homine. Homo venit ut judicaretur, homo veniet ut judicet. B
Iohan. 19. 37. Et si non videbitur, quid est quod scriptum est, Videbunt in quem confixerunt? De impiis enim dictum est, quia videbunt, & confundentur. Quomodo non videbunt impii, quando alios ponet ad dexteram, alios ad sinistram? Ad dexteram positis dicet, Venite benedicti Patris mei, percipite
Matth. 25. 34. &c. regnum. Ad sinistram positis dicet, Ite in ignem æternum. Videbunt, sed formam servi: formam Dei non videbunt. Quare? Quia impii sunt; & ipse
Matth. 5. 8. Dominus dicit, Beati mundo corde, quoniam ipsi C Deum videbunt. Ergo visuri sumus quamdam visionem, Fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit: visionem quamdam, visionem præcellentem omnes pulcritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque camporum, pulcritudinem maris & aëris, pulcritudinem solis & lunæ, pulcritudinem stellarum, pulcritudinem Angelorum, omnia superantem; quia ex ipsa pulcra sunt omnia.
1. Cor. 2. 9.

6. Quid ergo nos erimus, quando hoc videbi- D mus? Quid nobis promissum est? *Similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Quomodo potuit, lingua sonuit: cetera corde cogitentur. Quid enim vel ipse Johannes dixit ad comparationem ejus qui est, vel quid à nobis potest dici hominibus longè imparibus meritis ipsius? Redeamus ergo ad illam unctionem ipsius, redeamus ad illam unctionem quæ intus docet quod loqui non possumus, & quia modò videre non potestis, officium vestrum in desiderio sit. Tota vita Christiani boni, sanctum de- E siderium est. Quod autem desideras, nondum vides: sed desiderando capax efficeris, ut cùm venerit quod videas, implearis. Sicuti enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum vel sacci vel utris vel alicujus rei: nosti quantum missurus es, & vides quia angustus est sinus; extendendo facis capaciorem: sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capacem. Desideremus ergo, Fratres, quia implendi su- F mus. Videte Paulum extendentem sinum, ut posset
Philip. 3. 12. &c. capere quod venturum est. Ait enim, Non quia jam » acceperim, aut jam perfectus sim: fratres, ego me » non arbitror apprehendisse. Quid ergo agis in hac » vita, si nondum apprehendisti? Unum autem, quæ » retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secun- » dùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis. Extentum se dixit, & secundùm intentionem sequi se dixit. Minorem se sentiebat ad capiendum quod oculus non vidit, nec auris audivit, G nec in cor hominis adscendit. Hæc est vita nostra, ut desiderando exerceamur. Tantum autem nos exercet sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputaverimus ab amore sæculi. Jam diximus, aliquando exinaniri quod implendum est. Bono implendus es, funde malum. Puta quia melle te vult implere Deus: si aceto plenus es, ubi mel po-

nes? Fundendum est quod portabat vas: mundandum est ipsum vas; mundandum est, etsi cum labore, cum tritura, ut fiat aptum cuidam rei. Mel dicamus, aurum dicamus, vinum dicamus: quidquid dicimus quod dici non potest, quidquid volumus dicere, Deus vocatur. Et quod dicimus Deus, quid diximus? Duæ istæ syllabæ sunt totum quod exspectamus? Quidquid ergo dicere valuimus, infrà est: extendamus nos in eum, ut cùm venerit, impleat. *Similes* enim *ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.*

7. *Et omnis qui habet spem hanc in ipso.* Videtis *1. Iohan. 3. 3.* quia in spe nos posuit. Videtis quemadmodum congruit apostolus Paulus coapostolo suo, Spe salvi *Rom. 8. 24.* facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes. *& 25.* Quod enim videt quis, quid sperat? Si enim quod » non videmus speramus, per patientiam exspecta- » mus. Ipsa patientia exercet desiderium. Mane tu, nam manet ille: & perseverа in ambulando, ut pervenias: quia quò tendis, non migrabit. Videte: *Et omnis qui habet spem hanc in ipso, castificat semetipsum, sicut & ipse castus est.* Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, ut diceret *castificat semetipsum.* Quis nos castificat nisi Deus? Sed Deus te nolentem non castificat. Ergo quòd adjungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum. Castificas te, non de te, sed de illo qui venit ut inhabitet te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributum est. Ideo autem tibi tributum est, ut dicas sicut in Psalmo, Adjutor meus *Psal. 26. 9.* esto, ne derelinquas me. Si dicis, Adjutor meus esto, aliquid agis: nam si nihil agis, quomodo ille adjuvat?

8. *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem fa-* *1. Iohan. 3. 4.* *cit.* Nemo dicat, Aliud est peccatum, aliud iniquitas: nemo dicat, Ego peccator homo sum, sed iniquus non sum. *Omnis* enim *qui facit peccatum, & iniquitatem facit. Peccatum est iniquitas.* Quid ergo facimus de peccatis nostris & iniquitatibus? Audi quid dicat: *Et scitis quia ille manifestatus est, ut pec-* *v. 5.* *catum auferat: & peccatum in ipso non est.* In quo non est peccatum, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset & in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret. *Omnis qui in ipso manet, non pec-* *cat.* Inquantum in ipso manet, intantum non peccat. *Omnis qui peccat, non vidit eum, neque cogno-* *v. 6.* *vit eum.* Magna ista quæstio: *Omnis qui peccat, non vidit eum, neque cognovit eum.* Non est mirum. Non eum vidimus, sed visuri sumus: non eum cognovimus, sed cogniturі sumus: credimus in eum quem non cognovimus. An fortè ex fide cognovimus, & specie nondum cognovimus? Sed in fide & vidimus & cognovimus. Si enim nondum videt fides, quare dicimur illuminati? Est illuminatio per fidem, est illuminatio per speciem. Modò cùm peregrinamur, *2. Cor. 5. 7.* per fidem ambulamus, non per speciem. Ergo & justitia nostra per fidem est, non per speciem. Erit perfecta nostra justitia, cùm videbimus per speciem. Modò non relinquamus eam justitiam quæ est ex fide, quoniam justus ex fide vivit, sicut ait Apo- *Rom. 1. 17.* stolus: *Omnis qui manet in ipso, non peccat.* Nam *omnis qui peccat, non vidit eum, neque cognovit eum.* Non credit iste qui peccat: si autem credit, quantum ad fidem ejus pertinet, non peccat.

9. *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, ju-* *1. Iohan. 3.* *stus est, sicut & ille justus est.* Numquid quando audi- *7.* vimus, quia justi sumus, *sicut & ille*, æquales nos debemus putare Deo? Debetis nosse quid est, *sicut*

Jamdudum enim dixit, *Castificat semetipsum, sicut ipse castus est.* Jam ergo par & æqualis est castitas nostra castitati Dei, & justitia nostra justitiæ Dei? Quis hoc dicat? Sed, *sicut*, non semper ad æqualitatem dici solet. Quomodo, verbi gratiâ, visâ basilicâ istâ amplâ, si velit facere aliquis minorem, sed tamen proportione ad mensuras ejus, ut verbi gratiâ, si lata est ista simplum, & longa duplum; faciat & ille latam simplum, & longam duplum: videtur sic fecisse sicut est ista. Sed ista habet, verbi gratiâ, centum cubitos, illa triginta: & sic est, & impar est. Videtis quia non semper, *sicut*, ad paritatem & æqualitatem refertur. Verbi gratiâ, videte quantum sit inter faciem hominis, & imaginem de speculo: facies in imagine, facies in corpore; imago in imitatione, corpus in veritate. Et quid dicimus? Nam sicut hîc oculi, ita & ibi: sicut hîc aures, ita & ibi aures sunt. Dispar est res: sed, *sicut*, ad similitudinem dicitur. Habemus ergo & nos imaginem Dei; sed non illam quam habet Filius æqualis Patri: tamen & nos pro modulo nostro si non sicut ille essemus, ex nulla parte similes diceremur. Ergo castificat nos sicut & ipse castus est; sed ille castus æternitate, nos casti fide: justi sumus sicut & ipse justus est; sed ipse in ipsa incommutabili perpetuitate, nos justi credendo in quem non videmus, ut aliquando videamus. Et cùm perfecta fuerit justitia nostra, cùm facti æquales Angelis fuerimus; nec tunc illi æquabitur. Quanto ergo modò ab illo longè est, quando nec tunc par erit?

v. 8. 10. *Qui facit peccatum, de diabolo est: quia ab initio diabolus peccat. De diabolo est*, nostis quid dicat: imitando diabolum. Nam neminem fecit diabolus, neminem genuit, neminem creavit: sed quicumque fuerit imitatus diabolum, quasi de illo natus, fit filius diaboli imitando, non propriè nascendo. Quomodo es filius Abrahæ? numquid Abraham te genuit? Quomodo Judæi filii Abrahæ non imitantes fidem Abrahæ, facti sunt filii diaboli: de carne Abraham nati sunt, & fidem Abrahæ non sunt imitati. Si ergo qui inde nati sunt, exheredati sunt, quia non sunt imitati: tu qui non de illo natus es, efficeris filius, & sic eris filius imitando. Et si diabolum fueris imitatus, quia ille superbus exstitit & impius adversùs Deum, eris filius diaboli, imitando; non quia creavit te, aut genuit te.

Ibidem. 11. *In hoc manifestatus est Filius Dei.* Eia Fratres, omnes peccatores ex diabolo nati sunt, inquantum peccatores. Adam à Deo factus est: sed quando consensit diabolo, ex diabolo natus est; & tales omnes genuit qualis erat. Cum ipsa concupiscentia nati sumus: & antequam nos debita nostra addamus, de illa damnatione nascimur. Nam si cum nullo peccato nascimur, quid est quòd cum infantibus ad baptismum curritur ut solvantur? Ergo duas nativitates adtendite Fratres, Adam & Christum: Duo sunt homines; sed unus ipsorum homo homo, alter ipsorum homo Deus. Per hominem hominem, peccatores sumus: per hominem Deum, justificamur. Nativitas illa dejecit ad mortem; ista nativitas erexit ad vitam: nativitas illa trahit secum peccatum; nativitas ista liberat à peccato. Ideo enim venit Christus homo, ut solveret peccata hominum. *In hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli.*

12. Cetera commendo Caritati Vestræ, ne vos gravem. Ipsa enim quæstio est, in qua solvenda laboramus, quia peccatores nos dicimus: si enim quis dixerit se esse sine peccato, mendax est. Et in ipsius Epistola Johannis invenimus, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Meminisse enim debetis priorum: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Et rursus in consequentibus audis, *Qui natus est ex Deo, non peccat: Qui facit peccatum, non vidit eum, neque cognovit eum: Omnis qui facit peccatum, de diabolo est.* Ex Deo non est peccatum. Iterum terret nos. Quomodo nati sumus ex Deo, & quomodo nos fatemur peccatores? An dicturi sumus, quia de Deo nati non sumus? Et quid faciunt ista sacramenta in infantibus? Quid dixit Johannes? *Qui natus est ex Deo, non peccat.* Ipse Johannes iterum dixit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Magna quæstio est & angusta: & ad hanc solvendam intentam fecerim Caritatem Vestram. In nomine Domini cras quod inde dederit, disseremus.

1 Johan. 1. 8.

1. Johan. 3. 9. &c.

TRACTATUS * V.

* Habitus quintâ feriâ Paschæ, juxta vet. Cod.

In id quod sequitur, Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum: *usque ad id*, Non diligamus verbo tantùm & linguâ, sed opere & veritate.

1. INTENTE audite obsecro vos, quia res non minima versatur in medio: & non dubito quia hesterno die adfuistis intentè, quòd & hodie intentiùs convenistis. Est enim non parva quæstio, quomodo dicat in ista Epistola, *Qui natus est ex Deo, non peccat*: & quomodo in eadem Epistola superiùs dixit, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quid facturus est quem uterque sermo ex eadem Epistola in medio coartavit? Si se confessus fuerit peccatorem, timet ne dicatur illi, Non ergo ex Deo natus es: quia scriptum est, *Qui natus est ex Deo, non peccat.* Si autem dixerit se justum, & non habere peccatum, accipit ex alia parte plagam ex ipsa Epistola, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Positus ergo homo in medio, quid dicat, & quid confiteatur, aut quid profiteatur, non invenit. Profiteri se esse sine peccato, periculosum est; & non solùm periculosum, sed etiam mendosum: Nos ipsos, inquit, seducimus, & veritas in nobis non est, si dixerimus, quia peccatum non habemus. Sed utinam non haberes, & diceres: verum enim diceres, nec in veritate promenda ullum iniquitatis vel vestigium formidares. Sed ideo malè facis si dicis, quia mendacium dicis: Veritas, inquit, in nobis non est, si dixerimus quia peccatum non habemus. Non ait, Non habuimus: ne fortè de præterita vita dictum videretur. Habuit enim peccata homo iste; sed ex quo natus est ex Deo, cœpit non habere. Si ita esset, nulla nos angustaret quæstio. Diceremus enim, Fuimus peccatores, sed modò justificati sumus: habuimus peccatum, sed modò non habemus. Non hoc ait: sed quid ait? Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Post aliquantum rursus, *Qui natus est ex Deo*, inquit, *non peccat.* Numquid Johannes ipse non erat natus ex Deo? Si Johannes non erat natus ex Deo, de quo audistis quia supra pectus Domini recumbebat; aliquis sibi audet promittere

1 Johan. 1. 8.

1. Johan. 3. 9.

1. Johan. 1. 8.

John. 13. 23.

regenerationem factam in se, quam ille habere non meruit, qui super pectus Domini recumbere meruit? Quem Dominus plus quàm ceteros diligebat, ipsum solum de Spiritu non genuerat?

2. Adtendite nunc verba ista: adhuc angustias nostras commendo, ut per intentionem vestram, quæ oratio est & pro nobis & pro vobis, dilatet Deus, & det exitum: ne aliquis in verbo ejus inveniat occasionem perditionis suæ, quod verbum non est prædicatum & conscriptum, nisi ad medicinam & salutem. *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, & iniquitatem facit.* Ne fortè discernas. *Peccatum iniquitas est.* Ne dicas, peccator sum, sed iniquus non sum: *Peccatum iniquitas est.* * *Et scitis quia in hoc ille manifestatus est, ut peccata auferat, & peccatum in illo non est.* Et quid prodest nobis quia venit sine peccato? *Omnis qui non peccat, in ipso manet: & omnis qui peccat, non vidit eum, neque cognovit eum.* * *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut & ille justus est.* Jam ista diximus, quia *sicut* secundùm quamdam similitudinem, non secundùm æqualitatem, dici solet. *Qui facit peccatum, de diabolo est: quia ab initio diabolus peccat.* Et hoc diximus, quia neminem creavit diabolus, neque genuit: sed imitatores ejus tamquam ex illo nascuntur. *In hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli.* Ergo ut solvat peccata [a] ille qui non habet peccatum. Deinde sequitur, *Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum, quia semen ejus in ipso manet: & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Fortiter instrinxit. Fortassis secundùm quoddam peccatum dixit, non peccat, non secundùm omne peccatum: ut quod ait, *Qui natus est ex Deo, non peccat*, certum quoddam peccatum intelligas, quod non potest admittere homo qui ex Deo natus est: & tale peccatum est illud, ut si quisquam illud admiserit, confirmet cetera; si quis autem hoc non admiserit, solvat cetera. Quod est hoc peccatum? facere contra mandatum. Quod est mandatum? Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. Intendite Hoc mandatum Christi dilectio vocatur: per hanc dilectionem peccata solvuntur. Hæc si non teneatur, & grave peccatum est, & radix omnium peccatorum.

1. Johan. 3. 4. *v. 5.* *v. 6.* *v. 7.* *v. 8.* *v. 9.* *Iohan. 13. 34.*

3. Intendite Fratres: protulimus aliquid, in quo bene intelligentibus soluta est quæstio. Sed numquid cum celerioribus tantùm ambulamus viam? Et qui tardiùs ambulant, non sunt relinquendi. Versemus hoc quibus possumus verbis, ut ad omnes perveniat. Puto enim, Fratres, quia omnis homo sollicitus est pro anima sua, qui non sine caussa intrat Ecclesiam, qui non temporalia quærit in Ecclesia, qui non propterea intrat ut transigat negotia sæcularia; sed ideo intrat, ut aliquid sibi æternum promissum teneat, quò perveniat: necesse est cogitet quemadmodum ambulet in via, ne remaneat, ne retrò eat, ne aberret, ne claudicando non perveniat. Qui ergo sollicitus est, tardus sit, velox sit, non recedat de via. Hoc ergo dixi, quia *qui natus est ex Deo, non peccat*, fortassis secundùm quoddam peccatum voluit intelligi: nam erit contrarium illi loco, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Sic ergo potest solvi quæstio. Est quoddam peccatum quod non potest admittere ille qui natus est ex Deo: & quo non admisso solvuntur cetera, quo admisso confirmantur cetera. Quod est hoc peccatum? Facere contra mandatum Christi, contra testamentum novum. Quod est mandatum novum? Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. Qui facit contra caritatem & contra dilectionem fraternam, non audeat gloriari, & dicere natum se esse ex Deo: qui autem in dilectione fraterna constitutus est, certa sunt peccata, quæ non potest admittere, & hoc maximè ne oderit fratrem. Et quid de ceteris peccatis facit, unde dictum est, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est? Audiat securitatem de alio loco Scripturæ: Caritas cooperit multitudinem peccatorum.

1. Pet. 4. 8.

4. Caritatem ergo commendamus: caritatem commendat hæc Epistola. Post resurrectionem Dominus quid aliud interrogavit Petrum, nisi, Amas me? Et parum fuit semel interrogare: & iterum nihil aliud, & tertiò nihil aliud. Cùm jam tertiò ille tædio afficeretur, quasi non sibi crederet, quomodo qui nesciret quid in illo ageretur: tamen & primò & secundò & tertiò hoc interrogavit. Ter negavit timor, ter confessus est amor. Ecce amat Petrus Dominum. Quid præstaturus Domino? Non enim & ipse non turbatus est in illo Psalmo, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Qui enim dicebat hæc in Psalmo, adtendebat quanta sibi essent præstita à Deo; & quærebat quid retribueret Deo, & non inveniebat. Quidquid enim retribuere volueris, ab ipso accepisti ut reddas. Et quid invenit ut retribuat? Quod, ut diximus, Fratres, ab ipso acceperat, hoc invenit quod retribueret. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Quis enim illi dederat calicem salutarem, nisi ille cui volebat retribuere? Accipere autem calicem salutarem, & invocare nomen Domini, hoc est satiari caritate; & ita satiari, ut non solùm non oderis fratrem, sed paratus sis mori pro fratre. Perfecta ista caritas est, ut paratus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dominus in se exhibuit, mortuus pro omnibus, orans pro eis à quibus crucifigebatur, & dicens, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sed si solus hoc fecit, non erat magister, si discipulos non habebat. Secuti discipuli hoc fecerunt. Lapidabatur Stephanus, & genu fixo ait, Domine, ne statuas illis hoc delictum. Amabat à quibus occidebatur, quia & pro ipsis moriebatur. Audi & apostolum Paulum: Et ipse, inquit, impendar pro animabus vestris. Inter illos enim erat pro quibus Stephanus deprecabatur, quando eorum manibus moriebatur. Perfecta ergo caritas hæc est. Si quis tantam habuerit caritatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo caritas. Sed numquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur: cùm fuerit nata, nutritur; cùm fuerit nutrita roboratur; cùm fuerit robora[illegible], perficitur: cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Optabam dissolvi & esse cum Christo; multò enim magis optimum: manere in carne necessarium propter vos. Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori.

Luca 23. 34. *Act. 7. 59.* *2. Cor. 12. 15.* *Philip. 1. 21. &c.*

5. Et ut noveritis quia ipsa est perfecta caritas, quam non violat, & in quam non pec-

[a] Editi, *venit ille.* Abest, *venit*, ab omnibus MSS.

cat qui natus est ex Deo : hoc Dominus dicit
Johan. 21. 15. Petro, Petre amas me ? Et ille, Amo. Non
ait, Si amas me, obsequere mihi. Quando enim
erat Dominus in carne mortali, esurivit, sitivit:
eo tempore quo esuriebat & sitiebat, susceptus
Luc. 8. 3. est hospitio : ministrarunt illi qui habuerunt, de
substantia sua, sicut legimus in Evangelio. Sus-
Luc. 19. 6. cepit eum hospitio Zacchæus : salvus factus est à
morbo, suscepto medico. Quo morbo ? avaritiæ. Erat enim ditissimus, & princeps publicano-
Ibidem 8. rum. Adtendite sanatum à morbo avaritiæ. Di-
» midium, inquit, bonorum meorum do pauperi-
» bus : & si cui aliquid tuli, quadruplum reddam.
Ideo servavit alterum dimidium, non quo fruetur, sed unde debita solveret. Suscepit ergo
tunc medicum hospitio, quia erat infirmitas carnis
in Domino, cui hoc obsequium præberent homines : & hoc, quia voluit præstare obsequentibus ; obsequentibus enim proderat, non illi.
Cui enim Angeli ministrabant, horum obsequium
3. *Reg.* 17. 4. & 9. requirebat ? Nec Elias servus illius hoc necessarium habebat aliquando, cui panem & carnem per
corvum mittebat : & tamen ut vidua religiosa benediceretur, mittitur servus Dei, pascitur à vidua
quem Deus in secreto pascebat. Verumtamen
quamquam de his servis Dei sibi præstent, qui
eorum indigentiam considerant, propter illam
mercedem à Domino in Evangelio manifestissimè
Matth. 10. 41. & 42. positam, Qui suscipit justum in nomine justi,
» mercedem justi accipiet ; & qui suscipit Pro-
» phetam in nomine Prophetæ, mercedem Pro-
» phetæ accipiet ; & qui dederit calicem aquæ fri-
» gidæ uni ex his minimis tantùm in nomine dis-
» cipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem
suam. Quamvis ergo sibi præstent qui hoc faciunt,
tamen nec hoc poterat præberi adscensuro in
cælum. Quid illi poterat retribuere Petrus, qui
amabat illum ? Audi quid : Pasce oves meas : id
est, Fac pro fratribus quod pro te feci. Om-
nes sanguine meo redemi. Nolite dubitare mori
pro veritatis confessione : ut ceteri vos imitentur.

6. Sed hæc, ut diximus, Fratres, perfecta caritas est : qui natus est ex Deo, habet illam. Intendat Caritas Vestra, videte quid dicam. Ecce
accepit sacramentum nativitatis homo baptizatus:
sacramentum habet, & magnum sacramentum,
divinum, sanctum, ineffabile. Considera quale:
ut novum hominem faciat dimissione omnium peccatorum. Adtendat tamen in cor, si perfectum
est ibi, quod factum est in corpore : videat si habet caritatem, & tunc dicat, Natus sum ex Deo.
Si autem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur. Habeat caritatem : aliter non se dicat natum ex Deo. Sed
habeo, inquit, sacramentum. Audi Apostolum :
2. *Cor.* 13. 2. » Si sciam omnia sacramenta, & habeam omnem
» fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem
» non habeam, nihil sum.

7. Hoc, si meminisstis, commendavimus, cùm istam Epistolam legere inciperemus, nihil
in ea nobis sic commendari, quomodo caritatem.
Et si videtur alia & alia dicere, illuc facit reditum : & ad ipsam caritatem omnia vult referre
quæcumque dixerit. Videamus si & hîc hoc facit.
Adtende : *Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum.* Quærimus quod peccatum : quia si omne
1. *Johan.* 1. 8. intellexeris, contrarius erit illi loco, Si dixerimus
» quia peccatum non habemus, nosmetipsos seduci-
mus, & veritas in nobis non est. Ergo dicat quod peccatum, doceat nos : ne fortè ego temere
dixerim peccatum hoc esse violationem caritatis,
quia suprà dixit, Qui odit fratrem suum, in te- 1. *Johan.* 2. 11.
nebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò
eat, quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus.
Sed fortè dixit aliquid in posterioribus, & nominavit caritatem. Videte quia circuitus ille verborum hunc habet finem, hunc habet exitum.
Omnis qui natus est ex Deo, non peccat : quia semen 1. *Johan.* 3. 9.
ejus in ipso manet. Semen Dei, id est, verbum Dei :
unde dicit Apostolus, Per Evangelium ego vos 1. *Cor.* 4. 15.
genui. *Et non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Dicat hoc, videamus in quo non potest peccare. *In hoc manifestati sunt filii Dei & filii diabo-* 1. *Johan.* 3. 10.
li : Omnis qui non est justus, non est à Deo ; & qui non diligit fratrem suum. Certè jam manifestum est
unde dicat, *Et qui non diligit*, inquit, *fratrem suum.* Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei
& filios diaboli. Signent se omnes signo crucis
Christi ; respondeant omnes, Amen ; cantent omnes, Halleluia ; baptizentur omnes, intrent Ecclesias, faciant parietes basilicarum : non discernuntur filii Dei à filiis diaboli nisi caritate. Qui
habent caritatem, nati sunt ex Deo : qui non habent, non sunt nati ex Deo. Magnum indicium,
magna discretio. Quidquid vis habe : hoc solum
non habeas, nihil tibi prodest : alia si non habeas,
hoc habe, & implesti Legem. Qui enim diligit *Rom.* 13. 8.
alterum, Legem implevit, ait Apostolus : &, Ple- & 10.
nitudo Legis caritas. Puto istam margaritam esse
illam, quam homo negotiator quæsisse describitur in Evangelio, qui invenit unam margaritam, *Matth.* 13.
& vendidit omnia quæ habebat, & emit eam. 46.
Hæc est margarita pretiosa, caritas, sine qua nihil
tibi prodest quodcumque habueris : quam si solam habeas, sufficit tibi. Modò cum fide vides,
tunc cum specie videbis. Si enim amamus cùm
non videmus, quomodo amplectemur cùm viderimus ? Sed ubi nos debemus exercere ? in
amore fraterno. Potes mihi dicere, Non vidi
Deum : numquid potes mihi dicere, Non vidi
hominem ? Dilige fratrem. Si enim fratrem quem
vides dilexeris, simul videbis & Deum ; quia videbis ipsam caritatem, & intus inhabitat Deus.

8. * *Qui non est justus, non est ex Deo ; & qui* 1. *Johan.* 3.
non diligit fratrem suum. * *Quia hæc est annuntiatio:* v. 10.
vide quomodo confirmat : *Quia hæc est annuntiatio* v. 11.
quam audivimus ab initio, ut diligamus invicem.
Manifestavit nobis inde se dicere : contra hoc
mandatum quisquis facit, in peccato illo est scelerato, in quod incidunt qui non nascuntur ex Deo.
Non sicut Caïn qui ex maligno erat, & occidit fra- v. 12.
trem suum. Et cujus rei gratiâ occidit ? Quia opera ejus maligna fuerunt, fratris verò ejus justa. Ergo ubi est
invidia, amor fraternus esse non potest. Intendat
Caritas Vestra. Qui invidet, non amat. Peccatum
diaboli est in illo : quia & diabolus invidendo dejecit. Cecidit enim, & invidit stanti. Non ideo voluit dejicere ut ipse staret, sed ne solus caderet.
Tenete in animo ex hoc quod subjecit, invidiam
non posse esse in caritate. Habes apertè cùm laudaretur ipsa caritas, Caritas non æmulatur. Non 1. *Cor.* 13. 4.
fuit caritas in Caïn : & nisi esset caritas in Abel,
non acciperet Deus sacrificium ejus. Cùm enim
ambo obtulissent, ille de fructibus terræ, ille de fetibus ovium : quid putatis Fratres, quia Deus fructus terræ neglexit, & fetus ovium dilexit ? Non

a intendit Deus ad [a] manus ; sed in corde vidit : & quem vidit cum caritate offerre, ipsius sacrificium respexit ; quem vidit cum invidia offerre, ab ipsius sacrificio oculos avertit. Opera ergo
bona Abel non dicit nisi caritatem : opera mala
Caïn non dicit nisi odium fraternum. Parum est
quia odit fratrem suum, & invidit operibus bonis :
quia imitari noluit, necare voluit. Et hinc apparuit
quia filius erat diaboli, & ille hinc apparuit justus Dei. Hinc ergo discernuntur homines, Fratres
mei. Nemo adtendat linguas, sed facta & cor. Si
non bene faciat pro fratribus suis, ostendit quid in
se habeat. Tentationibus probantur homines.

9. *Nolite mirari fratres, si odit* [b] *nos mundus.*
1. *Johan.* 3. 13. b Numquid sæpe vobis dicendum est, quid est mundus ? Non cælum, non terra, nec ista opera quæ
Deus fecit : sed dilectores mundi. Ista sæpe dicendo quibusdam onerosus sum : sed usque adeò non
frustra dico, ut aliqui interrogentur an dixerim,
& non respondeant. Ergo vel inculcando hæreat
aliquid in cordibus audientium. Quid est mundus? C
Mundi significata. Mundus est, quando in malo ponitur, dilectores
mundi : mundus quando in laude ponitur, cælum
& terra est, & quæ in his opera Dei : unde dicitur,
Johan. 1. 10. Et mundus per eum factus est. Item mundus est
1. *Johan.* 2. 2. plenitudo terræ, sicut dixit ipse Johannes, Non solùm autem nostrorum peccatorum propitiator est,
sed & totius mundi. Mundi dicit omnium fidelium
per orbem sparsorum. Mundus autem in malo,
amatores mundi sunt. Qui amant mundum, fratrem amare non possunt.

1. *Johan.* 3. 14. 10. *Si odit nos mundus :* * *nos scimus :* Quid nos
scimus ? *quia transivimus de morte ad vitam :* Unde scimus ? *quia diligimus fratres.* Nemo interroget
hominem ; redeat unusquisque ad cor suum : si ibi
invenerit caritatem fraternam, securus sit, quia
transiit à morte ad vitam. Jam in dextera est : non
adtendat quia modò gloria ejus occulta est, cùm
venerit Dominus, tunc apparebit in gloria. Viget
enim, sed adhuc in hyeme : viget radix, sed quasi
aridi sunt rami : intus est medulla quæ viget, intus E
sunt folia arborum, intus fructus ; sed æstatem exspectant. Ergo *nos scimus quia transivimus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Ne putetis Fratres, leve esse, odis-
v. 15. se aut non diligere, audite quod sequitur : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Jam ergo si contemnebat quisquam odium fraternum, numquid & homicidium in corde suo contemturus est ? Non movet manus ad occidendum hominem, homicida
jam tenetur à Domino : vivit ille, & iste jam interfector judicatur. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.*

v. 16. 11. *In hoc cognoscimus dilectionem.* Perfectionem dilectionis dicit, perfectionem illam quam
commendavimus. *In hoc cognoscimus dilectionem. Quia ille pro nobis animam suam posuit : & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Ecce unde venie-
Johan. 21. 15. *&c.* bat, Petre amas me, pasce oves meas. Nam ut noveritis, quia sic ab eo pasci volebat oves suas, ut G
animam suam pro ovibus poneret ; hoc illi conti-
» nuò dixit, Cùm juvenis esses, præcingebas te, &
» ibas quò volebas, cùm autem fueris senior, alius te
» præcinget, & tollet te quò tu non vis. Hoc autem
» dixit, ait Evangelista, significans qua morte clarificaturus erat Deum : ut cui dixerat, Pasce oves meas,
doceret eum ponere animam pro ovibus suis.

12. Unde incipit caritas, Fratres ? Modicùm
adtendite : quo perficiatur audistis : ipsum finem &
modum ipsum & Dominus in Evangelio commendavit : Majorem caritatem nemo habet, ait, quàm *Johan.* 15. 13.
ut animam suam ponat pro amicis suis. Perfectionem ergo ejus ostendit in Evangelio, & hîc commendata est ejus perfectio : sed interrogatis vos, &
dicitis vobis, Quando possumus habere istam caritatem. Noli citò de te desperare : fortè nata est,
sed nondum perfecta est ; nutri eam, ne offocetur. B
Sed dicturus es mihi, Et unde novi ? Quo enim perficiatur audivimus : unde incipiat audiamus. Sequitur, & dicit, *Qui autem habuerit facultates mundi,* 1. *Johan.* 3.
& viderit fratrem suum esurientem, & clauserit viscera sua ab eo ; quomodo poterit dilectio Dei manere v. 17.
in eo ? Ecce unde incipit caritas. Si nondum es idoneus mori pro fratre : jam idoneus esto dare de tuis
facultatibus fratri. Jam percutiat viscera tua caritas, ut non de jactantia facias, sed de intimo adC pe misericordiæ : ut consideres illum in egestate
positum. Si enim superflua non potes dare fratri
tuo, animam tuam potes ponere pro fratre ? Jacet
pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt auferre ; & si illam non auferent fures, moriendo illam
deseres, etiam si te illa viventem non deserat : quid
inde facturus es ? Esurit frater tuus, in necessitate
positus est : fortassis suspenditur, à creditore angustatur : non habet ipse, habes tu : frater tuus est,
simul emti estis, unum est pretium vestrum, ambo
D sanguine Christi redemti estis : vide si misereris, si
habes facultates mundi. Quid ad me pertinet, fortè dicis ? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille
molestiam patiatur ? Si hoc tibi responderit cor
tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio
Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo te gloriaris esse Christianum ? Nomen habes, & facta non habes. Si autem nomen secutum
fuerit opus, dicat te quisquam Paganum, tu factis
ostende te Christianum. Nam si factis non ostenE dis te Christianum, omnes te Christianum vocent,
quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur ?
Qui autem habuerit facultates mundi, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua ab eo ; quomodo potest dilectio Dei manere in eo ? Et sequitur,
Filioli, non diligamus verbo tantùm & linguâ, sed v. 18.
opere & veritate.

13. Puto manifestatum esse vobis magnum & necessarium secretum & sacramentum, Fratres
mei. Quid valeat caritas, omnis Scriptura comF mendat : sed nescio si alicubi amplius quàm in ista
Epistola commendetur. Rogamus vos & obsecramus in Domino, ut & illa quæ audistis memoriâ teneatis ; & ad ea quæ adhuc dicenda sunt, donec finiatur ipsa Epistola, intenti veniatis, intenti audiatis. Aperite autem cor ad semina bona : exstirpate
spinas, ne offocetur in vobis quod seminatur, sed
potiùs crescat seges ; & gaudeat agricola, & horreum vobis præparet tamquam frumentis, non ignem tamquam paleis.

TRACTATUS VI.*

* Habitus sextâ feriâ Paschæ, juxta vet. Cod.

In illud, Et in hoc cognoscimus quia ex veritate sumus : *usque ad id,* Et hic est Antichristus de quo audistis *&c.*

1. SI meminisstis, Fratres, hesterno nos clausisse sermonem ad istam sententiam, quæ

[a] Am. Bad. Er. & quinque MSS. *ad manus.*

[b] Sic MSS. At sacra Biblia *ὑμᾶς vos.*

sine dubio manere debuit & debet in corde ve-
1. Johan. 3. v. 18. stro, quia ipsam noviſſimam audiſtis: Filioli, non diligamus verbo tantùm & linguâ, ſed opere & ve-
v. 19. ritate. Deinde ſequitur, * *Et in hoc cognoſcimus quia ex veritate ſumus, & coram ipſo perſuademus cordi*
v. 20. *noſtro:* * *quia ſi malè ſenſerit cor noſtrum, major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.* Dixerat, Non diligamus verbo tantùm & linguâ, ſed opere & veritate. Quæritur à nobis, in quo opere & in qua veritate agnoſcitur, qui diligit Deum, vel qui diligit fratrem ſuum. Jam ſuperiùs dixerat quò uſque
Johan. 15. 13. caritas perficiatur, quod & Dominus in Evangelio ait, Majorem hac nemo habet caritatem, quàm ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Et iſte hoc di-
1. Johan. 3. 16. » xerat, Sicut ille animam ſuam pro nobis poſuit, de- » bemus & nos animas pro fratribus ponere. Hæc eſt perfectio caritatis; & major omnino non poteſt inveniri. Sed quia non in omnibus perfecta eſt, & deſperare non debet in quo perfecta non eſt, ſi jam nata eſt quæ perficiatur: & utique ſi nata eſt, nutrienda eſt, & quibuſdam ſuis nutrimentis ad perfectionem propriam perducenda. Quæſivimus inchoationem caritatis unde incipiat, & ibi continuò
v. 17. » invenimus: Si quis habet facultates mundi, & vi- » derit fratrem ſuum egentem, & clauſerit viſcera ſua » adversùs eum; quomodo dilectio Patris manet in illo: Ergo hîc incipit iſta caritas, Fratres, ut de ſuis ſuperfluis tribuat egenti, in anguſtiis aliquibus conſtituto, ex eo quod ſibi abundat ſecundùm tempus à tribulatione temporali liberet fratrem. Hinc exordium eſt caritatis. Hanc ita cœptam, ſi verbo Dei & ſpe futuræ vitæ nutrieris, pervenies ad illam perfectionem, ut paratus ſis animam tuam ponere pro fratribus tuis.

2. Sed quia multa talia fiunt ab his qui alia quærunt, & qui fratres non amant: revocemur ad teſtimonium conſcientiæ. Unde probamus, quia talia multa fiunt ab his qui fratres non amant? Quàm multi ſe in hæreſibus & ſchiſmatibus martyres dicunt! Videntur ſibi animam ponere pro fratribus ſuis. Si pro fratribus animam ponerent, non ſe ab universa fraternitate ſepararent. Item quàm multi ſunt, qui jactantiæ cauſsâ multa tribuunt, multa donant; & non ibi quærunt niſi laudem humanam & gloriam popularem, plenam ventis, nulla ſtabilitate ſolidatam! Quia ergo ſunt tales, ubi probanda erit caritas fraterna? quia voluit illam probari,
Ibidem 18. & ait admonens, Filioli, non diligamus verbo tan- » tùm & linguâ, ſed opere & veritate. Quærimus, in quo opere, in qua veritate? Poteſt eſſe manifeſtius opus, quàm tribuere pauperibus? Multi hoc jactantiâ faciunt, non dilectione. Poteſt eſſe majus opus, quàm mori pro fratribus? Et hoc multi volunt putari ſe facere, jactantiâ nominis comparandi, non viſceribus dilectionis. Reſtat ut ille diligat fratrem, qui ante Deum ubi ſolus videt, cordi ſuo perſuadet, & interrogat cor ſuum an verè propter fratrum dilectionem hoc faciat: & perhibet illi teſtimonium oculus qui penetrat cor, quò homo adtendere non poteſt. Ideo Paulus Apoſtolus, quia
2. Cor. 12. 15. paratus erat mori pro fratribus, & dicebat, Ipſe impendar pro animabus veſtris: tamen quia Deus hoc videbat in corde ipſius, non homines quibus
1. Cor. 4. 3. loquebatur, ait illis, Mihi autem minimum eſt ut à vobis dijudicer, aut ab humano die. Et oſtendit etiam ipſe quodam loco, quia ſolent iſta fieri inani jactantiâ, non firmamento caritatis: ait enim cùm
1. Cor. 13. 3. de ipſius caritatis commendatione loqueretur, Si diſtribuero omnia mea pauperibus, & tradidero « corpus meum ut ardeam, caritatem autem non ha- « beam, nihil mihi prodeſt. Poteſt enim quiſquam « hoc facere ſine caritate? Poteſt. Nam qui non habent caritatem, * diviſerunt unitatem. Quærite ibi, * Donatiſtæ & videbitis multos multa tribuere pauperibus: videbitis alios paratos ad ſuſcipiendam mortem, ita ut deſiſtente perſecutore, ſeipſos præcipitent: iſti ſine dubio ſine caritate hoc faciunt. Revocemur ergo ad conſcientiam, de qua dicit Apoſtolus, 2. Cor. 1. 12. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Revocemur ad conſcientiam, de qua idem dicit, Opus autem ſuum probet unuſquiſque, Galat. 6. 4. & tunc in ſemetipſo gloriam habebit, & non in al- « tero. Opus ergo ſuum probet unuſquiſque no- « ſtrûm, utrûm de vena caritatis emanet, utrûm de radice dilectionis rami bonorum operum pullulent. Opus autem ſuum probet unuſquiſque, ait, & tunc « in ſemetipſo gloriam habebit, & non in altero: « non quando illi perhibet teſtimonium lingua aliena, ſed quando perhibet conſcientia propria.

3. Hoc ergo hîc commendat. *In hoc cognoſcimus quia ex veritate ſumus*, quando opere & veritate, non verbis & linguâ tantùm diligimus: *& coram ipſo perſuademus cordi noſtro.* Quid eſt *coram ipſo*? Ubi ipſe videt. Unde ipſe Dominus in Evangelio, Cavete, inquit, facere juſtitiam veſtram coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in « cælis eſt. Et quid eſt, Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: niſi quia dextera, pura conſcientia eſt; ſiniſtra, mundi cupiditas? Multi per cupiditatem mundi multa mira faciunt; ſiniſtra operatur, non dextra. Dextra debet operari, & neſciente ſiniſtrâ, ut nec miſceat ſe cupiditas ſæculi, quando aliquid boni dilectione operamur. Et ubi hoc cognoſcimus? Ante Deum es, interroga cor tuum: vide quid feciſti, & quid ibi appetiſti, ſalutem tuam, an laudem hominum ventoſam. Intus vide: nam homo judicare non poteſt, quem videre non poteſt. Si perſuademus cordi noſtro, coram ipſo perſuademus. *Quia ſi malè ſentiat cor noſtrum,* 1. Johan. 3. 20. id eſt, accuſet nos intus, quia non eo animo facimus quo faciendum ſit: *major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.* Cor tuum abſcondis ab homine: à Deo abſconde ſi potes. Quomodo abſcondes ab eo, cui dictum eſt à peccatore quodam timente & confitente, Quò ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua Pſal. 138. 7. quò fugiam? Quærebat quà fugeret, ut evaderet judicium Dei, & non inveniebat. Ubi enim non eſt Deus? Si aſcendero, inquit, in cælum, ibi es: ſi « deſcendero in infernum, ades. Quò iturus es? quò fugies? Vis audire conſilium? Si vis ab illo fugere, ad ipſum fuge. Ad ipſum fuge confitendo, non ab ipſo latendo: latêre enim non potes, ſed confiteri potes. Dicilli, Refugium meum es tu: & nutria- Pſal. 31. 7. tur in te dilectio, quæ ſola perducit ad vitam. Perhibeat tibi teſtimonium conſcientia tua, quia ex Deo eſt. Si ex Deo eſt, noli illam velle ante homines jactare: quia nec laudes hominum te levant in cælum, nec vituperationes inde te deponunt. Ille videat qui coronat: ille ſit teſtis quo judice coronaris. *Major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.*

4. *Dilectiſſimi, ſi cor non malè ſenſerit, fiduciam* 1. Johan. 3. *habemus ad Deum.* Quid eſt, *cor non malè ſenſerit?* 21. verum nobis reſponderit, quia diligimus, & germana dilectio eſt in nobis: non ficta, ſed ſincera, ſalutem fraternam quærens, nullum emolumentum exſpectans

exſpectans à fratre, niſi ſalutem ipſius. *Fiduciam*
v. 22. *habemus ad Deum:* * *& quidquid poſtulaverimus, accipiemus ab eo, quia mandata ejus ſervamus.* Ideo non in conſpectu hominum, ſed ubi ipſe Deus videt in corde. *Fiduciam* ergo *habemus ad Deum*, *& quidquid poſtulaverimus, ab eo accipiemus:* ſed, *quia mandata ejus ſervamus.* Quæ ſunt mandata ejus?
Johan. 13. 34. Numquid ſemper repetendum eſt? Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. Ipſam caritatem loquitur, ipſam commendat. Quiſquis ergo habuerit caritatem fraternam, & coram Deo habuerit, ubi Deus videt, corque ejus interrogatum ſub juſto examine, non ei aliud reſponderit, quàm germanam ibi eſſe radicem caritatis, unde boni fructus exſiſtant; habet fiduciam apud Deum, & quidquid poſtulaverit, ab eo accipiet, quia mandata ejus ſervat.

5. Occurrit quæſtio quædam, quia non ille aut ille homo, aut tu aut ego, qui ſi petiero aliquid à Domino Deo noſtro, & non accepero, facilè de me poteſt dicere unuſquiſque, Non habet caritatem; & de quolibet homine hujus temporis facilè dici poteſt; & ſentiat quis quod vult homo de homine: majorem quæſtionem non faciunt, niſi illi viri, quos ſanctos conſtat fuiſſe cùm ſcriberent, & modò eſſe cum Deo. Quis habet caritatem, ſi eam
2. Cor. 6. 11. Paulus non habebat, qui dicebat, Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt,
2. Cor. 2. 15. non anguſtamini in nobis: qui dicebat, Impendar pro animabus veſtris: & tanta gratia in illo erat, ut manifeſtaretur eum habere caritatem? Invenimus eum tamen periſſe, & non accepiſſe. Quid dicimus, Fratres? Quæſtio eſt: intenti eſtote ad Deum. Magna & iſta quæſtio eſt. Quomodo de peccato
1. Johan. 3. 9. ubi dictum eſt, Qui natus eſt ex Deo, non peccat: invenimus hoc eſſe peccatum violare caritatem, & hoc propriè deſignatum eſſe in hoc loco. Sic & nunc quærimus quid dixerit. Si enim verba adtendas, planum videtur: ſi exempla, obſcurum eſt.
v. 22. Verbis his nihil eſt planius: *Et quidquid poſtulaverimus, accipiemus ab eo; quia mandata ejus ſervamus, & quæ placent illi, in conſpectu ejus facimus. Quidquid poſtulaverimus*, ait, *accipiemus ab eo.* Anguſtavit vehementer. Quia & ibi anguſtaret ſi diceret omne peccatum: ſed ideo invenimus locum exponendi, quia de certo peccato dixit, non de omni; ſed de quodam peccato, quod omnis qui ex Deo natus eſt, non facit: & invenimus ipſum quoddam peccatum violationem eſſe caritatis. Et habemus exemplum de Evangelio manifeſtum, quando ait
Johan. 15. 22. Dominus, Si non veniſſem, peccatum non haberent. Quid ergo, ad innocentes Judæos venerat, quia ſic loquitur? Ergo ſi ipſe non veniret, peccatum non haberent? Præſentia ergo medici fecit ægrotum, febrem non abſtulit? Quis hoc vel demens dicat? Ille non venit niſi curare & ſanare ægrotos. Quare ergo dixit, Si non veniſſem, peccatum non haberent, niſi quia certum quoddam peccatum voluit intelligi? Quoddam enim peccatum non haberent Judæi. Quod peccatum? Quo in eum non credidérunt, quo præſentem contemſerunt. Sicut ergo ibi peccatum dixit, & non eſt conſequens ut omne peccatum intelligamus, ſed certum peccatum: ſic & hîc non omne peccatum, ne con-
1. Johan. 1. 8. trarius ſit illi loco ubi ait, Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: ſed certum quoddam peccatum, id eſt, violationem caritatis. Hîc autem plus

A nos conſtrinxit: Si peterimus, dixit, ſi nos non accuſaverit cor noſtrum, & renuntiaverit in conſpectu Dei, quia vera dilectio eſt in nobis; *quidquid poſtulaverimus, ab eo accipiemus.*

6. Jam ergo dixi Caritati Veſtræ, Fratres, nemo adtendat ad nos. Quid enim ſumus nos? Aut quid eſtis vos? Quid, niſi Eccleſia Dei, quæ nota eſt omnibus? Et ſi illi placet, in illa ſumus: & qui dilectione in illa manemus, ibi perſeveremus, ſi volumus oſtendere dilectionem quam habemus.
B Verumtamen de apoſtolo Paulo quid mali ſenſuri ſumus? Ipſe non diligebat Fratres? Apud ipſum non erat teſtimonium conſcientiæ ejus in conſpectu Dei? Non erat in Paulo radix illa caritatis, unde omnes boni fructus procedebant? quis hoc demens dixerit? Ubi ergo invenimus petiſſe Apoſtolum & non accepiſſe? Ait ipſe, In magnitudine revelatio- 2. Cor. 12. num ne extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis « 7. &c. meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet: propter « quod ter Dominum rogavi ut auferret eum à me; « C & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in « infirmitate perficitur. Ecce non eſt exauditus, ut « auferretur ab illo angelus ſatanæ. Sed quare? quia non ei proderat. Ergo exauditus eſt ad ſalutem, qui non eſt exauditus ad voluntatem. Noverit magnum ſacramentum Caritas Veſtra: quod ideo commendamus vobis, ne excidat vobis in tentationibus veſtris. Sancti ad ſalutem per omnia exaudiuntur, ſemper exaudiuntur ad ſalutem æternam: ipſam deſiderant; quia ſecundùm hanc ſemper
D exaudiuntur.

7. Sed diſcernamus exauditiones Dei. Invenimus enim quoſdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad ſalutem: & rurſus quoſdam invenimus exauditos ad voluntatem, & non exauditos ad ſalutem. Hoc diſcernite, hoc tenete exemplum ejus, qui non eſt exauditus ad voluntatem, ſed exauditus ad ſalutem. Audi apoſtolum Paulum: nam ipſam exauditionem ad ſalutem oſtendit illi Deus: Sufficit tibi, inquit, gratia mea, nam virtus in in- «
E firmitate perficitur. Rogaſti, clamaſti, ter clama- « ſti: ipſum ſemel quod clamaſti audivi, non averti aures meas à te; novi quid faciam: tu vis auferri medicamentum, quo ureris; ego novi infirmitatem, qua gravaris. Ergo iſte ad ſalutem exauditus eſt, ad voluntatem non eſt exauditus. Quos invenimus exauditos ad voluntatem, non exauditos ad ſalutem? Invenimus, putamus, aliquem nequam, aliquem impium exauditum à Deo ad voluntatem, non exauditum ad ſalutem? Si alicujus hominis exemplum
F poſuero, fortè dicturus es mihi, Tu illum dicis iniquum, nam juſtus erat: ſi juſtus non eſſet, à Deo non exaudiretur. Talem propoſitum ſum, de cujus iniquitate & impietate nemo dubitet. Diabolus ipſe Iob. 1. 11. petiit Job, & accepit. Nonne & hîc de diabolo audiſtis, Quia qui facit peccatum, ex diabolo eſt? Non 1. Johan. 3. quia ille creavit, ſed quia iſte imitatur. Nonne de 8. illo dictum eſt, In veritate non ſtetit? Nonne ipſe Iohan. 8. eſt antiquus ille ſerpens, qui per feminam venenum 44. primo homini propinavit? Qui & ipſi Job feminam Gen. 3. 12. propterea ſervavit, per quam maritus non conſolaretur, ſed tentaretur. Ipſe diabolus petiit ſanctum virum tentandum, & accepit: petiit Apoſtolus ut auferretur ab eo ſtimulus carnis, & non accepit. Sed Apoſtolus magis exauditus eſt quàm diabolus. Apoſtolus enim exauditus eſt ad ſalutem, etſi non ad voluntatem: diabolus exauditus eſt ad voluntatem, ſed ad damnationem. Ideo enim conceſſus

est iste tentandus, ut eo probato esset ille crucian- A dus. Sed hoc, Fratres, non tantùm in veteribus
Luca 8. 32. libris invenimus, sed & in Evangelio. Petierunt dæmones à Domino, cùm eos excluderet ab homine, ut ire permitterentur in porcos. Non eis posset dicere Dominus, ut nec illuc accederent? Non enim, si nollet, rebellaturi erant contra regem cæli & terræ. Certi tamen mysterii gratiâ & certa dispensatione dimisit dæmones in porcos, ut ostenderet diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt. Dæmones ergo exauditi sunt, Apostolus non est exauditus? An potiùs quod verius est dicamus, B Immo Apostolus exauditus est, dæmones non sunt exauditi? Illorum voluntas facta est, hujus sanitas perfecta est.

8. Secundùm hoc intelligere debemus, quia Deus etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat. Quid si enim hoc petieris quod tibi obest, & medicus novit quia obest tibi? Non enim non te exaudit medicus, quando fortè tu frigidam aquam petis, & si prodest, statim dat; si non prodest, non dat. Non exaudivit, an potiùs ad sanitatem exaudivit, quia C voluntati contradixit? Sit ergo in vobis caritas, Fratres, sit in vobis; & securi estote: & quando non vobis datur quod petitis, exaudimini; sed nescitis. Multi dati sunt in manus suas malo suo: de
Rom. 1. 24. quibus dicit Apostolus, Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum. Petiit aliquis magnam pecuniam: accepit malo suo. Quando illam non habebat, parum timebat: habere illam cœpit, præda factus est potentiori. Nonne malo suo exauditus est, qui voluit habere unde à latrone quæreretur, quem D pauperem nemo quærebat? Discite rogare Deum, ut medico committatis, quod ipse novit faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamentum adhibeat. Tu tantùm caritatem tene. Nam ille secare vult, urere vult: tu si clamas, & non exaudiris in sectione, in ustione & tribulatione, novit ille quò usque putre est. Tu jam vis revocet manus, & ille vulneris sinum adtendit: scit quò usque perveniat. Non te exaudit ad voluntatem, sed exaudit ad sanitatem. Certi ergo estote Fratres mei, quia quod ait E
Rom. 8. 26. Apostolus verum est, Quid enim oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus, quia ipse interpellat pro sanctis. Quid est, Ipse Spiritus interpellat pro sanctis, nisi ipsa caritas quæ in te per Spiritum facta est?
Rom. 5. 5. Ideo enim dicit idem Apostolus, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Caritas ipsa gemit, caritas ipsa orat: contra hanc aures claudere non novit, qui illam dedit. Securus esto, caritas roget: & ibi sunt F aures Dei. Non fit quod vis, sed fit quod expedit. Ergo *quidquid postulaverimus*, inquit, *accipiemus ab eo*. Jam dixi, si ad salutem intelligas, nulla quæstio est: si non ad salutem, quæstio est, & magna, quæ te calumniatorem facit Paulo apostolo. *Quidquid postulaverimus, accipiemus ab eo; quia mandata ejus servamus, & quæ placent illi, in conspectu ejus facimus. In conspectu ejus*, intus ubi videt.

1. Johan. 3. 23. 9. Et quæ illa mandata sunt? *Hoc est*, inquit, *mandatum illius, ut credamus nomini Filii ejus Jesu* G *Christi, & diligamus invicem.* Videtis quia hoc est mandatum: videtis quia contra hoc mandatum qui facit, peccatum facit, quo caret omnis qui natus est ex Deo. *Sicut dedit nobis mandatum*: ut diligamus
v. 24. invicem. *Et qui servaverit mandatum ejus*: Videtis quia nihil aliud nobis præcipitur, nisi ut diligamus invicem: *Et qui servaverit mandatum ejus, in ipso manebit, & ipse in eo. Et in hoc cognoscimus, quia manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis.* Nonne manifestum est, quia hoc agit Spiritus-sanctus in homine, ut sit in illo dilectio & caritas? Nonne manifestum est, quod ait apostolus Paulus: Caritas Rom. 5. 5. « Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum- « sanctum, qui datus est nobis? De caritate enim loquebatur, & dicebat, quia in conspectu Dei debemus interrogare cor nostrum. *Quòd si non malè* 1. Johan. 3. *senserit cor nostrum*: id est, si confiteatur quia de 21. dilectione fratris sit, quidquid sit in bono opere. Accessit etiam quòd de mandato cùm diceret, hoc ait: * *Hoc est mandatum ejus, ut credamus nomini* v. 23. *Filii ejus Jesu Christi, & diligamus invicem.* * *Et qui* v. 24. *facit mandatum ejus, in ipso manet, & ipse in eo. In hoc cognoscimus, quia manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis.* Si enim inveneris te habere caritatem, habes Spiritum Dei ad intelligendum: valde enim necessaria res est.

10. Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus-sanctus; & loquebantur linguis quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum-sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, & transiit. Numquid modò quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum-sanctum, hoc exspectatur, ut linguis loquantur? Aut quando imposuimus manum istis infantibus, adtendit unusquisque vestrûm utrùm linguis loquerentur, & cùm videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrûm fuit ut diceret, Non acceperunt isti Spiritum-sanctum, nam si accepissent, linguis loquerentur quemadmodum tunc factum est? Si ergo per hæc miracula non fiat modò testimonium præsentiæ Spiritus-sancti; unde fit, unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum-sanctum? Interroget cor suum: si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. Videat, probet seipsum coram oculis Dei: videat si est in illo dilectio pacis & unitatis, dilectio Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ. Non adtendat eum solum diligere fratrem quem adtendit ante se: multos enim non videmus fratres nostros, & in unitate Spiritus illis copulamur. Quid mirum quia nobiscum non sunt? In uno corpore sumus, unum caput habemus in cælo. Fratres, oculi nostri non se vident, quasi non se norunt. An in caritate compaginis corporalis non norunt se? Nam, ut noveritis quia in conjunctione caritatis se norunt: quando ambo patent, non licet ut aliquid adtendat dexter, quod non adtendat sinister. Dirige radium dextrum sine altero, si potes. Simul coëunt, simul diriguntur: intentio una est, loca diversa sunt. Si ergo omnes qui tecum diligunt Deum, unam intentionem tecum habent: noli adtendere quia corpore in loco separatus es; aciem cordis simul fixistis in lumine veritatis. Ergo si vis nosse quia accepisti Spiritum, interroga cor tuum; ne fortè sacramentum habes, & virtutem sacramenti non habes. Interroga cor tuum: si est ibi dilectio fratris, securus esto. Non potest esse dilectio sine Spiritu Dei: quia Paulus clamat, Caritas Dei diffusa est in cordi- Rom. 5. 5. bus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.

11. DILECTISSIMI, *nolite omni spiritui* 1. Johan. 4. *credere.* Quia dixerat, *In hoc cognoscimus, quia ma-* 1.

net in nobis, de Spiritu quem dedit nobis. Unde autem A cognoscitur ipse Spiritus adrendite: *Dilectissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Et quis est qui probat spiritus? Difficilem rem nobis proposuit, Fratres mei: bonum est nobis ut dicat ipse unde discernamus. Dicturus est, ne formidetis: sed primò videte, adtendite; videte hinc exprimi illud, unde vani hæretici calumniantur. Adtendite, videte quid ait, *Dilectissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Spiritus-sanctus nomine aquæ appellatus B est in Evangelio, Domino clamante & dicente, Si
Johan. 7. 37. &c. quis sitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, » flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus. Evangelista autem exposuit unde diceret: secutus enim ait, » Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi » erant qui in eum erant credituri. Quare non multos baptizavit Dominus? Sed quid ait? Spiritus autem » nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus. Quia ergo illi baptismum habebant, & Spiritum-sanctum nondum acceperant, quem die Pen- C tecostes misit Dominus de cælo: ut daretur Spiritus, exspectabatur clarificatio Domini. Et antequam clarificaretur, & antequam mitteret eum, invitabat tamen homines ut se præpararent ad accipien- » dam aquam, de qua dixit, Qui sitit, veniat & bi- » bat: &, Qui credit in me, flumina aquæ vivæ » fluent de ventre ejus. Quid est, flumina aquæ vivæ? Quid est illa aqua. Nemo me interroget: Evange- » lium interroga. Hoc autem dicebat, ait, de Spiri- » tu quem accepturi erant hi qui in eum erant credi- D turi. Aliud est ergo aqua sacramenti, aliud aqua quæ significat Spiritum Dei. Aqua sacramenti visibilis est: aqua Spiritus invisibilis. Ista abluit corpus, & significat quod fit in anima: per illum Spiritum ipsa anima mundatur & saginatur. Ipse est Spiritus Dei, quem non possunt habere hæretici, & quicumque se ab Ecclesia præcidunt. Et quicumque non apertè præcidunt, sed per iniquitatem præcisi sunt, & intus tamquam paleæ volvuntur, & grana non sunt, non habent istum Spiritum. Iste E Spiritus nomine aquæ à Domino significatus est: & audivimus ab hac Epistola, *Nolite omni spiritui cre-*
Prov. 9. ad v. 18. sec. LXX. *dere*: & testantur verba illa Salomonis, Ab aqua aliena abstine te. Quid est aqua? Spiritus. Num-
Aquæ significata. quid semper aqua Spiritum significat? Non semper: sed quibusdam locis Spiritum significat, quibusdam locis baptismum significat, quibusdam locis populos significat, quibusdam locis consilium
Prov. 16. 22. significat. Habes quodam loco dictum, Fons vitæ, consilium possidentibus eum. Ergo per diversa lo- F ca Scripturarum nomen aquæ diversa significat. Nunc tamen nomine aquæ Spiritum-sanctum audistis, non ex interpretatione nostra, sed ex Evan-
Johan. 7. 39. gelico testimonio, ubi ait: Hoc autem dicebat de » Spiritu, quem erant accepturi hi qui in eum erant credituri. Si ergo aquæ nomine significatur Spiri-
1. Johan. 4. 1. tus-sanctus, & dicit nobis Epistola ista, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt:*
Prov. 9. 18. intelligamus inde dictum esse, Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis. Quid est, G De fonte alieno ne biberis? Spiritui alieno ne credideris.

12. Restat ergo examen, unde probetur quia Spiritus Dei est. Posuit quidem signum, & hoc fortasse difficile: videamus tamen. Ad illam caritatem redituri sumus: ipsa est quæ nos docet, quia ipsa
1. Johan. 4. 1. est unctio. Tamen hîc quid ait? *Probate spiritus si ex*

Deo sunt: quia multi pseudoprophetæ exierunt in istum A *mundum.* Jam ibi sunt omnes hæretici & omnes schismatici. Quomodo ergo probo spiritum? Sequitur, *In hoc cognoscitur Spiritus Dei.* Erigite aures cordis. Laborabamus, & dicebamus, Quis novit? quis discernit? Ecce dicturus est signum. *In hoc cognoscitur* v. 2. *Spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum* *Ibidem* 13. *Christum in carne venisse, ex Deo est.* * *Et omnis spi-* v. 3. *ritus qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, non est ex Deo: & hic est Antichristus, de* B *quo audistis quòd venturus sit; & nunc in isto mundo est.* Quasi eriguntur aures ad discernendos spiritus: & tale quiddam audivimus, unde nihilo minùs non discernamus. Quid enim ait? *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Ergo spiritus, qui est apud hæreticos, ex Deo est: quia confitentur Jesum Christum in carne venisse? Jam hîc erigunt se fortè adversùs nos, & dicunt; Vos non habetis spiritum ex Deo: sed nos confitemur Jesum Christum in carne venisse: iste autem il- C los negavit spiritum Dei habere, qui non confitentur Jesum Christum in carne venisse. Quære ab Arianis, confitentur Jesum Christum in carne venisse: quære ab Eunomianis, confitentur Jesum Christum in carne venisse: quære à Macedonianis, confitentur Jesum Christum in carne venisse: interroga Cataphrygas, confitentur Jesum Christum in carne venisse: interroga Novatianos, confitentur Jesum Christum in carne venisse. Omnes ergo istæ hæreses Spiritum Dei habent? Non ergo pseudoprophetæ sunt? nulla est ergo ibi deceptio; nulla est ibi seductio? Certè Antichristi sunt, qui ex no- 1. Johan. 2. 20. bis exierunt, sed non erant ex nobis.

13. Quid ergo facimus? Unde discernimus? Intendite: camus simul corde, & pulsemus. Vigilat ipsa caritas, quia ipsa pulsatura est, ipsa apertura. Modò intelligetis in nomine Domini nostri Jesu Christi. Jam superiùs audistis, quia dictum est, Qui *Ibidem* 13. negat Jesum Christum in carne venisse, hic est Antichristus. Et ibi quæsivimus, quis neget: quia nec E nos negamus, nec illi negant. Et invenimus quosdam factis negare: & adhibuimus testimonium de Apostolo, qui ait, Confitentur enim se nosse Deum, Tit. 1. 16. factis autem negant. Sic ergo & modò quæramus in factis, non in lingua. Quis est spiritus, qui non est ex Deo? Qui negat Jesum Christum in carne venisse. Et quis est spiritus qui est ex Deo? Qui confitetur Jesum Christum in carne venisse. Quis est qui confitetur Jesum Christum in carne venisse? Eia Fratres, opera adtendamus, non strepitum linguæ. Quæramus quare venerit in carne Christus: & in- F venimus qui eum negant in carne venisse. Nam si linguas adtendas, multas hæreses auditurus es confitentes Christum in carne venisse: sed convincit illos veritas. Quare venit Christus in carne? Nonne Deus erat? Nonne de illo scriptum est, In princi- Johan. 1. 1. pio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? Nonne ipse pascebat Angelos, & ipse pascit Angelos? Nonne sic huc venit, ut inde non recederet? Nonne sic adscendit, ut nos non dimitteret? Quare ergo venit in carne? G Quia oportebat nobis ostendi spem resurrectionis. Deus erat, & in carne venit: Deus enim mori non poterat, caro mori poterat: ideò ergo venit in carne, ut moreretur pro nobis. Quemadmodum autem Johan. 15. 13. mortuus est pro nobis? Majorem hac caritatem nemo habet quàm ut animam suam ponat pro amicis suis. Caritas ergo illum adduxit ad carnem. Quis-

quis ergo non habet caritatem, negat Christum A in carne venisse. Hîc nunc jam interroga omnes hæreticos, Christus venit in carne? Venit: hoc credo, hoc confiteor. Immo hoc negas. Unde nego? Audis quia hoc dico? Immo ego convinco quia negas. Dicis voce, negas corde: dicis verbis, negas factis. Quomodo, inquis, nego factis? Quia ideo venit in carne Christus, ut moreretur pro nobis. Ideo mortuus est pro nobis, quia caritatem multa tam docuit. Majorem hac caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis. Tu B non habes caritatem: quia pro honore tuo dividis unitatem. Ergo hinc intelligite spiritum ex Deo. Pulsate, tangite vasa fictilia, ne fortè crepuerint & malè resonent: videte si integrè sonant, videte si ibi est caritas. Tollis te ab unitate orbis terrarum, dividis Ecclesiam per schismata, dilanias corpus Christi. Ille venit in carne, ut colligat: tu ideo clamas, ut spargas. Ergo ipse est Spiritus Dei, qui dicit Jesum in carne venisse: qui dicit non linguâ, sed factis; qui dicit non sonando, sed amando. Ille C autem non est spiritus Dei, qui negat Jesum Christum in carne venisse: negat & ipse non linguâ, sed vitâ; non verbis, sed factis. Manifestum est ergo unde cognoscamus Fratres. Multi intus, quasi intus sunt: nemo autem foris, nisi verè foris.

1. Johan. 4. 3. 14. Adeo ut noveritis quia ad facta retulit, *Et omnis spiritus*, ait, *qui solvit Christum, in carne venisse, non est ex Deo.* Solvere factis intelligitur. Quid tibi ostendit? qui negat; quia dixit, *solvit.* Ille venit colligere, tu venis solvere. Distringere vis D membra Christi. Quomodo non negas Christum in carne venisse, qui disrumpis Ecclesiam Dei, quam ille congregavit? Contra Christum ergo venis, Antichristus es. Intus sis, foris sis; Antichristus es: sed quando intus es, lates; quando foris es, manifestaris. Solvis Jesum, & negas eum in carne ve-
Matth. 5. 19. nisse: non es ex Deo. Ideo dicit in Evangelio, Qui » solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit » sic, minimus vocabitur in regno cælorum. Quid est solvitur? quid est docetur? Solvitur factis, & do- E
Rom. 2. 22. cetur quasi verbis. Qui prædicas non furandum, furaris. Solvit ergo in facto qui furatur, & quasi docet sic, minimus vocabitur in regno cælorum, id est, in Ecclesia hujus temporis. De illo dictum est,
Matth 23. 3. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere no-
Matth. 5. 19. lite. Qui autem fecerit, & sic docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum. Ex eo quod dixit hîc, fecerit, contra hoc ibi dixit, solverit, id est, non fecerit, & docuerit sic. Ille ergo solvit, qui non facit. Quid nos docet, nisi ut facta interrogemus, F non verba credamus? Obscuritas rerum multa nos cogit dicere: maximè ut illud quod Dominus revelare dignatur, etiam ad tardiores fratres perveniat; quia omnes Christi sanguine comparati sunt. Et vereor ne ipsa Epistola istis diebus, sicut promiseram, non finiatur: sed quod Domino placet, melius est servare reliquias, quàm onerare corda nimio cibo.

TRACTATUS * VII.

* Habitus septimâ feriâ Paschæ, juxta vet. Cod.

Ab eo quod sequitur, Jam vos ex Deo estis filioli: *usque ad id*, Deum nemo vidit umquam.

MUNDUS iste omnibus fidelibus quærentibus patriam sic est, quomodo fuit eremus populo Israël. Errabant quidem ad-

a Sic in MSS. At in editis, *visis Dei.*

huc, & patriam quærebant: sed duce Deo errare non poterant. Via illis fuit a jussio Dei. Nam ubi a per quadraginta annos circumierunt, pauciſſimis mansionibus conficitur iter ipsum, & notum est omnibus. Tardabantur, quia exercebantur, non quia deserebantur. Quod ergo nobis promittit Deus, ineffabilis dulcedo est, & bonum, sicut Scriptura dicit, & sæpe nobis commemorantibus Isai. 64. 4. audistis, quod oculus non vidit, nec auris audivit, 1 Cor. 2. 9. nec in cor hominis adscendit. Laboribus autem « temporalibus exercemur, & tentationibus vitæ præsentis erudimur. Sed si non vultis in ista eremo siti mori, bibite caritatem. Fons est quem voluit Dominus hîc ponere, ne deficiamus in via: & abundantiùs eum bibemus, cùm ad patriam venerimus. Modò Evangelium lectum est: ut de ipsis verbis, quibus lectio terminata est dicam, quid aliud nisi de caritate audistis? Quandoquidem pactum fecimus cum Deo nostro in oratione, ut si vo- Matth. 6. lumus ut dimittat nobis peccata nostra, dimittamus 12. & nos peccata quæ in nos fuerint commissa. Non autem dimittit nisi caritas. Tolle caritatem de corde: odium tenet, ignoscere non novit. Sit ibi caritas, secura ignoscit, quæ non angustatur. Epistola autem ista tota, quam suscepimus tractandam vobis, videte si aliud aliquid commendat quàm ipsam unam caritatem. Nec timendum est, ne sæpe dicendo in odium veniat. Quid enim amatur, si caritas in odium veniat? Qua caritate fit ut cetera bene amentur, ipsa quomodo amanda est? Res ergo quæ numquam debet de corde discedere, nec ab ore discedat.

2. *Iam vos*, inquit, *ex Deo estis filioli, & vi- 1. Johan. 4. ctistis eum*: quem, nisi Antichristum? Superiùs enim 4. dixerat, Omnis qui solvit Jesum Christum, & ne- v. 3. gat eum in carne venisse, non est ex Deo. Exposuimus autem si meministis, quia omnes negant Jesum Christum in carne venisse, qui violant caritatem. Jesus enim non opus erat ut veniret, nisi propter caritatem. Caritas enim nobis illa commendatur, quam & ipse in Evangelio commendat: Ma- Johan. 15. jorem hac dilectionem nemo potest habere, quàm 13. ut animam suam ponat pro amicis suis. Quomodo poterat Filius Dei animam suam ponere pro nobis, nisi carne indueretur, ubi mori posset? Quisquis ergo violat caritatem, quodlibet dicat lingua, vita ipsius negat Christum in carne venisse: & iste est Antichristus ubicumque fuerit, quocumque intraverit. Sed quid dicit eis qui cives sunt illius patriæ, cui suspiramus? *Vicistis eum.* Et unde vicerunt? *Quia* 1. Johan. 4. *major est qui est in vobis, quàm qui in hoc mundo.* 4. Ne victoriam suis viribus tribuerent, & arrogantiâ superbiæ vincerentur: (quemcumque enim diabolus superbum fecerit, vincit:) volens eos servare humilitatem, quid ait? *Vicistis eum.* Jam omnis homo qui audit, *Vicistis*, erigit caput, erigit cervicem, laudari se vult. Noli te extollere, vide quis in te vicit. Quare vicisti? *Quia major est qui est in vobis, quàm qui in hoc mundo.* Esto humilis, porta Dominum tuum; esto jumentum sessoris tui. Bonum tibi est ut ipse regat, & ipse ducat. Nam si ip- G sum sessorem non habueris, cervicem erigere potes, calces potes mittere: sed væ tibi sine rectore; quia libertas ista in bestias te mittit comedendum.

3. *Hi de mundo sunt.* Qui? Antichristi. Jam v. 5. audistis qui sint. Et si non estis, cognoscitis eos:

quisquis autem hoc est, non cognoscit. *Hi de mun-* A *do sunt: ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Qui sunt qui de mundo loquuntur? Adtendite a qui contra caritatem. Ecce audistis Dominum di-
Matth. 6. 14. & 15. centem, Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet » vobis & Pater vester cælestis peccata vestra: si » autem non dimiseritis, nec Pater vester dimittet » vobis peccata vestra. Sententia est veritatis: aut si non veritas loquitur, contradic. Si Christianus es, &
Johan. 14. 6. credis Christo, ipse dixit, Ego sum veritas. Sententia ista vera est, firma est. Jam audi homines de mun- B do loquentes. Et non te vindicaturus es, & dicturus est ille quia fecit tibi? Immo sentiat quia cum
* subaudi, rem. viro * habet. Quotidie dicuntur ista. De mundo loquuntur qui ista dicunt: & mundus eos audit. Nec dicunt ista nisi qui diligunt mundum; neque audiuntur ista nisi ab his qui diligunt mundum. Et qui diligit mundum, & negligit caritatem, audistis quia negat Jesum in carne venisse. Aut si fecit illud in carne ipse Dominus? Si cùm expalmaretur, vo-
Luc. 23. 34. luit se vindicari? Si cùm in cruce penderet, non di- C xit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Si autem non minabatur qui potestatem habebat;
b tu quid minaris, quid b sufflas in potestate aliena constitutus? Ille quia voluit mortuus est, & non minabatur: tu nescis quando morieris, & minaris?
1. Johan. 4. 6. 4. *Nos ex Deo sumus.* Videamus quare: videte si propter aliud quàm propter caritatem. *Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non nos audit. Ex hoc cognoscimus spiritum veritatis & erroris.* Quia qui audit nos, spiritum ha- D bet veritatis: qui non audit nos, spiritum habet erroris. Videamus quid monet, & audiamus eum potiùs in spiritu veritatis monentem: non Antichristos, non amatores mundi, non mundum: si ex Deo nati sumus, *Dilectissimi*, sequitur suprà, videte quid: *Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non nos audit. Ex hoc cognoscitur spiritus veritatis & erroris.* Jam ergo intentos nos fecit: quia qui novit Deum, ipse audit; qui autem non novit, non audit: & hæc discretio E est spiritus veritatis & erroris. Videamus quid mo-
v. 7. niturus est, in quo illum audire debeamus. *Dilectissimi, diligamus invicem.* Quare? quia homo monet? *Quia dilectio ex Deo est.* Multùm commendavit dilectionem, quia dixit *ex Deo est*: plus dicturus est, intentè audiamus. Modò dixit, *Dilectio ex Deo est: & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cogno-*
v. 8. *vit Deum:* * *Qui non diligit, non novit Deum.* Quare? *Quia Deus dilectio est.* Quid amplius dici potuit, Fratres? Si nihil de laude dilectionis diceretur F per omnes istas paginas hujus Epistolæ, si nihil omnino per ceteras paginas Scripturarum, & hoc solùm unum audiremus de voce Spiritus Dei, *Quia Deus dilectio est*: nihil amplius quærere deberemus.

5. Jam videte, quia facere contra dilectionem, facere contra Deum est. Nemo dicat, In hominem pecco, quando non diligo fratrem meum: (Intendite:) Et facile est peccatum in hominem, in Deum solùm non peccem. Quomodo non peccas G in Deum, quando in dilectionem peccas? *Deus dilectio est.* Numquid nos dicimus? Si nos diceremus, *Deus dilectio est*: fortè scandalizaretur aliquis ex vobis, & diceret, Quid dixit? quid voluit dicere, quia *Deus dilectio est?* Dedit dilectionem Deus, donavit Deus dilectionem. *Ex Deo est dilectio: Deus*

a Sic duo MSS. At alii cum editis omittunt, *qui.*

dilectio est. Ecce habetis Fratres Scripturas Dei. Canonica est ista Epistola: per omnes gentes recitatur, orbis terræ auctoritate retinetur, orbem terrarum ipsa ædificavit. Audis hîc ab Spiritu Dei, *Deus dilectio est.* Jam si audes, fac contra Deum, & noli diligere fratrem tuum.

6. Quomodo ergo jam dudum, *Dilectio ex Deo est*: & modò, *Dilectio Deus est?* Est enim Deus Pater & Filius & Spiritus-sanctus: Filius, Deus ex Deo: Spiritus-sanctus, Deus ex Deo: & hi tres unus Deus, non tres dii. Si Filius Deus, & Spiritus-sanctus Deus, & ille diligit in quo habitat Spiritus-sanctus: ergo dilectio Deus est, sed Deus quia ex Deo. Utrumque enim habes in Epistola, & *Dilectio ex Deo est*, & *Dilectio Deus est.* De solo Patre Scriptura non novit dicere, quia ex Deo est. Cùm autem audis *ex Deo*; aut Filius intelligitur, aut Spiritus-sanctus. Quia verò dicit Apostolus, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spi- Rom. 5. 5. ritum-sanctum, qui datus est nobis: intelligamus in dilectione Spiritum-sanctum esse. Ipse est enim Spiritus-sanctus, quem non possunt accipere mali: ipse est ille fons, de quo dicit Scriptura, Fons aquæ Prov. 5. 17. tuæ sit tibi proprius, & nemo alienus communicet & 18. tibi. Omnes enim qui non diligunt Deum: alieni sunt, Antichristi sunt. Et quamvis intrent basilicas, non possunt numerari inter filios Dei: non ad illos pertinet fons ille vitæ. Habere baptismum & malus potest: habere prophetiam & malus potest. Invenimus Saülem regem habuisse prophetiam: 1. Reg. 19. persequebatur sanctum David, & impletus est Spi- 24. ritu prophetiæ, & prophetare cœpit. Accipere sacramentum corporis & sanguinis Domini & malus potest: nam de talibus dictum est, Qui manducat 1. Cor. 11. & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. 29. Habere nomen Christi & malus potest, id est, Christianus vocari, & malus potest: de quibus dictum est, Polluebant nomen Dei sui. Ergo habere Ezech. 36. sacramenta ista omnia & malus potest: habere au- 20. tem caritatem, & malus esse, non potest. Hoc est ergo proprium donum: ipse est singularis fons. Ad hunc bibendum vos hortatur Spiritus Dei: ad se bibendum vos hortatur Spiritus Dei.

7. *In hoc manifestata est dilectio Dei in nobis.* Ecce, 1. Johan. 4. ut diligamus Deum, hortationem habemus. Pos- 9. sumus illum diligere, nisi prior ille diligeret? Si pigri eramus ad amandum: non simus pigri ad redamandum. Prior amavit nos: nec sic nos amamus. Iniquos amavit, sed iniquitatem solvit: iniquos amavit, sed non ad iniquitatem congregavit. Ægrotos amavit, sed sanandos visitavit. *Deus* ergo *dilectio est. In hoc manifestata est dilectio Dei in nobis, quia Filium suum unigenitum misit in hunc mundum, ut vivamus per ipsum.* Quomodo ipse Dominus ait, Majorem dilectionem nemo potest habere, quàm Johan. 15. ut animam suam ponat pro amicis suis: & ibi pro- 13. bata est dilectio Christi in nos, quia mortuus est pro nobis. Dilectio Patris unde probata est in nos? Quia Filium suum unicum misit mori pro nobis: sic & Paulus apostolus dicit, Qui Filio proprio non Rom. 8. 32. pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donavit? Ecce Christum tradidit Pater, tradidit Judas: numquid non quasi simile factum videtur? Traditor est Judas: ergo traditor est & Deus Pater? Absit, inquis. Non dico, sed Apostolus dicit: Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tra-

b Lov. *inflaris.* At MSS. cum Am. & Er. *sufflat.*

didit eum. Et Pater illum tradidit, & ipse se tradidit. Ait idem Apostolus, Qui me dilexit, & tradidit seipsum pro me. Si Pater tradidit Filium, & tradidit seipsum Filius, Judas quid fecit? Facta est traditio à Patre, facta est traditio à Filio, facta est traditio à Juda: una res facta est: Sed quæ res discernit Patrem tradentem Filium, seipsum Filium tradentem, & Judam discipulum tradentem magistrum suum? Quia hoc fecit Pater & Filius in caritate: fecit autem hoc Judas in proditione. Videtis quia non quid faciat homo, considerandum est: sed quo animo & voluntate faciat. In eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Judam: Patrem benedicimus, Judam detestamur. Quare Patrem benedicimus, Judam detestamur? Benedicimus caritatem, detestamur iniquitatem. Quantum enim præstitum est generi humano de tradito Christo? Numquid hoc cogitavit Judas ut traderet? Deus cogitavit salutem nostram, qua redemti sumus: Judas cogitavit pretium, quo vendidit Dominum. Filius ipse cogitavit pretium, quod dedit pro nobis: Judas cogitavit pretium, quod accepit ut venderet. Diversa ergo intentio diversa facta fecit. Cùm sit una res, ex diversis eam intentionibus si metiamur, unum amandum, alterum damnandum; unum glorificandum, alterum detestandum invenimus. Tantum valet caritas. Videte quia sola discernit, videte quia facta hominum sola distinguit.

Galat. 2. 20.

8. Hoc diximus in similibus factis. In diversis factis, invenimus sævientem hominem factum de caritate: & blandum factum de iniquitate. Puerum cædit pater, & mango blanditur. Si duas res proponas, plagas & blandimenta; quis non eligat blandimenta, & fugiat plagas? Si personas adtendas, caritas cædit, blanditur iniquitas. Videte quid commendamus, quia non discernuntur facta hominum, nisi de radice caritatis. Nam multa fieri possunt quæ speciem habent bonam, & non procedunt de radice caritatis. Habent enim & spinæ flores: quædam verò videntur aspera, videntur truculenta; sed fiunt ad disciplinam dictante caritate. Semel ergo breve præceptum tibi præcipitur, Dilige, & quod vis fac: sive taceas, dilectione taceas; sive clames dilectione clames; sive emendes, dilectione emendes; sive parcas, dilectione parcas: radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum exsistere.

1. Johan. 4. *v.* 10. *v.* 9. 9. * *In hoc est dilectio.* * *In hoc manifestata est dilectio Dei in nobis, quia Deus Filium suum misit unigenitum in hunc mundum, ut vivamus per ipsum.*

v. 10. * *In hoc est dilectio, non quia nos dilexímus, sed quia ipse dilexit nos.* Non illum dileximus priùs: nam ad hoc nos dilexit, ut diligamus eum. *Et misit Filium suum litatorem pro peccatis nostris.* Litatorem, sacrificatorem sacrificavit pro peccatis nostris. Ubi invenit hostiam? Ubi invenit victimam, quam puram volebat offerre? Aliud non invenit, seipsum obtulit.

v. 11. *Dilectissimi, si ita Deus dilexit nos, debemus & nos invicem diligere.* Petre, inquit, amas me? Et ille dixit, Amo. Pasce oves meas. *Johan.* 21. 15.

1. Johan. 4. 12. 10. *Deum nemo vidit umquam:* res est invisibilis; non oculo, sed corde quærendus est. Sed quemadmodum si solem istum videre vellemus, oculum corporis purgaremus, unde videri lux potest: volentes videre Deum, oculum quo Deus videri potest purgemus. Ubi est iste oculus? Audi Evangelium: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed nemo sibi pro concupiscentia oculorum cogitet Deum. Facit enim sibi aut ingentem formam, aut magnitudinem aliquam inæstimabilem distendit per locos, velut lucem istam quam videt his oculis, auget per campos quantum potest: aut facit sibi aliquem quasi venerabilis formæ senem. Nihil horum cogites. Est quod cogites, si vis videre Deum, *Deus Dilectio est.* Qualem faciem habet dilectio? qualem formam habet? qualem staturam habet? quales pedes habet? quales manus habet? nemo potest dicere. Habet tamen pedes, nam ipsi ducunt ad Ecclesiam: habet manus, nam ipsæ pauperi porrigunt: habet oculos, nam inde intelligitur ille qui eget: Beatus, inquit, qui intelligit super egenum & pauperem. Habet aures, de quibus dicit Dominus, Qui habet aures audiendi, audiat. Non sunt membra distincta per locos, sed intellectu totum simul videt qui habet caritatem. Habita, & inhabitaberis: mane, & manebitur in te. Quid enim, Fratres mei, quis amat quod non videt? Quare autem quando laudatur caritas, erigimini, adclamatis, laudatis? Quid vobis ostendi? aliquos colores protuli? aurum & argentum proposui? gemmas de thesauris effodi? Quid tale ostendi oculis vestris? numquid facies mea mutata est cùm loquor? Carnem gero, in ipsa forma sum in qua processi: in ipsa forma estis in qua venistis: laudatur caritas, & clamatis. Certè nihil videtis. Sed quomodo vobis placet quando laudatis, sic vobis placeat ut in corde servetis. Intendite enim quid dicam, Fratres: Exhortor vos, quantum dat Dominus, ad magnum thesaurum. Si vobis ostenderetur aliquod vasculum anaglyphum, inauratum, operosè factum, & illiceret oculos vestros, & duceret in se intentionem cordis vestri, & placeret vobis manus artificis, & pondus argenti, & splendor metalli: nonne unusquisque vestrûm diceret, O si haberem vasculum istud? Et sine causa diceretis; in potestate enim vestra non erat. Aut si quisquam vellet habere, cogitaret illud de domo aliena furari. Laudatur caritas vobis, si placet, habere, possidete: non opus est ut furtum alicui faciatis, non opus est ut emere cogitetis; gratis constat. Tenete eam, amplectimini eam: dulcius illa nihil est. Si cùm commemoratur talis est, cùm habetur qualis est?

Matth. 5. 8.

11. Si qui fortè vultis servare caritatem, Fratres, ante omnia ne putetis abjectam & desidiosam; nec quadam mansuetudine, immo non mansuetudine, sed remissione & negligentiâ servari caritatem. Non sic servatur. Non putes tunc te amare servum tuum, quando eum non cædis; aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis: non est ista caritas, sed languor. Ferveat caritas ad corrigendum, ad emendandum: sed si sunt boni mores, delectent; si sunt mali, emendentur, corrigantur. Noli in homine amare errorem, sed hominem: hominem enim Deus fecit, errorem ipse homo fecit. Ama illud quod Deus fecit, noli amare quod ipse homo fecit. Cùm illud amas, illud tollis: cùm illud diligis, illud emendas. Sed etsi sævis aliquando, propter correctionis dilectionem. Propterea de columba demonstrata est caritas, quæ venit super Dominum. Species illa columbæ, in qua specie venit Spiritus-sanctus, quo nobis caritas infunderetur. Quare hoc? Fel columba non habet: tamen rostro & pennis pro nido pugnat, sine amaritudine sævit. Hoc facit & pater, quando filium castigat, ad disciplinam castigat. Sicut dixi, seductor ut vendat, cum amaritudine blanditur: pater ut corrigat, sine felle castigat. Tales estote ad omnes. Videte, Fratres, magnum documentum, magnam regulam: Unusquisque habet filios, aut habere vult; aut si omnino decrevit filios non habere carnaliter, vel spiritualiter cupit habere: quis est qui non corrigit filium suum? quis est cui non det disciplinam pater? Et tamen sævire videtur. Amor sævit, caritas sævit: sævit quodam modo sine felle, more columbino, non corvino. Unde venit in mentem, Fratres mei, dicere vobis, quia illi violatores caritatis schisma fecerunt: quomodo oderunt ipsam caritatem, sic oderunt & columbam. Sed convincit illos columba: procedit de cælo, aperiuntur cæli, & manet super caput Domini. Ut quid hoc? Ut audiat, Hic est qui baptizat. Recedite prædones; recedite invasores possessionis Christi. In possessionibus vestris, ubi dominari vultis, titulos potentis ausi estis infigere. Cognoscit ille titulos suos; vindicat sibi possessionem suam: non delet titulos, sed intrat & possidet. Sic ad Catholicam venienti, non deletur baptismus, ne titulus imperatoris deleatur. Sed quid fit in Catholica? Agnoscitur titulus: intrat possessor sub titulis suis, quò intrabat prædo sub titulis alienis.

22. *q.* 5. *cap.* Non putes.

Johan. 1. 33.

TRACTATUS VIII.

De eo quod sequitur, Si diligamus invicem, Deus in nobis manebit: *usque ad id*, Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo.

1. DILECTIO dulce verbum, sed dulcius factum. Semper de illa loqui non possumus. Multa enim agimus, & diversæ actiones distendunt nos, ut non vacet linguæ nostræ semper de dilectione loqui: nam nihil melius ageret lingua nostra. Sed de qua semper loqui non licet, semper eam custodire licet. Sicut nunc quod cantamus, Halleluia, numquid semper hoc facimus? Vix unius horæ non toto spatio, sed parvâ particulâ cantamus Halleluia: & vacamus ad aliud. Est autem Halleluia, sicut jam nostis, Laudate Deum. Qui Deum laudat linguâ, non semper potest: qui moribus Deum laudat, semper potest. Opera misericordiæ, affectus caritatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt: sive cùm in publico sumus, sive cùm in domo, sive cùm ante homines, sive cùm in cubiculo, sive loquentes, sive tacentes, sive aliquid agentes, sive vacantes; semper hæc tenenda sunt; quia intus sunt omnes istæ virtutes quas nominavi. Quis autem sufficit omnes nominare? Quasi exercitus est imperatoris, qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator per exercitum suum agit quodque placet: sic Dominus Jesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, id est, in mente per fidem, utitur istis virtutibus quasi ministris suis. Et per has virtutes quæ videri oculis non possunt, & tamen quando nominantur, laudantur: non autem laudarentur nisi amarentur, non amarentur nisi viderentur; & si utique non amarentur nisi viderentur, alio oculo videntur, id est, interiori cordis adspectu: per has virtutes invisibiles, moventur membra visibiliter: pedes ad ambulandum; sed quò? Quò moverit bona voluntas, quæ militat bono imperatori. Manus ad operandum; sed quid? Quod jusserit caritas, quæ inspirata est intus à Spiritu-sancto. Membra ergo videntur cùm moventur: qui jubet intus, non videtur. Et quis intus jubeat, propè ipse solus novit qui jubet, & ille intus cui jubetur.

Ephes. 3. 17.

2. Namque Fratres audistis modò, cùm Evangelium legeretur: certè si aurem ibi non tantùm corporis, sed & cordis habuistis. Quid ait? Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis. Numquid hoc voluit dicere, ut quæcumque bona facimus, abscondamus ab oculis hominum, & timeamus videri? Si times spectatores, non habebis imitatores: debes ergo videri. Sed non ad hoc debes facere ut videaris. Non ibi debet esse finis gaudii tui, non ibi terminus lætitiæ tuæ, ut putes te totum fructum consecutum esse boni operis tui, cùm visus fueris atque laudatus. Nihil est hoc. Contemne te cùm laudaris: ille in te laudetur, qui per te operatur. Noli ergo ad laudem tuam operari quod bonum agis; sed ad laudem illius, à quo habes ut bonum agas. Abs te habes malè agere, à Deo habes bene agere. Contrà perversi homines videre quàm præposteri sint. Quod faciunt bene, volunt sibi tribuere: si malè faciunt, Deum volunt accusare. Converte hoc distortum nescio quid & præposterum, faciens illud quodammodo capite deorsum: quod [a] susum, faciens jusum; quod deorsum, faciens sursum. Jusum vis facere Deum, & te susum? Præcipitaris, non elevaris: ille enim semper sursum est. Quid ergo? Tu bene, & Deus malè? Immo hoc dic, si vis veriùs dicere, Ego malè, ille bene; & quod ego bene, ab illo bene: nam à me quidquid ago malè. Ista confessio firmat cor, & facit dilectionis fundamentum. Nam si opera nostra absconde debemus bona, ne videantur ab hominibus; ubi est illa sententia Domini in eo sermone, quem habuit in monte? Ubi hoc dixit, ibi & illud paulò antè dixit: Luceant opera vestra bona coram hominibus. Et non ibi cessavit, non ibi finem fecit: sed addidit, Et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Et Apostolus quid ait? Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ quæ in Christo sunt, tantùm autem audientes erant, quia qui nos aliquando persequebatur, nunc evangelizat fidem quam aliquando vastabat, & in me magnificabant Deum. Videte quemadmodum & ipse, quia sic innotuit, finem non posuerit in laudem suam, sed in laudem Dei. Et quantum ad ipsum pertinet, vastator Ecclesiæ, persecutor invidus, malignus: ipse confitetur, non nos conviciamur. Amat Paulus dici à nobis peccata sua, ut glorificetur ille qui talem morbum sanavit. Magnitudinem enim vulneris manus medici secuit, & sanavit. Vox illa de cælo prostravit persecutorem, & erexit prædicatorem: occidit Saulum, & vivificavit Paulum. Saül enim persecutor erat sancti viri: inde nomen habebat iste quando persequebatur Christianos: postea de Saulo factus est Paulus. Quid est Paulus? Modicus. Ergo quando Saulus, superbus, elatus: quando Paulus, humilis, modicus. Ideo sic loquimur, Paulò pòst videbo te, id est, Post modicum. Audi quia modicus factus est: Ego enim sum minimus Apostolorum: &, Mihi minimo omnium sanctorum cogitet Deum. Facit enim sibi aut ingentem formam, aut magnitudinem aliquam inæstimabilem distendit per locos, velut lucem istam quam videt his oculis, auget per campos quantum potest: aut facit sibi aliquem quasi venerabilis formæ senem. Nihil horum cogites. Est quod cogites, si vis videre Deum, *Deus Dilectio est.* Qualem faciem habet dilectio? qualem formam habet? qualem staturam habet? quales pedes habet? quales manus habet? nemo potest dicere. Habet tamen pedes, nam ipsi ducunt ad Ecclesiam: habet manus, nam ipsæ pauperi porrigunt: habet oculos, nam inde intelligitur ille qui eget: Beatus, inquit, qui intelligit super egenum & pauperem. Habet aures, de quibus dicit Dominus, Qui habet aures audiendi, audiat. Non sunt membra distincta per locos, sed intellectu totum simul videt qui habet caritatem. Habita, & inhabitaberis: mane, & manebitur in te. Quid enim, Fratres mei, quis amat quod non videt? Quare autem quando laudatur caritas, erigimini, adclamatis, laudatis? Quid vobis ostendi? aliquos colores protuli? aurum & argentum proposui? gemmas de thesauris effodi? Quid tale ostendi oculis vestris? numquid facies mea mutata est cùm loquor? Carnem gero, in ipsa forma sum in qua processi: in ipsa forma estis in qua venistis: laudatur caritas, & clamatis. Certè nihil videtis. Sed quomodo vobis placet quando laudatis, sic vobis placeat ut in corde servetis. Intendite enim quid dicam, Fratres: Exhortor vos, quantum dat Dominus, ad magnum thesaurum. Si vobis ostenderetur aliquod vasculum anaglyphum, inauratum, operosè factum, & illiceret oculos vestros, & duceret in se intentionem cordis vestri, & placeret vobis manus artificis, & pondus argenti, & splendor metalli: nonne unusquisque vestrûm diceret, O si haberem vasculum istud? Et sine causa diceretis; in potestate enim vestra non erat. Aut si quisquam vellet habere, cogitaret illud de domo aliena furari. Laudatur caritas vobis, si placet, habere, possidete: non opus est ut furtum alicui faciatis, non opus est ut emere cogitetis; gratis constat. Tenete eam, amplectimini eam: dulcius illa nihil est. Si cùm commemoratur talis est, cùm habetur qualis est?

Matth. 6. 1.

Galat. 1. 22. *&c.*

Act. 9. 4. *&c.*

1. Reg. 19.

Act. 13. 9.

1. Cor. 15. 9.

Ephes. 3. 8.

[a] MSS. aliquot pro *quod susum*, habent *quod sursum*: & mox *faciens deorsum*, pro *faciens jusum*. Sic fortasse barbaras illas voces, constare ex antithesi poterat, necnon eo ex loco Tract. 10. n. 8. *Susum me honoras, jusum me calcas.*

ctorum, dicit alio loco. Sic erat inter Apostolos tamquam fimbria vestimenti: sed tetigit Ecclesia gentium tamquam fluxum patiens, & sanata est.

3. Ergo Fratres hoc dixerim, hoc dico, hoc si possem non tacerem: Opera modò illa sint in vobis, modò illa, pro tempore, pro horis, pro diebus. Numquid semper loqui? numquid semper tacere? numquid semper reficere corpus? numquid semper jejunare? numquid semper panem dare egenti? numquid semper nudum vestire? numquid semper ægrotos visitare? numquid semper discordantes concordare? numquid semper mortuos sepelire? Modò illud, modò illud. Inchoantur ista, & cessant: ille autem imperator, nec inchoatur, nec cessare debet. Caritas intus non intermittatur: officia caritatis pro tempore exhibeantur. Caritas
Hebr. 13. 1. ergo, sicut scriptum est, fraterna permaneat.

4. Fortassis autem moverit aliquos vestrûm, ex quo istam Epistolam beati Johannis tractamus vobis, quare non commendaverit maximè nisi fra-
1. Johan. 2. 10. *&c.* ternam caritatem. Qui diligit fratrem, dicit: &, Præceptum nobis est datum, ut diligamus invicem. Assiduè nominavit caritatem fraternam: Dei autem caritatem, id est qua debemus diligere Deum, non tam assiduè nominavit; sed tamen non omnino tacuit. De inimici verò dilectione prorsus tacuit propè per totam ipsam Epistolam. Cùm vehementer nobis prædicet, commendetque caritatem, non nobis dicit ut diligamus inimicos; sed dicit nobis ut fratres diligamus. Modò verò cùm
Matth. 5. 46. Evangelium legeretur, audivimus, Si enim diligi» tis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? » nonne & publicani hoc faciunt? Quid est igitur quod pro magno nobis ad perfectionem quamdam fraternam dilectionem commendat Johannes apostolus: Dominus autem dicit, non nobis sufficere ut fratres diligamus, sed debere nos extendere ipsam dilectionem, ut perveniamus ad inimicos? Qui usque ad inimicos pervenit, non transilit fratres. Necesse est sicut ignis, prius occupet proxima, & sic se in longinquiora distendat. Propinquior est tibi frater quàm nescio quis homo. Rursus tibi magis adhæret ille quem non noveras, qui tibi tamen non adversatur, quàm inimicus qui etiam adversatur. Extende dilectionem in proximos, nec voces illam extensionem. Propè enim te diligis, qui eos diligis qui tibi adhærent. Extende ad ignotos, qui tibi nihil mali fecerunt. Transcende & ipsos: perveni, ut diligas inimicos. Hoc certè Dominus jubet. Quare iste tacuit de dilectione inimici?

5. Omnis dilectio sive quæ carnalis dicitur, quæ non dilectio, sed magis amor dici solet; (dilectionis enim nomen magis solet in melioribus rebus dici, in melioribus accipi:) tamen omnis dilectio, Fratres Carissimi, utique benevolentiam quamdam habet erga eos qui diliguntur. Non enim sic debemus diligere homines, aut sic possumus diligere, vel amare, hoc enim verbo etiam usus est Dominus,
Iohan. 21. 17. cùm diceret; Petre amas me? non sic debemus amare homines, quomodo audimus gulosos dicere, Amo turdos. Quæris quare? Ut occidat, & consumat. Et amare se dicit, & ad hoc illos amat ut non sint, ad hoc amat ut perimat. Et quidquid ad cibandum amamus, ad hoc amamus, ut illud consumatur, & nos reficiamur. Numquid sic amandi sunt homines, tamquam consumendi? sed amicitia quædam benevolentiæ est, ut aliquando præstemus eis quos amamus. Quid si non sit quod præstemus? Sola benevolentia sufficit amanti. Non enim optare debemus esse miseros, ut possimus exercere opera misericordiæ. Das panem esurienti: sed melius nemo esuriret, & nulli dares. Vestis nudum: utinam omnes vestiti essent, & non esset ista necessitas. Sepelis mortuum: utinam veniat aliquando illa vita, ubi nemo moriatur. Concordas litigantes: utinam aliquando sit pax illa æterna Jerusalem, ubi nemo discordet. Hæc enim omnia officia necessitatum sunt. Tolle miseros: cessabunt opera misericordiæ. Opera misericordiæ cessabunt, numquid ardor caritatis exstinguetur? Germanius amas felicem hominem, cui non habes quod præstes: purior ille amor erit, multóque sincerior. Nam si præstiteris misero, fortassis extollere te cupis adversùs eum, & eum tibi vis esse subjectum, [a] qui auctor est tui beneficii. Ille indiguit, tu impertitus es; quasi major videris quia tu præstitisti, quàm ille cui præstitum est. Opta æqualem: ut cambo sub uno sitis cui nihil præstari potest.

6. Nam in hoc excessit modum superba anima, & quodammodo avara fuit: quia radix omnium *1. Tim.* 6. 10. malorum avaritia. Et item dictum est, Initium *Eccli.* 10. 13. omnis peccati superbia. Et quærimus aliquando quomodo sibi concordent istæ duæ sententiæ, Radix omnium malorum avaritia: &, Initium omnis peccati superbia. Si initium omnis peccati superbia, radix omnium malorum superbia est. Certè radix omnium malorum avaritia est: invenimus & in superbia avaritiam esse; excessit enim modum homo. Quid est avarum esse? Progredi ultrà quàm sufficit. Adam superbiâ cecidit: Initium omnis peccati superbia, inquit. Numquid avaritia? Quid avarius illo, cui Deus sufficere non potuit? Ergo, Fratres, legimus quemadmodum factus sit homo ad imaginem & similitudinem Dei: & quid de illo dixit Deus? Et habeat potestatem piscium maris, *Gen.* 1. 26. & volatilium cæli, & omnium pecorum quæ repunt super terram. Numquid dixit, Habeat potestatem hominum? Habeat potestatem, ait: dedit potestatem naturalem. Quorum habeat potestatem? piscium maris, volatilium cæli, & omnium repentium quæ repunt super terram. Quare hæc est naturalis potestas hominis in ista? Quia homo ex eo habet potestatem, ex quo factus est ad imaginem Dei. Ubi autem factus est ad imaginem Dei? In intellectu, in mente, in interiore homine, in eo quod intelligit veritatem, dijudicat justitiam & injustitiam, novit à quo factus est, potest intelligere creatorem suum, laudare creatorem suum. Habet hanc intelligentiam, qui habet prudentiam. Ideo multi cùm per cupiditates malas detererent in se imaginem Dei, & ipsam quodammodo flammam intelligentiæ perversitate morum exstinguerent; clamabat illis Scriptura, Nolite fieri sicut equus & mulus, *Psal.* 31. 9. quibus non est intellectus. Hoc est dicere, Præposui te equo & mulo, te ad imaginem meam feci, potestatem tibi super ista dedi. Quare? Quia non habent feræ rationalem mentem: tu autem rationali mente capis veritatem, intelligis quod supra te est: subdere ei qui supra te est, & infra te erunt illa quibus præpositus es. Quia verò per peccatum homo deseruit eum sub quo esse debuit, subditur eis supra quæ esse debuit.

7. Intendite quid dicam: Deus, homo, pecora: verbi gratiâ, supra te Deus; infra te pecora.

[a] Septem MSS *quia auctor es tui beneficii.* Alii tres, *quia auctor es tu beneficii.*

Agnosce

Agnosce eum qui supra te est, ut agnoscant te quæ infra te sunt. Ideoque cùm Daniel agnovisset su-
Dan. 6. 22. pra se Deum, agnoverunt illum supra se leones. Si autem non agnoscis illum qui supra te est, superiorem contemnis, subderis inferiori. Propterea su-
Exod. 8. 3. *&* 22. perbia Ægyptiorum unde domita est? De ranis & muscis. Poterat Deus & leones mittere, sed aliquis magnus leone terrendus est. Quantò illi erant superbiores, tantò de rebus contemtibilibus & abjectis fracta est eorum cervix mala. Sed Danielem agnoverunt leones, quia ille subditus Deo erat. Quid Martyres qui ad bestias pugnaverunt, & ferarum morsibus lacerati sunt, non erant sub Deo? Aut erant servi Dei tres viri, & non erant servi Dei
Dan. 3. 50. Machabæi? Agnovit ignis servos Dei tres viros, quos non ussit, quorum nec vestimenta corrupit:
2. Machab. 7. & non agnovit Machabæos? Agnovit Machabæos, agnovit, Fratres, & istos. Sed opus erat quodam flagello, permittente Domino, qui dixit in Scriptu-
Hebr. 12. 6. ra, Flagellat omnem filium quem recipit. Putatis enim Fratres, quia ferrum transverberaret viscera Domini, nisi ipse permitteret; aut hæreret in ligno, nisi ipse voluisset? Non eum agnovit creatura sua? An exemplum patientiæ proposuit fidelibus suis? Ideo Deus quosdam liberavit visibiliter, quosdam non liberavit visibiliter: omnes tamen spiritaliter liberavit, spiritaliter neminem deseruit. Visibiliter quosdam visus est deseruisse, quosdam visus est eripuisse. Ideo quosdam eripuit, ne putes illum non potuisse eripere. Testimonium dedit quia potest, ut ubi non facit, secretiorem intelligas voluntatem, non suspiceris difficultatem. Sed quid Fratres? cùm evaserimus omnes istos mortalitatis laqueos, cùm transierint tempora tentationis, cùm sæculi hujus fluvius decucurrerit, & receperimus illam stolam primam, immortalitatem illam quam peccando
1. Cor. 15. 53. perdidimus, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, id est, caro ista induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem; jam perfectos filios Dei, ubi non opus est tentari nec flagellari, agnoscet omnis creatura: subdita nobis erunt omnia, si nos hîc subditi sumus Deo.

8. Sic ergo debet esse Christianus, ut non glorietur super alios homines. Dedit enim tibi Deus esse super bestias, id est, meliorem esse quàm bestias. Hoc naturale habes: semper melior eris quàm bestia. Si vis melior esse quàm alius homo, invidebis ei quando tibi esse videbis æqualem. Debes velle omnes homines æquales tibi esse: & si viceris aliquem per prudentiam, optare debes ut sit & ipse prudens. Quamdiu tardus est, discit à te; quamdiu indoctus est, indiget tui; & tu videris doctor, ille autem discens: tu ergo superior, quia doctor es; ille inferior, quia discens. Nisi illum optes æqualem, semper vis habere discentem. Si autem vis semper habere discentem, invidus eris doctor. Si invidus doctor, quomodo eris doctor? Rogo te, noli docere ipsum invidentiam tuam. Audi Apostolum dicentem de visceribus caritatis: Vellem om-
1. Cor. 7. 7. nes homines esse sicut meipsum. Quomodo volebat omnes esse æquales? Ideo erat omnibus superior, quia caritate optabat omnes æquales. Excessit ergo homo modum: avarior voluit esse, ut supra homines esset, qui supra pecora factus est: & ipsa est superbia.

9. Et videte quanta opera faciat superbia: ponite in corde, quàm similia facit, & quasi paria caritati. Pascit esurientem caritas, pascit & superbia: caritas ut Deus laudetur, superbia ut ipsa laudetur. Vestit nudum caritas, vestit & superbia: jejunat caritas, jejunat & superbia: sepelit mortuos caritas, sepelit & superbia. Omnia opera bona quæ vult facere caritas & facit, agitat contrà superbia, & quasi ducit equos suos. Sed interior est caritas: tollit locum malè agitatæ superbiæ, non malè agitanti, sed malè agitatæ. Væ homini cujus auriga superbia est, necesse est enim ut præceps eat. Ut autem non sit superbia quæ agitet facta bona, quis novit? quis videt? ubi est hoc? Opera videmus. Pascit misericordia, pascit & superbia: hospitem suscipit misericordia, hospitem suscipit & superbia: intercedit pro paupere misericordia, intercedit & superbia. Quid est hoc? In operibus non discernimus. Audeo aliquid dicere, sed non ego, Paulus dixit: Moritur caritas, id est, homo habens caritatem, confitetur nomen Christi, ducit martyrium: confitetur & superbia, ducit & martyrium. Ille habet caritatem, ille non habet caritatem. Sed audiat
1 Cor. 13. 3. ab Apostolo ille qui non habet caritatem: Si distribuero omnia mea pauperibus, & si tradidero corpus « meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, « nihil mihi prodest. Ergo Scriptura divina intrò nos « revocat à jactatione hujus faciei forinsecùs; & ab ista superficie quæ jactatur ante homines, revocat nos intrò. Redi ad conscientiam tuam, ipsam interroga. Noli adtendere quod floret foris, sed quæ radix est in terra. Radicata est cupiditas? species potest esse bonorum factorum, verè opera bona esse non possunt. Radicata est caritas? securus esto, nihil mali procedere potest. Blanditur superbus, sævit amor. Ille vestit, ille cædit. Ille enim vestit ut placeat hominibus: ille cædit ut corrigat disciplina. Accipitur magis plaga caritatis, quàm eleemosyna superbiæ. Redite ergo intrò, Fratres; & in omnibus quæcumque facitis, intuemini testem Deum. Videte, si ille videt, quo animo faciatis. Si cor vestrum non vos accusat, quia jactantiæ caussâ facitis; bene, securi estote. Nolite autem timere quando facitis bene, ne videat alter. Time ne propterea facias, ut tu laudaris: nam videat alter, ut Deus laudetur. Si enim abscondis ab oculis hominis; absconde is ab imitatione hominis, laudem subtrahis Deo. Duo sunt quibus eleemosynam facis: duo esuriunt, unus panem, alter justitiam. Inter
Matth. 5. 6. duos istos famelicos, quia dictum est, Beati qui « esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi satura» buntur: inter duos istos famelicos, bonus operator constitutus es: si caritas de illo operatur, ambos miseratur, ambobus vult subvenire. Ille enim quærit quod mandacet, ille quærit quod imitetur. Pascis istum, præbe te isti: ambobus dedisti eleemosynam: illum fecisti gratulatorem de fame interfecta; hunc fecisti imitatorem de exemplo proposito.

10. Misereminі ergo tamquam misericordes: quia in eo etiam quòd diligitis inimicos, fratres diligitis. Ne putetis Johannem nihil de dilectione inimici præcepisse: quia de fraterna caritate non tacuit. Fratres diligitis. Quomodo, inquis, fratres diligimus? Quæro quare diligas inimicum: quare illum diligis? Ut sanus sit in hac vita? quid si non illi expedit? Ut dives sit? quid si ipsis divitiis excæcabitur? Ut uxorem ducat? quid si amaram vitam inde patietur? Ut filios habeat? quid si mali erunt? Incerta sunt ergo ista quæ videris optare inimico tuo, quia diligis eum: incerta sunt. Opta illi ut habeat

tecum vitam æternam: opta illi ut sit frater tuus. A Si ergo hoc optas, diligendo inimicum, ut sit frater tuus: cùm eum dilìgis, fratrem diligis. Non enim amas in illo quod est; sed quod vis ut sit. Dixeram aliquando Caritati Vestræ, nisi fallor: Robur est ligni positum ante oculos, faber optimus vidit lignum non dolatum, de silva præcisum, adamavit: nescio quid inde vult facere. Non enim ad hoc amavit, ut semper sic maneat. In arte vidit quod futurum est, non in amore quod est: & amavit quod inde facturus est, non illud quod est. Sic B & nos Deus amavit peccatores. Dicimus, quia
Matth. 9. 12. Deus amavit peccatores: ait enim, Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Numquid ad hoc amavit peccatores, ut peccatores remaneremus? Quasi lignum de silva vidit nos faber, & cogitavit ædificium quod inde facturus est, non silvam quod erat. Sic & tu respicis inimicum tuum adversantem, sævientem, mordentem verbis, exasperantem contumeliis, infectantem odiis: adtendis ibi quia homo est. Vides ista omnia quæ adver- C sa sunt ab homine facta: & vides in illo quòd à Deo factus est. Quòd autem homo factus est, à Deo factus est. Quòd autem te odit, ipse fecit: quòd invidet, ipse fecit. Et quid dicis in animo tuo? Domine propitius illi esto; dimitte illi peccata; incute illi terrorem, muta illum. Non amas in illo quod est, sed quod vis ut sit. Ergo cùm inimicum amas, fratrem amas. Quapropter perfecta dilectio, est inimici dilectio: quæ perfecta dilectio est in dilectione fraterna. Et nemo dicat, quia D aliquid minùs nos monuit Johannes apostolus, & plus nos monuit Dominus Christus: Johannes nos
Matth. 5. 44. monuit ut fratres diligamus; Christus nos admonuit ut etiam inimicos diligamus. Adtende quare te monuit Christus ut diligas inimicos. Numquid ut semper remaneant inimici? Si ad hoc te monuit ut inimici remaneant, odis, non diligis. Adtende quomodo ipse dilexit, id est, quia nolebat ut sic
Luc. 23. 34. remanerent persecutores, ait, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Quibus voluit ignosci, E mutari illos voluit: quos voluit mutari, ex inimicis fratres facere dignatus est, & verè sic fecit. Occisus est, sepultus est, resurrexit, in cælum adscendit, Spiritum-sanctum misit discipulis, cœperunt cum fiducia prædicare nomen ipsius: miracula faciebant in nomine crucifixi & occisi. Viderunt illi interfectores Domini; & qui sanguinem ejus sæviendo fuderunt, credendo biberunt.

11. Hæc dixi, Fratres, & longiusculè: tamen quia vehementiùs commendanda fuit Caritati Vestræ F ipsa caritas, ideo commendanda sic erat. Si enim caritas nulla est in vobis, nihil diximus. Si autem est in vobis, tamquam oleum in flammas adjecimus: & in quo non erat, fortè verbis accensa est. In alio crevit quod erat: in alio cœpit esse quod non erat. Ad hoc ergo ista diximus, ne pigri sitis diligere inimicos. Sævit in te homo? Ille sævit, tu precare: ille odit, tu miserere. Febris animæ ipsius te odit: sanus erit, & gratias tibi aget. Quomodo medici diligunt ægrotos? Numquid ægrotos diligunt? Si ægrotos G diligunt, volunt ut semper ægrotent. Ad hoc diligunt ægrotos, non ut ægroti remaneant, sed ut ex ægrotis sani fiant. Et quanta plerumque patiuntur à phreneticis? quales contumelias verborum? Plerumque & percutiuntur. Persequitur ille febrem, ignoscit homini: & quid dicam, Fratres? amat inimicum suum? Immo odit inimicum suum morbum; ipsum enim odit, & amat hominem à quo percutitur: odit febrem. A quo enim percutitur? à morbo, ab ægrotatione, à febre. Illud tollit quod illi adversatur, ut remaneat illud unde gratuletur. Sic & tu: si odit te inimicus tuus, & injustè te odit; noveris quia cupiditas sæculi in illo regnat, propterea te odit. Si odisti illum & tu; contrà reddis malum pro malo. Quid facit reddere malum pro malo? Unum ægrotum flebam, qui te oderat: jam duos plango, si & tu odisti. Sed persequitur rem
tuam; tollit tibi nescio quæ, quæ habes in terra: ideo illum odisti, quia angustias tibi facit in terra. Noli pati angustias, migra in cælum sursum: cor ibi habebis ubi latitudo est, ut nullas angustias patiaris in spe vitæ æternæ. Adtende quæ tibi tollit: nec ipsa tibi tolleret, nisi ille permitteret, qui fla- *Hebr. 12. 6.* gellat omnem filium quem recipit. Quodammodo ferramentum Dei est quo saneris, ipse inimicus tuus. Si novit Deus utile tibi esse ut exspoliet te, permittit illum si novit tibi utile esse ut vapules, permittit illum, ut cædaris: de illo te curat, opta ut ille sanetur.

12. *Deum nemo vidit umquam.* Videte Dilectis- *1. Johan. 4.* simi: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manebit,* 12. *& dilectio ejus erit perfecta in nobis.* Incipe diligere, perficieris. Cœpisti diligere? cœpit in te Deus habitare: ama eum qui in te cœpit habitare, ut perfectiùs inhabitando faciat te perfectum. *In hoc cognoscimus quia in ipso manemus, & ipse in nobis, quia de* *v. 13.* *Spiritu suo dedit nobis.* Bene, Deo gratias. Cognoscimus quia habitat in nobis. Et hoc ipsum unde cognoscimus, quia cognovimus, quia habitat in nobis? Quia hoc ipse Johannes dixit: *Quia de Spiritu suo dedit nobis.* Unde scimus, *quia de Spiritu suo dedit nobis?* Hoc ipsum, quia de Spiritu suo dedit tibi, unde cognoscis? Interroga viscera tua. Si plena sunt caritate, habes Spiritum Dei. Unde cognoscimus, quia inde cognoscis habitare in te Spiritum Dei? Paulum interroga apostolum: Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per *Rom. 5. 5.* Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

13. *Et nos vidimus, & testes sumus, quia Pater* *1. Johan. 4.* *misit Filium suum Salvatorem mundi.* Securi estote 14. qui ægrotatis: talis medicus venit, & desperatis? Magni erant morbi, insanabilia erant vulnera, desperata erat ægritudo. Magnitudinem mali tui adtendis, omnipotentiam medici non adtendis? Tu desperatus es; sed ille omnipotens est: cujus testes isti sunt qui primò sanati, & annuntiantes medicum; & ipsi tamen plus spe sanati quàm re. Nam sic dicit Apostolus; Spe enim salvi facti sumus. *Rom. 8. 24.* Cœpimus ergo sanari in fide: perficietur autem salus nostra, cùm corruptibile hoc induerit incorru- *1. Cor. 15.* ptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. *53.* Hæc spes est, nondum res. Sed qui gaudet in spe, tenebit & rem: qui autem spem non habet, ad rem non poterit pervenire.

14. *Quicumque confessus fuerit quòd Iesus est Fi-* *1. Johan. 4.* *lius Dei; Deus in ipso manet, & ipse in Deo.* Jam 15. non multis dicamus: *Qui confessus fuerit*, non verbo, sed facto; non linguâ, sed vitâ. Nam multi confitentur verbis, sed factis negant. *Et nos cogno-* *v. 16.* *vimus, & credidimus, quam dilectionem Deus habet in nobis.* Et iterum unde cognovisti? *Deus dilectio est.* Jam dixit illud superiùs, ecce iterum dicit. Ampliùs tibi non potuit dilectio commendari, quàm ut diceretur Deus. Fortè munus Dei contemturus eras. Et Deum contemnis? *Deus dilectio est. Et qui*

manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo A *manet.* Vicissim in se habitant, qui continet & qui continetur. Habitas in Deo, sed ut contineatis: habitat in te Deus, sed ut te contineat, ne cadas. Ne fortè sic te putes domum Dei fieri, quomodo domus tua portat carnem tuam: si subtrahat se domus in qua es, cadis; si autem tu te subtrahas, non cadit Deus. Integer est, cùm eum deseris: integer, cùm ad illum redieris. Tu sanaris, non illi aliquid præstabis: tu mundaris, tu reficeris, tu corrigeris. Ille medicamentum est non sano, regula est pravo, B lux est tenebrato, habitatio est deserto. Omnia ergo tibi conferuntur. Vide ne putes Deo aliquid conferri, quando venis ad eum: nec mancipium saltem. Ergo non habebit Deus servos, si tu nolueris, & si omnes noluerint? Deus non indiget ser-
Psal. 15. 2. vis, sed servi Deo: ideo dicit Palmus, Dixi Domino, Deus meus es tu. Ipse est verus Dominus. Et quid ait? Quoniam bonorum meorum non eges. Tu eges bono servi tui. Eget servus bono tuo, ut pascas illum: eges & tu bono servi tui ut adjuvet te. Non tibi potes aquam implere, non tibi potes coquere, non tibi potes ante equum currere, jumentum tuum non potes curare. Vides, quia indiges bono servi tui, obsequio illius indiges. Non es ergo verus dominus, quando indiges inferiore. Ille est verus Dominus, qui nihil à nobis quærit: & væ nobis, si eum non quæramus. Nihil à nobis quærit; & quæsivit nos, cùm eum non quæreremus.
Luc. 15. 5. Ovis una erraverat; invenit eam, gaudens in humeris suis reportavit. Et numquid ovis erat pastori D necessaria, & non ovi potiùs pastor necessarius erat? Quantò libentiùs de caritate loquor, tantò minùs volo finiri Epistolam istam. Nulla est ardentior ad commendandam caritatem. Nihil vobis dulcius prædicatur, nihil salubrius bibitur: sed si bene vivendo confirmetis in vobis munus Dei. Ne sitis ingrati tantæ gratiæ illius, qui cùm haberet Unicum, noluit illum esse unum; sed ut fratres haberet, adoptavit illi qui cum illo possideret vitam æternam.

TRACTATUS IX.

De eo quod sequitur, In hoc perfecta est dilectio in nobis: *usque ad id*, Et hoc mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

1. MEMINIT Caritas Vestra, ex Epistola Johannis apostoli ultimam partem restare nobis tractandam, & exponendam vobis, quantum Dominus donat. Hujus ergo debiti nos memores sumus: exactionis autem vos memores esse debetis. Eadem quippe caritas quæ in ipsa Epistola maximè & propè sola commendatur, & nos facit fidelissimos debitores, & vos dulcissimos exactores. Ideo dixi dulcissimos exactores, quia ubi caritas non est, amarus exactor est. Ubi autem caritas est, & qui exigit dulcis est: & à quo exigitur, etsi aliquem laborem suscipit, facit eumdem laborem propè nullum & levem ipsa G caritas. Nonne videmus etiam in mutis animantibus & irrationalibus ubi non est spiritalis caritas, sed carnalis & naturalis, exigi tamen magno affectu de uberibus matris lac à parvulis? Et quamvis sugens impetum faciat in ubera: melius est tamen matri quàm si non sugat, nec exigat quod caritate debetur. Sæpe videmus ubera vaccarum etiam à grandiusculis vitulis capite percuti, & propè ipso impetu levari matrum corpora, nec eos tamen calce repelli: sed & si desit filius qui sugat, mugitu vocari ad ubera. Si ergo est in nobis illa caritas spiritalis, de qua Apostolus dicit, Factus sum parvulus in *1. Thess. 2. 7.* medio vestrûm, tamquam nutrix fovens filios suos: tunc vos diligimus quando exigitis. Pigros non amamus: quia languentibus formidamus. Intercesserunt autem, ut intermitteremus textum hujus Epistolæ, quædam pro diebus festis sollemnia lectionum, quæ non potuerunt nisi legi, & ipsa tractari. Nunc ergo ad prætermissum ordinem redeamus: & quæ restant, intentè accipiat Sanctitas Vestra. Nescio utrùm magnificentiùs nobis caritas commenda- *1. Johan. 4.* ri posset, quàm ut diceretur, Deus caritas est. Bre- *16.* vis laus, & magna laus: brevis in sermone, & magna in intellectu. Quàm citò dicitur, Deus dilectio est. Et hoc breve est: si numeres, unum est; si appendas, quantum est? Deus dilectio est. Et qui manet, inquit, in dilectione, in Deo manet « C & Deus in illo manet. Sit tibi domus Deus, & esto « domus Dei: mane in Deo, & mancat in te Deus. Manet in te Deus, ut te contineat: manes in Deo, ne cadas; quia sic de ipsa caritate dicit Apostolus, *1. Cor. 13. 8.* Caritas numquam cadit. Quomodo cadit quem continet Deus?

2. *In hoc perfecta est dilectio in nobis, ut fidu-* *1. Johan. 4.* *ciam habeamus in die judicii: quia sicut ille est, &* 17. *nos sumus in hoc mundo.* Dicit quomodo se probet unusquisque, quantum in illo profecerit caritas: D vel potiùs quantum ipse in caritate profecerit. Nam si caritas Deus est, nec proficit nec deficit Deus: sic dicitur proficere in te caritas, quia tu in ea proficis. Interroga ergo quantum in caritate profeceris, & quid tibi respondeat cor tuum, ut noveris mensuram profectus tui. Promisit enim ostendere nobis, in quo cognoscamus eum, & ait, *In hoc perfecta est in nobis dilectio.* Quære, in quo? *Ut fiduciam habeamus in die judicii.* Quisquis fiduciam habet in die judicii, perfecta est in illo caritas. Quid E est habere fiduciam in die judicii? Non timere ne veniat dies judicii. Sunt homines qui non credunt diem judicii: isti fiduciam non possunt habere in die, quam venturam esse non credunt. Prætermittamus istos: excitet illos Deus, ut vivant: de mortuis ut quid loquimur? Non credunt futurum diem judicii, nec timent, nec desiderant quod non credunt. Cœpit aliquis credere diem judicii: si cœ- *3. Sent. dist.* pit credere, cœpit & timere. Sed quia timet ad- *34. cap. De* huc, nondum habet fiduciam in die judicii, non- *hiis.* F dum est in illo perfecta caritas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium video, inquis? Ipsum timorem. Audi Scripturam: Initium sapientiæ ti- *Eccli. 1. 16.* mor Domini. Cœpit ergo timere diem judicii: timendo corrigat se; vigilet adversùs hostes suos, id est, adversùs peccata sua; incipiat reviviscere interiùs, & mortificare membra sua quæ sunt super terram, sicut Apostolus dicit, Mortificate membra *Coloss. 3. 5.* vestra quæ sunt super terram. Spiritalia nequitiæ dicit membra super terram: nam sequitur & exponit, Avaritiam, immunditiam, & cetera quæ illic exsequitur. Quantum autem mortificat iste, qui timere cœpit diem judicii, membra sua super terram, tantum surgunt & corroborantur membra cælestia. Membra autem cælestia, omnia opera bona. Surgentibus cælestibus membris, incipit desiderare quod timebat. Timebat enim ne veniret Christus,

& inveniret impium quem damnaret: desiderat ut veniat, quia inventurus est pium, quem coronet. Jam cùm cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsi, renuntiat adultero; fit virgo interiùs ipsâ fide, spe, & caritate. Habet jam fiduciam in die judicii: non
Matth. 6. 10. contra se pugnat quando orat, & dicit, Adveniat regnum tuum. Qui enim timet ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur. Quomodo orat, qui timet ne exaudiatur? Qui autem orat cum fiducia caritatis, optat jam ut veniat. De ipso desiderio
Psal. 6. 4. dicebat quidam in Psalmo, Et tu Domine usque quò? Convertere Domine, & erue animam meam. Gemebat se differri. Sunt enim homines qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti qui cum patientia vivunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: luctatur adversùm se, ut sequatur voluntatem Dei; & hoc potiùs agit animo, quod eligit Deus, non quod eligit voluntas humana: & ex desiderio vitæ præsentis fit
Philip. 1. 23. lucta cum morte; & adhibet patientiam & fortitudinem, ut æquo animo moriatur: iste patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolvi & esse cum Christo, non patienter moritur; sed patienter vivit, delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viventem, id est, cum patientia hîc non amare vitam, sed tolerare.
» Dissolvi, inquit, & esse cum Christo multò magis
» optimum: manere autem in carne necessarium propter vos. Ergo Fratres date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem judicii. Aliter non probatur perfecta caritas, nisi cùm cœperit ille dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo: ille autem fiduciam habet in illo, cujus conscientia non trepidat in caritate perfecta atque sincera.

3. *In hoc perfecta est dilectio ejus in nobis, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Quare habebimus fiduciam? *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Audisti caussam fiduciæ tuæ: *Quia sicut ille est*, inquit, *& nos sumus in hoc mundo.* Nonne videtur aliquid impossibile dixisse? Numquid enim potest esse homo sicut Deus? Jam vobis exposui, quia non semper ad æqualitatem dicitur, *sicut*: sed dicitur ad quamdam similitudinem. Quomodo enim dicis, Sicut aures habeo, ita habet & imago? Numquid omnino sic? Sed tamen dicis, *sicut.* Si ergo
Gen. 1. 26. facti sumus ad imaginem Dei, quare non sicut Deus sumus? Non ad æqualitatem, sed pro modo nostro. Unde ergo nobis datur fiducia in die judicii. *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Debemus hoc referre ad ipsam caritatem, & intelligere quid dictum sit. Dominus in Evangelio dicit, Si
Matth. 5. 46. &c. » diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Quid ergo vult nos? Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos. Si ergo jubet nos diligere inimicos nostros, unde nobis » dat exemplum? De ipso Deo: ait enim, Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. Quomodo illud facit Deus? Diligit inimicos suos, qui facit solem suum » oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Si ergo ad hanc perfectionem nos invitat Deus, ut diligamus inimicos nostros sicut & ipse dilexit suos; ea nobis fiducia est in die judicii, *quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo:* quia sicut ille diligit inimicos suos, faciendo solem suum oriri super bonos & malos, & pluendo super justos & injustos; ita nos quia inimicis nostris non possumus præstare solem & pluviam, præstamus lacrymas cùm pro illis oramus.

4. Jam ergo de ipsa fiducia videte quid dicat. Unde intelligitur perfecta, caritas? *Timor non est in caritate.* Quid ergo dicimus de illo qui cœpit timere diem judicii? Si perfecta in illo esset caritas, non timeret. Perfecta enim caritas faceret perfectam justitiam, & non haberet quare timeret: immo haberet quare desideraret ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo *timor non est in caritate.* Sed in qua caritate? non in inchoata. In qua ergo? *Sed perfecta*, inquit, *caritas foras mittit timorem.* Ergo incipiat timor: quia initium sapientiæ *Eccli. 1. 16.* timor Domini. Timor quasi locum præparat caritati. Cùm autem cœperit caritas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major caritas, minor timor: minor caritas, major timor. Si autem nullus timor, non est quà intret caritas. Sicut videmus *De pœnit. dist. 2. Sicut seta.* per setam introduci linum, quando aliquid suitur, sera priùs intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem. Jam facta securitate in animo, quale gaudium nobis est vel in hoc, vel in futuro sæculo? Et in hoc sæculo quis nobis nocebit plenis caritate? Videte quomodo exsultet Apostolus de ipsa caritate. Quis nos, inquit, separabit à caritate Christi? *Rom. 8. 35.* Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, « an nuditas, an periculum, an gladius? Et Petrus *1. Petr. 3. 13.* dicit, Et quis vobis nocere potest, si boni æmulatores fueritis? *Timor non est in dilectione: sed perfecta dilectio foras mittit timorem; quia timor tormentum habet.* Torquet cor conscientia peccatorum, nondum facta est justificatio. Est ibi quod titillet, quod pungat. Ideo in Psalmo de ipsa perfectione justitiæ *Psal. 29. 12.* quid dicit? Convertisti luctum meum in gaudium « mihi: concidisti saccum meum, & cinxisti me læ- « titiâ, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar. Quid est, non compungar? Non sit quod stimulet conscientiam meam. Stimulat timor: sed noli timere, intrat caritas, quæ sanat quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum; putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere. Ecce putredo quando erat in corpore, minus erat vulnus, sed periculosum: accedit ferramentum medici; minùs dolebat illud vulnus, quàm dolet modò cùm secatur. Plus dolet cùm curatur, quàm si non curaretur: sed ideo plus dolet accedente medicinâ, ut numquam doleat succedente salute. Occupet ergo cor tuum timor, ut inducat caritatem: succedat cicatrix ferramento medici. Talis est medicus, ut nec cicatrices appareant: tu tantùm subde te dexteræ ipsius. Nam si sine timore es, non poteris justificari. Sententia dicta est *Eccli. 1. 28.* de Scripturis. Nam qui sine timore est, non potest justificari. Opus est ergo ut intret timor primò, per quem veniat caritas. Timor medicamentum, caritas sanitas. *Qui autem timet, non est perfectus in 1. Johan. 4. 18.* *dilectione.* Quare? *Quia timor tormentum habet*, quomodo sectio medici tormentum habet.

5. Est autem alia sententia, quæ videtur huic esse contraria, si non habeat intellectorem: dicitur *3. Sent. dist. 34. cap.* Est autem. enim quodam loco in Psalmo, Timor Domini ca- *Psal. 18. 10.* stus, permanens in sæculum sæculi. Æternum

quemdam timorem nobis ostendit, sed castum. Quòd si ille æternum nobis timorem ostendit, numquid contradicit illi fortè ista Epistola, quæ dicit, *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem?* Interrogemus ambo eloquia Dei. Spiritus unus est, etsi codices duo, etsi ora duo, etsi linguæ duæ. Hoc enim dictum est per Johannem, illud dictum est per David: sed nolite putare alium esse spiritum. Si unus flatus inflat duas tibias, non potest unus Spiritus implere duo corda, agitare duas linguas? Sed si spiritu uno, id est uno flatu, impletæ duæ tibiæ consonant: impletæ duæ linguæ Spiritu Dei, dissonare possunt? Est ergo ibi quædam consonantia, est quædam concordia, sed auditorem desiderat. Ecce inspiravit & implevit duo corda, duo ora, movit duas linguas Spiritus Dei: & audivimus ex una lingua, *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem:* audivimus ex alia, Timor Domini castus permanens in sæculum sæculi. Quid est hoc? quasi dissonant? Non. Excute aures, intende melodiam. Non sine caussâ hîc addidit, castus, illic non addidit: nisi quia est timor alius qui dicitur castus, est autem alius qui non dicitur castus. Discernamus istos duos timores, & intelligamus consonantiam tibiarum. Quomodo intelligimus, vel quomodo discernimus? Adtendat Caritas Vestra: Sunt homines qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne fortè ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille qui introducit caritatem: sed sic venit ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum; nondum amas quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo quòd mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cùm bona desiderare cœperis, erit in te timor castus. Quis est timor castus? Ne amittas ipsa bona. Intendite: Aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam cum diabolo: aliud est timere Deum, ne recedat à te. Ille timor quo times ne in gehennam mittaris cum diabolo, nondum est castus; non enim venit ex amore Dei, sed ex timore pœnæ: cùm autem times Deum, ne deserat te præsentia ejus; amplecteris eum, ipso frui desideras.

3. Sent. dist. 34. cap. Non potest.

6. Non potest melius explanari quid interfit inter duos istos timores, unum quem foras mittit caritas, alterum castum qui permanet in sæculum sæculi, nisi ponas duas mulieres maritatas, quarum unam ita constituas volentem facere adulterium, delectari nequitiâ, sed timere ne damnetur à marito. Timet maritum, sed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum: huic non grata, sed onerosa est mariti præsentia: & si fortè vivit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales sunt qui timent ne veniat dies judicii. Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, nulla se adulterii immunditiâ maculare: optat præsentiam viri. Et quomodo discernuntur duo isti timores? Timet illa, timet & illa. Interroga, quasi unum tibi respondent: interroga illam, Times virum? Respondet, Timeo. Interroga & illam si timeat virum: respondet, Timeo. Una vox est, sed diversus animus. Jam ergo interrogentur, Quare? Illa dicit, Timeo virum ne veniat: illa dicit, Timeo virum ne discedat. Illa dicit, Timeo ne damner: illa dicit, Timeo ne deserar. Pone hoc in animo Christianorum, & invenis timorem quem foras mittit caritas, & alium timorem castum permanentem in sæculum sæculi.

7. Loquamur ergo his primò qui sic timent Deum, quomodo illa mulier quam delectat nequitia; timet enim virum ne damnet illam: talibus primò loquamur. O anima quæ sic times Deum; ne damnet te Deus, quomodo timet mulier quam delectat nequitia, timet virum, ne damnetur à viro: quomodo tibi displicet illa mulier, displice & tu tibi. Si fortè habes uxorem, numquid vis ut sic timeat te uxor tua, ne damnetur abs te; ut delectet illam nequitia, sed pondere timoris tui reprimatur, non damnatione iniquitatis? Castam eam vis, ut te diligat, non ut te timeat. Exhibe te talem Deo, qualem vis habere uxorem. Et si nondum habes, & habere vis; talem vis habere. Et quid dicimus, Fratres? Illa mulier quæ ideo timet virum, ne damnetur à viro, fortè non facit adulterium, ne aliquo modo perveniat ad virum, & tollat illi lucem istam temporalem. Potest autem vir ille & falli, homo est enim, sicut & illa, quæ potest fallere. Timet illa eum, extra cujus oculos potest esse: tu non times semper faciem supra te viri tui? Vultus autem Do- *Psal. 33. 17.* mini super facientes mala. Captat illa absentiam viri sui, & incitatur fortè delectatione adulterii; & dicit sibi tamen, Non faciam: absens est quidem ille, sed difficile est ut non ad illum quoquo modo perveniat. Temperat se ne perveniat ad hominem, qui potest & nescire, qui potest & falli, qui potest & bonam suspicari etiam malam, qui potest & castam suspicari quæ adultera est: Tu non times oculos ejus, quem fallere nemo potest? tu non times ejus præsentiam, qui averti à te non potest? Roga Deum ut intueatur te, & avertat faciem à peccatis tuis: Averte faciem tuam à peccatis meis. Sed unde me- *Psal. 50. 11.* reris ut ille faciem suam avertat à peccatis tuis? si tu non avertas faciem tuam à peccatis tuis? Ipsa enim vox dicit in Psalmo, Quoniam iniquitatem *Ibidem 5.* meam ego agnosco, & peccatum meum coram me est semper. Tu agnosce, & ille ignoscit.

8. Allocuti sumus eam quæ habet adhuc timorem non permanentem in sæculum sæculi, sed quem caritas excludit & foras mittit: alloquamur & illam quæ habet jam timorem castum, permanentem in sæculum sæculi. Putamus invenimus illam, ut alloquamur illam? putas est in hoc populo? putas est in ista exedra? putas est in hac terra? Non potest nisi esse, sed latet. Hyems est, intus est viriditas in radice. Fortè invenimus aures illius. Sed ubicumque est illa anima, utinam illam invenirem; & non aures suas præberet mihi, sed ego meas aures illi. Illa me doceret aliquid potiùs, quàm à me discere. Anima quædam sancta, ignea, & desiderans regnum Dei: hanc non ego alloquor, sed Deus ipse, & patienter viventem in hac terra ita consolatur, Jam vis veniam, & ego novi quia jam vis ut veniam: novi qualis es, ut secura exspectes adventum meum; novi quia molestia est tibi: sed magis exspecta, tolera; venio, & citò venio. Sed amanti tardum est. Audi eam cantantem tamquam lilium de medio spinarum: audi suspirantem, & dicentem, Psallam & intelligam in via immaculata quan- *Psal 100. 2.* do venies ad me? Sed in via immaculata meritò non timet: quia *perfecta caritas foras mittit timorem.* Et cùm venerit ad ejus amplexum, timet, sed securiter. Quid timet? cavebit, & observabit se ab iniquitate sua, ne iterum peccet: non ne mittatur in ignem, sed ne ab illo deseratur. Et erit in illa, quid? timor castus permanens in sæculum sæculi. Audivimus duas tibias consonantes. Illa de timore

dicit, & illa de timore: sed illa de timore quo timet anima ne damnetur, illa de timore quo timet anima ne deseratur. Ille est timor quem caritas excludit: ille est timor permanens in sæculum sæculi.

1. Johan. 4. 19. 9. *Nos diligamus; quia ipse prior nos dilexit.* Nam unde diligeremus, nisi ille prior dilexisset nos? Diligendo amici facti sumus: sed inimicos ille dilexit, ut amici efficeremur. Prior dilexit nos, & donavit nobis ut diligeremus eum. Nondum diligebamus eum; diligendo pulcri efficimur. Quid facit homo deformis & distorta facie, si amet pulcram? Aut quid facit femina deformis & distorta & nigra, si amet pulcrum? Numquid amando poterit esse pulcra? Numquid & ille amando poterit esse formosus? Amat pulcram; & quando se in speculo videt, erubescit faciem suam levare ad illam formosam suam, quam amat. Quid faciet ut pulcher sit? Exspectat ut veniat pulcritudo? Immo exspectando senectus additur, & turpiorem facit. Non est ergo quid agere, non est quomodo illi des consilium, nisi ut compescat se, & non audeat amare impar imparem: aut si fortè amat & ducere uxorem optat, in illa castitatem amet, non carnis faciem. Anima verò nostra, Fratres mei, fœda est per iniquitatem: amando Deum pulcra efficitur. Qualis amor est, qui reddit pulcram amantem? Deus autem semper pulcher est, numquam deformis, numquam commutabilis. Amavit nos prior qui semper est pulcher: & quales amavit, nisi fœdos & deformes? Non ideo tamen ut fœdos dimitteret; sed ut mutaret, & ex deformibus pulcros faceret. Quomodo erimus pulcri? amando eum qui semper est pulcher. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulcritudo: quia ipsa caritas est animæ pulcritudo. *Nos diligamus; quia ipse prior dilexit nos.* Audi apostolum Paulum, Ostendit autem Deus dilectionem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, justus pro injustis, pulcher pro fœdis. Quomodo invenimus pulcrum Jesum? Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Unde? Item videte, unde sit pulcher, Speciosus formâ præ filiis hominum; quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quia verò carnem suscepit, quasi fœditatem tuam suscepit, id est, mortalitatem tuam, ut aptaret se tibi, & congrueret tibi, & excitaret te ad amandam intus pulcritudinem. Unde ergo invenimus quia fœdus & deformis est Jesus, sicut invenimus, quia pulcher & speciosus formâ præ filiis hominum? Unde invenimus quia & deformis? Isaiam interroga: Et vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem. Illæ sunt duæ tibiæ quasi diversè sonantes: sed unus Spiritus ambas inflat. Hac dicitur, Speciosus formâ præ filiis hominum: hac dicitur in Isaia, Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem. Uno Spiritu implentur ambæ tibiæ, non dissonant. Noli aures avertere, adhibe intellectum. Interrogemus Paulum apostolum, & exponat nobis consonantiam duarum tibiarum. Sonet nobis, Speciosus formâ præ filiis hominum: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Ecce speciosus formâ præ filiis hominum. Sonet nobis etiam, Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem: Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo. Non habebat speciem, neque decorem, ut tibi daret speciem & decorem. Quam speciem? quem decorem? dilectionem caritatis: ut amans curras, currens ames. Pulcher es jam: sed noli te adtendere, ne perdas quod accepisti: illum adtende, à quo factus es pulcher. Ideo sis pulcher, ut ille te amet. Tu autem totam intentionem tuam in illum dirige, ad illum curre, ejus amplexus pete, ab illo time discedere: ut sit in te timor castus, permanens in sæculum sæculi. *Nos diligamus; quia ipse prior dilexit nos.*

Rom. 5. 8. Psal. 44. 3. Isaiæ 53. 2. Philip. 2. 6.

1. Johan. 4. 20. 10. *Si quis dixerit, Diligo Deum.* Quem Deum? Quare diligimus? *Quia ipse prior dilexit nos,* & donavit nobis diligere. Dilexit impios, ut faceret pios; dilexit injustos, ut faceret justos; dilexit ægrotos, ut faceret sanos. Ergo & *nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos.* Interroga unumquemque, dicat tibi si diligat Deum. Clamat, confitetur, Diligo, ipse scit. Est aliud unde interrogetur. *Si quis dixerit,* inquit, *Diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est.* Unde probas quia mendax est? Audi: *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Quid ergo? Qui diligit fratrem, diligit & Deum? Necesse est ut diligat Deum, necesse est ut diligat ipsam dilectionem. Numquid potest diligere fratrem, & non diligere dilectionem? Necesse est ut diligat dilectionem. Quid ergo, quia diligit dilectionem, ideo diligit Deum? Utique ideo. Diligendo dilectionem, Deum diligit. An oblitus es quod paulò antè dixisti, Deus dilectio est? Si Deus dilectio, quisquis diligit dilectionem, Deum diligit. Dilige ergo fratrem, & securus esto. Non potes dicere, Diligo fratrem, sed non diligo Deum. Quomodo mentiris si dicas, Diligo Deum, quando non diligis fratrem: sic falleris, quando dicis, Diligo fratrem, si putes quia non diligis Deum. Necesse est qui diligis fratrem, diligas ipsam dilectionem; dilectio autem Deus est: necesse est ergo ut Deum diligat, quisquis diligit fratrem. Si autem non diligis fratrem quem vides, Deum quem non vides quomodo potes diligere? Quare non videt Deum? Quia non habet ipsam dilectionem. Ideo non videt Deum, quia non habet dilectionem: ideo non habet dilectionem, quia non diligit fratrem: propterea ergo non videt Deum, quia non habet dilectionem. Nam si habeat dilectionem, Deum videt; quia Deus dilectio est: & purgatur ille oculus magis magisque dilectione, ut videat illam incommutabilem substantiam; cujus præsentiâ semper gaudeat, qua perfruatur in æternum conjunctus Angelis. Sed currat modò, ut aliquando in patria lætetur. Non amet peregrinationem, non amet viam: totum amarum sit, præter illum qui vocat, quò usque inhæreamus illi, & dicamus quod dictum est in Psalmo, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Et qui sunt qui fornicantur? Qui discedunt, & amant mundum. Tu autem quid? Sequitur, & dicit, Mihi autem inhærere Deo bonum est. Totum bonum meum est, Deo inhærere gratis. Nam si interroges, & dicas, Quare inhæres Deo? Et dicat, Ut donet mihi. Quid tibi donet? Cælum ipse fecit, terram ipse fecit: quid tibi donaturus est? Jam inhæres illi: inveni melius, & donat tibi.

1. Johan. 4. 20. Ibidem. Ibidem 8. Psal. 72. 27.

1. Johan. 4. v. 20. v. 21. 11. * *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* * *Et hoc mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Magnificè dicebas, Diligo Deum; & odis fratrem. O homicida, quomodo diligis Deum? Non audistis superiùs in ipsa Epistola, Qui odit fratrem suum, homicida est? Sed prorsus diligo Deum, quamvis oderim fratrem meum. Prorsus non diligis Deum, si odis fratrem.

1. Johan. 3. 15. v. 23. Et modò probo alio documento. Ipse dixit, Dedit nobis præceptum ut diligamus invicem: quomodo diligis eum, cujus odisti præceptum? Quis est qui dicat, Diligo imperatorem, sed odi leges ejus? In hoc intelligit imperator si diligis eum, si observentur leges ejus per provincias. Lex imperatoris quæ est? Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. Dicis ergo te diligere Christum: serva mandatum ejus, & fratrem dilige. Si autem fratrem non diligis; quomodo eum diligis, cujus mandatum contemnis? Fratres, ego non satior loquendo de caritate in nomine Christi. Quantum & vos habetis hujus rei avaritiam, tantum speramus quia crescit in vobis ipsa, & foras mittit timorem, ut remaneat ille timor castus permanens in sæculum sæculi. Toleremus mundum, toleremus tribulationes, toleremus scandala tentationum. Non recedamus à via: teneamus unitatem Ecclesiæ, teneamus Christum, teneamus caritatem. Non divellamur à membris sponsæ ipsius, non divellamur à fide, ut gloriemur in præsentia ipsius: & securi manebimus in eo, modò per fidem, tunc per speciem, cujus tantas arrhas habemus donum Spiritus-sancti.

Johan. 13. 34.

TRACTATUS X.

De eo quod Johannes scribit, Omnis qui credit quòd Jesus sit Christus, ex Deo natus est: *usque ad id,* Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta ejus servemus.

1. Meminisse vos credo, qui adfuistis hesterno die, ad quem locum in progressu hujus Epistolæ pervenerit nostra tractatio: id est, Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Huc usque disputatum erat. Quæ sequuntur ergo ex ordine videamus. Omnis *qui credit quòd Jesus sit Christus, ex Deo natus est.* Quis est qui non credit quòd Jesus sit Christus? qui non sic vivit, quomodo præcepit Christus. Multi enim dicunt, Credo: sed fides sine operibus non salvat. Opus autem fidei ipsa dilectio est, dicente Paulo apostolo, Et fides quæ per dilectionem operatur. Opera quidem tua præterita, antequam crederes, vel nulla erant; vel si bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erant; sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens: si autem bona videbantur; antequam crederes, currebas quidem, sed præter viam currendo, errabas potiùs quàm perveniebas. Est ergo nobis & currendum, & in via currendum. Qui præter viam currit; inaniter currit: immo ad laborem currit. Tantò plus errat, quantò præter viam currit. Quæ est via per quam currimus? Christus dixit, Ego sum via. Quæ patria, quò currimus? Christus dixit, Ego sum veritas. Per illum curris, ad illum curris, in ipso requiescis. Sed ut curreremus per illum, extendit se usque ad nos: longè enim eramus, & longè peregrinabamur. Parum est, quia longè peregrinabamur: & languidi nos movere non poteramus. Medicus venit ad ægrotos, via porrecta est ad peregrinos. Salvemur ab ipso, ambulemus per ipsum. Hoc est credere quia Jesus Christus est, quomodo credunt Christiani, qui non solo nomine Christiani sunt, sed & factis & vitâ: non quomodo credunt dæmones. Nam & dæmones credunt, & contremiscunt, sicut dicit Scriptura. Quid potuerunt plus credere dæmones, quàm ut dicerent, Scimus qui sis, Filius Dei? Quod dixerunt dæmones, hoc dixit & Petrus. Cùm Dominus quæreret, quis esset & quem illum dicerent homines, responderunt illi discipuli, Alii dicunt te Johannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Et ille, Vos autem quem me esse dicitis? respondit Petrus, & ait, Tu es Christus Filius Dei vivi. Et audivit à Domino, Beatus es Simon Bar-Jona, quia non revelavit tibi caro & sanguis, sed Pater meus qui est in cælis. Videte quæ laudes prosequantur hanc fidem: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Quid est, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Super hanc fidem, super id quod dictum est, Tu es Christus Filius Dei vivi. Super hanc petram, inquit, fundabo Ecclesiam meam. Magna laus. Ergo dicit Petrus, Tu es Christus Filius Dei vivi: dicunt & dæmones, Scimus qui sis, Filius Dei, sanctus Dei. Hoc Petrus, hoc & dæmones: eadem verba, non idem animus. Et unde constat, quia hoc Petrus cum dilectione dicebat? Quia fides Christiani cum dilectione est: dæmonis autem sine dilectione. Quomodo sine dilectione? Hoc dicebat Petrus, ut Christum amplecteretur: hoc dicebant dæmones, ut Christus ab eis recederet. Nam antequam diceret, Scimus qui sis, tu es Filius Dei: Quid nobis & tibi est, dixerunt, Quid venisti ante tempus perdere nos? Aliud est ergo confiteri Christum, ut teneas Christum: aliud confiteri Christum, ut repellas à te Christum. Ergo videtis, quia quomodo hîc dicit, *Qui credit,* propria quædam fides est: non quomodo cum multis. Itaque Fratres, nemo hæreticorum dicat vobis, Et nos credimus. Ideo enim de dæmonibus exemplum proposui, ne gaudeatis ad verba credentium, sed exploretis facta viventium.

1. Johan. 5. 1. Galat. 5. 6. Johan. 14. 6. Jac. 2. 19. Marci 1. 24. Matth. 16. 14. &c. Luc. 4. 34. Marci 1. 24. Luc. 4. 34. Galat. 5. 6.

2. Videamus ergo quid est credere in Christum: quid credere, quia Jesus ipse est Christus. Sequitur, *Omnis qui credit quòd Jesus sit Christus, ex Deo natus est.* Sed quid est credere illud? *Et omnis qui diligit qui genuit eum, diligit eum qui genitus est ab ipso.* Statim fidei conjunxit dilectionem; quia sine dilectione fides inanis est. Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis: qui autem non credunt, pejores sunt quàm dæmones, & tardiores quàm dæmones. Nescio quis non vult credere in Christum: adhuc nec dæmones imitatur. Jam credit in Christum, sed odit Christum: habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: nam & illi puniri timebant. Adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides qualem dicit apostolus Paulus, Fides quæ per dilectionem operatur: invenisti Christianum, invenisti civem Jerusalem, invenisti civem Angelorum, invenisti in via suspirantem peregrinum; adjunge te illi, comes tuus est, curre cum illo, si tamen & tu hoc es. *Omnis qui diligit qui genuit eum, diligit eum qui genitus est ab ipso.* Quis genuit? Pater. Quis est genitus? Filius. Quid ergo ait? Omnis qui diligit Patrem, diligit Filium.

1. Johan. 5. 1.

3. *In hoc cognoscimus, quia diligimus filios Dei.* Quid est hoc, Fratres? Paulò antè de Filio Dei di-

1. Johan. 5. 2.

cebat, non de filiis Dei: ecce unus positus est Chri- A
stus contemplandus nobis, & dictum est nobis,
Omnis qui credit quòd Iesus sit Christus, est ex Deo natus: & omnis qui diligit qui genuit eum, id est, Patrem, *diligit eum qui genitus est ex ipso*, id est, Filium Dominum nostrum Jesum Christum. Et sequitur, *In hoc cognoscimus quia diligimus filios Dei*: quasi dicturus esset, In hoc cognoscimus quia diligimus Filium Dei: filiòs Dei dixit, qui Filium Dei paulò antè dicebat; quia filii Dei corpus sunt unici Filii Dei; & cùm ille caput, nos membra, unus B
est Filius Dei. Ergo qui diligit filios Dei, Filium Dei diligit; & qui diligit Filium Dei, Patrem diligit: nec potest quisquam diligere Patrem, nisi diligat Filium: & qui diligit Filium, diligit & filios Dei. Quos filios Dei? membra Filii Dei. Et diligendo fit & ipse membrum, & fit per dilectionem in compage corporis Christi: & erit unus Christus amans seipsum. Cùm enim se invicem amant mem-
1. *Cor.* 12. 26. & 27. bra, corpus se amat. Et si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; & si gloriatur unum C
» membrum, congaudent omnia membra. Et quid secutus ait? Vos autem estis corpus Christi & membra. Dicebat paulò antè de dilectione fraterna, &
1. *Johan.* 4. 20. ait, Qui non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt quomodo poterit diligere? Si autem diligis fratrem, fortè fratrem diligis, & Christum non diligis? Quomodo, quando membra Christi diligis? Cùm ergo membra Christi diligis, Christum diligis; cùm Christum diligis, Filium Dei diligis; cùm Filium Dei diligis, & Pa- D
trem diligis. Non potest ergo separari dilectio. Elige tibi quid diligas: sequuntur te cetera. Dicas, Deum solum diligo, Deum Patrem. Mentiris: si diligis, non solum diligis; sed si diligis Patrem, diligis & Filium. Ecce, inquis, diligo Patrem, & diligo Filium: sed hoc solum, Patrem Deum & Filium Deum & Dominum nostrum Jesum Christum qui adscendit in cælos, & sedet ad dexteram Patris, illud Verbum per quod facta sunt omnia, &
Johan. 1. 14. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, E
hoc solum diligo. Mentiris. Si enim diligis caput, diligis & membra: si autem membra non diligis, nec caput diligis. Non expavescis vocem capitis de
Act. 9. 4. cælo clamantem pro membris, Saule, Saule, quid me persequeris? Persecutorem suum vocavit persecutorem membrorum suorum: dilectorem suum vocavit dilectorem membrorum suorum. Jam quæ sunt membra ejus, nostis Fratres: ipsa est Ecclesia Dei. *In hoc cognoscimus quia diligimus filios Dei, quia Deum diligimus.* Et quomodo? Non aliud sunt filii Dei, aliud Deus? Sed qui Deum diligit, præcepta
Iohan. 13. 34. ejus diligit. Et quæ sunt præcepta Dei? Mandatum F
novum do vobis, ut vos invicem diligatis. Nemo se excuset per aliam dilectionem, ad aliam dilectionem; omnino sic se tenet ista dilectio: quomodo ipsa compaginata est in unum, sic omnes qui ex illa pendent, unum facit, & quasi conflat illos ignis. Aurum est, conflatur massa, & fit unum aliquid: sed nisi fervor caritatis accendat, ex multis in unum conflari non potest. *Quia Deum diligimus,* G
inde cognoscimus quia diligimus filios Dei.

4. Et unde cognoscimus quia diligimus filios
1. *Johan.* 5. 2. Dei? *Quia Deum diligimus, & præcepta ejus faci-mus.* Suspiramus hîc ex difficultate faciendi præceptum Dei. Audi quid sequatur. Homo quid laboras amando? amando avaritiam. Cum labore amatur quod amas: sine labore amatur Deus. Ava-
ritia jussura est labores, pericula, trituras, tribulationes: & obtemperaturus es. Quo fine? ut habeas unde impleas arcam, perdas securitatem. Securior fortè eras antequam haberes, quàm cùm habere cœpisti. Ecce quid tibi jussit avaritia: implesti domum, timentur latrones; adquisisti aurum, perdidisti somnum. Ecce quid tibi jussit avaritia: Fac, & fecisti. Quid tibi jubet Deus? Dilige me. Aurum diligis, quæsturus es aurum, & fortè non inventurus: quisquis me quærit, cum illo sum. Amaturus es honorem, & fortè non perventurus: quis me amavit, & non ad me pervenit? Dicit tibi Deus, Patronum tibi vis facere, aut amicum potentem: ambis per alium inferiorem. Me ama, dicit tibi Deus: non ad me ambitur per aliquem: ipse amor præsentem me tibi facit. Quid dulcius dilectione ista, Fratres? Non sine caussa modò audistis in Psalmo, Fratres, Narraverunt mihi injusti *Psal.* 118. delectationes, sed non sicut lex tua Domine. Quæ 85.
est lex Dei? mandatum Dei. Quod est mandatum Dei? novum illud mandatum, quod ideo novum dicitur, quia innovat: Mandatum novum do vo- *Johan.* 13. bis, ut vos invicem diligatis. Audi quia ipsa est lex 34.
Dei: Apostolus dicit, Invicem onera vestra por- *Galat.* 6. 2. tate, & sic adimplebitis legem Christi. Ipsa est consummatio omnium operum nostrorum, dilectio. Ibi est finis: propter hoc currimus: ad ipsam currimus; cùm venerimus ad eam requiescemus.

5. Audistis in Psalmo, Omnis consummationis *Psal.* 118. vidi finem. Dixit, Omnis consummationis vidi fi- 96.
nem: quid viderat iste? Putamus, adscenderat in verticem alicujus altissimi montis & acutissimi, & perspexerat, & viderat ambitum terræ & circulos orbis universi; & ideo dixit, Omnis consummationis vidi finem? Si hoc laudabile est, oculos carnis quæramus à Domino tam acutos, ut aliquem excelsissimum montem, qui est in terra, requiramus, de cujus cacumine videamus omnis consummationis finem. Noli ire longè: ecce dico tibi, adscende in montem, & vide finem. Christus mons est: veni ad Christum, vides inde finem omnis consummationis. Quis est iste finis? Paulum interroga: Finis *1. Tim.* 1. 5. autem præcepti est caritas de corde puro, & con- «
scientia bona, & fide non ficta: & alio loco, Ple- *Rom.* 13. 10. nitudo autem legis caritas. Quid tam finitum & terminatum quàm plenitudo? Etenim, Fratres, finem ponit laudabiliter. Nolite putare consumtionem, sed consummationem. Aliter enim dicitur, Finivi panem, aliter, Finivi tunicam. Finivi panem manducando: finivi tunicam intexendo. Et ibi finis sonat, & illic finis sonat: sed tamen panis finitur ut consumatur, tunica finitur ut consummetur: panis finitur ut non sit, tunica finitur ut perfecta sit. Ergo sic audite finem, & quando legitur Psalmus, & auditis, In finem Psalmus David. Assiduè auditis hoc in Psalmis, & debetis nosse quod auditis. Quid est, in finem? Finis enim Legis Chri- *Rom.* 10. 4. stus est, ad justitiam omni credenti. Et quid est finis Christus? quia Christus Deus, & finis præcepti caritas, & Deus caritas: quia Pater & Filius & Spiritus-sanctus unum sunt. Ibi tibi finis est: alibi via est. Noli hærere in via, & non pervenire ad finem. Ad quidquid aliud veneris, transi usque quò pervenias ad finem. Quis est finis? Mihi autem ad- *Psal.* 72. 28.
hærere Deo bonum est. Adhæsisti Deo, finisti viam: permanebis in patria. Intendite. Pecuniam aliquis quærit, non sit tibi finis: transi tamquam peregrinus. Quære ubi transeas, non ubi remaneas.

Si

Si autem amas, per avaritiam implicatus es: erit A
tibi avaritia catena pedum: ultra progredi non potes. Transi ergo & hoc: quære finem. Salutem corporis quæris, adhuc noli ibi remanere. Quæ est enim ista salus corporis, quæ morte perimitur, quæ ægritudine debilitatur, frivola, mortalis, fluxa? Quære illam, ne impediat fortè morbida valetudo opera tua bona. Ergo non est ibi finis; quia propter aliud quæritur. Quidquid propter aliud quæritur, non est ibi finis: quidquid propter se & gratis quæritur, ibi est finis. Quæris honores, fortè ad B
aliquid agendum quæris, ut peragas aliquid, ut placeas Deo. Noli ipsum honorem amare, ne ibi remaneas. Quæris laudem? Si Dei quæris, bene facis: si tuam quæris, malè facis; remanes in via. Sed ecce amaris tu, laudaris: noli gratulari quando in te laudaris: laudare in Domino, ut cantes,
Psal. 33. 3. In Domino laudabitur anima mea. Sermonem alicujus bonum dicis, & laudatur sermo tuus? Non laudetur quasi tuus, non est ibi finis. Si ibi ponis finem, finiris: sed non finiris quasi perficiaris, sed C
finiris ut consumaris. Ergo non laudetur sermo tuus quasi abste, quasi tuus. Sed quomodo laudetur?
Psal. 55. 5. Quomodo dicit Psalmus, In Deo laudabo sermonem, in Deo laudabo verbum. Ex hoc fit ut fiat
» in te quod sequitur, In Deo speravi, non timebo
» quid faciat mihi homo. Quando enim omnia tua in Deo laudantur, non timetur ne pereat laus tua; quia non deficit Deus. Ergo transi & ipsam.

6. Videte Fratres quanta transimus, in quibus non est finis. His utimur quasi in via; quasi in man- D
sionibus stabulorum reficimur, & transimus. Ubi
1. *Johan.* 3. 2. ergo finis? Dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: hîc dictum est in hac Epistola. Adhuc ergo in via sumus: adhuc quocumque venerimus transire debemus, usque quò pervenia-
Ibidem. mus ad aliquem finem. Scimus quia cùm apparue-
» rit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Iste finis: ibi perpetua laudatio, ibi semper Halleluia sine defectu. Ergo ipsum finem dixit in
Psal. 118. 96. Psalmo, Omnis consummationis vidi finem. Et E
quasi diceretur illi, Quis est finis quem vidisti? Latum mandatum tuum valde. Ipse est finis, latitudo mandati. Latitudo mandati caritas est: quia ubi est caritas, non sunt angustiæ. In ipsa latitudine erat
2. *Cor.* 6. 11. Apostolus, cùm diceret, Os nostrum patet ad vos,
» ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est: non angustamini in nobis. Ideo ergo latum mandatum tuum
Iohan. 13. 34. valde. Quod est latum mandatum? Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. Caritas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra? in F
lato habita. Quidquid enim tibi fecerit homo, non te angustat; quia illud diligis, quod non nocet homo: Deum diligis, fraternitatem diligis, legem Dei diligis, Ecclesiam Dei diligis: sempiterna erit. Laboras in terra, sed pervenies ad fructum promissum. Quis tibi tollit quod diligis? Si nemo tollit tibi quod diligis, securus dormis: immo securus vigilas, ne dormiendo perdas quod diligis. Non
Psal. 12. 4. enim frustra dictum est, Illumina oculos meos, ne quando obdormiam in morte. Qui claudunt ocu- G
los contra caritatem, obdormiscunt in concupiscentiis delectationum carnalium. Evigila ergo. Delectationes enim sunt, manducare, bibere, luxuriari, ludere, venari: pompas istas vanas, omnia mala sequuntur. Numquid nescimus quia delectationes sunt? Quis neget quia delectant? Sed plus
a diligitur Lex Dei. Clama contra tales suasores, a
Psal. 118. Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non si- 85.
cut lex tua Domine. Ista delectatio manet. Non solùm manet quò venias, sed etiam revocat fugientem.

7. *Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta ejus* 1. *Johan.* 5. 3.
servemus. Jam audistis, In his duobus præceptis to- *Matth.* 22.
ta Lex pendet & Prophetæ. Quomodo noluit te di- 40.
videre per multas paginas? In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. In quibus duobus
» præceptis? Diliges Dominum Deum tuum ex toto «
» corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente «
» tua; & diliges proximum tuum sicut teipsum. In «
» his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophe- «
» tæ. Ecce de quibus præceptis narrat tota ista Epistola. Tenete ergo dilectionem, & securi estote. Quid times ne malè facias alicui? Quis malè facit ei quem diligit? Dilige, non potest fieri nisi bene facias. Sed fortè corripis? Amor hoc facit, non sævitia. Sed fortè cædis? Ad disciplinam facis; quia amor ipsius dilectionis non te permittit negligere indisciplinatum. Et fit quodammodo quasi diversus fructus & contrarius, ut aliquando odium blandiatur, & caritas sæviat. Nescio quis odit inimicum suum, & fingit illi amicitiam: videt illum facere aliquid mali, laudat: vult eum esse præcipitem, vult cæcum ire per abrupta cupiditatum suarum, unde fortè non redeat: laudat, quoniam laudatur pec- *Psal.* 9. 3.
cator in desideriis animæ suæ; adhibet illi unctionem adulationis suæ: ecce odit, & laudat. Alter videt amicum suum tale aliquid facere, revocat: si illum non audiat, profert verba etiam castigationis, objurgat, litigat: aliquando venitur ad hanc necessitatem ut litiget. Ecce odium blanditur, & caritas litigat. Noli adtendere verba blandientis, & quasi sævitiam objurgantis: venam inspice, radicem unde procedant quære. Ille blanditur ut decipiat, iste litigat ut corrigat. Ergo non opus est, Fratres, ut per nos distendatur cor vestrum: impetrate à Deo ut diligatis invicem. Omnes homines, etiam inimi-
cos vestros diligatis: non quia sunt fratres, sed ut E
fratres sint; ut semper fraterno amore flagretis, sive in fratrem factum, sive in inimicum, ut frater fiat diligendo. Ubicumque fratrem diligitis, amicum diligitis. Jam tecum est, jam in unitate etiam catholica tibi conjunctus est. Si bene vivis, fratrem diligis factum ex inimico. Sed diligis aliquem qui nondum credidit Christo, aut si credidit Christo, ut dæmones credit, b reprehendis vanitatem ipsius. b
Tu dilige, & fraterno amore dilige. Nondum est frater, sed ideo diligis ut sit frater. Ergo tota dilectio nostra fraterna est erga Christianos, erga omnia membra ejus. Disciplina caritatis, Fratres mei, robur, flores, fructus, pulcritudo, amœnitas, pastus, potus, cibus, amplexus, sine satietate est. Si sic nos delectat peregrinos, in patria quomodo gaudebimus?

8. Curramus ergo, Fratres mei, curramus, & diligamus Christum. Quem Christum? Jesum Christum. Quis est iste? Verbum Dei. Et quomodo ve-
nit ad ægrotos? Verbum caro factum est, & habi- *Johan.* 1. 14.
tavit in nobis. Completum est ergo quod Scriptura prædixit, Oportebat Christum pati, & resurge- *Luca* 24.
re tertia die à mortuis. Corpus ipsius ubi jacet? 46.
Membra ipsius ubi laborant? Ubi esse debes, ut sub capite sis? Et prædicari in nomine ejus pæniten- *Ibid.* 47.
tiam & remissionem peccatorum per omnes gen-

a Editi, *diligatur*. Novem MSS. *dilicitur*. Alii duo, *delectat*.
b Aliquot MSS. *reprehendit unitatem ipsius*.

tes, incipiens ab Jeruſalém. Ibi diffundatur caritas A tua. Dicit Chriſtus & Pſalmus, id eſt, Spiritus Dei,
Pſal. 118. 96. Latum mandatum tuum valde: & neſcio quis ponit in Africa fines caritatis. Extende caritatem per totum orbem, ſi vis Chriſtum amare: quia membra Chriſti per orbem jacent. Si amas partem, diviſus es: ſi diviſus es, in corpore non es: ſi in corpore non es, ſub capite non es. Quid prodeſt quia credis, & blaſphemas? Adoras illum in capite, blaſphemas in corpore. Amat ille corpus ſuum. Si tu te præcidiſti à corpore ipſius, caput non ſe præcidit à corpore ſuo. Sine cauſſa me honoras, clamat tibi caput de ſuper: ſine cauſſa me honoras. Tamquam ſi velit tibi aliquis oſculari caput, & calcare tibi pedes: fortè caligis clavatis contereret pedes tuos, volens tibi tenere caput, & oſculari: nonne inter verba honorantis clamares & diceres, Quid facis homo? Calcas me. Non diceres, Calcas caput meum; quia caput honorabat: ſed plus clamaret caput pro membris calcatis, quàm pro ſe, quia honorabatur. Nonne clamat ipſum caput, Nolo C honorem tuum, calcare me noli? Jam tu dic ſi potes, Quare te calcavi? dic illud capiti, Te oſculari volui, amplecti volui. Sed non vides ô ſtulte, quia quod vis amplecti per quamdam compagem unitatis pervenit ad id quod calcas? Suſum me honoras, juſum me calcas. Plus dolet quod calcas, quàm gaudet quod honoras: quia quod honoras, dolet pro eis quos calcas. Quomodo clamat lingua? Dolet mihi. Non dicit, Dolet pedi meo: ſed, Dolet mihi, dicit. O lingua, quis te tetigit? quis percuſſit? D quis ſtimulavit? quis pupugit? Nemo, ſed conjuncta ſum eis quæ calcantur. Quomodo vis non doleam, quando non ſum ſeparata?

9. Dominus ergo noſter Jeſus Chriſtus ideo adſcendens in cælum die quadrageſimo, commendavit corpus ſuum quâ habebat jacere, quia vidit multos honoraturos ſe, quia adſcendit in cælum; & vidit quia honor ipſorum inutilis eſt, ſi conculcant membra ipſius in terra. Et ne quis erraret, & cùm adoraret caput in cælo, calcaret pedes in terra, dixit ubi eſſent membra ipſius. Adſcenſurus enim dixit verba noviſſima, poſt ipſa verba non eſt locutus in terra. Adſcenſurum caput in cælum, commendavit membra in terra; & diſceſſit. Jam non invenis loqui Chriſtum in terra: invenis illum loqui, ſed de cælo. Et de ipſo cælo quare? quia membra calcabantur in terra. Perſecutori enim Saulo dixit de
Act. 9. 4. ſuper, Saule, Saule, quid me perſequeris? Adſcendi in cælum, ſed adhuc in terra jaceo: hîc ad dexteram Patris ſedeo, ibi adhuc eſurio, ſitio, & peregrinus ſum. Quomodo ergo corpus commendavit in terra adſcenſurus? Cùm interrogarent illum diſ-
Act. 1. 6. & 6. cipuli, Domine, ſi hoc in tempore præſentaberis, » & quando regnum Iſraël? Reſpondit iturus, Non » eſt veſtrûm ſcire tempus quod Pater poſuit in ſua » poteſtate: ſed accipietis virtutem Spiritus-ſancti ſu» pervenientem in vos, & eritis mihi teſtes. Videte quâ diffundat corpus ſuum, videte ubi ſe calcari » non vult: Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in to» tam Judæam, & Samariam, & uſque in totam ter» ram. Ecce quâ jaceo qui adſcendo. Adſcendo enim, quia caput ſum: jacet adhuc corpus meum. Quâ jacet? per totam terram. Cave ne percutias, cave ne violes, cave ne calces: noviſſima verba Chriſti ſunt iſta, ituri in cælum. Conſiderate languentem in lecto hominem, in domo jacentem, & macera-

tum ægritudine, proximum morti, anhelantem, jam animam quodammodo inter dentes habentem, qui fortè ſollicitus de aliqua re cara ſibi, quam multùm diligit, veniat illi in mentem, & vocet heredes ſuos & dicat, Rogo vos, facite hoc. Tenet quodammodo violenter animam, ne antè exeat quàm illa verba firmentur. Cùm illa verba noviſſima dixerit, efflat animam: tollitur cadaver in ſepulcrum. Heredes ipſius quomodo meminerunt noviſſima verba morientis? Quomodo, ſi quis exiſtat qui dicat eis, Nolite facere: quid ergo illi dicant? Ergo non facio quod mihi pater meus efflans animam noviſſimè mandavit, quod ultimum ſonuit in aures meas, proficiſcente hinc patre meo? Quævis alia verba ipſius aliter poſſum habere, noviſſima verba me plus tenent: non eum vidi ampliùs, non audivi loquentem. Fratres, cogitate viſceribus Chriſtianis, ſi heredibus ſunt tam dulcia, tam grata, tam magni ponderis verba ituri in ſepulcrum: heredibus Chriſti, qualia debent eſſe verba noviſſima, non rediturí in ſepulcrum, ſed adſcenſuri in cælum? Namque ille qui vixit & mortuus eſt, rapitur ad alia loca anima ipſius, corpus ipſius ponitur in terra: an fiant illa verba, an non fiant, non ad eum pertinet: jam aliud agit, aut aliud patitur: aut in ſinu Abrahæ gaudet, aut in igne æterno aquæ *Luce 16.* modicum deſiderat; in ſepulcro autem ipſius jacet *22. &c.* cadaver ſine ſenſu, & cuſtodiuntur verba noviſſima morientis. Quid ſibi ſperant illi qui verba noviſſima ſedentis in cælo non cuſtodiunt, videntis de ſuper an contemnantur, an non contemnantur? illius qui dixit, Saule, Saule, quid me perſequeris? qui ſer- *Act. 9. 4.* vat ad judicium quidquid videt pati membra ſua?

10. Et quid nos fecimus, inquiunt? nos ſumus paſſi perſecutionem, non fecimus. Vos feciſtis ô miſeri: primò, quia diviſiſtis Eccleſiam. Major eſt machæra linguæ quàm ferri. Superba fuit ancilla Saræ Agar: & afflicta eſt à domina ſua propter ſuperbiam. Diſciplina erat illa, non pœna. Ideo cùm receſſiſſet à domina ſua, quid ei dixit Angelus? Re- *Gen. 16. 9.* E vertere ad dominam tuam. Sic ergo carnalis anima, tamquam ancilla ſuperba, ſi fortè aliquas moleſtias paſſa es propter diſciplinam, quid inſanis? Redi ad dominam tuam, tene dominicam pacem. Ecce proferuntur Evangelia, legimus quâ diffunditur Eccleſia: diſputatur contrà, & dicitur nobis, Traditores. Cujus rei traditores? Chriſtus commendat Eccleſiam ſuam, & non credis: ego tibi crediturus ſum maledicenti parentibus meis? Vis ut credam tibi de traditoribus? Crede tu priùs Chriſto. Quid F eſt dignum? Chriſtus Deus eſt, tu homo es: cui priùs debet credi? Chriſtus Eccleſiam ſuam toto orbe diffudit: ego dico, contemne. Evangelium loquitur, cave. Quid dicit Evangelium? Oportebat *Luce 24.* pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis die tertia, & *46. & 47.* prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. Ubi remiſſio peccatorum, Eccleſia eſt. Quomodo Eccleſia? Illi enim dictum eſt, Tibi dabo claves regni cælorum, & quæ ſolveris in *Matth. 16.* terra, ſoluta erunt & in cælis; & quæ ligaveris in *19.* terra, ligata erunt & in cælis. Quâ diffunditur iſta remiſſio peccatorum? Per omnes gentes, incipiens *Luce 24.* ab Jeruſalem. Ecce crede Chriſto. Sed quia intelli- *47.* gis ſi credideris Chriſto, non te habere quod dicas de traditoribus; tibi vis ut credam parentibus meis maledicenti, quàm tu credas Chriſto prædicenti.

Hîc deſinit Tractatus in omnibus codicibus.

DE SUBSEQUENTI OPERE.

Libri I. Retractationum Caput XXIII.

Cum preſbyter adhuc eſſem, contigit ut apud Carthaginem inter nos qui ſimul eramus, ad Romanos Apoſtoli Epiſtola legeretur, & quædam interrogabar à fratribus: quibus cùm ſicut poteram reſponderem, voluerunt ſcribi potiùs quæ dicebam, quàm ſine litteris fundi. Ubi cùm eis obtemperarem, liber unus acceſſit ſuperioribus opuſculis meis. In quo libro, *Quod autem ait*, inquam, *Scimus quia Lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum: ſatis oſtendit, non poſſe impleri Legem, niſi à ſpiritalibus quales facit gratia Dei.* Quod utique non ex perſona Apoſtoli accipi volui, qui jam ſpiritalis erat; ſed hominis ſub Lege poſiti, nondum ſub gratia. Sic enim priùs hæc verba ſapiebam, quæ poſtea lectis quibuſdam divinorum tractatoribus eloquiorum, quorum me moveret auctoritas, conſideraví diligentiùs, & vidi etiam de ipſo Apoſtolo poſſe intelligi, quod ait: *Scimus quoniam Lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum*: quod in eis libris, quos contra Pelagianos nuper ſcripſi, quantùm potui diligenter oſtendi. In iſto ergo libro & hoc quod dictum eſt, *Ego autem carnalis ſum*: & deinde cetera uſque ad eum locum, ubi dicit, *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*: dixi hominem deſcribi adhuc ſub Lege, nondum ſub gratia conſtitutum, bene facere volentem, ſed victum concupiſcentiâ carnis malè facientem. A cujus concupiſcentiæ dominatu non liberat, niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum dono Spiritus-ſancti, per quem diffuſa caritas in cordibus noſtris vincit carnis concupiſcentias, ne conſentiamus eis ad malè faciendum; ſed potiùs bona faciamus. Unde quidem jam evertitur hæreſis Pelagiana, quæ vult, non ex Deo nobis, ſed ex nobis eſſe caritatem, qua bene ac piè vivimus. Sed in illis libris, quos adversùs eos edidimus, etiam ſpiritalis hominis jamque ſub gratia conſtituti meliùs intelligi verba iſta monſtravimus, propter carnis corpus, quod ſpiritale nondum eſt, erit autem in reſurrectione mortuorum; & propter ipſam carnis concupiſcentiam, cum qua ita confligunt ſancti, non ei conſentientes ad malum, ut tamen ejus motibus, quibus repugnantibus reſiſtunt, non careant in hac vita: non eos autem habebunt in illa, ubi abſorbebitur mors in victoriam. *Rom. 7. 14.* *Ibidem 24.* *2. Cor. 15. 4.*

Propter hanc itaque concupiſcentiam motuſque ipſos, quibus ita reſiſtitur, ut tamen ſint in nobis, poteſt quiſque ſanctus jam ſub gratia poſitus dicere iſta omnia, quæ hîc eſſe dixi verba hominis nondum ſub gratia poſiti, ſed ſub Lege. Quod hîc oſtendere longum eſt, & hoc ubi oſtenderim dictum eſt.

2. Item diſputans quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit ſerviturum eſſe majorem: & quid in *Propoſit. 60.* eodem majore ſimiliter nondum nato reprobaverit, de quibus propter hoc commemoratur, quamvis longè poſtea prolatum, propheticum teſtimonium, *Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui*: ad hoc perdu- *Rom. 9. 13.* xi ratiocinationem, ut dicerem: *Non ergo elegit Deus opera cujuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt: ſed fidem elegit in præſcientia, ut quem ſibi crediturum eſſe præſcivit, ipſum elegerit cui Spiritum-ſanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam conſequeretur.* Nondum diligentiùs quæſiveram, nec adhuc inveneram, qualis ſit electio gratiæ: de qua idem dicit Apoſtolus, *Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt*: quæ utique non eſt gratia, ſi eam merita ulla præcedant, ne jam quod datur, non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum, reddatur potiùs meritis, quàm donetur. Proinde quod continuò dixi, *Dicit enim idem Apoſtolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nuſquam autem dictum eſt, Deus credit omnia in omnibus*: ac deinde ſubjunxi, *Quòd ergo credimus, noſtrum eſt: quòd autem bonum operamur, illius eſt qui credentibus dat Spiritum-ſanctum*, profectò non dicerem, ſi jam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei & caritatis. Neque enim ſola caritas, ſed ſicut ſcriptum eſt, *Caritas cum fide à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto.* *Rom. 1. 5.* *Prop. 61.* *1. Cor. 12. 6.* *Epheſ. 6. 23.*

3. Et quod paulò pòſt dixi, *Noſtrum eſt enim credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus factâ cultatem bene operandi per Spiritum-ſanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus noſtris*, verum eſt quidem; ſed eadem regulâ, & utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem; & utrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam poſtea dixi, *Quia neque velle poſſumus niſi vocemur, & cùm poſt vocationem voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra & curſus noſter, niſi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat.* Ac deinde ſubjunxi, *Manifeſtum eſt ergo, non volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei eſſe, quòd bene operamur*, omnino veriſſimum eſt. Sed parum de ipſa vocatione diſſerui, quæ fit ſecundùm propoſitum Dei: non enim omnium qui vocantur talis eſt, ſed tantùm electorum. Itaque quod paulò pòſt dixi, *Sicut enim in iis quos elegit Deus, non opera, ſed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur: ſic in iis quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipſam pœnam etiam malè operentur*, veriſſimè dixi: ſed fidei meritum etiam ipſum eſſe donum Dei, nec putavi quærendum eſſe, nec dixi. *Prop. 62.* *Prop. 62.* *Rom. 9. 16.*

4. Et alio loco, *Cujus enim miſeretur*, inquam, *facit eum bene operari; & quem obdurat, relinquit eum ut malè operetur: ſed & illa miſericordia præcedenti merito fidei tribuitur; & iſta obduratio præcedenti impietati.* Quod quidem verum eſt; ſed adhuc quærendum erat, utrùm & meritum fidei de miſericordia Dei veniat, id eſt utrùm iſta miſericordia ideo tantummodo fiat in homine, quia fidelis eſt; an etiam facta fuerit, ut fidelis eſſet. Legimus enim dicente Apoſtolo, *Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem*: non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, ſed data eſt etiam, ut eſſet fidelis. Rectiſſimè itaque alio loco in eodem libro dixi, *Quoniam ſi non ex operibus, ſed miſericordia Dei & vocamur ut credamus, & credentibus præſtatur ut bene operemur, non eſt gentibus iſta invidenda miſericordia*: quamvis minùs ibi diligenter de illa, quæ per Dei propoſitum fit, vocatione tractaverim. Hic liber ſic incipit: *Senſus hi ſunt in epiſtola Pauli ad Romanos.* *Rom. 9. 18.* *1. Cor. 7. 25.* *1 Sent. diſt. 41. cap. Multi.* *Prop. 64.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
EXPOSITIO QUARUMDAM PROPOSITIONUM
EX EPISTOLA AD ROMANOS,
LIBER UNUS. *

* Scriptus circiter Christi an. 394. Scilicet Augustino adhuc presbytero, ex lib. 1. Retract. c. 23.

SENSUS hi sunt in Epistola ad Romanos Pauli apostoli. Primò omnium ut quisque intelligat in hac Epistola quæstionem versari operum legis & gratiæ.

Propositio I. Quod autem ait, *Secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*, id est, quia Spiritûs donum acceperunt post ejus resurrectionem : mortuorum verò resurrectionem memorat, quia in ipso omnes crucifixi sumus, & resurreximus. *Rom.* 1. 4.

II. Quod autem dicit, *Ut gratiam vobis spiritalem impertiar* : dilectionem scilicet Dei & proximi, ut per caritatem Christi Gentibus in Evangelium vocatis minimè inviderent. *Rom.* 1. 11.

III. Quod autem dicit, *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem*, &c. ait & Salomon de sapientibus mundi : Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo ipsius mundi Dominum & creatorem non faciliùs invenerunt? Sed quos arguit Salomon, non cognoverunt per creaturam creatorem : quos autem arguit Apostolus, cognoverunt, sed gratias non egerunt, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & ad colenda simulacra deciderunt. Nam sapientes Gentium quòd invenerint creatorem, manifestè idem Apostolus, cùm Athenientibus loqueretur, ostendit. Cùm enim dixisset, Quia in ipso vivimus & movemur, & sumus : addidit, Sicut & quidam secundùm vos dixerunt. Hac autem intentione priùs arguit impietatem Gentium, ut ex hac probet etiam ad gratiam posse pertingere conversos. Injustum est enim, ut pœnam subeant impietatis, & præmium fidei non accipiant. *Rom.* 1. 18. *Sap.* 13. 9. *Rom.* 1. 21. *Act.* 17. 28.

IV. Quòd autem dicit, *Cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, hoc caput est peccati, de quo dictum est, Initium omnis peccati superbia. Qui si gratias egissent Deo, qui dederat hanc sapientiam, non sibi aliquid tribuissent cogitationibus suis. Quapropter in desideria cordis sui traditi sunt à Domino, ut facerent quæ non convenirent. *Rom.* 1. 21. *Eccli.* 10. 15.

V. Quod autem dicit, *Tradidit*, intelligitur, dimisit in desideria cordis eorum. Mercedem autem mutuam dicit recepisse de Deo, ut traderentur in desideria cordis sui. *Rom.* 1. 24.

VI. Quod autem demum dicit, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem*, &c. *repletos*, ait, *omni iniquitate*, datur intelligi, ad nocendum pertinere ista, quæ nunc dicit, id est facinora. Superiùs autem dicebat de corruptelis, quæ flagitia nominantur, ex quibus ad facinora pervenitur : quoniam quisque pernicio- A sam dulcedinem flagitiorum sequens, dum impedientes personas removere conatur, pergit in facinus. Sic distinctus est etiam ille locus in Sapientia Salomonis, ubi cùm enumerasset superiora flagitia, ait, Circumveniamus pauperem justum, quoniam inutilis est nobis, &c. *Rom.* 1. 28. *Sap.* 2. 12.

VII. Quod autem dicit, *Non solùm qui ea faciunt, sed* B *etiam qui consentiunt facientibus*, significat quia quæcumque fecerunt, non inviti, sed cùm ad mala facta consentiunt, etiam illa quæ fecerunt approbant : & ideo de perfectis jam peccatis dicit, * *Propterea inexcusabilis es, ô homo omnis qui judicas. Omnis* autem cùm dicit, subintrat jam ut monstret, non solùm Gentilem, sed etiam Judæum, qui secundùm Legem volebat judicare de Gentibus. *Rom.* 1. 32. * VIII. *Rom.* 2. 1.

IX. Quod autem dicit, *Thesaurizas tibi iram in die* C *iræ*, iram Dei ubique loquitur pro vindicta. Idcirco ait, *justi judicii Dei*. Notandum autem, quia ira Dei ponitur & in novo Testamento : quod cùm in Vetere legunt homines * qui Legi veteri adversantur, culpandam eam putant : cùm Deus utique sicuti nos perturbationibus non subjaceat, dicente Salomone, Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate judicas. Sed ira, ut dictum est, in vindictæ significatione ponitur. *Rom.* 2. 5. * Manichæi *Sap.* 12. 18.

X. Quod autem dicit, *Contestante conscientiâ illorum*, secundùm illud loquitur Johannis apostoli D quo ait, Dilectissimi, si cor nostrum nos reprehenderit, major est Deus conscientiâ nostrâ, &c. *Rom.* 2. 15. *1. Johan.* 3. 20.

XI. Quod autem dicit, *Spiritu, non litterâ*, hoc est, ut secundùm spiritum, non secundùm quod habet littera, Lex intelligatur : quod utique contigit illis, qui circumcisionem magis carnaliter quàm spiritaliter acceperunt. *Rom.* 2. 29.

XII. Quod autem dicit, *Cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo*, illi convenit quod ait, *Qui in secreto Judæus est*. *Rom.* 2. 29.

XIII. Quod autem dicit, *Quia non justificabitur in Le-* E *ge omnis caro coram illo, per Legem enim cognitio peccati*, & cetera similia, quæ quidam putant in contumeliam Legis objicienda, sollicitè satis legenda sunt, ut neque Lex ab Apostolo improbata videatur, neque homini arbitrium liberum sit ablatum. Itaque quatuor istos gradus hominis distinguamus, ante Legem, sub Lege, sub gratia, in pace. Ante Legem, sequimur concupiscentiam carnis : sub Lege, trahimur ab ea : sub gratia, nec sequimur eam, nec trahimur ab ea : in pace, nulla est concupiscentia carnis. Ante Legem ergo non pugnamus ; quia non solùm concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata : sub Lege pugnamus, sed vincimur ; fatemur enim mala esse quæ facimus, & fatendo mala esse, utique nolumus facere, sed quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo jaceamus, & dum surgere volumus & cadimus, gra- * XIV. viùs affligimur. * Inde hîc dicitur, Lex subintravit, *Rom.* 5. 20. ut abundaret delictum. * Inde & quod nunc posi- * XV. tum est, *Per Legem enim cognitio peccati*. Non enim *Rom.* 3. 20. ablatio peccati est ; quia per solam gratiam aufertur peccatum. Bona est ergo Lex, quia ea vetat quæ vetanda sunt, & ea jubet quæ jubenda sunt. Sed cùm quisque illam viribus suis se putat implere, non per gratiam liberatoris sui, nihil ei prodest ista præsumtio : immo etiam tantum nocet, ut & vehementiori peccati desiderio rapiatur, & in peccatis *Rom.* 4. 15. etiam prævaricator inveniatur. Ubi enim non est C Lex, nec prævaricatio. Sic ergo jacens cùm se quisque cognoverit, per seipsum surgere non valere, imploret Liberatoris auxilium. Venit ergo gratia quæ donet peccata præterita, & conantem adjuvet, & tribuat caritatem justitiæ, & auferat me- * XVI. tum. * Quod cùm fit, tametsi desideria quædam carnis, dum in hac vita sumus, adversùs spiritum nostrum pugnant, ut eum ducant in peccatum, non tamen his desideriis consentiens spiritus, quoniam est fixus in gratiâ & caritate Dei, desinit peccare. D Non enim in ipso desiderio pravo, sed in nostra * XVII. consensione peccamus. * Ad hoc valet quod dicit *Rom.* 6. 12. idem Apostolus, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. Hinc enim ostendit esse desideria, quibus non obediendo peccatum in nobis regnare non sinimus. Sed quoniam ista desideria de carnis mortalitate nascuntur, quæ trahimus ex primo peccato primi hominis, unde carnaliter nascimur ; non finientur hæc nisi resurrectione corporis immutationem illam, E quæ nobis promittitur, meruerimus, ubi perfecta pax erit, cùm in quarto gradu constituemur. Ideo autem perfecta pax, quia nihil nobis resistet non re- * XVIII. sistentibus Deo. * Hoc est quod dicit Apostolus, *Rom.* 8. 10. & 11. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, » spiritus autem vita est propter justitiam. Si ergo Spi- » ritus ejus qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in » vobis ; qui suscitavit Christum Jesum à mortuis, vi- » vificabit & mortalia corpora vestra per inhabitan- » tem Spiritum ejus in vobis. Liberum ergo arbitrium F perfectè fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium ut non peccemus, sed tantùm ut peccare nolimus. Gratia verò efficit, ut non tantùm velimus rectè facere, sed etiam possimus ; non viribus nostris, sed Liberatoris auxilio, qui nobis etiam perfectam pacem in resurrectione tribuet, quæ pax perfecta bonam voluntatem consequitur. Gloria enim in excelsis Deo, & *Luc.* 2. 14. in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

XIX. Quod autem dicit, *Legem ergo evacuamus per-* G *fidem? Absit : sed Legem statuimus*, id est, firmamus. Sed quemadmodum firmanda erat Lex, nisi per justitiam? Justitiam autem quæ est per fidem : quia ea ipsa quæ non poterant impleri per Legem, per fidem impleta sunt. *Rom.* 3. 31.

XX. Quod autem ait, *Si enim Abraham ex operibus* *Rom.* 4. 2. *justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum,* hoc est, quia Abraham sine Lege dum non ex operibus Legis gloriam conquirit, quasi suis viribus Legem impleat, cùm adhuc Lex ista data non esset, Dei illa gloria, non sua est. Non enim merito sui tamquam ex operibus, sed Dei gratiâ fide justificatus est. A

Quod autem ait, *Et autem qui operatur, merces* XXI. *non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debi-* *Rom.* 4. 4. *tum*, dixit quemadmodum homines hominibus reddant mercedem. Nam Deus per gratiam dedit, quia B peccatoribus dedit, ut per fidem justè viverent, id est, bene operarentur. Quòd ergo bene operamur jam acceptâ gratiâ, non nobis, sed illi tribuendum est, qui per gratiam nos justificavit. Nam si debitam mercedem vellet reddere, pœnam redderet debitam peccatoribus.

Quod autem ait, *Qui justificat impium*, hoc est XXII. ex impio pium facit, ut de cetero in ipsa pietate *Rom.* 4. 5. permaneat atque justitiâ ; quia ideo justificatus est ut justus sit, non ut peccare sibi licere arbitretur.

Quod autem ait, *Lex enim iram operatur*, vin- XXIII. dictam significat, & ad illum gradum pertinet, *Rom.* 4. 15. cùm est quisque sub Lege. C

Quod autem ait, *Ante Deum cui credidit*, signifi- XXIV. cavit fidem in interiore homine esse in conspectu *Rom.* 4. 17. Dei ; non in ostentatione hominum, sicuti est carnis circumcisio.

Quod autem ait de Abraham, *Dans gloriam Deo*, XXV. adversùs illos positum est, qui gloriam suam de *Rom.* 4. 20. operibus Legis coram hominibus quærebant. D

Quod autem ait, *Non solùm autem, sed & glo-* XXVI. *riamur in tribulationibus*, & cetera gradatim perdu- *Rom.* 5. 3. cit usque ad caritatem Dei, quam caritatem dum dicit nos habere per donum Spiritûs, monstrat illa omnia quæ possemus nobis tribuere, Deo esse tribuenda, qui per Spiritum sanctum gratiam dare dignatus est.

Quod autem ait, *Usque ad Legem enim peccatum* XXVII. *in mundo fuit*, intelligendum est quò usque venret *Rom.* 5. 13. gratia. Contra eos enim dictum est, qui arbitran- E tur per Legem auferri potuisse peccata. * Dicit au- * XXVIII. tem Apostolus, manifestata esse peccata per Legem, non autem ablata, cùm dicit, *Peccatum au-* *Rom.* 5. 13. *tem non deputabatur, cùm Lex non esset*. Non enim ait, non erat : sed, *non deputabatur*. Neque cùm Lex data est, ablatum est ; sed deputari cœpit, id est, apparere. Non ergo putemus, *usque ad Legem*, ita dictum esse, quasi jam sub Lege non esset peccatum : sed sic dictum est, *usque ad Legem*, ut totum Legis tempus annumeres usque ad finem Legis, F quod est Christus.

Quod autem ait, *Sed regnavit mors ab Adam* XXIX. *usque ad Moysen, & in iis qui non peccaverunt in* *Rom.* 5. 14. *similitudinem prævaricationis Adæ*, duobus modis distinguitur : aut, *In similitudinem prævaricationis Adæ regnavit mors* ; quia & qui non peccaverunt, ex origine mortalitatis Adam, mortui sunt. Aut certè *Regnavit mors, & in his qui non in similitudinem prævaricationis Adæ peccaverunt*, sed ante Legem peccaverunt : ut illi peccasse intelligantur G in similitudinem prævaricationis Adæ, qui Legem acceperunt ; quia & Adam accepta præcepti lege peccavit. Sanè etiam id quod dictum est, *usque ad Moysen*, totum tempus Legis intelligendum est. Forma autem futuri dictus est Adam, sed à contrario : ut quomodo per illum mors, sic per Dominum nostrum vita.

Quod autem ait, *Sed non sicut delictum, ita est* *Rom.* 5. 15.

& *donatio*, duobus modis donatio præcellit, vel quòd multò magis abundat gratia, quia utique in æternum per illam vivitur; temporaliter autem per mortem Adæ mors regnavit: vel quòd unius delicti condemnatione mors multorum facta est per Adam, per Dominum autem nostrum Jesum Christum multorum delictorum donatione data gratia in vitam æternam. Aliam verò differentiam sic ex-
Rom. 5. 16. a plicat, dicens, *Et non sicut per unum* [a] *peccantem, ita est & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, ad justificationem. Ex uno* ergo quod dictum est, subauditur, delicto; quia sequitur, *gratia autem ex multis delictis.* Ergo hæc differentia est, quòd in Adam unum delictum damnatum est, à Domino au-
v. 17. tem multa donata sunt. Quod ergo sequitur, ambas istas differentias tenet, ut explicetur sic: *Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum, multò magis qui abundantiam gratiæ & justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* Quod ergo dixit, *Multò magis regnabunt*, ad vitam æternam pertinet: quod autem dixit, *Abundantiam gratiæ accipiunt*, ad donationem multorum pertinet delictorum. Post explicatas autem has differentias, redit ad formam unde cœperat, cujus ordi-
Ibidem 12. nem suspenderat, cùm diceret, Sicut enim per „ unum hominem peccatum intravit in hunc mun„ dum, & per peccatum mors. Ad quod nunc redit,
v. 18. cùm dicit, * *Itaque sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ.*
v. 19. * *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.* Hæc est forma futuri Adam, de qua superiùs loqui cœperat, & ejus aliquas differentias interponens distulerat ordinem, ad quem nunc redeundo conclusit, dicens, *Itaque sicut per unius delictum in omnes homines*, &c.

XXX. Rom. 5. 20. Quod autem ait, *Lex subintravit ut abundaret delictum*, ipso verbo satis significavit nescisse Judæos qua dispensatione Lex data sit. Non enim data est quæ posset vivificare; quia gratia vivificat per fidem: sed data est Lex ad ostendendum quantis quàmque artis vinculis peccatorum constringerentur qui de suis viribus ad implendam justitiam præsumebant. Sic abundavit peccatum, cùm & concupiscentia ex prohibitione ardentior facta est, & peccantibus contra Legem prævaricationis crimen accessit. Quod intelligit qui secundùm gradum in
* Suprà Prop. 13. illis* quatuor gradibus considerat.

XXXI. Rom. 6. v. 1. Quod autem ait, * *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* * *Absit. Qui*
v. 2. *mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Hinc ostendit de præteritis peccatis factum esse ut donarentur, & in eo superabundasse gratiam, ut præterita peccata dimitterentur. Ergo quisquis adhuc quærit augmenta peccati, ut augmentum gratiæ sentiat, non intelligit se id agere, ut nihil in eo gratia operetur. Opus enim gratiæ est, ut moriamur peccato.

XXXII. Rom. 6. 6. Quod autem ait, *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuaretur corpus peccati*, refertur ad illud quod per Moysen dictum est,
Deut. 21. 23 Maledictus omnis qui in ligno pependerit. Veteris enim hominis crucifixio significata est in cruce Domini, sicut novi hominis instauratio in resurrectione significata est. Manifestum est, autem secundùm eum nos agere veterem hominem, qui maledictus est: propter quem peccatum & de Domino dictum esse nemo ambigit, quod peccata nostra portavit, Isai. 53. 11. & peccatum pro nobis fecit, & de peccato condemnavit peccatum. * Quid est autem evacuare *XXXIII. corpus peccati? Ipse expoluit, *Vt ultrà non serviamus peccato.* * Et illud quod ait, *Si mortui sumus* *XXXIV. *cum Christo*, hoc est, Si crucifixi sumus cum Christo. Dicit enim alio loco, Qui enim Christi Jesu Gal. 5. 24. sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & con„ cupiscentiis. Non ergo Domino maledixit Moyses, sed quid ostenderet ejus crucifixio prophetavit.

XXXV. Quod autem ait, *Peccatum enim in vobis non dominabitur, non enim estis sub Lege, sed sub gratia*, Rom. 6. 14. utique ad tertium illum gradum jam pertinet, ubi homo jam mente servit Legi Dei, quamvis carne Rom. 7. 25. serviat legi peccati. Non enim obaudit desiderio peccati, quamvis adhuc sollicitent concupiscentiæ, & provocent ad consensionem, donec vivificetur etiam corpus, & absorbeatur mors in victoriam. 1. Cor. 15. 54. Quia ergo non consentimus desideriis pravis, in gratia sumus, & non regnat peccatum in nostro Rom. 6. 12. mortali corpore: & omnino ex illo loco ubi ait, *Qui* v. 2. *mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* eum describit, qui est sub gratia constitutus. Cui autem dominatur peccatum, quamvis velit peccato resistere, adhuc sub Lege est, nondum sub gratia.

XXXVI. Rom. 7. 2. Quod autem dicit, *Mulier enim sub viro vivo marito, vincta est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, evacuata est à lege viri*, &c. animadvertendum est, istam similitudinem in hoc differre ab ea re, propter quam adhibita est, quòd hîc virum dicit mori, ut mulier nubat cui volet, liberata utique à lege viri: ibi autem cùm constituat animam quasi mulierem, virum autem quasi passiones peccatorum, quæ operantur in membris, ut fructum ferant morti, id est, ut tali conjugio proles digna nascatur; & * Lex quæ data est non ad auferendum peccatum, vel ad liberationem à peccato, sed ad ostendendum peccatum ante gratiam; per quod factum est, ut sub Lege positi vehementiori desiderio peccandi raperentur, & ampliùs etiam prævaricatione peccarent: cùm ergo & ibi tria sint, anima tamquam mulier, passiones peccatorum tamquam vir, & Lex tamquam lex viri, non ibi tamen peccatis mortuis, tamquam viro mortuo, liberari animam dicit; sed ipsam animam mori peccato, & liberari à Lege, ut sit alterius viri, id est Christi, cùm mortua fuerit peccato, quamvis adhuc quasi vivente ipso peccato: quod fit cùm adhuc manentibus in nobis desideriis & incitamentis quibusdam ad peccandum, non obedimus tamen, neque consentimus, mente servientes legi Dei; Ibidem 25. quia mortui sumus peccato. Morietur autem & peccatum, cùm reformatio corporis in resurrectione facta fuerit, de qua pòst dicit, Vivificabit & Rom. 8. 11. mortalia corpora vestra, propter Spiritum manentem in vobis.

* f. & legem viri quasi Legem quæ &c.

XXXVII. Rom. 7. 8. Quod autem dicit, *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, intelligendum est non omnem fuisse concupiscentiam, antequam prohibitione aucta esset. Augetur enim prohibitione concupiscentia, quando deest gratia liberantis: ideo nondum est omnis antequam prohibeatur: cùm autem prohibita fuerit, desistente, ut diximus, gratiâ, tantum crescit concupiscentia, ut ita in suo genere om-

[a] Sic MSS. juxta Græcum, δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος. At editi, *per unum peccatum.*

nis, id est consummata fiat, ut etiam contra Legem fiat, & prævaricatione crimen accumulet.

Rom. 7. 8. Quod autem dicit, *Sine Lege enim peccatum mortuum est*, non quia non est, dixit *mortuum est*, sed quia latet: quod in consequentibus manifestat, cùm
Ibidem 13. dicit, Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Bona est enim Lex: sed sine gratia ostendit tantummodo peccata, non tollit.

XXXVIII. Rom. 7. 9. Quod autem ait, *Ego autem vivebam aliquando sine Lege*, intelligendum est, vivere mihi videbar; quia ante mandatum latebat peccatum. Et quod ait, *Adveniente autem mandato, peccatum revixit;*
v. 10. * *ego autem mortuus sum*, intelligendum est, peccatum apparere cœpit, ego autem mortuum me esse cognovi.

XXXIX. Rom. 7. 11. Quod autem ait, *Peccatum enim occasione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit*, ideo dictum est, quia desiderii prohibiti fructus dulcior est. Unde etiam quæcumque peccata occultè fiunt, dulciora sunt: quamvis mortifera ista dulcedo sit. Inde est quòd apud Salomonem fallacis doctrinæ imagine sedens mulier, & invitans ut ad se ve-
Prov. 9. 17. niant insipientes, scribitur dicere, Panes occultos libenter edite, & aquam furtivam dulcem bibite. Ista dulcedo est occasio per mandatum inventa peccati: quæ cùm appetitur, utique fallit, & in majores amaritudines vertit.

XL. Rom. 7. 13. Quod autem ait, *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem*, hîc
Ibidem 8. evidenter ostendit, quod superiùs dixerat, Sine Lege enim peccatum mortuum est, ideo dixisse, quia latet: quando quidem nunc dicit, non illud bonum, id est, Legem factam sibi esse mortem, sed peccatum operatum esse mortem per bonum Legis, id est, ut appareret peccatum quod latebat sine Lege. Tunc enim se mortuum quisque cognoscit, cùm illud quod rectè præceptum esse confitetur, implere non potest; & prævaricationis crimine ampliùs peccat, quàm si non prohiberetur. Hoc est
v. 13. a quod in consequentibus dicit, *Vt fiat supra modum peccator* [a] *aut peccatum per mandatum*: quod ante mandatum minus erat; quia ubi non est lex, nec prævaricatio.

XLI. Rom. 7. 14. Quod autem ait, *Scimus quia Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum*, satis ostendit non posse impleri Legem, nisi ab spiritalibus, quales facit gratia
1. Retract. 23. Dei. Similis enim quisque factus ipsi Legi, facilè implet quod præcipit; nec erit sub illa, sed cum illa: is est autem qui jam non capitur temporalibus bonis, nec terretur temporalibus malis.

XLII. Rom. 7. 14. Quod autem ait, *Venumdatus sub peccato*, intelligendum est, quòd unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, acceptâ tamquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. Unde & Dominus Redemtor noster dictus est, quia hoc modo quo dictum est, venditi eramus.

XLIII. Rom. 7. 15. Quod autem ait, *Quod enim operor, ignoro*, potest videri minùs intelligentibus, contrarium esse illi
Ibidem 13. sententiæ qua dixit, Peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Quomodo enim apparet, si ignoratur? Sed *ignoro*, sic dictum est hoc loco, ut intelligatur, non approbo. Quomodo enim tenebræ non videntur, sed lucis comparatione sentiuntur; hoc est autem sentire tenebras, quod est non videre: sic & peccatum, quia non illustratur luce justitiæ, non intelligendo dignoscitur, sicuti tenebras dictum est non videndo sentiri. Et ad hoc pertinet quod in Psalmo dici- Psal. 18. 13. tur, Delicta quis intelligit?

XLIV. Rom. 7. v. 19. v. 20. Quod autem ait, * *Non enim quod volo hoc ago: sed quod nolo hoc facio.* * *Si autem quod nolo hoc facio, consentio Legi, quoniam bona est*, satis quidem Lex ab omni criminatione defenditur: sed cavendum, ne quis arbitretur his verbis auferri nobis liberum voluntatis arbitrium, quod non ita est. Nunc enim homo describitur sub Lege positus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus suis justè vivere conatur sine adjutorio liberantis gratiæ Dei. In libero autem arbitrio habet ut credat Liberatori, & accipiat gratiam, ut jam illo qui eam donat liberante & adjuvante non peccet; atque ita desinat esse sub Lege, sed cum Lege vel in Lege, implens eam caritate Dei, quod timore non poterat.

XLV. Rom. 7. 23. Quod autem ait, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati quæ est in membris meis*, legem peccati dicit, qua quisque carnali consuetudine implicatus adstringitur. Hanc repugnare ait legi mentis suæ, & se captivare sub lege peccati: unde intelligitur ille homo describi, * qui nondum est sub * 1. Retract. 23. n. 1. gratia. Si enim repugnaret tantùm consuetudo carnalis, & non captivaret, non esset damnatio. In eo enim est damnatio, quòd obtemperamus & servimus desideriis pravis carnalibus. Si autem exsistant, & non desint talia desideria, non tamen his obediamus; non captivamur, & sub gratia jam sumus, de qua loquetur cùm exclamaverit & imploraverit Liberatoris auxilium, ut possit per gratiam caritas, quod per Legem timor non poterat. Dixit enim, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore* v. 24. *mortis hujus?* Et subjecit, *Gratia Dei per Iesum* v. 25. *Christum Dominum nostrum.* Deinde incipit describere hominem sub gratia constitutum: qui tertius gradus est illorum quatuor quos * superiùs distin- * Prop. 13. ximus. * Ad hunc gradum jam pertinet quod statim * XLVI. subjungit, *Igitur ego ipse mente servio Legi Dei*, Rom. 7. 25. *carne autem legi peccati:* quia licèt exsistentibus desideriis carnalibus, jam non servit consentiendo ad faciendum peccatum, qui sub gratia constitutus mente servit Legi Dei, carne autem legi peccati. Legem autem peccati dicit ex transgressione Adæ conditionem mortalem, quia mortales facti sumus. Ex hac enim labe carnis concupiscentia carnalis sollicitat, & secundùm hanc dicit alio loco, Fuimus Ephes. 2. 3. & nos naturâ filii iræ, sicut & ceteri.

XLVII. Rom. 8. 1. Quod autem dicit, *Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Iesu*, satis ostendit condemnationem non esse, si exsistant desideria carnalia, sed si eis ad peccandum non obeditur. Quod contingit his qui sub Lege constituti sunt, nondum sub gratia. Nam sub Lege constituti, non solùm repugnantem habent concupiscentiam, sed etiam captivi ducuntur, cùm obtemperant ei. Non autem contingit his qui mente serviunt Legi Dei.

XLVIII. Rom. 8. v. 3. Quod autem ait, * *Quod enim impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum misit in similitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne*, * *ut justitia Legis im-* v. 4. *pleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum*, manifestissimè docet, eadem ipsa præcepta Legis propterea non impleta,

[a] Editi, *peccator peccans.* MSS. verò, *peccator aut peccatum*: sic alibi Aug. quòd fortè in Græco legeretur, ἢ ἁμαρτία.

quamvis essent implenda, quoniam quibus data erat A Lex ante gratiam, dediti erant carnalibus bonis, & ex his beatitudinem adquirere cupiebant, neque metuebant, nisi cùm talibus bonis imminebat adversitas; & ideo cùm illa temporalia bona turbarentur, facilè recedebant à præceptis Legis. Infirmabatur ergo Lex non implendo quod præcipiebat, non suâ culpâ, sed per carnem, id est, eos homines qui carnalia bona appetendo non amabant Legis justitiam, sed ei temporalia commoda præponebant. Ideo Liberator noster Dominus Jesus B Christus suscipiendo mortalem carnem, venit in similitudine carnis peccati. Carni enim peccati debita mors est. At verò illa mors Domini, dignationis fuit, non debiti: & tamen hoc quoque Apostolus peccatum vocat susceptionem mortalis carnis, quamvis non peccatricis, ideo quia immortalis tamquam peccatum facit cùm moritur. Sed *de peccato*, inquit, *damnavit peccatum in carne*. Id enim egit mors Domini, ne mors timeretur, & ex eo jam non appeterentur temporalia bona, nec me- C tuerentur temporalia mala, in quibus carnalis erat illa prudentia, in qua impleri Legis præcepta non poterant. Hæc autem prudentiâ in homine Dominico destructâ & ablatâ, justitia Legis impletur, cùm secundùm carnem non ambulatur, sed secundùm spiritum. Unde verissimè dictum est, Non venire Legem solvere, sed implere. Plenitudo ergo Legis caritas. Et caritas eorum est qui secundùm spiritum ambulant. Hæc enim ad gratiam pertinet Spiritus-sancti. Quando enim non erat caritas ju- D stitiæ, sed timor, Lex non implebatur.

Matth 5. 17. *Rom.* 13. 10.

XLIX. Quod autem ait, *Quia prudentia carnis inimica in Deum; Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest*, ostendit quid dixerit, *inimica*: ne quis putaret tamquam ex adverso principio aliquam naturam, quam non condidit Deus, inimicitias adversùs Deum exercere. Inimicus ergo Dei dicitur, qui Legi ipsius non obtemperat, & hoc per carnis prudentiam, id est, cùm appetit temporalia bona, & timet temporalia mala. Definitio enim prudentiæ E in appetendis bonis & vitandis malis explicari solet. Quapropter rectè appellat Apostolus carnis prudentiam, qua hæc appetuntur pro magnis bonis, quæ non perseverant cum homine; & ne hæc amittantur timetur, quæ quandoque amittenda sunt. Non potest autem talis prudentia Legi Dei obtemperare. Sed tunc obtemperatur Legi, cùm hæc prudentia exstincta fuerit, ut ei succedat prudentia spiritûs, qua nec in temporalibus bonis spes nostra est, neque in malis timor. Eadem namque F animæ natura & prudentiam carnis habet, cùm inferiora sectatur; & prudentiam spiritûs, cùm superiora eligit. Quemadmodum eadem aquæ natura & frigore congelascit, & calore resolvitur. Sic ergo dictum est, *Legi Dei non est subjecta prudentia carnis, nec enim potest*: quomodo rectè diceretur, nivem non posse calefieri, neque enim potest; sed cùm adhibito calore solvitur, & calescit aqua, jam nemo potest eam nivem dicere.

Rom. 8. 7.

L. Quod autem ait, *Corpus quidem mortuum est pro-* G *Rom.* 8. 10. *pter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam: Corpus mortuum* dicitur, mortale. Ex ipsius enim mortalitate indigentia rerum terrenarum sollicitat animam, & quædam desideria excitat, quibus ad peccandum non obtemperat qui jam mente servit Legi Dei.

Quod autem ait, *Si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum Christum à mortuis habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Jam quartum gradum demonstrat ex illis quatuor, quos superiùs * distinximus. Sed gradus iste in hac vita non invenitur. Pertinet enim ad spem qua exspectamus redemtionem corporis nostri, quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem. Ibi pax perfecta est, quia nihil molestiarum anima de corpore patitur jam vivificato, & in cælestem qualitatem immutato.

LI. *Rom.* 8. 11. * *Propos.* 13. *1. Cor.* 15. 53.

Quod autem ait, *Non enim accepistis spiritum servitutis in* [a] *timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*, evidentissimè duorum Testamentorum distincta sunt tempora. Illud enim ad timorem pertinet, Novum autem ad caritatem. Sed quæritur quis sit spiritus servitutis? Nam spiritus adoptionis filiorum, utique Spiritus-sanctus est. Spiritus ergo servitutis in timore, ille est qui potestatem habet mortis; quia ipso timore per totam vitam rei erant servitutis qui sub Lege agebant, non sub gratia. Nec mirum est quòd eum acceperunt per divinam providentiam qui bona temporalia sectabantur, non quia ipsius est Lex, & mandatum. Nam Lex sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum: ille autem spiritus servitutis non utique bonus, quem accipiunt qui præcepta datæ Legis implere non possunt, dum D serviunt desideriis carnalibus, nondum gratiâ Liberatoris assumti in filiorum adoptionem. Quia & ipse spiritus servitutis non habet quemquam in potestate, nisi qui ei per ordinem divinæ providentiæ traditus fuerit, Dei justitiâ sua cuique tribuente. Quam potestatem acceperat Apostolus, cùm dicit de quibusdam, Quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare. Et iterum de alio, Jam judicavi, inquit, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut anima salva sit. Qui ergo nondum sub gratia sunt, & sub Lege constituti vincuntur peccatis ad obediendum desideriis carnalibus, & prævaricatione augent reatum criminum suorum, spiritum acceperunt servitutis, id est, spiritum ejus qui potestatem mortis habet. Nam si spiritum servitutis ipsum spiritum hominis intellexerimus, incipit & spiritus adoptionis ipse intelligi tamquam in melius commutatus. Sed quia spiritum adoptionis Spiritum-sanctum accipimus, quem manifestè ostendit cùm dicit, *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro*: restat ut spiritum servitutis illum intelligamus, cui serviunt peccatores: ut quemadmodum Spiritus-sanctus à timore mortis vindicat, sic spiritus servitutis qui potestatem habet mortis, ejusdem mortis terrore reos teneat, ut se ad Liberatoris auxilium quisque convertat, etiam ipso diabolo invito, qui eum semper in potestate habere desiderat.

LII. *Rom.* 8. 15. [a] *timorem*

1. *Tim.* 1. 20. *1. Cor.* 5. 5.

Rom. 8. 16.

Quod autem ait, * *Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat.* * *Vanitati enim creatura subjecta est, non sponte*, &c. usque ad id quod ait, * *Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemtionem corporis nostri*, sic intelligendum est, ut neque sensum dolendi & gemendi opinemur esse in arboribus & oleribus & lapidibus, & ceteris hujuscemodi creaturis; hic enim error Manichæorum est: neque Angelos sanctos vanitati subjectos esse arbitremur; & de his

LIII. *Rom.* 8. v. 19. v. 20. v. 23.

* Editi, *in timore*. At MSS. *in timorem*, juxta Græcum εἰς φόβον, cui consentit Vulgata in antiq. Corbeiensib. Bibliis.

existimemus

existimemus quòd liberabuntur à servitute interi- A tûs, cùm interituri utique non sint: sed omnem creaturam in ipso homine sine ulla calumnia cogitemus. Non enim creatura ulla esse potest, nisi aut spiritalis, quæ excellit in Angelis; aut animalis, quæ etiam in vita bestiarum satis apparet; aut corporalis, quæ videri aut tangi potest: omnis autem est etiam in homine; quia homo constat spiritu & animâ & corpore. Ergo *creatura revelationem filiorum Dei exspectat*, quidquid nunc in homine laborat, & corruptioni subjacet, illam scilicet manifestationem de B qua idem dicit Apostolus, Mortui enim estis, & vi-

Coloss. 3. 3. » ta vestra abscondita est cum Christo in Deo: cùm » Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum

1. Johan. 3. 2. » ipso apparebitis in gloria. Dicit & Johannes, Di- » lectissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum appa- » ruit quid erimus: scimus autem quia cùm apparue- » rit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Hanc ergo revelationem filiorum Dei exspectat creatura, quæ in homine nunc vanitati subjecta est, quamdiu dedita est temporalibus rebus, C

Psal. 143. 4. quæ transeunt tamquam umbra. Unde & in Psalmo dicitur, Homo vanitati similis factus est, dies ejus velut umbra prætereunt. De qua vanitate etiam

Eccle. 1. 2. Salomon loquitur, cùm dicit, Vanitas vanitantium, » & omnia vanitas: quæ abundantia homini in omni » labore suo, quo ipse laborat sub sole? De qua item

Psal. 4. 3. David dicit, Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Non sponte autem dicit esse subjectam vanitati creaturam, quoniam pœnalis est ista subjectio. Non enim homo sicut sponte pecca- D vit, sic etiam sponte damnatus est: quæ tamen damnatio non sine spe reparationis irrogata est naturæ

Rom. 8. v. 20. v. 21. nostræ. Et ideo, *Propter eum*, inquit, *qui subjecit in spe*; * *quia & ipsa creatura liberabitur à servitute interitûs in libertatem gloriæ filiorum Dei*, id est, etiam ipsa quæ tantummodo creatura est, nondum per fidem aggregata numero filiorum Dei: sed tamen in eis qui crediturі erant, videbat Apostolus quod dicit, quia *creatura liberabitur à servitute interitûs*, ut interitui non serviat, cui serviunt om- E

Gen. 2. 17. nes peccatores. Peccatori enim dictum est, Morte morieris. *Liberabitur* autem *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, id est, ut & ipsa perveniat ad libertatem gloriæ filiorum Dei per fidem: quæ fides cùm in ea non erat, tantummodo creatura dicebatur.

Rom. 8. 22. Et ad ipsam refert quod sequitur: *Scimus enim, quia creatura congemiscit, & dolet usque adhuc.* Erant enim adhuc crediturі qui etiam spiritu subjacebant laboriosis erroribus. Sed ne quis putaret de ipsorum labore tantùm dictum esse, subjungit etiam de F iis qui jàm crediderant. Quamquam enim spiritu,

Rom. 7. 25. hoc est, mente servirent Legi Dei, tamen quia carne servitur legi peccati, quamdiu molestias & sollicitationes mortalitatis nostræ patimur, ideo

Rom. 8. 23. addidit, dicens, *Non solùm autem ipsi, sed & nos primitias spiritûs habentes, & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus.* Non solùm ergo, inquit, ipsa quæ tantummodo creatura dicitur in hominibus qui nondum crediderunt, & ideo nondum in filiorum Dei numero constituti sunt, congemiscit & dolet: G sed etiam nosmetipsi qui credimus, & spiritûs primitias habemus, quia jàm spiritu adhæremus Deo per fidem, & ideo non jam creatura, sed filii Dei appellamur; tamen *& ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes redemtionem corporis nostri.* Hæc enim adoptio, quæ jam facta est in iis qui crediderunt, spiritu, non corpore facta est. Nondum enim etiam corpus reformatum est in cælestem illam immutationem, sicut spiritus jam mutatus est reconciliatione fidei ab erroribus conversus ad Deum. Ergo etiam in iis qui crediderunt, exspectatur adhuc illa manifestatio, quæ in corporis resurrectione proveniet: quæ pertinet ad quartum illum gradum, ubi ex toto perfecta pax erit, & quies æternâ, nulla nobis ex aliqua parte corruptione resistente, aut sollicitante molestiâ.

Quod autem ait, *Similiter & Spiritus adjuvat in-* LIV. *firmitatem nostram: quid enim oremus sicut oportet,* *Rom.* 8. 26. *nescimus*: manifestum est eum de Spiritu-sancto dicere, quod in consequentibus clarum est, ubi ait, *Quia secundùm Deum interpellat pro sanctis.* Nos *v.* 27. ergo *quid oremus sicut oportet, nescimus*, duas ob res; quòd & illud quod futurum speramus, & quò tendimus, nondum apparet: & in hac ipsa vita multa possunt nobis prospera videri quæ adversa sunt, & adversa quæ prospera. Nam & tribulatio quando accidit servo Dei ad probationem vel emendationem, videtur nonnumquam minùs intelligentibus inutilis: sed si referatur ad illud quod dictum est, Da nobis auxilium de tribulatione, & vana sa- *Psal.* 59. 13. lus hominis: intelligitur, quia plerumque de tribulatione nos adjuvat Deus; & frustra salus optatur, quæ aliquando adversa est, cùm delectatione & amore hujus vitæ implicat animam. Inde est & illud, Tribulationem & dolorem inveni, & nomen *Psal.* 114. Domini invocavi. Cùm enim dicit, inveni, signi- 3. & 4. ficat utilem. Non enim rectè gratulamur nos invenisse, nisi quod quærebamus. Ergo *quid oremus sicut oportet, nescimus.* Deus enim novit, & quid nobis in hac vita expediat, & quid post hanc vitam daturus sit. *Sed ipse Spiritus interpellat gemitibus* *Rom.* 8. 27. *inenarrabilibus.* Gemere dicit Spiritum, quòd nos gemere faciat caritate, concitans desiderium futuræ vitæ, sicut dicit, Tentat vos Dominus *Deut.* 13. 3. Deus vester, ut sciat si diligitis eum: id est, ut scire vos faciat. Non enim Deum aliquid latet.

Quod autem ait, *Quos vocavit, ipsos & justificavit*, potest movere, & quæri, utrùm omnes qui LV. *Rom.* 8. 30. vocati sunt, justificentur. Sed alibi legimus, Mul- *Matth.* 22. ti vocati, pauci autem electi. Tamen quia ipsi quo- 14. que electi utique vocati sunt, manifestum est non justificatos nisi vocatos, quamquam non omnes vocatos, sed eos qui secundùm propositum vocati sunt, sicut superiùs dixit. Propositum autem Dei *Rom.* 8. 28. accipiendum est, non ipsorum. Ipse autem exponit quid sit secundùm propositum, cùm dicit, *Quo-* *v.* 29. *niam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii ejus.* Non enim omnes qui vocati sunt, secundùm propositum vocati sunt: hoc enim propositum ad præscientiam & ad prædestinationem Dei pertinet; nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum & secuturum vocationem suam, quos & electos dicit. Multi enim non veniunt, cùm vocati fuerint: nemo autem venit qui vocatus non fuerit.

Quod autem dicit, *Ut sit primogenitus in multis* LVI. *fratribus*, satis docet, aliter intelligendum Dominum *Rom.* 8. 29. nostrum unigenitum, aliter primogenitum. Nam ubi Unigenitus dicitur, fratres non habet, & naturaliter est Filius Dei, Verbum in principio, per quod *Iohan.* 1. 1. facta sunt omnia. Secundùm susceptionem autem hominis & incarnationis dispensationem, per quam nos etiam non naturaliter filios in adoptionem filiorum vocare dignatus est, primogenitus dicitur cum adjunctione fratrum. Ubi enim primus dicitur, non

utique solus, sed consecuturis fratribus in id quò
Coloss. 1.18. ipse præcessit. Unde & alio loco primogenitum eum à mortuis dicit, ut sit ipse primatum tenens. Resurrectio enim mortuorum ut jam non moriantur, ante illum nulla: post illum autem multorum sanctorum est, quos fratres non confunditur appellare, propter ipsam communicationem humanitatis.

LVII. *Rom.* 8.35. Quod autem dicit, *Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio*, &c. ex superiore sententia pendet, ubi ait, Si tamen
Ibidem 17. &c. compatimur, ut & glorificemur: existimo enim » quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis » ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ad ipsam enim hortationem omnis hujus loci intentio directa est, ne illi quibus loquitur persecutionibus frangerentur, si viverent secundùm prudentiam carnis, qua temporalia bona appetuntur, & timentur temporalia mala.

LVIII. *Rom.* 8.38. Quod autem ait, *Certus sum enim*, & non dixit, Opinor enim, plena fide tenuit, *quòd nec mors* ulla, *nec vita* temporalis promissa, nec cetera subsequentia possunt credentem à caritate Dei detorquere. Nemo ergo separat, nec qui minatur mortem; quia qui credit in Christo, licèt moriatur, vivet: neque qui pollicetur vitam; quia ille dat vitam æternam. Nam temporalis vitæ pollicitatio, æternæ comparatione contemnenda est. *Neque An-*
Galat. 1. 8. *gelus* separat, quia licèt Angelus, inquit, de cælo descendat, & annuntiet vobis præter quàm quod accepistis, anathema sit. *Neque principatus*, id est, D
Coloss. 2.15. contrarius, quia exuit se ipse hos principatus & potestates, triumphans eos in semetipso. *Neque præsentia neque futura*, id est, temporalia vel quæ delectant, vel quæ premunt, vel quæ spem dant, vel quæ incutiunt timorem. *Neque virtus.* Et hic virtutem contrariam oportet intelligi, secundùm quam
Matth. 12. 29. dicit, Nemo vasa fortis diripiet, nisi priùs alligaverit fortem. *Neque altitudo*, *neque profundum.* Plerumque enim inanis curiositas earum rerum quæ inveniri non possunt, aut frustra etiam inveniuntur E sive in cælo sive in abyssо, separat à Deo, nisi caritas vincat, quæ ad certa spiritalia non vanitate rerum quæ foris sunt, sed veritate quæ intus, homines invitat. *Neque creatura alia.* Quod duobus modis intelligi potest: aut visibilis creatura, quia & nos, id est, anima, creatura sumus, sed invisibilis; ut hoc dixerit, quòd nos non separat alia creatura, id est, amor corporum: aut certè quia nos non separat alia creatura à caritate Dei, ex eo quòd nulla creatura est alia inter nos & Deum, quæ se oppo- F nat, & à complexu ejus excludat. Supra humanas enim mentes quæ rationales sunt, jam nulla creatura, sed Deus est.

LIX. *Rom.* 9.5. Quod autem dicit, *Quorum patres & ex quibus Christus secundùm carnem*, & adjecit, *Qui est super omnes Deus benedictus in sæcula*, plenissimam fidem commendat, quia Dominum nostrum & secundùm susceptionem carnis filium hominis confitemur, & secundùm æternitatem Verbum in principio Deum benedictum super omnes in sæcula. Hu- G jus autem confessionis Judæi quoniam partem tenuerunt, refelluntur à Domino. Nam cùm eos in-
Matth. 22. 42. terrogasset, cujus filium dicerent esse Christum: responderunt, David. Hoc autem secundùm carnem est. De divinitate verò ejus quod Deus est, nihil responderunt. Ideo Dominus ait eis, Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum? Ut A intelligerent hoc se confessos esse tantùm, quòd Christus filius est David; hoc autem tacuisse, quòd est Christus Dominus ipsius David. Illud enim est secundùm susceptionem carnis, hoc secundùm æternitatem divinitatis.

Quod autem ait, * *Nondum enim nascentium, ne-* LX.
que agentium aliquid boni aut mali, ut secundùm ele- *Rom.* 9 *v.* 11
ctionem propositum Dei maneret, * *non ex operibus,* *v* 12.
sed ex vocante dictum est ei, * *quia major serviet mi-* *v.* 13.
nori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esaü autem odio *Gen.* 25 23.
habui, nonnullos movet, ut putent apostolum Pau- *Malach.* 1. 2 & 3.
lum abstulisse liberum voluntatis arbitrium, quo promeremur Deum bono pietatis, vel malo impietatis offendimus. Dicunt enim, quòd ante opera aliqua, seu bona seu mala, duorum nondum nascentium Deus unum dilexerit, alterum odio habuerit. Sed respondemus, præscientiâ Dei factum esse, qua novit etiam de nondum natis, qualis quisque futurus sit. Sed ne quis dicat, Opera ergo elegit Deus in eo quem dilexit, quamquam nondum C erant, quod erant futura præsciebat: quòd si opera elegit, quomodo dicit Apostolus, non ex operibus factam electionem? Propterea ergo intelligendum est, opera bona per dilectionem fieri, dilectionem autem esse in nobis per donum Spiritus- *Rom.* 5.5. sancti, sicut idem Apostolus dicit, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. Non ergo quisquam gloriari debet ex operibus tamquam suis, quæ per donum Dei habet, cùm ipsa dilectio in eo bonum operetur. Quid ergo elegit Deus? Si enim cui vult donat D Spiritum-sanctum, per quem dilectio bonum operatur, quomodo elegit cui donet? Si enim nullo merito, non est electio; æquales enim omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari. Sed quoniam Spiritus-sanctus non datur nisi credentibus, non quidem Deus elegit opera quæ ipse largitur, cùm dat Spiritum-sanctum, ut per caritatem bona operemur: sed tamen elegit fidem. Quia nisi quisque credat in eum, & E in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum-sanctum, per quem diffusa caritate bonum possit operari. Non ergo *1. Retract.* elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ *23 n. 2. & lib. 1. de* ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientia: ut *Prædest. SS.* quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegerit *c. 3. dicit se* cui Spiritum-sanctum daret, ut bona operando *hic erravisse.* etiam vitam æternam consequeretur. Dicit enim idem Apostolus, Idem Deus qui operatur omnia *1. Cor.* 12.6. in omnibus. Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quòd ergo credimus, *2. Sent. disp.* nostrum est: quòd autem bonum operamur, illius *28 cap.* In qui credentibus in se dat Spiritum-sanctum. Hoc *expositione.* autem exemplum quibusdam Judæis objectum est, qui Christo crediderunt, & de operibus ante gratiam gloriabantur, & dicebant se ipsam Evangelii gratiam per sua bona opera præcedentia meruisse, cùm bona opera in nullo esse possint, nisi qui acceperit gratiam. Est autem gratia, ut vocatio peccatori prærogetur, cùm ejus merita nulla, nisi ad damnationem præcesserint. Quòd si vocatus vocantem secutus fuerit, quod est jam in libero arbitrio, merebitur & Spiritum-sanctum, per quem bona possit operari, in quo permanens, (quod nihilo minùs est in libero arbitrio) merebitur etiam vitam æternam, quæ nullâ possit labe corrumpi.

Quod autem ait, *Miserebor cui misertus ero*, & LXI.
misericordiam præstabo cui misericors fuero, hinc often- *Rom.* 9. 15. *Exod.* 33.19.

ditur non esse iniquitatem apud Deum; quod pos- A
sunt dicere quidam, cùm audiunt, Antequam nascerentur, Jacob dilexi, Esaü autem odio habui. *Mi-*
Malach. 1. 2. & 3. *serebor*, enim inquit, *cui misertus ero.* Primò enim misertus est nostri Deus, cùm peccatores essemus ut vocaret nos. *Cui* ergo *misertus ero*, inquit, ut eum vocem, *miserebor* adhuc ejus cùm crediderit. Quomodo autem adhuc, nisi ut det credenti & petenti Spiritum-sanctum? Quo dato misericordiam præstabit cui misericors fuerit, id est, ut faciat eum misericordem, quò bona possit per dilectionem B
operari. Nemo ergo sibi audeat tribuere quod misericorditer operatur: quia Deus illi per Spiritum-sanctum dedit dilectionem, sine qua nemo potest esse misericors. Non ergo elegit Deus bene operantes, sed credentes potiùs, ut ipse illos faciat bene operari. Nostrum enim est credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum-sanctum, per quem caritas Dei diffunditur in cordibus nostris, ut nos misericordes efficiat.

LXII. *Rom.* 9.16. Quod autem ait, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, non tollit liberum voluntatis arbitrium, sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adjuvet Deus, misericordes nos efficiendo ad bene operandum per donum Spiritus-
Ibidem 15. » sancti, ad hoc referens, quod superiùs dixit, Misere- » rebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo
1. Retract. cui misericors fuero. Quia neque velle possumus, *23. n. 3.* nisi vocemur; & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi D
Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat. Manifestum est ergo non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse, quòd bonum operamur: quamquam ibi sit etiam voluntas nostra, quæ sola nihil posset. Unde sequitur etiam de Pharaonis supplicio testimonium, cùm ait Scrip-
v. 17. tura de Pharaone, *Quia ad hoc te excitavi, ut*
Exod. 9.16. *ostendam in te potentiam meam, & ut annuntietur no-* *men meum in universa terra.* Sicut enim legimus in
Exod. 10. 1. Exodo, Obduratum est cor Pharaonis, ut tam evi- E
dentibus signis non moveretur. Quòd ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat. Non autem quisquam potest dicere obdurationem illam cordis immeritò accidisse Pharaoni, sed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur prio-
1. Retract. re infidelitate. Sicut enim in iis quos elegit Deus, F
23. n. 3. non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur: sic in his quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam malè operentur: sicut &
Rom. 1. 28. superiùs idem dicit Apostolus, Et quoniam non » probaverunt Deum in notitia habere, tradidit il- » los Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non » conveniunt. Quapropter ita concludit Apostolus,
Rom. 9.18. *Ergo cui vult miseretur, & quem vult obdurat.* Cujus enim miseretur, facit eum bene operari: & G
quem obdurat, relinquit eum ut malè operetur.
1. Retract. Sed & illa misericordia præcedenti meritо fidei tri-
23. n. 4. buitur, & ista obduratio præcedenti impietati: ut & bona per donum Dei operemur, & mala per supplicium; cùm tamen homini non auferatur liberum voluntatis arbitrium, sive ad credendum Deo A
ut consequatur nos misericordia, sive ad impietatem ut consequatur supplicium. Qua conclusione illata, infert quæstionem tamquam a contradicente. Ait enim, *Dicis itaque mihi, Quid adhuc con-* *v.* 19.
queritur? Nam voluntati ejus quis resistit? Cui sanè inquisitioni sic respondet, ut intelligamus spiritalibus viris, & jam non secundùm terrenum hominem viventibus, patere posse prima merita fidei & impietatis, quomodo Deus præscius eligat credituros, & damnet incredulos; nec illos ex operibus eligens, nec istos ex operibus damnans; sed illorum fidei præstans ut bene operentur, & istorum impietatem obdurans deserendo ut malè operentur. Qui quoniam intellectus, ut dixi, spiritalibus patet, à carnali autem prudentia longè remotus est, sic refellit inquirentem, ut intelligat se deponere debere priùs hominem luti, ut ista per spiritum investigare mereatur. Itaque, inquit, * *O homo tu quis* *v.* 20.
es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei *qui se finxit, Quare sic me fecisti?* * *An non habet po-* *v.* 21.
C
testatem figulus luti, ex eadem conspersione vas face- *re, aliud quidem in honorem, aliud in contumeliam?* Quamdiu figmentum es, inquit, & ad massam luti pertines, nondum perductus ad spiritalia, ut sis spiritalis omnia judicans, & à nemine judiceris, cohibeas te oportet ab hujusmodi inquisitione, & non respondeas Deo. Cujus consilium quis scire cupiens, oportet ut priùs in ejus amicitiam recipiatur: quod contingere nisi spiritalibus non potest, jam portantibus imaginem cælestis hominis. Jam enim, *Iohan.* 15.
inquit, non vos dicam servos, sed amicos: omnia *15.*
enim quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Quamdiu itaque vas fictile es, conterendum est hoc ipsum in te priùs virgâ illâ ferreâ, de qua dictum est, Reges eos in virga ferrea, & tamquam *Psal.* 2. 9.
vas figuli conteres eos: ut corrupto exteriore homine, & interiore renovato, possis in caritate radi- *Ephes.* 3.16.
catus & fundatus comprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem, & profundum, cognoscere etiam supereminentem scientiam caritatis Dei.
Nunc itaque cùm ex eadem conspersione Deus E
alia vasa in honorem facit, alia in contumeliam, non est tuum discutere, quisquis secundùm hanc conspersionem adhuc vivis, id est, terreno sensu & carnaliter sapis.

Quod autem ait, *Adtulit in multa patientia va-* LXIII.
sa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem: hinc satis *Rom.* 9. 22.
significavit obdurationem cordis, quæ in Pharaone facta est, ex meritis venisse occultæ superioris impietatis: quam tamen patienter sustinuit Deus, donec ad illud tempus perduceretur, quo opportunè in eum vindicta procederet, ad correctionem eorum quos ab errore instituerat liberare, & ad cultum suum[a] pietate vocando perducere, precibus eorum & gemitibus opem præbens.

Quod autem ait, * *Quos & vocavit nos, non so-* LXIV.
lùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus. * *Sicut & in* *Rom.* 9. v. 24. *v.* 25:
Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam, *Osee* 2. 24.
&c. Totius hujus disputationis propositum ad hoc perducit, ut quoniam docuit misericordiæ Dei esse, quòd bene operamur, non tamquam ex operibus Judæi glorientur, qui cùm Evangelium percepissent, tamquam meritis suis id tribuendum existimantes, nolebant Gentibus dari: à qua superbia jam debent desistere, intelligentes, quoniam si non *1. Retract.*
ex operibus, sed misericordiâ Dei vocamur ut crede- *23. n. 4.*
mus, & credentibus præstatur ut bene operemur,

[a] Nostri omnes MSS. *& ad cultum suum pietatemque revocando perducere.*

non est Gentibus ista invidenda misericordia, quasi prælato merito Judæorum, quod nullum est.

LXV. *Rom. 9. 27. Isai. 10. 22.* Quod autem dicit, *Isaias autem clamat pro Israël, Si fuerit numerus filiorum Israël quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient*, ostendit quemadmodum sit Deus lapis angularis, utrumque parietem in se conjungens. Testimonium enim Oseæ *Ephes. 2. 20.* prophetæ dictum est pro Gentibus, Vocabo non *Oseæ 2. 24.* plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam: & Isaiæ testimonium dictum est pro Israël, *Isa. 10. 22.* quoniam reliquiæ salvæ fient, ut ipsæ deputentur in semen Abrahæ, quæ crediderunt in Christum: ita concordes ambos populos facit, secundùm & Domini testimonium dicentis in Evangelio de Gentibus, Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili, *Iohan. 10. 16.* quas oportet me adducere, & erit unus grex, & unus pastor.

LXVI. *Rom. 10. 1.* Quod autem ait, *Fratres, Bona voluntas cordis mei & deprecatio ad Deum fit pro illis in salutem:* hinc jam incipit de spe Judæorum loqui, ne etiam Gentes superbire audeant adversùs Judæos. Sicut enim Judæorum superbia refellenda erat tamquam ex operibus gloriantium: sic & Gentibus occurrendum est, ne tamquam Judæis prælati superbiant.

LXVII. *Rom. 10. 8. Deut. 30. 14. Rom. 10. v. 9.* Quod autem dicit, * *Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus:* * *quia si confitearis in ore tuo quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo quia Deus* *v. 10.* *illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* * *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem.* Totus hic locus ad illud refertur, quod superiùs dixit, *Rom. 9. 28.* Verbum enim consummans & brevians faciet Dominus super terram. Remotis enim innumerabilibus & multiplicibus sacramentis, quibus Judaïcus populus premebatur, per misericordiam Dei factum est, ut brevitate confessionis fidei ad salutem perveniremus.

LXVIII. *Rom. 10. 19. Deut. 32. 21.* Quod autem dicit, secundùm testimonium Moysi, *Ego ad æmulationem vos perducam in non gentem, in gentem insipientem irritabo vos*, dicendo *gentem insipientem*, exposuit quid dixerit, *in non gentem*: quasi quòd nec gens dicenda sit quæ insipiens est. De cujus tamen fide irritandum dicit populum Judaïcum, quia illi apprehenderunt quod isti respuerunt. Vel certè *in non gentem, in gentem insipientem*: quia cùm esset gens insipiens omnis populus idola colens, tamen gentilitatem credendo depo- *Rom. 2. 26.* suit. Unde illud etiam est, Si igitur præputium justitias Legis custodiat, nonne præputium ejus in circumcisione deputabitur? Ut sit hic sensus: Ego in æmulationem vos adducam in eam, quæ non gens facta est, deponendo gentilitatem per fidem Christi, cùm fuisset gens insipiens colendo idola.

LXIX. *Rom. 11. 1.* Quod autem ait, *Numquid repulit Deus plebem suam? absit. Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin*, ad hoc refertur, quod superiùs dixit, *Rom. 9. 6. &c.* Non potest autem excidere verbum » Dei. Non enim omnes qui sunt ex Israël, hi sunt » Israëlitæ; neque quia sunt semen Abraham, om- » nes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen: ut de ip- » so scilicet populo Judæorum illi deputentur in semen, qui Domino crediderunt. De hoc item dicit *Ibidem 27.* superiùs, Reliquiæ salvæ fient.

LXX. *Rom. 11. 11.* Quod autem dicit, *Dico ergo, Numquid sic deliquerunt ut caderent? absit. Sed illorum delicto salus Gentibus*, [a] Non ideo dicit, quia non ceciderunt; sed quia casus ipsorum non fuit inanis, quoniam ad salutem Gentium profecit. Non ergo ita deliquerunt ut caderent, id est, ut tantummodo caderent, quasi ad pœnam suam solùm; sed ut hoc ipsum quòd ceciderunt, prodesset Gentibus ad salutem. Deinde incipit ex hoc loco Judæorum populum commendare, etiam de ipso casu infidelitatis, ut non superbiant Gentes; quia etiam casus Judæorum tam pretiosus exstitit pro salute Gentium: sed magis debent cavere Gentes, ne, dum superbiunt, similiter cadant.

LXXI. *Rom. 12. 20. Prov. 25. 21.* Quod autem dixit, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, multis videri potest repugnare illi sententiæ, qua Dominus præcepit, ut diligamus inimicos nostros, & oremus *Luc. 6. 35.* pro iis qui nos persequuntur: vel huic etiam quam idem Apostolus superiùs dixit, Benedicite perse- *Rom. 12. 14.* quentes vos, benedicite, & nolite maledicere: & *Ibidem 17.* iterum, Nulli malum pro malo reddentes. Quomodo enim quisque diligit eum, cui propterea cibum & potum dat, ut carbones ignis congerat super caput ejus, si carbones ignis hoc loco aliquam gravem pœnam significant? Quapropter intelligendum est, ad hoc dictum esse, ut eum qui nos læserit provocemus ad pœnitentiam facti sui, cùm ei nos benefacimus. Isti enim carbones ignis ad exustionem, id est contribulationem spiritûs valent, qui est quasi caput animæ, in qua exuritur omnis malitia, cùm homo in melius per pœnitentiam commutatur, ut sunt illi carbones, de quibus dicitur *Psal. 119. 3.* in Psalmis, Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam subdolam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus vastatoribus.

LXXII. *Rom. 13. 1.* Quod autem ait, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo*, rectissimè jam monet, ne quis ex eo quòd à Domino suo in libertatem vocatus est, factusque Christianus, extollatur in superbiam, & non arbitretur in hujus vitæ itinere servandum esse ordinem suum, & potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, putet non se esse subdendum. Cùm enim constemus ex anima & corpore, & quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degeridæ hujus vitæ utamur; oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa verò parte, qua credimus Deo, & in regnum ejus vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est. Si quis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis quę hæc curant potestatibus; in magno errore versatur. [b] Item si quis sic se putat esse subdendum, ut etiam in suam fidem habere potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate præcellit; in majorem errorem labitur. Sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse præscribit, ut reddamus Cæsari quæ *Matth. 22. 21.* Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Quamquam enim ad illud regnum vocemur, ubi nulla erit potestas hujusmodi: in hoc tamen itinere dum agi-

[a] In editis additur, *est*, quod à MSS. & à Græco abest: at Vaticanus MS. ejus loco habet, *venit*.

[b] Ista sententia, *Item si quis* &c. quam MSS. omnes exhibent, omissa est apud Am & Er.

mus, donec perveniamus ad illud sæculum, ubi fit evacuatio omnis principatus & potestatis, conditionem nostram pro ipso rerum humanarum ordine toleremus, nihil simulatè facientes, & in eo ipso non tam hominibus quàm Deo, qui hæc jubet, obtemperantes.

LXXIII. *Rom. 13. 3.* Quod autem ait, *Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa*, potest movere aliquos, cùm cogitaverint ab istis potestatibus persecutionem sæpe passos fuisse Christianos. Numquid ergo non faciebant bonum, quia non solùm non sunt laudati ab istis potestatibus, sed etiam pœnis affecti & necati sunt? Considerandа ergo sunt verba Apostoli. Non enim ait, Bonum fac, & laudabit te potestas: sed ait, *Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Sive enim probet factum tuum bonum, sive persequatur, *laudem habebis ex illa*; vel cùm eam in obsequium Dei lucratus fueris, vel cùm ejus persecutione coronam meruerris. Hoc etiam in consequentibus intelligitur, cùm di- *v. 4.* cit, *Dei enim minister est tibi in bonum*, etiam si sibi in malum.

LXXIV. *Rom. 13. 5.* Quod autem ait, *Ideoque* [a] *necessitati subditi estote*, ad hoc valet, ut intelligamus, quia necesse est propter hanc vitam subditos nos esse oportere, non resistentes si quid illi auferre voluerint, in quod sibi potestas data est, de temporalibus rebus; quæ quoniam transeunt, ideo & ista subjectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessariis huic tempori constituenda est. Tamen quoniam dixit, *Necessitati subditi estote*; ne quis non integro animo & pura dilectione subditus fieret hujusmodi potestatibus, addidit, dicens, *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, id est, non solùm ad iram [b] evadendam, quod potest etiam simulatè fieri; sed ut in tua conscientia certus sis, illius dilectione te facere, cui subditus fueris jussu Domi- *1. Tim. 2. 4.* ni tui, qui omnes vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et hoc enim cùm diceret Apostolus de ipsis potestatibus agebat. Hoc est quod ser- *Ephes. 6. 6.* vis alio loco suadet, Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes: ut idipsum quòd subduntur dominis suis, non eos oderint, aut fallaciis promereri desiderent.

LXXV. *Rom. 13. 8. c* Quod autem dicit, *Qui enim diligit* [c] *alterum, Legem implevit*, ostendit consummationem Legis in dilectione positam, id est, in caritate. Unde & Do- *Matth. 22. 40.* minus in illis duobus præceptis totam Legem pendere dicit, & omnes Prophetas, id est, in dilectione Dei & proximi. Unde & ipse qui Legem venit implere, dilectionem donavit per Spiritum-sanctum, ut quod antea timor implere non poterat, caritas postmodum impleret. Inde est & illud ejus- *Rom. 13. 10.* dem Apostoli, *Plenitudo autem Legis caritas.* Et *1. Tim. 1. 5.* illud, Finis autem præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

LXXVI. *Rom. 13. 11. 2. Cor. 6. 2.* Quod autem ait, *Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere*, illuc spectat quod dictum est, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Tempus enim Evangelii significatur, & illa opportunitas salvos faciendi credentes in Deum.

LXXVII. *Rom. 13. 14. d* Quod autem ait, *Et carnis providentiam ne* [d] *feceritis in concupiscentiis*, ostendit non esse culpandam carnis providentiam, quando ea providentur quæ ad necessitatem salutis corporalis valent. Si autem ad superfluas delectationes atque luxurias, ut quisque in his gaudeat quæ carne cupit, rectè reprehenditur, quia providentiam carnis in concupiscentiis facit. Quoniam qui seminat in carne sua, de *Gal. 6. 8.* carne metet corruptionem, id est, qui delectationibus carnalibus gaudet.

LXXVIII. *Rom. 14. 1.* Quod autem dicit, *Infirmum autem in fide recipite, non in dijudicationibus cogitationum*, hoc dicit, ut eum qui infirmus in fide est, recipiamus, & nostra firmitate infirmitatem ejus sustineamus, neque dijudicemus cogitationes ejus, id est, quasi ferre audeamus sententiam de alieno corde, quod non videmus. Ideo sequitur, & dicit, *Alius quidem credit* *v. 2.* *manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.* Quia illo jam tempore multi jam firmi in fide, *Matth. 15.* & scientes secundùm sententiam Domini, non *17.* commaculare ea, quæ in os intrant, sed quæ exeunt, indifferenter sumebant cibos salvâ conscientiâ: quidam verò infirmiores abstinebant à carnibus & à vino, ne vel nescientes inciderent in ea quæ idolis sacrificabantur. Omnis enim tunc immolatitia caro in macello vendebatur, & de primitiis vini libabant Gentes simulacris suis, & quædam in ipsis torcularibus sacrificia faciebant. Jubet ergo Apostolus & his qui salvâ conscientiâ talibus alimentis utebantur, non spernere infirmitatem illorum qui se à talibus cibis & potu abstinebant: & illis infirmis, ne eos qui carnibus non abstinebant, & vinum bibebant, tamquam pollui judicarent. Ad hoc valet quod consequenter dicit, *Qui manducat, non man-* *Rom. 14. 3.* *ducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non judicet.* Firmi enim infirmiores contumaciter contemnebant, & infirmi firmos temere judicabant.

LXXIX. *Rom. 14. 4.* Quod autem dicit, *Tu quis es qui judices alienum servum?* ad hoc dicit, ut in his rebus, quæ possunt & bono animo fieri & malo, judicium Deo dimittamus, nec audeamus de alterius corde, quod non videmus, ferre sententiam. In his verò rebus quæ ita comprehenduntur, ut eas bono & casto animo non posse fieri manifestum sit, non improbatur, si judicemus. Itaque hoc quod de cibis dicit, quia ignoratur quo animo fiat, non vult nos esse judices, sed Deum: de illo autem nefario stu- *1. Cor. 5. 1.* pro, ubi uxorem patris sui quidam habuerat, præcepit debere judicari. Non enim poterat ille dicere, bono animo se tam immane flagitium commisisse. Ergo quæcumque facta ita manifestantur, ut non possit dici, Bono animo feci, judicanda sunt à nobis: quæcumque autem ita fiunt, ut quo animo fiant incertum sit, non sunt judicanda, sed reser- *Deut. 29.* vanda judicio Dei: sicut scriptum est, Quæ occul- *29.* ta sunt, Deo; quæ autem palàm sunt, vobis & filiis vestris erunt.

LXXX. *Rom. 14. 5.* Quod autem ait, *Alius quidem judicat alternos dies, alius autem judicat omnem diem*, sequestrata interim meliore consideratione, non de duobus hominibus mihi videtur dictum, sed de homine & Deo. Qui enim alternos dies judicat, homo est: potest enim hodie aliud, cras aliud judicare: id est, ut quemcumque hodie malum convictum confessumve damnaverit, cras bonum inveniat cùm se correxerit; contrà, cùm aliquem justum hodie laudaverit, cras inveniat depravatum. Qui autem judicat omnem diem, Deus est: quia non solùm qualis quisque sit, sed etiam qualis omni die futurus sit,

[a] Am. Er & sex MSS hîc & infrà, *necessitate*.

[b] Omnes nostri MSS. *evacuandum*.

[c] Editi, *diligit proximum*. At MSS. *alterum*: juxta Græc. τὸν ἕτερον.

[d] Vaticanus cod. *superfeceritis*: ceteri MSS *perfeceritis*.

novit. *Ergo, Vnusquisque in suo intellectu abundet,* A inquit: id est, quantum humano intellectui, vel unicuique homini concessum est, tantum audeat
v. 6. judicare. *Qui sapit*, inquit, *diem, Domino sapit:* id est, quia hoc ipsum quod præsentem diem bene judicat, Domino sapit. Hoc est autem bene judicare ad diem, ut noveris non esse de correctione ejus desperandum in futurum, de cujus culpa manifesta in præsentia judicaveris.

LXXXI. Rom. 14. 22. Quod autem ait, *Beatus qui non judicat semetipsum in quo probat*, ad id potissimùm referendum B
Ibidem 16. est, quod superiùs dixit, Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Hoc est etiam quod nunc ait ante
v. 22. istam sententiam, *Tu fidem quam habes penes temetipsum, habe coram Deo:* ut quoniam bona est hæc fides, qua credimus omnia munda mundis, & in ea
Tit. 1. 15. fide nos probamus, bene utamur ipso bono nostro; ne fortè cùm ad offendiculum infirmorum fratrum eo bono abusi fuerimus, peccemus in fratres; & in eo ipso bono nos judicemus, cùm scandalizamus infirmos, in quo bono nos probamus, cùm ipsa fides C nobis placet.

LXXXII. Rom. 15. v. 8. Quod autem ait, * *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad*
v. 9. *confirmandas promissiones Patrum*, * *Gentes autem super misericordia glorificare Deum*, ad hoc dicit, ut intelligant Gentes Dominum Christum ad Judæos esse missum, & non superbiant. Judæis enim repellentibus quod ad ipsos missum est, factum est ut Gentibus Evangelium prædicaretur: quod & in Actibus apostolorum manifestissimè scribitur, cùm D
Act. 13. 46. dicunt Apostoli Judæis, Vobis primùm oportuit » prædicari verbum, sed quoniam indignos vos judi» castis, ecce convertimus nos ad Gentes. Secundùm ipsa etiam Domini testimonia, cùm dicit, Non sum missus nisi ad oves perditas domûs Israël:

& iterum, Non est bonum panem filiorum mittere canibus. Quod Gentes si bene considerent, intelligunt ista sua fide, qua jam credunt, omnia munda mundis, non se debere insultare his, si qui fortè infirmi ex [a] circumcisione fuerint, qui propter communicationem idolorum nullas omnino audeant carnes adtingere. Matth. 15. 24. & 26. Tit. 1. 15.

Quod autem dicit, *Ut minister sim Christi Jesu in Gentibus, consecrans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium acceptabilis, sanctificata in Spiritu-sancto*, hoc intelligitur, ut offerantur Gentes Deo, tamquam acceptabile sacrificium, cùm in Christum credentes per Evangelium sanctificantur: sicut & superiùs dicit, Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, [b] ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. LXXXIII. Rom. 15. 16. Rom. 12. 1.

Quod autem ait, *Obsecro vos, fratres, ut intendatis in eos, qui dissensiones & scandala, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt*, de his intelligitur dicere, de quibus & ad Timotheum scripsit, dicens, Sicut rogavi te, ut sustineres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæstiones magis præstant quàm ædificationem Dei, quæ est in fide: & ad Titum, Sunt enim multi non subditi, vaniloqui & mentis seductores, qui maximè ex circumcisione sunt, quos oportet refelli, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ: dixit quidam ex ipsis proprius eorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Ad hoc enim refertur quod & hîc ait, *Hi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri:* de quibus alio loco dicit, Quorum Deus venter est. LXXXIV. Rom. 16. 17. 1. Tim. 1. 3. & 2. Tit. 1. 10. & c. Rom. 16. 18. Philip. 3. 19.

[a] Omnes MSS *infirmi ex se fuerint.*
[b] Hic desinit opusculum in editis Am. & Er. omissa LXXXIV. Propositione, quæ postrema est apud Lov. & omnes MSS.

DE SUBSEQUENTI OPERE.

Libri I. Retractationum Caput XXV.

Epistolæ quoque ad Romanos, sicut ad Galatas, expositionem susceperam. Sed hujus operis, si perficeretur, plures libri erant futuri: quorum unum in sola disputatione ipsius salutationis absolvi, ab initio scilicet usque ad illud, ubi ait: *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.* Factum est quippe ut immoraremur, cùm vellemus solvere incidentem sermoni nostro difficillimam quæstionem de peccato in Spiritum-sanctum, quod non remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Sed deinde alia volumina cessavi adjungere exponendo Epistolam totam, ipsius operis magnitudine ac labore deterritus, & in alia faciliora deflexus sum. Ita factum est, ut librum quem feceram primum, relinquerem solum, cujus esse titulum volui, *Epistolæ ad Romanos inchoata Expositio.* Ubi quod dixi, *gratiam esse in dimissione peccatorum, pacem verò in reconciliatione Dei*, ubicumque hoc dixi, non sic accipiendum est, ac si pax ipsa & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem, sed quòd specialiter nomine gratiæ remissionem significaverit peccatorum. Sicut Legem & specialiter dicimus, secun-
Matth. 22. 40. dùm quod dictum est, *Lex & Prophetæ:* & generaliter, ut in ea sint & Prophetæ. Hic liber sic incipit:

In Epistola quam Paulus apostolus scripsit ad Romanos,

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
EPISTOLÆ AD ROMANOS
INCHOATA EXPOSITIO,
LIBER UNUS. *

* Scriptus circiter Chr. an. 394. Scilicet Augustino adhuc presbytero ex Retract. lib 1. c. 23. & 25.

In quo salutatio tantummodo expeditur, & disputatur de peccato in Spiritum-sanctum.

1. In Epistola quam Paulus apostolus scripsit ad Romanos, quantum ex ejus textu intelligi potest, quæstionem habet talem: Utrùm Judæis solis Evangelium Domini nostri Jesu Christi venerit propter merita operum Legis, an verò nullis operum meritis præcedentibus, omnibus Gentibus venerit justificatio fidei, quæ est in Christo Jesu, ut non quia justi erant homines, crederent; sed credendo justificati, deinceps justè vivere inciperent. Hoc B ergo docere intendit, omnibus venisse gratiam Evangelii Domini nostri Jesu Christi. Quod propterea etiam gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum justitiæ redditum est, sed gratuitò datum. Cœperant enim nonnulli qui ex Judæis crediderant, tumultuari adversùs Gentes, & maximè adversùs apostolum Paulum, quòd incircumcisos & Legis veteris vinculis liberos admittebat ad Evangelii gratiam, prædicans eis ut in Christum crederent, nullo imposito carnalis circumcisionis jugo. Sed planè tanta moderatione, uti nec Judæos superbire permittat, tamquam de meritis operum Legis; nec Gentes merito fidei adversùs Judæos inflari, quòd ipsi receperint Christum, quem illi crucifixerunt: tamquam enim (sicut alio loco dicit) pro ipso Do-
2. Cor. 5. 20. mino legatione fungens, hoc est, pro lapide angu-
Ephes. 6. 20. lari, utrumque populum tam ex Judæis quàm ex
Ephes. 2. 20. Gentibus connectit in Christo per vinculum gratiæ, utrisque auferens omnem superbiam meritorum, & justificandos utrosque per disciplinam humilitatis associans.

Rom. 1. 1. 2. Itaque Epistolam sic exorsus est, *Paulus servus Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei.* Breviter in duobus verbis Ecclesiæ dignitatem à synagogæ vetustate discernit. Ecclesia quippe ex vocatione appellata est, synagoga verò ex congregatione. Convocari enim magis hominibus congruit, congregari autem magis pecoribus: unde greges propriè pecorum dici solent. Quamquam ergo plerisque Scripturarum locis ipsa E Ecclesia grex Dei, & ovile Dei, & pecus Dei vocetur: tamen cùm in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinent. Et apparet hujusmodi homines, non cibo sempiternæ veritatis, sed temporalium promissionum tamquam terreno pabulo esse contentos. *Paulus* ergo *servus Christi Jesu vocatus* est *Apostolus*, quæ vocatio illum cooptavit Ecclesiæ. *In Evangelium* autem *Dei se-*

gregatus est, unde nisi à grege synagogæ, si verborum Latinorum significatio omni modo cum Græca interpretatione concordat?

3. Sanè Evangelium Dei, in quod segregatum se esse commemorat, commendat auctoritate Prophetarum: ut quoniam credentes Christum, in quorum numerum vocatus est, Judæis præposuerat, à quibus se dixerat segregatum, Gentes rursùs jam non superbire admoneat. Si quidem de populo Judæorum fuerunt Prophetæ, per quos Evange-
lium, cujus fide credentes justificantur, antè pro-
missum esse testatur, *Segregatus enim*, inquit, *in*
v. 2. *Evangelium Dei*, * *quod antè promiserat per Pro-*
phetas suos. Fuerunt enim & prophetæ non ipsius, in quibus etiam aliqua inveniuntur quæ de Christo audita cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur: quod non facilè crederem, nisi quòd poëtarum quidam in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret ea de innovatione sæculi, quæ in Domini nostri Jesu Christi regnum satis concinere & con-
C venire videantur, præposuit versum, dicens:

Vltima Cumæi jam venit carminis ætas. Virg. Eclog. 4.

Cumæum autem carmen Sibyllinum esse, nemo dubitaverit. Sciens ergo Apostolus ea in libris Gentium inveniri testimonia veritatis, quæ etiam in
Act. 17. 28. Actibus Apostolorum loquens Athenien sibus ma-
nifestissimè ostendit, non solùm ait, *per Prophetas suos*, ne quis à pseudoprophetis per quasdam veritatis confessiones in aliquam impietatem seducere-
tur; sed addidit etiam *in Scripturis sanctis*: volens
D utique ostendere litteras Gentium superstitiosæ idolatriæ plenissimas, non ideo sanctas haberi oportere, quia in eis aliquid quod ad Christum pertinet invenitur.

4. Et ne quisquam etiam prophetas aliquos remotos atque alienos à gente Judæorum fortè proferret, in quibus nullus simulacrorum cultus esset, quantum adtinet ad simulacra quæ humana operatur manus: nam simulacris phantasmatum suorum sectatores suos omnis error illudit: ne quis
E tamen aliqua hujusmodi proferens, quia ibi Christi nomen ostentat, eas potiùs sanctas Scripturas esse asserat, non eas quæ populo Hebræorum sunt divinitus creditæ, satis opportunè mihi videtur adjungere, cùm dixisset, *in Scripturis sanctis*, quod Rom. 1. 3.
adjecit, *de Filio suo, qui factus est ei ex semine Da-*
vid, secundùm carnem. David enim certè rex Judæorum fuit. Oportebat autem ut ex illa gente orirentur Christi prænuntiatores Prophetæ, ex

qua gente carnem assumturus erat quem prænuntiabant. Occurrendum autem erat etiam illorum impietati, qui Dominum nostrum Jesum Christum secundùm hominem tantummodo, quem suscepit, accipiunt; divinitatem autem in eo non intelligunt ab universæ creaturæ communione discretam: velut ipsi Judæi, qui Christum filium David tantummodo esse opinantur, ignorantes excellentiam qua Dominus est ipsius David, secundùm id quod est Filius Dei. Unde illos in Evangelio redarguit per
Matth. 22. 42. prophetiam, quæ ipsius David ore prolata est. Quærit enim ab eis, quem ipse David Dominum appellat, quomodo filius ejus sit: cui deberent utique respondere, quòd secundùm carnem filius esset David, secundùm divinitatem autem Filius Dei & Dominus ipsius David. Quod Paulus apostolus quia jam didicerat, postea quàm dixit, *in Evangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de Filio suo, qui factus est ei ex semine David*, addidit, *secundùm carnem*: ne hoc solum & totum in Christo esse arbitrarentur, quod factus erat secundùm carnem. Addendo ergo, *secundùm carnem*, servavit divinitati dignitatem suam. Quæ non solùm semini David, sed nec alicui Angelicæ aut cujusvis excellentissimæ creaturæ generationi tribui potest; quandoquidem ipsum est Verbum Dei, per quod facta sunt omnia. Quod Verbum
Iohan. 1. 14. ex semine David caro factum est, & habitavit in nobis, non mutatum & conversum in carnem; sed carne ut carnalibus congruenter appareret indutum. Quapropter Apostolus non solùm eo verbo quòd ait, *secundùm carnem*, humanitatem à divinitate distinxit: sed etiam illo quo ait, *factus est*. Non est enim factus secundùm id quod Verbum Dei est.
Iohan. 1. 3. Omnia enim per ipsum facta sunt: nec fieri cum omnibus posset per quem facta sunt omnia. Neque ante omnia factus est, ut per ipsum fierent omnia: ipso enim excepto, si ante illa jam factus esset, non essent illa omnia quæ per illum fierent; nec possent verè dici facta omnia per ipsum, in quibus ipse non esset, si ipse etiam factus esset. Et ideo Apostolus cùm factum diceret Christum, addidit, *secundùm carnem*: ut secundùm Verbum quod est Filius Dei, non factum à Deo, sed natum esse monstraret.

5. Eumdem sanè ipsum *qui secundùm carnem factus est ex semine David*, * *prædestinatum* dicit *Filium Dei, in virtute*: non secundùm carnem, *sed secundùm Spiritum*: nec quemlibet spiritum, sed *Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*. In resurrectione enim virtus morientis apparet, ut diceretur *prædestinatus in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*. Deinde sanctificatio vitam novam fecit, quæ in Domini nostri resurrectione signata est. Unde idem Apo-
Rom. 1. 4. *Colos.* 3. 1. stolus alio loco dicit, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Potest quidem etiam sic esse ordo verborum, ut non ad *Spiritum sanctificationis* adjungamus quod ait, *ex resurrectione mortuorum*: sed ad id quod ait, *prædestinatus est*: ut ordo sit, *qui prædestinatus est ex resurrectione mortuorum*: cui ordini interposita sint hæc, *Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis*. Et nimirum iste ordo certior & melior videtur, ut sit filius David in infirmitate secundùm carnem, Filius autem Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis. *Factus est* ergo *ex semine David*, id est, filius David ex mortali corpore, propter quod & mortuus est. *Prædestinatus est* autem *Filius Dei*, & Dominus ipsius David, *ex resurrectione mortuorum*. In quantum enim mortuus est, ad id pertinet quod est filius David: in quantum autem resurrexit à mortuis, ad id quod est Filius Dei, & Dominus ipsius David, sicut alibi idem Apostolus dicit, Nam & si mortuus
2. Cor. 13. 4. est ex infirmitate, sed vivit in virtute Dei: ut infirmitas pertineat ad David, vita verò æterna ad virtutem Dei. Ideoque in his ipsis verbis Dominum suum designat eum David, dicens, Dixit Domi-
Psal. 109. 1. nus Domino meo, sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis. Ex eo enim quòd resurrexit à mortuis, sedet ad dexteram Patris. Prædestinatum ergo ex resurrectione mortuorum, ut sederet ad dexteram Patris, videns in Spiritu David, non auderet dicere filium suum, sed Dominum suum. Unde & consequenter Apostolus hîc adjungit, *Jesu Christi Domini nostri*, postea quàm dixit, *ex resurrectione mortuorum*: tamquam admonens unde illum David Dominum suum potiùs quàm filium esse testatus sit. Non autem ait eum *prædestinatum* à mortuis, sed *ex resurrectione mortuorum*. Non enim resurrectione ipsa sua Filius apparet Dei, propria illa & eminentissima dignitate, qua etiam est caput Ecclesiæ, cùm & ceteri mortui resurrecturi sint: sed Filius Dei prædestinatus est quodam principatu resurrectionis, quia ex resurrectione omnium mortuorum ipse prædestinatus est, id est, ut præ ceteris & ante ceteros resurgeret designatus. Ut quod hîc positum est, *Filius Dei*, cùm dixisset, *prædestinatus est*, ad documentum valeat tantæ sublimitatis. Non enim sic prædestinari oportuit nisi Filium Dei, secundùm quod est etiam
Colos. 1. 18. caput Ecclesiæ: unde illum alio loco primogenitum ex mortuis appellat. Eum enim decebat venire ad judicium resurgentium, qui præcesserat ad exemplum: neque ad exemplum omnium resurgentium, sed ad exemplum eorum qui sic resurrecturi sunt, ut cum illo vivant & regnent in sempiternum; quorum etiam caput est, tamquam corporis sui. Ex ipsorum enim resurrectione etiam prædestinatus est, ut ipsis princeps fieret: ceterorum autem in sua conditione resurgentium non princeps, sed judex est. Non itaque ex illorum mortuorum resurrectione prædestinatus est, quos est damnaturus. Prædestinatum enim esse ex resurrectione mortuorum, ut præcederet resurrectionem mortuorum, vult intelligi Apostolus: hos autem præcessit, qui ad ipsum cælestе regnum, quò eos præcessit, secuturi sunt. Propter quod non ait, *Qui prædestinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum* Jesus Christus Dominus noster, sed *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*: tamquam si diceret, Qui prædestinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum suorum, hoc est, ad se pertinentium in vitam æternam; velut si interrogaretur, quorum mortuorum, & responderet, ipsius Jesu Christi Domini nostri. Ex resurrectione enim ceterorum mortuorum non est prædestinatus, quos non præcessit ad gloriam vitæ æternæ, non utique secuturos, quoniam ad pœnas suas impii resurrecturi sunt. Ergo ille tamquam Filius Dei unigenitus, etiam primogenitus ex mortuis *prædestinatus est*, *ex resurrectione mortuorum*. Quorum mortuorum, nisi *Domini nostri Jesu Christi?*

6. *Per quem accepimus*, inquit, *gratiam &* *Rom.* 1. 5. *Apostolatum. Gratiam* cum omnibus fidelibus, *Apostolatum* autem non cum omnibus. Et ideo si tantummodo

tummodo Apostolatum se diceret accepisse, ingratus exstitisset gratiæ, qua illi peccata dimissa sunt: tamquam enim meritis priorum operum accepisse Apostolatum videretur. Optimè itaque tenet ordinem causæ, ut nemo audeat dicere vitæ prioris meritis se ad Evangelium esse perductum: quando nec ipsi Apostoli, qui ceteris membris post caput corporis supereminent, accipere Apostolatum propriè potuissent, nisi priùs communiter cum ceteris gratiam, quæ peccatores sanat & justificat, accepissent. Quod autem subjungit, *Ad obe-* *diendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus*: ad hoc dicit Apostolatum se accepisse, ut obediatur fidei pro nomine Domini nostri Jesu Christi, hoc est, ut credant omnes Christo, & signentur in ejus nomine qui salvi esse cupiunt. Quam salutem non solis Judæis, sicut nonnulli qui ex ipsis crediderant arbitrabantur, venisse jam ostendit, cùm ait,
v. 6. *in omnibus gentibus:* * *in quibus estis*, inquit, *& vos vocati Jesu Christi*, id est, ut & vos sitis ejus Jesu Christi, qui omnium gentium salus est, quam quam non in numero Judæorum, sed in numero ceterarum gentium sitis inventi.

7. Huc usque dixit ipse quis esset qui scribit Epistolam. Est enim qui scribit Epistolam, *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei*. Sed quia occurrebat, Quod Evangelium? respondit, *Quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo*. Item quia occurrebat, De quo Filio suo? respondit, *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, Domini nostri Jesu Christi*. Et quasi diceretur, Quomodo tu ad eum pertines? respondit, *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus*. Item quasi diceretur, Quæ igitur causa est ut scribas ad nos? respondit, *In quibus estis & vos vocati Jesu Christi*. Nunc deinde adjungit ex more epistolæ quibus
v. 7. scribat: *Omnibus*, inquit, *qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis*. Etiam hîc significavit benignitatem Dei potiùs quàm meritum illorum. Non enim ait, diligentibus Deum, sed, *dilectis Dei*. Prior
1. Iohan. 4. 19. enim dilexit nos ante omnia merita, ut & nos eum dilecti diligeremus. Unde etiam addidit, *vocatis sanctis*. Quamquam enim sibi quis tribuat quòd vocanti obtemperat, nemo potest sibi tribuere quòd vocatus est. *Vocatis* autem *sanctis*, non ita intelligendum est, tamquam ideo vocati sint, quia sancti erant: sed ideo sancti effecti, quia vocati sunt.

8. Restat ergo ut salutem dicat, ut compleatur usitatum epistolæ principium, tamquam ille illis salutem. Pro eo autem ac si diceret salutem, *Gratia*, inquit, *vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo*. Non enim omnis gratia est à Deo. Nam & judices mali præbent gratiam in accipiendis personis aliqua cupiditate illecti, aut timore perterriti. Neque omnis pax Dei est, vel ab
Iohan. 14. 27. illo: unde ipse Dominus discernens ait, Pacem meam do vobis: adjungens etiam & dicens, non sic talem pacem dare, qualem dat hic mundus. Gratia est ergo à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo, qua nobis peccata remittuntur, quibus adversabamur Deo. Pax verò ipsa qua reconciliamur Deo. Cùm enim per gratiam remissis peccatis absumtæ fuerint inimicitiæ, restat ut pace adhæreamus illi, à quo nos sola peccata dirimebant: sicut Propheta dicit, Non gravabit au- *Isa.* 59. 1. *&* 2. rem, ut non audiat; sed peccata vestra inter vos & Deum separant. Quibus remissis per fidem Domini nostri Jesu Christi, nulla separatione interveniente pax erit.

9. Fortasse autem quisque miretur, quomodo intelligenda sit justitia judicis Dei, cùm gratiam præbet ignoscendo peccatis. Sed hoc planè justum est apud Deum; quia verè justum est, ut ii quos peccatorum suorum pœnitet, eo tempore quo nondum pœnarum manifestus terror apparet, misericorditer separentur ab eis qui defensiones peccatorum suorum pertinaciter exquirentes, nullâ pœnitentiâ corrigi volunt. Injustum est enim ut cum his illi ad consortium pœnale copulentur, qui vocantem Deum non spreverunt, & peccantes displicuerunt sibi, ut quemadmodum ille peccata eorum, sic etiam ipsi odissent sua. Ea enim demum est humanæ justitiæ disciplina, non in se amare nisi quod Dei est, & odisse quod proprium est; nec approbare peccata sua, nec in eis alium improbare, sed seipsum; nec putare satis sibi esse, ut sua peccata displiceant, nisi etiam vigilantissima deinceps intentione vitentur; nec in eis vitandis vires suas existimare sufficere, nisi divinitus adjuvetur. Justum est ergo apud Deum, ut ignoscatur talibus quæcumque antea commiserunt, ne (quod injustissimum est) cum eis qui tales non sunt confundantur atque misceantur. Quapropter & quia talibus non ignoscitur, justitia Dei est: & quia ignoscitur, gratia est. Justa est ergo gratia Dei, & grata justitia, cùm in eo quoque etiam pœnitentiæ meritum gratia præcedat, quòd neminem peccati sui pœniteret, nisi admonitione aliqua vocationis Dei.

10. Porrò justitiæ divinæ tanta constantia est, ut cùm pœna spiritalis & sempiterna pœnitenti fuerit relaxata, pressuræ tamen cruciatusque corporales, quibus etiam Martyres exercitatos novimus, postremò mors ipsa, quam peccando meruit nostra natura, nulli relaxetur. Quòd enim etiam justi homines & pii, tamen exsolvunt ista supplicia, de justo Dei judicio venire credendum est. Ipsa est quæ in sacris Scripturis etiam disciplina nominatur, quam nemo justorum effugere finitur. Neminem quippe excepit, cùm diceret, Quem enim diligit *Hebr.* 12. 6. Deus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Unde etiam ipse Job, qui propterea tam multa illa passus est, ut hominibus quis vir esset, & quantus Dei servus, eluceret, pœnas tamen corporis pro peccatis suis se exsolvere sæpe testatur. Petrus quoque apostolus exhortans fratres ad perferendas pro Christi nomine passiones, ita loquitur: Nemo autem vestrûm patiatur quasi ho- *1. Petr.* 4. micida, aut fur, aut maledicus, aut curas alienas « 15. &c. agens: si verò quasi Christianus, non erubescat; « glorificet autem Deum in isto nomine, quia tem- « pus inchoationis judicii à domo Dei: si autem ini- « tium à nobis, quis finis eorum qui non credunt « Evangelio Dei? Et si justus quidem vix salvus fit, « peccator & impius ubi parebunt? Manifestè osten- « dit easdem ipsas passiones, quas justi patiuntur, ad judicium Dei pertinere: quod inchoari dixit ex domo Dei, ut inde conjiciatur, quantæ impiis futuræ servantur. Unde etiam ipse Paulus ad Thessalonicenses dicit, Ita ut nos ipsi de vobis gloriemur in *2. Thess.* 1. 4. Ecclesiis Dei, pro vestra patientia & fide in omnibus persecutionibus vestris, & pressuris quas susti- «

» netis in exemplum justi judicii Dei. Quod omnino ad illud respicit, quod ait Petrus tempus esse inchoationis judicii à domo Dei : & illud quod de
Prov. 11.31. Propheta interposuit, Et si justus vix salvus erit, peccator & impius ubi parebunt ? Unde mihi videtur, etiam illa quæ per Nathan prophetam regi
2. *Reg.* 12. David comminatus est Deus, quamquam statim
1. *Ibi.* ignoverit pœnitenti, propterea tamen accidisse omnia, ut demonstraretur illam veniam spiritaliter datam propter futurum judicium pœnarum, quod exspectat eos qui hoc tempore corrigi nolunt. Di-
1. *Pet.* 4. 6. cit enim & alibi Petrus, Propter hoc enim & mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundùm hominem in carne, vivant autem secundùm Deum in spiritu. Hoc dixi, ut ostenderem quantum possem, & quantum opportunitas præsentis loci Scripturarum finit, non sic accipiendam gratiam & pacem Dei, cùm dicitur, ut existiment homines à justitia Deum posse discedere. Nam & ipsam pacem cùm promitteret Dominus, ait, Hæc
Johan. 16. 33. dixi, ut in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram. Sed tribulationes & molestiæ cùm per justitiam Dei redduntur peccatis, bonos & justos, & quibus jam plus peccata ipsa displicent quàm ulla corporis pœna, non reflectunt ad peccandum, sed ab omni labe penitus purgant. Pax enim perfecta etiam corporis suo tempore [a] dabitur, si nunc pacem quam Dominus per fidem dare dignatus est, inconcussè spiritus noster atque incommutabiliter teneat.

a

11. Quòd autem Apostolus gratiam & pacem à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo dicit, non adjungens etiam Spiritum-sanctum ; non mihi alia ratio videtur, nisi quia ipsum donum Dei Spiritum-sanctum intelligamus : gratia porrò & pax, quid aliud est quàm donum Dei ? Unde nullo modo dari hominibus gratia potest quâ liberamur à peccatis, & pax qua reconciliamur Deo, nisi in Spiritu-sancto. Et ideo ipsa Trinitas pariterque incommutabilis unitas in ista salutatione cognoscitur. Quod
Epistola ad Hebræos cur salutatione caret. propterea maximè credo, quoniam exceptâ Epistolâ quam ad Hebræos scripsit, ubi principium salutatorium de industria dicitur omisisse, ne Judæi qui adversùs eum pugnaciter oblatrabant, nomine ejus offensi vel inimico animo legerent, vel omnino legere non curarent, quod ad eorum salutem scripserat : unde nonnulli eam in canonem Scripturarum recipere timuerunt : sed quoquo modo se habeat ista quæstio, exceptâ hac Epistolâ, ceteræ omnes quæ nullâ dubitante Ecclesiâ Pauli apostoli esse firmantur, talem continent salutationem : nisi
1. *Tim.* 1.2. quòd ad Timotheum in utraque interponit miseri-
2. *Tim.* 1.2. cordiam. Nam ita scribit, Gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Jesu Christo Domino nostro. Quò enim familiariùs, eò dulciùs quodammodo scribens ad Timotheum, id verbum interposuit, quo planè aperitur atque ostenditur, non meritis operum priorum, sed secundùm misericordiam Dei nobis dari Spiritum-sanctum, ut & peccatorum abolitio fiat, quibus sejungebamur à Deo ; & reconciliatio, ut illi inhæreamus.

12. Nec aliæ Apostolorum epistolæ, quas usus ecclesiasticus recipit, parum nos admonent de ista Trinitate in principiis suis. Nam Petrus ita dicit,
1. *Petr.* 1.2. Gratia vobis & pax adimpleatur. Deinde statim
℣ 3. subjicit, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi. Ut per gratiam & pacem Spiritu-sancto intellecto, Patris & Filii commemoratio animum de Trinitate commoneat. Et in alia sic ait, Gratia vobis & pax multiplicetur in recognitione
2. *Pet.* 1. 2. Dei & Christi Jesu Domini nostri. Johannes autem nescio quam ob caussam omisit tale principium ; sed planè Trinitatis commemorationem nec ipse neglexit, pro gratia & pace, societatem interponens : Quod ergo vidimus, inquit, nuntiamus & vobis,
1. *Johan.* 1.3. ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre & Filio ejus Jesu Christo. In secunda verò illis quæ ad Timotheum sunt consonat, dicens, Sit vobiscum gratia, misericordia,
2. *Johan.* 1.3. pax, à Deo Patre & Jesu Christo Filio Patris. In « tertiæ principio de Trinitate penitus tacetur, credo, quòd sit omnino brevissima. Sic enim incipit, Senior Gaio dilectissimo, quem ego diligo in veri-
3. *Johan.* 1 1. tate. Quam veritatem pro ipsa Trinitate positam puto. Judas nominato Deo Patre & Domino Jesu Christo, ad intelligendum Spiritum-sanctum, hoc est donum Dei, tria verba ponit : sic quippe incipit, Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi,
Jude 1. 1. in Deo Patre dilectis, & Jesu Christo conservatis « & vocatis, misericordia vobis, & pax, & caritas « adimpleatur. Gratia enim & pax sine misericordia & caritate intelligi non potest. Jacobus autem usitatissimum exordium fecit epistolæ, ita scribens, Ja-
Jacobi 1. 1. cobus Dei & Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus quæ sunt in dispersione salutem. « Credo, considerans salutem non esse nisi in [b] dono Dei, ubi gratia & pax. Et quamquam ante hoc verbum nominaverit Deum & Dominum nostrum Jesum Christum : tamen quia nullâ gratiâ & nullâ pace salvi fiunt homines, nisi quæ est à Deo Patre & Domino Jesu Christo, sicut Johannes in tertia veritatem, sic iste salutem pro ipsa Trinitate posuisse mihi videtur.

b

13. Quo loco prorsus non arbitror prætereundum, quod pater Valerius animadvertit admirans in quorumdam rusticanorum collocutione. Cùm enim alter alteri dixisset, *Salus*, quæsivit ab eo qui & Latinè nosset & Punicè, quid esset *Salus* : respondit, *Tria*. Tum ille agnoscens cum gaudio salutem nostram esse Trinitatem, convenientiam linguarum non fortuitu sic sonuisse arbitratus est, sed occultissima dispensatione divinæ providentiæ : ut cùm Latinè nominatur *Salus*, à Punicis intelligantur *Tria* ; & cùm Punici linguâ suâ *Tria* nominant, Latinè intelligatur *Salus*. Chananæa enim, hoc est, Punica mulier, de finibus Tyri & Sydonis egressa, quæ in Evangelio personam Gentium gerit, salutem petebat filiæ suæ, cui responsum est à
Matth. 15. 26. Domino, Non est bonum panem filiorum mittere canibus. Quod crimen objectum illa non negans, tamquam de confessione peccatorum impetratura salutem filiæ, hoc est novæ vitæ suæ, Ita, inquit, « Domine, nam & canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Tria* enim mulieris linguâ *Salus* vocantur : erat enim Chananæa. Unde interrogati rustici nostri quid sint, Punicè respondentes *Chanani*, corruptâ scilicet, sicut in talibus solet, unâ litterâ, quid aliud respondent quàm Chananæi ? Petens itaque salutem, Trinitatem petebat : quia & Romana lingua, quæ in salutis nomine Trinitatem Punicè sonat, caput Gentium inventa est in adventu Domini : & diximus, Chananæam mulierem, Gentium sustinere personam. Panem autem appellans Dominus id ipsum

Valerius episcopus Hipponensis.

[a] Sic Vaticanus MS. At editi, *roborabitur*.

[b] Vaticanus MS. *in domo Dei*.

quod à muliere petebatur, quid aliud quàm Trinitati adtestatur ? Namque alio loco eamdem Trinitatem in tribus panibus intelligendam esse, apertissimè docet. Sed hæc verborum consonantia, sive provenerit, sive provisa sit, non pugnaciter agendum est, ut ei quisque consentiat, sed quantum interpretantis elegantiam hilaritas audientis admittit.

De peccato in Spiritum-sanctum.

14. Illud sanè magna intentione animi considerandum, & totis viribus pietatis amplectendum satis apparet, quoniam si gratia & pax ad implendam Trinitatis commemorationem sic ab Apostolo ponitur, ac si Spiritum-sanctum nominasset : ille peccat in Spiritum-sanctum, qui desperans, vel irridens atque contemnens prædicationem gratiæ per quam peccata diluuntur, & pacis per quam reconciliamur Deo, detrectat agere pœnitentiam de peccatis suis, & in eorum impia atque mortifera quadam suavitate perdurandum sibi esse decernit, &
Matth. 12. 32. in finem usque perdurat. Quod ergo ait Dominus,
Luc. 12.10. dimitti homini, si verbum dixerit adversùs filium hominis : si autem verbum dixerit adversùs Spiritum-sanctum, non ei dimitti, neque hîc, neque in futuro sæculo, sed reum esse æterni peccati, non negligenter audiendum est. Constituamus enim aliquem Latinæ linguæ ignarum, cùm illo audiente pronuntiatus fuerit ab aliquo Spiritus-sanctus, quærere quid rerum significetur sub isto syllabarum sono : ab aliquo autem deceptore vel irrisore impio responderi aliquid aliud, quodlibet vile & abjectum, ut quærentem decipiat, sicuti à talibus fieri solet ridendi gratiâ : illum autem per ignorantiam contemsisse hoc nomen, dum nescit quid significet, & aliqua etiam in hoc convicia jactitasse : neminem esse arbitror tam vanum & inconsideratum, qui hunc hominem ullo crimine impietatis adspergat. At contrà, si tacito nomine res ipsa verbis quibus potest ad quærentis intelligentiam perducatur, tum verò contumeliosè in tantam sanctitatem vel verba vel facta protulerit, reus tenebitur. Quæ cùm ita sint, manifestum esse arbitror, eum qui hoc nomine audito, aliam pro alia rem significari putaverit ; & adversùs eam rem quam significari hoc nomine credidit, verbum dixerit : non hunc sic peccare, ut adversùs Spiritum-sanctum verbum dixisse judicetur. Ita quoque si quisquam quærens quid sit Spiritus-sanctus, audiat ab imperito, hunc esse Filium Dei per quem facta sunt omnia, qui etiam certa opportunitate temporis de virgine natus sit, & occisus sit à Judæis, & resurrexerit, quibus auditis vel neget vel irrideat quæ dicta sunt : non eum sic teneri putandum est, ac si verbum adversùs Spiritum-sanctum dixerit ; sed potiùs adversùs Filium Dei, vel filium hominis, sicut & vocari & esse dignatus est. Non enim quid sit imperito per vocem propositum, sed per rationem expositum, considerandum est. Quia ille cùm maledicta proferret, ei utique maledicebat, quem sibi enarratum in cogitatione intuebatur. Quodlibet autem vocaretur, utrùm res ipsa veneranda, an neganda, vel vituperanda esset, hoc quæritur. Hoc modo etiam si quispiam quærat quis sit Jesus Christus ; & ea quæ-
renti respondeantur quæ non in Filium Dei, sed potiùs in Spiritum-sanctum conveniunt, quibus auditis ille blasphemet : non utique adversùs Filium, sed adversùs Spiritum-sanctum verbum dixisse tenebitur.

15. Sed si transitoriè ac negligenter adtenderimus quod dictum est, Si quis verbum dixerit adversùs Spiritum-sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro : quis inveniri poterit cui veniam peccatorum dederit Deus ? Nam & Pagani qui appellantur, etiam nunc totam nostram religionem, quia jam ferro & cædibus prohibentur, maledictis contumeliisque infectantur ; & quidquid de ipsa Trinitate dicimus, negando & blasphemando contemnunt. Non enim excipiunt sibi Spiritum-sanctum quem venerentur, ut in cetera sæviant : sed simul adversùs omnia quæcumque sollicitè de trina Dei majestate loquimur, quanto possunt furore impietatis oblatrant. Nam neque de ipso Deo Patre digna sentiunt, quem partim penitus negant, partim sic fatentur, ut de illo falsa fingendo, non utique illum, sed sua figmenta venerentur. Multò magis ergo quod de Filio Dei, vel de Spiritu-sancto dicimus, suo impio more deridere, quàm nostra pia societate colere maluerunt. Quos tamen, quantum possumus, adhortamur ad Christum cognoscendum, & per ipsum Patrem Deum, summoque & vero Imperatori militandum esse suademus ; eosque promissa impunitate præteritorum omnium peccatorum invitamus ad fidem. Qua in re satis judicamus, etiam si quid adversùs Spiritum-sanctum in sua sacrilega superstitione dixerunt, cùm Christiani facti fuerint, sine ulla caligine dubitationis ignosci. Judæi verò quales adversùs Spiritum-sanctum fuerint, testis est Stephanus, quem ipso Spiritu-sancto plenum lapidaverunt, cùm illa omnia quæ in eos dixit, ipse Spiritus dixerit. In quibus verbis apertissimè dictum est Judæis, Vos semper restitistis Spiritui-sancto. In illo
Act. 7. 51. tamen numero Judæorum resistentium Spiritui-sancto, & non ob aliud Stephanum vas ejus, nisi quòd ipse eo plenus erat, lapidantium, etiam Paulus apostolus erat, in manibus omnium quorum vestimenta servabat : quod ipse sibi postea etiam pœnitendo increpitat, eo ipso Spiritu jam plenissimus, cui primò inanissimus resistebat, & paratus jam lapidari pro talibus dictis, qualium prædicatorem ipse lapidaverat. Quid Samaritani, nonne ita Spiritui-sancto adversantur, ut ipsam prophetiam penitus conentur exstinguere, quæ per Spiritum-sanctum ministrata est ? Quorum tamen saluti & ipse Dominus adtestatur, in eo qui de decem leprosis mundatis solus reversus est ut ageret gratias, cùm esset Samaritanus ; & in illa muliere, cum qua ad puteum
Luca 17.15. *Johan.* 4. 7. sextâ horâ locutus est, vel eis qui per illam crediderunt. Post Domini autem adscensionem, sicut in Actibus Apostolorum scriptum est, quanta gratula-
Act. 8. 9. tione sanctorum recipit Samaria verbum Dei ? Simonem quoque magum arguens Petrus apostolus, quòd tam malè de Spiritu-sancto senserit, ut eum venalem putans pecuniâ sibi emendum popposcerit ; non tamen ita de illo desperavit, ut veniæ locum nullum relinqueret : nam benignè etiam ut eum pœniteret admonuit. Ipsa denique catholicæ Ecclesiæ tam insignis auctoritas, quæ in eodem dono Spiritus-sancti omnium sanctorum mater toto fecunda orbe diffunditur, cui umquam hæretico vel schismatico spem liberationis, si se corrigat, amputavit ? cui placandi Dei aditum clausit ? Nonne omnes ad ubera sua, quæ superbo fastidio reliquerunt, cum lacrymis revocat ? Quis verò vel de principibus, vel de gregibus hæreticorum invenitur, qui non adversetur Spiritui-sancto ? Nisi fortè quisquam tam perversè sentit, ut arbitretur eum teneri reum, qui adversùs Spiritum-sanctum aliquid

dixerit; eum verò qui adversùs Spiritum-sanctum multa fecerit, non teneri. Qui autem tantâ evidentiâ contra Spiritum-sanctum pugnant, quàm illi qui adversùs Ecclesiæ pacem superbissimis contentionibus sæviunt? Sed si de verbis quæstio est, quæro utrùm nihil dicant adversùs Spiritum-sanctum, cùm
Sabelliani. alii eum, quod ad ipsum propriè pertinet, omnino non esse asseverent; sed ita esse unum Deum, ut idem ipse Pater, idem ipse Filius, idem ipse Spi-
Ariani. ritus-sanctus appelletur. Alii fateantur quidem esse Spiritum-sanctum; sed æqualem Filio, vel omnino
Manichæi. esse Deum negent. Alii unam quidem & eamdem Trinitatis substantiam esse fateantur, sed de ipsa divina substantia tam impiè sentiant, ut eam commutabilem & corruptibilem putent; ipsumque Spiritum-sanctum, quem Dominus discipulis se missurum esse promisit, non quinquagesimo die
Act. 2. 1. post ejus resurrectionem, sicut Apostolorum Acta testantur, sed post trecentos ferè annos per homi-
Cataphryges. nem venisse confingant. Alii similiter adventum ejus, quem tenemus, negent; & eum Prophetas in Phrygia, per quos tantò pòst loqueretur, elegisse
Donatistæ. contendant. Alii sacramenta ejus exsufflent, & baptizatos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, denuo baptizare non dubitent. Sed ne pergam per singula, quæ sunt innumerabilia, his certè omnibus quos pro tempore breviter adtigi, ad sponsam Christi redeuntibus, & errorem atque impietatem pœnitendo damnantibus, nulla catholica disciplina negandam Ecclesiæ pacem, & claudenda viscera misericordiæ judicavit.

16. Quòd si quisquam tunc putat verbum dici adversùs Spiritum-sanctum, cùm ab eo dicitur cui jam per baptismum dimissa sunt peccata: adtendat nec talibus per Ecclesiæ sanctitatem auferri pœnitentiæ locum. Si enim propterea credit non dari veniam ei, quia gratiâ fidei sacramentisque fidelium jam perceptis non potest dici peccasse ignorantiâ: videat aliam caussam esse, cùm dicitur propterea non ignosci, quia non ignorantiæ tempore peccatum est; & aliam caussam esse, cùm dicitur propterea non ignosci, quia verbum dixit adversùs Spiritum-sanctum. Si enim sola ignorantia veniam meretur, & ignorantia non accipitur nisi antequam quisque fuerit baptizatus; non solùm si adversùs Spiritum-sanctum, sed etiam si adversùs filium hominis post baptismum dixerit verbum; & omnino si qua fornicatione, vel homicidio, vel ullo flagitio, aut facinore post baptismum sese maculaverit, non potest pœnitendo curari. Quod qui senserunt exclusi sunt à communione catholica; satisque judicatum est, eos in illa crudelitate, divinæ misericordiæ participes esse non posse. Si autem illud solum, quod adversùs Spiritum-sanctum dicitur, sine venia esse post acceptum baptismum putatur: primò Dominus cùm inde loqueretur, nullum
Matth. 12. 32. Luc. 12. 10. tempus excepit, sed regulariter ait, Qui dixerit verbum adversùs Spiritum-sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Deinde Simon, quem paulò antè commemoravi, jam
Act. 8. 13. baptismum acceperat, cùm Spiritum-sanctum turpissimo mercatui subditum credidit: cui correpto à se Petrus tamen consilium pœnitendi dedit. Quid autem de iis, qui cùm baptismi sacramenta pueri vel etiam infantes perceperint, postea negligenter educati, per ignorantiæ tenebras vitam turpissimam ducunt, nescientes omnino quid Christiana disciplina jubeat aut vetet, quid pollicea-
A tur, & quid minetur, quid credendum, quid sperandum, quid diligendum sit; num audebimus peccata eorum propterea non ignorantiæ deputare, quia baptizati peccaverunt, cùm omnino ignorantes, & omnino, quemadmodum dicitur, ubi caput haberent nescientes, in magno errore peccaverint?

17. Quòd si eo tempore cum scientia quisque peccasse dicatur, quo scit malum esse quod facit, & tamen facit; cur hoc in Spiritum-sanctum solum, non etiam in Dominum Jesum Christum irremissibile judicatur? Aut si hoc ipsum esse creditur peccare, vel verbum dicere adversùs Spiritum-sanctum, quodlibet peccatum cum scientia committere; ut quidquid homines ignorando peccant, in Filium peccare; quidquid autem scientes peccant, in Spiritum-sanctum peccare judicentur: quæro quis nesciat malum esse, verbi gratiâ, corrumpere pudicitiam uxoris alienæ, vel eo ipso certè quòd hoc in sua conjuge nollet perpeti; aut fraudare
C quemquam in negotio, aut circumvenire mendacio, aut opprimere testimonii falsitate, aut auferendæ rei ejus caussâ insidiari, & occidere quempiam; & si quid omnino est quod sibi ab altero fieri non vult, & si fieri senserit, toto corde indubitanter accusat? Aut si hæc ab ignorantibus fieri dicimus, quid invenimus in quo scientes homines peccare videantur? Restat ergo ut, si hoc est peccare in Spiritum-sanctum, peccare cum scientia, illis peccatis quæ commemoravi negetur pœniten-
D di locus; quoniam peccato in Spiritum-sanctum omnem spem veniæ Dominus amputavit: quod si regula Christiana respuit, omnesque illos qui sic peccant, ad correctionem vitæ vocare non cessat; adhuc quærendum est quid sit peccare in Spiritum-sanctum, cui peccato venia nulla conceditur.

18. An fortè non est dicendus cum scientia peccare, qui peccatum ipsum malum esse novit, & tamen Deum voluntatemque ejus ignorans peccat? Hoc enim videtur ad Hebræos dicere, cùm dicit,
E Voluntariè enim peccantibus nobis postquam ac- Hebr. 10. 26.
cepimus scientiam veritatis, non adhuc relinquitur pro peccatis sacrificium. Parum enim erat, si tantummodo diceret, Voluntariè peccantibus nobis, nisi adderet, postquam accepimus scientiam veri- "
tatis: in qua utique Deus voluntasque ejus cognos- "
citur. Quæ scientia videtur congruere Dominicæ Luc. 12.
illi sententiæ, cùm ait, Servus ignorans voluntatem domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit " 47.
pauca, servus autem sciens voluntatem domini sui, "
F & faciens digna plagis, vapulabit multa. Ut hoc "
putemus dictum esse, quod dictum est, vapulabit pauca, tamquam si diceret, leviter emendatus ad veniam pertinebit: in eo verò quod dictum est, vapulabit multa, sempiternum supplicium intelligatur, quod minatur peccantibus in Spiritum-sanctum, quibus dicit numquam posse dimitti peccatum: ut hoc sit peccare in Spiritum-sanctum, cognita Dei voluntate peccare. Quod si ita est, cogitari oportet, & discuti priùs quando cognoscatur voluntas Dei. Nonnulli enim & ante perceptum baptismi sacramentum cognoverunt eam.
Nam & Cornelius Centurio voluntatem Dei uti- Act. 10. 1. &c.
que apostolo Petro docente cognovit, & ipsum Spiritum-sanctum manifestissimis coadtestantibus signis, antequam baptizaretur, accepit: quamquam non ideo sacramenta illa contemserit, sed multò certiùs baptizatus sit; ut etiam ipsa sacro-

sancta signacula, quorum res in eo præcesserat, ad
A ei relinquatur pro peccatis sacrificium, hoc est, non possit denuo baptizari: nec tamen omnis qui non accepit per doctrinam scientiam veritatis, debeat arbitrari posse pro se illud offerri sacrificium, si jam oblatum est; id est, si jam ejusdem veritatis per baptismum sacramenta percepit, non potest iterum baptizari. Tamquam si diceremus, omnem hominem non esse quadrupedem, non ideo tamen omne animal quod homo non est, etiam quadrupes esse. Eos enim qui jam baptizati fuerint, curari
Matth. 22. 40. B meliùs dicimus per pœnitentiam, non renovari: quia renovatio in baptismo est. Ubi quidem operatur pœnitentia, sed tamquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari ædificium potest: si autem fundamentum iterare quis voluerit, totum ædificium subvertat necesse est. Propterea hoc dicit Hebræis, qui ex novo Testamento ad sacerdotium vetus declinasse videbantur: Ideoque Hebr. 6. 1. remittentes, inquit, initii Christi verbum, in con- " & 2.
summationem respiciamus, non iterum jacientes "
C fundamentum pœnitentiæ à mortuis operibus, & "
Galat. 6. 1. fidei in Deum, lavacri doctrinæ, impositionis manûs, resurrectionis etiam mortuorum, & judicii æ- "
terni. Ista omnia in baptismo traduntur, quæ negat esse repetenda, utique in consecrandis fidelibus. Nam in verbi Dei tractatione atque doctrina, non iterum tantùm, sed sæpius dicenda sunt, sicut rerum de quibus differitur opportunitas flagitat.

20. An verò jam illud occurret, ut non jam si quodlibet peccatum sciens admiserit, sed si propriè peccatum in Spiritum-sanctum sciens admiserit, tunc non habere veniam judicetur? Quo loco quæri
2. Reg. 11. 2. & cap. 12. 1. D potest, utrùm scirent Judæi per Spiritum-sanctum operari Dominum, quando eum in principe dæmoniorum dæmonia excludere blasphemabant? Mi- Matth. 9. 34.
ror autem quomodo possent in illo Spiritum-sanctum cognoscere, cùm ipsum Dominum Filium Dei esse nescirent: in illa scilicet cæcitate, quæ ex
Luc. 12. 47. parte in Israël facta est, donec plenitudo Gentium Rom. 11. 25.
intraret. De qua opportunius suo loco, Domino adjuvante atque permittente, tractabitur. Deinde si dijudicatio spirituum illa intelligitur, qua quisque dijudicat, utrùm in quoquam Spiritus-sanctus, an fallaciæ spiritus operetur; hæc autem dijudicatio certo quodam tempore per Spiritum-sanctum fi- 1. Cor. 12. 10.
delibus datur, sicut alio loco idem Apostolus dicit; quomodo poterant infideles Judæi sine isto munere dijudicare, utrùm per Spiritum-sanctum Dominus operaretur: & tamen in eis, ut justâ pœnâ ferirentur, apertissima indicia malevolentiæ claruerunt, & cùm falsos testes in eum compararunt, & Matth. 26. 60.
submiserunt simulatores qui eum in verbo caperent; & cùm tremenda mirabilia, quæ in ejus re- Matth. 22. 16.
surrectione facta sunt, eis renuntiarentur, famam Matth. 28. 13.
falsam disseminare, ac veritatem abscondere, custodum corruptione conati sunt; & alia malitiosi & venenosi animi signa in eis, quantum Evangelica narratio demonstrat, apparuerunt.

21. Unde jam velut incœpit elucere, eum peccare in Spiritum-sanctum, qui operibus quæ per Spiritum-sanctum fiunt, malevolo animo contradicit. Quamquam enim nesciat utrùm ille sit Spiritus-sanctus; tamen qui hoc animo est, ut ea opera quibus invidet, malit non esse Spiritus-sancti; non quia mala sunt, sed quia invidet eis, quia ipsi bonitati est contrarius per malitiam suam; rectè in Spiritum-sanctum peccare judicatur. Verumtamen si ex eo quoque hominum numero, quibus Dominus

illud crimen objicit, veniens ad fidem Christi, & pœnitendi cruciatibus edomitâ invidiâ salutem cum lacrymis poscens, sicut etiam nonnulli eorum fortasse fecerunt; quæro utrùm quisquam tanto errore crudescat, ut aut neget eos ad Christi baptismum admitti oportuisse, aut frustra admissos esse contendat? Nam si *quis per invidiam opera divina blasphemat, quoniam bonis Dei, hoc est donis Dei malitiâ suâ resistit, in Spiritum-sanctum peccare, & propterea spem veniæ non habere existimandus est; adtendamus utrùm ex eo numero fuerit apostolus Paulus. Dicit enim, 1. Tim. 1. 13. » Qui priùs fui blasphemus, & persecutor & injurio- » sus, sed misericordiam consecutus sum, quia igno- » rans feci in incredulitate. An fortè ideo non perti- » nuit ad hoc genus criminis, quia non erat invidus? Tit. 3. 3. » Audiamus quid alibi dicat: Fuimus enim, inquit, » & nos stulti aliquando & increduli, errantes, ser- » vientes voluptatibus & desideriis variis, in malitia » & invidia agentes, abominabiles, invicem odio » habentes.

22. Si ergo nec Paganis, nec Hebræis, nec hæreticis, aut schismaticis nondum baptizatis, ad baptismum Christi aditus clauditur, ubi condemnatâ vitâ priore in melius commutentur; quamvis Christianitati & Ecclesiæ Dei adversantes antequam Christianis sacramentis abluerentur, etiam Spiritui-sancto quanta potuerunt infestatione restiterint: si etiam hominibus, qui usque ad sacramentorum perceptionem veritatis scientiam percepe- runt, & post hæc lapsi Spiritui-sancto restiterunt, ad sanitatem redeuntibus, & pacem Dei pœnitendo quærentibus, auxilium misericordiæ non negatur: si denique de illis ipsis, quibus blasphemiam in Matth. 12. 31. Spiritum-sanctum ab eis prolatam Dominus objecit, si qui resipiscentes ad Dei gratiam confugerunt, sine ulla dubitatione sanati sunt: quid aliud restat, nisi ut peccatum in Spiritum-sanctum, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro dimitti Dominus dicit, nullum intelligatur nisi perseverantia in nequitia & in malignitate, cùm desperatione indulgentiæ Dei? Hoc est enim gratiæ illius & paci resistere, de quibus nobis sermo nunc ortus est. Nam hinc licet advertere, etiam ipsis Judæis, quorum blasphemiam Dominus arguit, non fuisse clausum corrigendi se & pœnitendi locum, quòd idem Ibidem 33. Dominus in ea ipsa reprehensione ait illis, Aut fa- » cite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut » facite arborem malam, & fructum ejus malum. Quod utique nulla ratione diceretur eis, si propter illam blasphemiam jam commutare animum in melius, & rectè factorum fructus generare non possent, aut frustra etiam sine peccati sui dimissione generarent.

23. Ergo quia Dominus in Spiritu Dei expellebat dæmonia, ceterosque humanorum corporum morbos languoresque sanabat, non ob aliud nisi Matth. 3. 2. ut crederetur dicenti sibi, Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum. Invisibiliter enim peccata dimittuntur, cui dimissioni fidem miraculis comparabat: quod in illo paralytico mani- Matth. 9. 2. festissimè ostenditur. Cùm enim primò ei donum Marci 2. 5. visibile obtulisset, propter quod venerat, non enim Iohan. 5. 17. jam venerat filius hominis, ut judicaret sæculum, sed ut servaret sæculum: cùm ergo dixisset, Dimissa sunt tibi peccata: murmuratumque esset à Judæis indignantibus quòd eis tantam potestatem sibi Marci 2. 9. & 6. arrogasse videretur: Quid est, inquit, facilius dicere, Dimissa sunt tibi peccata, an dicere, Surge & ambula? Ut sciatis autem, quia potestatem habet filius hominis dimittere peccata, (dicit paralytico,) Tibi dico surge, tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam. Quo facto, & quibus dictis, satis declaravit, ideo se illa facere in corporibus, ut crederetur animas peccatorum dimissione liberare, id est, ut de potestate visibili potestas invisibilis mereretur fidem. Quia ergo in Spiritu Dei faciebat illa omnia, ut gratiam pacemque hominibus largiretur, *gratiam in remissione peccatorum, pacem in reconciliatione Dei, à quo separant sola peccata: cùm dixissent Judæi quòd in Beelzebub ejiceret dæmonia, misericorditer eos voluit admonere, ne verbum dicerent, & blasphemiam in Spiritum-sanctum, hoc est, ne gratiæ Dei pacique resisterent, quam per Spiritum-sanctum donare Dominus venerat. Non quia jam hoc fecerant, quod sibi neque in hoc sæculo, neque in futuro dimitteretur; sed ne desperando de venia, aut quasi de sua justitia præsumendo, & pœnitentiam non agendo, aut perseverando in peccatis, hoc facerent: hoc modo enim dicerent verbum, hoc est blasphemiam in Spiritum-sanctum, in quo Dominus signa illa propter largiendam gratiam pacemque faciebat, si perseverantiâ peccatorum ipsi gratiæ pacique resisterent. Verbum enim dicere, non ita videtur hîc positum, ut tantummodo illud intelligatur, quod per linguam fabricamus, sed quod corde conceptum, etiam opere exprimimus. Sicut enim non confitentur Deum, qui tantùm oris sono confitentur, non etiam bonis operibus: nam de his dictum est, Confitentur enim se nosse Tit. 1. 16. Deum, factis autem negant. Ex quo manifestum est dici aliquid factis, sicut manifestum est negari aliquid factis. Et sicut illud quod ait Apostolus, Ne- 1. Cor. 12. 3. mo dicit Dominus Jesus, nisi in Spiritu-sancto: non potest rectè intelligi, nisi in factis dicere intelligatur. Non enim hoc in Spiritu-sancto dicere putandi sunt, quibus ipse Dominus dicit, Ut quid mihi dici- Luca 6. 46. tis, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis? & illud, Non omnis qui mihi dicit, Domine, Do- Matth. 7. mine, intrabit in regnum cælorum. Sic etiam qui 21. hoc verbum, quod sine venia vult intelligi Dominus, in Spiritum-sanctum dicit, hoc est, qui desperans de gratia & pace quam donat, in peccatis suis perseverandum sibi esse dicit, dicere intelligendus est factis: ut quomodo illi factis Dominum negant, sic isti factis dicant se in mala vita sua & perditis moribus perseveraturos, & ita faciant, hoc est perseverent. Quod si faciunt, quis jam miretur, aut quis non intelligat, & Dominum Jesum Christum per illam comminationem ad pœnitentiam vocasse Judæos, ut eis in se credentibus gratiam pacemque donaret; & huic gratiæ pacique resistentibus, & hoc modo verbum atque blasphemiam in Spiritum-sanctum dicentibus, hoc est, in peccatis suis desperata atque impia mentis obstinatione perseverantibus, & adversùs Deum sine humilitate confessionis atque pœnitentiæ superbientibus, neque in hoc sæculo, neque in futuro veniam posse concedi? Quæ si ita sunt, opportunitate tractandi de gratia & pace, quæ nobis est à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo, magna & difficillima eodem ipso Domino largiente quæstio dissoluta est. Quisquis autem adhuc de re tanta diligentiorem considerationem tractationemque desiderat, in Evangelii tractatione atque in verbis

*f. qui, vel quisquis.

* 1 Retract. lib. 1. c. 25.

Matth. 12. 24.

Evangelistarum sibi desideranda esse cognoscat: & A meminerit nos nunc Epistolam Pauli apostoli ad Romanos suscepisse tractandam, cujus Epistolæ textum consequentem in aliis voluminibus, si Dominus voluerit, vestigabimus, ut hujus jam tandem iste sit modus.

DE SUBSEQUENTI OPERE.

Libri I. Retract. Caput XXIV.

POST hunc * librum exposui ejusdem Apostoli Epistolam ad Galatas, non carptim, id est, aliqua prætermittens, sed continuanter & totam. Hanc autem expositionem uno volumine comprehendi. In quo illud quod dictum est, *Priores ergo Apostoli veraces, qui non ab hominibus, sed à Deo per hominem missi sunt, per Iesum Christum scilicet adhuc mortalem. Verax etiam novissimus Apostolus, qui per Iesum Christum totum jam Deum post resurrectionem ejus missus est*: propter immortalitatem dictum est, *totum jam Deum*, quam post resurrectionem habere cœpit; non propter divinitatem semper immortalem, à qua numquam recessit, in qua totus Deus erat, & cùm moriturus adhuc erat. Hunc autem sensum sequentia manifestant: adjunxi enim dicens, *Priores sunt ceteri Apostoli per Iesum Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem: novissimus est apostolus Paulus per Iesum Christum jam totum Deum, id est ex omni parte immortalem.* Hoc enim dixi, exponens quod ait Apostolus, *Non ab hominibus, neque per ho-* Gal. 1. 1. *minem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem*: quasi jam Jesus Christus non sit homo. Sequitur enim, *Qui suscitavit illum à mortuis*: ut hinc appareret cur dixerit, *neque per hominem.* Proinde propter immortalitatem jam nunc non homo Christus Deus: propter substantiam verò naturæ humanæ, in qua adscendit in cælum, etiam nunc mediator Dei & hominum homo Christus Jesus; quoniam sic veniet quo- 1. Tim. 2. 5. modo eum viderunt qui viderunt euntem in cælum? Act. 1. 11.

2. Item quod dixi, *Gratia Dei est qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo, pax autem qua reconciliamur Deo*, sic accipiendum est, ut tamen sciamus etiam utrumque ad generalem Dei gratiam pertinere: quomodo in populo Dei aliud specialiter Israël, aliud Judas; & tamen utrumque generaliter Israël. Item cùm exponerem, *Quid ergo Lex transgressionis gratiâ proposita est*: ita distinguendum putavi: Gal. 3. 19. ut interrogatio esset. *Quid ergo?* Ac deinde responsio. *Lex transgressionis gratiâ proposita est.* Quod quidem non abhorret à vero; sed melior mihi videtur ista distinctio, ut interrogatio sit, *Quid ergo Lex?* & inferatur responsio, *Transgressionis gratiâ proposita est.* Quod autem dixi, *Ordinatissimè itaque subjunxit, Quòd si spiritu ducimini, non adhuc estis sub Lege: ut intelligamus eos esse sub Lege, quorum spiritus ita* Gal. 5. 18. *concupiscit adversùs carnem, ut non ea quæ volunt faciant, id est non se teneant invictos in caritate justitiæ, sed à concupiscente adversùm se carne vincantur*, hoc ex illo sensu est, quo sentiebam id quod dictum est, *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, hæc enim sibi invicem adversantur, ut non* Gal. 5. 17. *ea quæ vultis faciatis*, ad eos pertinere qui sub Lege sunt, nondum sub gratia. Adhuc enim non intelleXeram hæc verba, & illis qui sub gratia sunt, non sub Lege, propterea convenire, quia & ipsi concupiscentias carnis, contra quas spiritu concupiscunt, quamvis eis non consentiant, nollent tamen ullas haberé si possent: & ideo non quæcumque volunt faciunt, quia volunt eis carere, nec possunt. Tunc enim eas non habebunt, quando nec corruptibilem carnem. Hic liber sic incipit: *Caussa propter quam scribit Apostolus.*

* Scil. Expositionem quarumdam propositionum ex Epist. ad Rom.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
EPISTOLÆ AD GALATAS
EXPOSITIONIS LIBER UNUS. *

* Scriptus circiter Christi an. 394. scilicet Augustino adhuc presbytero; ex lib. 1. Retract. c. 23. & 24.

Præfatio. 1. AUSSA propter quam scribit Apostolus ad Galatas, hæc est, ut intelligant gratiam Dei id secum agere, ut sub Lege jam non sint. Cùm enim prædicata eis esset Evangelii gratia, non defuerunt quidam ex circumcisione, quamvis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, & adhuc volentes esse sub oneribus Legis, quæ Dominus Deus imposuerat, non justitiæ servientibus, sed peccato, justam scilicet Legem C injustis hominibus dando ad demonstranda peccata eorum, non auferenda. Non enim aufert peccata nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur. Sub hac ergo gratia jam Galatas constitutos, illi volebant constituere sub oneribus Legis, asseverantes nihil eis prodesse Evangelium, nisi circumciderentur, & ceteras carnales Judaïci ritus observationes subirent. Et ideo Paulum apostolum suspectum habere cœperant, à quo illis Evangelium prædicatum erat, tamquam non tenentem disciplinam ceterorum Apostolorum, qui Gentes cogebant judaïzare. Cesserat enim talium hominum scandalis apostolus Petrus, & in simulationem

ductus erat, tamquam & ipse hoc sentiret, nihil prodesse Gentibus Evangelium, nisi onera Legis implerent: à qua simulatione idem apostolus Paulus eum revocat, sicut in hac ipsa Epistola docet. Talis quidem quæstio est & in Epistola ad Romanos: verumtamen videtur aliquid interesse, quòd ibi contentionem ipsam dirimit, litemque componit, quæ inter eos qui ex Judæis, & eos qui ex Gentibus crediderant, orta erat, cùm illi tamquam ex meritis operum Legis sibi redditum Evangelii præmium arbitrarentur, quod præmium incircumcisis tamquam immeritis nolebant dari; illi contrà Judæis se præferre gestirent, tamquam interfectoribus Domini: in hac verò Epistola ad eos scribit, qui jam commoti erant auctoritate illorum qui ex Judæis erant, & ad observationes Legis cogebant: cœperant enim eis credere, tamquam Paulus apostolus non vera prædicasset, quòd eos circumcidi noluisset. Et ideo sic cœpit: *Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gloriam Christi, in aliud Evangelium.* Hoc ergo exordio caussæ quæstionem breviter insinuavit. Quamquam & ipsa salutatione, cùm dicit se Apostolum, *non ab hominibus, neque per hominem*, quod in nulla alia Epistola dixisse invenitur, satis ostendit, & illos qui talia persuadebant, non esse à Deo, sed ab hominibus; & ceteris Apostolis, quantum ad auctoritatem testimonii Evangelici pertinet, imparem se haberi non oportere: quandoquidem non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem se Apostolum noverit. Singula igitur ab ipso Epistolæ vestibulo, permittente Domino & adjuvante studium nostrum, sic consideranda & tractanda suscepimus.

Gal. 2 14.

Galat. 1. 6.

Ibidem 1.

Expositio Cap. 1. v 1.

2. PAULUS *apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit illum à mortuis,* * *& qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiæ.* Qui ab hominibus mittitur, mendax est: qui per hominem mittitur, potest esse verax, quia & Deus verax potest per hominem mittere: qui ergo neque ab hominibus, neque per hominem, sed per Deum mittitur, ab illo verax est, qui etiam per hominem missos veraces facit. Priores ergo Apostoli veraces, qui non ab hominibus, sed à Deo per hominem missi sunt, per Jesum Christum scilicet adhuc mortalem. Verax etiam novissimus Apostolus, qui per Jesum Christum * totum jam Deum post resurrectionem ejus missus est. Priores sunt ceteri Apostoli per Christum adhuc ex parte hominem, id est, mortalem: novissimus est Paulus apostolus, per Christum jam totum Deum, id est, omni ex parte immortalem. Sit ergo testimónii ejus æqualis auctoritas, in cujus honorem implet clarificatio Domini, si quid habebat ordo temporis minùs. Ideo enim cùm dixisset, *Et Deum Patrem*, addidit, *qui suscitavit illum à mortuis*: ut etiam ex hoc modo breviter jam à clarificato missum se esse commemoraret.

v. 2.

* 1. Retract. 24. n. 1.

3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino Jesu Christo.* Gratia Dei est, * qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo; pax autem, qua reconciliamur Deo. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos de præsenti sæculo maligno.* Sæculum præsens malignum propter malignos homines, qui in eo sunt, intelligendum est: sicut dicimus & malignam domum, propter malignos inhabitantes in ea. *Secundùm voluntatem Dei & Patris nostri,* * *cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Quantò igitur magis homines non debent arroganter ad seipsos referre, si quid operantur boni; quando & ipse Dei Filius in Evangelio, non gloriam suam se quærere dixit, neque voluntatem suam venisse facere, sed voluntatem ejus qui eum misit? Quam voluntatem gloriamque Patris nunc commemoravit Apostolus, ut ipse quoque Domini exemplo, à quo missus est, non se quærere gloriam suam significaret, nec facere voluntatem suam in prædicatione Evangelii, sicut paulò pòst dicit, Si hominibus placerem, Christi servus non essem.

Galat. 1. 3. * 1. Retract. 24. n. 2. v. 4.

v. 5.

Johan. 8 50. Johan. 6. 38. Gal. 1 10.

4. * *Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gloriam Christi, in aliud Evangelium,* * *quod non est aliud.* Evangelium enim si aliud est, præter id quod, sive per se, sive per aliquem Dominus dedit; jam nec Evangelium rectè dici potest. Vigilanter autem, cùm dixisset, *transferimini ab eo, qui vos vocavit*, adjunxit, *in gloriam Christi*, quam volebant illi evacuare, quasi frustra venerit Christus, si jam circumcisio carnis atque hujusmodi opera Legis tantum valebant, ut per illa homines salvi fierent. *Nisi aliqui sunt conturbantes vos, & volentes convertere Evangelium Christi.* Non quemadmodum istos conturbant, ita etiam convertunt Evangelium Christi, quia manet firmissimum: sed tamen convertere volunt, qui ab spiritalibus ad carnalia revocant intentionem credentium. Illis enim ad ista conversis, manet Evangelium non conversum. Et ideo cùm dixisset, *conturbantes vos*, non dixit, & convertentes, sed, *volentes*, inquit, *convertere Evangelium Christi.* * *Sed licèt nos, aut Angelus de cælo vobis evangelizaverit præter quàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Veritas propter seipsam diligenda est, non propter hominem, aut propter Angelum, per quem annuntiatur. Qui enim propter annuntiatores diligit eam, potest etiam mendacia diligere, si qua fortè ipsi sua protulerint. *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit, præter quàm quod accepistis, anathema sit.* Aut præsens hoc prædixerat, aut quia iteravit quod dixit, propterea voluit dicere, *Sicut prædiximus.* Tamen ipsa iteratio saluberrimè intentionem movet ad firmitatem retinendi eam, quæ sic commendatur, fidem.

v. 6. v. 7. v. 8. v. 9.

5. *Modò ergo hominibus suadeo, an Deo? aut quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Nemo Deo suadet, quia manifesta sunt illi omnia: sed hominibus ille bene suadet, qui non se illis placere vult, sed ipsam quam suadet veritatem. Qui enim placet hominibus, non ab ipsis suam gloriam quærens, sed Dei, ut salvi fiant, non jam hominibus, sed Deo placet: aut certè jam cùm & Deo placet simul & hominibus, non utique hominibus placet. Aliud est enim placere hominibus, aliud & Deo & hominibus. Item qui hominibus propter veritatem placet, non jam ipse illis, sed veritas placet. *Placerem* autem dixit quantum in seipso est, quantum ad ejus voluntatem adtinet: ac si diceret, placere vellem. Non enim si hoc eo non agente placeat alicui, quasi propter seipsum, & non propter Deum atque Evangelium quod annuntiat, superbiæ ipsius potiùs, quàm errori ejus cui perversè placet, tribuendum est. Iste itaque sensus est, Modò ergo hominibus suadeo, an Deo? aut quia hominibus suadeo, quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus quærerem placere, Christi servus non essem. Jubet enim ille servis suis, ut discant ab ipso mites esse

v. 10.

Matth. 11. 29.

esse & humiles corde. Quod nullo modo potest, qui propter seipsum, id est propter suam quasi privatam & propriam gloriam placere hominibus quærit. Dicit autem & alibi, Hominibus suademus, Deo autem manifestati sumus: ut intelligas quòd hîc ait, *Hominibus suadeo, an Deo?* non utique Deo, sed hominibus suadendum. Non ergo moveat, quod alibi dixit, Sicut & ego omnibus per omnia placeo. Addidit enim, Non quærens quod mihi prodest, sed quod multis, ut salvi fiant. Nulli autem prodest, ut salvus fiat, si homo ei propter seipsum placeat: qui non placet utiliter, nisi cùm propter Deum placet, id est, ut Deus placeat & glorificetur, cùm dona ejus adtenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur: cùm autem sic homo placet, non jam homo, sed Deus placet. Utrumque ergo rectè dici potest, & ego placeo, & non ego placeo. Si enim adsit bonus intellector, piusque pulsator, patebit utrumque, & nullâ inter se repugnantiâ repellet intrantem.

2. Cor. 5. 11.

1. Cor. 10. 33.

Gal. 1. v. 11.

6. * *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem.* * *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Evangelium quod secundùm hominem est, mendacium est. Omnis enim homo mendax: quia quidquid veritatis invenitur in homine, non est ab homine, sed à Deo per hominem. Ideo jam quod secundùm hominem est, nec Evangelium dicendum est: quale illi afferebant, qui in servitutem ex libertate adtrahebant eos, quos Deus ex servitute in libertatem vocabat.

v. 12.

Psal. 115. 11.

Gal. 1. v. 13.

7. *Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaïsmo, quia supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & vastabam illam,* * *& proficiebam in Judaïsmo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exsistens paternarum mearum traditionum.* Si persequendo & vastando Ecclesiam Dei proficiebat in Judaïsmo, apparet contrarium esse Judaïsmum Ecclesiæ Dei, non per illam spiritalem Legem quam acceperunt Judæi, sed per carnalem conversationem servitutis ipsorum. Et si æmulator, id est, imitator paternarum suarum traditionum persequebatur Paulus Ecclesiam Dei, paternæ ipsius traditiones contrariæ sunt Ecclesiæ Dei, non autem Legis illius culpa est; Lex enim spiritalis est, nec carnaliter se cogit intelligi: sed illorum vitium est, qui & illa quæ acceperunt, carnaliter sentiunt, & multa etiam sua tradiderunt, dissolventes, sicut Dominus dicit, mandatum Dei, propter traditiones suas.

v. 14.

Rom. 7. 14.

Matth. 15. 3.

Gal. 1. v. 15.

8. * *Cùm autem placuit Deo, qui me segregavit de ventre matris meæ, & vocavit per gratiam suam,* * *revelare Filium suum in me, ut annuntiarem eum in Gentibus, continuò non adquievi carni & sanguini.* Segregatur quodammodo de ventre matris, quisquis à carnalium parentum consuetudine cæca separatur: adquiescit autem carni & sanguini, quisquis carnalibus propinquis & consanguineis suis carnaliter suadentibus assentitur. *Neque veni in Jerosolymam ad præcessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & iterum reversus sum Damascum.* * *Deinde post annos tres, adscendi Jerosolymam videre Petrum, & mansi apud illum diebus quindecim.* Si cùm evangelizasset Paulus in Arabia, * postea vidit Petrum, non ideo ut per ipsum Petrum disceret Evangelium; nam antè eum utique vidisset: sed ut fraternam caritatem etiam corporali notitiâ cumularet. *Alium autem Apostolorum non vidi, nisi Jacobum fratrem Domini.* Jacobus Domini frater, vel ex filiis Joseph de alia uxore, vel ex cognatione Mariæ matris ejus debet intelligi.

v. 16. v. 17. v. 18. v. 19.

9. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Qui dicit, *Ecce coram Deo, quia non mentior*, jurat utique. Et quid sanctius hac juratione? Sed non est contra præceptum juratio quæ à malo est, non jurantis, sed incredulitatis ejus cui jurare cogitur. Nam hinc intelligitur ita Dominum prohibuisse à jurando, ut quantum in ipso est quisque non juret: quod multi faciunt in ore habentes jurationem tamquam magnum aut suave aliquid. Nam utique Apostolus noverat præceptum Domini, & juravit tamen. Non enim audiendi sunt, qui has jurationes esse non putant. Quid enim facient de illa, Quotidie morior per gloriam vestram, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro: quam Græca exemplaria manifestissimam jurationem esse convincunt. Quantum ergo in ipso est, non jurat Apostolus: non enim appetit jurationem cupiditate aut delectatione jurandi. Amplius est enim quàm, Est, est; non, non: & ideo à malo est, sed infirmitatis aut incredulitatis eorum, qui non aliter moventur ad fidem. * *Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ.* * *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ in Christo sunt.* Anima advertendum, non in sola Jerosolyma Judæos in Christum credidisse; nec tam paucos fuisse, ut Ecclesiis Gentium miscerentur; sed tam multos, ut ex illis Ecclesiæ fierent. * *Tantùm autem audientes erant, quia qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat:* * *& in me magnificabant Deum.* Hoc est quod dicebat, non se placere hominibus, utique per seipsum, sed ut in illo magnificaretur Deus: hoc est quod etiam Dominus dicit, Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

v. 20. Juratio quæ nam licita. 1. Cor. 15. 31. V. lib. 1. de Serm. Dom. in monte c. 17. n. 51. Matth. 5. 37. Gal. 1. v. 21. v. 22. v. 23. v. 24. Matth. 5. 16.

10. DEINDE *post annos quatuordecim iterum adscendi Jerosolymam cum Barnaba, adsumto etiam Tito.* Tamquam testimoniis pluribus agit, cùm etiam istos nominat. *Adscendi autem secundùm revelationem*: ne moveret eos quare vel tunc adscenderit, quòd tam diu non adscenderat. Quapropter si ex revelatione adscendit, tunc proderat ut adscenderet. *Et exposui illis Evangelium, quod prædico in Gentibus; seorsum autem his qui* [a] *videntur.* Quòd seorsum exposuit Evangelium, eis qui eminebant in Ecclesia, cùm jam illud exposuisset coram omnibus, non ideo factum est, quòd aliqua falsa dixerat, ut seorsum paucioribus vera diceret: sed aliqua tacuerat, quæ adhuc parvuli portare non poterant: qualibus se ad Corinthios lac dicit dedisse, non escam. Falsum enim dicere nihil licet: aliquando autem aliquid veri tacere, utile est. Perfectionem ipsius opus erat ut scirent ceteri Apostoli. Non enim sequebatur ut si fidelis esset, veramque & rectam teneret fidem, jam etiam Apostolus esse deberet. Illud autem quod subjungit, *Ne fortè in vacuum curro, aut cucurri*, non ad illos cum quibus seorsum contulit Evangelium, sed ad istos qui-

v. 2.

1. Cor. 3. 2.

Gal. 2. 2.

[a] Lovanienses codicis Amandiensis auctoritate reponunt, *his qui videbantur esse aliquid.* Ceteris tamen libris abest, *esse aliquid*, quo etiam in antiq. Corbeiensib. Bibliis caret Vulgata: atque hæc ibi habet *his qui videbantur*, sicque tres MSS. hîc: at alii octo, necnon Am. & Er. *his qui videntur.* Porrò in Græco est τοῖς δοκοῦσι, id est eis qui eminent in Ecclesia, uti interpretatur Augustinus.

bus scribit, quasi per interrogationem dictum intelligendum est: ut ex eo appareret, non eum in vacuum currere aut cucurrisse, quia jam etiam adtestatione ceterorum nihil ab Evangelii veritate dissentire approbatur.

v. 3. 11. *Sed neque Titus qui mecum erat*, inquit, *cùm esset Græcus, compulsus est circumcidi.* Quamvis Titus Græcus esset, & nulla eum consuetudo aut cognatio parentum circumcidi cogeret, sicut Timotheum, facilè tamen etiam istum circumcidi permisisset Apostolus. Non enim tali circumcisione salutem docebat auferri, sed si in ea constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem ostendebat. Poterat ergo ut superfluam æquo animo tolerare, secundùm sententiam quam alibi dixit (*1 Cor. 7. 19.*), Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. (*Gal. 2. 4.*) *Propter subintroductos autem falsos fratres*, non est compulsus Titus circumcidi: id est, non ei potuit extorqueri, ut circumcideretur; quia illi *qui subintroierunt*, dicit, *proscultare libertatem* eorum, vehementer observabant, & cupiebant circumcidi Titum, ut jam circumcisionem, etiam ipsius Pauli adtestatione & consensione, tamquam saluti necessariam prædicarent; & sic eos, ut ait, *in servitutem redigerent*, id est, sub onera Legis servilia revocarent. (*v. 5.*) *Quibus se nec ad horam*, id est, nec ad tempus *cessisse* dicit *subjectioni, ut veritas Evangelii permaneret ad Gentes.*

12. Denotabant autem suspectumque haberi volebant invidi apostolum Paulum, quòd aliquando persecutor Ecclesiarum fuerit: & ideo dicit (*v. 6.*), *De his autem qui videntur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest.* Quia & qui videntur esse aliquid, carnalibus hominibus videntur esse aliquid: nam non sunt ipsi aliquid. Et si enim boni ministri Dei sunt, Christus in illis est aliquid, non ipsi per se. Nam si ipsi per se essent aliquid, semper fuissent aliquid. *Quales aliquando fuerint*, id est, quia & ipsi peccatores fuerunt, nihil sua dicit interesse: quia *Deus hominis personam non accipit*, id est, sine personarum acceptione omnes ad salutem vocavit, non reputans illis delicta eorum. Et ideo absentibus illis, qui priores facti erant Apostoli, Paulus à Domino perfectus est: ut quando cum eis contulit, nihil esset quod perfectioni ejus adderent; sed potiùs viderent eumdem Dominum Jesum Christum, qui sine personarum acceptione salvos facit, hoc dedisse Paulo ut ministraret Gentibus, quod etiam Petro dederat ut ministraret Judæis. Non ergo inventi sunt in aliquo dissentire ab illo, ut cùm ille se perfectum Evangelium accepisse diceret, illi negarent, & aliquid vellent tamquam imperfecto addere: sed è contrario pro reprehensoribus imperfectionis, approbatores perfectionis fuerunt. (*v. 9.*) *Et dederunt dexteras societatis*, id est, consenserunt in societatem, & paruerunt voluntati Domini, consentientes ut Paulus & Barnabas irent *ad Gentes, ipsi autem in circumcisionem*, quæ præputio, id est, Gentibus contraria videtur. (*v. 7.*) Nam etiam sic potest intelligi, quod ait, *è contrario*, ut ordo iste sit: Mihi enim qui videntur aliquid, nihil apposuerunt, sed è contrario, ut nos quidem in Gentes iremus, quæ sunt contrariæ circumcisioni, ipsi autem in circumcisionem, consenserunt mihi & Barnabæ: hoc est, *dexteras societatis nobis dederunt.*

13. Neque in contumeliam præcessorum ejus putet quis ab eo dictum, *Qui videntur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest.* Et illi enim tamquam spiritales viri volebant resisti carnalibus, qui putabant aliquid ipsos esse, & non potiùs Christum in eis; multúmque gaudebant, cùm persuaderetur hominibus, & seipsos præcessores Pauli, sicut eumdem Paulum, ex peccatoribus justificatos esse à Domino, qui personam hominis non accipit: quia Dei gloriam quærebant, non suam. Sed quia carnales & superbi homines, si quid de vita ipsorum præterita dicitur, irascuntur, & in contumeliam accipiunt; ex animo suo conjiciunt Apostolos. Petrus autem & Jacobus & Johannes honoratiores in Apostolis erant, quia ipsis tribus se in monte Dominus ostendit in significatione regni sui, cùm ante sex dies dixisset (*Matth. 16. 28.*), Sunt hîc quidam de circumstantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno Patris sui. Nec ipsi erant columnæ, sed videbantur. Noverat enim Paulus sapientiam ædificasse sibi domum (*Prov. 9. 1.*), & non tres columnas constituisse, sed septem: qui numerus vel ad unitatem Ecclesiarum refertur: (Solet enim pro universo poni, sicut in Evangelio dictum est (*Mat. 19. 29.*), Accipiet in hoc sæculo* septies tantum: ac si diceret (*2. Cor. 6. 10.*), Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Unde etiam Johannes ad septem scribit Ecclesias (*Apoc. 1. 4.*), quæ utique universalis Ecclesiæ personam gerunt:) vel certè ad septenariam operationem Spiritus-sancti magis refertur septenarius numerus columnarum, sapientiæ & intellectûs, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & timoris Dei (*Isai. 11. 2.*), quibus operationibus domus Filii Dei, hoc est, Ecclesia continetur.

** f. in Græco erat ἑπταπλασίονα.*

14. Quod autem ait (*Gal. 2. 10.*), *Tantùm ut pauperum memores essemus, quod & studui hoc ipsum facere:* communis cura erat omnibus Apostolis de pauperibus sanctorum, qui erant in Judæa, qui rerum suarum venditarum pretia ad pedes Apostolorum posuerant (*Act. 4. 35.*). Sic ergo ad Gentes missi sunt Paulus & Barnabas, ut Ecclesiæ Gentium quæ hoc non fecerant, ministrarent, hortatione ipsorum, eis qui hoc fecerant: sicut ad Romanos dicit (*Rom. 15. 25. &c.*), « Nunc autem pergam Jerusalem ministrare sanctis: placuit enim Macedoniæ & Achaiæ communionem aliquam facere « in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. Pla- « cuit enim illis, & debitores eorum sunt. Si enim spi- « ritalibus eorum communicaverunt Gentes, debent « & in carnalibus ministrare eis. «

15. In nullam ergo simulationem Paulus lapsus erat, quia servabat ubique quod congruere videbat, sive Ecclesiis Gentium, sive Judæorum, ut nusquam auferret consuetudinem, quæ servata non impediebat ad obtinendum regnum Dei: tantùm admonens, ne quis in superfluis poneret spem salutis, etiam si consuetudinem in eis propter offensionem infirmorum custodire vellet. Sicut ad Corinthios dicit (*1. Cor. 7. 18. &c.*), « Circumcisus quis vocatus est, non adducat præputium: in præputio quis vocatus est, non « circumcidatur. Circumcisio nihil est, & præpu- « tium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. « Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea « permaneat. « Hoc enim ad eas consuetudines vel conditiones vitæ retulit, quæ nihil obsunt fidei bonisque moribus. Non enim si latro erat quisque cùm vocatus est, debet in latrocinio permanere. Petrus autem cùm venisset Antiochiam, objurgatus est à Paulo (*Gal. 2. 11.*), non quia servabat consuetudinem Judæorum, in qua natus atque educatus erat, (quamquam apud Gentes eam non servaret;) sed objurgatus

est, quia Gentibus eam volebat imponere: cùm vidisset quosdam venisse ab Jacobo, id est, à Judæa: nam Ecclesiæ Jerosolymitanæ Jacobus præfuit. Timens ergo eos qui adhuc putabant in illis observationibus salutem constitutam, segregabat se à Gentibus, & simulatè illis consentiebat ad imponenda Gentibus illa onera servitutis: quod in ipsius objurgationis verbis satis apparet. Non enim ait (*Gal. 2. 14.*), *Si tu, cùm Judæus sis, gentiliter, & non Judaïcè vivis*, quemadmodum rursus ad consuetudinem Judæorum reverteris; sed, *quemadmodum*, inquit, *Gentes cogis Judaïzare?* Quòd autem hoc ei coram omnibus dixit, necessitas coegit, ut omnes illius objurgatione sanarentur. NON enim UTILE ERAT errorem, qui palàm noceret, in secreto emendare. Huc accedit, quòd firmitas & caritas Petri, cui ter à Domino dictum est (*Johan. 21. 15.*), Amas me? pasce oves meas, objurgationem talem posterioris pastoris pro salute gregis libentissimè sustinebat. Nam erat objurgatore suo ipse qui objurgabatur mirabilior, & ad imitandum difficilior. (*Humilitatis exemplum in Petro.*) FACILIUS EST enim videre quid in alio corrigas, atque id vituperando vel objurgando corrigere, quàm videre quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi, vel per teipsum, nedum per alium; adde posteriorem, adde coram omnibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quæ maxima est disciplina Christiana: humilitate enim conservatur caritas. Nam nihil eam citiùs violat quàm superbia. Et ideo Dominus non ait, Tollite jugum meum & discite à me, quoniam quatriduana de sepulcris cadavera exsuscito, atque omnia dæmonia de corporibus hominum morbosque depello, & cetera hujusmodi: sed, Tollite, inquit, jugum meum, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde (*Matth. 11. 29.*). Illa enim signa sunt rerum spiritalium: mitem autem esse & humilem caritatis [a] conservatorem, res ipsæ spiritales sunt, ad quas per illa ducuntur, qui oculis corporis dediti fidem invisibilium, quia jam de notis usitatisque non possunt, de novis & repentinis visibilibus quærunt. Si ergo & illi qui cogebant Gentes Judaïzare, didicissent mites esse & humiles corde, quod à Domino Petrus didicerat; saltem correcto tanto viro ad imitandum invitarentur, nec putarent Evangelium Christi justitiæ suæ tamquam debitum redditum: (*Gal. 2. 16.*) *sed scientes quoniam non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Christi Jesu*, ut impleat opera Legis, adjuvante infirmitatem suam, non merito suo, sed gratiâ Dei, non exigerent de Gentibus carnales Legis observationes, sed per ipsam gratiam fidei, spiritalia opera Legis eos implere posse cognoscerent. Quoniam ex operibus Legis, cùm suis viribus ea quisque tribuerit, non gratiæ miserantis Dei, non justificabitur omnis caro, id est, omnis homo, sive omnes carnaliter sentientes. Et ideo illi, qui cùm jam essent sub Lege, Christo crediderunt, non quia justi erant, sed ut justificarentur, venerunt ad gratiam fidei.

16. Peccatorum autem nomen Gentibus imposuerant Judæi, jam vetustâ quadam superbiâ, tamquam ipsi justi essent, videndo stipulam in oculo alieno, & non trabem in suo. Secundùm eorum morem locutus Apostolus ait (*v. 15.*), *Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores*, id est, quos appellant peccatores, cùm sint & ipsi peccatores. *Nos* ergo, inquit, *naturâ Judæi*, cùm gentiles non essemus, quos ipsi peccatores appellant, tamen *& nos* peccatores (*v. 16.*) *in Christo Jesu credidimus, ut justificemur per fidem Christi.* Non autem quærerent justificari, nisi essent peccatores. An fortè quia in Christo voluerunt justificari, peccaverunt? quia, si jam justi erant, aliud quærendo utique peccaverunt: sed, si ita est, inquit (*v. 17.*), ergo *Christus peccati minister est.* Quod utique non possunt dicere, quia & ipsi qui nolebant nisi circumcisis Gentibus tradi Evangelium, in Christo crediderant. Et ideo quod dicit, *Absit*, non solus, sed cum ipsis dicit. Destruxit autem superbiam gloriantem de operibus Legis, quæ destrui & deberet & posset, ne gratia fidei videretur non necessaria, si opera Legis etiam sine illa justificare crederentur. Et ideo prævaricator est, si rursus illa ædificat, dicens quòd opera Legis etiam sine gratia justificant, ut Christus peccati minister inveniatur. Posset ergo illi objici dicenti (*v. 18.*), *Si enim quæ destruxi, hæc eadem rursus ædifico, prævaricatorem meipsum constituo*, Quid ergo, quia fidem Christi oppugnabas antea, quam nunc ædificas, prævaricatorem te constituis? Sed illam non destruxit, quia destrui non potest. Hanc autem superbiam verè destruxerat, constanterque destruebat, quia destrui poterat. Et ideo non ille prævaricator est, qui rem veram cùm conaretur destruere, & postea veram esse ac destrui non posse cognosceret, tenuit eam ut in ea ædificaretur: sed ille prævaricator est, qui cùm destruxerit rem falsam, quia destrui potest, eam rursus ædificat.

17. (*v. 19.*) *Mortuum* autem se *Legi* dicit, ut jam sub Lege non esset, sed tamen *per Legem:* sive quia Judæus erat, & tamquam pædagogum Legem acceperat, sicut postea manifestat (*Gal. 3. 24.*). Hoc autem agitur per pædagogum, ut non sit necessarius pædagogus: sicut per ubera nutritur infans, ut jam uberibus non indigeat; & per navem pervenitur ad patriam, ut jam navi opus non sit. Sive per Legem spiritaliter intellectam Legi mortuus est, ne sub ea carnaliter viveret. Nam hoc modo per Legem Legi ut morerentur volebat, cùm eis pauló pòst ait (*Gal. 4. 21. &c.*), « Dicite mihi sub Lege volentes esse, Legem non legistis? « Scriptum est enim, quòd Abraham duos filios habuit, &c. ut per eamdem Legem spiritaliter intellectam morerentur carnalibus observationibus Legis. Quod autem adjungit (*Gal. 2. 19.*), *Ut Deo vivam:* Deo vivit qui sub Deo est; Legi autem qui sub Lege est: sub Lege autem vivit, inquantum quisque peccator est, id est, inquantum à vetere homine non est mutatus; suâ enim vitâ vivit, & ideo Lex supra illum est: quia qui eam non implet, infra illam est. Nam justo Lex posita non est (*1. Tim. 1. 9.*), id est imposita, ut supra illum sit: in illa est enim potiùs quàm sub illa; quia non suâ vitâ vivit, cui coercendæ Lex imponitur. Ut enim sic dicam, [b] ipsa quodammodo Lege vivit, qui cum dilectione justitiæ justè vivit, non proprio ac transitorio, sed communi ac stabili gaudens bono. Et ideo Paulo non erat Lex imponenda, qui dicit (*Gal. 2. 20.*), *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Quis ergo audeat Christo Legem imponere, qui vivit in Paulo? Non enim audet quis dicere Christum non rectè vivere, ut ei coercendo Lex imponenda sit. *Quòd autem nunc vivo*, inquit, *in carne*, quia non posset dicere Christum adhuc mortaliter vivere, vita autem in carne mortalis est, *in fide*, inquit, *vivo Filii Dei:* ut etiam sic Christus vivat in credente, habitando in interiore homine per fidem, ut postea per speciem impleat eum,

[a] Ita MSS. At editi, *caritatis conservatio est. Res ipsa* &c.

[b] Sic aliquot MSS. At editi *ipsam quodammodo legem.*

cùm absorptum fuerit mortale à vita. Ut autem ostenderet, quòd vivit in illo Christus, & quòd in carne vivens in fide vivit Filii Dei, non meriti sui esse, sed gratiæ ipsius: *Qui me*, inquit, *dilexit, & tradidit seipsum pro me*. Pro quo utique, nisi pro peccatore, ut eum justificaret? Et dicit hoc qui Judæus natus & educatus erat, & abundantiùs æmulator exstiterat paternarum suarum traditionum. Ergo si & pro talibus se tradidit Christus, etiam ipsi peccatores erant. Non ergo meritis justitiæ suæ datum dicant, quod non opus erat justis dari. Non enim veni vocare justos, ait Dominus, sed peccatores: ad hoc utique, ne sint peccatores. Si ergo Christus me dilexit, & tradidit seipsum pro me: *non irritam facio gratiam Dei*, ut dicam per Legem esse justitiam. *Nam si per Legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est:* id est, sine caussa mortuus est, quando per Legem, id est, per opera Legis quibus Judæi confidebant, posset esse justitia in hominibus. Gratis autem mortuum Christum nec illi dicunt quos refellit, quoniam Christianos se volebant haberi. Non ergo rectè per illa Legis opera Christianos justificari suadebant.

Matth. 9. 13.

Gal. 2. 21.

Gal. 3. 1. 18. Quibus rectè dicit, *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit?* Quod non rectè diceretur de his qui numquam profecissent, sed de his qui ex profectu defecissent. *Ante quorum oculos Christus Iesus proscriptus est, crucifixus:* hoc est, quibus videntibus Christus Jesus hereditatem suam possessionemque suam amisit: his utique auferentibus eam, Dominumque inde expellentibus, qui ex gratia fidei per quam Christus possidet Gentes, ad Legis opera eos qui crediderant revocabant, auferendo illi possessionem suam, id est, eos in quibus jure gratiæ fideique inhabitabat. Quod in ipsis Galatis accidisse vult videri Apostolus: nam ad hoc pertinet quod ait, *Ante quorum oculos*. Quid enim tam ante oculos eorum contigit, quàm quod in ipsis contigit? Cùm autem dixisset, *Iesus Christus proscriptus est*, addidit, *crucifixus:* ut hinc eos maximè moveret, cùm considerarent quo pretio emerit possessionem, quam in eis amittebat: ut parum esset gratis eum mortuum, quod superiùs dixerat. Illud enim ita sonat, tamquam non pervenerit ad possessionem, pro qua sanguinem dedit. Proscripto autem etiam quæ tenebat, auferuntur: sed hæc proscriptio non obest Christo, qui etiam sic per divinitatem Dominus est omnium, sed ipsi possessioni, quæ hujus gratiæ culturâ caret.

19. Hinc jam incipit demonstrare, quemadmodum gratia fidei sufficiat ad justificandum sine operibus Legis; ne quis diceret non se quidem operibus Legis tantùm totam hominis justificationem tribuere, sed neque tantùm gratiæ fidei, ex utroque autem perfici salutem. Sed hæc quæstio ut diligenter tractetur, ne quis fallatur ambiguo, scire priùs debet opera Legis bipertita esse. Nam partim in sacramentis, partim verò in moribus accipiuntur. Ad sacramenta pertinent, circumcisio carnis, sabbatum temporale, neomeniæ, sacrificia, atque omnes hujusmodi innumeræ observationes.

Opera Legis bipertita.

Exod. 20. 13. Ad mores autem, Non occides, Non mœchaberis, Non falsum testimonium dices, & talia cetera. Numquidnam ergo Apostolus ita potest non curare, utrùm Christianus homicida aut mœchus sit, an castus atque innocens; quemadmodum non curat, utrùm circumcisus carne, an præputiatus sit? Nunc ergo de his operibus maximè tractat, quæ sunt in sacramentis, quamquam & illa interdum se admiscere significet. Prope finem autem Epistolæ, de his separatim tractabit, quæ sunt in moribus: & illud breviter, hoc autem diutiùs. Hæc enim onera* potiùs imponi Gentibus quorum utilitas in intellectu est: nam hæc omnia exponuntur Christianis, ut quid valeant, tantùm intelligant, non etiam facere cogantur. In observationibus autem, si non intelligantur, servitus sola est; qualis erat in populo Judæorum, & est usque adhuc: si autem & observentur illa, & intelligantur, non modò nihil obsunt, sed etiam prosunt aliquid, si tempori congruant; sicut ab ipso Moyse Prophetisque observata sunt, congruentibus illi populo, cui adhuc talis servitus utilis erat, ut sub timore custodiretur. Nihil enim tam piè terret animam, quàm sacramentum non intellectum: intellectum autem, gaudium pium parit, & celebratur liberè, si opus est tempori; si autem non est opus, cum suavitate spiritali tantummodo legitur, & tractatur. Omne autem sacramentum cùm intelligitur, aut ad contemplationem veritatis refertur, aut ad bonos mores. Contemplatio veritatis in solius Dei dilectione fundata est: boni mores in dilectione Dei & proximi, in quibus duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Nunc igitur quemadmodum circumcisio carnis, & cetera hujusmodi Legis opera, ubi jam gratia fidei est, non sint necessaria, videamus.

* *f.* prohibet imponi, *aut*, ponitùs exponit.

Matth. 22. 40.

20. *Hoc solum*, inquit, *volo discere à vobis, ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Gal. 3. 2. Respondetur, Utique ex auditu fidei. Ab Apostolo enim prædicata est eis fides, in qua prædicatione utique adventum & præsentiam sancti Spiritus senserant: sicut illo tempore in novitate invitationis ad fidem etiam sensibilibus miraculis præsentia sancti Spiritus apparebat, sicut in Actibus Apostolorum legitur. Hoc autem factum erat apud Galatas antequam isti ad eos pervertendos & circumcidendos venissent. Iste ergo sensus est, Si in illis operibus Legis esset salus vestra, non vobis Spiritus-sanctus nisi circumcisis daretur. Deinde intulit, *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini*; Hoc est quod superiùs in exordio dixerat, Nisi aliqui sunt conturbantes vos, & volentes convertere Evangelium Christi. Conturbatio enim ordini contraria est: ordo est autem à carnalibus ad spiritalia surgere, non ab spiritalibus ad carnalia cadere, sicut istis acciderat. Et hæc est Evangelii conversio retrorsus: quod quia bonum non est, non est Evangelium, cùm hoc annuntiatur. Quod autem dicit, *Tanta passi estis*: multa jam pro fide toleraverant, non timore, tamquam sub Lege positi, sed magis in ipsis passionibus caritate timorem vicerant. Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum-sanctum, quem acceperunt. *Sine caussa*, ergo, inquit, *tanta passi estis*, qui ex caritate, quæ in vobis tanta sustinuit, ad timorem relabi vultis. *Si tamen sine caussa* tanta passi estis. Quod enim sine caussa factum dicitur, superfluum est; superfluum autem nec prodest, nec nocet: hoc verò videndum est, ne ad perniciem valeat. Non enim hoc est non surgere, quod est cadere: quamvis isti nondum cecidissent, sed jam inclinarentur ut caderent. Nam utique adhuc in eis Spiritus-sanctus operabatur, sicut consequenter dicit, *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & virtutes operatur in vobis, ex operibus Legis, an ex auditu fidei?* Respondetur, Utique ex auditu fidei, sicut superiùs tractatum est. Deinde adhibet exemplum patris Abraham, de quo in Epistola ad Romanos uberiùs apertiúsque dissertum est. Hoc enim maximè in eo victoriosum est, quòd antequam circumcideretur, deputata est fides ejus ad justitiam, & ad hoc rectissimè refertur quod ei dictum est,

Gal. 3. 5.

Rom. 4. 3.

Gen. 22. 18. Quia benedicentur in te omnes gentes: imitatione utique fidei ejus, qua justificatus est etiam ante sacramentum circumcisionis, quod ad fidei signaculum accepit, & ante omnem servitutem Legis, quæ multò pòst data est.

Gal. 3. 10. 21. Quod autem ait, *Quicumque enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt Legis*: sub timore vult intelligi, non in libertate: ut scilicet corporali præsentique vindictâ vindicaretur in eos, qui non permanerent in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut facerent ea; huc quoque accederet, ut in ipsa corporum pœna etiam maledicti ignominiam formidarent. Ille autem justificatur apud Deum, qui eum gratis colit, non scilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipso præter ipsum, aut timore amittendi. In ipso enim solo vera nostra beatitudo atque perfecta est; & quoniam invisibilis est oculis carneis, fide colitur, quamdiu in hac carne vivimus, sicut suprà dixit, Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei: & ipsa est justitia. Quò pertinet quod dictum est, *Quia justus ex fide vivit*. Hinc enim ostendere voluit, quia in Lege nemo justificatur, quia scriptum est justum ex fide vivere. Quare intelligendum est in Lege, quod nunc ait *in operibus Legis*, dictum esse; & hoc istis, qui in circumcisione carnis & talibus observationibus continentur: in quibus qui vivit, ita in Lege est, ut sub Lege vivat. Sed Legem, ut dictum est, pro ipsis operibus Legis nunc posuit, quod in posterioribus manifestatur. Ait enim, *Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis*. Non ait, Qui fecerit eam, vivet in ea: ut intelligas Legem in hoc loco pro ipsis operibus positam. Qui autem vivebant in his operibus, timebant utique ne, si non ea fecissent, lapidationem, vel crucem, vel aliquid hujusmodi paterentur. Ergo *qui fecerit ea*, inquit, *vivet in illis*, id est, habebit præmium, ne ista morte puniatur. Non ergo apud Deum, cujus ex fide si quis in hac vita vixerit, cùm hinc excesserit, tunc eum magis habebit præsentissimum præmium. Non itaque ex fide vivit, quisquis præsentia quæ videntur, vel cupit, vel timet: quia fides Dei ad invisibilia pertinet, quæ pòst dabuntur. Nam est ista quædam in operibus Legis justitia, (quando sine suo præmio relicta non est,) ut qui fecerit ea, vivat in eis. Unde & ad Romanos dicit, Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum. Aliud est ergo, non justificari: aliud, non justificari apud Deum. Qui omnino non justificatur, nec illa servat, quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum: qui autem in operibus Legis justificatur, non apud Deum justificatur; quia temporalem inde exspectat visibilemque mercedem. Sed tamen est etiam ista, ut dixi, quædam, ut sic dicam, terrena carnalisque justitia: nam & ipse Apostolus eam justitiam vocat, cùm alibi dicit, Secundùm justitiam quæ in Lege est, conversatus qui fuerim sine querela.

Gal. 3. 11.

Rom. 4. 2.

Philip. 3. 6.

22. Propterea Dominus Jesus Christus jam libertatem daturus credentibus, quædam earum observationum non servavit ad litteram. Unde etiam cùm sabbato esurientes discipuli spicas evulsissent, respondit indignantibus, Dominum esse filium hominis etiam sabbati. Itaque illa carnaliter non observando, carnalium conflagravit invidiam: & susceptit quidem pœnam propositam illis, qui ea non observassent; sed ut credentes in se talis pœnæ timore liberaret: quò pertinet quod adjungit, *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quæ sententia spiritaliter intelligentibus sacramentum est libertatis: carnaliter autem sentientibus, si Judæi sunt, jugum est servitutis. Nam quòd quidam nostri minùs in Scripturis eruditi, sententiam istam nimis timentes, & Scripturas veteres debita pietate approbantes, non putant hoc de Domino esse dictum, sed de Juda traditore ejus: aiunt enim propterea non esse dictum, *Maledictus omnis*, qui figitur in ligno; sed, *qui pendet in ligno*: quia non hîc Dominus significatus est, sed ille qui se laqueo suspendit: nimis errant, nec adtendunt se contra Apostolum disputare, qui ait, *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Qui ergo pro nobis factus est maledictum, ipse utique pependit in ligno, id est, Christus, qui nos liberavit à maledicto Legis: ut non jam timore justificaremur in operibus Legis, sed fide apud Deum, quæ non per timorem, sed per dilectionem operatur. Spiritus enim sanctus, qui hoc per Moysen dixit, utrumque providit, ut & timore visibilis pœnæ custodirentur, qui nondum poterant ex invisibilium fide vivere; & ipse timorem istum solveret suscipiendo quod timebatur, qui timore sublato donum dare poterat caritatis. Nec in hoc quòd maledictus est appellatus, qui pendet in ligno, contumelia in Dominum putanda est. Ex parte quippe mortali pependit in ligno: mortalitas autem unde sit, notum est credentibus: ex pœna quippe est, & maledictione peccati primi hominis, quam Dominus suscepit & peccata nostra perrulit in corpore suo super lignum.

Gal. 3. 13. Deut. 21. 23.

1. Petr. 2. 24.

Si ergo diceretur, Mors maledicta est; nemo exhorresceret: quid autem nisi mors Domini pependit in ligno, ut mortem moriendo superaret: eadem igitur maledicta, quæ victa est. Item si diceretur, Peccatum maledictum est; nemo miraretur: quid autem pependit in ligno, nisi peccatum veteris hominis, quod Dominus pro nobis in ipsa carnis mortalitate suscepit? Unde nec erubuit, nec timuit Apostolus dicere, peccatum eum fecisse pro nobis, addens, Ut de peccato condemnaret peccatum. Non enim & vetus homo noster simul crucifigeretur, sicut idem Apostolus alibi dicit, nisi in illa morte Domini peccati nostri figura penderet, ut evacuaretur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato. In cujus peccati & mortis figura, etiam Moyses in eremo super lignum exaltavit serpentem. Persuasione quippe serpentis homo in damnationem mortis cecidit. Itaque serpens ad significationem ipsius mortis, convenienter in ligno exaltatus est: in illa enim figura mors Domini pendebat in ligno. Quis autem abhorreret, si diceretur, Maledictus serpens qui pendet in ligno? Et tamen mortem carnis Domini præfigurans serpens pendebat in ligno, cui sacramento ipse Dominus adtestatus est, dicens, Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis super terram. Non enim & hoc in contumeliam Domini Moysen fecisse, aliquis dixerit, cùm tantam in ea

Rom. 8. 3.

Rom. 6. 6.

Num. 21. 9.

Johan. 3. 14.

Matth. 12. 1.

cruce salutem hominum esse cognosceret, ut non ob aliud ad ejus indicium serpentem illum erigere juberet, nisi ut eum intuentes, qui morsi à serpentibus morituri erant, continuò sanarentur. Nec propter aliud ille serpens æneus factus erat, nisi ut permansuræ passionis Domini fidem significaret. Etiam vulgò quippe dicuntur æneæ, quorum *numerus manet. Si enim obliti essent homines, & obliteratum esset de memoria temporis, quòd Christus pro hominibus mortuus est, verè morerentur: nunc autem tamquam ænea permanet crucis fides, ut cùm alii moriantur, alii nascantur, ipsam tamen sublimem permanere inveniant, quam intuendo sanentur. Non igitur mirum, si de maledicto vicit maledictum, qui vicit de morte mortem, & de peccato peccatum, de serpente serpentem. Maledicta autem mors, maledictum peccatum, maledictus serpens: & hæc omnia in cruce triumphata sunt. *Maledictus* igitur *omnis qui pendet in ligno.* Quia ergo non ex operibus Legis, sed ex fide justificat Christus credentes in se, timor maledictionis crucis ablatus est: caritas benedictionis Abrahæ propter exemplum fidei permanet ad Gentes. *Vt annuntiationem*, inquit, *spiritûs per fidem accipiamus*: id est, ut non quod timetur in carne, sed quod spiritu diligitur, crediturs annuntietur.

23. Unde etiam testamenti humani mentionem facit, quod utique multò est infirmius, quàm divinum. *Tamen hominis confirmatum testamentum*, inquit, *nemo irritum facit, aut superordinat.* Quia cùm testator mutat testamentum, non confirmatum mutat: testatoris enim morte confirmatur. Quod autem mors testatoris valet ad confirmandum testamentum ejus, quia consilium mutare jam non potest: hoc incommutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam hereditatem Abrahæ, cujus fides deputata est ad justitiam. Et ideo semen Abrahæ, cui *dictæ sunt promissiones*, Christum dicit Apostolus, hoc est omnes Christianos fide imitantes Abraham: quod ad singularitatem redigit, commendando quòd non dictum est, Et seminibus, sed, Semini tuo, quia & una est fides, & non possunt similiter justificari qui vivunt ex operibus carnaliter, cum his qui vivunt ex fide spiritaliter. Vincuntur autem quod infert, Lex nondum data erat, nec posset post tot annos ita dari, ut antiquas Abrahæ promissiones irritas faceret. Si enim Lex justificat, non est justificatus Abraham, qui multùm ante Legem fuit. Quod quia dicere non possunt, coguntur fateri, non Legis operibus justificari hominem, sed fide. Simul etiam nos cogit intelligere, omnes antiquos, qui justificati sunt, ex ipsa fide justificatos. Quòd enim nos ex parte præteritum, id est, primum adventum Domini, ex parte futurum, id est, secundum adventum Domini credendo salvi efficimur: hoc totum illi, id est, utrumque adventum futurum credebant, revelante sibi Spiritu-sancto, ut salvi fierent. Unde est etiam illud, Abraham concupivit diem meum videre, & vidit, & gavisus est.

24. Sequitur quæstio satis necessaria: Si enim fides justificat, & priores sancti, qui apud Deum justificati sunt, per ipsam justificati sunt, quid opus erat Legem dari? Quam quæstionem tractandam sic intulit, interrogans, & dicens, *Quid ergo?* Huc usque enim interrogatio est: deinde infertur responsio, *Lex transgressionis gratiâ proposita est*, do-

nec veniret, inquit, *semen, cui promissum est, dispositum per Angelos in manu mediatoris.* * *Mediator autem unius non est, Deus verò unus est.* Mediatorem Jesum Christum secundùm hominem dici, ex illa ejusdem Apostoli sententia fit planius, cùm ait, Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Mediator ergo inter Deum & Deum esse non posset, quia unus est Deus: *mediator autem unius non est*, quia inter aliquos medius est. Angeli porrò, qui non lapsi sunt à conspectu Dei, mediatore non opus habent, per quem reconcilientur. Item angeli qui nullo suadente spontanea prævaricatione sic lapsi sunt, per mediatorem non reconciliantur. Restat ergo, ut qui mediatore superbo diabolo superbiam persuadente dejectus est, mediatore humili Christo humilitatem persuadente erigatur. Nam si Filius Dei in naturali æqualitate Patris manere vellet, nec se exinaniret, formam servi accipiens; non esset mediator Dei & hominum: quia ipsa Trinitas unus Deus est, eâdem in tribus, Patre & Filio & Spiritu-sancto, deitatis æternitate & æqualitate constante. Sic itaque unicus Filius Dei, mediator Dei & hominum factus est, cùm Verbum Dei Deus apud Deum, & majestatem suam usque ad humana deposuit, & humilitatem humanam usque ad divina subvexit, ut mediator esset inter Deum & homines homo per Deum ultra homines. Ipse est enim speciosus formâ præ filiis hominum, & unctus oleo exsultationis præ participibus suis. Sanati sunt ergo ab impietate superbiæ, ut reconciliarentur Deo, quicumque homines humilitatem Christi, & per revelationem antequam fieret, & per Evangelium postea quàm facta est, credendo dilexerunt, diligendo imitati sunt. Sed hæc justitia fidei, quia non pro merito data est hominibus, sed pro misericordia & gratia Dei, non erat popularis antequam Deus homo inter homines nasceretur. *Semen* autem, *cui promissum est*, populum significat: non illos pauciſſimos, qui revelationibus eam futuram cernentes, quamvis per eamdem salvi fierent, populum tamen salvum facere non poterant. Qui populus sanè, si per totum orbem consideretur (nam de toto orbe [a] Ecclesiam Jerusalem cælestem congregat) pauci sunt, quia via angusta paucorum est: in unum tamen congregati, quotquot exsiſtere potuerunt, ex quo Evangelium prædicatur, & quotquot poterunt usque in finem sæculi per omnes gentes, adjunctis sibi etiam illis, quamvis pauciſſimis, qui ex fide Domini, fide [b] prophetica, ante ambos adventus ejus salutem gratiæ perceperunt, implent sanctorum beatiſſimum civitatis sempiternæ statum. Superbienti ergo populo Lex posita est, ut quoniam gratiam caritatis nisi humiliatus accipere non posset, & sine hac gratia nullo modo præcepta Legis impleret, transgressione humiliaretur, ut quæreret gratiam, nec se suis meritis salvum fieri, quod superbum est, opinaretur: ut esset non in sua potestate & viribus justus, sed in manu mediatoris justificantis impium. Per Angelos autem ministrata est omnis dispensatio veteris Testamenti, agente in eis Spiritu-sancto, & ipso Verbo veritatis, nondum incarnato, sed numquam ab aliqua veridica administratione recedente. Quia per Angelos dispositа est illa dispensatio Legis, cùm aliquando suam, aliquando Dei personam, sicut Prophetarum etiam mos est, agerent; perque illam Legem

[a] Tres MSS. *Ecclesia*; unus, *in Jerusalem cælestem congregatur.* [b] Sic MSS. At Lov. *ex fide Domini per prophetiam.*

morbos ostendentem, non auferentem, etiam prævaricationis crimine contrita est superba: *dispositum est per Angelos* [a] *semen in manu mediatoris*, ut ipse liberaret à peccatis, jam per transgressionem Legis coactos confiteri, opus sibi esse gratiam & misericordiam Domini, ut sibi peccata dimitterentur, & in nova vita per eum, qui pro se sanguinem fudisset, reconciliarentur Deo.

25. In istis enim erat per transgressionem Legis confringenda superbia, qui gloriantes de patre Abraham, quasi naturalem se jactabant habere justitiam, & merita sua in circumcisione ceteris gentibus tanto perniciosiùs, quanto arrogantiùs præferebant. Gentes autem facillimè etiam sine hujusmodi Legis transgressione humiliarentur. Homines enim nullam ex parentibus originem justitiæ se trahere prævidentes, simulacrorum etiam servos invenit Evangelica gratia. Non enim, sicut istis dici poterat non fuisse illam justitiam parentum eorum in colendis idolis, quam esse arbitrabantur, ita etiam Judæis dici poterat falsam fuisse justitiam patris Abraham. Itaque illis dicitur, Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ: & ne dixeritis vobis, Patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Istis autem dicitur, Propter quod memores estis, quia vos aliquando Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta, qui eratis illo tempore sine Christo, alienati à societate Israël, & peregrini testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Denique illic infideles de oliva sua fracti, hîc autem fideles de oleastro in olivam illorum inserti esse monstrantur. Illorum ergo erat de Legis transgressione adterenda superbia. Sicut ad Romanos cùm Scripturarum verbis peccata eorum exaggerasset, Scitis autem, inquit, quoniam quæcumque Lex dicit, his qui in Lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo: Judæi scilicet de transgressione Legis, & Gentes de impietate sine Lege. Unde & iterum ait, Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, ut omnibus misereatur. Hoc & nunc dicit, refricans ipsam quæstionem* *Lex ergo adversùs promissa Dei? absit. Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia.* * *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Non ergo Lex data est ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet. Lex enim ostendebat esse peccatum, quod illi per consuetudinem cæcati, possent putare justitiam: ut hoc modo humiliati, cognoscerent non in sua manu esse salutem suam, sed in manu mediatoris. Maximè quippe humilitas revocat, unde nos dejecit superbia. Et ipsa humilitas est accommodata percipiendæ gratiæ Christi, qui singulare humilitatis exemplum est.

26. Nec quisquam hîc tam imperitè dixerit, Cur ergo non profuit Judæis, quòd per Angelos Legem ministrantes, in manu mediatoris dispositi sunt? Profuit enim, quantum dici non potest. Quæ enim Gentium Ecclesiæ venditarum rerum suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, quod tot millia hominum tam repentè fecerunt? Nec turbæ infidelium considerandæ sunt: omnis enim area multis partibus ampliorem habet paleam, quàm frumentum. Unde autem etiam illa ejusdem Apostoli verba ad Romanos, nisi de sanctificatione Judæorum? Quid ergo? numquid repulit Deus plebem suam? absit. Nam & Ego Israëlita sum ex semine Abraham, tribu Bejamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. Cùm autem laudaret præ ceteris Ecclesiis Gentium Ecclesiam Thessalonicensium, similes eos factos ait Ecclesiis Judææ; quia multa à contribulibus suis pro fide passi erant, quomodo & illi à Judæis. Hinc est & illud, quod paulò antè commemoravi, quod ait ad Romanos, Si enim spiritalibus eorum communicaverunt Gentes, debent & in carnalibus ministrare eis. De ipsis ergo Judæis etiam consequenter dicit, *Priùs autem quàm veniret fides, sub Lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ postea revelata est.* Ut enim tam propè inveniretur, & tam de proximo ad Deum venditis suis rebus accederent, quod Dominus eis præcepit qui vellent esse perfecti, *Lege* ipsa factum est, sub qua custodiebantur, *conclusi in eam fidem*, id est in adventum ejus fidei, *quæ postea revelata est*: conclusio enim eorum erat tum timor unius Dei. Et quòd prævaricatores ipsius Legis inventi sunt, non ad perniciem, sed ad utilitatem valuit eis qui crediderunt: cognitio enim majoris ægritudinis, & desiderari medicum vehementiùs fecit, & diligi ardentiùs. Cui enim plurimum dimittitur, plurimùm diligit.

27. *Itaque Lex*, inquit, *pædagogus noster fuit in Christo*: hoc est, quod ait, Sub Lege custodiebamur conclusi in ea. *Postea quàm venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Eos ergo nunc reprehendit, qui faciunt irritam gratiam Christi: quasi enim nondum venerit, qui vocaret in libertatem, sic adhuc volunt esse sub pædagogo. Quòd autem filios Dei dicit esse omnes per fidem, quia induerunt Christum, quicumque in Christo baptizati sunt: ad hoc valet, ne Gentes de se desperarent, quia non custodiebantur sub pædagogo, & ideo se filios non putarent: sed per fidem induendo Christum, omnes fiunt filii; non naturâ, sicut unicus Filius, qui etiam Sapientia Dei est; neque [b] potentiâ & singularitate susceptionis ad habendam naturaliter & agendam personam Sapientiæ, sicut ipse mediator unum cum ipsa suscipiente Sapientia sine interpositione alicujus mediatoris effectus: sed filii fiunt participatione sapientiæ, id præparante atque præstante mediatoris fide: quam fidei gratiam nunc indumentum vocat, ut christum induti sint, qui in eum crediderunt, & ideo filii Dei fratresque ejus mediatoris effecti sunt.

28. In qua fide non est distantia Judæi, neque Græci, non servi neque liberi, non masculi & feminæ: inquantum enim omnes fideles sunt, omnes unum sunt in Christo Jesu. Et si hoc facit fides, per quam in hac vita justè ambulatur, quantò perfectiùs atque cumulatiùs id species ipsa factura est, cùm videbimus facie ad faciem? Nam nunc quamvis primitias habentes spiritûs, qui vita est, propter justitiam fidei; tamen quia adhuc mortuum est corpus propter peccatum, differentia ista vel Gentium, vel conditionis, vel sexûs, jam quidem ablata est ab unitate fidei, sed manet in conversatione mortali; ejusque ordinem in hujus vitæ itinere servandum esse, & Apostoli præcipiunt, qui etiam regulas saluberrimas tradunt, quemadmodum secum vivant pro differentia gentis Judæi & Græci, & pro differentia conditionis domini & servi, & pro

[a] Sic plures MSS. At editi *per Angelos sed in manu.* [b] Sic Am. Er. & 9. MSS. At Lov. *per potentiam & singularitatem,*

Rom. 4. 9. Gal. 3. 16. v. 17. Johan. 8. 56. Gal. 3. 19. 1. Retract. 24. n. 2. Rom. 11. 17. Rom. 3. 19. Rom. 11. 32. Gal. 3. v. 21. v. 22. Gal. 3. 23. Gal. 3. 24. v. 25. Gal. 3. 28. 1. Cor. 13. 12. Rom. 8. 23. Act. 4. 34. Matth. 3. 8. & 9. Ephes. 2. 11. &c. 1. Tim. 2. 5. Philip. 2. 7. Psal. 44. 3. v. 20. 1. Thess. 2. 14. Rom. 15. 27. Gal. 3. 23. Matth. 19. 21. Luc. 7. 47. v. 26. v. 27.

differentia sexûs viri & uxoris, vel si qua talia cetera occurrunt. Et ipse prior Dominus, qui ait, *Matth.* 22. 21. Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Alia sunt enim quæ servamus in unitate fidei sine ulla distantia, & alia in ordine vitæ hujus tamquam in via, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur. Et hoc non solùm propter iram, ut effugiamus offensionem hominum; sed etiam propter conscientiam, ut non simulatè, quasi ad oculos hominum ista faciamus, sed purâ dilectionis con- *1. Tim.* 1 4. scientiâ propter Deum, qui omnes homines vult *Gal.* 3 28. salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *Omnes ergo*, inquit, *vos unum estis in Christo Jesu.* Et addidit, *v.* 29. *Si autem*, ut hîc subdistinguatur, & subaudiatur, *vos unum estis in Christo Jesu*, ac deinde inferatur, *Ergo Abrahæ semen estis*: ut iste sit sensus, Omnes ergo vos unum estis in Christo Jesu, si autem vos unum estis in Christo Jesu, vos ergo Abrahæ semen *v.* 16. estis. Superiùs enim dixerat, Non dicit, Et seminibus, tamquam in multis; sed tamquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus. Hîc ergo ostendit unum semen Christum, non tantùm ipsum mediatorem intelligendum esse, verùm etiam Ecclesiam, cujus ille corporis caput est: ut omnes in Christo unum sint, & capiant secundùm promissionem hereditatem per fidem, in quam conclusus erat, id est, in cujus adventum tamquam sub pædagogo custodiebatur populus usque ad ætatis opportunitatem, qua in libertatem vocandi erant, qui in eodem populo secundùm propositum vocati sunt, id est, qui in illa area frumentum inventi sunt.

Gal. 4. *v.* 1. 29. Ad hoc enim adjungit, * *Dico autem, Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt à ser-* *v.* 2 *vo, cùm sit dominus omnium;* * *sed sub procuratoribus & actoribus est usque ad præfinitum tempus à pa-* *v.* 3. *tre:* * *sic & nos cùm essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes.* Quæri autem potest, quomodo secundùm hanc similitudinem sub elementis hujus mundi fuerint Judæi; cùm illis per Legem, quam acceperunt, unus Deus qui fecit cælum & terram, colendus commendaretur. Sed potest esse alius exitus capituli hujus, ut cùm superiùs *Gal.* 3. 24. Legem pædagogum fecerit, sub quo erat ille populus Judæorum: nunc procuratores & actores dicat elementa mundi, sub quibus serviebant Gentes: ut filius ille parvulus, id est populus propter unam fidem ad unum semen Abrahæ pertinens, quoniam & de Judæis & de Gentibus congregatus est, partim fuerit sub prædagogo Legis, tempore pueritiæ suæ, id est ex ea parte, qua de Judæis congregatus est; partim sub elementis hujus mundi, quibus tamquam procuratoribus & actoribus serviebat, ex ea parte qua de Gentibus congregatus est: ut quòd immiscet Apostolus personam suam, non dicens, Cùm essetis parvuli, sub elementis hujus mundi eratis; sed dicens, *Cùm essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes*, non pertineat ad significationem Judæorum, ex quibus Paulus originem ducit, sed magis ad Gentium, hoc dumtaxat loco: quoniam & eorum personæ decenter se potest annectere, quibus ad evangelizandum missus est.

Gal. 4. 4. 30. Deinde jam dicit, veniente plenitudine temporis Deum misisse Filium suum ad liberandum parvulum heredem, servientem ex parte Legi tamquam pædagogo, ex parte elementis hujus mundi tamquam procuratoribus & actoribus: *Misit Deus*, inquit, *Filium suum factum ex mulie-* *re.* Mulierem pro femina posuit, more locutionis Hebræorum. Non enim quia de Eva dictum est, Formavit eam in mulierem, jam passa erat concubitum viri, quod non scribitur passa, nisi cùm dimissi essent de paradiso. *Factum* autem dixit, propter susceptionem creaturæ: quia qui nascuntur ex feminis, non tunc ex Deo nascuntur, sed tamen Deus illos facit, ut sic nasci possint, ut omnem creaturam. *Factum* autem *sub Lege* dixit, quia & circumcisus est, & hostia pro illo legitima oblata *Luc.* 2. 22. & 24. est. Nec mirum si & illa Legis opera sustinuit, ex quibus liberaret qui eis serviliter tenebantur; qui etiam mortem sustinuit, ut ex ea liberaret eos qui mortalitate tenebantur. *Vt adoptionem*, inquit, *Galat.* 4. 5. *filiorum recipiamus.* Adoptionem propterea dicit, ut distinctè intelligamus unicum Dei Filium. Nos enim beneficio & dignatione misericordiæ ejus filii Dei sumus: ille naturâ est Filius, qui hoc est quod Pater. Nec dixit accipiamus, sed *recipiamus*: ut significaret hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus. Hoc ergo quod ait, *Vt eos qui sub Lege erant redimeret*, & ad liberandum eum populum pertinet, qui parvulus sub pædagogo serviebat; & refertur ad id quod dixit, *factum sub Lege.* Illud autem quod ait, *ut adoptionem filiorum recipiamus*, refertur ad id quod dixit, *factum ex muliere.* Hinc enim adoptionem recipimus, quòd ille Unicus non dedignatus est participationem naturæ nostræ, factus ex muliere, ut non solùm Unigenitus esset, ubi fratres non habet, sed etiam Primo- *Rom.* 8. 29. genitus in multis fratribus fieret. Duo enim proposuit, *factum ex muliere*, *factum sub Lege*: sed mutato ordine respondit.

31. Jam illum populum adjungens, qui parvulus sub procuratoribus & actoribus serviebat, id est, elementis hujus mundi, ne putarent se non esse filios, quia non erant sub pædagogo, *Quoniam* *Gal.* 4. 6. *autem filii estis*, inquit, *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.* Duo sunt verba quæ posuit, ut posteriore interpretaretur primum. Nam hoc est *Abba*, quod *Pater.* Eleganter autem intelligitur non frustra duarum linguarum verba posuisse idem significantia, propter universum populum, qui de Judæis & de Gentibus in unitatem fidei vocatus est: ut Hebræum verbum ad Judæos, Græcum ad Gentes, utriusque tamen verbi eadem significatio ad ejusdem fidei spiritusque unitatem pertineat. Nam & ad Romanos, ubi similis quæstio de pace in Christo Judæorum Gentiumque tractatur, hoc dicit, Non enim accepi- *Rom.* 8. 15. stis spiritum servitutis iterum in timore: sed acce- « pistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clama- « mus, Abba, Pater. Rectè autem de præsentia & « de dono Spiritus-sancti probare voluit Gentibus, quòd pertineant ad promissionem hereditatis. Non enim evangelizatum est Gentibus, nisi post adscensum Domini & adventum Spiritus-sancti. Cœperant enim jam Judæi credere, cùm in terris adhuc Filius Dei mortalem hominem gereret, sicut in Evangelio scriptum est: ubi quamquam & Cha- *Matth.* 15. 28. nanææ mulieris fidem ipse laudaverit, & illius Cen- *Matth.* 8. turionis, de quo ait, non se invenisse talem fidem 10. in Israël: tamen propriè tunc Judæis esse evangelizatum, verbis ipsius Domini satis clarum est, cùm ad ipsius Chananææ deprecationem dixit, non se esse missum nisi ad oves quæ perierunt do- *Matth.* 15. 24. mus Israël: & discipulos cùm mitteret, ait, In *Matth.* 10. viam Gentium ne abieritis, & in civitates Sama- « 5. ritanorum

« ritanorum ne introieritis; sed ite primùm ad oves quæ perierunt domûs Israël. Gentium autem aliud *Johan.* 10. 16. ovile appellavit, cùm diceret, Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili: quas tamen se adducturum ait, ut esset unus grex, & unus pastor: quando autem, nisi post clarificationem suam? Post resurrectionem autem etiam ad Gentes discipulos *Act.* 1. 4. misit, cùm eos interim Jerosolymæ manere jussisset, donec eis secundùm promissionem suam Spiritum-sanctum mitteret. Cùm ergo dixisset Apo- *Gal.* 4. 4 « stolus, Misit Deus Filium suum, factum ex mu- « liere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant « redimeret, ut adoptionem filiorum recipiamus: restabat, ut etiam Gentes, quæ non erant sub Lege, ad eamdem tamen adoptionem filiorum pertinere ostenderet: quod de sancti Spiritûs dono, qui omnibus datus est, docet. Unde se etiam Petrus de baptizato incircumciso Centurione Cornelio defendit apud Judæos qui crediderant, dicens, non *Act.* 10. 47. se potuisse aquam negare illis, quos jam Spiritum-sanctum accepisse claruerat. Nam & ipso gravissimo documento etiam superiùs usus est Paulus, cùm *Gal* 3. 2. diceret, Hoc solum volo discere à vobis, ex ope- « ribus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? *v.* 5. Et paulò pòst, Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & « virtutes operatur in vobis, ex operibus Legis, an « ex auditu fidei? Sic & hîc, *Quoniam*, inquit, *filii Dei estis, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater.*

32. Deinde manifestissimè ostendit, de his etiam se dicere, qui ex Gentibus ad fidem vene- *Gal.* 4. 7. rant, ad quos etiam Epistolam scribit, *Itaque jam*, inquit, *non est servus, sed filius:* propter id quod *v.* 1. dixerat, Quamdiu heres parvulus est, nihil differt *v.* 7. à servo. *Si autem filius*, inquit, *& heres, per Deum*: id est, per misericordiam Dei, non per promissiones Patrum, de quibus carnaliter sicut Judæi natus non est; sed tamen filius Abrahæ secundùm imitationem fidei, cujus fidei gratiam per misericordiam *v.* 8. Domini meruit. *Sed tunc quidem*, inquit, *ignorantes Deum, his qui naturaliter non sunt dii servistis.* Nunc certè quia non Judæis scribit, sed Gentibus; nec ait servivimus, sed *servistis*: satis probabile est *Ibidem v.* 1. etiam superiùs de Gentibus dictum, quòd sub elementis hujus mundi erant servientes, tamquam sub procuratoribus & actoribus. Nam ipsa elementa utique non sunt naturaliter dii, sive in cælo, *2. Cor.* 8. 5. sive in terra: quemadmodum multi dii, & domini multi: sed nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Cùm autem dicit, *His qui naturaliter non sunt dii, servistis*, satis demonstrat unum verum Deum naturâ esse Deum, quo nomine Trinitas fidelissimo & catholico gremio cordis accipitur. Eos autem qui naturâ non sunt dii, propterea superiùs procuratores actoresque appellat, quia nulla creatura est, sive quæ in veritate manet, dans gloriam Deo; sive quæ in veritate non stetit, quærens gloriam suam: nulla inquam creatura est, quæ non, velit nolit, divinæ providentiæ serviat: sed volens facit cum [a] ea quod bonum est; de illa verò, quæ hoc non vult, fit quod justum est. Nam si etiam ipsi prævaricatores angeli, cum principe suo diabolo, non rectè dicerentur procuratores vel actores divinæ providentiæ, non Dominus magistratum hujus mundi diabolum diceret; nec uteretur illo ad correptionem hominum ipsa potestas Apostolica, eodem Paulo alibi dicente, Quos tradidi satanæ, ut discant non *1. Tim.* 1. 20. blasphemare: & alio loco ad salutem; ait enim, Ego *1. Cor.* 5. 3. « quidem sicut absens corpore, præsens autem spiri- « & « tu, jam judicavi quasi præsens, cum qui sic opera- « tus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi con- « gregatis vobis & meo spiritu, cum potentia Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi satanæ « in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Do- « mini Jesu. Sed & magistratus sub [b] statuto imperatore non facit, nisi quantum illi permittitur; & procuratores actoresque hujus mundi nihil faciunt, nisi quantum Dominus finit. Non enim latet eum aliquid, sicut hominem; aut in aliquo est minùs potens, ut procuratores atque actores, qui sunt in ejus potestate, aliquid ipso sive non permittente, sive nesciente, in subjectis sibi pro suo gradu rebus efficiant. Non eis tamen rependitur, quòd de ipsis justè fit, sed quo animo ipsi faciunt: quia neque liberam voluntatem rationali creaturæ suæ Deus negavit; & tamen potestatem, qua etiam injustos justè ordinat, sibi retinuit. Quem locum latiùs & uberiùs in libris aliis [c] sæpe tractavimus. Sive ergo *In libris de libero arbitrio.* solem & lunam & sidera & cælum & terram, cete- [c] raque hujusmodi Gentes colebant, sive dæmonia, rectè sub procuratoribus & actoribus fuisse intelliguntur.

33. Verumtamen ea quæ sequuntur, jam quasi explicatam quæstionem rursus implicant. Cùm enim per totam Epistolam non ab aliis ostendat sollicitatam fuisse Galatarum fidem, nisi ab eis qui ex circumcisione erant, & ad carnales observationes Legis, tamquam in eis salus esset, adducere cupiebant: hoc tantùm loco ad eos loqui videtur, qui ad Gentilium superstitiones redire tentarent. Ait enim, *Nunc autem cognoscentes Deum, immo cogniti* *Gal.* 4. 9. *à Deo, quomodo revertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus rursus ut antea servire vultis?* In eo enim quòd dicit, *revertimini*, quando non circumcisis, sed Gentibus loquitur, sicut in tota Epistola apparet; non utique ad circumcisionem dicit eos reverti, in qua numquam erant, sed *ad infirma*, inquit, *& egena elementa, quibus rursus ut antea servire vultis.* Quod de Gentibus intelligere cogimur: his enim suprà dixerat, Sed tunc *v.* 8. quidem ignorantes Deum, his qui naturâ non sunt dii, servistis: ad quam servitutem reverti eos velle significat, cùm ait, *Quomodo revertimini ad infirma & egena elementa, quibus rursus ut antea servire vultis?*

34. Quod autem adjungit, * *Dies observatis, &* *v.* 10. *menses, & annos, & tempora:* * *timeo vos ne forte sine* *v.* 11. *caussa laboraverim in* [d] *vos*, magis hanc sententiam [d] confirmare videri potest. Vulgatissimus est enim error Gentilium iste, ut vel in agendis rebus, vel in exspectandis eventis vitæ ac negotiorum suorum, ab Astrologis & Chaldæis notatos dies, & menses, & annos, & tempora observent. Fortasse tamen non opus est, ut hoc de Gentilium errore intelligamus, ne intentionem caussæ, quam ab exordio susceptam ad finem usque perducit, subitò in aliud temere detorquere velle videamur; sed de his potiùs, de quibus cavendis eum agere per totam Epistolam apparet. Nam & Judæi serviliter observant

[a] Lov. trium MSS. auctoritate, *volens facit, cùm de ea quod bonum est fit.* Antè verò in editis Am. & Er. legebatur, *volens facit cum ea* (subaud. divina providentia) *quod bonum est.* quam lectionem firmant nostri MSS. omnes, excepto Albinensi, qui habet, *volens facit, cùm facit id quod bonum est.*

[b] Am. Er. & decem MSS. *sub tanto.*

[c] Deest *sæpe*, apud Am. Er. & septem MSS.

[d] Editi hîc & infrà, *in vobis.* At MSS. *in vos*, juncta Græcura.

dies, & menses, & annos, & tempora in carnali observatione sabbati & neomeniæ & mense novorum, & septimo quoque anno quem vocant Sabbatum sabbatorum. Quæ quoniam erant umbræ futurorum, jam adveniente Christo in superstitione remanserunt, cùm tamquam salutaria observarentur à nescientibus quò referenda sint: ut tamquam hoc dixerit Apostolus Gentibus, Quid prodest vos evasisse servitutem qua tenebamini, cùm serviretis elementis mundi, quando rursus ad talia reditis, seducti ab eis qui nondum agnoscentes libertatis suæ tempus, inter cetera opera Legis quæ carnaliter sapiunt, etiam temporibus serviunt: quibus & vos rursus ut antea servire vultis, & observare cum eis dies, & menses, & annos, & tempora, quibus serviebatis & antequam Christo crederetis? Manifestum est enim, volumina temporum per elementa hujus mundi, hoc est, cælum & terram & motus atque ordinem siderum administrari. Quæ *infirma* appellat, ex eo quòd infirmâ & instabili specie variantur: *egena* verò, ex eo quòd egent summâ & stabili specie Creatoris, ut quomodo sunt, esse possint.

35. Ergo eligat lector utram volet sententiam, dummodo intelligat ad tantum periculum animæ pertinere superstitiosas temporum observationes, ut huic loco subjecerit Apostolus, *Timeo vos, ne forte sine causse laboraverim in vos.* Quod cùm tanta celebritate atque auctoritate per orbem terrarum in Ecclesiis legatur, plena sunt conventicula nostra hominibus, qui tempora rerum agendarum à mathematicis accipiunt. Jam verò ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum, aut hujusmodi quorumlibet operum, diebus quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant, nescientes, ut dicitur, ubi ambulant. Quòd si locus iste de Judæorum superstitiosa observatione intelligendus est, quam spem habent, cùm Christianos se dici velint, ex ephemeridis vitam naufragam gubernantes quando de divinis libris, quos Deus adhuc carnali populo dedit, si more Judæorum tempora observarent, diceret eis Apostolus, *Timeo vos, ne forte sine caussa laboraverim in vos?* * Et tamen si deprehendatur quisquam vel cathecumenus Judaïco ritu sabbatum observans, tumultuatur Ecclesia. Nunc autem innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt, Die post Kalendas non proficiscor. Et vix lentè ista prohibemus arridentes, ne irascantur, & timentes ne quasi novum aliquid mirentur. * VÆ PECCATIS hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus. Usitata verò pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamlibet magna sint, & omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur: atque utinam, ô Domine, non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus.

36. Sed jam videamus quæ sequuntur. Sanè præterieramus quod dictum est, *Nunc autem cognoscentes Deum, immo cogniti à Deo.* Videtur enim certè hoc loco etiam Apostolica locutio congruere velle infirmitati hominum: ne tantummodo in veteris Testamenti libris usque ad terrenas hominum cogitationes modus divini eloquii descendisse videatur. Nam quoniam correxit quod dixerat, *cognoscentes Deum*, nihil nos movere debet: manifestum est enim quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem, nondum nos cognovisse Deum; sed ea fide purgari, ut opportuno tempore cognoscere valeamus. Sed quod in ipsa correctione ait, *immo cogniti à Deo*, si propriè accipitur, putabitur Deus quasi ex tempore aliquid cognoscere, quod antè non noverat. Translatè ergo dictum est, ut oculos Dei accipiamus ipsam dilectionem ejus, quàm commendavit mittendo pro impiis occidendum unicum Filium: sic enim de iis qui diliguntur dicere solemus quòd ante oculos habeantur. Hoc est ergo *cognoscentes Deum, immo cogniti à Deo*, quod & Johannes dixit, Non quòd nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos. 1. *Johan.* 4. 10.

37. Dicit autem, *Estote sicut & ego:* qui utique cùm Judæus natus sim, jam ista carnalia spiritali dijudicatione contemno. *Quoniam & ego sicut vos:* id est, homo sum. Deinde opportunè ac decenter facit eos recolere caritatem suam, ne tamquam inimicum illum deputent. Dicit enim, *Fratres, precor vos, nihil me læsistis:* tamquamsi diceret, Ne ergo putetis, quòd ego lædere vos cupiam. *Scitis quia per infirmitatem carnis jam pridem evangelizavi vobis:* id est, cùm persecutionem paterer. *Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis, neque respuistis.* Tentati sunt enim, cùm persecutionem pateretur Apostolus, utrùm timore desererent eum, an caritate amplecterentur. Et *neque sprevistis*, inquit, tamquam utilem istam tentationem: *neque respuistis*, ut non suscideretis communionem periculi mei. *Sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum.* Deinde admirans, opus eorum spiritale commendat, ut hoc intuentes, in carnalem timorem non decidant. * *Quæ ergo fuit*, inquit, *beatitudo vestra? Testimonium enim vobis perhibeo, quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* * *Ergo inimicus factus sum vobis, verum vobis prædicans?* Respondetur utique, Non. Sed quid *verum prædicans*, nisi ut non circumcidantur? Et ideo vide quid adjungit, *Æmulantur vos non bene:* id est, invident vobis, qui vos carnales de spiritalibus volunt facere, hoc est, *æmulantur non bene. Sed excludere*, inquit, *vos volunt, ut illos æmulemini*, hoc est, imitemini: quomodo, nisi ut servitutis jugo adtineamini, sicut ipsi adtinentur? *Bonum* [a] *autem*, ait, *æmulari in bono semper.* Vult enim ut semper ipsum imitentur: propter hoc addidit, *Et non solùm cùm præsens sum apud vos.* Cùm enim præsenti oculos suos dare vellent, utique ipsum conabantur imitari, quem ita diligebant.

38. Ad hoc dicit etiam, *Filioli mei*, ut tamquam parentem utique imitentur, *Quos iterum*, inquit, *parturio, donec Christus formetur in vobis.* Magis hoc ex persona matris Ecclesiæ locutus est: nam & alibi dicit, Factus sum parvulus in medio vestrûm, tamquam si nutrix foveat filios suos. Formatur autem Christus in credente per fidem in interiore homine, vocato in libertatem gratiæ, miti & humili corde, non se jactante de operum meritis, quæ nulla sunt; sed ab ipsa gratia meritum aliquod inchoante, quem possit dicere minimum suum, [b] id est, seipsum, ille qui ait, Cùm enim fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis. Formatur enim Christus in eo, qui formam accipit Christi: formam autem accipit Christi, qui adhæret Christo dilectione spiritali. Ex hoc enim fit, ut hujus imitatione sit quod ille, quantum gradu suo finitur. Qui enim dicit se in Christo manere, ait Jo-

Dies Ægyptiaci.

* *f.* Et tantùm.

* *Hunc locum transtulit in lib. Enchiridii cap.* 80.

Gal. 4. 9.

2. Cor. 5. 7.

v. 13. v. 14. v. 15. v. 16. v. 17. v. 18. v. 19. 1. Thess. 2. 7. 1. Johan. 2. 6.

[a] Sic MSS. juxta Græc. At editi *Bonum autem est.*

[b] Duo MSS. *minimum suum eumdem ipsum ille qui ait.*

hannes, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare. Sed cùm homines à matribus concipiantur ut formentur, jam formati autem parturiantur ut nascantur, potest movere quod dictum est, *Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Nisi parturitionem hanc pro curarum angoribus positam intelligamus, quibus eos parturivit ut nascerentur in Christo; & iterum parturit propter pericula seductionis, quibus eos conturbari videt. Sollicitudo autem talium de illis curarum, qua se quodammodo parturire dicit, tamdiu esse poterit, donec perveniant in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non moveantur omni vento doctrinæ. Non ergo propter initium fidei, quo jam nati erant, sed propter robur & perfectionem dictum est, *Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Hanc parturitionem aliis verbis etiam alibi commendat, ubi dicit, Incursus in me » quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. » Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?

39. Quod verò subjecit, *Vellem autem nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam; quia confundor in vobis:* quid aliud intelligatur, nisi quia filiolos suos esse dixerat, parcens eis fortasse per litteras, ne severiore objurgatione commoti, facilè in ejus odium traducerentur à deceptoribus illis, quibus absens non posset resistere. *Vellem* ergo, inquit, *nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam*, id est, negare vos filios; *quia confundor in vobis.* Malos enim filios, ne de his erubescant, etiam parentes abdicare solent.

40. Deinde subjungit, *Dicite mihi sub Lege volentes esse, Legem non auditis?* Et de duobus quidem filiis Abrahæ quod dicit, facilè intelligitur: nam ipse interpretatur hanc allegoriam. Hos enim duos filios habebat Abraham, cùm duo Testamenta significata sunt. Post mortem autem Saræ, quos de alia uxore genuit, non pertinent ad hanc significationem. Et ideo multi legentes Apostolum, librum autem Geneseos ignorantes, putant solos habuisse duos filios Abraham. Hos ergo solos commemorat Apostolus, quia solos adhuc habebat, cùm hæc significarentur, quæ consequenter exponit: quòd ille de ancilla, quæ Agar vocabatur, vetus Testamentum significat, id est, populum veteris Testamenti, propter jugum servile carnalium observationum, & promissa terrena, quibus irretiti, & quæ tantummodo sperantes de Deo, non admittuntur ad hereditatem spiritalem cælestis patrimonii. Non autem sufficit, quòd de libera uxore natus est Isaac, ad significandum populum heredem novi Testamenti: sed plus hic valet, quòd secundùm promissionem natus est. Ille autem & de ancilla secundùm carnem, & de libera nasci potuit secundùm carnem, sicut de Cethura, quam postea duxit Abraham, non secundùm promissionem, sed secundùm carnem suscepit filios. Isaac enim mirabiliter natus est per repromissionem, cùm ambo parentes senuissent. Quòd si datâ per Apostolum fiduciâ, qua duos illos allegoricè accipiendos apertissimè ostendit, voluerit aliquis etiam Cethuræ filios in aliqua rerum figura futurarum inspicere: (non enim frustra de talibus personis administratione Spiritus sancti hæc gesta conscripta sunt:) jnveniet fortasse hæreses & schismata significari. Qui filii de libera quidem, sicut isti de Ecclesia; sed tamen secundùm carnem nati sunt, non spiritaliter per repromissionem. Quod si ita est, nec ipsi ad hereditatem inveniuntur pertinere, id est, ad cælestem Jerusalem, quam sterilem vocat Scriptura, quia diu filios in terra non genuit. Quæ deserta etiam dicta est, [a] cælestem justitiam deserentibus hominibus terrena sectantibus, tamquam virum habente illa terrena Jerusalem, quia Legem acceperat. Et ideo cælestem Jerusalem Sara significat, quæ diu deserta est à concubitu viri propter cognitam sterilitatem. Non enim tales homines, qualis erat Abraham, ad explendam libidinem utebantur feminis, sed ad successionem prolis. Accesserat autem sterilitati etiam senectus, ut ex omni desperatione divina promissio magnum meritum credentibus daret. Certus ergo de promissione Dei officio gignendi accessit ad ætate jam gravem, quam in annis vigentioribus corporali copulatione deseruerat. Non enim ob aliud Apostolus, adjunctâ earum mulierum figurâ, interpretatur quod per Prophetam dictum est, *Quoniam multi filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum:* cùm & marito prior Sara sit mortua, neque inter eos ullum exstitisset divortium. Unde ergo illa deserta, aut illa habens virum, nisi quòd Abraham propagandæ prolis operam ad Agar ancillæ fecunditatem ab uxoris Saræ sterilitate transtulerat? ipsa tamen permittente & ultrò offerente, ut maritus ejus de ancilla susciperet filios. Antiqua enim justitiæ regula est, quam commendat ad Corinthios idem Apostolus, Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Et hujusmodi enim debita, sicut cetera, in eorum quibus debentur potestate consistunt. Cui potestati qui fraudem non facit, ille castitatis conjugalis jura custodit. Senectus autem parentum Isaac ad eam significationem valet, quoniam novi Testamenti populus quamvis sit novus, prædestinatio tamen ejus apud Deum, & ipsa Jerusalem cælestis antiqua est. Unde & Johannes ad [b] Parthos dicit, Scribo vobis patres, quoniam cognovistis quod erat ab initio. Carnales autem qui sunt in Ecclesia, ex quibus hæreses & schismata fiunt, ex Evangelio quidem occasionem nascendi acceperunt; sed carnalis error quo concepti sunt, & quem secum trahunt, non refertur ad antiquitatem veritatis: & ideo de matre adolescentula, & de patre sene sine repromissione nati sunt. Quia & Dominus non nisi ob antiquitatem veritatis in Apocalypsi albo capite apparuit. Nati sunt ergo tales ex occasione antiquæ veritatis in novitio temporalique mendacio. Dicit ergo nos Apostolus secundùm Isaac promissionis filios esse: & sic persecutionem passum Isaac ab Ismaele, quemadmodum hi qui spiritaliter vivere cœperant, à carnalibus Judæis persecutionem patiebantur; frustra tamen, cùm secundùm Scripturam ejiciatur ancilla & filius ejus, nec heres esse possit cum filio liberæ. *Nos autem*, inquit, *fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.* Ea enim libertas nunc maximè opponenda est servitutis jugo, quo in operibus Legis tenebantur, qui ad circumcisionem istos trahebant.

41. Cùm autem dicit, *State ergo*, significat eos nondum cecidisse: accommodatiùs enim diceret, Surgite. Sed quod addidit, *Et ne iterum servitutis jugo adtineamini*, quando quidem hîc nul-

v. 21. Ephes. 4. 13. Gal. 4. 20. Gen. 21. 1. Gen. 25. 1. Gal. 4. 27. Isai. 54. 1. Gen. 21. 10. Matth. 25. 40. 1. Cor. 7. 4. 1. Johan. 2. 23. Apoc. 1. 14. Gal. 5. 1.

[a] Tres MSS. *cælestibus justitiam deseventibus.*

[b] Ita sex MSS. At Lov. *ad patres*; Am. & Er. *ad parentes.*

lum aliud jugum potest intelligi, quo eos adtineri A nolit, nisi circumcisionis taliumque observationum Judaïcarum: ita enim & sequitur, *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*: quomodo accepturi sumus quod ait, *ne iterum servitutis jugo adtineamini*: cùm ad eos scribat qui Judæi numquam fuerant? Nam hoc agit utique, ne circumcidantur. Sed nimirum hîc declaratur & confirmatur illa sententia, de qua superiùs disputavimus. Quid enim aliud hoc loco Gentibus dicat, non invenio, nisi ut prosit illis B quòd à servitute superstitionis suæ per fidem Christi liberati sunt, ne iterum servi esse velint sub jugo observationum carnalium, quamvis sub Lege Dei, tamen carnalem populum serviliter alligantium. Christum autem nihil eis profuturum esse dicit, si circumcidantur: sed illo modo, quo eos isti volebant circumcidi, id est, ut in carnis circumcisione ponerent spem salutis. Non enim Timotheo non profuit Christus, quia Paulus ipse illum jam *Act. 16. 3.* Christianum juvenem circumcidit: fecit autem C hoc propter scandalum suorum, nihil simulans om- *1. Cor. 7. 19.* nino, sed ex illa indifferentia, qua dicit, Circumcisio nihil est, & præputium nihil est. Nihil enim obest illa circumcisio ei, qui salutem in illa esse non credit. Secundùm hanc sententiam etiam illud ad- *Gal. 5. 3.* didit, *Testificor autem omni homini circumcidenti se*, id est, tamquam salutarem istam circumcisionem appetenti, *quia debitor est universæ Legis faciendæ*. Quod ideo ait, ut vel terrore tam innumerabilium observationum, quæ in Legis operibus scriptæ sunt, D ne omnes implere cogerentur, (quod nec ipsi Judæi, nec parentes eorum implere potuerunt, sicut *Act. 15. 10.* Petrus in Actibus Apostolorum dicit,) abstinerent se ab his, quibus eos isti subjugare cupiebant.

Gal. 5. 4. 42. *Evacuati*, inquit, *estis à Christo, qui in Lege justificamini*. Hæc est illa proscriptio, qua Chri- *Gal. 3, 1.* stum proscriptum superiùs dixerat, ut cùm isti evacuarentur à Christo, id est, Christus ab eis tamquam à possessione quam tenebat, abscedit, opera Legis in eam possessionem tamquam in vacuam in- E ducantur. Quod quia non Christo, sed illis obest, addidit, *à gratia excidistis*. Cùm enim hoc agat gratia Christi, ut illi qui debitores erant operum Legis, liberentur hoc debito, isti ingrati tantæ gratiæ, debitores esse volunt universæ Legis faciendæ. Nondum autem erat factum; sed quia voluntas moveri cœperat, ita plerisque locis loquitur quasi *v. 5.* factum sit. *Nos enim*, inquit, *spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus*. In quo demonstrat ea pertinere ad fidem Christi, quæ spiritaliter exspectantur; non F quæ carnaliter desiderantur, qualibus promissionibus servitus illa tenebatur: sicut alio loco dicit, *2 Cor 4. 18.* Non respicientibus nobis quæ videntur, sed quæ » non videntur. Quæ enim videntur, temporalia » sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Deinde subjunxit, *Gal. 5 6.* *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium*: ut illam indifferentiam declararet, nihilque perniciosum esse in hac circumcisione ostenderet, nisi ex illa salutem sperare. Nihil ergo valere dicit in Christo circum- G cisionem aut præputium, *sed fidem quæ per dilectionem operatur*. Et hîc illud tetigit, quia sub Lege *v. 7.* servitus per timorem operatur. *Currebatis bene*, inquit, *quis vos impedivit veritati non obedire?* Hoc *Gal. 3. 1.* est, quod superiùs ait, Quis vos fascinavit? *Suasio*, *Gal. 5. 8.* inquit, *vestra non ex eo est qui vocavit vos*. Hæc enim suasio carnalis est, ille autem in libertatem vocavit. Suasionem autem eorum dixit, quod eis suadebatur. Eos autem paucos, qui ad illos veniebant, ut ista suaderent, quia in comparatione multitudinis credentium Galatarum exigui numero erant, fermentum appellat. Recipient autem isti *v. 9.* fermentum; & tota massa, id est, tota eorum Ecclesia in corruptione carnalis servitutis quodammodo fermentabitur, si tales suasores tamquam justos & fideles recipientes honoraverint. *Ego*, in- *v. 10.* quit, *confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis*. Hinc utique manifestum est, nondum illos fuisse possessos à talibus. *Qui autem conturbat vos*, inquit, *portabit judicium, quicumque ille fuerit*. Hæc est illa conturbatio contraria ordini, ut de spiritalibus carnales fiant. Et quoniam intelligendum est fuisse quosdam, qui cùm vellent eis istam servitutem persuadere, & viderent eos Pauli apostoli auctoritate revocari, dicerent etiam ipsum Paulum id sentire, sed non eis facilè aperire voluisse sententiam suam, opportunissimè subjecit, *Ego autem, fra-* *v. 11.* *tres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior?* Etiam ab ipsis enim patiebatur persecutionem, qui talia persuadere moliebantur, cùm jam Evangelium suscepisse viderentur. Quos tangit alio loco, ubi ait, Periculis in falsis fratri- *2. Cor. 11.* bus? & hîc in capite Epistolæ, ubi dicit, Propter *26. Gal. 2. 4.* subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt proscultare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent. Ergo si circumcisionem prædicabat, desineret eum persequi. Qui tamen ne timerentur ab eis, quibus Christiana libertas annuntiabatur; aut ne ab ipso Apostolo timeri putarentur, propterea superiùs liberâ plenus fiduciâ, nomen suum etiam professus est, dicens, Ecce ego Paulus dico vobis, *Gal. 5. 2.* quia si circumcidamini, Christus vobis nihil pro- « derit: tamquam si diceret, Ecce me imitamini, ut non timeatis; aut in me causam refundite, si timetis. Quod autem dicit, *Ergo evacuatum est scanda-* *v. 11.* *lum crucis*, sententiam illam repetit, Si ex Lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Sed hîc quo- *Gal. 2. 21.* niam scandalum nominat, in memoriam revocat propterea maximè in Christo passos esse scandalum Judæos, quia istas carnales observationes, quas pro ipsa salute se habere arbitrabantur, eum sæpe animadvertebant præterire atque contemnere. Hoc ergo ita dixit, ac si diceret, Sine causa ergo Christum, cùm ista contemneret, scandalizati Judæi crucifixerunt, si adhuc eis pro quibus crucifixus est, talia persuadentur. Et adjecit elegantissima ambiguitate quasi sub specie maledictionis benedictionem, dicens, *Vtinam & abscidantur qui vos con-* *Gal. 5. 12.* *turbant*. Non tantùm, inquit, circumcidantur, sed & abscidantur. Sic enim fient spadones propter *Matth. 19.* regnum cælorum, & carnalia seminare cessabunt. *12.*

43. *Vos enim*, inquit, *in libertatem vocati estis* *v. 13.* *fratres*. Quia illa conturbatio à spiritalibus ad carnalia revocans in servitutem trahebat. Sed jam hinc opera illa Legis tractare incipit, de quibus eum suprà dixeram in fine Epistolæ tractaturum, *Suprà n. 19.* quæ ad novum quoque Testamentum pertinere nemo ambigit; sed alio fine, quo liberos ea facere decet, id est, caritatis æterna sperantis hinc præmia, & ex fide exspectantis. Non sicut Judæi, qui timore ista implere cogebantur, non illo casto permanente in sæculum sæculi, sed quo timebant præ- *Psal. 18. 10.* senti vitæ suæ: & ideo quædam opera Legis implebant, quæ in sacramentis sunt; illa verò quæ ad

bonos mores pertinent, omnino non poterant. A Non enim implet ea nisi caritas. Quia & hominem si propterea non occidit aliquis, ne & ipse occidatur; non implet præceptum justitiæ: sed si ideo non occidit, quia injustum est, etiam si id possit facere impunè, non solùm apud homines, sed etiam apud *1. Reg. 24.* Deum. Sicut David cùm divinitus accepisset in po- *4.* testatem regem Saül, impunè utique occideret, nec hominibus in se vindicaturis, quia multùm ab eis diligebatur idem David; nec Deo, qui hanc ipsam B potestatem dedisse se dixerat, ut omnino ei faceret quod vellet. Pepercit ergo diligens proximum tamquam seipsum, non solùm persecutum, sed etiam persecuturum, qui eum corrigi quàm interfici malebat: homo in veteri Testamento, sed non homo de veteri Testamento, quem fides futuræ he- n reditatis Christi revelata & [a] credita salvum faciebat, & ad imitandum vocabat. Ideo nunc dicit *Gal. 5. 13.* Apostolus, *In libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis*: id est, ne C audito nomine libertatis, impunè vobis peccandum esse arbitremini. *Sed per caritatem*, inquit, *servite invicem*. Qui enim per caritatem servit, liberè servit, & sine miseria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur.

v. 14. 44. *Omnis enim Lex*, inquit, *in uno sermone impleta est, in eo quòd diliges proximum tuum tamquam teipsum*. Omnem ergo Legem nunc dicit ex his operibus, quæ ad bonos mores pertinent. Quia & D illa quæ sunt in sacramentis, cùm bene à liberis intelliguntur, nec carnaliter observantur à servis, ad illa duo præcepta referantur necesse est, dilectionis Dei & proximi. Rectè itaque accipitur ad hoc *Matth. 5. 17.* pertinere quod etiam Dominus ait, Non veni Legem solvere, sed implere: quia erat ablaturus timorem carnalem; spiritalem autem caritatem da- *Rom. 13. 10.* turus, qua solâ Lex impleri potest. Plenitudo enim Legis, caritas: ut quoniam fides impetrat Spiri- E tum sanctum, per quem caritas Dei diffusa est in *Rom. 5. 5.* cordibus operantium justitiam, nullo modo quisquam ante gratiam fidei de bonis operibus glorietur. Quapropter istos jactantes se de operibus Legis ita refellit Apostolus, dum ostendit opera vetusta sacramentorum umbras futurorum fuisse, quas jam adventu Domini libero heredi necessarias non esse monstravit: opera verò ad bonos mores pertinentia non impleri nisi dilectione, per quam *Gal. 5. 6.* fides operatur. Unde si opera Legis quædam post F fidem superflua, quædam ante fidem nulla sunt; *Habac. 2 4.* vivat justus ex fide, ut & onus grave servitutis abji- *Matth. 11.* ciat, levi sarcinâ Christi vegetatus, & justitiæ me- *30.* tas non transgrediatur, [b] leni jugo caritatis obtem- b perans.

45. Quæri autem potest, cur Apostolus & hîc solam commemoravit proximi dilectionem, qua Legem dixit impleri; & ad Romanos cùm in ea- *Rom. 13. 8.* dem quæstione versaretur, Qui enim diligit alte- *&c.* » rum, inquit, Legem implevit: nam, Non adultera- G » bis, Non homicidium facies, Non furaberis, Non » concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc » sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum » tamquam teipsum. Dilectio proximi malum non » operatur. Plenitudo autem Legis, caritas. Cùm ergo nonnisi in duobus præceptis dilectionis Dei & proximi perfecta sit caritas, cur Apostolus & in hac & in illa Epistola solam proximi dilectionem commemorat; nisi quia de dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi faciliùs convincuntur eam non habere, dum iniquè cum hominibus agunt? Consequens est autem, ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat & proximum tamquam seipsum: quia hoc jubet ille, quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, id est, omnem hominem tamquam seipsum, quis potest, nisi Deum diligat, cujus præcepto & dono dilectionem proximi possit implere? Cùm ergo utrumque præceptum ita sit, ut neutrum sine altero possit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque sufficit, cùm agitur de operibus justitiæ: sed opportuniùs illud, de quo quisque faciliùs convincitur. Unde Johannes dicit, Qui enim *1. Johan. 4.* non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem *20.* non videt quomodo potest diligere? Mentiebantur enim quidam dilectionem se Dei habere, & de odio fraterno eam non habere convincebantur: de quo judicare in quotidiana vita & moribus facile est. *Si* *Gal. 5. 15.* *autem mordetis*, inquit, *& comeditis invicem, videte ne ab invicem consumamini*: hoc enim maximè vitio contentionis & invidentiæ, perniciosæ disputationes inter eos nutriebantur, malè de invicem loquendo, & quærendo quisque gloriam suam vanamque victoriam, quibus studiis consumitur societas populi, dum in partes dissinditur. Quomodo autem ista vitare possunt, nisi spiritu ambulent, & concupiscentias carnis non perficiant? PRIMUM enim ET MAGNUM MUNUS est Spiritûs, humilitas, & mansuetudo. Unde illud, quod jam commemoravi, Dominus clamat, Discite à me, quia *Matth. 11.* mitis sum, & humilis corde: & illud Prophetæ, *29.* Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super hu- *Isai 66. 2.* milem & quietum, & trementem verba mea?

46. Quod autem ait, *Caro enim concupiscit ad-* *Gal. 5. 17.* *versùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem; hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis*: putant hîc homines liberum voluntatis arbitrium negare Apostolum nos habere, nec intelligunt hoc eis dictum, si gratiam fidei susceptam tenere nolunt, per quam solam possunt spiritu ambulare, & concupiscentias carnis non perficere; si ergo nolunt eam tenere, non poterunt ea quæ volunt facere. Volunt enim operari opera justitiæ, quæ sunt in Lege, sed vincuntur concupiscentiâ carnis, quam sequendo deserunt gratiam fidei. Unde & ad Romanos dicit, Prudentia carnis inimica *Rom. 8. 7.* in Deum: Legi enim Dei non est subjecta, neque « enim potest. Cùm enim caritas Legem impleat, prudentia verò carnis commoda temporalia consectando spirituali caritati adversetur, quomodo potest Legi Dei esse subjecta, id est, libenter atque obsequenter implere justitiam, eique non adversari; quando etiam dum conatur, vincatur necesse est, ubi invenerit majus commodum temporale de iniquitate se posse assequi, quàm si custodiat æquitatem? Sicut enim prima hominis vita est ante Le- Vita hominis ante Legem, sub Lege, sub gratia. gem, cùm nulla nequitia & malitia prohibetur, neque ulla ex parte pravis cupiditatibus resistit; quia non est qui prohibeat: sic secunda est sub Lege ante gratiam, quando prohibetur quidem & conatur à peccato abstinere se, sed vincitur; quia nondum justitiam propter Deum & propter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi vult ad conquirendum terrena

[a] Sic MSS. Editi verò, *& reddita*.

servire. Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit justitiam: quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud, quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit. Tertia est vita sub gratia, quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur: quod nisi caritate spiritali, quam Dominus exemplo suo docuit, & gratiâ donavit, fieri non potest. In hac enim vita etiamsi exsistant desideria carnis de mortalitate corporis, tamen mentem ad consensionem peccati non sub- B
Rom. 6. 12. jugant. Ita jam non regnat peccatum in nostro mortali corpore; quamvis non possit nisi inhabitare in eo, quamdiu mortale corpus est. Primò enim
Rom. 7. 25. non regnat, cùm mente servimus Legi Dei, quamvis carne legi peccati, id est, pœnali consuetudini, cùm ex illa exsistunt desideria, quibus tamen non obedimus. Postea verò ex omni parte exstinguitur.
Rom. 8. 11. Quoniam si Spiritus Jesu habitat in nobis, qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra, propter Spiritum qui habi- C tat in nobis. Nunc ergo implendus est gradus sub gratia, ut faciamus quod volumus spiritu, etiamsi carne non possumus: id est, non obediamus desi-
Rom. 6. 13. deriis peccati ad præbenda illi membra nostra arma iniquitatis, etiamsi non valemus efficere ut eadem desideria non exsistant: ut quamvis nondum simus in pace illa æterna ex omni hominis parte perfecta, jam tamen desinamus esse sub Lege, ubi prævaricationis rea mens tenetur, dum eam concupiscentia carnis in consensionem peccati captivam ducit; D simus autem sub gratia, ubi nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu; quia non certantem, sed victum pœna consequitur,

1. Retract. 24. n. 2. Gal. 5. 18. 47. Ordinatissimè itaque subjungit, *Quòd si spiritu ducimini, non adhuc estis sub Lege:* ut intelligamus eos esse sub Lege, quorum spiritus ita concupiscit adversùs carnem, ut non ea quæ volunt faciant: id est, non se teneant invictos in caritate justitiæ, sed à concupiscente adversùm se carne vincantur; non solùm eâ repugnante legi E mentis eorum, sed etiam captivante illos sub lege peccati, quæ est in membris mortalibus. Qui enim non ducuntur spiritu, sequitur ut carne ducantur. Non autem, pati adversitatem carnis, sed duci à carne, damnatio est. Et ideo, *Quòd si spiritu*, inquit, *ducimini, non adhuc estis sub Lege.* Nam & supe-
v. 16. riùs non ait, Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis non habueritis; sed, ne perfeceritis. Quippe non eas omnino habere, non jam certamen, sed certaminis præmium est, si obtinuerimus victoriam F perseverando sub gratia. Commutatio enim corporis in immortalem statum sola carnis concupiscentias non habebit.

48. Deinde incipit opera carnis enumerare, ut intelligant se, si ad operandum ista desideriis carnalibus consenserint, tunc duci carne, non spiri-
v. 19. tu. * *Manifesta autem sunt*, inquit, *opera carnis,*
v. 20. *quæ sunt fornicationes, immunditiæ,* * *idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, animositates,*
v. 21. *æmulationes, dissensiones, hæreses,* * *invidiæ,* G *ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Aguntautem hæc qui cupiditatibus carnalibus consentientes facienda esse decernunt, etiam si ad implendum facultas non datur. Ceterùm qui tanguntur hujusmodi motibus, & immobiles in majore caritate consistunt, non solùm non eis exhibentes membra corporis ad malè operandum, sed neque nutu consensionis ad exhibendum consentientes; non hæc agunt, & ideo regnum Dei possidebunt. Non enim jam re- *Rom.* 6. 12. gnat peccatum in eorum mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus; quamvis habitet in eorum mortali corpore peccatum, nondum exstincto impetu consuetudinis naturalis, qua mortaliter nati sumus, & propriæ vitæ nostræ, cùm & nos ipsi peccando auximus quod ab origine peccati humani damnationisque trahebamus. Aliud est enim, non peccare; aliud non habere peccatum. Nam in quo peccatum non regnat, non peccat, id est, qui non obedit desideriis ejus: in quo autem non exsistunt omnino ista desideria, non solùm non peccat, sed etiam non habet peccatum. Quod etiam si ex multis partibus in ista vita possit effici, ex omni tamen parte nonnisi in resurrectione carnis atque commutatione sperandum est. Potest autem movere quod ait, *Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, si quæratur ubi ista prædixerit; nam in hac Epistola non invenitur. Ergo aut præsens cùm esset, hoc prædixerat; aut cognoverat perveniisse ad illos Epistolam, quæ missa est ad Corinthios. Ibi enim sic ait, *1. Cor.* 6. 9. Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis & 10. servientes, neque adulteri, neque molles, neque « masculorum concubitores, neque fures, neque « avari, neque ebriosi, neque maledici, neque ra- « paces regnum Dei possidebunt. «

49. Hîc ergo cùm enumerasset opera carnis, quibus clausum est regnum Dei, subjecit etiam opera spiritûs, quos spiritûs fructus vocat, * *Fructus* *Gal.* 5. 22. *autem spiritûs est*, inquit, *caritas, gaudium, pax,* v. 23. *longanimitas, benignitas, bonitas, fides,* * *mansuetudo, continentia:* & addidit, *Adversùs hujusmodi non est lex:* ut intelligamus illos sub Lege positos, in quibus ista non regnant. Nam in quibus hæc regnant, ipsi Lege legitimè utuntur, quia non est illis Lex ad coercendum posita: major enim & præpollentior delectatio eorum justitia est. Sic enim ad *1. Tim.* 1. 8. Timotheum dicit, Scimus enim quia bona est Lex, etc. si quis eâ legitimè utatur, sciens hoc quia Lex justo « posita non est: injustis autem, & non subditis, impiis « & peccatoribus, & sceleſtis, & contaminatis, patri- « cidis, & matricidis, homicidis, fornicatoribus, « masculorum concubitoribus, plagiariis, mendaci- « bus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur: subauditur, his Lex posita est. Regnant ergo spirituales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentationibus ne in peccati consensionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est: ut verbi gratiâ, occurrit forma speciosæ feminæ, & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulcritudo illa intima & sincera speciei castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundùm hanc vivimus, & secundùm hanc operamur; ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis ejus, sed regnante justitiâ per caritatem cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoscimus. Quod autem de castitate & de fornicatione dixi, hoc de ceteris intelligi volui.

50. Neque moveat, vel quòd non omnino ad eumdem numerum & ordinem opera carnis in hac Epistola enumeravit, atque in illa ad Corinthios:

vel quòd spiritalia bona pauciora, pluribus carna- A libus vitiis opposuit; neque ita è contrario ut fornicationibus castitas, immunditiis munditia, atque ita ceteris cetera occurrerent. Non enim hoc suscepit ut doceret quot sint, sed in quo genere illa vitanda, illa verò expetenda sint, cùm carnis & spiritûs nominibus à pœna peccati atque peccato ad gratiam Domini atque justitiam nos converti oportere prædiceret: ne deferendo gratiam temporalem, qua pro nobis Dominus mortuus est, non perveniamus ad æternam quietem, in qua pro nobis Dominus B vivit; neque intelligendo pœnam temporalem in
a qua [a] nos Dominus mortalitate carnis edomare dignatus est, in pœnam sempiternam incidamus, quæ perseveranti adversùm Dominum superbiæ præparata est. Cùm enim commemoratis multis operibus carnis, addidit *& his similia:* satis ostendit non se ista examinatiore numero collocasse, sed liberiore sermone posuisse. Hoc etiam de spiritalibus fructibus fecit. Non enim ait, Adversùs hæc *non est Lex:* sed, *Adversùs hujusmodi*, hoc est, sive C ista, sive etiam cetera hujusmodi.

51. Sed tamen diligenter considerantibus non hîc omni modo carnalium spiritaliumque operum oppositio inordinata atque confusa est. Ob hoc autem latet, quia pauciora, vel singula quibusdam pluribus opponuntur. Nam ex eo quòd carnalium vitiorum in capite posuit fornicationes, in capite autem virtutum spiritalium caritatem, quem non divinarum litterarum studiosum faciat intentum ad Fornicatio. perscrutanda cetera? Si enim fornicatio est amor à D legitimo connubio solutus & vagus, explendæ libidinis consectando licentiam; quid tam legitimè ad spiritalem fecunditatem conjungitur quàm anima Deo? Cui quantò fixiùs inhæserit, tantò est incorruptior. Inhæret autem caritate. Rectè igitur fornicationi opponitur caritas, in qua sola est custodia castitatis. Immunditiæ autem sunt omnes perturbationes de illa fornicatione conceptæ, quibus gaudium tranquillitatis opponitur. Idolorum autem servitus, ultima fornicatio est animæ, prop- E ter quam etiam bellum adversùs Evangelium cùm reconciliatis Deo furiosissimum gestum est, cujus reliquiæ quamvis tritæ diu, adhuc tamen recalent. Huic itaque pax contraria est, qua reconciliamur Deo, eademque pace etiam cum hominibus custodita, veneficiorum, inimicitiarum, contentionum, æmulationum, animositatum, dissentionumque vitia sanantur in nobis: ut autem in aliis, inter quos vivimus, justa moderatione tractentur, & ad sustinendum longanimitas, & ad curandum F benignitas, & ad ignoscendum bonitas militat. Jam verò hæresibus fides, invidiæ mansuetudo, ebrietatibus & comessationibus continentia reluctatur.

52. Ne quis sanè arbitretur hoc esse invidiam quod est æmulatio: vicina enim sunt, & propter ipsam vicinitatem plerumque utrumlibet horum pro altero, vel æmulatio pro invidia, vel invidia pro æmulatione ponitur. Sed quia utrumque hîc locis suis dictum est, utique distinctionem de nobis G Æmulatio. flagitant. Nam æmulatio est dolor animi, cùm alius pervenit ad rem, quam duo plurésve appetebant, & nisi ab uno haberi non potest. Istam sanat pax, qua id appetimus, quod omnes qui appetunt, Invidia. si assequantur, unum in eo fiunt. Invidia verò dolor animi est, cùm indignus videtur aliquis assequi, etiam quod tu non appetebas. Hanc sanat mansuetudo, cùm quisque ad judicium Dei [b] revocans, b non resistit voluntati ejus, & magis ei credit rectè factum esse, quàm sibi quod putabat indignum.

53. *Crucifixerunt autem carnem suam cum passionibus* *Gal.* 5. 24. *& concupiscentiis*, sicut consequenter dicit, *qui sunt in Christo Jesu.* Unde autem crucifixerunt, nisi timore illo casto permanente in sæculum sæculi, quo ca- *Psal.* 18. 10. vemus offendere illum, quem toto corde, totâ animâ, tota mente diligimus? Non enim hoc timore timet adultera, ne custodiatur à viro, quo timet casta ne deseratur: illi enim tristis est præsentia viri, huic absentia. Et ideo timor ille corruptus est, & transire non vult hoc sæculum: iste autem castus permanet in sæculum sæculi. De quo timore crucifigi optat Propheta, cùm dicit, Confige clavis à *Psal.* 118. timore tuo carnes meas. Ista crux est de qua Do- 120. minus dicit, Tolle crucem tuam, & sequere me. *Matth.* 16. 24.

54. *Si spiritu*, inquit, *vivimus, spiritu & sectemur.* *Gal.* 5. 25. Manifestum est certè secundùm id nos vivere quod sectari fuerimus, sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso exsistant duo, præceptum justitiæ, & consuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id sectabimur quod ampliùs dilexerimus: si tantumdem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur; sed aut timore, aut inviti trahemur in alterutram partem, aut si utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis & timoris alternante quassati. Sed pax Christi vincat in cordibus nostris. *Coloss.* 3. 15. Tunc enim orationes & gemitus, & in auxilium invocata dextera misericordiæ Dei, sacrificium contribulati cordis non despicit, caritatemque sui ampliorem commendatione periculi, de quo liberavit, exsuscitat. In eo autem illi fallebantur, quòd negare quidem non poterant, sectandum sibi esse Spiritum-sanctum, adsertorem ac ducem libertatis suæ; sed ad opera servilia carnaliter conversi, retrorsum se conari non intelligebant. Propterea non ait, *Si spiritu vivimus*, spiritum sectemur; sed, *spiritu sectemur*, inquit. Fatebantur enim Spiritui-sancto servire oportere: & eum non spiritu suo, sed carne volebant sectari; non spiritaliter obtinentes gratiam Dei, sed in circumcisione carnali & ceteris hujusmodi spem constituentes salutis.

55. *Non efficiamur*, inquit, *inanis gloriæ cupi-* *Gal.* 5. 26. *di, invicem invidentes, & invicem provocantes.* Prorsus magnificè & omnino divino ordine, postea quàm eos instruxit adversùs illos à quibus in servitutem Legis seducebantur, hoc in eis cavet, nè instructiores facti, & volentes jam calumniis carnalium respondere, contentionibus studeant, & appetitu inanis gloriæ, Legis oneribus non servientes, vanis cupiditatibus serviant.

56. NIHIL autem SIC PROBAT SPIRITALEM VIRUM, quàm peccati alieni tractatio, Correptio alieni peccati. cùm liberationem ejus potiùs quàm insultationem, potiúsque auxilia quàm convicia meditatur, & quantum facultas tribuitur suscipit. Et ideo dicit, *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo* *Gal.* 6. 1. *delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi.* Deinde ne sibi quisque videatur instruere, etiam cùm protervè exagitat irridetque peccantem, aut superbè tamquam insanabilem detestatur, *in spiritu*, inquit, *mansuetudinis, intendens teipsum, ne & tu tenteris.* Nihil enim ad misericordiam sic inclinat, quàm proprii periculi cogitatio. Ita eos nec deesse

[a] Tres MSS. *in qua Dominus mortalitatem carnis.*

I I [b] Tres MSS. *se revocans.*

voluit fratrum correptioni, nec studere certamini. Multi enim homines cùm à somno excitantur, litigare volunt; aut rursus dormire, cùm litigare prohibentur. Pax igitur & dilectio, [a] communis periculi cogitatione, in corde serventur: modus autem sermonis, sive acriùs, sive blandiùs proferatur, sicut salus ejus quem corrigis postulare videtur, moderandus est. Nam & alio loco dicit, Servum autem Domini litigare non oportet: sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem. Et ne quisquam ex eo putet cessandum sibi esse à correptione erroris alterius, vide quid adjungat, In modestia, inquit, corripientem diversa sentientes. Quomodo in modestia, quomodo corripientem, nisi cùm lenitatem corde retinemus, & aliquam medicamenti acrimoniam verbo correptionis adspergimus? Nec aliter accipiendum video quod in eadem Epistola positum est, Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, hortare, increpa in omni longanimitate & doctrina. Importunitas enim opportunitati utique contraria est: neque omnino ullum medicamentum sanat, nisi quod opportunè adhibueris. Quamquam ergo & sic possit distingui, Insta opportunè, ut alius sit sensus, Importunè argue, deinde cetera contexantur, Hortare, increpa cum omni longanimitate & doctrina: ut tunc opportunus sentiaris, cùm instas ædificando; cùm autem destruis arguendo, non cures etiam si importunus videaris, si hoc est talibus importunum. Ita duo quæ sequuntur, ad duo superiora possunt singillatim referri, Hortare cùm opportunè instas, increpa cùm importunè arguis: deinde cetera duo similiter, sed converso ordine, referuntur, Cum omni longanimitate ad sustinendas indignationes eorum quos destruis, & doctrinâ ad instruenda eorum studia quos ædificas. Tamen etiamsi illo usitatiore modo distinguatur: Insta opportunè; quòd si hoc modo non proficis, importunè: ita intelligendum est, ut tu opportunitatem omnino non deseras, & sic accipias quod dictum est, importunè, ut illi videaris importunus, qui non libenter audit quæ dicuntur in eum: tu tamen scias hoc illi esse opportunum, & dilectionem curamque sanitatis ejus animo teneas mansueto & modesto & fraterno. Multi enim postea cogitantes quæ audierint, & quàm justa audierint, ipsi se graviùs & severiùs arguerunt; & quamvis perturbatiores à medico viderentur abscedere, paulatim verbi vigore in medullas penetrante, sanati sunt: quod non fieret, si semper exspectaremus periclitantem putrescentibus membris, quando eum libêret aut uri aut secari. Quod nec ipsi corporis medici adtendunt, qui terrenæ mercedis intuitu curant. Quotus enim quisque reperitur, qui ferrum eorum aut ignem non ligatus expertus sit? cùm & illi rariores sint qui volentes ligati fuerint? Plures enim resistentes, & mori se malle clamantes, quàm illo curari modo, vix linguâ ipsâ eorum relictâ liberâ omnibus membris constrinxerunt; neque ad suum, neque ad reluctantis, sed ad ipsius artis arbitrium: quorum tamen vocibus conviciisque dolentium nec commovetur curantis animus, nec quiescit manus. Medicinæ autem cælestis ministri, aut per odiorum trabem cernere stipulam in oculo fratris volunt, aut tolerabiliùs mortem videre peccantis, quàm verbum indignantis audire: quod non ita accidisset, si tam sanum animum curando alterius animo adhiberemus, quàm sanis manibus illi medici aliena membra pertractant.

57. Numquam itaque alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. Quòd si convicium, vel minæ, vel etiam persecutiones ejus quem argueris, laceraverint animum, si adhuc ille per te sanari posse videbitur, nihil respondeas donec saneris prior: ne fortè carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias, & exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non caritas corrigentis. DILIGE, & dic quod voles: nullo modo maledictum erit quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisque te in gladio verbi Dei, liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quòd si fortè, ut plerumque accidit, dilectione quidem talem suscipis actionem, & ad eam corde dilectionis accedis, sed inter agendum subrepserit aliquid, dum tibi resistitur, quod te auferat ab hominis vitio percutiendo, & ipsi homini faciat infestum; postea te lacrymis lavantem hujusmodi pulverem, multò salubriùs meminisse oportebit, quàm non debeamus super aliorum superbire peccata, quando in ipsa eorum objurgatione peccamus, cùm faciliùs nos ira peccantis iratos, quàm miseria misericordes facit.

58. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis Legem Christi:* Legem utique caritatis. Si autem implet Legem qui diligit proximum, dilectioque proximi etiam in veteribus Scripturis maximè commendatur; in qua dilectione dicit alio loco idem Apostolus, recapitulari omnia mandata Legis: manifestum est etiam illam Scripturam, quæ priori populo data est, Legem Christi esse, quam venit implere caritate, quæ non implebatur timore. Eadem igitur Scriptura & idem mandatum, cùm bonis terrenis inhiantes premit servos, Testamentum vetus; cùm in bona æterna flagrantes erigit liberos, Testamentum novum vocatur.

59. *Si enim aliquis*, inquit, *videtur esse aliquid, cùm nihil sit, seipsum seducit.* Non enim eum seducunt laudatores ejus, sed ipse potiùs: quia cùm sibi sit ipse prætentior quàm illi, mavult se in illis quærere, quàm in seipso. Sed quid dicit Apostolus? *Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in seipso tantùm gloriam habebit, & non in altero*, id est, intus in conscientia sua: *& non in altero*, id est, cùm eum alter laudat. *Unusquisque enim*, inquit, *proprium onus portabit.* Non ergo laudatores nostri minuunt onera conscientiæ nostræ: atque utinam non etiam accumulent, cùm plerumque ne illis offensis laus nostra minuatur, aut objurgatione illos curare negligimus, aut jactanter eis aliquid nostrum ostentamus, potiùs quàm constanter ostendimus. Omitto ea quæ fingunt & mentiuntur de se homines propter hominum laudes. Quid enim ista cæcitate tenebrosius, ad obtinendam inanissimam gloriam errorem hominis aucupari, & Deum testem in corde contemnere? Quasi verò ullo modo comparandus sit error illius qui te bonum putat, errori tuo qui homini de falso bono placere studes, de vero malo displices Deo.

60. Jam cetera planissima esse existimo. Nam

[a] Am. & Er. *& communis periculi cogitatio in corde reservetur.* Sic etiam MSS. uno tantùm excepto.

&

& illud usitatum præceptum est, ut prædicatori verbi Dei præbeat necessaria, cui prædicatur. Ad bona enim opera hortandi erant, ut etiam egenti Christo ministrarent, staturi ad dexteram cum agnis: ut plus in eis operaretur dilectio fidei, quàm Legis posset timor. Neque hoc quisquam majore fiduciâ debet præcipere, quàm hic Apostolus, qui manibus suis victum transigens, hæc in se nolebat fieri, ut majore pondere, propter eorum magis utilitatem qui hæc exhiberent, quàm propter eorum quibus exhiberent ea, se monere omnibus demonstraret.

61. Quod autem deinde subjungit, *Nolite errare, Deus non subsannatur: quod enim seminaverit homo, hoc & metet:* novit inter quæ verba perditorum hominum laborent, qui constituuntur in fide rerum earum, quas non vident. Vident enim seminationem operum suorum, sed messem non vident. Nec talis eis messis promittitur, qualis hîc reddi solet; quia justus ex fide vivit. *Quia qui seminaverit*, inquit, *in carne sua, ex carne metet corruptionem.* Hoc dicit de amatoribus voluptatum magis quàm Dei. In carne enim sua seminat, qui omnia quæ facit, etiamsi bona videantur, propterea tamen facit, ut carnaliter ei bene sit. *Qui autem seminaverit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Seminatio in spiritu est, ex fide cùm caritate servire justitiæ, & non obaudire desideriis peccati, quamvis de mortali carne existentibus. Messis autem vitæ æternæ cùm inimica novissima destruetur mors, & absorbebitur mortale à vita, & corruptibile hoc induet incorruptionem. In hoc ergo tertio gradu, quo sub gratia sumus, seminamus in lacrymis, cùm exsistunt desideria de animali corpore; quibus non consentiendo renitimur, ut in gaudio metamus, cùm etiam reformato corpore, ex nulla parte hominis, ulla nos sollicitabit molestia ullumve tentationis periculum. Nam etiam ipsum animale corpus deputatur in semine. Seminatur enim corpus animale, ait alio loco: ut ad messem pertineat quod adjunxit, surget corpus spiritale. Huic ergo sententiæ Propheta concinit, dicens, Qui seminat in lacrymis, in gaudio metet. Bene autem seminare, id est, bene operari, faciliùs est, quàm in eo perseverare. Fructus enim solet laborem consolari: messis autem nostra in fine promittitur; & ideo perseverantiâ opus est. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et Propheta clamat, Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Quod nunc Apostolus ait, * *Bonum autem facientes*, inquit, *non infirmemur: proprio enim tempore metemus infatigabiles.*

62. Deinde cùm docuisset, opera ipsa Legis, quæ sunt salubria & ad bonos mores pertinent, dilectione fidei posse tantummodo impleri, non timore servili, redit ad illud, unde tota causa agitur: *Vidistis*, inquit, *qualibus litteris vobis scripsi manu mea.* Cavet, ne quisquam sub nomine Epistolæ ejus fallat incautos. *Qui volunt*, inquit, *placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm ut in cruce Christi persecutionem non patiantur.* Multùm enim persequebantur Judæi eos, qui videbantur deferre traditas hujusmodi observationes: quos ipse quàm non timeat satis ostendit, cùm tales litteras etiam sua manu scribere voluit. Docet ergo timorem adhuc in istis operari, tamquam sub Lege constitutis, qui ad circumcisionem Gentes cogerent. *Neque enim qui circumcisi sunt, hi Legem custodiunt.* Illam enim dicit custoditionem Legis, Non occidere, Non mœchari, Non falsum testimonium dicere; & si qua hujusmodi ad bonos mores pertinere manifestum est: quæ nisi caritate & spe bonorum æternorum, quæ per fidem accipiuntur, impleri non posse jam dictum est. *Sed volunt vos circumcidi*, inquit, *ut in vestra glorientur carne:* id est, ut non solùm non patiantur persecutionem à Judæis, qui nullo modo ferebant incircumcisis Legem prodi, sed etiam glorientur apud eos, quòd tam multos proselytos faciunt. Ut enim unum proselytum Judæi facerent, mare & terram eos circuire solere, Dominus dixit. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Mundus mihi crucifixus est*, ait, ut me non teneat: *& ego mundo*, ut eum non teneam: id est, ut neque mundus mihi nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam. Qui autem in cruce Christi gloriatur, non vult placere in carne; quia persecutiones carnalium non timet, quas prior ut crucifigeretur ille sustinuit, ut vestigia sua sectantibus præberet exemplum.

63. *Neque enim circumcisio aliquid est, neque præputium.* Servat usque in finem illam indifferentiam, ne quis eum putaret, vel in Timothei circumcisione simulatè aliquid egisse, vel in cujusquam agere, si fortè aliqua talis causa exstitisset. Ostendit enim, non ipsam circumcisionem obesse aliquid credentibus, sed spem salutis in talibus observationibus constitutam. Nam & in Actibus Apostolorum hoc modo inveniuntur illi circumcisionem persuadere, ut aliter eos, qui ex Gentibus crediderant, salvos fieri negent posse. Non ergo ipsius operis, sed hujus erroris perniciem refellit Apostolus. *Neque circumcisio* ergo, *aliquid est, neque præputium, sed nova*, inquit, *creatura.* Novam creaturam dicit vitam novam per fidem Jesu Christi: & notandum verbum est. Difficilè enim inveneris creaturam vocari etiam eos, qui jam credendo in adoptionem filiorum venerunt. Dicit tamen & alio loco, Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova: omnia autem ex Deo. Ubi autem dicit, Et ipsa creatura liberabitur à servitute interitûs: & postea dicit, Non solùm autem, sed & nos ipsi primitias Spiritûs habentes: discernit eos qui crediderunt ab appellatione creaturæ, quomodo eosdem aliquando homines, aliquando non homines dicit. Nam exprobrans objecit Corinthiis quodam loco, quòd adhuc homines essent, ubi ait, Nonne homines estis, & secundùm hominem ambulatis? Quomodo eumdem Dominum etiam post resurrectionem, alicubi non hominem appellat, sicut in principio hujus Epistolæ, cùm ait, Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum; alicubi autem hominem, sicut illo loco ubi ait, Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. *Et quicumque*, inquit, *hanc regulam sectantur, pax super illos & misericordia, & super Israël Dei:* id est, eos qui verè ad visionem Dei præparantur, non qui vocantur hoc

nomine, & carnali cæcitate videre Dominum nolunt, quando gratiam ejus respuentes servi esse temporum cupiunt.

v. 17. 64. *De cetero*, inquit, *laborem nemo mihi præstet.* Non vult per turbulentas contentiones tædium sibi fieri de re, quantum satis erat, exposita, & in Epistola quam ad Romanos scripsit, & hac ipsa. *Ego enim stigmata Domini Iesu Christi in corpore meo porto:* id est, habeo alios conflictus & certamina cum carne mea, quæ in persecutionibus quas patior, mecum dimicant. Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum servilium: ut si quis, verbi gratiâ, servus in compedibus fuerit propter noxam, id est, propter culpam, vel hujusmodi aliquid passus fuerit, stigmata habere dicatur: & ideo in jure manumissionis, inferioris est ordinis. Nunc ergo Apostolus stigmata voluit appellare, quasi notas pœnarum de persecutionibus, quas patiebatur. Propter culpam enim persecutionis, qua persecutus erat Ecclesias Christi, hæc sibi retribui cognoverat: sicut ab ipso Domino dictum est Ananiæ, cùm idem illum Ananias tamquam persecutorem Christianorum formidaret, Ego illi ostendam, inquit, quæ oporteat eum pati pro nomine meo. Verumtamen propter remissionem peccatorum, in qua baptizatus erat, omnes illæ tribulationes non ei valebant ad perniciem, sed ad coronam victoriæ proficiebant. Act. 9. 16.

Stigmata.

65. Conclusio Epistolæ tamquam subscriptio manifesta est; nam & in nonnullis aliis Epistolis eâ utitur: *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.* Gal. 6. 18.

SYLLABUS CODICUM

AD QUOS DE NOVO RECOGNITI SUNT LIBRI IN TERTII TOMI parte secunda comprehensi:

Necnon variantes lectiones aliquot inter omissas selectæ.

*Quæ asteriscum * habent videntur referenda in textum.*

DE CONSENSU EVANGELISTARUM Libri quatuor.

Recogniti sunt de novo ad codices MSS. Vaticanæ bibliothecæ quatuor, Colbertinæ duos, Beccensis & Cisterciensis totidem, Ecclesiæ Laudunensis unum, item S. Genovefæ Parisiensis, Navarrici Collegii, & D. de S. George Canon. Comitis Lugdunensis unum, ad Corbeiensem optimâ manu & ante 900. aut 1000. annos descriptum, ad probæ notæ Albinensem, Audoënensem, Fiscannensem, Floriacensem, Fossatensem, Gemmeticensem, Germanensem, Pratellensem, Remigiensem, Silvæ-majorensem, Vindocinensem: ad variantes lectiones ex quinque Belgicis Lovaniensium Theologorum operâ collectas: prætereaque ad editionem Rat. seu Bad. id est, quam Jodocus Badius ex Augustini Ratisponensis recensione excudi curavit Lugduni an. 1497. ad Er. id est, Desiderii Erasmi curâ recognitam & Frobenianis typis impressam Basileæ an. 1528. ac demum ad Lov. scilicet, quæ per Lovanienses Theologos emendatior ex officina Plantiniana prodiit an. 1576.

Pag. 2. a. Editi Bad. Er. & plerique MSS. *præsentem in carne viderunt.* Cujus *non solum ea.*

4. a. Editi: *has duas personas apud* antiquos *patres.* Abest *antiquos* à MSS.

6. e. Editi: *quasi* palmam *suæ vanitatis.* Meliùs aliquot MSS. *palmare.*

7. d. Quatuordecim MSS. *de illo fama* nuntiata *est.*

15. a. Editi: *Sed quid ad nos*, si *dicant.* At MSS. abest, *si.*

Ibid. b. Editi: qui *Saturnum colunt.* MSS. verò: *quem.*

Ibid. Editi: *Nam* tametsi fuerit *ille.* MSS. *Nam videderis si fuit.*

18. a. In editis: *codices* Prophetarum nostrorum *ubique.* At plures MSS. *prophetiarum nostrarum.*

23. d. Vetus cod. Corbeiensis: *paululum derelicta &* opprobrio * subjecta. Optimè, id enim respondet Prophetæ verbis antè allatis, *Ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor.*

29. e. Plerique & antiquiores MSS. *ut adoptionem filiorum* recipiamus.

40. d. MSS. juvenalis *ætas.* Sic passim pro, *juvenilis.*

51. f. Nos cum editis: *& maritima & Tyri.* At aliquot MSS. *& maritima Tyri:* omisso *&*, quod à Græco etiam abest.

62. g. Rat. & novemdecim MSS. *qui eos alio* nomine *nominat.*

71. d. Editi: *tulerunt corpus* ejus. Abest, *ejus*, à MSS. & à Græco.

78. g. Er. & Lov. *qui* putat quòd *numquam oravit in via.* At Rat. & MSS. non habent, *putat quòd.*

79. d. Rat. & duo MSS. *sententiam veritate simillimo.*

86. g. Editi: *Homo* quidam *habebat.* Abest, *quidam*, à MSS. & à Græco.

88. e. Lov. *ipse dixisset* qui *veritas est.* Ceteri libri, *quia.*

92. c. Editi: *& tertia* die *consummor.* Abest, *die*, à MSS. & à Græco.

93. c. Post, *quod Matthæus & Marcus*, addunt MSS. *secretò discipulis Dominum interrogantibus quod signum sui adventus esset.*

124. d. Codices plures: *explicatiùs* enarrat, *quamvis.* Et infrà loco, *Tunc cùm flagellasset*, MSS. magno consensu habent, *Tamen.*

136. c. Editi: *ecce duo viri.* At MSS. *& ecce:* juxta Græc.

141. a. Quinque MSS. *sive* sacramentum illius numeri *etiam in undecim.*

DE SERMONE DOMINI IN MONTE SECUNDUM Matthæum Libri duo.

His castigandis libris adhibuimus MSS. Albinensem, Arnulfensem, Cisterciensem Colbertinum, Corbeiensem, Floriacensem, Gemmeticensem, Lyrensem, Michaëlinum, Pratellensem, Sagiensem, Vindocinensem, Vaticanos duos, Beccenses totidem, & Lovaniensium Theologorum variantes Lectiones ex sex Belgicis: necnon suprà laudatas editiones Er. & Lov. quibus hîc accessit editio Johannis Amerbachii perfecta Basileæ an. 1506. & altera Jacobi Mareschallii Lugdun. an. 1520. Consuluimus insuper Eugypii Abbatis excerpta in MSS. Corbeiensi ac Germanensi, & Flori collectionem in alio Corbeiensi.

Pag. 166. a. Septem MSS. *propter regnum* terrarum.

167. d. Editi: *ipsorum miserebitur Deus.* Abest vox, *Deus*, à MSS. & ab Evangelio.

175. f. Am. Er. & plures MSS. *priùs* reconciliari fratri tuo. At Lov. *reconciliare.* Optimè, suffragante Græco διαλλάσθω.

176. f. Lov. *deprecetur:* quod *quisquis* non fecerit *inanis jactantiæ spiritu inflatur.* Sed liquidior est nostra lectio, & à ceteris libris probata.

191. f. Duodecim MSS. *non simulatè ista* insultare.

192. a. Editi: *non ad* ostensionem *operis.* At MSS. *ostentationem.*

193. d. Octo MSS. *dilectionis* mansuetudine *superaverit.*

195. e. Editi: *pecunia tua* te vacuat. MSS. verò: *tua vacabit.*

197. e. Post, *non abruperant amorem*, in editis additur, *ad mortem:* quod abest à MSS.

202. b. Omnes MSS. *cùm id libenter* facerent.

230. b. Editi & MSS. *tenuerit & peregerit, eum ipsum locum:* exceptâ solâ editione Lov. quæ habet, *& pervenerit.*

QUÆSTIONUM EVANGELIORUM Libri duo.

Emendati sunt ad MSS. Victorinos duos, ad Sorbonicum, Vaticanum, Michaëlinum, Cistercienſem, Arnulfensem, Corbeiensem qui annos fere 900. præfert: ad lectiones variantes Lovaniensium ex tribus quatuorve codicibus: ad editos etiam Rat. Am. Er. & Lov.

Pag. 269. c. Tres probæ notæ MSS. *secundum catholicæ regulam edisserat:* omisso *fidei.* Alius: *secundum* catholicam *regulam.*

QUÆSTIONUM SEPTEMDECIM IN MATTHÆUM Liber, incerto auctore.

Ad eosdem codices collatus est, exceptis Michaëlino & Arnulfensi, in quibus hic liber non reperitur.

IN JOHANNIS EVANGELIUM Tractatus CXXIV.

Hos tractatus recognovimus ad MSS. Fossatensem optimæ notæ, descriptum jussu Ingilberti Abbatis circiter an. 840. ad vetustissimos Germanenses duos, ad Corbeiensem, Remigiensem, Gemmeticensem, Floriacensem, Audoënensem, Becheronensem, Pratellensem, Vindocinenses duos, Carcassonensis Ecclesiæ unum, Abbatiæ de Cultura unum. Adhibuimus præterea variantes lectiones Belgicorum septem codicum per Lov. collectas: necnon antiquiores editiones Bad. Er. & Lov.

Pag. 289. a. MSS. nostri magno consensu, *Intuentes:* & infrà, *Et cogitantes*, plurali numero: pro, *Intuens, & cogitans.*

296. b. Aliquot MSS. *& cùm* reprehensi *fuerint.*

298. d. Editi: *& infirmus* oculus. At MSS. *oculis.*

304. e. Plerique MSS. *Pertinemus* enim *ad Evangelium.*

331. d. MSS. *Non enim tacuit Judæis:* * ejus sunt.

Ibid. f. g. Editi: *sed linguarum* distantiæ. At MSS. *distantia,*

332. b. Editi: *ut sitis* prudentes & *ferventes.* Abest à MSS. *prudentes &.*

337. c. Editi: *Spiritus-sanctus* per orbem *terrarum.* MSS. *orbi terrarum.*

346. b. Plerique MSS. *pro beneficio* mereantur.

368. a. Maxima pars MSS. *Quid enim* ait? *Et super iram.*

429. d. Vetus cod. Carcassonensis: *hæresis* * est pulsa *de Ecclesia.* Meliùs, nam sic infrà pag. 475. d. *pulsi sunt ab Ecclesia:* & hoc modo loquendi passim utitur.

432. a. Duodecim MSS. *&* sic *individuam caritatem,*

433. a. Plerique MSS. *non singula opera* faciente Patre *&* Filio.

444. c. MSS. magno consensu: *Non ergo amittamus* de fide resurrectionem *carnis.*

449. d. MSS. *ait illis* scandalizantibus. Sic etiam infrà constanter pro, *scandalizatis.*

458. c. MSS. *ab æterno* etiam cui *est* cœterna.

464. d. MSS. *Video ibi* emissionem, *& nullam* &c.

465. g. Editi: *transitum fecit*, motu cordis, *non* motu corporis, motu *in melius.* At MSS. *moto corde non moto corpore, moto in melius.*

485. g. In editis: *Si in hoc tempore præsentabis.* Sed leg. ut in MSS. * *præsentaberis:* sic enim infrà pag. 899. f. Unde in Tract. 101. n. 4. *interrogatus*, ait, *quando præsentaretur,*

486. a. MSS. *Scire tempora quæ Pater posuit* omisso, (uti solent) *vel momenta.*

488. d. MSS. plerique: *Et si non capiunt*, sumant *quod capiunt.* Sed fortè meliùs alii tres, *Et si non capiunt*, sumant qui *capiunt.*

500. f. MSS. *& incorruptibiles* faciat.

509. e. Plerique MSS. *de quo in* Propheta *loquitur.*

Ibid. f. & seq. MSS. *justitia convertatur* ad *judicium.*

514. b. c. MSS. *ut ad* sonum *vestrarum aurium.*

522. e. Editi: *ideo non* passurus *erat.* At MSS, *passus.*

528. d. In plerisque MSS. *renuntiet*, si *non habet.*

542. c. Magno consensu MSS. *nec accipiam* sacrificia.

557. b. MSS. *Ego vos de* hoc *mundo elegi.*

Ibid. d. MSS. *qui non habebat peccatum:* prætermisso, *omnino.*

560. a. Lov. *& nisi estis intelligere.* At editi alii & MSS. *vis.*

565. b. Editi: *ordine* verso *cognoscetis.* MSS. *vestro.*

569. g. Editi, *Abundant* tempestates *in mundo.* MSS. *tentationes.*

577. a. MSS. *miseratus est in via* semivivo *à latronibus.* derelicto.

590. a. & b. In plerisque MSS. *aliter atque aliter* ratio *tanti sacramenti exponi & pertractari profunditas.*

594. a. Omnes MSS. *in* faciem *dedit illuminationem.*

605. a. Editi: Botrum *inter spinas cautè lege.* At MSS. *botrus.*

606. e. MSS. *sed iterum* nobis *in nomine.*

611. c. Omnes MSS. *Christum esse dixerunt.* Nec habent, *sine Deo.*

614. e. MSS. *Encænia* vocatur.

616. b. Omnes MSS. *qui non* sapit, *credat.*

628. b. MSS. *ligatus manus & pedes.* Nec addunt, *infitiis.*

630. g. Editi: Quem *tenebo? absentem?* Aliquot MSS. *Quomodo.*

633. d. Quinque probæ notæ MSS. *corpus bonorum corpus Ecclesiæ*, immo corpus Ecclesiam, *sed in bonis.* Favent alii duo qui habent: *corpus Ecclesiæ*, immo corpus Ecclesia, *sed* &c. Bad. & Am. *corpus Ecclesiæ*, immo corpus Ecclesiæ, *sed.*

635. f. Lov. *non potestatis* argumentum. Editi alii & MSS. *augmentum.*

637. f. Plerique MSS. *Gratis ametur*, & *operis.*

653. Editi: *sed* credendo *capimus.* MSS. *sed crescendo.* Et quinque ex his optativo modo habent, *capiamus, crescamus, ambulemus.*

654. b. MSS. constanter habent: *Judas Simonis* Scariotis.

Ibid. c. Tredecim MSS. *jam* consumtam *atque transactam.*

659. b. Tres MSS. *divinis se intendit* affatibus.

Ibid. c. MSS. *& contra me clausum est*: omissa voce, *ostium.*

672. a. Plerique MSS. omittunt: *& in æternam virtutem temporalis infirmitas commutata.*

680. Abest à plerisque MSS. *adhuc fabricatur.*

692. b. Editi: duplex *sit in me.* At MSS. *duplo.*

720. c. Octo MSS. *habeamus veram certamque* scientiam.

723. e. Quinque MSS. *qui* persequuntur *sanctos.*

727. a. In editis: *non* sufficerent *pellere.* In decem MSS. *non sufficeret.*

729. b. Undecim MSS. illo *vera* denuntiante.

739. c. Omnes propè MSS. *ut* de spatio *tractaretur.*

Ibidem e. Editi: *quod ipse Christus* est *crucifixus.* Malè additur *est*, quo MSS. carent.

748. e. Quatuor MSS. *quia per* ipsum caritate ac *fiducia* repleti.

752. b. Tres MSS. *non temporalis, sed* æternæ.

754. g. Lov. *cogitatione capit, aut fingit:* sublatâ particulâ, *quæ:* cùm hæc tamen vox ad sensum requiratur, & reperiatur in MSS.

788. a. Decem MSS. *debuit alteram* præparare.

804. b. Lov. *si* diuturni *cruciatus.* Alii codices, *diurni.*

Ibid. d. In tribus MSS. & apud Alcuinum post, *ante magnum prævaricationis malum*, additur, *in habitu jacentis & dormientis.*

810. f. Lov. *non fuerat* propagatum. Sed Am. Bad. & MSS. *prophetatum.*

814. e. Editi: *& ex omni genere* piscium *congreganti.* Abest, *piscium*, à MSS. & à Græco.

816. f. Duo MSS. *posturus pro suis* ovibus.

IN EPISTOLAM JOHANNIS Tractatus X.

His Tractatibus castigandis subsidio fuerunt MSS. codices è Bigotiana bibliotheca duo, ex Michaëlina & Germanensi totidem, ex Remigiana tres, unus ex Theodericensi vetustissimus & optimæ notæ; item unus ex Benigniana, Vindocinensi, Floriacensi, Vincentiana, unus Ecclesiæ Laudunensis, unus Abbatiæ S. Quintini Bellovacensis; alius Bellovacensis Ecclesiæ, qui ad calcem notatur scriptus anno Clotharii Regis duodecimo: tum etiam variantes lectiones, quas ex quinque Belgi-

cis MSS. excerpſerunt Lovanienſes Doctores. Perlectæ demum fuerunt editiones Am. Bad. Er. & Lov.

827. d. Tres MSS. *Ille* autem *ſol qui fecit ſolem.* Alii duo: Jam autem *ille ſol* &c.

829. a. Lov. *Sed* erubeſcis *de illa.* At plures MSS. ſuffragante editione Bad. *Sed non erubeſces.*

Ibid. g. Editi: *per ſanguinem* crucis Domini, *quem nunc confeſſi.* Nos cum aliquot MSS. *per ſanguinem ejus, quem* &c.

830. a. Apud Lov. *Ipſe enim* eſt, *& eſt.* In ceteris libris: *Ipſe enim ſemper erat, & eſt.*

831. f. Quatuor MSS. *Quid eſt hoc?* Pſalmum adtende, *Invenimus eam in campis.*

834. g. Omnes ferè MSS. *videre lunam novam: Ecce luna.* Nec habent, *dicunt.*

836. b. Quatuor MSS. *& illorum* impietates *& iſtorum* incredulitates ſanavit.

837. e. f. Editi: *exhorreſcis* communicationem *illius civitatis.* MSS. *communionem.*

840. e. Am. Bad. & novem MSS. carent his verbis, *Quare non amem quod fecit Deus?*

843. a. Tres MSS. *voluit tentare regem* cælorum.

849. g. Tres MSS. *Et non ſit* ullus *in corde tuo.* Unus: *Et nullus in corde tuo.* Alius: *Et nullus ſit in corde tuo.*

851. e. Septem MSS. *ſed de* protectore *Deo.*

852. e. Editi: *& non ea* vobiſcum hodie *repetimus.* Melius tres MSS. *vobis cum odio:* ſic enim infrà pag. 872. c. *Nec timendum eſt*, ait, *ne ſæpe dicendo in odium veniat.*

853. g. Legendum videtur: *Jam diximus aliquando,* * Exinani *quod implendum eſt.* vel, *Jam diximus, Aliquando* exinani *quod implendum eſt.* Suffragantur Am. Bad. & octo MSS. niſi quòd in omnibus codicibus deterior eſt vocum interpunctio.

855. f. Lov. *Adam & Chriſti.* At Am. Bad. & MSS. habent, *& Chriſtum.*

860. a. Quatuor MSS. *&* non *nominavit caritatem.*

861. b. Decem MSS. *ſed facta. Cor ſi non bene faciat.*

875. e. Plerique MSS. *Sive* taces, *dilectione* taces; *ſive* clamas, *dilectione* clamas. Et ſic conſtanter habent, *emendas, parcis.*

877. e. In uno MS. *&* vocamur *ad aliud.*

888. f. Editi: *timor*, & inducta caritate *ſuccedat cicatrix.* MSS. tres: *ut inducat caritatem: ſuccedat.* Alii duo: *ut inducat caritatem, & ſuccedat.*

900. g. Plures è MSS. *ut credam & parentibus.* Et propè omnes loco, *prædicenti*, (quod ultimum verbum eſt) habent, *prædicanti.*

EXPOSITIO QUARUMDAM PROPOSITIONUM ex Epiſtola ad Romanos.

Collata eſt ad MSS. Victorinos duos, ad unum Vaticanum, ad Thuaneum, Corbeienſem, Germanenſem, Colbertinum, Jolyenſem, Navarricum, & unum Bernardinorum Pariſienſis collegii: ad variantes lectiones Lov. ex tribus Belgicis codicibus: ad editiones Am. Er. & Lov. Quibus in editionibus obſervamus propoſitionum diſtinctionem haud eſſe idoneam, unâ videlicet atque eadem propoſitione in duas pluresve paſſim diſſecta: nunc porrò aliâ induci diſtinctio cum numericarum notarum mutatione non potuit, ne pareret confuſionem.

904. b. Editi: *non inviti* fecerunt. Nam *cùm ad mala.* At omnes MSS. *non inviti, ſed cùm.* excepto uno victorino, qui habet: *non inviti* fecerunt, *ſed cùm.*

Ibid. Editi: *etiam illa quæ* non *fecerunt.* Abeſt, *non* ab octo MSS.

Ibid. Editi: *jam peccatis dicit.* Quod autem ait, *Propterea.* At MSS. carent iſtis verbis, *Quod autem ait:* quæ in editis initium ſunt propoſitionis VIII. Sed contrà in MSS. verba ſequentia ad propoſitionem VII. pertinent.

905. e. Am. & Er. *pax erit*, quam *in quarto gradu* conſtituimus.

906. f. Ad iſthæc verba, *in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, apud Am. & Er. omittuntur verſus circiter quadraginta: & lacuna his tribus impletur verbis, *Hîc minùs habet*, quæ haud dubiè è margine irrepſerunt in textum. Atque inde contigit ut cum XXIX. Propoſitione confunderetur altera, quæ incipiebat ab iſtis verbis, *Quod autem ait, Sed non ſicut delictum* &c.

907. f. MSS. *ut* prævaricata *peccata dimitterentur.*

913. c. Editi: *Vanitas vanitatum.* MSS. *vanitantium:* ſicuti ſe aliquando legiſſe teſtatur Auguſtinus in I. Retract. 7.

Ibid. d. Apud Am. & Er. omittitur, *id eſt etiam ipſa quæ tantummodo* &c. uſque ad illud, *id eſt ut & ipſa perveniat.*

915. e. Quatuor MSS. *ſed* interno homine *invitat.* Am. & Er. *ſed interno volumine.* Germanenſis MS. *ſed* intra hominem.

916. f. Editi, *ut vocatio peccatoris* prorogetur. Melius MSS. *peccatori prærogetur.*

EPISTOLÆ AD ROMANOS EXPOSITIO inchoata.

In MSS. noſtris non reperta eſt: ſed multis mendis purgata nunc fuit ope MS. Vaticani; & recenſita ad Editiones Am. Er. & Lov.

927. f. Vat. MS. *Deinde ſanctificatio* noſtram *vitam novam fecit.*

929. g. Vat. MS. *quibus* averſabamur à *Deo.*

934. b, Vat. MS. *quæcumque de trina:* omiſſo *ſollicitè.*

Ibid. b. c. Vat. MS. *Et per ipſum* Patri Deo *ſummoque.*

Ibid. g. Editi *de* regibus *hæreticorum.* At Vat. MS. *de gregibus.*

936. a. Vat. MSS. *ubi caput* haberetur, *neſcientes.*

EPISTOLÆ AD GALATAS Expoſitio.

Caſtigata eſt ad eoſdem codices cum Expoſitione Epiſtolæ ad Romanos: prætereaque ad alterum Thuaneum, ad Albinenſem, Michaëlinum, & Sergienſem.

947. g. Am. Er. & decem MSS. *Mihi enim qui videntur, nihil apoſuerunt.* Nec habent, *aliquid.*

948. c. Am. & Er. conſentientibus decem MSS. *quæ utique* univerſitatis *Eccleſiæ.*

953. a. Novem MSS. *quod fidei ſignaculum accepit:* prætermiſſo, *ad.*

Ibid. e. Lov. *habebit* præſtantiſſimum *præmium.* Alii codices, *præſentiſſimum.*

954. c. Editi: *utrumque* prævidit. Melius MSS. *providit.*

Ibid. d. Editi: *Ex pœna quippe eſt & maledictio peccati.* MSS. duo, *& maledicto peccato.* Item duo, *maledicti peccati:* omiſsâ particulâ, *&.* Nos cum aliis novem MSS. *& maledictione peccati.*

Erratum admiſſum eſt pag. 793. lin. 38. *Se hoc audito*, leg. *Sed.*

FINIS.

APPENDIX
TERTII TOMI
OPERUM S. AUGUSTINI

COMPLECTENS ALIQUOT IN SCRIPTURAM TRACTATUS IPSI OLIM FALSO ADSCRIPTOS, *Nimirum*

De mirabilibus ſacræ Scripturæ, Libros tres.
De Benedictionibus Patriarchæ Iacob.
Quæſtiones veteris & novi Teſtamenti, *olim in 4. Tomo exhibitas.*
In Apocalypſim Iohannis Expoſitionem, *olim in 9. Tomo.*

Alia quædam opuſcula in tertij Tomi Appendice antehac contenta, cùm ad ſacram Scripturam non pertineant in alios Tomos retulimus, ſcilicet.

De Eccleſiaſticis Dogmatibus,
De Fide ad Petrum,
De Spiritu & Anima,
Quæſtiunculas de Trinitate, } *in 8. Tomum.*
Sententias Proſperi, *in 9. Tomum.*

ADMONITIO
IN PROXIME SUBJECTUM OPUSCULUM

HOC opuſculum nec ſtilo, nec ingenio refert S. Auguſtinum, judicio Eraſmi & Lovanienſium Theologorum. Id quod jam olim intellexerat S. Thomas, qui in parte 3. q. 45. a. 3. non vult hoſce libros auctoritate pollere, falſòque adſcribi Auguſtino dicit. In MSS. & ſuperioribus editionibus, ſi tamen Eraſmianam exceperis, præmittitur præfatio epiſtolari formâ, è qua vel ſola conſtare poteſt librorum iſtorum auctorem non eſſe Auguſtinum Hipponenſem; ſed alium quemdam cognominem, qui cùm hîc Epiſcopis & Presbyteris, maximè Carthaginenſium, dedicet id operis; inferiùs tamen videtur ſe gente Anglum, ſive Hibernum indicare in lib. 1. c. 7. ubi quidpiam obiter obſervans de inſulis, Hiberniam ex omnibus unam nominat: paulòque pòſt æſtum maris Ledonem ac Malinam appellat, verbis apud Anglos vicinoſque accolas Britannici maris, præſertim ævo Bedæ, uſu receptis. Tum in lib. 2. c. 4. Manichæum quemdam Hibernienſium mortuum notat: quo inſuper loco de cyclis diſſerens oſtendit liquidò ſe poſt 660. Chriſti annum ſcripſiſſe hos libros: quos ab ipſo non Carthaginenſium, ſed Cantuarienſium vel Cambrenſium (ſi tamen vox jam in uſu erat) vel Kilkennenſium &c. Monaſteriorum Presbyteris nuncupatos fuiſſe ſuſpicamur.

DE MIRABILIBUS SACRÆ SCRIPTURÆ, LIBRI TRES.

*Venerandiſſimis urbium & monaſteriorum Epiſcopis & Presbyteris, maximè *Carthaginenſium,* AUGUSTINUS *per omnia ſubjectus, optabilem in Chriſto ſalutem.*

* *forte*, Cantuarienſium.

Præfatio.

BEATISSIMI, dum adhuc viveret, Patris mei Euſebij ad hoc opus præcepto conſtrictus, adhortantibus etiam vobis Chriſtianis, vel maximè venerandiſſimo magiſtro imperij auctoritate compellente, tres *de Mirabilibus ſanctæ Scripturæ* veteris ac novi Teſtamenti libros, hiſtorica expoſitione, quanta potui brevitate, Domino annuente compoſui: in quibus arrepti operis audacia jubentium auctoritate excuſabitur. Me etenim quamvis illis quæ dicebantur imparem eſſe conſpexeram, præcipientium tamen imperiis cedere, & in aliam partem declinare non audebam, certiſſimè ſciens quòd major vindicta juſſionum refugam inobedientem conſequitur, quàm præcepto obtemperantem cuicumque imperato imparem operi vituperantium accuſatio comitatur. Plus namque periculi fugiens Jonas propheta in marinis fluctibus reperit, quàm accuſationis, ſi quod jubebatur impleret, in ſermonibus populi ſui pateretur, quod metuit. Propheta quoque altaris Bethel, quoniam laborioſi itineris famem & ſitim, ut ſibi juſſum fuerat, non perpetravit, inobedientiæ vindictâ mortem ipſam paulo pòſt in via ſaturatus invenit. Jeremias verò adhuc puer, nec litterarum doctrinam, nec virilis prudentiæ vigorem (quando à Domino miſſus eſt

Ionæ 2. 1.

3. Reg. 13. 24.

Jerem. 1. 9. Prophetare) habuit: sed quòd præcepto obediverat, scientiam quam non habuerat, accipere promeruit. Unde ergo non meæ exiguæ facultatis penuriam, sed præcipientium providam adspicio auctoritatem. Quoniam si in me igniculum aliquem lucis non crederetis, nullo modo mihi tam præcipui operis ingeniosum laborem injungeretis. In his voluminibus talis dispositionis ratio intenditur, ut Primus de Moysi Pentateucho, Secundus de [a] Prophetis, Tertius de novo Testamento prænotetur. Cuncti verò laboris hoc magnopere intentio procurat, ut in omnibus rebus, in quibus extra quotidianam administrationem aliquid factum videtur, non novam ibi Deum facere naturam, sed ipsam quam in principio condidit gubernare ostendat. Præterea etiam in hoc opere curavimus, ut sepositis adhuc figurarum intellectibus, rerum tantummodo gestarum rationem & ordinem exponeremus. Quoniam

A in his locis de quibus historicâ narratione quædam tetigimus, multiplex sensuum intellectus habetur, & si de ipso per singula disputaremus, plurimos libros & longioris laborem operis legentibus præberemus. Sed hoc præcipuè negligentiùs omittere idcirco rati sumus, quoniam quicumque auctores hæc loca explanare curaverunt, mystico allegoriarum intellectui, hoc est, figurali expositioni, quæ in his reperta est, adhæserunt. Hoc autem opus utrùm intereat, an maneat, in vestro pendet arbitrio. Ab uno enim vestrûm, id est, [b] Bathano, post patrem [c] Manchinanum si quid intelligentiæ addidi, & ab altero ut credo saliva oris ejus vicem laborum caussam suscepi. Ab omnibus verò legentibus generatim oratio nostra atque petitio deplorat, quatenus ea quæ dicta sunt, antequam decursa intelligant, occasione aliqua non fastidiant.

a *Vetus codex monasterij S. Audoëni Rotomagensis,* de Prophetia.

b *Vetus codex Audoenensis,* Barbano. *fortè,* Baithano, *qui fuit Scotus episcopus, apud Bedam, lib. 2. hist. c.* 19.

c *MS. Aud.* Manchianū.

LIBER PRIMUS.

De Moysi Pentateucho.

CAP. I. De Deo Creatore & constitutione creaturarum.

CUM omnipotentis Dei auxilio de mirabilibus rerum cupimus tractare sermonem, unde repetendum aptius, & sumendum videtur exordium, quàm ab ipso rerum omnium Creatore, de quo sæpe Scriptura attestatur dicens: *Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia, quorum non est numerus.* *Job. 9. 10.* Quorum omnium mirabilium velut principale quoddam fundamentum instituit, quando omnes quas condidit creaturas, ex nihilo fecit. Æternus ergo & omnipotens Creator rerum, trinus & individuus semper manens, sine ullo potentiæ suæ detrimento, solus sine tempore cunctas præcessit creaturas: ac deinde ut immensam bonitatem ac potentiam & benevolentiam, quas in se solo priùs habuit, etiam per creaturas ostenderet, ex informi materia, *Omnes creaturæ habent materiam,* quam ipse priùs ex nihilo condidit, cunctarum visibilium & invisibilium rerum, hoc est, sensibilium & insensibilium, intellectualium & intellectu carentium, species multiformes divisit. Quod, ut libri Geneseos auctoritas confirmat, per sex dierum alternationem effectum fuisse monstratur, ita ut in die sexto cuncta consummasse, quæ ad institutionem & instructionem pertinent creaturæ, firmissimè declaretur. *Gen. 2. 2.* Sic enim scribitur: *Et consummavit Deus omnia opera sua in die sexto, & benedixit diem septimum, quod in ipso requievit ab omnibus operibus suis.* Ex quo intelligitur, Deum in die sexto omnia perfecisse, ut in die septimo non à labore, sed ab opere videatur cessasse. Sed quod Dominus Jesus *Johan. 5. 17.* Judæis de sabbati requie quærentibus respondit, *Pater meus usque modò operatur, & ego operor:* illum quidem die sexto cuncta perfecisse & in septimo requievisse credimus, & usque modò operari non dubitamus. Sed quemadmodum tunc consummasse, & nunc operari idem Deus intelligitur, subtiliùs investigatur. In die enim sexto creaturæ naturas perfecit, quas gubernare etiam nunc non desinit. Et in die septimo requievit ab opere creationis, qui numquam cessat à gubernationis regimine. Tunc ergo Creator, nunc Gubernator Deus intelligendus est: ac per hoc etiamsi novi aliquid in creaturis exoriri videamus, non creare ibi novam naturam, sed gubernare olim creatam Deus putandus est. Sed ita potens est in gubernatione creaturæ qui condidit, ut veluti naturam novam creare videatur, cùm ab abditis naturæ finibus, quod in illa latebat, depromit. Illa igitur inusitata gubernatione, cùm res per voluntatem potentiam gubernatoris ostendunt, quod per efficaciam quotidianæ administrationis non faciunt, in Scripturis mirabilia memorantur. Sed dum de his mirabilibus latiùs post modum, quando ad eorum loca venerimus, differemus; hoc fixum interim permaneat, quòd consummatis naturarum creationibus, in die septimo Deus ab opere suo *Gen. 2. 2.* requievit, & nunc postmodum per omne tempus à creaturæ totius gubernatione non cessat. Sed quamvis per sex dierum alternationem omnis instituta fuisse creatura perhibetur, non tamen hæc dierum alternatio per spatium temporis intelligitur: sed in his operum vicissitudo declaratur. Post namque historiæ narrator divisit in sermone, quod Deus *Eccli. 18. 1.* non divisit in operis perfectione. Simul enim cuncta quæ condidit, Deus creavit, dum una voluntate multiplicem omnium specierum varietatem fieri disposuit, in qua voluntate una omnia simul sine tempore esse fecit, quæ ab ipso ortu suo per tempus dispensare non desinit.

* CAP. II. De rationabilium naturarum dissimili peccato.

* In hac ergo rerum omnium conditione primò spiritualis creatura invisibilis originaliter processit. Et deinde ne quod interiùs erat, hoc exteriùs non esset in Dei operibus, etiam corporalis & visibilis creatura fieri cœpit: in qua utique principali rerum universarum generalique divisione, duas rationales, unam in spiritali, alteram in corporali instituit creator naturas, Angelorum videlicet & Hominum, quibus prout naturarum differentia expetit, etiam habitationum loca distinxit. Cælum namque Angelis, terram hominibus habitandam præstitit. Quibus institutis, utriusque naturæ peccatum, Angelorum scilicet & Hominum consequitur. Sed mandati transgressio quæ in Homi- *Isa. 14. 13.* nibus facta erat, libri Geneseos historiâ narratur. Quæstionem verò non minimam intuentibus præstat, qua caussâ Angelorum delictum Scripturæ testimoniis, qualiter factum est, reticetur. Quamvis namque sub persona Babylonici regis illius angelicæ ruinæ verba per Prophetam declarentur, dicentem: *Sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis: adscendam super altitudinem nubium, & ædificabo thronum meum ad Aquilonem, & ero similis Altissimo.* Hæc de rege Babylonis historica expositione facillimè possunt intelligi, nisi fortè figurali expositione de corpore ad caput verba per allegoriam transferantur. Unde loco assumta quæstio in hoc loco non dissolvitur, dum historialiter in ipso Evangelio caussa ruinæ & sententia & vindicta non manifestatur. Nisi fortè, ut ceteri existimant, originale illius peccatum in seductione hominis per serpentem esse aliquis dicat; per quam *Gen. 3. 14.* & sententiam animadversionis acceperat, dicente Domino, *Maledictus tu inter omnia animantia & bestias terræ, super pectus tuum gradieris & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Sed absit hoc, ut sentiamus

B Angelum posse suadere homini peccatum in terra, nisi priùs ipse pec- *Lucæ 10. 18.* caret in cælo, dicente Domino, *Vidi satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Unde enim potuisset & ipse invidere felicitati humanæ, nisi priùs amisisset beatitudinem propriam? Non solùm ergo peccatum hominis præcessisse diabolica ruina credenda est, sed etiam perfectionem illam creaturarum quæ in die sexta facta est; de damnandis in novis- *Mat. 25. 41.* simo die Domino pronuntiante, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo & angelis ejus.* Quando ergo præparatus est ille ignis, nisi in perfectione creaturarum omnium? Nisi fortè dicamus post sexti diei perfectionem Deum aliquid creasse: quod absit, ne mendacem Scripturam, immo nosmetipsos faciamus. Cui ergo carcer in illa creaturarum conditione præparatus est, illius *Johan. 8. 44.* peccatum originaliter illas creaturas præcessit. Quoniam ut Scriptura inquit, *Ipse ab initio mendax est, & in veritate non stetit.* Restat ergo ut C ruina angelica, qua caussâ à Domino tacita est, exponamus, dum illum creaturarum Dei principium angelum cecidisse non ambigamus. Angelicum verò vulnus verus medicus qualiter factum sit, indicare noluit, dum illud postea curare non destinavit. Et qualiter sit ejectus per sententiam vindictæ, reticuit, quem per pænitentiam nullo modo revocavit. Peccatum verò Hominis quomodo factum fuerit, profertur: ipsum namque quandoque promereri veniam non desperatur. Et qualiter ejectus sit Homo, indicare Deus maluit, quem ad statum pristinum in novissimo iterum revocavit. Et quomodo animadversionis sententiam accepit, non occultavit, à quo aliquando per clemen- *Heb. 2. 16.* tiæ suæ veniam satisfactionem accipere non recusavit. Hanc ergo dif- D ferentiam in Hominibus & Angelis Apostolus considerans, ait, *Non* *Philip. 2. 7.* *enim Angelos, sed Abrahæ semen apprehendit Deus.* Cùm enim Creator clemens & misericors in summa illa & incommutabili Dei Patris manens substantia, in servi formam semetipsum exinanire voluit, non angelicam naturam, sed humanam apprehendit. Sed & in hoc quæstio nascitur: cùm Deus Angelis peccantibus non pepercit, & tamen peccanti Homini per assumtionem humanæ carnis veniam relaxavit; quare ergo inveniabili vindicta summus Angelus est percussus, cùm peccans & mandatum sui Conditoris Homo transgrediens, veniabiliter postmodum ad *Lucæ 3. 3. Mat. 4. 17. Act. 2. 38.* pænitentiam revocatus sit Johanne, & Domino, & Petro clamantibus. *Pænitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum.* Angelus ergo in summo honoris sui ordine constitutus, immutationem ad excellentio- E rem statum non habuit, nisi per contemplationem sui Creatoris confirmatus, in eo statu permaneret ubi conditus fuit: & idcirco prolapsus, iterum revocari minimè potuit, qui de sublimissimo sui ordinis statu proruit. Homo verò adhuc in terra positus, generandi officio destinatus, ciborumque esui deputatus, immutationem in sublimiorem & meliorem spiritalemque vitam sine morte reciperet, si quamdiu in hac conversatione positus esset, in mandati custodia permaneret. Hunc antequam ad statum veniret sublimiorem, delictum præripuit, & ideo de *Gen. 3. 19.* inferiori illo suo ordine, id est, immortalitate sui corporis confestim ruit, dicente Domino, *Terra es, & in terram ibis.* Clementiâ ergo Conditoris Homo ad illam beatitudinem, ad quam peccans adhuc non pervenit, per passionem Domini revocatur: qui si inde cecidisset sicut Angelus, numquam iterum revocaretur: quoniam ad illum ordinem, F id est, immortalitatem sui corporis numquam iterum pervenit, nisi *Mat. 22. 30.* peracta omnium morte, illa beatitudo ad quam revocamur, per resurrectionem restauretur. Non ad illum tamen ordinem aut ad statum unde primus homo ceciderat, sed ad alium sublimiorem, quem speravit, restitutio fiet, dicente Domino, *Erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Præterea quoque ad cumulum diabolici peccati illud accidit, quod statim postquam peccavit, foveam desperationis incurrit. Si enim de suo delicto habere veniam non desperasset, numquam consentienti sibi homini damnum salutis suæ procuraret. Qui enim de priori peccato habere veniam desiderat, nullo modo aliud augmentare præparat. Per hanc ergo non solùm sibimetipsi foveam perditionis invenit, sed etiam per se peccanti homini caussa perditionis G exstitit. Hoc autem ad leviandum hominis delictum occurrit, quod non solùm per semetipsum mandati transgressionem non reperit, sed serpentinæ suasioni consensit, verùm etiam aliam creaturam rationabilem in Dei offensam non induxit: ac per hoc faciliùs pænitentiæ januam adinvenit apertam; quam qui non ingressus fuerit, damno perpetuæ vitæ subjacebit. Qui verò per pænitentiam peccata diluerit, angelicæ felicitatis consors in æternum erit.

CAP. III. De Abel & Enoch primatum tenentibus in hominum justitia.

UT autem ab ipso humani generis post peccatum originale primordio homines quandoque promereri veniam Deus ostenderet, paucos homines elegit, quibus notitiam suæ amicitiæ demonstraret: quos processu temporis paulatim plures usque ad suæ præsentiæ visitaret adventum, quousque in adventu suo omne genus humanum per totum orbem illuminaret. Ex quibus paucis primus Abel totius humanæ justi- *Gen. 4. 8.*

tiæ princeps, & secundus post eum Enoch, insignissimus ante diluvium eligitur, quibus summa justitiæ in initio ipso mundi & fine committitur. Unus enim statim in justitiæ suæ initio, in ipso etiam mundi principio sanguinis sui tripudio coronatus, martyrio arripitur. Alter adhuc sine morte, in testimonium novissimi temporis reservatur. *Gen. 5. 24.* Sed huic Abel Dominus Jesus-Christus primatum justitiæ hominum *Mat. 23. 35.* commisit, ita inquiens, *A sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ.* In eo enim quod dicit, *A sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ,* & non addidit, *justi;* hereditatem justitiæ Abel tenere Zachariam ostendit. Sicut etiam in genealogia Salvatoris scribitur, *Jesse* *Mat. 1. 6.* *autem genuit David regem, David autem rex genuit Salomonem;* cui non additur *regem,* cùm Salomon patris regno teneret majus imperium. Sed ex hoc intelligitur patris sui David regnum Salomon hereditario jure possidere, & ad David honorem regni plus pertinere, quòd primus ex illa generatione regnum obtinuit; sicut & Abel in justitia hominum primatum tenuit, eo quòd primus in terra justus fieri cœpit. Unde quasi hereditario jure patrum succedunt. Sic omnes justi vestigia Abel in cunctis justitiæ partibus capiunt. Sed ista investigatione *Quæstio.* rectè incitatus aliquis fortasse interrogabit: Cur ergo, inquiens, dum Abel justitiæ primatum tenuit, non hunc Deus sine morte ad testimonium novissimi temporis reservavit, ut in mundi fine ipse doctor exsisteret veritatis, qui in principio erat auctor perfecti operis? Atta- *Responsio.* men huic responsioni congruè obviare poterit, qui justitiam in tribus partibus constare novit. Tota enim justitia hæc est, virginitas, sa- *Triplex justitia.* cerdotium, & martyrium. Quæ triplex justitia in Abel primo fuit, qui & munera Deo placita obtulit, prosapiam generis in sæculo non reliquit, & martyrii coronam sanguinis effusione promeruit. Si ergo longiori tempore ut Enoch Abel maneret, sine ulla dubitatione conjugium iniret. Quippe qui in tempore illius Legis viveret, quæ dixit, *Gen. 1. 28.* *Crescite, & multiplicamini, & implete terram.* Et si illud mandatum expleret, pro certo nequaquam virgo esset. Et si illum Deus sine morte servaret, martyrij primatum nequaquam acciperet. Recte ergo competebat, ut qui primus in terra justus eligitur, in eo totius justitiæ forma servaretur, cuique primo in hominibus post delictum gestare figuram conceditur Salvatoris, qui virgo, & sacerdos & martyr esse videtur. Enoch verò sine morte, per totius penè sæculi tempus remotus ab hominum conversatione custoditur, ut in eo qualiter hominum homines si non peccarent, generata prole commutarentur in vitam spiritalem sine morte, ostenderetur. Sed licèt longo reservatus tempore adhuc vivat: mortis tamen debitum, quod omnes in Adam sumsimus, vitare non poterit. Certè in hoc etiam illud occurrit, unde scribendi de mirabilibus occasio sumta videtur, quare quasi contra naturam, ultra humani ævi mætas, hujus vita tam longo admodum tempore distenditur. Attamen in hoc non nova natura uni homini gignitur: sed pristina & generalis omnium hominum gubernatur. Insitum enim omni homini in prima conditione Geneseos libri historiam considerantibus esse apparet, ut non solùm longo tempore, sed etiam perpetuò viveret, nisi peccati aculeo mors naturæ metas exterminaret.

CAP. IV. De eo quod terrena tantùm animalia in diluvio mortificata sunt.

INDE processu temporis, hominibus post originale peccatum per propria studia in Dei offensam procedentibus, & in oblivionem sui conditoris decidentibus, cùm per enorme peccatum, grandi corporis *Gen. 6. 4.* mole gigantes essent exorti, totius terræ facinus aquis diluere parat: *Ibid. 13.* & viro perfecto in genere suo reperto, Noë videlicet Lamech filio, mysterium consilij sui soli insinuat, eique arcam per longi temporis spatium fabricare commendat: ut vel ille per hoc factum morte imminente cum domo sua liberaretur, vel videntes imminens exitium pertimescentes ad delictorum pænitudinem revocarentur. Sed illo contumaciter & negligenter judicio contemto, ex insperato tempore Deus offensus, ad commune totius orbis excidium, aquis universa terræ spatia pariter obtexit: & exceptis quæ arca clauserat, cuncta quæ in terra tantùm vivere possunt, homines & cetera animantia ab ipso cælo aqua conducta delevit. Sed universa quæ in aquis vivere *Gen. 7. 21.* possunt, plaga illa non tetigit; terrena tantùm animalia mortificavit. Quo in loco astutè quærentibus ac solutione indigens quæstio subvenit: *Quæstio.* Quamobrem terrena animalia humanæ vindictæ plus quàm aquatica succumbunt, quorum nec plura peccaminum gesta subveniunt. In pecca- *Responsio.* to tamen primi hominis, terra de qua gustaverat, statim maledicitur. *Gen. 3. 17.* Per divinum namque oraculum ita infertur. *Maledicta terra in opere tuo,* &c. Qua in re notandum, ipsa animalia quæ maledictam terram manducaverunt, expertia maledictionis esse non posse, præsertim cùm terra cum suis animalibus maledicta erat. Iterum ergo alia adhuc quæ- *Quæstio.* stio surgit: Quare Deus etiam aquis in Adæ maledicto non maledixit? *Responsio.* Cui facillimè respondetur, quòd non aquam contra interdictum Domini bibit, sed de terræ fructu homo comedit. Exceptis quoque his rationibus, aquis à maledicto Adæ Deus pepercit, quoniam per aquam diluere maledictionem illam paraverat, quod in diluvio est factum, & nunc per baptismum indulgetur: nam in aqua & Spiritu-sancto cuncta humana corporalia crimina simul & spiritalia purgantur. *Animalia aquatica.* Aquatilia enim maledicto vindictæ non succumbunt, quia in maledictionis participatione non sunt. Ac per hoc & Dominus, cùm mortis humanæ maledictum resurgendo deposuerat, non terrestrium, sed aquatilium carnem animalium comedebat, cùm ad confir- *Luca. 14. 43.* mationem resurrectionis coram discipulis piscis assi partem & favum mellis accipens manducavit.

CAP. V. De animalibus quæ nec in terra tantùm vivere, nec in aqua tantùm possunt, quomodo diluvium evaserint.

a *Estat apud Alcuinum in lib qq. in Gen. q. 113.*

[a] DE animalibus quoque quæ nec in terra tantùm, nec in aqua tantùm vivere possunt, quæstio vertitur, quomodo diluvium evaserunt, quales sunt lutri, vituli marini, & multa avium genera, quæ in aquis escarum suarum victum requirunt, sed in arena dormiunt, & nutriuntur, & requiescunt. Si ergo arcâ includerentur, sine aquarum adjumento vivere non possent: & si extra arcam remanerent, aquis universa tegentibus, ubi requiescerent quomodo haberent? De his ergo, ut supra dixi, quæstio vertitur, Utrùm per virtutem suam utramvis earum naturam, donec diluvium transiret, Deus temperavit, ut aut in humore tantùm, aut in arida tantùm illis tunc vita esse potuerit. Sed qui Noë cum domo sua per arcam, non per virtutem servare voluerat, *Gen. 7. 20.* qualiter hoc per virtutem custodire vellet? An his alicubi scopulorum

A aliqua refugia esse poterant? Sed etiam illa quomodo subvenirent, dum omnes montes, quibus duodecim cubitis altior fuit, aqua tegeret? An etiam in arcæ tecto foris requies his esse aliqua valebat, quod à trecentis cubitis longitudinis, & altitudinis triginta, & latitudinis quinquaginta cubitis in unum cubitum undique contractum latum & stabile spatium faciebat, ut quod intus manentes, sine periculo conservaret, etiam per profundi periculum [b] vagantibus refugium foret?

b *MS. Aud.* navigantibus.

CAP. VI. De eruptione aquarum diluvij.

DE eruptione aquarum diluvij ita refertur, *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluvia quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Posteà subinfertur, *Clausi sunt fontes abyssi, & prohibitæ sunt pluviæ de cælo.* Hujus rei difficultatem fixâ sententiâ explanare, scientiæ nostræ parvitate prohibemur. *Gen. 7. 11.* Veruntamen in his magistrorum quid intentio potuit excogitare, in- *Gen 8. 2.* differenti sermone proferamus, nulli ex diversis opinionibus certiorem B tribuentes auctoritatem; de quibus narrationibus, de singulis electionibus arbitrium probandi seu reprobandi concedimus libertatem. Fluvij enim de fontibus utrùm ante diluvium fuerunt, inquisitio profertur: de quibus nulla in principio creaturæ certa definitio, utrùm facti an non facti sint ostenditur; nisi quòd fons unus adscendens de terra, & divisus in quatuor capita, regiones irrigabat. Nisi fortè de illo fon- *Gen. 2. 6.* te ceteros per totum terræ spatium ubique ebullire etiam tunc aliquis dicat, propter quorum omnium singillatim adsignationem originalis illius magni fontis commemoratio sufficeret. An etiam ante diluvium non erant, donec illa aquarum abundantissima eruptione universorum fontium venæ, ubi vel jam antè non fuerunt, quod etiam sæpe nunc fieri cernimus, erumperent? Attamen non de fontibus terræ, sed de fontibus, abyssi dicitur, *Et rupti sunt fontes abyssi.* Sed hoc generaliter de fontibus potest sentiri. Unde enim terra potuisset habere, nisi sub- C jacente abysso per occultos meatus fontium venas susciperet? Et idcirco abyssi fontes etiam terræ fontes possunt nominari. Sed qui hoc ita sentiunt, quid dicent in eo quod paulo pòst, consummatâ quadraginta dierum inundatione, subinfertur: *Et clausi sunt fontes abyssi magnæ, & prohibitæ sunt pluviæ de cælo.* Si fontes illi, qui nunc per terras fluunt in diluvio aperti sunt, quomodo iterum clausi pronontiantur? nisi non omnes fontes clausos esse denuntient, præter eos tantummodo, per quos exitus hujus aditus administrabatur. Verùm etiam hoc pro tempore solummodo esse dictum confirmant. Fontes enim qui clausi erant, cùm illa insolens eruptio prohiberetur, postea apertos fuisse sequens ratio pronuntiat, dum aquæ ibant & revertebantur. Quò enim rever- *Gen. 8. 5.* tebantur, nisi unde venerant? Per fontes igitur apertos aquæ irruperant, qui pòst ut cessaret eruptio clausi erant. Sed cùm iterum aqua revocaretur, etiam fontes, qui clausi fuerant, reserantur. Aquæ enim D quæ clausis januis venire non poterant, quo modo retrò, nisi apertis aditibus reintrabant? De eo autem quod dicitur, *Et cataractæ cæli apertæ* *Gen. 7. 11.* *sunt, & facta est pluvia,* non minori diligentiâ indigens quæstio, diversis inquisitorum sententiis ventilata dignoscitur, Quibusdam namque placet, ut istæ cataractæ in nubibus apertæ fuisse putentur, quæ sæpe cæli nomine per Scripturas divinas nuncupantur, quomodo est illud, *Et cæli dabunt imbrem, & terra dabit fructum suum:* &, *Pa-* *Jerem. 14. 22.* *nem cæli dedit eis:* &, *Possint aves cæli habitare:* &, *Volucres cæli nidos* *Psal. 84. 13. Psal. 77. 24.* *habent ubi requiescunt.* Cataractas ergo in cælo, in nubibus videlicet *Marci 4. 32.* factas ut pluvia veniret, illi prædicti æstimant, quemadmodum etiam *Lucæ 9. 58.* nunc tale ministerium per nubes fieri totus mundus non ambigit. Sed tunc cataractas cæli apertas Scriptura sancta commemorat, quòd solito plus, ingens effusio pluvialis facta erat. Ceteri verò istas cataractas in summo illo firmamento, quod ut divideret inter aquas & aquas, Deus in principio fecerat, factas priùs esse dicunt: qui Deum E illas aquas, quas supra firmamentum posuerat, ad tale ministerium a præparasse dicunt: & in hac conditione & superioris & inferioris aquæ, sacri baptismatis ministerium figurali expositione inspiciunt, dum per cælestem pluviam Spiritum-sanctum, per abyssi undam, aquam baptismatis intelligunt: ut sicut aqua superior & inferior, primæ vitæ mundi peccamina diluit; sic Spiritus-sanctus & aqua, nostræ vitæ prioris delicta remittat. Sed dum in hoc opere intellectum potiùs rerum gestarum, quàm figuralem expositionem assumsimus, quod ad rem præsentem pertinet, prosequamur. Hi ergo qui firmamenti aquas ad diluvium venire ponunt, etiam ante diluvium pluvias in mundo fuisse non æstimant, occasione illius arcus, qui post diluvium in nubibus est constitutus, in hanc æstimationem ducti, ex ipsarum creaturarum natura investigantes, quod si ulla serena ante diluvium F pluvia fieret, iris, id est, arcus ille in nubibus serenis appareret; qui per solem semper & humectas serenasque nubes efficitur: & non à sole tantùm fieri, sed etiam per lunam aliquotiens in serenis nubibus videtur. Poterat ergo ipsa mundi nuper creati prima ætas sine ullis turbulenti aëris immutationibus & pluviis per matutinum & vespertinum rorem ali: ut in ipsa fortitudine sicut homines longævos & sanitate corporum alacres habuerit ita & mundus ipse nullis adhuc perturbationibus agitatus aptos vescentibus ferens fructus consisteret: & à secunda ætate sicut turbulentis motibus, ita turbidis rerum tempestatibus vivere & vigere inciperet. Quemadmodum in terra Ægypti etiam nunc nequaquam nubium imbribus, sed terræ ipsius sudore, & aëris commoditate, & Nili fluminis incrementis fovetur. Sed hæc investigatio qualiter accipienda sit pro certo, eruditi & Catholici G viri videant.

CAP. VII. De recessu aquarum diluvij.

ITEM de recessu aquarum diluvij quid docti & ingeniosi magistri sentiunt, sine ulla nostræ auctoritatis præsumtione proferamus: ubi nodosa quæstio studiosis mentibus ostenditur; Si aliquem locum vacuum reliquerant, cùm terræ spatium aquæ diluvij occupabant; & si nullum spatium tale habuerant quando recesserant quid implebant. De qua inquisitione in illis aquis, quæ de cataractis cæli defluxerunt, bina magistrorum æstimatio est. Aut enim, ut nonnulli æstimant, per easdem cataractas revocantur, & quemadmodum de mari aridæ nubes lymphaticos imbres consuescunt attrahere, ita & superni illius firmamenti spatium, aquas quas emiserat de nubibus posset revocare. *Aquæ enim,* inquit Scriptura, *ibant & revertebantur.* Quò ergo ibant *Gen. 8. 5.* nisi unde venerant? Si ergo de excelso illo firmamento, ut juxta quorumdam æstimationem diximus, aquæ desuper fluxissent, & spatium

quod occupabant, dimiserunt, si illuc revocatæ sunt, quid mirum si eadem quæ deseruerant, spatia complebant? Vel certè si de nubibus eadem nimborum copia fuisse monstrata conceditur, quid intelligentibus mentibus repugnat, si ad nubes iterum ipsa retrorsum verteretur, quemadmodum in quotidiana rerum administratione fieri cernitur, ut pluvia de nubibus emissa & resumta videatur. Ceterum ij quoque qui ante diluvium pluviam esse non permittunt, de recessu aquarum aliter sentiunt. Ipsi enim cùm aquarum diffusionem de firmamento factam pronuntiant, in nubes tamen tantummodo eas redire confirmant: & superfluum illud quod aqua desuper fluens præbuerat, etiam nunc per omne tempus turbulentos aëris motus, & hæmisphærias diversas in nubibus gignit, quod reciprocis immutationibus idem aër nubilosus nunc in inferiores partes mundi, hoc est terram & mare dimittit, nunc de eisdem, mari scilicet & terra, recolligit: quomodo & in pectore humano halitus reciprocis mutationibus eodem modo quo dimittitur, iterum exigitur ut resumatur. In his autem quamlibet diversis opinionibus & magistrorum plurimis ambagibus, hoc animo fixum suscipimus, quod aquarum quodcumque desuper venerat, ut terra aquis nudaretur, ventus lambebat. Sic enim scribitur: *Immisit Dominus ventum super terram, & diminutæ sunt aquæ.* Utrùm verò in nubes ventus lymphata æquora collegerat, an illa superni firmamenti spatium resumserat, pro certo eruditi viderint. Aquæ autem illæ, quæ de abyssi fontibus diruptis largiter defluxerunt, per easdem vias unde venerant, rursum Dominico jussu remeabant. Sed adhuc nobis communis quæstio in his renascitur, quæ in reliquis velut curata videbatur: si quando inundaverant, aliquod spatium relinquebant; & si non hoc habuerant, quando reversæ sunt, quid implebant. Ceteri hanc quæstionem ita disserunt, quod mare tunc Dei jussu de suo modo consueto, per illorum fontium apertionem crescere, & ultra metas suas inundatione insolita per cuncta terræ spatia transfundare poterat, & in se iterum quod amiserat resumere, vel etiam in spatium terræ deportare, quod ad inferiores aquas pertinebat: quæ terra semper superpositas lymphas nisi de fontibus absumere, & in semetipsam redigere consuescit, quoniam non contra consuetudinem videmus etiam perparvas res in majus crescere. Nec contra naturam terræ est, superpositos humores semper consumere, præsertim cùm hoc Deus in potestate etiam sanctis suis tribuit, quemadmodum Eliæ & Elisæo dedit in [a] nubecula. Maria quoque extra terminos antiquos crescere consuescunt, & terrarum spatia diminuunt atque præscindunt, sicut & senes nostro adhuc tempore viventes, vidisse se confirmant. Unde etiam insulas quæ ab initio conditi orbis, ut multi affirmant, non fuerant, processu temporis faciunt, dum propinqua promontoria marinis finibus à continenti terra dividunt. Per quod intelligitur, quòd illæ feræ quæ insularum orbibus includuntur, non humanâ diligentiâ devectæ, sed in illa divisione insularum à continenti terra repertæ esse probantur. Quis enim, verbi gratiâ, lupos, cervos, & silvaticos porcos, & vulpes, taxones, & lepusculos, & sesquivolos in Hiberniam deveheret? Vel qualiter si tunc domestica erant, manum portantis ita effugerant, ut omnia genera hæc per silvas nunc oberrare videantur? Sed nonnulli auctores genera hæc bestiarum & ferorum animalium, ipsam terram gignere dicunt, qui hæc animalia quæ in insulis includuntur, non ex arca, sed ex ipsa terra procreata esse existimant. Hanc verò putationem eorum de quibus diximus de recessu aquarum diluvij, etsi aliquis acceptam & sufficientem esse crediderit, nostris tamen adhuc mentibus illa quæstio innodata residet. Quotidianis etenim inundinationibus & recessibus Oceani, hæc semper quæstio renascitur. Quemadmodum hanc inundationem unde venit, aut quò recedit nescimus: ita etiam recessum diluvii ignoramus. Hæc namque quotidiana inundatio bis in die à tempore ad tempus, per horas vigintiquatuor semper peragitur, & per alternas hebdomadas [b] Ledonis & Malinæ vicissitudo commutatur. Sed Ledo sex horas inundationis, & totidem recessus habet: Malina verò grandis per quinque horas ebullit, & per septem horas littorum dorsa retegit. Quæ tantam concordiam cum luna ostendit, ut antequam luna nascatur, tribus diebus & duodecim horis semper incipiat; & post nascentis lunæ principia alios tres dies, & duodecim horas consuescit habere: similiter & ante plenilunium tribus diebus & duodecim horis incipit, & post totidem temporis cursus sui terminum consumit. Sex verò uniuscujusque temporis Malinas, veris scilicet & æstatis, autumni & hyemis, secundùm lunarem supputationem, hoc est, simul omnes viginti quatuor unusquisque communis annus habet, exceptis videlicet embolismis, qui viginti & sex Malinas retinent: & uniuscujusque de prædictis temporibus mediæ duæ, videlicet æquinoctiales, & aliæ quando vel dies vel nox cursus sui terminum consumit, solito validior ac inundatione altior fueri consuescit. Interpositis verò spatiis iterum tantumdem semper Ledo intermittitur. At verò rationabilis hujus perseverantiæ inundatio, quò recedit, mentibus nostris occultata est: non minorem profectum nescientibus præparat scientia hominis. Nam qui veram sapientiam cupit, ad æternum regnum, ubi nulla est ignorantia, festinare contendat, & interim cum insigni gentium magistro dicat: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Etenim omnes res, quas possidemus, ex parte vix novimus. Terræ namque superficies in qua laboramus, alimur, vivimus & sustentamur, nostris apparet obtutibus; sed tamen quomodo illa sustentatur, adhuc ignoramus. Sol in ministerium nostræ necessitatis per diem traditur, sed qualem in nocte profectum exsequitur, à nostra scientia occultatur. Lunæ quindecim diebus crescentis, & totidem tempore decrescentis, totius vicissitudinis caussas quis intelligere sufficiet? Maris inundantis tumores considerare permittitur, sed recedentis illius intelligentiâ privamur. In nobismetipsis diem nostræ nativitatis scimus & memoramur: diem mortis quando veniet, cùm certè ventura sit, nescimus. Res etiam corporales quas videmus, ex parte tantùm considerare possumus. Ex parte ergo cognoscimus, quamdiu in hoc sæculo sumus. Sed si ad illam lucem Patris luminum venerimus, nihil in creaturis erit quod nesciamus. At verò ut nostrum sequamur propositum in isto diluvij tam magno in Dei creaturis miraculo, nihil contra naturam factum esse ostenditur, quoniam nihil quod Deus in creaturarum prima

Gen. 8. 1.

a MS. *Aud.* dedit in viduas.
3. *Reg.* 18. 44.

Maris fluxus & refluxus.

b Beda de nat. temp. c. 28. *Æstus*, ait, *crescentes Malinas, decrescentes autem, placuit appellare Ledones*: perinde loquens ac si recèns hunc in usum adhiberi cœpissent ea vocabula. Apud Marcellum Empiric. qui in Gallia Theodosio seniore imperante vixit, *Lidunam & Mallinam* c. 16. & 25. legere est, sed in significatu nonnihil diverso. uti observat V. Cl. D. du Cange in Gloss. Ceterum Bedæ in prædicto lib. c. 8. nostroque auctori hîc, Ledo est æstus ille maris languidior qui per 4. pænè dies tam ante quàm post secundam ubi-mamque lunæ quadraturam, mense unoquoque accidit: Malina verò æstus vehementior, contingens diebus aliis ad novilunium & ad plenilunium.

1. *Cor* 13. 9.

conditione non fecerat, superinductum esse videtur, nisi quod solito abundantior maris copia, & imbrium ducta congregatur. Nihil in his auctoritate firmaverim, ut in defensione alicujus contentiosus sim: sed si quid alterius ingenio fortè meliori intelligentiâ horum succurrerit, hoc & meo ingeniolo forsitan complacebit. Ego enim quod in hoc magistrorum quorumcumque eruditio contulit, litterulis his intimavi, in quibus si quid vitiosum, & minùs sanæ intentionis apparet, non illorum, sed mea titubavit intentio.

CAP. VIII. De cursu solis & lunæ in diluvio.
Gen. 7. 7. & 11.
Gen. 8. 4. 5. 13. 14. 18.

De terminis, de recursu solis & lunæ in diluvio, quamvis famosa plurimorum mentes quæstio pulsat: nihil in luminarium aut siderum consuetis ministrationibus diluvium commutasse, ipsius anni quo diluvium est factum, cursus manifestat. Noë enim secundi decimo-septimo die mensis, cum universis, quæ ad eum pertinebant, arcam intravit. Post centum quinquaginta dies in mense septimo, vicesimo-septimo die mensis, in montibus Armeniæ eadem arca requievit. Prima die decimi cacumina montium apparuerunt. Et prima die mensis primi aquæ minutæ sunt. Atque evoluto anni circulo, mense secundo, vicesima septima die mensis arefacta terra conspicitur, qua die Domini jussu Noë cum omni domo sua de arca egressus est. Ex quibus indiciis manifestissimè ostenditur, quòd in iis quæ ad anni circulum peragendum pertinebant, in luminarium ministrationibus dierum ac noctium plenitudine decursa, nihil decedere videtur. Si enim luminarium, solis scilicet & lunæ, cursus in aliquo titubaret, dierum ac noctium primitus vicissitudo, & deinde totius anni circulus impeditus appareret: dum verò nullo modo turbatus in se anni circulus revertitur, manifestum est quòd in anno precedente luminarium cursus non turbatur.

CAP. IX. De dispersione linguarum.
Gen. 9. & 10.
Gen. 11. 4.

Jam generali totius orbis purgatione per aquam Deo gubernante perfecta, atque aquis iterum terrâ eodem jussu retectâ, egressa de arca Noë solius tunc justi prosapia, totius mundi partes complectura, citò succrevit. Sed antequam in omnes terras essent divisi, impia cunctorum mentibus & superba cogitatio subrepsit, ut in commune magnificare nomen suum, non Dei creatoris, per excellentissimæ turris ad cælum usque ædificationem decernerent, & in memoria posteritatis per omnes postea generationes, gubernationes, & totius sæculi tempus indelebili cunctorum præconio celebres forent. Sed hac temeritate & superba præsumtione rursus Deus offensus, per totius generis communem culpam individua omnium strage, quod in hominibus nuper erat expertus, præsertim cùm nullus repertus est justus, qui residuus, esset totam funditus gentem delere noluit. Verumtamen cùm illud usque tempus esset unius linguæ cunctus populus, universorum qui ad tale opus venerant, linguas in diversa verba divisit, scilicet ut rectissimo justi arbitri judicio, qui alto Deum superbiæ tumore contemserant, in fragilissimo substantiæ suæ membro sermonis pœnam utique sentirent. Et hoc non in ipsis tantùm patribus quod evenerat fiebat; sed per omnes filiorum propagines talis vindictæ conditio pretransibat: ut qui æternam sibi posteritatis famam quærerent, mansuram in illis posteritatibus ipsius præsumtionis per universa venturi sæculi tempora animadversionem invenirent Postea quoque hæc linguarum divisio Dei dispensatione evenerat, ut divinarum Scripturarum mysterium usque ad maturum tempus unius electi ex multis populi lingua custodiret: donec præfinito tempore, quando universis gentibus sacramentum suæ dispensationis aperire voluit, Spiritum-sanctum de excelso linguarum omnium scientiam afferentem, ejusdem sacramenti præordinatis ministris transmisit: qui Dei magnalia ad illud usque per unam linguam cantaverat, velut ad consecrationem omnium linguarum in ipso suo primo adventu per Apostolos prædicabat. Sic enim illi quos de universis gentibus, velut ad hujus rei comprobationem, in Jerusalem tunc temporis collegerat Deus, dicebant, *Audivimus eos linguis nostris loquentes magnalia Dei.* Sic apostolica humilitas Spiritus-sancti munere colligebat, quod superbæ præsumtionis & vanæ gloriæ cupido disperserat. Linguas autem illas septuaginta duas esse, plurimi auctores consentiunt, quia in ædificationem turris illius in terra Sennaar, quæ nunc est Babylon, tot patres congregatos fuisse dicunt. Unde & Dominus septuaginta duos discipulos, exceptis illis primariis Apostolis, elegisse sermone Evangelij refertur, per quos posteà in omnes gentes idem Evangelium prædicaretur. In quorum præfiguratione etiam Moysi spiritus in septuaginta seniores distribuitur: & aliis duobus qui in castris resederant, Heldad videlicet & Medad, ejus spiritus prophetiæ donum condonatur. Quorum quasi hereditarij successores, ad Ptolomæum Philadelphum Alexandriæ regem à pontificibus, Eleazaro scilicet & ceteris, qui eodem tempore Judæorum populo præerant, septuaginta sapientes, qui ex Israël stirpe descenderant, missi sunt, & Scripturas antiquæ Legis in græcum eloquium transtulerunt. Harum verò omnium linguarum novi Testamenti tempore, tribus linguis, Hebraicæ utique, Græcæ & Latinæ, principatus committitur, quia in eis crucis Christi titulus litteris Hebraicis, Græcis & Latinis scriptus, Evangelica auctoritate perhibetur. At verò Deus in hoc contra naturam humani eloquij, quam olim disposuit, nil dividendo & confundendo linguas hominum & sermones fecit, quando ejusdem loquelæ natura in hominibus permanet, nisi quòd consuetudo diversa deviare ab alterutro linguas, non naturaliter, sed consuetudinariè docet. Latinus namque vel Græcus inter Barbaricos genitus vel nutritus, barbaricè loquitur; versaque vice Barbari filius à Græcis aut Latinis edoctus, venusto sermone fatur. Ex quo intelligitur Deum non naturam hominum mutasse, non novum in eis aliquid condidisse, sed dicendi tantùm modos & formas in diversis generibus divisisse.

Act. 2. 4.
Ibid. 11.
Gen. 11. 2.
Luca 10. 1.
Num. 11. 24.
Lingua Hebraica, Greca, Latina. Iohannis 19. 20.

CAP. X. De Sodomitica vindicta.
Gen. 14. 2.
Gen. 19. 24.

Magno deinde temporis intervallo peracto, in confinio Arabiæ & Palestinæ quinque positæ civitates, Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, & Segor, fecundissimi soli habitatione, & rerum omnium abundantiâ perfruentes, inconvenientis luxuriæ & cupidinis in contractione tritici convictæ, Dominicæ vindictæ aditum præbuerunt, ita ut imbribus ignis & sulphuris superfusa tota cum habitatoribus suis & animantibus & urbibus regio flagrans arderet Hoc namque modo conveniebat, ut qui communi studio Deum offenderunt, communis vindictæ impetu eodem perirent: & qui contra consuetudinem hominum

in turpis concupiscentiæ perpetratione exarserant, contra consuetam hominum mortem non terrenâ vindictâ, sed cælestium ignium infusione arderent: & qui peccatum suum non solùm faciendo, sed etiam predicando palam fecerant, infamem vitam famosâ pœnâ consumerent. Quæ vindicta hactenus eorumdem terram non deseruit, dum quali pœnæ, qui talia agunt subjacebunt, ostendit. Inter istas verò duas primarias in sæculo pœnas, diluvij scilicet & Sodomitanam, talis differentia deprehenditur, quòd aquâ una terra, igni altera punita videatur: una cæli rore & abyssi undâ diluitur, altera igneo imbre & sulphuris superfusione damnatur. Una anni circulo unius permanente terra retegitur, per alteram terra & adhuc cessatione maceratur. In una naturale scelus in hominibus punitur, per alteram adinventio concupiscentiæ contra consuetudinem facta vindicatur. In ista verò Sodomitana pœna nil contra naturam Deus facere cernitur, cùm desuper aëreo ignito illo spatio, insoliti desiderij ardor inflammatur.

CAP. XI. De uxore Loth in statuam salis mutata.
Genes. 19. 17. 26.

De qua peccatorum plaga Loth Dei servus per Angelos eruitur, sed illius uxor ne retrò respiceret jussa dum respicit, in salis statuam solidatur, ut cujus visus non erat immunis ex culpæ consortio, mortem effugere non posset, quamvis propter justi contubernium eruta sit de incendio. Sed dum hoc assumsimus, quod nihil in Dei creatura contra naturam fit, sed insita natura semper in omnibus gubernetur; qualiter uxor Loth cùm in salis statuam vertitur, humani corporis natura in hac mutatione gubernatur? Salis igitur naturam in humano corpore esse nullus ambigit, qui lacrymarum salsitudinem comprobavit, quæ à turbato felle, ut medici dicunt, egredientes, salis naturam, quam in recondito naturæ sinu concipiunt, de oculis fluentes, etiam saporis comprobatione ostendunt. Et non solùm in lacrymis, sed etiam in phlegmate, & tussi expresso sputo pectoris sapitur, quod salis natura per humanum corpus inseratur. Potens ergo rerum gubernator, cùm totum in partem vertere cupit, quod in modica parte latebat, per totum infundit. Atque hac ex caussa, cùm uxorem Loth in statuam salis vertere voluit, pars illa tenuissima salis quæ carni inerat, totum corpus infecit. Et ita factum est, ut qui sexto die omnes naturas constituere consummavit, nihil ex aliqua natura in aliam congessit, sed unamquamque in semetipsa gubernat, quam in prima conditione constituebat.

Lacrymæ unde salsæ.

CAP. XII. De Sara nonagenaria pariente filiū.
Genes. 21. 1.

Eodem ferè tempore Abrahæ illius ex multitudine gentium in Dei amicitiam electi, Sara sterilis uxor filium, Isaac nomine, jam nonagenaria peperit, cùm illam usque ætatem per totum vitæ suæ spatium sterilis fuit. Sed hoc valde conveniebat, ut quoniam filius quem parturiebat, ipsam figuram Christi, qui ex sola Virgine sine aliqua humanæ voluptatis cupidine nasceretur, prætulit, illum non ætate qua solent feminæ parere, id est, à duodecimo anno usque ad quadragesimum nonum annum, sed ultra illius consuetudinis metas parturiret: ut scilicet ille infans non solùm ultra quinquagesimum annum, desinente partus officio, sed etiam nonagesimo anno nasceretur, desinente voluptatis desiderio. Et hoc quamvis contra consuetudinem, non tamen adversùs naturam factum est: quoniam etsi contra consuetudinem est ut pariat anus, adversùs tamen naturam non est, ut in utero feminali nascatur quandoque filius.

CAP. XIII. De puteo quē vidit Agar ejecta cum filio. *Genes.* 21. 19.

Quo nascente filio & ablactato, ancilla Agar cum filio suo Ismael, qui prior natus est, ejicitur, quæ per desertum deficiente aquâ, & siti moriente cum puero vadens lacrymatur. Sed Angelo eam compellante & dicente, *Exaudivit Dominus vocem pueri*, aperti sunt oculi ejus, & vidit puteum in solitudine. De quo puteo ita refertur, ut aut tunc erumpens jam è terra prodatur, aut si ibi antè fuerit, tunc Agar oculi, ut videret, quem antè non poterat, aperiuntur.

CAP. XIV. De ariete quē Abraham obtulit pro filio. *Genes.* 22. 2.

Ut autem appareret etiam hominibus quàm fidelis in Dei amicitia permaneret Abraham, filium suum Isaac cùm esset jam adultus, offerre sibi in holocaustum super unum montium, quem ei monstraverat, Deus præcepit. Qui obediens ad locum quem ostenderat ei Deus, citò perrexit & assumtum filium jam jamque immolare cœpit: sed clamante Angelo, filio suo quidquam mali ne faceret, jam inter vepres hærentem cornibus arietem vidit, quem Angelo jubente holocaustum pro filio statim obtulit. Sed iste aries requiritur unde in solitudine fuit: utrùm, ut quidam asserunt, hunc in illa hora terra protulit, quomodo & in principio pecora gignit? An etiam, ne illud opus post diem sextum condidisse de terra Deus dicatur, istum arietem detulisse Angelum aliunde credimus, quo modo & Philippum Angelus ab eunucho transtulit in Azotum, & ad Danielem in Babylonem Abacuk transtulisse ad lacum leonum fertur Angelus.

Act. 8. 39.
Dan 14. 35.

CAP. XV. De Jacob & Joseph, quare unus in terra repromissionis, alter in Ægypto sepelitur.
Genes. 25. 25.
Genes. 37. 28.
Genes. 41. 41.
Genes. 45. 9.
Genes. 47. 29.
Genes. 50. 7.

Inde Isaac generante filios Jacob & Esaü; Jacob duodecim Patriarchas generante, decem fratres invidentes Joseph vendiderunt in Ægyptum, qui in terra peregrinationis & captivitatis suæ salutem gentibus præstans ad quas pervenit, totius regni Ægyptiorum dispensationem, & dominium terræ Ægypti accepit, ita ut & patrem cum omni domo sua in Ægyptum invitaverit: ubi cùm annis sedecim vixisset, die mortis jam instante, filium suum Joseph adjuravit, ut ad sepulcrum patrum suorum in terram repromissionis, in qua Abraham & Isaac cum Sara & Rebecca jacebant, ubi etiam Lia condita fuerat, illum deportaret. Quam adjurationem Joseph opere complevit: patrum enim suorum ad sepulcrum paternum corpus devexit. Et tamen ille in Ægypto postea moriens, statim post mortem devehi ad paternum sepulcrum noluit, sed in Ægypto interim sepulturæ locum suscepit, & postea de ossibus suis pergenti de Ægypto populo mandavit, dicens, *Efferte ossa mea vobiscum hinc.* Quare ergo alter ad sepulcrum Abraham in terram repromissionis protinus portatur, alter adhuc in terra Ægypti quandoque deportandus sepelitur? Jacob namque nequaquam externæ gentis feminis, nisi iis quæ de Mesopotamia secùm venerant miscebatur, idcirco ad paternum sepulcrum integro corpore post mortem statim devehitur. Joseph verò Assenech Phutifaris sacerdotis Heliopoleos filiam uxorem accipiens, externo sanguini fuerat mixtus, & ideo post mortem in extraneo terræ limo conditus est. Quare ergo postmodum ad terram repromissionis vehi voluit, dum primitus in Ægypto conditus fuit? Joseph ergo ut vir propheticus, prævidit quod Ægyptiorum gens idololatriæ dedita, ipsum qui terrenæ munificentiæ illis auctor fuisset, & ipsos de famis periculo

Genes. 50. 24.

liberasset, aliquando adorare vellet: quod & fecerunt. Nam bovis simulacrum juxta sepulcrum Joseph statuerunt, eo quod bos viro in agricultura cooperatur. Qua etiam caussâ filij Israël cùm in deserto idolum adorare vellent, non aliam aliquam statuam quàm vitulum, id est, bovem fecerunt: hac vel maximè caussâ quod ipse in Ægypto juxta sepulcrum Joseph adoraretur. Ne ergo Joseph Ægyptiorum idololatriæ succumberet, profectionem filiorum Israël prævidens, dixit, *Visitatione visitabit vos Deus; & efferte ossa mea hinc vobiscum.* Hanc ergo caussam in hoc loco posui, non quod inter mirabilia deputaretur, sed ne tam magnum inter Abraham & Moysen, sine aliquo quod commemoratione dignum sit, spatium omitterem.

Ibidem.

CAP. XVI. De Moysi & rubo in Oreb.
Exod. 1. 14. 22.

Post mortem autem Joseph, durissimæ servitutis jugo Ægyptiorum gens filios Israël cœpit opprimere, ita ut mares eorum parvulos, ne ultra modum gens succresceret, in flumine projicere, & diversa juberet morte mactare. Quo tempore Moyses Amræ filius, in illa tempestate generatus, Leviticæ stirpis vir in ultionem suæ gentis surrexit: & videns virum Ægyptium Israëlitam opprimentem, occidit. Quæ res ut Ægyptiorum regi qualiter facta esset, innotuit, ipse de Ægypto fugiens, per quadraginta annos in terra Madian oves pascens exsul fuit. Cui evoluto tempore promissionis, quæ facta est ad patres, minanti per pascua gregem in monte Oreb rubus ardens, & igne suo non comburi apparuit. Et cùm talem visionem explorare cuperet, cur rubus non combureretur cùm arderet, Dominus de medio rubi, *Ego*, inquit, *sum Dominus Deus patrum tuorum. In Ægyptum mittam te, ut inde servitutis jugo oppressum solvas semen eorum.* In hac horribili visione, hoc nostro operi primum occurrit, quomodo ignis videbatur ardere, & tamen illud in quo arserat, non comburi. Si ergo de ista materia ignis alimoniam sumserat, quare illud unde creverat non consumebatur? Et si non de hac materia flamma, quæ videbatur, surrexerat, ut in rubo ostenderetur quid necesse erat? Cujusdam ergo virgulti consuetudo refertur, quod quanto plus arserit, non tantùm non consumitur, sed ardendo purgatius redditur. De quo ligno sanctus Hieronymus in explanatione altaris lignei, quod in civitate per visionem Domini in Ezechiele ostenditur, refert quod quasi lini colorem habeat: attamen de hujus nomine reticuit, cùm illius naturam indicavit. Si ergo in illius arboris rubo ignis ille Moysi ostensus arserat, quid mirum si nequaquam illud comburebatur? Servata ergo in utroque natura, igne scilicet & arbore consideratur, dum & ignis naturaliter de arbore ardet & arbor ardens igni naturaliter non consumitur. Vel certè in illo rubo non ille ignis arboris inimicus videbatur; sed potius ignis ille ibi fuit, de quo dicitur, *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem.* Ignis ergo incorporeus in rubo declaratur, qui dum corporali homini ostensus est, necesse fuit ut aliqua corporea materia monstraretur.

Exod. 2. 11.
Exod. 3. 2.
6.
Hieron. in Ezech. 41. 22.
Psal. 103. 4.

CAP. XVII. De duobus signis, id est manu in sinū conversa, & virga in colubrum mutata. *Exod.* 4. 2. 6.

Deinde pergenti in Ægyptum, bifarium condonatur signum, scilicet ut in tribus testibus, in se & in duobus signis, consisteret verbum. Nam virga quam Moyses adhuc ovium pastor manu portaverat, cùm in terram projiceret, serpens fiebat: & manum illius in proprium sinum suum missam prima vice leprosam protulerat, & secunda vice in eumdem sinum conversa sana apparebat, sed in manu aut in ligno contra naturam esse aliquid factum non apparet. Lepram enim & sanitatem insitam, ut alternatim sæpe probatur, carnis humanæ natura retinet. Sed crebra talis mutatio, ut in eodem momento sana manus & lepra candens, & rursum sana appareret, insignissimi miraculum signi intuentibus præbet. Virga igitur in anguem versa & rursus serpens in arborem mutatus, laborem naturæ inquisitoribus præparat. Nisi quia utrumque, virga scilicet & serpens, factum esse manifestè docetur ex terra. Quod ergo ex eadem materia oritur, gubernatoris Dei potentiâ vicissim in alterutrum mutatur. Sed si omnia, quæ de terra facta sunt, in alterutrum mutari vicissim conceduntur, hoc est, ut animal in arborem, panis in lapidem, homo in volucrem verti posse concedatur, nihil ex his firmiter possit intra suæ naturæ terminos permanere, & ridiculosis magorum fabulationibus dicentium in avium substantia majores suos sæcula pervolasse, assensum præstare videbimur, ac per hoc Deum in his non gubernatorem, sed mutatorem naturarum dicemus; quod absit, ne illum post primam naturarum omnium conditionem, aliquid novum, quod non propria natura retineat, facere credamus *Nihil enim sub sole novum. Nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est:* & ideo plurimi doctores plus dicunt illam veram virgam, quæ semper Moysi manibus comprehensa virgultum manebat, imaginariè tantùm in serpentis formam aliquoties pro signo fuisse versam, præsertim cùm ad nullos usus, nisi ad signi ostensionem necessaria esset. Si enim verus serpens fuisset, serpens semper post signa maneret. Etenim vera virga fuerat ex qua Moyses Ægyptum plagis flagellere cœperat, numquam in serpentem mutata, semper virga permanserat De qua mare dividitur, & petræ in Oreb & in Cades percutiuntur. Si ergo imaginarius serpens ille per signa tantùm ostenditur, cur coram Pharaone ceteri magorum serpentes per eum devorantur? Cui objectioni facilè docti respondere poterunt, quòd & ipsi serpentes, qui per eum devorantur, imaginarij fuerunt, & ideo divini signi imaginatio devorare poterat quod per magorum diabolicas incantationes imaginatum fiebat. Juxta ergo hanc æstimationem non in naturam serpentis virga vertitur, sed pro signo in similitudinem imaginariè commutatur. Nihil enim in arboris natura, quod facere serpentem possit invenitur: & idcirco nisi in hora signi, quæ erat virga naturaliter, [a] serpens specialiter videtur.

Eccle. 1. 10.
Exod. 14. 21.
Ibid. 7. 6.
Num. 20. 11.

a MS. *Aud.* Virga specialiter semper videtur. *Optimè.*

CAP. XVIII. De aqua in sanguinem versā. *Exod.* 7. 1. & 7. 10. 20.

Pergens igitur in Ægyptum Moyses, cùm coram Pharaone ut sibi Dominus imperaverat, signa faceret, & Dei sententiam, ut Israëliticum populum dimitteret, regi indicaret, & ipse rex Dei præcepto nullo modo consentiret, & jubente Domino decem plagis terram Ægypti flagellaret, primò percussas in sanguinem vertit aquas, ita ut omnes aquæ per totam Ægyptum mutatæ in sanguinem, animantibus quæ in ipsis erant, mortem præstarent, & per interitum sitis hominibus pœnale facerent exitium. Hæc autem primitus vindicta Ægyptiis cum rege suo convenienter evenerat, ut qui Dei populi infantes in flumen jactari præceperant, ejusdem fluminis aqua in sanguinem versa, exitium bibentibus inferret, & non bibentibus pœnam

præstaret. At verò & hoc requirendum est, quod ad præsentis operis propositum respicit, quomodo Deus naturæ gubernator naturaliter aquam in sanguinem mutavit. Aqua igitur cuncti liquoris materia, quotidie per ipsarum rerum ministrationes in diversa mutatur, dum ad uniuscujusque naturæ pastum & refectionem indesinenter & naturaliter contrahitur. Cùm enim per vitis arborem infunditur, in vini saporem & colorem mutatur. Et cùm olivæ ligni ad excelsas summitates adscendit, eadem aqua olei pinguedinem facit: & cùm ab apibus in favos congeritur, mellis dulcedinem operatur: & cùm per palmarum robora digeritur, dactylos gignit, & ad ficeræ suavitatem expressa pervenit: & cùm in animalium diversorum pastum deputatur, in sanguinis substantias diversas per eamdem carnem distinguitur. Nam & nutriendis fetibus, albi coloris & suavissimæ dulcedinis in uberibus lac præparat, & per cuncta reliquæ carnis membra rubicundum sanguinis colorem fuscat. Multa sunt præterea sanguinis genera per eamdem carnem, quæ usque ad viginti tria physiologi dinumerant, ex quibus urinam, semen, fel nigrum & rufum, salivas & lacrymas, & cetera esse denuntiant: hæc quotidianis administrationibus naturæ suæ per res varias aqua præparat. Quid ergo capacibus mentibus obstat, si illud quod per tempus longiùs facit, in momento per jussum potentissimi gubernatoris naturaliter efficiatur? Aqua ergo in sanguinem versa, non contra naturam facit, sed quod aliis rebus per tempus efficeret, jubente Domino in semetipsa protinus operatur.

Omnis liquor ex aqua.

CAP. XIX. De ceteris plagis Ægyptiorum.

De ceteris verò plagis quibus Deus per Moysen & Moyses per Aaron, Pharaonem & terram ejus & servos ejus castigaverat, nil excessisse terminos naturæ, ipsa plagarum simplex narratio manifestat. Quoniam etsi tunc solito plures, semper tamen de aquis ranæ nascuntur; & cynifes æstatis tempore calore solis de pulvere oriuntur; locustæ & muscæ solis fervore solidatæ undique conveniunt, & jumenta diversis caussis morte solita vitæ suæ terminum peragunt; pulvis quoque conturbatus de terra sæpe aërem serenum obscurat, & vesicas, & postea ulcera in hominibus & jumentis infectis aër generat. Grando etiam & fulgura de congelantibus & vehementer turbatis nubibus ruunt, & absentia lucis oculorum obtutus quantocumque lux recessit, tenebræ plus præpediunt. Mors quoque in Adam seminata primitus, omnibus filiis ejus dominatur, per quam tunc in Ægypto primogenita soboles cunctorum arctiùs damnatur. Sed quamvis hæc omnia in rerum naturis insita erant, Ægyptiis tamen plagali conditione, ad eorum perfidiam compescendam, & subitò, & plus solito acciderunt. Quarum ordo plagarum sicut in differentia rerum, ita & ministrorum crevit. Primæ namque ex omnibus tres plagæ per Aaron efficiuntur. Qui primò cùm percussisset aquam, in sanguinem statim vertitur. Et cùm iterum extendisset eamdem virgam super aquam, ranarum inundatio replevit terram. Et cùm tertio extendisset virgam super pulverem terræ, cynifes ebulliunt: & per Aaron istæ tres plagæ fiunt. Et sequentes tres aliæ per verbum Moysi ministrantur. Nam illo jubente, locustæ & muscæ veniunt, & mors jumentorum consequitur. At verò tres aliæ non sermone tantummodo imperantur, sed per Moysi opus convocantur. Moyses enim sumtum de camino pulverem in cælum sparsit, & vesicæ in hominibus & jumentis, & ulcera manantia ut pulvis in omni terra Ægypti nascuntur. Et postea assumens virgam in cælum extendit, & grandinis fulgurumque insolens copia in terram ruit. Iterumque idem Moyses eamdem virgam in cælum direxit, & tribus diebus totidemque noctibus permanentes tenebras crassitudine palpabiles, & admodum ferales super terram induxit. Ultima autem plaga neque per Aaron, neque per Moysen accidit, sed Angelus Domini per Ægyptum transiens cuncta Ægyptiorum primogenita delevit. Quoties ergo de terra vindicta colligitur, per Aaron velut inferioris ordinis ministrum: quæ verò de volatilibus & morte jumentorum, quæ & ipsa velut in terra volant, pœna contrahitur, per Moysi imperium agitur: quando autem de supernis nubibus castigatio convocatur, per extensionem in altum Mosaïcæ manus conducitur. At verò quando humanæ mortis exitus à Deo dispensatur, non homini, sed Angelo ministerium illud committitur: ut qui illud usque tempus per rerum, quas possidebant, flagella minùs terrebantur, saltem per suæ insignissimæ partis detrimentum commune, quod sequebatur, interitum vererentur. Istarum quoque modus plagarum undique, hoc est, terra, aquis, animantibus, aëre, igne, nubibus, cælo & Angelis convenerat, ut ostenderetur, quod contra Deo rebelles & contumaces sese pariter universus orbis armat. Sicut autem iis quos Deus punire voluit, omnis creatura irascitur: sic & illis quibus auxilium præbuit, omnis creatura suffragatur. Etenim hos ambos populos mare Rubrum divisit: ubi eorum alteri totius pressuræ finis, initium alteri cunctæ felicitatis fuit.

Exod. 7. 20. Exod. 8. 6. Exod. 8. 17. Exod. 10. 14. Exod. 9. 6. Ibid. 10. Exod. 10. 22. Exod. 11. 29. Sap. 5. 18.

CAP. XX. De recedente & siccato mari rubro. *Exod. 14. 5.*

Cum dimissum, tot plagis attriti, Israëliticum populum, Ægyptij à se exire compulissent, mala rursus pænitudine acti, cuncti cum rege suo exercitus pergunt, ut quos dimiserant, iterum ad servitutem retraherent. Tum Israël in angusto maris Rubri sinu coartato, Moyse virgam super pelagus extendente, subitò maris unda Rubritidis dividitur: & ingrediente populo pedibus siccis, hostibusque succedentibus, via dilatatur: immissoque vento, per totam noctem Deus mare divisum, etiam in siccum vertit, & inter ambos populos nubem, quæ divideret, tenebrosam, & noctem ipsam illuminantem columnam, immisit. Nam & Pharaonis exercitus mare post Israël intravit: sed uni refugium, alteri laqueus fuit. Quapropter & illa nubes media Ægyptiis erat tenebrosa, ut per totam noctem præcedentibus conjungi non valerent: Israëli verò noctem ipsam illuminabat, ut profunda maris lucidâ viâ incederent. Orto autem diluculo, defensus utroque periculo, hostium & pelagi, totus Dei populus evasit ad rura deserti, cùm totus sine saltem nuntio evadente Pharaonis cuneus, undis ad suas metas revertentibus, concidit in glarea profundi. In hoc tam insigni in Dei operibus miraculo, istud de præsenti actus nostri intentione exigitur, quomodo in siccato & recedente de littoribus mari ratio conservatur. Sed ipsum non tam difficulter Deo auxiliante nos invenire credimus, qui congelantibus undis stagnorum dorsa glacie superstrata sæpissime consideramus. Quod ergo venti & pluviarum desinente turbine aëris inferiores partes gelu obtinente, in aquis sæpe naturaliter efficitur, illud tunc Dei jussu per glacialem ventum subitò * urgente pelago factum fuisse comprobatur. Sed sicut repentè mare siccum Domino imperante redditur, ita eodem jubente liquefactum, in fluidas undas de sicco resolvitur. De recessu verò illius quotidiana administratione, jam antè prædiximus, quia per Oceani maris æstuaria indesinenter fieri videre solemus. Ex quo colligere possumus, quòd mare sicut naturaliter quotidie deserit littora, non contra naturam, quamvis longè aliter dissimili modo, Deo tunc gubernante, propria littora detexit.

*f. * rigente.*

CAP. XXI. De carmine consono filiorū Israël. *Exod. 15. 1.*

Considerantes igitur filij Israël validissimam potestatem, quam in sui liberatione Dominus fecit, Moyse præcinente consono carmine canticum Domino universi pariter decantabant. Ubi enormi satis admiratione accidit dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates eodem inspirati flamine, uno quasi ex ore, nulla præmonitione edocti, easdem concinenter litteras decantarent in unum. Sed naturæ inquisitor in hoc loco securus efficitur, ubi non consuetudine humani ingenij, sed divino Spiritu cantorum pectora & ora inspirantur. Sed in his tamen cantoribus nil idem Spiritus contra naturam effecisse dignoscitur, in quibus per ora & linguas halitus & vox ad verba movetur. Et quod per verbum & studium ipsi facere potuerant, consonum omnes carmen decantare in uno momento Dominus illis donavit. Et qui paulò antè profundum coram eis aperuerat, ipse postmodum in tale canticum eorum linguas & ingenia gubernabat.

CAP. XXII. De aquis indulcatis in Marath. *Exod. 15. 24.*

Inde per infecundæ avium digressi solitudinis trium dierum continuo fatigati labore, querulosi ardore sitis, in Marath aquas amarissimas invenerunt, quarum salsitate prohibiti, suæ sitis habere solamen minimè valuerunt. Sed Moysi à Domino lignum ostenditur, cujus tactu amara fluminis aqua indulcatur, ejusque dehinc dulci sapore populus sitis ardorem depotatus deposuit, quem illuc usque incessabiliter fervor fatigavit. Sed qualiter naturæ investigator naturaliter esse factum approbabit, quòd amaræ aquæ in momento ligni attactu protinùs indulcantur? Cujus ergo naturæ aut tantæ dulcedinis lignum fuisse videtur, quo semel intincta fluminis unda amarissima, suavis & sapida fit? Etenim si favum mellis aliquis nunc in amaram undam jecerit, nónne potiùs favus amarus quàm unda sapida erit? Ex quo intelligitur, non tunc lignum contra naturam aquam effecisse dulcem, sed præcepto Conditoris & naturæ gubernatoris lympham mutavit in saporem. Nam & virga illa qua à Moyse mare Rubrum percutitur, & flumen & cœlum & terra flagellantur, quando terra Ægypti diversis plagis maceratur, non hanc in se naturæ virtutem habuit, cùm eam Moyses vel Aaron ad hæc facienda elevavit, vel ut aquam fluminis in sanguinem verteret, vel etiam cyniphes de pulvere suscitaret, vel tenebras deduceret de cælo. Si enim aliquis præter Moysen, & non cum Dei præcepto, mare iterum ex illa virga percussisset, pro certo ejus percussioni Tethys nequaquam cederet. Et si iterum aquas fortuitu percuteret, profectò illas numquam in sanguinem mutaret. Sic & illam arborem per quam in Marath aqua salsa indulcatur, si in amarum liquorem aliquis intingueret, & non idem Deus ut primitus imperaret, pro certo non illam salsuginem in suavem saporem commutaret. Unde pervidendum est, quòd non ideo Deus hæc ligna, vel etiam de fornace pulverem in his mirabilibus interesse præceperat, ut aliquid in illis per eorum naturam vel administrationem effectum fuisse quis credat. Sed per hæc futurorum mysteria præsignata esse instituit, ut quid in his nunc in Ecclesiæ provectibus ista faciant, sapiens doctor figurali expositione decernat. Dum autem lignum nihil in hoc naturaliter fecisse approbavimus, restat nunc ut quomodo per naturam factum sit exponamus. Quodcumque ergo per studium quamvis longi temporis in re aliqua invenitur, non aliunde in eamdem per industriam ex aliena natura conducitur, sed cùm in naturæ abdito recessu occultatur, priùs hoc perplexi temporis industria, & alterius naturæ adjumentum reddit. Et quod per humanum seu etiam rerum effectum longo cultu efficitur, hoc Dei voluntate, cùm necesse habet, ipsa natura operatur. Aquas igitur amaras, vel etiam ipsas salsissimas in dulcem saporem verti posse, frequenter nautæ comprobant, qui illas per humum optimæ terræ infusas, & hoc artificio etiam indulcatas, sæpè sitim temperant. Nubes quoque de marinis finibus vapores levant salsi liquoris, sed easdem dulces, quando pluunt, terrenis usibus ministrant. Quoniam salsuginis vitium quod in semetipsis aquæ insitum capiunt, per infusionem terræ aut nubium deponunt. Similiter quoque & dulces aquæ, cùm eas homines per marinorum olerum cineres hauriunt, salsum & plusquam Oceani saporem reddunt. Hanc ergo immutationem insitam sibi naturaliter aquæ habent; sed celeriùs per præceptum Conditoris illam, quàm per efficaciam humanæ diligentiæ & ipsarum rerum ministrationis exhibent. Per alterius enim rei adjumentum humana diligentia, vel ipsa cujusque rei ministratio alicujus naturæ superficiem mutat: ipse verò creaturarum Conditor & gubernator, naturam occultam, quæ per aliam rem manifestanda fieret, in re ipsa sola denudat. Sicut & nunc amara aqua dulcedinem quam in occulto suæ naturæ continuerat, per humum aut nubem ab amaritudine purgata ostenderet: ita jussu gubernatoris potentissimi naturarum per se solam absque alterius rei juvamine exhibet.

Tethys dea marina, pro mari.

Aqua quomodo dulcescant.

CAP. XXIII. De manna pluente de cælo. *Exod. 12. 34. & 16. 14. & 25. Psal. 77. 24. Num. 11. 7.*

Ingressi ergo solitudinem hujus populi sexcenta ferme millia peditum pugnatorum, excepto purgamento exercitus, id est, innumerabili & promiscuo vulgo, quod de Ægypto conscenderat, Deus per annos quadraginta manna, id est, cælesti pane saturavit. Denique de illo pane & Psalmista postmodum commemorans dixit, *Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo.* Qui per noctem semper, excepta nocte sabbati, cum rore descendens, circa castrorum locum candorem nivis ostenderet. *Erat enim*, inquit Scriptura, *quasi semen coriandri, & coloris bdellij, album quasi nix.* Hoc autem solis ortum sufferre non poterat, sed continuò liquefiebat, cùm versa vice collectum & molâ confractum, in coquendis panibus ignis ardorem sustentabat. Et si quis in manè alterius diei, residuum aliquid ex eo relinqueret, vermibus scatebat. Cùm tamen Gomor mensurâ manna sanum post longa postmodum tempora plena Arca reservabat. In quo

Exod. 16. 24.

& mirabili & necessario tunc signo, exceptis iis quæ ad figuralem expositionem pertinent, studiosis mentibus subveniunt, quæ suæ explanationis illuminationem Domini adjutorio exigunt. Primùm enim utrùm panis sit quæritur: Et quomodo panis Angelorum vocatur: Et si cibus ille nihil terrenæ naturæ habuisse describitur, quomodo adhuc in terra positi, & vitiis carnalibus subjecti ex eo homines sustentantur? Panis enim in Psalmistæ prædicto versiculo, ut prædiximus, cælestis esse scribitur, qui de nubibus pariter cum pluvia tribuatur: quæ nubes, ut antè jam diximus, per Scripturas, cælorum nomine vocitantur. Panis autem Angelorum cibus ille dicitur, non quòd illo Angeli, qui cibo non egent, saturarentur, sed quòd per Angelorum ministerium tale officium, sicut Lex & cetera populo præbebantur, quæ disposita per Angelos in manu mediatoris tribuitur. Qualiter ergo homines qualescumque sustentare potuisset, nisi terrenum aliquid in sua substantia haberet? Sed unde nubibus manna pluens terrenam substantiam habere monstrabitur, nisi fortè aëris ipsius inferior pars, terrenam aliquam naturam retinere ostendatur? Quomodo enim avium volantium corpora sufferre valuisset, si non terrenæ soliditatis aliquid aër contineret? Quapropter illa substantia & nubes fultæ terræ ipsius naturâ, etiam in nives & grandines congelascunt, qui penè duritiam lapidum contrahunt. Quid igitur hoc capacibus animis repugnat, si sicut nubes grandinis lapillos concipiunt, sic & mannæ grana gignere potuerunt: præsertim cùm ad terram veniens, veluti cum cognato rore, si illud sol ortus inveniret, quasi grando in terra liquescens deperiret? Atque ita fieri poterit, ut manna in terreni aëris hujus partibus genitum, terrenis hominibus præbuerit cibalem pastum. Ista etenim pars inferior aëris, terra etiam in Scriptura divina nominatur, dum in centesimo quadragesimo octavo Psalmo, prophetali spiritu in Domini creatoris laudem omnes creaturæ incitantur. Sic namque consummatis his quæ ad superiorem ornatum cæli pertinent, cùm ad partes aëris hujus inferiores venitur, taliter subinfertur: *Laudate Dominum de terra, &c.* usque, *quæ faciunt verbum ejus.* Ecce nunc crassiorem nubibus & vaporibus insertum aërem, terram Propheta nominavit, & antequam ad inferioris terræ, quæ postea subinferuntur, spatia perveniat. In illa ergo superiori parte terræ, ubi grando & nix gignitur, nascebatur manna, & in cibum inferioris terræ partis hominibus per Angelos administrabatur. Ex quo facilè dignoscitur, non aliunde extra naturam quæsisse, sed de terra Deus victum præparasse. Non quòd Deus quotidie illis panem illum communem etiam in deserto præstare non posset, sed ut homo pastus de nubibus, sciret quia non in solo pane vivit; sed in omni verbo quòd de Dei ore procedit. Sicut enim naturæ imperavit, ut homo saturaretur pane, ita etiam de omni quacumque re, si ita illi jusserit, quomodo habebat & tunc de nubibus pluviam, victum habebit incolumem.

Gal. 3. 19. Psal. 148. 7. Deut. 8.

CAPUT XXIV. De petra percussa in Oreb. *Exod. 17. 6.*

Idem quoque populus in deserto sitiens potamenti refocillationem postulavit. Unde Moyses princeps Deo imperante virgâ percussâ petrâ in Oreb, aquam de petra produxit. In hoc naturæ investigator in angustum redigitur, quomodo aquæ natura in duro lapide occultatur. De aqua verò in principio lapides factos, qualiter ignorat, qui crystalli naturam, nive per multum temporis congelante, in commutabilem lapidis duritiam procedere non ambigat: præsertim cùm glebas non de terræ ipsius humo, sed de fœni primitus incremento in summis arboribus vel scopulis sæpè consideramus, in quibus jam lapillos per pluviarum infusionem & ipsius fœni in humum motionem genitos invenimus. Nonnullas quoque terras argillosas transfluentium aquarum assueto cursu superfusas in duritiam lapidum vidimus conversas: in quibus etiam duriores velut antiquioris ætatis lapides, quos ipsa humus prius in se habuerat animadvertimus insertos. Qualiter jam nonnullis lapidibus quoque concavos ostreos, quos quando mollis humus fuerat, interpositos habebat, veluti suæ naturali duritiæ nunc insertos videmus. In ceteris quoque quos longæ admodum ætatis mare ad terras projecit, superpositæ [a] moræ nagarbæ videntur, quas non de maris glarea elevatas, sed ex ipsa marini humoris qualitate, & eorum extrema corporum indurata cute admodum esse concretas, ipsa consideratione probamus. Plurima etiam marina reptilia testudinibus coætaneis induuntur, in quibus durities plusquam plurimorum lapidum videtur. Ex quibus omnibus manifestis approbationibus, lapides ex aqua tantùm nunc, & nonnullos ex aqua & humo nunc genitos esse, doctus quisque non denegat; sicut & lacrymosi marmoris natura & consuetudo indicat. Salis etiam natura de liquore in lapidis duritiam concreta vertitur, & iterum in liquorem solvi contuetur. Lapis quoque, ut Job libri narrat historia, resolutus calore in æs convertitur; quod non potest, nisi priùs in liquoris naturam moveatur. Præterea quoque omne metallum quantæcumque duritiæ fuerit, [b] quamvis liquidæ naturæ esse non pateat, igne resolutum liquescit. Dum ergo ex aquæ humore lapidum natura gigni comprobatur, quid obstat si Dei gubernatoris voluntate lapis in aquam versa vice mutetur, ut natura ad suam originem redire festinet, cùm Deus aquam de petra populo suo præberi jubet?

Secundùm naturam aqua vertitur in lapides.

a MS. Aud. roccæ nagarba.

Job. 28. 2.

b MS. Aud. quatenus liq. natur. esse pateat.

CAPUT XXV. De filiis Moysi, quare ducatu Sacerdotum privati sunt. *Exod. 18. 5. 21. Psalm. 98. 6.*

Post hæc quoque Moysi cognatus, cùm Sephoram illius Moysi uxorem & duos filios ejus detulerat, ocyus ipsi in occursum Moyses per desertum exire festinat. Cujus consilio quamvis gentilis, tamen cùm ad castrorum locum venitur, Tribuni & Centuriones & quinquagenarij & decuriones in Dei populo constituuntur. Sed de Moysi filiis quæstio nascitur, cur patris sui in ducatu populi heredes non sunt, sacerdotio saltem privantur, dum per Psalmistam dicitur, *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus.* Hæc tamen quæstio rationem dando vincitur, cùm filij Moysi de gentili matre peregrinationis caussâ generantur. Sic etenim de Moyse, cùm primogenitum genuisset, refertur, *Et vocavit nomen ejus Gersan, dicens, quia advena fui in terra aliena.*

Exod. 2. 22.

CAPUT XXVI. De jejunio xl. dierum. *Exod. 24. 12. Exod. 31. 18.*

Interea invitatus Dei famine Moyses, quadraginta dies jejunavit, & liberato Dei populo de Ægyptiorum decem plagis, quinquagesimo die, ex quo in Ægypto Pascha celebratum est, decem mandatorum legem de monte Sinaï in duabus lapideis tabulis detulit. Quas, cùm offensus esset populi peccantis piaculo, ad montis radices confregit. Restauratisque totidem numeri ejusdem materiæ tabulis rursus quadraginta diebus jejunus Dei largitoris munere, eadem præcepta recipere meruit. Sed per hoc tempus contra consuetudinem humani moris, bis taliter, ut prædixi, nullo fatigatus inediæ labore, nullam terrenæ conversationis escam manducavit; quoniam divini sermonis consortio fultus, tam longam inediam sine esurie sustinere potuit.

Exod. 32. 18. Exod. 34. 28.

CAPUT XXVII. De populo carnes postulante. *Num. 11. 4. Ibid. 21. Ibid. 31.*

Præterea carnium concupiscentiâ infidelis populi pars flagrans murmuravit, & mannæ cælesti ollas carnium Ægyptiorum præposuit. Sed & Moysi cùm esset intoleranda res visa, Dominus, *Populum*, inquit, *sanctifica crastino: ego enim illos mense integro carnibus saturabo.* Cui imbecillitate incitatus humanâ Moyses, *Sexcenta millia*, respondit, *peditum pugnatorum, excepto innumerabili vulgo hujus populi numerantur: numquid boum & ovium immensa multitudo cædetur, aut ad saturationem innumerabilis turbæ pisces maris in unum congregabuntur?* Et idcirco ut nihil de iis, quæ Moysi mens fragilis, ut pote humana arripuit, in pastum populi cederet, *Ventus à Domino egrediens, arreptas trans mare coturnices, ad castrorum loca detulit, easque duobus cubitis in aëre volantes circa castrorum loca, quantum una die confici potest.* * Ortygometram inseruit: quam populus colligens, mense integro, id est, triginta diebus comedit. Sed incredulos murmurationis ultio consequitur. Nam in illo loco, priusquam populus egrederetur, qui concupierant, irâ dominicâ mactati sepeliuntur. Certè in hoc nihil novum vel contra naturam à Domino contribuitur, qui olim creaturam avium conditam, & in abdito mundi quodam angulo reconditam, in necessitate populi sui præstare videtur. Quamvis in libro Sapientiæ scribitur, *Novam creaturam avium viderunt*: nuper utique ostensam, non nuper creatam. Quod olim Deus cum ceteris creaturis in principio condidit, hoc in tempore necessitatis plebi suæ ministravit. Sed tamen idcirco coturnices ad tale ministerium, quæ priùs cum manna contributæ, nihil adversi edentibus contulerant, ista vice iterum detulit, ne quisquam putaret, quòd esca avium sine murmurationis culpa mortem populo præstitit: quoniam & in hac vindicta sana conscientia comedentes incolumes servavit; & quando cum manna data est, toti multitudini nihil incommodi præbuit.

** ὀρτυγόμητρα, genus coturnicis insigni magnitudine.*

Sap. 19. 11.

CAPUT XXVIII. De Æthiopissa uxore Moysi, & lepra murmurantis Mariæ. *Num. 12. 1.*

Postmodum propter Æthiopissam ejus uxorem, Aaron & Maria contra Moysen insolentia verba depromunt, quem omnium qui tunc in terra morabantur, mitissimum hominum Spiritus sancti dicta describunt. Sed cùm tres tantùm illos in tabernaculum vocasset, Aaron castigatus Dei sermone, oleo unctionis à vindicta defenditur, Mariæ verò lepræ candore corpus maceratur, quapropter etiam extra castra manere præcipitur. Sed orante pro ea Moyse, septimo die iterum revocatur sana. At verò de ista Moysi Æthiopissa conjuge duplex magistrorum invenitur intentio: utrùm de Æthiopia cùm esset in domo Pharaonis, de qua quadragenarius egreditur, acceperit, quæ per multos peregrinationis ejus dies illum exspectavit, an signorum tempore, cùm post peregrinationem in Ægyptum reversus est, Æthiopissam uxorem sibi junxerat, quam de Æthiopia secum & per desertum ducebat, an æquè de Sephora dicitur quòd Æthiopissa sit, quando ad Aquilonem maris rubri, ubi priùs Æthiopes fuerunt, Æthiopiam alteram esse in multis locis historiarum Scripturæ describunt. De qua in Ecclesiastica historia scribitur quòd ex parte Indiæ adhæreret. Et in * Chronicis Canonicis Eusebij refertur, quòd Æthiopes ab Indo flumine consurgentes juxta Ægyptum consederunt. Ex quo intelligitur, quòd terra illa in qua primitus Æthiopes habitaverunt, Æthiopia dicta esse potuerit, ex qua Æthiopia, si Moyses uxorem suam acceperat, ideo Æthiopissa dicta fuerat.

Æthiopia duplex, Orientalis altera, altera Occidentalis.

** Ad annum mundi 3580.*

CAPUT XXIX. De Chore & Dathan & Abiron. *Num. 16. 1. Ibid. 31. Sap. 5. 18.*

Chore quoque filius Issaar de tribu Levi, patruelis Moysi & Aaron; & Dathan, & Abiron filij Eliab; & Hon, filius Phelech de tribu Ruben, & prætereа ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, qui tempore consilij per nomina vocitabantur, supercilioso superbiæ tumore contra Moysen & Aaron steterunt. Etenim Chore vindicare sibi sacerdotium voluerat, & reliqui alij de principatu populi contendebant. Sed illum qui ignem holocausti Deo non præcipiente offerre appetivit, holocausti tempore, cælestis ignis cum his, qui ad eum pertinebant, absumsit: & eos qui se in excelsum elevantes Dei ordinationi resistere cœperant, sub pedibus eorum terra dehiscens, aperto ore in infernum deglutiens, voràvit. In quibus manifestè ostenditur, quòd tantumdem sensibiles & insensibiles creaturæ Dei dicto obediunt, dum quemadmodum viventes celeriter cum ejus imperio veniunt, ita & quæ non vivunt, velut viventes quod præcipitur peragunt. Sed quamvis quasi vivens terra illud vindictæ officium peragit, contra naturam tamen in illo nequaquam aliquid fit: vitam enim insensibilem terra habere indubitanter dignoscitur, per quam in se crescentia arborum & olerum frutecta moveri videntur. Unde quasi in vivente carne palpitantes venæ sanguinis discurrunt, ita etiam per terram viventium aquarum rivi profluunt: per quam vitam insensibilem Deo imperante terra os suum aperuit, quando hominum peccatorum, quasi serviens in ministerio vindictæ, tabernacula voravit.

CAPUT XXX. De plaga, quæ descendit in populū, quando Moyses fugit in Tabernaculum. *Num. 16. 41.*

Sequenti itidem die totus populus contra Moysen & Aaron, quasi sanguinis reos consurrexit, eosque in eorumdem ultionem occidere voluit. Sed hic uterque, Moyses videlicet & Aaron ad Tabernaculum Dei diffugiunt, & iterum in rebelli populo cælestis flamma desævit. Rursumque Aaron imperante Moyse, impleto altaris igne thuribulo, foras in populum venit, & inter vivos & mortuos digredientis vestigium vindicta non transivit. Recto in utroque moderamine effecto, ut qui contra justos principes iracundiæ igne intus exarserant, foris justissimæ vindictæ flammâ conflagrarent. Et qui in corde proximorum culpas veniabiliter dimiserat, ejus vestigio defensos ignis de cælo missus urere non audebat. Illa autem die quatuordecim millia ignis ille consumserat.

CAPUT XXXI. De virga Aaron, quæ floruit. *Num. 17. 6.*

Quos etiam rebellionis reatus graviùs perurgebat. Attamen cessante tumultu, ut singuli manifestiùs scirent, quem sibi Dominus in sacerdotium eligeret, singulorum ex duabus & decem tribubus principum virgas insertis nominibus Moyses postulaverat, & pro sorte Leviticæ tribus Aaron virgam inserto nomine acceperat, quas

in conspectu Domini sub Tabernaculi tecto una nocte recondit. Crastino autem manè Aaron virga gemmulas amygdalini floris ostendit, quo patebat Aaron præ omnibus in sacerdotium Deum elegisse. Nec tamen in hoc contra naturam virga monstratur aliquid effecisse.

CAPUT XXXII. De petra bis percussa in Cades. *Exod.* 17. 2. *Num.* 20. 11.

INTERJECTO tempore dehinc populus sitiens in Cades deserti Sin, murmure gravi contra Moysen & Aaron tumultuabat. Quæ res dum ad Dominum per Moysen refertur, virgâ percuti petra præcipitur. Sed Moyses infidelis populi murmure permotus, etiam de præcepto Domini fide titubavit, coramque populo cum Aaron bis petram percussit, largiterque fluentes aquas, sitiens populus bibit. Sed hac caussâ Moyses terram repromissionis non intravit. Semel in Oreb petra percutitur, ubi tantùm populi infidelitas notatur. In Cades autem deserti Sin saxum bis cæsum pulsatur: ibi namque infidelitas in populo & in duce dignoscitur.

CAPUT XXXIII. De Serpente æneo, *Num.* 21. 6.

ITIDEM murmurante populo ignitos serpentes flatuque adurentes in eum Dominus immisit, quorum flatu adustos plurimos murmuratorum necavit. Ceteri autem intereuntium pœnâ territi, & animo pænitente ad satisfactionem inclinati, ad Moysen & ad Dominum clamaverunt, ut hæc ab eis plaga cessaret. Et idcircò flexus pænitentium lacrymis Dominus Moysi jubet, ut Serpentem æneum virga in excelsum coram populo elevaret. Quo facto statim Serpens æneus erigitur, & per illius adspectum priorum serpentium vulnera curabantur. Attamen quemadmodum & de virga diximus, & arbore qua amara aqua indulcatur, non in serpente salus, sed in Domini imperio tenebatur. Quidquid enim ipse præcepisset, illud tunc in populo salus esset. Sed historia præcedentium rerum in figura, virtus nunc in Christo & in Ecclesia continetur.

CAPUT XXXIV. De Balaam & asina ejus. *Num.* 22. 5.

BALACH filius Sephor, cùm in terram suam Israël venisse comperisset, nuntios misit, ut Balaam hariolum invitaret, ut populum Israël malediceret. Qui cùm sedens super asinam pergeret, & asina Angelum in angustiis stantem evaginato gladio videns timuisset, ter cæsa demum domino substitit. Unde ampliùs flagellata humano more & sermone quasi querulosa ancilla loquitur. Et illa loquente, statim Balaam oculi, ut Angelum cerneret, aperiuntur. In hoc admirabili signo quamvis asina competentia sibi verba profatur, non tamen sua mente nec affectu suo loquitur: sed Dominus de quo dicitur, *Et ape-*
28. *ruit Dominus os asinæ*, sicut ad loquendum os aperuit, ita etiam linguam & palatum in verba gubernavit. Asina enim quid & quomodo diceret, & si aliquid diceret, omnino nesciebat Quoniam & homines qui alieno inflati spiritu loquuntur, & adhuc cùm loquuntur quid dicunt nesciunt, & nihil ex eo recordantur cùm resipiscunt. Sed qui loquendi modos & in nubibus & in igne sæpe invenit, & in ore muti animalis linguæ plectrum in verba gubernavit. Ex quo intelligimus

A nihil in natura asinæ Dominum commutasse, sed per aërem oris ejus, illa etiam ignorante, Prophetæ ignorantiam compescuisse: quatenus Domini Spiritus etsi in se loqueretur, elatus in superbiam non esset, qui frequenter & per res insensibiles, & brutum & mutum & subjectum sibi animal, eumdem loqui comperisset. Quoniam Spiritus Dei ubi vult spirat, etiamsi voluntati ejus, qui loquitur, minùs conveniat. Sicut & Saül Prophetas occidere volens, mala incitatus voluntate venerat, & tamen Spiritu Domini arreptus, inter eos quos persequebatur prophetabat. Unde & ipse Balaam ad maledicendum deductus, & illud volens implere, non maledicere Dei populo potuit, sed contra voluntatem suam à Domini Spiritu coactus est benedicere. His ergo duabus caussis Balaam venire à Domino permissus est, ut per mutum animal ejus insipientia confutaretur, & adventus Christi per Prophetam gentilem, qui futurus erat gentium
B Salvator, in Lege Dei scriberetur. In omni populi Israël itinere columna nubis per diem numquam defuit, nec coram populo columna ignis per noctem, ut noctis frigore defensi, & à tenebris illuminati pergerent cum igne. Et à calore solis protecti fuerunt in die sub nube. Quem Dominus custos Israël verè protegit, nec sol per diem nec umquam luna per noctem exurit.

Johan. 3. 8. 1. *Reg.* 19. 24. *Num.* 23. 8. *&c.* *Exod.* 13. 22.

CAPUT XXXV. De Moyse pergente in môtem Abarim. δευτερονόμιον. *Deut.* 1. 3. *Ibid.* 31. 7. *Ibid.* 34. 5.

QUADRAGESIMO anno egressionis filiorum Israël de Ægypto, quadragesima secunda mansione in campestribus Moab super Jordanem populus sedit, ubi Moyses Deuteronomium, hoc est, iterationem Legis prædicavit, & postea constituto pro se in ducatu populi Jesu filio Nun ex tribu Effraïm, imperio Domini in montem Abarim transitum, in montem Nebo solus adscendit, ubi centesimo & vigesimo ætatis suæ anno, nec motis dentibus, nec caligantibus oculis, integro corpore, totius humani generis commune debitum solvit. Dua-
C bus autem caussis, ut sapientes aiunt, mortis ejus & sepulcri nemo conscius erat, quatenus illam faciem, quæ consortio sermonis Domini rutilaverat, mortis mærore repressam, nullus videret: & ne sepulcrum ejus populus Israël, si cognovisset ubi esset, adoraret. Unde & virgam in qua signa fecerat, ut plurimi putant, ne adoraretur secum abstulerat; quoniam & serpentem quem fecerat, filij Israël postmodum adorabant. Omnis autem illius ætas in tres quadragenarias partes dividitur. Quadraginta enim annis in Ægypto in domo Pharaonis ab infantia litteras didicit. Quadraginta annis exsul ex Ægypto in domo Sacerdotis Madian fuit. Et quadraginta annis per desertum ducatum populo præbuit. Certè & nos consummatis his quæ de Pentateucho historica narratione comprehendimus, primi libri finem de mirabilibus hîc facere conveniat, ut secundus de Prophetia scilicet excerptus, ab Jesu filio Nun & Jordane initium sumat. D

LIBER SECUNDUS.

De Prophetia.

CAP. I. De Jesu filio Nun, & diremto Jordane in transitu populi. *Josue* 1. 6.

CUM autem Moyse egrediente, Dei populi gubernationem Jesus filius Nun suscepisset, confortatus sermone Domini, de campestribus Moab ad Jordanis fluvium castra moveri jubet: ac deinde cùm Arcæ Testamenti onere decorati, reliquam plebem præcedentes sacerdotes primas undas ingrederentur, ab illo loco ubi steterunt usque ad mare omnis fluminis alveus aquis suis confestim nudatus, superiorque aquarum moles quæ de fontibus augebatur, sursum in aëra montabat, quousque omnis Israël siccis pedibus alveum fluminis transierat. In cujus miraculi testimonio duodecim lapides, quantos duodecim viri portare poterant, de ima glarea Jordanis portati sunt in locum castrorum, & totidem tanti ex his quos terra sicca continuerat, positi sunt in eorum locum. Certè & in hoc signo propositi operis nostri caussa requiritur, qualiter Arcam Domini fluvius naturaliter præterire non permittit. Ita enim aquarum pars quæ ad mare perrexit, naturæ suæ cursum consuetum consequitur, dum altiora deserens, per prona proprio more fluminis paulatim delabitur. At verò humanâ industriâ alveos fluminum nudatos legimus & audivimus, quomodo Cyrus Imperator Persarum exercitus super Gangem fluvium, qui est secundæ post Euphratem quantitatis, illa expeditione qua Babyloniam expugnavit, dicitur esse castrametatus. Ubi carissimum & virorum & equitum, equitem transmeandi fluminis audaciâ persuasum, rapacis alvei vortex demersit. Quo facto, rex incredibiliter iracundiæ furore adversùs fluvium permotus, velut in sensibilem creaturam ulcisci statuit: ac immensum amnem perpeti anno totis viribus in quatercentas sexaginta fossas divisit; nudatoque alveo, meabilem vix genua tingentibus feminis reliquit. Unde eodem exercitu & rege eadem expeditione Babyloniam obsidente, excelsissimo murorum objectu ab expugnandi molimine repulsi, ad Euphratis fluminis per fluentis superiora vada convertunt. Illa autem prædicta arte edocti, per alienum limitem divertentes, per ejus nudatum alveum Babylonis murum subintrantes, urbem capiunt. Quod ergo humana industria laborioso conamine potuit, hoc Deus potentiæ suæ virtute faciliùs peregit. Sed forsitan quisquam dispariter respondebit hoc factum esse, dicens, Illic enim fossuræ opus alveos aquarum per humiliora divertit: hîc verò stans aqua, nullo renitente ad aëris sublimia conscendit. Sed & hoc nonne humana diligentia sæpe efficit, & ab oppositis vallibus aquas in excelsum montare, & ad fontes redire offensas compellit? Quod verò homines velut terreni, de terrena crassa materia frequenter faciunt, quomodo Angeli tunc, quorum officiis hæc omnia mirabilia peraguntur, per aërem facere non potuerunt? Cùm sit naturale aëris opus & proprium officium aquas retinere in nubibus, & ut docti indoctique pariter norunt, quotidiana administratione retinet: ita tunc Deo jubente fluminis cursum prohibuit, ut per illius fluenta arca Dei & sacerdotes transirent.

Josue 4. 5.

CAP. II. De calciamentis & vestibus filiorum Israël. *Josue* 5. 12. *Deut.* 29. 5.

TERRAM igitur repromissionis post longi laborem itineris ingressi, de fructibus Chananitidis regionis populi turba comedit, & mannæ de nubibus esca ministrari desinit. In hoc tam longo itinere admiratione dignum accidit illud, quòd per quadraginta annos nul-
E lius ex omni populo calciamentum aut vestis defecit. In quo Dominus non naturam novam in calciamentis & vestibus condidit, sed olim conditam conservavit.

CAP. III. De subversione Jericho. *Josue* 6. 20.

INDE Jordanis ripam egressis, urbs Jericho prima ex Chananitidis civitatibus occurrit. Quæ lustrata circuitu dierum septem, quasi Arcæ Dominicæ & exercitus expavescens adventum, citò corruit. In quo circuitu nullo armorum suffragio usus est victor populus, sed ad clamorem in gyro sonantem murus erat usque ad fundamenta dirutus. Ubi nihil extra naturam esse factum gesta res ostendit. Siquidem & hoc terræ motibus esse factum frequenter Scriptura denuntiat. Quomodo & in famoso illo terræ motu centum Libyæ urbes corruerunt, & in terræ motu Dominicæ Passionis undecim in Thracia subversæ sunt. Præterea quoque quod humani actus efficacia congerit, hoc alterius destruentis vel etiam senectutis tem-
F pus consumit. Attamen hæc dicentes, non casu accidisse murorum Jericho ruinam, ostendimus. Sed nec contra naturam sicut aliquid in miraculis factum ostendemus. Hoc enim sicut & cetera ministrari angelico opere designavimus, Dei jussu effectum fuisse non dubitamus.

Terræ motus in Africa & Thracia.

CAP. IV. De Sole & Luna stantibus ad imperium Josue. *Josue* 10. *Eccl.* 46. 6. *Ibid.* 12. 13.

POST hoc quoque Chananæorum quinque regibus in unum congregatis ut pugnarent adversùs filios Israël, cùm ex adverso miscerentur cohortes, & victoria in Dei populi partem concederet, Jesus filius Nun princeps populi Israël soli in medio die præcepit, ut ne se moveret, & lunæ ubi fuerat staret, donec se Dei populus de inimicis vindicaret, quod & factum est. Nam sol duos dies in uno conclusit, & luna diei spatio non occurrit. In qua jussione non humani imperij auctoritate luminaria requiescunt, sed Domini imperantis ut starent, jussui obediunt. Nihil enim propter jubentis ho-
G minis verbum Dei creaturæ faciunt, sed quod Dominus servi sui orationi obediens præcepit, hoc efficiunt. Sic enim perscribitur, *Sol stetit contra Gabaon, & luna ad vallem Hailon, obediente Domino voci hominis.* Ex quo intelligitur Deum servorum suorum precibus obedire, & ad eorum necessitatem creaturas suas opportunè gubernare. Hæc luminarium mora nihil novum in natura commisit, etsi in ministerio aliquid varium ostendit. Sed & illa varietas nihil in anni cursu & reliquorum dierum commovit, dum pariter sol & luna unumquodque in suo ordine requievit. Si enim unum luminare curreret, dum alterum interim requiesceret, dierum & mensium & annorum assuetum cursum conturbaret. Dum autem utrumque moram hanc habuit, quasi post consuetum diem in occasus sui limitem perrexit. Non enim quod ad belli illuminationem luna tunc in præsentia
solis

solis proficeret, stare imperatur: sed ne quid in congruo luminarium meatu per unius quietem & alterius cursum destrueretur. Sed quoniam & maris cursum lunari convenientem esse in omnibus evidenter monstravimus, & illum tunc requievisse, etsi Scripturæ vocibus reticetur, nonne ipse illarum rerum pronuntiat observabilis commeatus? Luna verò non tantùm in hac statione requieverit, sed & incrementi vel decrementi sui interim consuetudinem agere non potuit. Si enim dum stetit luna, licèt stans sua incrementa vel decrementa ageret, illud incrementum lunare ultra solis cursum in cyclorum rationibus aliquid turbaret Dum verò nihil in circuli in se revertentis cursu dies illa solito longior præbuit, tunc manifestum est, quòd in illa superveniente vespera, unius diei incrementum luna, sicut quotidie solet, gessit. Ut enim hoc manifestis approbationibus pateat, cyclorum etiam ab initio conditi orbis recursus in se breviter digeremus, quos semper post quingentos triginta duos annos sole ut in principio, & luna per omnia convenientibus, nullis subvenientibus impedimentis, in id unde cœperant, redire ostendemus. Quinto namque cyclo à mundi principio anno centesimo quarto-decimo, generale totius mundi diluvium sub Noë venit, qui post diluvium quadringentesimo decimo-octavo anno defecit: & inde alius incipiens, id est, sextus, in octavo ætatis Abrahæ anno finitur. Et nono ejus anno septimus incipiens, tricesimo-quinto anno egressionis filiorum Israël de Ægypto, quinquennio ante mortem Moysi concluditur. Post quem octavus, in quo est illud signum in sole & luna factum, tricesimo-sexto anno egressionis Israël de Ægypto incipiens, in tricesimum-primum annum Asæ regis Juda incidit. Cujus tricesimo-secundo anno nonus exordium capiens, in quo & aliud signum in sole, Ezechiæ regis tempore, de quo paulò pòst dicemus, factum legitur, centesimo-octavo anno post templi restaurationem, quæ sub Dario facta est, sui cursus spatium consummavit: donec decimus inde oriens nonagesimo secundo anno post Passionem Salvatoris; * Alia & Sparsa consulibus peractis cursibus consummatur. Post quem undecimus à consulatu Paterni & Torquati ad nostra usque tempora decurrens, extremo anno Hiberniensium moriente Manichæo inter ceteros sapientes, peragitur. Et duodecimus nunc tertium annum agens ad futurorum scientiam se præstans, à nobis qualem finem sit habiturus ignoratur: quorum unusquisque uniformi statu, peractis quingentis triginta-duobus annis in semetipsum, id est, in sequentis initium revolvitur, completis videlicet in unoquoque solaribus octovi-cenis nonodecies, & in lunaribus decemnovenalibus vigies octies circulis. Post quos & in lunari supputatione per communes duodecim & embolismos septem, per ogdoadem & hendecadem & incrementum lunare, quod computatores saltum nominant; & solari per quadrantes & bissextos diligenter dinumeratos, demum duobus luminaribus totidem dies habentibus, & per cursus sui omnes lineas concordi ratione convenientibus, veluti primus conditi orbis annus innovatur. Dum ergo hi circulorum totales recursus in se congruè, & post illos cyclos quibus in sole & luna moræ vel reditus signa, quomodo sub Jehu vel Ezechia factum legitur, apparuisse describitur, sine ulla varietate redeunt: manifestè intelligitur, quod non mora illa aut reversio aliquid in luminarium & temporum assueto cursu præpeditum vel insolitum reliquerunt; sed quasi per diem omnem in occasus sui, ut suprà dixi, limitem currunt, postquam illius solito longioris diei spatium peregerunt. Per quod videtur quòd nihil ad sequentis noctis longitudinem temporis illa dies longa contulerit, cujus princeps pariter in die cum sole diei præposito luna requievit.

Gen. 6. 17. *Josue* 10. 12. 4. *Reg.* 20. 11. * Pro, Aviola & Pansa. *Josue* 10. 12. 4. *Reg.* 10. 11.

CAP. V. De Gedeone & duobus signis. *Ibid.* 2. 11.

ITAQUE purgata funestis habitatoribus Chananitidis regione, in Dei populi deditionem ipsa à Domino terra tribuitur. Qui postmodum pacis otio resolutus, in idolorum terræ illius & reliquarum in circuitu nationum cultum pervagatur. Propter quod gentibus sæpe, quorum idola ipse colebat, potestate à Domino concessa, mancipium servire tribuitur. Sed captivitatum & servitutum laboribus durissimis afflictus, frequenter à Deo per pænitentiam veniam precabatur: ad cujus liberationem, pænitentium lacrymis sedatus ille, judices suscitabat, qui de servitutis jugo plebem eruentes, nequaquam potentiæ dominio, sed arbitrorum jure præfiebant. Quorum temporibus dum Madianitis serviret populus, Gedeoni filio Joas cælestis nuntius apparuit, illumque destructo idololatriæ ritu, de plebis suæ liberatione commonuit. In cujus conspectu dum Gedeon oblationem componeret, desuper carnis jus fundens, cælestis ignis holocaustum absumsit. Et iterum postulanti signum siccitas in omni terra, & ros in solo vellere: & rursum siccitas in solo vellere, & ros in omni terra fuit. Sed hæc quamvis socientur numero mirabilium, nihil tamen velut novum ostendere videntur in ministratione rerum. Quoniam & cælestis ignis res terrenas, ut sæpè diximus & dicemus, frequenter devorat, & alternatim in mundo per partes nimbus rorat. Sed tamen multa talia de mirabilibus Scripturarum subveniunt, quæ etsi in rebus gestis diligentem explanationem non exigunt, figurarum tamen præsignatione in rerum spiritalium intelligentia referta sunt. Sed quoniam in opere isto rerum tantummodo gestarum intellectum prosequi disponimus, hoc licet memoriæ caussa statim historialiter numero mirabilium inseremus. Quæ etiamsi sæpe fortuito casu Dei voluntate in rebus proveniunt, terribiliùs tamen & celeriùs & certiùs & mirabiliùs in signi alicujus ostensione per Domini imperium gubernata & ostensa sunt. Unde cùm historialiter in holocausti hac concrematione, non terrestri igne, sed cælesti flamma hoc ostendebatur, quòd futurum tunc bellum, non humanis viribus, sed cælesti auxilio proficeret: & ros priùs demonstrabat in solo vellere ostensus, quòd divina miseratio, quæ tunc in Israël fragili & molli populo fuerat, ignitas gentium iras sicut aqua ignem posset exstinguere.

Ibid. 3. 7. *Ibid.* 4. 2. *Jud.* 6. 12. *Ibid.* 21. *Ibid.* 38.

CAP. VI. De Samsonis fortitudine in capillis. *Jud.* 13. 2.

ITERUM cùm Philistæis serviret Israëlitica plebs, Manue filij Saruch de tribu Dan sterili uxori primò, deinde ipsi Manue Dei Angelus prophetali habitu apparuit, eosque de filio qui illis esset nasciturus, qualiter foret educandus edocuit, quatenus ne umquam novacula caput ipsius transiret, & siceram & vinum & omne quod inebriare potest non biberet. Cui cùm Manue nesciens esse Angelum,
Ibid. 16. prandium voluisset præbere. Angelus inquit, *De cibis tuis non come-*

A *dam: sed Domino, si vis, holocaustum compone.* Quod cùm Manue illo præcipiente composuit, cum igne holocausti coram eis statim Angelus in cælum adscendit. Et hic terrestris holocausti ignis de terra in cælum adscendens demonstraverat, quod per nascituri hominis fortitudinem Deus populi liberationem præparaverat. Natus igitur Samson, juxtaque imperium Domini nutritus, maximam fortitudinem in septem sui capitis crinibus habuit. Quod pro certo probatum est, dum eisdem nudatus aliquando etiam virtutem amisit. Nam cùm Dalilam in valle Sorecti mulierem de regione Philistinorum alienigenam adamaret, & illa pecuniam à Philistinis principibus, quibus Samson multa mala fecerat, proditionis ejus mercedem accepisset, ipse poscenti fortitudinis suæ mysterium in capillorum suorum conservatione fieri indicavit. Et illa dormientis in sinu suo vocato rasore, caput totondit. Perductusque Samson à Philistæis, oculis orbatus,
B molam manu vertebat, donec capilli illius ad priorem longitudinem creverunt. Deinde Philistæis epulantibus, ut inter epulas Samson illuderetur, adducitur; & ipse puero regenti gressus dixerat, ut se ad duas columnas perduceret, quibus tota domus imminebat, quatenus super illas veluti lassus reclinaretur. Quibus ambabus utraque manu apprehensis, invocato in auxilium Deo totam domum concussit. Quæ citò corruens, tria Philistinorum millia pariter cum ipso Samsone postravit. Sed naturas investigantibus, quæstionem non minimam incutit, quomodo totum sensibile corpus in insensibili capillo motum fortitudinis habuit: cujus damnum doloris sensum nequaquam intulit, cùm illum tonsor à reliquo corpore ferramenti aculeo divisit. De Samsone ergo, priusquam nasceretur, à Domino præcipitur, ut capillus illius numquam ferri acumine vel alicujus aculei tonderetur. Quamdiu igitur in mandati divini custodia permanserat, Spiritus-
C sancti munere maximam fortitudinem habebat. Unde cùm muliebri persuasione præcepti Dominici transgressionem adinvenit, etiam spiritale fortitudinis donum, quod habuerat, statim recessit Non quia in insensibili capillo ossium, & carnis, & sanguinis, qui nihil ex his habet, virtus inerat; sed mandati Dominici observatio donum fortitudinis observabat. Sed fortasse aliquis dicet: Quare ergo cum capillis iterum fortitudo illius succrevit, si non in capillis etiam prius robur habuit? Attamen etiam hac vice, non tam in longo capillo amissam virtutem recuperabat, quàm donum spiritale quod negligens amisit, afflictus pænitentia crescentibus capillis paulatim impetrabat: præsertim cùm in hujus mandati transgressione ex parte licèt aliqua excusabatur, quamvis suæ virtutis Dalilæ petenti mysterium dicere non negavit, non tamen se imperante, vel concedente, vel consentiente tondetur. Unde afflictus postea à Deo impetravit faciliùs, quod
D non sponte, sed dormiens seductus amiserat.

Ibid. 24. *Jud.* 16. 17. *Ibid.* 30. *Jud.* 13. 5.

CAP. VII. De Arca Domini in terra Philistiim. 1. *Reg.* 4. 4.

INDE post non parvum temporis, si iis Israël mandatorum transgressione Deum offendentibus, incitata Philistinorum agmina ad bellandum contra eos conveniunt. Et filij Israël de se nihil confidentes, Arcam Testamenti Domini in exercitu suo in pugnam contra adversarios conducunt. Sed Legis transgressores nequaquam Legis arca tuetur, victo potiùs & deleto ex parte populo, ab alienigenis ipsa capitur. Qui victoriæ munere lætantes, in terram suam eamdem captam perducunt, & veluti triumphi hujus auctorem, juxta Dagon deum suum, arcam Dei Israël in templo statuerunt. Sed primo die Dagon coram arca prostratus repertus, iterum in loco suo restituitur. Crastino verò fracti ad limen in centum partes, capite & manibus; spina dorsi ejus truncata reperitur: quod fugientem idololatriæ, in adventu Dominicæ legis, cultum monstrabat. Qui enim fugiunt, persequenti
E dorsum dant. Præterea quoque tota Philistæa fœdâ admodum plagâ percutitur: nam & extales eorum foras prominebant, & ingens soricum & insolens copia per totam provinciam diffundebatur. Convenienter quippe Dominus illis utramque pœnam præstaverat, qualem rerum ipsarum conveniens ratio exigebat: Quatenus qui misera animalia divino cultu venerabantur, per miserrima animalia in adventu Dominicæ legis castigarentur: & qui Tabernaculi Domini interiora, id est, arcam extra limites suos protraxere; hi interiorum suorum foras prominentium fœda affligerentur clade. Quapropter quando plaustro novo impositam duabus fetis vaccis vehendam, quæ jugum antea non portaverant, teneris domi vitulis mugientibus, ad fines suos redire arcam permiserunt, quinque mures & totidem anulos aureos indices plagarum suarum, quatenus ne eam vacuam remitterent, juxta eam in capsella posuerunt. Sed in his multiplex figurarum intelligen-
F tia latet, quæ proprij operis industriâ, & temporis otio indiget.

1. *Reg.* 5. 4. *Ibid.* 6. 1. *Reg.* 6. 18.

CAP. VIII. De cæli fragore, quo territi sunt Allophyli. 1. *Reg.* 7. 10.

ITERUM quoque infinita Philistinorum agmina, quasi arena maris innumerabilia, per plana se terræ Israël effuderunt, quæ Dominus Samuele orante à facie filiorum Israël ingenti cæli fragore perterrebat, quatenus per hoc & Israël non propria virtute vicisse intelligerent: & hostes Dei protectionem, & auxilium erga hunc populum esse scirent.

CAP. IX. De vocibus & pluviis quando Saül ordinatus est. 1. *Reg* 8. 5. 1 *Reg* 12. 18.

ITIDEM quoque Samuële invocante Dominum, cùm populus sibi regem peteret, & Saül filium Cis de tribu Benjamin in Dei famine jussus Propheta ordinaret, Dominus per pluvias & horribiles voces intonuit, quibus plebs quæ audierat se Dominum repulisse, ne regnaret sibi, intelligeret: quos fragores per Samuëlis iterum Dominus deprecationem compescuit, postquam populi de hac re pœnitudinem intus adspexit.

CAP. X. De Saül prophetante inter Prophetas. 1. *Reg.* 19. 20.

SAÜL invidiæ stimulo suscitatus, & malo spiritu sæpe arreptus,
G cùm David occidere vellet, & ipse David tunc cum Samuële & ceterorum prophetarum cuneo prophetaret, misit nuntios, & ipsum interficiendum de medio Prophetarum rapere jubet. Sed illos protinus ut adveniebant, spiritus qui in Prophetis loquebatur, arripiebat. Ipse quoque Saül quasi injunctum famulis opus tertiis acturus post eos exiens, cùm inter Prophetas venerat, prophetabat. Diximus autem cùm de Balaam & asina ejus disseruimus, quoniam Spiritus-sancti verba, non dicentium merito pensantur, sed ipsius voluntate ubicumque voluerit, proferuntur: per quod tamen proferentium ea merita non in melius augentur, si bona non habent opera, sicut in Balaam, & Saül, & Caïpha pontifice. Unde tales Prophetæ in judicio, *Nonne in tuo nomine prophetavimus*, damnati Domino respondebunt: & tamen æterni ignis consortium inter ceteros impios subibunt. At verò

Matt 7 22.

C

& hoc loco quidam æstimant, quòd Saül non divino spiritu, sed malo illo quo sæpè arripiebatur, per totum illum diem prophetaret, donec David etiam imminens mortis periculum, ipso suo spiritu [a] arreptus, Domini dispensatione evaderet. Sed qualiter hoc sentiri potest, dum ita scribitur, *Et factus est super eum spiritus Domini, & ambulans prophetabat?* Nisi fortè sic in hoc loco accipiatur, spiritus Domini, quomodo & in alio loco spiritus Domini malus Saül arripiebat. Verumtamen ubicumque sine additamento *spiritus Dei*, vel *spiritus Domini*, vel *spiritus Christi*, vel *spiritus Jesu*, in Scripturis sanctis invenitur, Spiritus-sanctus esse à nullo sano sensu dubitatur. Ubicumque verò cum additamento dicitur *spiritus Domini malus*, ut est in libro Samuelis, intelligitur diabolus esse: Qui *Domini* propter ministerium, *malus* propter vitium dictus videtur. Sæpè quoque cùm singulariter *spiritus* tantum, & non addito, *sanctus*, aut *Dei*, aut aliud quodcumque ex his, quæ ad signandum aut demonstrandum Spiritum-sanctum pertinent, deprehenditur, contrarius spiritus qui est diabolus, aut subjectus quisque sibi ex his qui ministrant dæmonibus, dignoscitur.

[a] MS. And. arrepto
1. Reg. 19. 23.
1. Reg. 16. 14.

CAP. XI. De Samuele suscitato à Pythone.
1. Reg. 28. 6.

Post etiam in angustia constitutus hostili se premente impetu, cùm neque per Prophetas, neque per Sacerdotes, neque per somnia, petenti sibi Dominus ullum responsum daret, Saül rex Israël ad pythonissam perrexit, ut ex mortuis aliquem sibi per suæ artis incantationes suscitaret. Quæ cùm quæreret ex eo, quem mortuum de somno cuperet resolvi, ille sibi Samuelem velle respondit suscitari. Suscitatus verò Samuel, Saüli quid eveniret prænuntiat. *Hac*, inquiens, *horâ tu & filij tui mecum eritis, sed & Israël tradam tecum in manum inimicorum ejus.* Qualiter ergo Samuel à pythonissa suscitari dicitur, dum pythonissa dæmoniacis incantationibus & præstigiis uti videtur? Et quomodo Saül, qui in viventibus Prophetis Dei responsum non invenit, resuscitatum à morte Prophetam audire meruit? Unde non hunc esse Samuelem illum Prophetam perfectum, faciliùs intelligitur: sed diabolus qui se transfigurat in Angelum lucis, in phantasia Samuelis consideretur. Quod ex sermonibus ejus rectè dignoscitur, quoniam funesto Saüli dicebat, *Tu & filij tui mecum eritis.* Etenim si verus ille Samuel hîc ostensus esset, nullo modo iniquum regem consortem sui meriti post mortem diceret. Si ergo à pythonissa diabolus ostenditur, quare Samuel in divina Scriptura dicitur suscitatus? In multis sacræ Scripturæ locis imaginatis rebus verarum rerum nomina sæpè adscribuntur. Quomodo & prædicta virga in similitudinem serpentis imaginata, & phantastica illa magorum serpentium in Ægypto, & ille æneus in deserto serpens nominatur. Duo quoque Cherubim pro similitudine obumbrare propitiatorium memorantur. Quinque mures, & quinque anuli de terra Philistiim in capsella cum arca Domini referuntur. Duodecim boves sub mari æneo, & quatuordecim leones in throno Salomonis eburneo statuuntur. Cherubim quoque & palmæ, & mala granata, & retia in templi ædificio depicta describuntur, cùm hæc omnia non ipsa rerum veritate, sed pro similitudine ista nomina recipiunt. Ipsa tamen Scripturæ sine ullo incertitudinis respectu quasi res veras hæc nominatim ponunt. Phantasma igitur Samuelis velut ipse Samuel ostensum pronuntiatur, sicut & in visibus Prophetarum, & in Apocalypsi Johannis ostensi viri pronuntiantur.

Ibid. 19.
2. Cor. 11. 14.
Exod. 7. 10.
Num. 21. 9.
Exod. 37. 7.
1. Reg. 6. 11.
3. Reg. 7. 25.
3. Reg. 10. 19.
3. Reg 6. 32.

CAP. XII. De percussione Ozæ.
2. Reg. 6. 7.

Post modicum deinde David regnum obtinente, arca Testamenti de domo Aminadab ad Jerusalem à rege & omni populo perducitur. Oza filius Aminadab sequens arcam, cùm illam velut sustentans tangeret, subita morte percussus & suffocatus est. In quo facto temeritas in ipso Oza, qui cùm non esset de genere Aaron arcam tetigerit, damnatur; & totus populus quia cautè in divinis rebus se agere deberet, admonetur. Sed quidam aliquod præcedens peccatum in Oza per hanc punitum culpam esse existimant: quoniam sæpe evenit, ut minores culpæ præcedentium peccatorum vindictam incutiant.

CAP. XIII. De David numerante populum.
2 Reg. 24. 15.

Quemadmodum cùm populus Israël peccasset, commovit Dominus ut David numeraret populum, per quod accidit, ut plebs peccans per parvam regis culpam pœnam sustineret præcedentium delictorum, Angelus enim Domini septuaginta virorum millia ex omni Israël usque Bersabee occîdit, & Jerosolymam urbem velut delere proposuit: non quòd Dominus civitatem, quam nunc disperdidit, delere vellet, sed ut ostensus in procinctu vindictæ Angelus, dignam videnti regi pænitentiam incuteret. Ex quo intelligitur David minorem culpam commisisse quàm plebem, qui peccatum suum per solam pænitentiam delevit: populi verò delictum in auctoribus suis mortis severitatem promeruit.

CAP. XIV. De duobus signis juxta altare Bethel,
3. Reg. 12.
3. Reg 13. 4. 5.

Et deinde cùm per peccatum Salomonis populi Israël regnum unum in duo divisit, Jeroboam filius Nabath rex decem tribuum in parte Aquilonis, metuens ne templi, quod erat in Jerusalem, visitatio rursum populum Roboam filio Salomonis jungeret, idola & altaria in Dan & in Bethel posuit. Sed in dedicatione altaris quod fuit in Bethel, vir de Juda ut contra illud altare prophetaret, à Domino mittitur. Quo adveniente duo terribilia signa ostenduntur. Nam & altare in duas partes statim in hora holocausti scinditur, & regis ipsius arida manus siccatur. Quæ duo signa rei & operi suo aptè convenerunt, dum quid in ipso tunc rege fit factum evidenter ostendunt. Aptum enim videbatur, ut qui Dei cultum, qui illud usque in uno altari & templo erat, divisisset, ipsius altare quod ille sibimetipsi fecerat, sic scissum dissecaret. Et qui populi Dei manum, ne Domino suo oblationem & holocausta immolaret, aridam fecisset, in schismatico illo holocausto manus illius arida appareret.

CAP. XV. De trium annorum & sex mensium siccitate.
3. Reg. 17. 1.
Omnis terra, in Scripturis.
1. Reg. 18. 18.

Præterea quoque Achab filio Amri, incitante eum Jezabel uxore sua, plura agente scelera, Elias Thesbites de Galaad in sermone Dei dixit, *Si non ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba his annis erunt.* Cujus oratione prohibita pluvia tribus annis & sex mensibus non pluit: quatenus qui Deum per mala in terra exacerbassent, cæli clementiâ & aëris commoditate carerent. Verùm hæc plaga, ut multi magistri putant, tantùm terram Israël castigaverat. Sed moris est Scripturarum, ut illam provinciam de qua dicunt, omnem terram indifferenter nominent, quod convenienter cum Elia postmodum Achab sermone demonstratur. Cùm enim Eliam ipse vidisset *Tu quis es qui conturbas populum Israël*, Achab dixisse refertur. Cui respondens Elias, in Israël tantummodo culpam, quæ hanc plagam incitaverat, fuisse denuntiat. *Non enim*, inquit, *Elias ego conturbo Israël, sed tu & domus patris tui, quia dereliquisti legem Domini, & servis Baal.* Quibus utrisque dictionibus in Israël tantummodo culpam & plagam convenientia verborum esse demonstrat. Si etenim totum mundum plaga illa flagellaret, non *qui conturbas Israël* tantummodo, sed qui conturbas totum orbem, Achab dixisset. In tempore autem siccitatis à Domino Eliæ dicitur, ut in spelunca torrentis Carith se absconderet, ubi corvis ministrantibus pane & carnibus, & aquâ torrentis illum satiaret, duplici scilicet occasione, quatenus & in tempore famis haberet alimoniam, & persecutorum avidè se quærentium rabidam effugeret iram. Corvis verò ministrare Prophetæ præcipitur, ut scilicet culpam, quam in diluvio commiserat in terra, purgare avis illa videretur, dum ut fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens & fallax erat antea Noë. Præterea quoque in hoc ministerio illud etiam ostenditur, qualiter homo si non peccasset, etiam infructuosorum animalium nunc ministeriis uteretur. Unde verò eas carnes & panes ille corvus detulerit, ipse viderit, qui tale officium committebat. In quo tamen intuendum est, quod ex aliquorum hominum scientium aut nescientium industria, corvi hæc acciperent, qui coctos panes & carnes quaslibet qualitercumque præparabant.

3. Reg. 17. 3.

CAP. XVI. De vidua in Sarepta Sidoniorum.
3. Reg. 17. 8.
Deut. 29. 5.

Cumque de torrente propter nimiam siccitatem aqua deficeret, ad viduam in Sareptam, ut ibi pasceretur, exire Eliam Deus jubet. Quæ cùm eum in domo sua victu quotidiano satiaret, familiariter receptum, lecythus olei, & farinæ hydria, in quibus unius diei refectionem in adventu suo invenerat, non minuta sunt, donec visitavit Dominus populum suum. Et hoc accidit, non quod invalida manus Domini esset, ut etiam postquam torrentis unda defecisset, aquam illi cum panibus aliunde & carne donaret: sed idcirco ad Sareptam Sidoniorum saturandus Propheta mittitur, ut per illum bona & fidelis vidua pasceretur. Ne verò quem moveat, quòd Sidoniorum terra hanc eamdem plagam pariter cùm Israël perpessa erat, dum inde Jezabel persecutrix Prophetarum, & totius vindictæ & facinoris caussa, Sidoniorum regis filia, paternam originem ducebat. Certè etiam hoc signo non nova à Domino, sed condita natura immodica non modica substantia gubernatur, quomodo de calciamentis & Israël vestibus prædictum memoratur. Nam in ceteris prædictis omnibus miraculis nil naturæ rationem refugit, sicut ipse rerum eventus frequenter ostendit.

CAP. XVII. De mortuo unico viduæ filio quem suscitavit Elias.
3. Reg. 17. 17.
Jonæ. 2. 11.

Hujus viduæ filius illo tempore, quo Elias in domo ejus morabatur, gravi ægritudine mortuus fuit. Sed hunc Elias oratione sua ad vitam iterum revocavit, de quo tradunt Hebræi, quod ipse Jonas Propheta postea fuerit, quem de ventre ceti glutientis, evolutis tribus diebus, Dominus absolvit. Quia Dominus qui inimicum suum in quocumque tuto loco potest occidere, servum suum quem vult eruere, de qualicumque angustia liberare valet. At verò illa famosa quæstio, qua de mortuis resuscitatis agitur, usque ad Lazarum à nobis reservatur.

CAPUT XVIII. De holocausto in monte Carmeli.
3. Reg. 18. 19.
Ibid. 40.
Gen. 19. 24.
Levit. 24. 16.

Evoluto autem tempore siccitatis, cùm Dominus super terram vellet pluviam dare, Prophetam Eliam in occursum regis Achab jussit exire, qui omnem Israël ad eum & idolorum Prophetas quadringentos quinquaginta in montem Carmeli congregavit. Quibus congregatis, sanctus Elias duos boves, unum Domino, & alterum Baal, per se & per Prophetas idolorum mactari in holocaustum rogavit, ut Deus qui per ignem exaudierit, ipse totius populi Deus sit. Quo impetrato, sacerdotes Baal bovem suum priùs occidentes, usque ad mediam diem tristes, Baal ut per ignem consumeret holocaustum, rogabant. Sed Baal qui potiùs igni in potestatem traditus est, super holocaustum ignem dare non poterat. Elias verò bovem suum in frusta comminuens, per membra dividens, super altare quod constructum fuerat, & quod ipse curaverat, tunc statuit: eumque aquâ abundè superfudit, oranteque illo, subitò ignis de cœlo cecidit, qui bovem cum altari & lapidibus & aqua simul consumsit. Ac deinde sacerdotes Baal in potestatem sibi traditos, in torrente Cison interfecit, & omnis populus Deum Dominum esse confessus credidit. In hoc etiam extra naturam ignis nequaquam aliquid fecit, qui desupèr aërio ignito spatio descendens, cum Dei gubernantis imperio, alimenti sui materiam, quam in terra repererat, consumsit. In superiore enim illo spatio ignis naturam abundantiùs esse, etiam ignis in terra ardens pronuntiat, qui ad superiora ubi est natura illius, ardenter conscendere tentat. Sicut enim aquæ natura descendere semper ad inferiora, sic ignis proprium est appetere excelsa. Non tamen contra naturam suam etiam aqua sæpè in excelsa videtur conscendere: quod non substantia sua quæ gravis est, per semetipsam, sed per aëris leviorem naturam, qua aquarum minutissimæ guttæ vaporaliter contrahuntur, solet facere: quæ minutissimæ guttæ, ad aëris altiora fumali modo conscendentes, cùm in densioribus nubibus in se conveniunt, aëris naturâ superferri non possunt, sed vento coagente graviuscula mole ad terram dilabuntur. Et si illas in nubibus, priusquam lapsæ fuerint, gelu præripuerit, easdem guttas concretas in grandinum lapillos glacialiter solidatos frigoris rigor deducit: & si remissiores & necdum densatas eas gelu invenerit, nivem facit: & si has gelidum frigus non perstrinxerit, aquæ stillicidium liberum, ad inferiores partes unde ierat redit. Sicut autem aqua per semetipsam, nisi per aliam substantiam, ut ostendimus, non adscendit: sic & ignis nisi per aliam substantiam inferiùs non descendit. Unde cùm & Dominus super quinque civitates de quibus in primo libro diximus, igneos imbres plueret, hoc idem per sulphur fiebat, quatenus & in sulphure ignis arderet, & per graviorem sulphuris naturam idem ad terram laberetur. In hoc ergo loco ubi super altare ad holocaustum ignis descendit, aut per aërem aut per sulphur descendit: quoniam ignis per semetipsum non potest descendere, nisi se alicui materiæ graviori Deus jusserit immisceri. Sacerdotes ergo idolorum sine homicidij culpa Elias Dei servus interfecit. Quippe qui erat in illa Lege quæ dicit, *Blasphemum non patieris vivere.* Nullus hominum ergo idolum colit, nisi Dei blasphemus exstiterit. Ac per hoc qui idololatriæ cultores mactaverat, blasphemos & sacrilegos de terra purgabat. Et post hæc omnia, qui imbres à

terræ perfusione tribus annis & sex mensibus orando prohibuerat, in modico temporis spatio, eodem orationis suæ officio, sitienti terræ abundantem pluviam & placidam à Deo impetrabat. Quæ in terram priùs nequaquam venisset, nisi eam à cultoribus Baal occidendo mundaret.

CAP. XIX. De xl. dierũ jejunio.
3. Reg. 19. 2.
[a] MS. And. protexit.

Quos cùm Jezabel ab Elia interfectos esse comperisset, illum de morte propria minacibus verbis Prophetam terret. Unde pergens in terram Iuda querulus Elias, in umbra juniperi sedens obdormivit. Quem Angelus Domini tangens de somno suscitavit, & pane & aqua esurientem saturans & sitientem refecit. Quo cibo refectus, in ejus fortitudine quadraginta diebus & quadraginta noctibus nil comedens, usque ad Oreb Dei montem ambulavit. Unde verbi Domini fruitus consortio, rursum in terram Israël rediit. De isto vero pane & aqua angelico officio ministratis, quorum fortitudo pastum famis labore Prophetam quadraginta diebus [a] pervexit, scientibus unde naturæ sint intelligentiam differendam patefacere servamus. In quo pane cùm quasi humanæ industriæ, quòd panis coctus sit, operis similitudinem conspiciamus, non terreni panis virtutem, quòd una saturitate quadraginta dierum necessitatem impleverit, esse intelligimus. Nisi fortè angelico opere de quacumque terrena materia factus in terra degentis animam hominis pastam validiorem hominum pane effecerit. Sed hic panis etsi propriam occultando naturam sollicitum lectorem facit; de quadraginta tamen dierum jejunio, quomodo illud tempus jejunus Propheta pertulerit, securum reddit, dum per unius virtutem nullo egens cibo tanto tempore vixit.

CAP. XX. De igne descendente super quinquagenarios.
4. Reg. 1. 9.

Inde intervallo quodam temporis interjecto, ipso Propheta in monte sedente, quinquagenarium principem, cum iis qui sub eo erant, ut eum ad se ducerent rex jussit. Qui supercilio, id est superbo tumore inflatus animo dixit, *Homo Dei ut ad illum nobiscum exeas, rex Ochozias*, id est filius Achab *jussit.* Cui Elias, *Ut inquis, si homo Dei ego sum Propheta, in te nunc & in eos qui tecum sunt, cælestis flamma ardebit.* Quo facto, & alium ejusdem ordinis virum cum tot comitibus ad eumdem rex ire præcepit: quem consona priori proferentem, simili sententiâ eadem vindicta consumsit. Quo facto, tertius ad idem destinatus periculum quinquagenarius cum suis coram Domini Propheta suppliciter genu flexit, & per verba precatoria illum regis adire conspectum rogavit. Sed, *Huic associare*, Eliæ Angelus Domini dixit. Qui citò surgens & gressum socians, superbis interemtis, cum humiliato & supplice ad regem perrexit. Ignis autem in hoc loco, sicut & in prædicto holocausto Dei, dicto Prophetæ verbo obediens, quod jubebatur implevit. Et in his gravioris forsitan ante commissi crimen peccati, sicut & in Oza & numero populi prædiximus, ultrix flamma nimirum punivit.

CAP. XXI. De transeuntibus Jordanem Elia & Elisæo.
4. Reg. 2. 8.

Demum verò cùm Dominus Eliam elevare voluisset, ipse & Elisæus filius Saphan, minister suus, Iordanis flumen divisum pallio Eliæ, pede sicco, sicut in transitu filiorum Israël factum prædiximus, transierunt. In cujus rei explanationem, de libro Iesu prædicta huic operi satis sufficiunt. Quoniam dum in multis his mirabilibus virtutum gestis prædicta conveniunt, hisdem rebus miracula facta, etsi in figurali explanatione deviaverunt, eamdem tamen rationem in rerum gestarum historico intellectu expositiones naturæ exigunt. Antequam de mirabilibus divinæ totius Scripturæ sermonis nostri cœperimus texere coronulam, operæ pretium est etiam ea, in quibus propter præcedentium similitudinem explanare aliquid non est necesse, prout gesta sunt exponam; præsertim cùm ex mirabilibus Scripturæ Dominicæ nil præterire disposui, in quibus à ministerio quotidiano excellere ut in alio videntur.

CAP. XXII. De adscensione Eliæ.
4. Reg. 2. 9.
Ibid. 11.
Apoc. 11. 3.

Igitur ambobus his ripâ Iordanis egressis, Elias ministro suo dicebat, *Postula à me quod vis, priusquam me Deus à te transire & recipi jubeat.* Cui Elisæus, *Spiritus*, inquit, *tuus duplex obsecro in me requiescat.* Rursumque Elias: *Duriter*, dicens *postulasti, sed tamen si horâ receptionis meæ mihi præsens adstiteris & videris, hanc petitionem eventus complebit.* Hoc ergo postulans Elisæus, non elationis affectum super magistrum suum voluit, sed videns peccata populi innumera, à Propheta, qui relinqueretur, non simplici Eliæ spiritu, sed duplici compesci posse prævidit. Si enim illud quod petivit vitio volentis se elevare animo postulasset, nequaquam à Domino & ab ipso Elia quod petebat, impetraret. Igitur his dictis, jam jamque Elias igneo curru receptus velut ad cælum considerante Elisæo rapitur. Et hactenus ipse, sicut & Enoch in testimonium novissimi temporis, adhuc sine morte servatur, ut scilicet horum in ore duorum testium, novissimi testimonij sermo consistat, in extremo tempore, paulo antè quàm damnetur satanas, qui humanum genus aperto bello deprimat. Conveniebat ergo ut Elias, quem divini amoris zelus, ignito ardore in anima sua flagrasset, & per ignem miranda multa signa faceret, & per currum igneum ab hominibus commutatum Dominus ad sublimiorem statum eveheret. Ceterum verò quod de Enoch in primo libro prædiximus, Eliæ etiam convenire videamus.

CAP. XXIII. De virtutibus Elisæi.
4. Reg. 2. 15.
Exod. 15. 25.
4. Reg. 2. 24.
3. Reg. 12. 29.
4. Reg. 3. 9.

Interea labentia in terram vestimenta Eliæ mæstus heres Elisæus colligebat, & Iordanem, item Deum Eliæ invocans, pede sicco transierat. Veniens in Iericho, amaras & steriles aquas, immisso in fontem sale, sicut per lignum in eremo Moyses, sanabat. De qua etiam re in loco illo disseruisse sufficit. Inde veniens in Bethel, à pueris parvis calvus Elisæus illudebatur. Quibus cùm in nomine Domini malediceret, duobus ursis de silva venientibus quadraginta-duo pueri lacerantur. In hoc loco non propter proprium convicium, Propheta in iracundiam commotus pueris maledixit, sed aversatorum à Domino & Lege patrum filios, qui in Bethel idolis immolabant, cùm fortasse & ipsi parvi pueri, ut moris tunc erat, idolis sunt consecrati, justa vindicta plexit. In Bethel namque unus ex duobus vitulis, quos Ieroboam filius Nabath fecerat, qui peccare fecit Israël, fuit constitutus. In quibus decem tribuum Israël à Domino idola colendo divertens, peccavit populus. Præterea etiam Propheta prævidens quid longa post tempora illudens Christo in Calvariæ crucifixo Iudæorum petulans populus esset passurus, quod eis figurali ratione competebat, interim est operatus. Deinde in illa expeditione, qua Ioram rex Israël, & Iosaphat rex Iuda, & rex Edom ad filios Moab exierant, cùm in deserto totus exercitus sitis labore fieret fatigatus, Elisæus aquas per siccatum torrentem sine pluvia venire à Deo impetraverat: ubi fossas & puteos populum facere jussit propter Israëlitas & gentiles, qui in eodem exercitu erant. Cúmque ex illa expeditione reversus in terram Israël venisset, mulier vidua unius ex Prophetis, lacrymabiliter ad eum clamavit, *Ecce*, inquiens, *creditor meus duos filios, quos servo tuo viro meo genui, ad serviendum sibi, quia reddere aliud ultra non habeam, tollere cupit.* Cui Elisæus, *Dic*, inquit, *quam rem in domo tua potes habere? Parvum*, respondens ait, *olei quo ungar reconditum penes me habeo in vase. Pete ergo*, inquit Elisæus, *mutuò à vicinis tuis vasa vacua non pauca.* Quod cùm fecisset, de parvo illo olei crescente ipsa replevit omnia. Hæc exigua olei particula per virtutem Prophetæ in majus crescere non contra naturam potuit. Omnem enim magnitudinem creaturarum de parvitate semper crescere convenit, cùm præsertim specialiùs hoc in liquoris natura, pincernaria arte fit, ut quædam poculorum genera de parva materia in abundantiam liquoris exundare & fervescere comprobentur. Per Sunam quoque civitatem sæpe idem vir egrediens, cùm à quadam divite femina, sed sterili, bono frequenter hospitio receptus fuerat, prædixit quod de viro suo proprio conciperet. Sed ille natus & nutritus gravi & solita doloris ægritudine, adhuc puer percussus obiit. Quem tamen Elisæus figurali ordine resuscitans, matri vivum assignavit. Quodam etiam tempore fame coacti filij Prophetarum, inter ceteras herbas agrestes colocyntidas mortiferas & valde amaras non agnoscentes, in pulmento coxerunt: quod cùm unus quispiam illorum gustasset, in olla mortem esse clamavit. Sed dum Elisæus farinæ parum in eamdem ollam manu propriâ misit, illius virtus per illius farinulæ sapidum & suavem & sanum saporem, insipidum & mortiferum colocyntidarum agrestium vicit. Viginti quoque panes in centum viros dividi præcipiens, turbam saturaverunt, & superabundantem copiam fragmentorum colligentes ministri habuerunt. Sed & de hujus virtutis intelligentia diligentiùs explanabimus, cùm de quinque panibus & duobus piscibus, & rursus de septem panibus & pisciculis paucis in Evangelio, si Dominus permiserit, differemus.

4. Reg. 4. 1.
4. Reg. 4. 8.
Ibid. 37.
Ibid. 42.

CAPUT XXIV. De lepra Naaman curata, & adhærente Giezi.
4. Reg. 5. 5.
4. Reg. 5. 26.

Post hæc Naaman princeps exercitus regis Syriæ leprosus, cùm mirabilem Prophetam & sanitatum gratiâ condonatum in terra Israël esse comperisset, comitum stipatus turbâ militum, sumtis à domino suo muneribus & epistolis, primitus ad regem Israël pergit: & ipse illum ad domum Elisæi tendere monet. Ubi præ foribus stante illo, Elisæus per puerum jussit, ut septies in Iordane se lavaret. Sed ipse superciliosè nuntium omnino despiceret, nisi sociorum suorum sermonibus, ut hanc tam facilem rem faceret, suasus foret: quibus adquiescens, septies, ut Elisæus præceperat, in Iordane lavatur, ejusque cutis tota mollis & tenera quasi pueri sanata redditur. Unde pro salutis beneficio viro Dei munera offerre tentabat. Quæ ille recusans, quod gratis acceperat, gratis impertiri malebat. Ex hac re manifestissimè declaratur, ut prædixi, quòd in sermone imperantis Dei, secundùm imperium Prophetæ, non in re aliqua virtutis sacramentum continetur: quoniam si sine imperio Prophetæ, immo Dei per Prophetam, Naaman in Iordane se lavaret, suæ lepræ purgationem nullo modo tam citò reciperet. Cogitans ergo apud se Giezi minister viri Dei, quod quasi sine caussa Naaman dominus suus Elisæus pepercerat, duobus assumtis secum pueris, festinantiùs post eum exire, ac si à domino suo missus, properat: acceptamque ab eo, composito mendacio, pecuniam in equis ex parte reportabat, quam Elisæus accipere totam, & habere nequaquam voluerat. Deinde verò interrogatus Giezi à domino suo quò isset, non quòquam se isse falsò simulavit. Sed occultum mendacium evidenti judicio Propheta convincens, *Nonne*, inquit, *spiritus meus tibi præsens erat, quando homo in occursum tui de suo curru descendit? Dum igitur infelix te cupiditatis cogitatio, ut hoc ageres & diceres, fefellit, lepra Naaman cum sua pecunia tibi & semini tuo usque in sæculum adhærebit.* Ecce eadem potestate Elisæus Propheta lepram Naaman corpori deposuerat, qua Giezi eamdem adhærere carni & domui imperabat. Unde pervidendum est istas omnes virtutes non rerum ipsarum effectibus, sed imperantis præcepto peragi: quamvis contra naturam nihil in illarum vel harum effectione certum est perfici. In quarum tamen perfectione ipsa Dei imperantis voluntas, seu per se, seu per Angelos, seu per homines illas res inquirit, quas futurorum figuris aptè per omnia convenire prænovit.

CAPUT XXV. De ferri supernatatione.
4. Reg. 6. 5.
Mat. 14. 29.

Quodam quoque tempore filiis Prophetarum coram Elisæo facientibus sibi locum, manu unius ex illis securis ferrum de manubrio lapsum excidens in Iordanis fluvium cecidit. Qui amisso ferramento quod mutuatum acceperat, animo graviter doluit. Unde Elisæus viri clamore motus, affectu dolentis locum ubi ferrum ceciderat demersum, requirebat. Quo adnotato, & à se illuc ligno immisso, ferrum de profundo ad superiora aquæ natans revocat. Gravem verò ferri naturam tenuis aquæ substantia ferre non valet. Sed tamen qui postmodum sub Petri pedibus maris solidaverat naturam, ante illam de profundo ferrum levare jubet. Sanè aquæ natura quamvis terrâ fragilior, tamen aëre solidior videtur. Hoc enim à terra minus habere virtutis ostenditur, quòd ab ea metalla & lapides minùs sufferuntur. Ab aëre verò illud plus retinet, quòd hominum & ceterorum animalium corpora & ligna supernatantia sufferre valet. Unde etsi metallum ad integrum aqua non supportat, ex parte tamen cum portantibus tolerat: quoniam lapidem, ut sæpe probatur, quem vix duo viri in aëre possunt levare, in aqua cùm de fune pependerit, unus homo poterit retinere. Unde apparet aquam etsi non per totum, ex parte tamen metallum sufferre posse; & quod ex parte res habet, Deum per totum ut sequatur naturaliter imperare. Propter quod aquæ natura natans ferrum sufferre poterat, quia Deus quod ex parte per semetipsam creatura consuescit, ut ad integrum faceret, imperabat.

CAPUT XXVI. De victoria per Elisæum.
4. Reg. 6. 8.

Belli quoque tempore regi Israël in multis locis rex Syriæ insidias componebat, quas Elisæus Propheta regi Israël semper ut se cautè in his ageret, manifestabat. Sed dum hoc rex Syriæ per Elisæum fieri pro certo dignosceret, ad Dothan civitatem Elisæi misit copiosum curribus & equis instructum exercitum. Quòd cùm viri Dei minister maturè surgens videret, territus & pavore concussus ad Elisæum

venit. Quem confortans Propheta, *Plures*, inquit, *auxiliatores nostri quam hostes.* Et ne ultra modum pueri mens perterrita fieret, videntis inimicorum multitudinem copiosam, ei Angelorum igneis curribus & equis instructas per totum montem in ejus circuitu adstantes phalangas fecit esse visibiles. Unde ad hostes digrediens hoc à Domino
Gen. 19. 11. impetrabat, ut illam gentem, sicut antea in foribus Loth, cæcitate percuteret. Hostes igitur obcæcatos, demonstraturum se virum quem quærerent, promittens, in Samariam urbem perduxit, eorumque oculos aperuit ibi. Quos rex Israël videns, ab Elisæo quæsivit, utrùm occideret eos, an non. Cui vir Dei, non ut interficeret imperavit, sed versa vice inimicos cibis reficeret, & abirent. Non ita igitur ut lucem diei non videret hic populus, cæcitate percutitur, sed præsentis Elisæi, & locorum per quos ambulabant, agnitio ab illorum oculis occultatur. Si etenim cæcata diei lucem non conspiceret, nequaquam tanta multitudo solum Elisæum sequi ducentem in Samariam potuisset. Ipsa igitur cæcitate percussi sunt, dum quem viderunt, nullo modo intellexerunt. Unde simili modo vir Dei suo ministro, non ad videndam lucem diei, per quam hostes videret, oculos aperuit; sed in Angelorum consideratione, quos antè non videbat, ejus intuitum direxit. Hoc etiam bello Benadab rex Syriæ in terram Israël cum infi-
4. Reg. 6. 28. nita multitudine veniens, Samariam multis diebus obsedit, & ad tantam angustiam inclusos, ut matres filios suos comederent, obsidionis necessitate coëgit. Unde rex Israël tam obscœnâ infamiâ permotus, ad domum Elisæi furore plenus venit, & ut præsentem angustiam valentem absolvere, decollare destinavit. Quapropter ipse Propheta
4. Reg. 7. 1. velut de animæ periculo curans, fixo sermone respondit, *Cras eadem horâ hac, statere modius similæ, & hordei modij mercabuntur in hujus introitu urbis uno statere.* At unus ex duobus ducibus regis infida mente garriens, *Si*, inquit, *cataractas Dominus in cælo fecerit, verum, quod dicis, esse valebit.* Cui Elisæus ait, *Tu hac oculis tuis videbis, sed causâ hujus infidelitatis ex his comedere non poteris.* Sequente dehinc nocte, sonitum aërei fragoris in Syrorum castris Dominus audiri fecerat, qui cunctas inimicorum catervas pariter versas in fugam divertebat. Quo explorato, catervatim populus per portam civitatis prorumpens, infidelem illum ducem suffocavit. Qui videns ista, juxta Elisæi verbum, eis vesci non potuit. His omnibus virtutibus, quas propter mirabilium divinæ Scripturæ originem servandam perstrinximus, aut antè in primo libro similia quædam adnotavimus, aut etiam tertio, quo de Evangelio & novo Testamento disseremus, si Dominus vitam & adjutorium dederit, quædam explananda reservamus. Interea post mortem Elisæi famuli Dei, cùm quadam die familiares ejus mortuum quemdam portantes, latrunculos videntes pertimuissent, in sepulcrum
4. Reg. 13. 21. Elisæi, quòd propè erat, mortui cadaver projecerunt. Quod dum tange et ossa Elisæi, revixit, & ambulavit. Unde quidam præscriptum
4. Reg. 2. 9. sermonem in hoc signo impletum fuisse dicunt, hoc est, *Spiritus qui in te est, fiat duplex in me:* quod necessariò impleri debuit. Elias ergo
3. Reg. 17. 22. in vita sua priusquam reciperetur, mortuum resuscitasse unum scri-
4. Reg. 4. 35. bitur, quod similiter & Elisæus fecisse jam cernitur. Sed & alium, id est istum, post mortem suam videlicet in sepulcro, revivificasse videtur. Sed etiam in hoc duplex gratia facto esse non apparet. Quippe quod enim Elias semel fecerat, bis ac ter, si necesse esset, iterare posset. Sed potiùs hoc duplicem gratiam Eliæ esse in Elisæo pronuntiat, quòd Elisæus imperando præcipiebat, quæ Elias orando & postulando impetrabat. Sive, ut ceteri dicunt, quod Elisæus cum multo honore & sæculi dignitate, virtutum & prophetiæ donum habuit, quod Elias profugus & persecutus, in montibus & speluncis degens, & ejectus ab hominibus retinebat.

CAPUT XXVII. De captivitate populi & Sennacherib veniente in Judæam.

PER longum deinde tempus populus Israël cùm Dei Legem & Prophetarum dicta transgrediens, idola colendo Dominum ipsum contemneret, qui patres suos de terra Ægypti duxerat, in manus gentium traditus, post plurimas populi strages, & urbium obsessarum eversiones, decem tribus quæ in partibus Samariæ fuerunt, à facie sua penitus projiciebat: & reges Assyriorum, Salmanasar scilicet & [a] Te-
4 Reg. 17. 6. glatphalasar, quibus eos captivandos & translatos tradiderat, Samaritas pro eis custodes videlicet ex multis gentibus & urbibus, ne esset inculta terra, congregabant. Quos leones jubente Domino, quòd eum non metuissent, dilacerabant. Unde ad regem Teglatphalasar citò per nuntios sermo devenerat, quòd gentes quas statuerat in terra Israël, cultum Dei terræ ignorantes, leones lacerabant. Quapropter rex unum de sacerdotibus Leviticæ stirpis mittens, illas gentes Deum colere fecit. Quo accepto quamvis gentili superstitione minùs relicta, leonum plaga cessavit. Tribum autem Juda & Jerusalem civitatem quam elegit Dominus, & omnes qui ad eas pertinebant, adhuc Deus
4. Reg. 18. 1. tunc reservavit. Cujus regnum ipso tempore Ezechias rex justus Deumque timens gubernavit. Sed Sennacherib rex Assyriorum, videns quod patres sui Samariæ regnum & imperium Israël destruxissent, & ipse ad terram Juda, duce Rapsace, quem Hebræi Isaiæ Prophetæ filium dicunt, & profugum Judæum ad Assyrios commigrasse, exercitum convocat, & Jerusalem urbem expugnare jubet. Sed in ipso conamine Deus populi defensor & superborum humiliator, de cælesti exercitu militem, Angelum videlicet ad Assyriorum castra
4. Reg. 19. 35. misit, qui opere unius noctis centum octoginta-quinque millia ab exercitu Sennacherib interfecit. Qui sic fugatus de terra Juda, cum paucis ad Ninivem urbem suam fugiens vix evasit. Ubi in idolorum fano repertus, filiorum suorum quos ipse genuit, vulnere corruit.

[a] *MS. Aud.* Teglaphalnasar.

CAPUT XXVIII. De infirmitate & signo Ezechiæ. *4. Reg. 20. 1.*

PARVO interjecto, Ezechias rex Juda, ne de tanta victoria esset elevatus, & forsitan etiam gratiarum actione exiguus in gravissimi languoris morbum incidit. Ad quem in ipso languore visitandum Isaias Propheta veniens dixit, *Dispone domui tuæ, quia non vives ultra, sed morte morieris.* Quo tristi admodum nuntio protinus rex ipse permotus, ad parietem faciem suam convertit, lacrymabilemque pro vita sua in conspectu clementissimi & misericordissimi Domini precem fudit. Non quòd de suo, ut pote perfectus, merito in conspectu conditoris sui incertus fuit, sed quia in Christi venturi generatione sui generis prosapiam, & in throno David lucernam non dereliquit. Sed cùm supplicantis fletibus regis & famuli sui, pius Dominus ad misecordiam esset flexus, rursus Isaias Propheta puro agitatus numine

A mittitur, vix medium atrij digressus, qui sanitatem & regnum & pacem undique regi ipsi & civitati fore denuntiat, & quindecim annos vitæ suæ ab ipso die Dei sermone addi confirmat. Sed dum Isaias duas prophetias sibimet invicem contrarias eadem [b] horâ protulisset, necesse erat ut alteram quæ facienda esset, signi ostensione firmaret. Unde rex ut quod dicebatur indubitanter crederet, solis in ortum ab occasu per decem horas cursum recidivo Deus tramite retorquet, *Sol retrocedit.* quatenus inde veluti manè iterum festinare inciperet, qui diei totius, exceptis duabus horis, spatium consummasset. Per quas duas horas, ut multi æstimant, celeri cursu de occasu in ortum revertitur, ut dies integra rursum sine interveniente nocte in ortu innovaretur, ut scilicet dies duos, etiam in hac vice, in una luce concluderet. Quomodo *Josue 10. 13.* & sub Jesu filio Nun, in illo prædicto bello moram fecisset, indubitanter & hac vice reverti luna minimè dubitatur; quatenus nequidquam, B ut prædiximus, in cyclorum cursibus conturbaretur. Propter quod & maris ipsa vicissitudo impedita fuisse non denegatur, ut de cetero convenienter, qualiter quotidie fieri solet, cum lunæ cursibus comitaretur. Naturam enim in hac reversione convenit solem non mutasse, sed sui Conditoris in omnibus naturaliter præcepto obedire. Sicut enim lucere & calere naturæ suæ insitum sol possidet: ita quidquid præciperet Dominica jussio, seu currere, seu stare, seu recurrere naturaliter habet. Convenienter autem tale signum regi in mortis exspectatione posito aptissimum evenit, quod Dominus per solem fieri taliter, congrua dispensatione disposuit. Quoniam sicut sol in procinctu occasûs sui positus, in diei initium reducitur: sic rex in mortis exspectatione constitutus, quasi ad incipientis vitæ gaudia revocatur. Tantum quoque temporis, id est, quindecim annos ejus vitæ se Do- *4. Reg. 20. 6.* minus dixit addere, quatenus nasciturus tunc filius consumto illo C tempore, regnum defuncti patris valeret gubernare. Ceterum illam quam non exiguam quæstionem de isto, utrùm suæ vitæ finem hunc, si non fleret, fieri Deus disposuit, multi auctores habuere, quando de Lazaro illo quatriduano mortuo aliquid dicemus, si Dominus permiserit, ex ipsa Evangelij auctoritate cupimus intimare. Eadem quippe de isto ex mortis janua revocato sententia, quæ de resuscitatis ex mortis ipsius somno iterum quandoque obeuntibus est proferenda.

[b] *MS. Aud.* die.

CAPUT XXIX. De captivitate Babylonica. *4. Reg. 23. 29.*

HOC quoque defuncto, cùm reges Juda & reliquus populus multiplicarent scelera, & per Prophetas traditurum se Chaldæis Jerusalem cum regibus & populis ad destruendam Dominus prædiceret, id postea ipsius eventus, dum dicta Prophetarum tota pariter plebs contemserat, comprobabat. Nam cùm Pharao rex Ægypti contra Assyrios & Chaldæos pugnaturus venerat, Josias rex Juda satis justus, in D campo Mageddo illi cum exercitu obviavit. In quo conflictu dum Josias victus & vulneratus occiditur, Joachaz filius ejus à populo terræ Juda pro ipso ordinatur. Nechao verò Assyriorum & Chaldæorum devicto exercitu, velut ad tuendum regnum quod ceperat, constitutus in Carchamis oppido ducibus, cum exercitu copioso post tres menses, ex quo Josias occisus est, Jerusalem revertitur. Unde se inconsulto ordinatus rex Joachaz Josiæ filius inventus, Joachim fratre suo in loco ejus constituto, catenis vinctus in Ægyptum secum trahebatur. Sed mortuo Nechaone & ducibus qui in Carchamis relicti fuerant bello victis, tertio anno Joachim regis Juda, qui illud usque Nechaoni adhæserat, Nabuchodonosor rex Babylonis per *4. Reg. 24. 1.* exercitum Jerusalem velut Ægypti coloniam obsidebat. Cui se Joachim sponte tradens, datis obsidibus, Daniele videlicet, Anania, Azaria, Misaële, & parte vasorum templi Domini, adhuc in regno suo E relinquitur, donec gravissimæ servitutis onere depressus, ad Ægyptiorum regem iterum divertens, misso rursum de Babylone exercitu comprehensus & tractus, priusquam ad urbem perveniret, in campo Babylonis undecimo anno regni sui interficitur. Et interim dum hæc aguntur, in ejus locum Joachim, qui dicitur & Jechonias, filius ejus, pro patre suo à populo in Ierusalem rex constituitur. Cujus regni tertio mense Chaldæorum reverso exercitu, & civitatem Ierusalem obsidente, monente Ieremia Propheta, ne civitas combureretur, rex Ioachim cum Noescha matre ejus, & cunctis populi tribubus, & militibus, & fabris, & clusoribus Chaldæorum, se populo tradidit, qui illum cum omni transmigratione sua, in terram Chaldæorum, id est, in Babylonem deduxit. Post quem constitutus à Chaldæis Sedechias patruus suus filius Iosiæ regis Iuda, regnum Ierusalem obtinuit. Qui & ipse nono regni sui anno, deficiens à Chaldæis ad Ægy- F pti regem, regi Nabuchodonosori occasionem dedit, ut ipso sedente in Reblatha in terra Emath, quæ nunc est Antiochia, per exercitum suum obsideret, & expugnaret. Et cùm ipsum regem undecimo anno *4. Reg. 25. 1.* regni sui cepisset, incenso templo & tota urbe, plurimis occisis, & reliquis captivis, eumdem filiis pariter & oculis orbatum, secum in Babylonem perduceret.

CAPUT XXX. De Daniele clarente in Babylone. *Dan. 2. 1.*

QUO tempore Daniel, quem in primordio captivitatis unum de obsidum numero posuimus, in Babylone ex Iudæorum stirpe, illustri famâ clarebat. Quoniam cùm esset Spiritu Dei plenus, & prophetiæ munere condonatus, quæ hominibus ceteris fiebant incognita, ipsi Deus demonstrabat. Unde accidit ut Nabuchodonosor rex somnium videret, evigilantique etiam ex parte aliqua somnij memoria nulla remaneret, Deus Danieli non solùm somnium ipsum, sed etiam somnij ipsam occasionem, quæ esset antequam rex dormiret, indicaverat. G Hoc verò factum est, ut regi Daniel summi Creatoris notitiam insinuaret, & plebs in servitute & captivitate posita, aliquod quamvis parvum auxilium & solatium haberet.

CAPUT XXXI. De tribus pueris qui ignis tormentum sine læsura evaserūt. *Dan. 3.*

SED rex ille ita in Dei oblivionem animo efferus incidit, ut statuam auream altitudinis nimiæ in campo Duran provinciæ Babylonis erigens, proprio nomine consecrari divino cultu præceperit. In cujus statuæ dedicationem omnes undique provinciarum populorumque præpositi convocati, communi decreto, ipsam imaginem vellent nollent, coacti sunt adorare, proposita recusantibus præsente pæna, quòd non parvâ fornacis flammâ urendum quisque agere nolens semetipsum præsciret. Unde accidit, ut præpositi Babylonicæ regionis tres numero, Sidrach, Misach, Abdenago, ex Iudæorum stirpe progeniti, de quibus in initio captivitatis pariter cum Daniele Babylonem deductis *Supr. cap. 29.*

diximus,

diximus, à Chaldæis accusati sint coram rege, quòd nec deos patronos ipsius regis, nec illam tunc consecratam nuper voluissent imaginem adorare. Quos, ne accusatio alicujus odij causâ, & non justâ querelâ posset provenire, ipse rex ad se vocari jussit, & utrùm ut aliorum faminibus aure traxerat, ita certa re haberetur, interrogavit. Augensque interrogata, *Sufficiat*, inquit, *de præterito narratum; nunc in mei præsentia jussa complete, & auream quam erexi statuam adorate. Si verò quod jubetur, exsequi non vultis, opere necessario camini ignis ardores experiendos subire debetis.* Sed illi unanimi respondentes sententiâ, *Deos quoscumque tuos non tantùm non colimus, verùm etiam adstantem præsentialiter statuam nuper editam*, inquiunt, *nequaquam adoramus. Solum enim universitatis auctorem cælestem tantummodo libenti voluntate & communi privatoque studio veneramur. Cujus potentia, quicumque sibi puram, nullo pravo opere læsam conservat fidem, à qualicumque angustia protegit. Ideoque, ô rex, nec præsentis camini flammas pertimescimus, nec in ullo aliquo potestatis minias & supplicia formidamus. Quoniam potentissimus rerum conditor & gubernator, servos suos de ignis ardore, & qualicumque, quam manus tua intulerit, plaga, per omnia potest liberare.* Unde rex incredibiliter irâ succensus, & fornacem plus solito succendi præceperat, & hos per fortissimos de suo agmine viros, cum vestimentis & ornamentis in ignem projici, feroci sententiâ jubebat. Sed ipsi in fornacem projecti, cùm in flammarum medio ceciderant, nullo modo ignis ardorem sibi in aliquo adversantem sentiebant. Namque Dei Angelus, cum in fornacem missis eadem horâ pariter in ignem condescendit, qui foras ignis ardores & flammas de fornace excussit, & intus manentes velut placido rore superfusos, sine ulla molestia incolumes conservavit: atque in circuitu fornacis inimicos quoscumque Chaldæos perditionis & interfectionis eorum reos reperit, ignis ille consumsit. Unde rex Nabuchodonosor caminum introspiciens, ait, *Ecce ego quatuor video viros expeditos in medio flammæ, sed quartus ceteris excellit eminentiâ formæ.* Illosque tres quos in ignem miserat, de fornace statim per propria nomina vocat. Quibus nihil adversi de fornacis consortio accidisse, cuncti videntes populi considerabant; ita ut non solùm corpora ardoris vulnera & penè ulla vestigia non pertulerant: sed etiam sana vestis aut capillus nullum adustionis aut ignis ardorem saltem habebat. In hoc mirabili facto, naturæ scrutator qualiter ignis leniter fornace inclusos fovit, inquirit, cùm interim eodem igne viri circumstantes ejusdem substantiæ, eadem horâ comburuntur. Unde ergo lenitatem hanc in una sui parte tunc ignis habuit, cùm ex altera parte inimicos * regnorum Dei ferox illius ardor interfecit? Ignis igitur substantia vel natura in nulla nisi in aqua vel alicujus liquoris materia potest vivere, cùm ipse incorporeæ intelligitur esse naturæ. Ex quo accidit, ut dum in lignis ardens, totum quod in eis ad humorem pertinet consumit, in arido cinere qui rursum terræ fuerat redditus, liquoris penuria ignem exstinguit. Eamdem quoque liquoris naturam ardoris voracitas consumendo non totam devorat, sed dum in superiora, ubi illius naturæ est copia, pergere nititur, rursum se in aëra elevat. Unde familiaris vapor ille, cùm ad aëris excelsa sustollitur, nebulosa facie concretus, terris iterum, unde ierat, per pluvias ministratur. Quod sæpe vastatarum adustionibus provinciarum comprobatur, & incensorum montium crebrò vaporibus roreas copias deducentibus declaratur. Tamdiu igitur ignis in quacumque terrena materia perseverat, quoadusque liquorem omnem, qui in ea est, vel ipse consumat, vel quod ex suo pastu superest, sursum in aëra mittat. Si verò exiguus ignis satis humidam materiam invenerit, ipse velut infirmior à validiore victus, humoris abundantiæ cedit. Præterea quoque, cùm lymphaticâ, ut suprà dixi, substantiâ pascitur, ipsius nequaquam in aliquo vita, nisi per aërem conservatur. Etenim si in oleo vel in quocumque fomento incendatur, si circumfusus per totum aërem non contigerit, jamjamque exstinguitur. Quamdiu ergo in aliqua terrena materia arserit, ipsius vita in aëre & humore consistit. Unde potens gubernator ignis naturam inter inimicos & servos dividere voluit, ardorem inimicis, flabilem & humidam aëris & aquæ substantiam famulis suis convertit; ut & illi per comburentem naturam accensi arderent, & hi in flabili & lymphatico vapore nihil *Dan. 3. 49.* adversitatis perpeti sentirent. Quapropter ita Scriptura dicit, *Angelus Domini descendit cum Azaria & sociis ejus in caminum, & excussit flammam ignis de camino, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Ex aëre enim spiritum, & ex aqua in ipso igne invenit rorem. Ecce & hanc divisionem sicut & cetera mirabilia per Angelum effecit, qui pariter cum servis Dei, ut suprà dixi, in ignem descendit.

* *f.* servorũ.

CAPUT XXXII. De Daniele quiescente in lacu leonum. *Dan. 6. 2.*

DANIEL quoque veri Dei cultor, de quo in captivitatis principio diximus, cùm de tribus principibus regni Persarum & Medorum unus fuisset constitutus, regi Dario Astyagis filio, domino præstante, præ omnibus factus fuerat carus. Sed quoniam dilectionem honor sequitur, & honor maximus invidiam suscitat, ipsi ceteri Medorum & Persarum principes graviter invidebant. Et idcirco non valentes nisi in lege Dei sui occasionem illi aliquam, unde eum morti traderent invenire, legem ex regis edicto talem fallaciam nescientis, Persarum & Medorum auctoritate firmatam statuere, quatenus ne quisquam petitionem quamcumque à quoquam deo vel homine per triginta dies postulasset, nisi à rege. Cui decreto si quis jam inveniretur esse contrarius, illum absque ulla misericordia aut clementia, devorandum leonum reciperet lacus. Quo confirmato edicto, dum diligentissimâ curâ non desisterent observare Danielem, in domo sua ter

A in omni die more consueto, vero Deo suo deprehendebant genua flectere. Unde graviter ab iis accusatum, de manibus eorum eruere voluit rex. Sed hoc lex constituta Medorum atque Persarum non permisit. Quapropter mæsto animo dolente rege devorandus Daniel in lacum leonibus decernitur. Sed à Dei Angelo, ne insons periret, leonum ora clauduntur. Unde rex transacta insomni nocte, manè lacrymabilis ad lacum venit, ubi incolumem cubantem inter leones, secura mente Danielem reperit. Imperante ergo rege, jamjamque Daniel de lacu leonum abstrahitur, quò proditores illius protinus devorandi pro eo mittuntur. Et quos inedia Danielis esurientes fecerat, reorum sanguinis illius criminosa corpora leones recipiebant. In hoc etiam tam insigni facto, non natura in leonibus mutatur, sed insita à conditionis initio suapte per Angelum à Deo gubernatur. Blan- B ditiem enim & lenitatem, quas catulis suis leones ostendunt, in Danielem exercebant: & sævitiam & ferocitatem, quam in prædam faciunt, in devoratis peccatoribus reddebant. Unde certum est, quòd non contra naturæ suæ terminos ullam creaturam Dominus aliquid facere, sed naturarum partes qualitercumque necesse habetur, aut in defensionem & solatium eorum, quos protegit, aut in detrimentum eorum quos premit, gubernare disponit. De lacu verò iterum & Aba- *Dan. 14. 35.* cuc translato in Belis & draconis fabulis, idcirco in hoc ordine non ponitur, quòd in auctoritate divinæ Scripturæ non habentur.

CAPUT XXXIII. De Esdra restituente Legem. *Jer. 25. 12. & 29. 10. Dan. 9. 2. 1 Esd. 6. & 7.*

INTEREA captivitatis tempore completo, quod Dominus per Prophetas implendum esse prædixerat, reversionem populi sui & captivitatis solutionem per Cyri regis clementiam præparabat. Quo C tempore Esdras Dei sacerdos conbustam à Chaldæis in archivis templi restituit Legem. Nempe qui eodem Spiritu, quò antè scripta fuerat, plenus fuerit.

CAPUT XXXIV. De bellis præcipuis quæ Domini auxilio peracta sunt.

SANCTÆ Scripturæ veteris Testamenti, Legis scilicet & Prophetarum mirabilium ordinem in duobus his libellis historica expositione summatim posui. Quibus si quid alicujus fortè melioris ingenij sagax investigatio addiderit, adhuc me non recuso discipulum fieri. Præcipua verò bella tantùm auxilio Domini peracta, quæ textui divinæ Scripturæ inserta sunt, in his idcirco omisimus, quoniam etsi propter de cælo auxilium admiratione digna sunt, & figurali ratione contineant multa mysteria, tamen in rerum gestarum intellectibus nihil relinquunt incerti. Scimus quòd Amalech, orante *Exod. 17. 11.* Moyse, Jesus filius Nun superabat; & Seon regem Amorræorum, & *Num. 21. 24. 33. & 22. 5. & 25. 17.* D Og regem Basan, proceræ altitudinis viros populus Israël interficiebat. Balach filium Sephor regem Madian, cum Balaam illo præcipuo astrologo, Phinees filius Eleazar cum exercitu occidit. Et Jesus Ben- *Josue 12. 7.* nun unum & triginta reges Chananitidis, multis conflictibus prostravit. Gedeon filius Joas in trecentis viris innumera Madianitarum *Jud. 7. 19.* millia per tubas & lucernas occidit. Jephte Galaadites populum de *Jud. 11. 32.* gentium potestate belli jure liberavit. Samson ille fortissimus He- *Jud. 14. 6.* bræorum, leonem sibi occurrentem nihil habenti in manibus, confre- *Jud. 15. 4.* git; de cujus postea ore & capite favum mellis accepit & comedit, trecentasque vulpes capiens igneque succensas in Philistinorum sege- *Jud. 16. 3.* tes dimisit. De quibus ille mille viros impetu uno asini mandibulâ solus mortificavit: & undique sedentibus circa civitatem, in qua dormitaverat, Philistæis, ambas portæ fores cum ostiis & superlimi- E naribus & seris & vectibus pariter comprehendens, in vertice montis *Jud. 19. & 20. 47.* qui respicit Bersabee, dereliquit. Tribum quoque Benjamin propter commissum piaculum totam, exceptis sexcentis viris, omnis filiorum Israël populus post tria bella delevit. Jonatas filius Saül & armiger *1. Reg. 14. 13.* suus stationem Philistinorum percussit. David filius Jesse adhuc puer *1. Reg. 17. 34. & 49.* & pastor ovium, ursi & leonis interfecti de ore prædam eripuit, & Goliath Philistæum de fundibula lapide prostravit. Qui postea patientiæ virtute Saül bis deprehenso inimico suo pepercit. Et rex post- *1. Reg. 24. 6. & 26. 10.* modum factus, tribus gravissimis prœliis prostrata Philistinorum agmina tributaria fecit. David solus octingentos interfecit impetu uno. *2. Reg. 5. 17. & 8. 1.* Abisaï filius Sarviæ levavit hastam suam contra trecentos, & interfecit eos. *2. Reg. 23. 8.* Tres robustissimi ruperunt agmina Philistinorum, ut potum *Ibid. 18.* darent regi David de cisterna Bethlehem, quæ in medio hostium *Ibid. 16.* F erat. Banaias filius Joïadæ interfecit duos leones in Moab, & leonem *Ibid. 20.* in cisterna in diebus nivis. Ipse quoque virgam tenens manu, Ægyptium spectaculo dignum hastam habentem, occidit. Bellum quoque *2. Reg. 21. 15.* robustorum in Gabaam exercitui David cessit in prosperum. Præter *2. Reg. 8. 3. & 10. 6. & 12. 28.* hæc maxima regis David adversùs in circuitu regiones bella, prosperè Domini auxilio favente, seu per semetipsum, seu per exercitum sæpe peracta sunt. Bellum verò civile in saltu Ephraïm in ipso Israël, in *2. Reg. 18. 6.* testamentum David restituit Samariæ regnum. Contra Syros & reges Damasci, nunc huc, nunc illuc, alterno proventu vergentia certamina multa fuerunt. Hæc omnia propter de cælo auxilia mirabiliter gesta, provenerunt. Sed illi operi nostro conveniens additamentum conferre non possunt: quoniam nihil in quotidianam rerum administrationem G inusitatum ostendunt, dum per hominum & ipsorum etiam Angelorum dispensationes & fortitudines effecta fiunt. In Machabæorum libris, etsi aliquid mirabilium numero inserendum conveniens fuisse ordini inveniatur, de hoc tamen nullâ curâ fatigabimur: quia tantùm agere proposuimus, ut de divini canonis mirabilibus exiguam, quamvis ingenioli nostri modulum excedentem historicam expositionem ex parte aliqua tangeremus. Ideò & præsens libellus in hoc loco finem suum contingat, ut tertius de novo Testamento ab Evangelij initio, Johanne videlicet & Domino primordium sumat.

LIBER TERTIUS.

De novo Testamento.

CAP. I. De visione Zachariæ & nativitate Johannis Baptistæ. Luc. 1. 11.

OCTAVIANI Augusti Cæsaris quadragesimo primo anno, Zacharias sacerdos de vice Abia, cùm in ordine suo holocaustum in templo offerebat, Angelus Gabriel unus de illorum numero, qui stant in conspectu Domini, celeri nuntio ipsi responsa deferebat: quibus subnectens, *Uxor*, inquit, *tua hucusque sterilis Elizabeth, grandæva satis, concipiet, filiumque Johannem nomine, Altissimi Prophetam & Præcursorem tibi pariet.* Sed incredula mente sacerdos, parum his dictis animo fidem accommodans, *Quomodo*, respondit, *hoc fieri poterit; cùm ego sim satis senex, & uxor mea isto officio in juventute privata, in diebus suis provecta ætate processerit.* Attamen Angelus in ista nequaquam excusatione repulsus, non caussâ perfidiæ illatum munus retraxit, sed quò à Domino quod dicebatur, impleretur, convenienti oris sui vindictæ subjectum mutum sacerdotem dereliquit: donec nascente postmodum puero, ligatæ linguæ vinculum solutum est, cui nomen filij scribere tentans, *Johannes*, dixit, *est nomen ejus.* Conveniente autem dispensatione factum est, ut Johannes qui postea hominibus victu & vestitu & loco exempla pœnitentiæ præberet, & pœnitentiam prædicans, etiam conceptionis ejus tempore pater pœnitentiæ modum ab Angelo sibi impositum, donec ille nasceretur, sustineret. Aliter quoque congruè hoc signum evenerat, uti dum qui regnum cælorum prædicaret nasciturus conciperetur, antiquæ Legis & Prophetarum prædicator sacerdos silentio damnaretur: [Matt. 11. 13.] quoniam Lex & Prophetæ usque ad Johannem fuerunt, ex eo autem regnum Dei evangelizatur. Qui conceptus adhuc in matris utero manens, priusquam nasceretur, cùm Mariæ matris Domini introitum in domum ubi fuerat sensit, spiritali famine per os matris de nascituro ex ea Christo Domino prophetavit. Dum enim Moysi spiritus in septuaginta duos consiliarios distribuitur, [Num. 11. 25.] quid mirum si pueri adhuc in utero manentis spiritus per matrem loqueretur?

CAP. II. De Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, & nativitate ex Maria Virgine. Luc. 1. 31.

INTEREA nuntius ad sponsam Joseph Mariam Virginem de stirpe David talia dicta detulit, cui sine viri cognitione parturire filium Spiritus-sancti munere prædixit. *Hic*, inquiens, *natus, quem omnium spondent oracula Prophetarum, magnus erit in conspectu Domini, & in æternum ore cunctorum credentium filius vocabitur Altissimi. Huic enim præcepto munere patris sui David sedem donavit, & regni domus Jacob absque fine imperium, sine succedente herede, in sempiternum tenebit.* Quibus verbis ovans virgo accommodata fide, sine ullo incredulitatis aut inobedientiæ objectu consensit. Sed mentem Joseph, conjugis tumentem uterum videntis, [Matt. 1. 19.] quam ipse numquam cognoverat, ista res sollicitam reddidit. Quem tamen ne hac cogitatione fatigaretur, idem Angelus de concepto puero & nascituro, & accipienda virgine commonuit. Quæ virgo postmodum instante tempore filium, [Luc. 2. 7.] quem sine viri semine, & carnalis oblectamento voluptatis concepit, sine damno suæ virginitatis peperit. In qua re, quamvis præter cunctorum hominum conceptionis consuetudinem, absque viri semine factum opus ostenditur, non tamen extra naturam de muliebri utero sumta substantia carnis nascebatur. Ex natura naturaliter naturam suscepit, qui cooperante Spiritu-Sancto ex materna, quamvis sola carne, veram carnis substantiam humanæ, exceptis vitiorum passionibus, integram contulit. Quam rem ne sine exemplo naturæ alicujus, velut novam in Dei creaturis dimittamus, multa animantia absque parentum coitu progigni comprobamus. Qualiter apes sine patribus fotu materni corporis tantummodo crescunt, & omnia illiusmodi volatilia fetus suos taliter concipiunt. Sed & multæ aves absque maribus ova gignere possunt. Et talem conceptum in multis piscium generibus esse physiologi aiunt. In sola quoque carne sine patre vermis nascitur, cui se Dominus hac de caussa similem dicere per Prophetam non dedignatur. [Psalm. 21. 7.] Quod ergo in multis rebus consueto more Dominus operatur, quid naturæ contrarium dicendum est, si quando ipse voluit, ut in virginali utero Spiritu-sancti dispensatione filius sine viri coitu nasceretur?

CAP. III. De Pastoribus quibus Angeli natū infantem nūtiaverunt. Luc. 2. 9.

QUO nascente in Bethlehem civitate David, pastores custodiæ gregum destinati, ab Angelis imbuuntur, quòd cæli rex in terra cum hominibus ex homine carnem nascendi lege assumere tunc dignaretur. Et deinde cùm huic nuntio conveniens audientibus pastoribus carmen concinunt, ad cælum rursum conscendentes Angeli redeunt. Et in hoc conveniens ab Angelis peractus ordo conspicitur, ut priùs pastoribus natus agnus & gregibus pastor nuntiaretur. In his duobus pueris Johanne & Jesu, præcursore & Domino, non sine historica ratione nativitatis ordo intenditur, quòd de anu unus, alter de virgine puella generatur. Christi enim præcursor per omnia Johannes idcirco de vetula matre nasci debuit, dum ipse veteris Legis finis quasi novissimus filius fuit. Christus verò de puella virgine corpus assumsit. Ipse enim est novi Testamenti principium, filiorumque, qui ex nova Lege nascerentur, exordium exstitit. Igitur quadragesimo-secundo anno Octaviani Augusti Cæsaris, temporibus Herodis regis Judæorum, ablata ex Judæis omni dominandi potestate, in oppido Judææ Bethlehem, de David stirpe, ex virgine Maria Jesus Christus Dominus nascitur. Quod competenter evenerat, ut cùm regum & pontificum ex Jacob stirpe descendentium successio consumta fuerat, qui in æternum rex est & pontifex, tunc nasceretur.

CAP. IV. De Magis ab Oriente & stella duce. Matt. 2. 1.

NASCENTE ergo illo puero, quem Israëlitarum & gentium Prophetæ utriusque populi Salvatorem fore prædixerant, Magi de terra Evilath ducti stellâ, ad eum cum muneribus longo admodum itinere venerant. Qui oblatis muneribus & adorato per tempus puero reversi sunt, non eadem tamen viâ qua venerunt, sed per aliam ad patriæ loca remeare moniti divino famine curabant. De hac autem stella, quòd ab Jerusalem pergentibus Magis usque ad Bethlehem dux itineris fuit, Evangelij dicta exponunt. Ceterùm verò qui de terra sua usque Jerusalem hanc ducem sui itineris habuisse Magos existimant, ex Evangelica auctoritate firmare non possunt: quoniam Magi in terra sua cùm essent, excellentem sideribus stellam videntes, Dei esse & regis, qui juxta prophetias tam ipsorum quàm ecclesiasticas ex Israël [Num. 24. 17.] nasceretur, seu ex propria eorum scientia, seu angelica admonitione intelligentes, ad terram Israël venerunt, & ad Jerosolymam, ubi totius provinciæ principatus fuerat, venientes, de rege nato & pariter Deo perquirunt. Unde inventis Israëlitarum oraculis vatum de eodem nato, [Michea. 5. 2.] ubi nascendi locum acciperet, monente subdolo sermone rege, alacres pergunt. Egressique urbem, mox ducem itineris ad Christum stellam sequentes deveniunt. De ista verò stella, utrùm stella simpliciter, an Angelus, an Spiritus-sanctus accipiatur, etsi catholico sensui nihil repugnat, cùm de singulis disputatum fuerit, arbitris majoribus eligendi liberam voluntatem ingenioli nostri mensura concedet. Si enim simpliciter stellam accipiendam esse quis maluerit, à ceteris stellis in hoc ducatu quomodo deviavit? Quarum natura ab initio condita, in firmamento cæli constituta fuisse dignoscitur, sicut libri Geneseos auctoritate manifestatur. [Gen. 1. 17.] Si ergo in firmamento cæli maneret, inter Bethlehem & Jerusalem dux fieri ambulantibus qualiter posset? Et si per aëra, sagittæ more, quamvis paulo lentiore cursu propter sequentes pervolaret, assuetum in firmamento locum & cursum interim desereret. Quod nec majoribus quidem luminaribus accidisse Scripturæ describunt, cùm in signis aut steterunt, aut reversa sunt. [Josue 10. 13. 4. Reg. 20. 11.] Nisi fortè aëreus ille ignis, qui tale ministerium accepit, propter similitudinem, sicut in multis diximus, stellæ vocabulum accepit. Aut si Angelus habitu stellæ hoc ministerium fecit, quid repugnat, dum se Angeli quando se hominibus ostendunt, in multos transformant habitus? Quomodo & Moysi in Choreb de rubo [Exod. 3. 2.] Angelus ignita facie loquebatur, & velut miles armatus Josue filio Nun extra castra in Galgalis ostenditur. [Josue 5. 13.] In currum & equos igneos in adscensione Eliæ Angeli finguntur. [4. Reg. 2. 11.] Et quando Elisæus pueri sui oculos aperuit, in eisdem habitudinibus Angeli manifestantur. [4. Reg. 6. 17.] In forma hospitum Abrahæ & Loth conspectibus se præbuerunt: [Gen. 18. 2. Gen. 19. 1.] & Manue & uxor ejus prophetali habitu loquentem ad eos Angelum viderunt. [Jud. 13. 11.] Nimirum eorum & ista vice Angelus dux Magorum efficitur, qui astrologis in stellæ similitudinem & clarissimi sideris fulgorem transformatur. Licèt enim in imagine rerum, quæ Johanni in Apocalypsi sua per visionem dicuntur, huic tamen intellectui non contra facit, *Stellæ septem, ecclesiarum septem Angeli sunt.* [Apoc. 1. 20.] Unde quamvis in spiritu, dum tamen stellæ Angeli dicuntur, quid repugnat, si etiam in hoc loco stella Angelus dictus esse sentiatur? Vel certè si neque Angelus, neque stella firmamenti, neque alius quispiam ignis hæc stella fuisse dignoscitur, Spiritus ergo sanctus stella hæc fieri concedatur. Qui sicut postmodum corporali specie columbæ descendit super Jesum Dominum in Jordane, [Matt. 3. 16. Luc. 3. 22.] sic gentes adoratrices, stellæ specie duxit ad cunabula Domini nascentis in carne. De quo per parabolam Balaam astrologus loquebatur, *Orietur stella ex Jacob*, [Num. 24. 17.] rutilum scilicet lumen spiritalis gratiæ Christi, qua nox infidelitatis gentium illuminatur. Sicut ergo in igne super Apostolos postea in cœnaculo Sion descendit, [Act. 2. 3.] ita in specie stellæ Magos ad Dominum Spiritus-sanctus deduxit.

CAP. V. De Baptismate Christi. Luc. 3. 23.

HIC igitur puer scientiâ præibat ætatem, donec tricesimum annum agens ad Jordanem venit, & ab Johanne, de quo suprà diximus, Zachariæ filio, qui tunc populum in eum crediturum, qui venturus erat, baptizabat, & ipse baptismum agnus ante suscepit, & confitendum unda Jordanis lavavit, In specie columbæ Spiritus-sanctus super eum descendit, & Patrem de cælis loquentem de se audivit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo sibi anima mea complacuit.* Cum his signis cælum apertum vidit, & ita baptizatus de fluminis lavacro adscendit. Ad baptismum verò Dominus Jesus exivit, non quòd baptismi sacramento & lavacro egeret, qui proprij aut originalis peccati nullam culpam haberet, sed ut aquas, quas quamvis in delicto Adæ Deus non maledixerat, terræ qua continebantur maledicto infectas purgaret. Et ne quisquam baptismi sacramentum negligeret, dum qui sine peccato fuerat, baptismi aquas inivit. Et ne quisquam ab inferiore baptizari parvipenderet, dum Dominus à servo suo mergi undis baptismi appeteret. [Matt. 3. 14.] Et quatenus adhuc à diabolo se, donec tentatio perficeretur, occultaret, qui illum velut lavacro indigentem, inter pollutos peccaminibus ablui, aquis conspiceret. Spiritum verò sanctum super se in baptismo descendentem vidit, [Marc. 1. 10.] & vocem Patris de cælo se confitentem Filium suum audivit, & cælum coram se apertum conspexit. Non quòd ante baptismum suum hæc omnia Dei Filius non haberet, sed ut baptismi sacramentum quid valeat ostenderet. Non enim tunc Spiritum ille cœpit accipere, qui eamdem cum Spiritu-sancto substantiam creditur habere. Nec tunc illum Pater Filium suum primitus professus est esse, cui dixit, *Ex utero ante Luciferum genui te*: [Psal. 109. 3.] ante videlicet omnem angelicam creaturam, quæ Luciferi appellationem per Scripturas sæpe tenet. Neque tunc illi aperiri cœperat thalamus cælorum, qui ait, *Cælum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum.* [Isa. 66. 1.] Sed idcirco hæc omnia sancta Trinitas in baptismo Domini congessit, ut sciret unusquisque nostrûm, quid muneris in sacri baptismatis mysterio susceperit. Tunc enim Spiritum-sanctum quisque peccatorum sordibus ablutus accipit, & à Deo Patro profiteri filius adoptionis gratiâ incipit, & tunc sibi regni cælorum januam aperiri, & civem cælestis patriæ Angelorum sanctorum consors intelligi. Quamvis verò corporali specie Spiritus-sanctus super Dominum descendere dicitur, [Luc. 3. 22.] non tamen de avibus sumsisse columbam, sed ex aëre, minimè dubitatur. Nequaquam enim ex avibus Spiritum-sanctum necesse fuit corpus assumere, dum aves sibi

connexæ statutam [Fortè constitutam.] in nullo transgressæ sunt legem naturæ: sed si in aliquo transgrederentur, in hoc tantum meriti non haberent, utpote nec æterna, nec rationabilis creatura, ut à Spiritu assumtione carnis à delicti vindicta solveretur. Sed quòd Filij persona corpore carnis humanæ induebatur, conveniens erat ut Spiritus-sancti persona per corporalem speciem super eum descenderet, & Patris vox corporalis de nube per aërem corporis auribus audiretur. Præterea quoque idcirco in nube & columbæ imagine Pater & Spiritus-sanctus ad baptismum veniunt, quoniam aquaticæ naturæ res illæ aliquid habuerunt. Dum enim in terra Filius ad baptismi mysterium aquæ creaturam elegisset, necesse fuit ut & Pater per aquaticam nubem intonaret, & Spiritus-sanctus illud corpus, quod de aqua in principio factum est, ex illa nube acceptum simularet, ut sic tota Trinitas eamdem voluntatem, sicut habet, ostenderet.

CAP. VI. De Christi tentatione & jejunio. Matt. 4. 1.

CUM ergo de aqua Dominus Jesus baptizatus, confestim adscendit, ut diabolo daret occasionem tentandi, avia deserti petivit, ubi & quadraginta dies, & totidem noctes nullo humani pastus suffragio fultus jejunavit. Ibique per tria tentatus, in quibus primus homo seductus est, tentantem satanam tribus responsionibus vicit. In diaboli tribus propositionibus tota iniquitas: in Christi verò tribus responsionibus, quibus diabolus repugnatur, tota justitia fuit. Cùm inimicus damnatur & vincitur, & humano generi libertas & redemtio præparatur. In hoc namque satanas dum se supra [a] auctorem elevare voluit, qui sub eo illuc usque fuerat, id est, homo per Domini victoris auxilium ultra ipsum excrevit. Et dum illum qui ab omni impedimento [b] liber fuerat, alligare tentabat, interim vinctus ille, quem ipse tenebat in carcere, quibus tenebatur vincula deponit. Et dum contra se fortiorem repugnare nititur, interim ipse qui erat infirmior adversùs eum roboratur. Et eum qui huc usque de cælo tantùm in terram ejectus fuerat, [c] terrore etiam de terra ad inferna eum migrare Dominus jubebat. Quadraginta dierum inediam Domini incarnatio sustinere sine vitæ periculo poterat: quoniam sermo Dominicus, qui Moysen per aëra quadraginta diebus bis renovaverat, hìc Christi artus & nervos intus irrigabat. [Exod. 24. 18. & 34. 28. 3. Reg. 19. 8.] Quare igitur consummatis quadraginta diebus & quadraginta noctibus esurire Dominus Jesus describitur, cùm Moyses & Elias tanti temporis per jejunium famem pati non memorantur? Famem verò & laborem Redemtor noster consummato tanto dierum numero sustinet, quatenus & tentatori occasionem tentandi inferret, & nosceretur quàm veram humanæ carnis substantiam gestaret. Unde nec extra humanum opus & in hoc jejunio aliquid egit novi, dum temporis quod priùs homines jejunaverunt, spatium non excessit.

[a] MS. Aud. altiorem. [b] MS. Aud. sacer. [c] MSS. errore.

CAP. VII. De virtutibus Evangelij usque ad ambulationem super mare. Matt. 4. 17. Luc. 6. 13.

DEVICTO ergo adversario & quadraginta dierum perfecto jejunio, per Judæam & Galilæam Israëliticum populum ad viam salutis vocabat, & duodecim primarios sibi milites ex omnibus speciali electionis munere segregabat. Et quatenus de invisæ & internæ substantiæ, animarum videlicet sanitate, faceret fida omnium corda, etiam [d] in servi potestate visibiliter nulla resistente vi languoris curata reddebat corpora. Unde cùm prædicans Evangelium regni Dei, Galilæam circumiret, & promiscuum vulgus variâ ægritudine pressum cerneret, quosdam oculorum præsentis defectio lucis lætitiâ privabat, alios perfusa per totius corporis superficiem lepra fœdaverat; nonnullos pedum frustratos habita forma, curavit. In paralytico autem à quatuor viris portato, tria divina opera cernuntur, [Matt. 9. 2. Marc. 2. 3.] dum dimittuntur ei peccata, & præsentis ægritudinis plaga verbo tunc solvitur, & cogitationibus more Dei omnia scrutantis respondetur. Et in hoc viro ostenditur quosdam propter animæ maculas dolore grassari. Quomodo mutus loqui non poterat, cùm Verbum Dei Patris responsa ab illo postularet? [Num. 22. 28. Matt. 9. 33. Johan. 3. 19.] Qui in ore asinæ facundiam reperit, quomodo humanam linguam, quamvis mutam, ad verba non solidaret? Et cùm justitiæ lux, quæ in mundum venit, appareret, qualiter cæcus non videret? Et qua potestate diabolus in homine permaneret, ad quem ejiciendum quomodo illum peccantem de cælo expulerat, Christus veniret? [Matt. 14. 16.] In quinque panibus & duobus piscibus quinque millia saturantibus, continentur miratione digna tria, scilicet materiæ paucitas, & populi saturati multitudo, & fragmentorum copia.

[d] MS. Aud. inferni.

CAP. VIII. De ambulante Domino super undas. Matt. 14. 26.

DOMINUS de terra discipulos petens, necesse habuit in undis ambulare. Caussa hujus Petri fides fuit, id est, ne si solus Christus id egisset, veritatem carnis dubiam relinqueret. Dum autem Petrus filius viri & mulieris hoc faceret, per imperantis Christi auxilium, nullam de carne Virginis filij dubitationem admittit. Sed quæri potest, utrùm Domini & Petri corporum levigata natura, ut illa aqua sustineret, an aquæ substantia solidata est, ut corpora humana fulcire posset? Quamvis ergo utrumque hoc fieret, non contra naturam, Domino præcipiente, esset, si aut aquam solidaret, aut humanam Domini jussio carnem levigaret, ut militantes in Scytharum oris, ut antiqui ferunt, & super æquorum * auribus proludant: natandi arte quoque imbuti, merso medio in profunda vix subeunt. Hominibus ergo illud valentibus, quid mirum si Domino imperante caro levigaretur, præsertim cùm resurrectionis corpora in tantum levigabuntur, ut non solùm crassâ aquâ, sed etiam nubibus & aëre sustineantur, ut Apostolus ait, *Rapiemur ad occurrendum Christo in aëra.* [1. Thess. 4. 16.] Aliter si aquæ naturam solidatam esse quisquam elegerit, quoniam aqua terrenam habet crassitudinem, ut cùm se gelu perstrinxerit, in duriorem quàm terræ ipsius soliditatem, rigeat, & multitudinem sufferre valeat, & postea calida aura resolvat. Vel certè, si liquidas undas non perstrinxerit natura, quæ aquis inserta est, ligna quamvis grandia, & humana, & ceterorum animalium corpora, & naves Liburnicas supernatantes sustinere consuescit. Illa soliditas Domino imperante facta, nec mirum si etiam Petrum diffidentem non sustinet, cùm infideles Domino volente etiam terra non sustentabat, ut Dathan & Abiron. [Num. 16. 31.]

* f. littoribus

CAP. IX. De ceteris virtutibus Domini N. J. C. Exod. 7. 20. & 15. 25.

IN naturali rerum administratione binæ rationes deprehenduntur. Deinde inferior ratio quotidiana rerum administratio intelligitur, ut de aqua in animalibus sanguis fit, & unda salsa per nubes aut terræ infusionem indulcessit. Et ratio superior insitata gubernatio fit, quæ in miraculis rerum dignoscitur, ut in sanguinem aquam in Ægypto in momento, & intincto ligno in dulcedinem Deus commutavit.

CAP. X. De panibus & piscibus saturantibus millia populorum. Matt. 14. 19. Johan. 6. 11. Gen. 1. 22.

QUAPROPTER & panem de parvo semine juxta inferiorem rationem in magnam segetem per longi temporis administrationem innumerabilium hominum pastum procreat: quem secundùm superiorem rationem de materia modica in momento per benedictionem multiplicat. Sic & pisces per primam benedictionem multiplicat, quando dictum est, *Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris.* Quorum nunc carnes per superioris rationis caussam, ad turbarum saturitatem præsenti benedictione multiplicantur.

CAP. XI. De visione Domini in monte cum Moyse & Elia colloquentibus. Matt. 17. 3.

LICET in hac ostensione Domini facies solari splendore fulserit, non tamen ipsa caro splenduit, sed divinitas latens in corpore, luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus, quantum poterant, concessit. Unde ergo vestimenta candorem nivis habuerunt, dum neque de carne, neque de divinitate erant? Nisi forte ut per carnem divinitas foris illuxit, sic & caro illuminata de divinitate, per vestimenta radiavit. Moyses autem & Elias specialiter ad talem ostensionem, velut Legis & prophetiæ principes ad finem conducuntur, vel ideo ut Moysi cornuta facies, in quam non poterant filij Israël intendere, [Exod 34. 34. 2. Cor. 3. 13.] & Elias curru igneo raptus, [4. Reg. 2. 11.] comparato Christo obscurarentur. Et cùm isti quadraginta dies jejunasse Scripturæ vocibus memorantur: de Jesu tantùm Domino his præsentibus, Patris se illis pronuntiantis testimonium. Sed dum Elias manens adhuc in corpore vel ad talem conductionem venerat, quid de Moyse dicendum est? utrùm in corpore iterum ad hanc ostensionem aderat: an ex aëre simulatum, sicut Samuel visus est, habitum fingebat: [1. Reg. 28. 14.] & si suo corpore indutus venit, si hac vice resurrectionem suam, quæ ceteris nonnisi in novissimo est futura, complevit? De qua quæstione auctores una eademque sententia prolata non differenter dicunt, quòd dum Dominus cum tribus discipulis suis & Elias, non cum imaginatis, sed veris corporibus convenisse non dubitantur, & ipse Moyses in suo vero corpore de sepulcro resumto videtur. Sed si Dominus Jesus primogenitus mortuorum rectè creditur: [Apoc. 1. 5.] Moysi iterum post hanc visionem corpus sepulturæ commendatur, ut ipsum in novissimo die, quando resurgent mortui, assumere [e] possit.

[e] MS. Aud. speretur

CAP. XII. De Lazaro & ceteris resuscitatis mortuis.

IMMOBILI ergo voluntate Deus universorum vitas certo fini & termino prærordinavit: quorumdam igitur vita non ut moriantur, morte interfici videtur, sed ut per hoc qui eos resuscitant clariores, utpote Deo cari, hominibus etiam habeantur. Unde de ipso Lazaro discipulis à Domino dicitur, *Hæc infirmitas non est ad mortem, sed ut filius hominis per eam clarificetur.* [Johan. 11. 4.] Ecce hoc dicto Lazarus citò moritur: sed tamen per Filium Dei, qui in eo clarificatur, quarto die resuscitatur, quod non spatium vitæ ejus posuit; sed quod sine mutatione Dominus disposuit facere, sæpe retrahere simulat, ut partum uxoribus Abraham & Isaac distulit, [Gen. 16. 1. & 25. 21.] ut gratius foret. Et Dominus occasiones præstat, ut quod ipse alicui donare cupit, indulgere rogetur. Si etenim ea quæ non disposuit, aliquis sanctorum rogaverit, nullo modo fieri permittit, ut quòd Moyses terram repromissionis ingrederetur, [Deut. 34. 4.] & Paulus ut ab eo Angelus satanæ recederet, [2. Cor. 12. 8.] & petentes non impetraverunt. De omnibus ergo generaliter mortuis tale quid sentitur, quòd ideo prima vice moriuntur, ut per illos digni clarificentur. In his enim octo mortuis, quos divina Scriptura veteris & novi Testamenti resuscitatos commemorat, hoc considerandum est, quod de eorum primo, id est, filio viduæ, quem Elias suscitaverat ita refertur: [1. Reg. 17. 19.] *Revertatur obsecro anima pueri.* De novissimo, id est, de Eutycho in Actibus Apostolorum: *Et sublatus repertus est mortuus.* [Act. 20. 9.] Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus, dixit, *Nolite turbari, anima enim ejus in eo est.* Cautè utrumque intelligendum est, quòd viduæ filius mortuus est, atque anima ejus reverti à Propheta postulatur: alter verò mortuus est, & in eo ejus esse animam Paulus dixit. In utroque namque Scriptura vera est, quia mentiri non potest. Sed qua ratione recipi potest, ut in membris occultari corporis posset mortui anima. Nisi fortè anima, quæ incorporalis est, corpori inesse occultè creditur. Sed quidam intelligendi laborem vitantes, dicunt de Eutycho, quòd emittens animam ita mortuus est, ut post modicum intervallum anima revertente Paulum dixisse putent, *Anima illius in eo est.* Sed tamen Scriptura tacet, si egressa est aut reversa anima. Ceteri verò sex mortui, quibus nec egressæ animæ, nec reversæ nuntiantur, sine ulla hìc ambiguitate præstant quòd mortui sint, & divina operatione resuscitati sint.

CAP. XIII. De Solis eclipsi in Passione Domini. Luc. 23. 44.

SOLIS defectio juxtà carnem, non ut solet, quando luna accenditur, facta erat: sed in plena luna, scilicet quinta-decima die mensis, ne casu putaretur fuisse, quod evenerat: & tantùm lucem solis media die tenebræ obscuraverunt, ut per tres illas horas defectionis stellæ in cælo visæ sint.

CAP. XIV. De corporibus Sanctorū venientibus de monumentis suis post resurrectionem Domini. Matt. 27. 53. Act. 14. 15. Hebr. 11. 39.

SANCTI venerunt de monumentis suis post resurrectionem Domini: sed rursum in monumenta, quomodo & de Moyse memini, redintrarunt; ubi resurrectionem omnium novissimam exspectant, ut Apostolus ait, *Hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt; non acceperunt repromissionem à Deo pro nobis melius aliquid providente, uti ne sine nobis consummarentur.* Si igitur isti & Moyses bis resurgere, in hac ostensione utique, & in novissima cunctorum resurrectione, credendi sunt, dum semel mortem sibi inditam in Adæ delicto gustaverunt? Sed hoc absit à catholica fide ut semel morientem bis credat quis resurgere. Nisi fortè bis mori Moysen & istos aliquis dicat. Sed nusquam de his scribitur, qui sic apparuerunt, resurrexisse, sed aut vivere, aut apparuisse, vel de sepulcris exisse. Nomen autem resurrectionis in iis, qui post mortem in vita hac conversati sunt, aut in Domini solius, aut in futura omnium resurrectione ponitur. Talis autem apparitio istorum, nec ad vitam humanam, neque ad resurrectionem futuram pertinet, sed ad confirmationem Dominicæ resurrectionis, & ad credulitatem resurrectionis animarum ex inferis talis apparitio animos movet. Sicut in resuscitatis mortuis similitudo tantùm, non mors continua fieri cernitur: ita & in his similitudo resurrectionis, non ipsa resurrectio ostendebatur. De continua enim morte nullus ad vitam indeciduam, nisi Dominus, usque ad novissimum diem revertitur, & à vera resurrectione numquam in mortem iterum aliquis retruditur.

CAP. XV. De cibo ...

HUNC autem carnalem cibum qualiter resurrectionis caro susceperit, docti requirunt, dum resurrectura corpora spiritalia esse

mini post resurrectionem. Luc. 24. 43. 1. Cor. 15. 44. Gen. 18. 8.

cuncti fideles sciunt, ut dicitur, *Resurget corpus spiritale*. Quapropter resurgent corpora non gustatura, sano sensu creditur possibilitatem edendi cibos, si necesse foret, habitura. Hæc Dei exempla minimè denegant, ut Angeli juxta ilicem Mambre. Sed hoc non ut nos ruminatos cibos stomacho & intestinis conferunt, sed statim ut accepta velut videntur, degustent, in spiritalem naturam, non ex parte, sed tota transformant.

CAP. XVI. Petrus paralyticum restituit. Matt. 3. 16.

CONVENIENTIA de Spiritu-sancto in columba super Christum, & in igne super Apostolos perscripta sunt, & quando diximus de divisione linguarum & de virtutibus Apostolorum post acceptum Spiritum, in excusatione eleemosynæ & paupertatis professione, A quando Petrus paralytico dixit, *Surge & ambula*, magistri præceptum servans: *Nolite habere aurum, neque argentum*, dum soli Deo serviens de iniquo mammona expeditus fuerat, verbo imperij morbo ligatum citò solvebat.

Act. 2. 3. Act. 3. 6. Matt. 10. 9. Luc. 16. 11.

CAP. XVII. Virtus Petri. Act. 5. 4. Act. 9. 40.

ECCE quanta est apostolica virtus in Christo, sanum Ananiam dum Petrus arguit per sermonis tantùm imperium, morte ligavit; & Tabitam mortis vinculo ligatam, eadem imperij potestate dissolvit. Ideoque priùs Ananias & Saphira in conspectu Ecclesiæ citò mortui sunt, ut apostolica auctoritas quanta esset ostenderetur, & quàm magnum peccatum esset, quod oblatum est iterum, ab Ecclesia retrahere, monstraretur, & ceteri exemplo hujus castigarentur.

ADMONITIO

DE SUBSEQUENTI OPUSCULO.

NON Augustini, sed Alcuini est isthæc de Benedictionibus Jacob Patriarchæ quæstio expositioque historica & allegorica, decerpta nimirum ex ipsius libro quæstionum in Genesim. Quamquam etiam apud Hieronymum sub iisdem ac totidem ferè verbis in Opusculo, quod item quæstionum in Genesim inscribitur, expositionem priorem reperias: posterioris verò expositionis partem postremam apud Gregorium in libris Moralium in Iob. Immo utraque ex integro, sed ordine nonnihil diverso, atque aliquot permutatis vocibus habetur in tertio libro Commentariorum in Genesim, qui Eucherio Lugdunensi tributi olim falsò fuere, editique in Bibliotheca Patrum.

DE BENEDICTIONIBUS

JACOB PATRIARCHÆ.

Gen. 49. 2.

QUID intelligendum est de benedictionibus, quibus Jacob Patriarcha benedixit filios suos: an historicè vel allegoricè intelligendæ sint, dum dicit, *Congregamini filij Iacob, ut annuntiem vobis quæ ventura sunt in novissimis diebus*: & si videtur ex his verbis magis allegoriam sonare quàm historiam? RESP. Utrumque verò, & historiam & allegoriam: historiam de divisione terræ repromissionis, quæ divisiones dividendæ erant nepotibus eorum: & allegoriam de Christo & de Ecclesia in novissimis temporibus futura. Sed priùs historiæ fundamenta ponenda sunt, ut aptiùs allegoriæ culmen priori structuræ superponatur.

Historica expositio. Gen. 49. 3. * Ex Hieronymo, lib. quæst. in Genes.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei: prior in donis, major imperio, Effusus es sicut aqua; non crescas: quia adscendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus. * Est autem sensus hic, Tu es primogenitus meus, major in liberis, & debebas, juxta ordinem nativitatis tuæ, hereditatem quæ primogenitis jure debebatur, sacerdotium accipere & regnum. Hoc quippe in portando honore & prævalido robore demonstratur. Verùm quia peccasti, & quasi aqua quæ quolibet vasculo non tenetur, voluptatis effusus es impetu: idcirco præcipio tibi ut ultra non pecces, sisque in fratrum numero, pœnas peccati luens, quòd primogeniti ordinem perdidisti [* Principium autem doloris est omnis primogenitus, quia pro eo commoventur viscera parentum]

* Hæc nō sunt Hieronymi. Gen. 49. 5.

Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia: in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, & dispergam illos in Israël. Significat autem non sui consilij fuisse, quòd Sichem & Emor fœderatos viros interfecerunt, & contra fas in pacis & amicitiarum tempore sanguinem fuderunt innocentem, & quasi quodam furore sic crudelitate raptati muros hospitæ urbis everterunt. Unde dicit, *Maledictus furor eorum, quia pertinax*, & reliqua. *Et dispergam illos in Israël.* Levi enim hereditatem propriam non accepit, sed in omnibus sceptris paucas urbes ad inhabitandum habuit. De Simeone verò in libro Jesu scriptum est, quòd & ipse proprium funiculum non acceperit, sed de tribu Juda quiddam acceperit.

Gen. 34. 26. Josue 21. 20. Josue 19. 1. Gen. 49. 8.

Juda te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi adscendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Quia Juda confessio sive laus interpretatur, rectè scribitur de Juda, *Confitebuntur tibi fratres*, vel *laudabunt te*. Et licèt de Christo grande mysterium sit, tamen secundùm litteram significat, quòd per David stirpem generarentur reges, & quòd adorarent eum omnes tribus. Non enim ait, filij matris tuæ; sed, *filij patris tui*. Et quod sequitur, *Ad prædam fili mi adscendisti*, ostendit eum captivos populos esse ducturum, & juxta intelligentiam sacratiorem adscendisse in altum, & captivam duxisse captivitatem. Sive quod melius puto, captivitas passionem, adscensus resurrectionem significat.

Psal. 67. 19. Ephes. 4. 8. Johan. 12. 14.

Alligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam. Quòd videlicet pullum asinæ, cui supersedit Jesus, hoc est gentilium populum, vineæ Apostolorum, qui ex Judæis sunt, copulaverit: & ad vitem, sive, ut in Hebræo habetur, Soreth, id est electam vitem alligaverit, asinam, cui supersedit, Ecclesia ex nationibus congregata. Quod autem dicit, *Fili mi*, [a] conversionem ad Christum de ipso Juda facit, eo quòd Christus sit universa facturus. [* Quod autem dicitur, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femoribus ejus, donec veniat ille qui mittendus est; & ipse erit exspectatio gentium*: significat quòd non B deficerent principes de tribu Juda usque ad tempus, quo natus est Christus, qui missus à Patre exspectatio est gentium.]

a MS. Corb. apostrophen ad ipsum Judam facit. * Nō sūt hæc Hieronymi.

Gen. 49. 13.

Zabulon in littore maris habitabit, & in statione navium, pertingens usque ad Sidonem. Isachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens. Quia suprà Zabulon dixerat, quòd maris magni littora esset possessurus, Sidonem quoque & reliquas Phœnices urbes contingeret, nunc ad mediterraneam provinciam redit, & Isachar, qui juxta Nephtalim pulcherrimam in Galilæa regionem possessurus est, benedictione sua habitatorem facit. Asinum autem osseum vel fortem vocat, & humerum dicit supposuisse ad portandum; quia in labore terræ & vehendis ad mare, quæ in finibus suis nascebantur, plurimùm laboraret, regibus quoque tributa comportans. Aiunt Hebræi per metaphoram significari, quod C Scripturas sanctas de die ac nocte meditans studium suum dederit ad laborandum: & idcirco ei omnes serviunt, quasi magistro dona portantes.

Ibid. 16. Jud. 13. 2.

Dan judicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israël. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat adscensor ejus retrò. Salutare tuum exspectabo Domine. Samson judex in Israël de tribu Dan fuit. Hoc ergo dicit: Nunc videns in spiritu comam nutrire Samsonem Nazaræum tuum, cæsisque hostibus triumphare, quod in similitudinem colubri regulique obsidens vias nullum per terram Israël transire permittat.: sed etiam si quis temerarius, virtute sua quasi velocitate equi confisus, eam voluerit prædonis more populare, non effugere valebit. Totum autem per metaphoram serpentis & equitis loquitur. Videns ergo tam fortem Nazaræum tuum, quòd ipse propter meretricem mortuus est, & moriens nostros occidit inimicos, putavi, ô Deus ipsum esse Christum filium tuum: verùm D quia mortuus est, & non resurrexit, & rursum ductus est Israël in captivitatem, alius mihi Salvator mundi, & mei generis præstolandus est, ut veniat cui repositum est, & ipse exspectatio gentium.

Jud. 16. 29. Gen. 49. 19.

Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum. Significat, quòd Gad Ruben, & dimidia tribus Manasse ad filios, quos trans Jordanem in possessionem dimiserat, post quatuordecim annos revertens, prœlium adversùs eos gentium vicinarum grande repererit, & victis hostibus fortiter dimicaverit. Lege Jesum Nave & Paralipomenon.

Josue 13. 7. 1. Paral. 5. 1. & 11. Gen. 49. 21.

Nephtalim, cervus emissus dans eloquia pulcritudinis; sive *Nephtalim ager irriguus.* Utrumque significat Hebræum verbum, AIALA SELUHA, Significat autem, quòd aquæ calidæ in ipsa nascantur tribu, sive quòd super lacum Genesar fluento Jordanis esset irriguus. Hebræi autem volunt propter Tyberiadem, quæ Legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum & eloquia pulcritudinis prophe- E tari. Cervus autem emissus temporaneas fruges & velocitatem terræ uberioris ostendit. Sed meliùs si ad doctrinam Salvatoris cuncta referamus, quòd ibi vel maximè docuerit Salvator, ut in Evangelio quoque scriptum est.

Matt. 4. 15. Gen. 49. 22.

Filius meus Ioseph accrescens, filius meus accrescens & decorus adspectu; filiæ decurrerunt super murum; sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, inviderunt que illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum ejus per manus potentis Jacob. Inde pastor egressus est lapis Israël. O fili Joseph, qui tam pulcher es, ut te tota de muris & turribus ac fenestris puellarum Ægypti turba prospectet, inviderunt tibi, & ad iracundiam te provocaverunt fratres tui, habentes livoris sagittas & zeli jaculis vulnerati. Verùm arcum tuum & arma pugnandi posuisti in Deo, qui fortis est pugnator; & vincula tua quibus te fratres ligaverunt, ab ipso soluta sunt, & disrupta, ut ex tuo semine tribus nascatur Ephraim fortis & stabilis, & instar lapidis durioris invicta, imperans quoque decem

tribubus

Gen. 49. 27. Act. 8. 3. Gal. 1. 13.

tribubus Israël. *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere dividet spolia.* Quàm de Apostolo Paulo quæ dicta sunt, manifestissima sit prophetia omnibus patet, quòd in adolescentia persecutus sit Ecclesiam, in senectute prædicator Evangelij fuerit. Hebræi autem ita dixerunt: Altare in quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basim illius fundebatur, in parte tribus Benjamin fuit: hoc, inquiunt, significat, quòd sacerdotes immolant manè hostias, ad vesperam dividunt ea quæ sibi ex Lege collata sunt, lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris interpretatione ponentes, & spoliorum divisorem super sacerdotibus, qui servientes altari vivunt de altari. * Hæc autem historicè.

* Hucusque ex Hieronymo.

Allegorica expositio. Gen. 49. 3. Exod. 4. 22. 1. Cor. 1. 24.

Spiritaliter autem in Ruben prioris populi Judæorum ostendit esse personam, cui à Domino dicitur, *Israël primogenitus meus.* B Etenim juxta quod primogenito debebatur, ipsius erat accipere sacerdotium & regnum. Additur, *tu virtus mea.* Utique quod ex ipso populo fundamentum fidei, ex ipso virtus Dei, qui est Christus, advenit. Quomodo autem ipse sit principium dolorum, nisi dum Patri Deo semper irrogaverit injuriam: dum convertit ad eum dorsum, & non faciem. Iste prior in donis, quia primùm ipsis credita sunt eloquia Dei, & legislatio, & Testamentum sive promissio. Iste major imperio; utique pro magnitudine virium quia copiosiùs ceteris in hoc sæculo populus idem regnavit. Effusus est autem sicut aqua, peccando in Christum, quæ vasculo non tenetur: voluptatis effusus est impetu, & idcirco addidit, *Vltra non crescas*; quia populus ipse postquam in universo orbe dispersus est, valde imminutus est. Sed quare talia meruit, ita subjecit: *Quia adscendisti cubile patris tui.* Primogenitæ autem plebis audaciam prædicat, quæ adscendit cubile patris sui, & maculavit stratum ejus, quando corpus Dominicum, in quo plenitudo divinitatis requiescebat, raptum in cruce suspendit, & ferro commaculavit.

Rom. 3. 2. Coloss. 2. 9. Gen. 49. 5.

Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. Per Simeon & Levi Scribæ & Pharisæi & sacerdotes Judaici populi intelliguntur. De Simeone enim Scribæ erant Judæorum, de tribu verò Levi principes sacerdotum, qui consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent & occiderent. De quo consilio dicit, *In consilium eorum ne veniat anima mea.* Horrebat enim tanta scelera, quæ novissimis temporibus facturi erant Judæi. *Quia in furore suo occiderunt virum*, id est Christum, de quo dicitur, Ecce vir oriens nomen ejus. Et alibi, Femina circumdabit virum. *Suffoderunt murum*, id est, illum spiritalem fortissimum murum, qui custodit Israël, lanceâ confoderunt. *Maledictus furor eorum, quia pertinax*: utique quando furore accensi & irâ, obtulerunt Christum Pontio Pilato, dicentes, Crucifige, crucifige. *Et indignatio eorum, quia dura*: dum Barrabam latronem peterent, & principem vitæ crucifigendum postularent. *Dividam eos in Iacob, & dispergam illos in Israël*: quia nonnulli ex ipsis crediderunt, quidam in infidelitate permanserunt. Dicuntur enim divisi ij, qui ab eis separantur, & veniunt ad fidem: dispersi autem, quorum patriâ temploque subverso, per orbem terræ incredulum genus spargitur.

Zach. 6. 12. Jerem. 31. 22. Johan. 19. 6. Matt. 27. 21. Act. 3. 15. Gen. 49. 8.

Iuda te laudabunt fratres tui. Per hunc Judam verus confessor exprimitur Christus, qui ex ejus tribu secundùm carnem est genitus. Ipsum laudabunt fratres sui, Apostoli scilicet & omnes coheredes ejus, qui E per adoptionem Patris, filij Dei effecti sunt, & Christi fratres per gratiam, quorum ipse est Dominus per naturam. *Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum.* Eisdem enim manibus atque eodem crucis trophæo & suos texit, & inimicos & adversarias potestates curvavit. Juxta quod & Pater promittit ei dicens, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Adorabunt te filij patris tui*: quando multi ex filiis Jacob adorant eum, per electionem gratiæ salvi facti. *Catulus leonis Iuda.* Quando nascendo factus est parvulus, sicut scriptum est, Parvulus natus est nobis. *Ad prædam, fili mi adscendisti*: id est, adscendens in crucem, captivos populos redemisti; & quos ille contrarius invaserat, tu moriens eripuisti: denique rediens ab inferis, adscendisti in altum, captivam F duxisti captivatem. *Requiescens accubuisti ut leo.* Manifestissimè Christus in passione accubuit, quando inclinato capite tradidit spiritum: & quando in sepulcro securus, velut quodam corporis somno quievit. Sed quare ut leo, & velut catulus leonis? In somno enim suo leo fuit, quando non necessitate, sed potestate hoc ipsum complevit, sicut ipse dicit: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam. Quod verò addit, *& ut catulus leonis*: inde enim mortuus unde natus. Bene ergo Christus ut leo requievit, qui non solùm mortis acerbitatem non timuit, sed & in ipsa morte mortis imperium vicit. Quod autem dicit, *Quis suscitabit eum?* Quia nullus nisi ipse, juxta quod ipse ait: Solvite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud. *Non deficiet dux de Iuda*, & reliqua. Hoc manifestissimè ad Judam refertur. Diu enim fuit ex semine illius intemerata apud A Judæos successio regni, donec Christus nasceretur, sicut suprà diximus.

Psal. 109. 1. Rom. 11. 5. Isa. 9. 6. Psal. 67. 19. Johan. 19. 30. Johan. 10. 18. Johan. 2. 19.

Alligans ad vineam pullum suum. Pullus suus populus est ex gentibus, cui adhuc numquam fuerat Legis onus impositum. Hunc copulavit ad vineam, ad Apostolos scilicet qui ex Judæis sunt. Nam vinea Domini Sabaoth domus Israël est. *Et ad vitem asinam suam.* Ipse dicit, Ego sum vitis vera. Ad hanc ergo vitem alligat asinam suam, synagogam tardigradam scilicet, & gravi Legis pondere depressam. *Lavit in vino stolam suam*: sive carnem suam in sanguine passionis, sive sanctam Ecclesiam illo vino, quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Et in sanguine uvæ pallium suum.* Pallium gentes sunt, quas corpori suo junxit: sicut scribitur, Vivo ego, dicit Dominus, nisi hos omnes induam sicut vestimentum. *Pulcriores oculi ejus vino.* Oculi B Christi Apostoli sunt & Evangelistæ, qui lumen scientiæ Ecclesiæ præstant: quorum præcepta austeritatem vini priscæ Legis superant, quia longè leviora sunt. *Et dentes ejus lacte candidiores.* Dentes præceptores sunt sancti, qui præcidunt ab erroribus homines, & eos quasi comedendo in Christi corpus transmittunt. Candidiores autem effecti sunt doctores Ecclesiæ lacte veteris Legis.

Isa. 5. 7. Johan. 15. 1. Matt. 26. 28. Gen. 49. 12. Gen. 49. 13.

Zabulon habitabit in littore maris, & in statione navium. Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis, & Ecclesiam significat. Hæc in littore maris habitat & in statione navium, ut credentibus sit refugium, & periclitantibus demonstret fidei portum. Hæc contra omnes turbines sæculi inconcussa firmitate solida spectat naufragium Judæorum, & hæreticorum procellas, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, quorum etsi tunditur fluctibus, non tamen frangitur. *Pertendit autem usque ad Si-* C *donem*, hoc est, usque ad gentes. Legitur etiam in Evangelio inde assumtos esse Apostolos aliquos, & ipsis locis Dominum sæpe decuisse, sicut scriptum est, Terra Zabulon, & terra Nephtalim, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Sidon interpretatur venator vel venatrix. Venatores qui sunt, nisi Apostoli? Qui, ut suprà diximus, ex illis locis assumti sunt, de quibus dicitur: Mittam venatores multos, & venabuntur vos in omni monte.

Matt. 4. 15. Isa. 9. 1. Jerem. 16. 16. Gen. 49. 14.

Isachar asinus fortis. Isachar qui interpretatur merces, refertur ad populum gentium, quem Dominus sanguinis sui pretio mercatus est. Hic Isachar asinus fortis scribitur, quia priùs populus gentilis quasi brutum & luxuriosum animal nullaque ratione substitit, sed postmodum jugum disciplinæ Evangelicæ libenter portavit. *Hic accubans in-* D *ter terminos, vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima.* * Inter terminos autem cubare, est præstolato mundi fine requiescere, nihilque de iis quæ nunc versantur in medio quærere, sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem & terram optimam videt, cùm simplex gentilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, quia ad æternæ vitæ patriam tendit. Unde etiam apponit humerum suum ad portandum, quia dum ad promissam requiem pervenire desiderat, cuncta mandatorum onera libenter portat. Unde factus est tributis serviens, hoc est, Christo regi suæ fidei dona & operum bonorum offerens munera.

* Ex Gregorio lib. 1. Moral. cap. 6.

Gen. 49. 16.

Dan judicabit populum suum sicut aliæ tribus in Israël. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, & reliqua. Dicunt quidam Antichristum per hæc verba & * prædici de ista tribu futurum, pro eo quòd hoc lo- E co Dan & coluber asseritur & mordens, & quòd inter tribus Israël primus Dan ad Aquilonem castrametatus est, illum significans qui se in lateribus Aquilonis sedere dicit, & de quo figuraliter dicit Propheta, A Dan auditus est fremitus equorum ejus. Qui non solùm coluber, sed etiam cerastes vocatur. Κέρατα enim Græcè cornua dicuntur. Serpens ergo ille cornutus esse perhibetur, per quem dignè Antichristus asseritur, quia contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armabitur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quàm viam? Fit ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur: sed in via mordet, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cerastes in semita: quia quos fideles reperit, & sese inter angusta præcepti cœlestis itinera constrin- F gentes, non solùm nequitiâ callidæ persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit, & in persecutionis languore, post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. Equus iste cujus ungulas cerastes mordere dicitur, hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi hujus apprehendere nititur, cerastes iste equi ungulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere est extrema sæculi feriendo contingere. *Vt cadat adscensor ejus retrò.* [a] Plebs infidelis Judæa, erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum exspectat. Bene Jacob eodem loco repentè in electorum vocem conversus est dicens, *Salutare tuum exspectabo Domine*: id est, non sicut infideles Antichristum, sed eum qui in redemtionem nostram venturus est, verum credo fideliter Christum. Amen.

* Ex Gregorio lib. 31 Moral. cap. 10. Num. 2. 25. Jerem. 8. 16.

a In Corb. MS. sic definit: Adscensor equi est, quisquis iniquitatibus hujus mundi extollitur, qui retrò cadere dicitur.

ADMONITIO

IN LIBRUM QUÆSTIONUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

HOC opus Augustino abjudicant eruditi quique. Nec injuriâ sanè, quandoquidem res ratioque docendi, ut de stili distantia nihil dicamus, procul abhorret à S. Doctoris ingenio & fide. In quæstione 11. *dicitur Deus, ut diaboli præsumtionem non potestate, sed ratione destrueret, materiam condidisse, quæ esset rerum confusio, ex qua faceret mundum. In q.* XIII. *infantes qui in Sodomis cum parentibus perierunt, à gehenna liberos esse, quia in aliena caussa occisi sunt, absolutè pronuntiatur. Quo loco quæstionum auctor, quisquis est, originale peccatum infitiari videbatur Bellarmino. Et re vera ad hanc ipsam quæstionem respondens Alcuinus in opere super Genesim interrog.* 103. *cùm alioquin iisdem, quæ hic leguntur, verbis usus fuerit, nequaquam tamen originalis peccati reatum dissimulavit:* Nonne, *ait*, provisum est illis, ne diu viventes exempla sequerentur Patrum; & ut leviùs in futuro crucientur, vel omnino non, alienâ causâ occisi, *Q.* XXI. *&* XLV. *contendit auctor, mulierem*

non esse creatam ad imaginem Dei : contra quàm docet Augustinus in lib. 3. de Genesi ad litt. cap. 22. In q. XXIII. *non patitur quidquam difficultatis, ut Augustinus, circa originem animæ. Q.* XXVII. *non Samuelem à pythonissa excitatum, sed ejus spectrum sive diabolum Saüli apparuisse sic asserit, ut falsam & absurdam esse velit aliam opinionem : quam tamen pulchrè congruere sacris Scripturis ostendit Augustinus in lib. 2. quæst. ad Simplicianum. Q.* XLI. *illud Geneseos*, Spiritus Domini ferebatur super aquas, *pugnat ne intelligatur de Spiritu sancto, de quo passim ab Augustino explicatur. Q.* XLIII. *vehementer improbat votum Iephte, quem facinorosum appellat, nullumque justitiæ testimonium habere dicit, cùm is tamen inter insignes viros laudetur in epistola ad Hebr. c. 11. In q.* XLVI. *neâ ignorantiæ aut stultitiæ condemnat eos, qui dicunt Samuelem functum officio sacerdotis, quod ipse cum aliis plurimis sentit Augustinus in lib. 17. de civit. c. 4. In q.* XLVIII. *de Filio Dei loquitur more Arianorum. Q.* LVI. *dicit immeritò quibusdam videri (quod tamen Augustino etiam visum est) Ioseph esse filium Heli & Iacob, unius secundùm naturam, alterius secundùm Legem. Q.* LIX. *quod apud Iohannem dixit Dominus*, Spiritus ubi vult spirat, *vult de vento interpretandum esse, non de Spiritu-sancto : cùm Augustinus aliter interpretetur. Q.* CVIII. *multis conviciis insectatur eos, qui volunt Hebræos dictos ab Heber, non ab Abraham : at Augustinus in lib. 2. Retract. c. 16 & de civitate Dei lib. 16. c. 11. eam sequitur sententiam. Q.* CIX. *incumbit ut suadeat Melchisedech non hominem fuisse, sed Spiritum-sanctum, ipsumque in oblatione dici summum sacerdotem improbat. Q.* CXV. *dicit Abrahamum cum patre suo idola coluisse : contra Aug. in lib. 16. de civit. Dei c. 13. In q.* CXVI. *ille pascha à passione, Augustinus verò ab Hebraa voce transitum significante censet fuisse appellatum in Epist. 53. ad Ianuarium n. 2. Præterea Pelagianam hæresim quæstiones aliquot respiuni Lovaniensium Theologorum judicio, veluti quæst.* LXXIX. LXXX. LXXXIII. *&c. perpaucæ demum sunt, quæ non aliqua ex parte pugnent in Augustini doctrinam ; ut superfluum sit his addere, quòd hujus operis prolixi nullam S. Doctor mentionem facit in libris Retractationum, cùm illic diligenter quæstionum libros alios recenseat.*

Superest ut examini judicioque Lectorum subjiciamus opinionem eruditis hodie quamplurimis probatam, quæ hasce quæstiones eidem auctori, cui Commentarios in Apostolum Ambrosii nomine vulgatos adtribuit. Quippe collatis ad invicem utriusque operibus, scilicet quæst. XXIV. *ad Comment. in 1. Cor. 11. v. 5. quæst.* LXXIV. *ad Comment. in 2 Cor. 5. v. 21. & in Gal. 3. v. 13. quæst.* CII. *ad Comment. in 2. Timoth. 2. v. 20. quæst.* CVIII. *ad Comment. in Philip. 3. v. 5. quæst.* CXIII. *ad Comment. in Ephes. 3. v. 10. &c. concordiam in rebus, in sententiis, in verbis etiam ipsis, quàm maximam deprehenderunt. Ad hæc utrumque opus eodem ferè tempore confectum putant, Commentarios quidem cùm Damasus Papa, qui sub anni 384. finem obiit, Romanam ecclesiam regeret, uti eorumdem auctor testatur in 1. Timoth. 3. v. 15. Quæstiones autem anno circiter 300. ab excidio Ierosolymitano, ex quæst.* Adversùs Judæos XLIV. *(tametsi non nemo sit qui hunc annum ab adventu Christi numerari arbitretur.) Iam verò Commentariorum scriptor creditur designatus ab Augustino in lib. 4. ad Bonifacium c. 4. ubi Hilarij nomine sententiam profert, quæ ad verbum in iisdem Commentariis inp. Rom. 5. v. 12. continetur : porrò autem cùm ab Hilarij Episcopi Pictavensis stilo & doctrinâ plurimùm dissideant iidem Commentarij, non aliùs esse existimantur quàm Hilarij Diaconi, qui Damaso Pontifice pariter vivebat, illius nimirum qui sectâ Luciferianus, patriâ Sardus dicitur. Hic nos, ut de Commentariorum auctore nihil pronuntiemus, juvat in subjectas Quæstiones observare, Mss. codicum eam à nobis deprehensam esse varietatem, quæ efficere possit, ut jam demum revocetur, atque invalescat opinio Erasmi, & aliorum, qui primùm suspicabantur non unius hominis esse illud quæstionum opus, in quo eadem quæ dicta sunt iterari, & propositis titulis rursum tractari eamdem quæstionem ; tum dissimile dicendi genus adhiberi ; nec ipsa constanter eadem, sed planè contraria dogmata propugnari cernebant. Enimvero duo sunt Mss. codicum genera. Quidam 127. illas quæ primò vulgatæ fuerunt, quæstiones complectuntur : scilicet 47.* ex veteri Testamento, *reliquas omnes* ex novo Testamento *inscriptas ; nilque ab editis differunt, nisi quòd titulum huncce tertium*, ex utroque mixtim, *qui posterioribus 30. quæstionibus à typographis præfixus fuit, nusquam habent. Hujus primi generis Mss. duo sunt in Bibliotheca Sorbonica, in Victorina totidem, in Colbertina unus antiquior multò & ante annos circiter 700. exaratus. Alterius generis Mss. non plus quàm tres reperimus, unum Sorbonicum, alium Victorinum, tertium Germanensem nostrum, qui licèt 151. quæstiones contineant, scilicet 56.* ex veteri, *& 95.* ex novo Testamento, *adeoque primi generis codicibus sint viginti-quatuor quæstionibus auctiores, non tamen habent tractatus plerosque & conciones ex istis primùm vulgatas : quodque ad rem facit, carent* XLIV. *illâ* Adversùm Judæos, *&* CXV. Adversùm Mathematicos *quæstione aliisque nonnullis, unde auctoris ætas & patria comperiri posse credebatur. Ex hoc secundo Mss. genere eruit Iacobus Haemer alteram collectionem quæstionum, quæ post vulgatæ sunt. Damus hic denique quæstionum Elenchum duplicem, in quo Mss. diversitas uno conspectu intelligitur. Quæstiones quæ codicibus sive primi sive secundi generis propriæ sunt, charactere italico, ut vocant, designandas curavimus.*

ELENCHUS QUÆSTIONUM.

EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS *primi generis.*

QUÆSTIONES VETERIS TESTAMENTI.

Hæc serie cõtinẽtur omnes quæstiones primò vulgatæ.

I. Quid est Deus.
II. Cur Deus mundum fecerit.
III. Quid opus erat per Moysen, & non antè, exordium mundi & ordinem creaturæ exponere.
IV. Quare Legem non in primordio dedit.
V. Ut quid Abel sacrificium acceptatum est, & Caïn reiectatum.
VI. Si Lamech occidit Caïn, sicut putatur.
VII. Quæ decem verba in tabulis data sunt, &c.
VIII. Ut quid Moyses descendens de monte vultum splendidum habuit.
IX. Si omnia Deus bona fecit, quid est ut dicat ad Noë de mundis & immundis : Induc tecum, &c.
X. Cùm Deus dicat, quòd quartâ progenie exituri essent filij Israël de Ægypto, cur Moyses quintâ, inquit, progenie exierunt.
XI. Si viri justi voluntas bona est, quare Isaac non Esaü quem voluit, sed Jacob benedixit quem noluit.
XII. Quare Abraham fidei suæ signum circumcisionem accepit.
XIII. Si judicium Dei justum est, quare infantes in Sodomis cremati sunt.
XIV. Quid est ut Deus, qui justus prædicatur, peccata patrum filiis dicat reddi.
XV. Cùm justum prædicet Lex, contrà Salomon, Noli, ait, esse justus multùm.
XVI. Quare Angelus, qui volebat in via Moysen occidere, circumcisione infantis placatus est.

EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS *secundi generis.*

CAPITULA DE VETERI TESTAMENTO.

Hæc serie inter alias continentur quæstiones post-vulgatæ.

1. De Deo & de hominis libero arbitrio.
2. *Adversùm eos qui negant ad Deum aliquid pertinere.*
3. Cur Deus mundum fecerit.
4. Quid opus erat per Moysen postea & non antè, exordium mundi & ordinem creaturæ exponere.
5. Quare Legem non in primordio dedit.
6. Ut quid Abel sacrificium acceptatum est, Caïn repudiatum.
7. Si Lamech occidit Caïn, sicut putatur.
8. Quæ decem verba in tabulis data sunt.
9. Ut quid Moyses descendens de monte, &c.
10. Si omnia Deus bona fecit, quid est, &c.
11. Cùm Deus dicat ad Abraham de filiis Israël, quod quarta progenie exituri essent, &c.
12. Si viri justi voluntas bona est, quid est ut Esaü, &c.
13. Qua ratione David Saül, postquam Deus ab eo recessit, Christum Domini vocat.
14. Quare Abraham fidei suæ signum, &c.
15. Si judicium Dei justum est, quare infantes in Sodomis, &c.
16. Quid est ut Deus qui justus prædicatur, &c.
17. Cùm justum prædicet Lex, contrà Salomon, &c.
18. Quare Angelus qui in via volebat occidere Moysen, &c.
19. Quid est ut maledictos dicat qui, &c.
20. Quare Saül peccans petit orari pro se, &c.
21. Si Adam corpus immortale habuit, &c.
22. Quid est quod dicitur, Panem, &c.
23. Quid fit ad imaginem & similitudinem Dei, &c.
24. Quid est ut dicat Salomon, Justifica, &c.
25. An ex traduce sint animæ.

XVII. Quid est ut maledictos dicat, qui non reliquerint semen in Israël
XVIII. Quare Saül peccans petit orari pro se, & impetrare non potuit : David autem è contra.
XIX. Si Adam corpus immortale habuit, an mortale.
XX. Quid est quod dicitur, Panem Angelorum manducavit homo : cùm Angeli non egeant cibo.
XXI. Quid fit ad imaginem & similitudinem Dei feciſſe hominem, & an mulier imago Dei.
XXII. Quid est ut dicat Salomon, Justifica animam tuam ante obitum tuum, &c.
XXIII. An ex traduce sint animæ, sicut corpora.
XXIV. Quid est ut vir imago Dei sit, & non mulier.
XXV. Ut quid Joseph adjurat filios Israël, ut tollerent cineres ejus de Ægypto.
XXVI. De Elisæo, an id quod durè petiit ab Elia, consecutus sit.
XXVII. An pythonissa Samuël excitaverit.
XXVIII. Quid contradicendum his sit, qui mundum æternum dicunt.
XXIX. Quare octavo die circumcidi mandatum est.
XXX. In Proverbiis ait, Justus sui accusator est : quomodo justus, si peccator.
XXXI. An cum muliere serpens natura locutus sit, an ab actu dictus serpens an diabolus.
XXXII. Legimus apud Salomonem, Dives & pauper obviaverunt sibi, fecit autem ambos Deus. Quomodo ergo non est personarum acceptio apud Deum.
XXXIII. Salomon, Anni, inquit, impiorum minuentur : cùm videamus impios aliquantos longævos.
XXXIV. Apud Salomonem, Deus mortem non fecit : & alio loco, Bona & mala, vita & mors à Deo sunt.
XXXV. Qua ratione David Saül, postquam Deus ab eo recessit, Christum Domini vocat, &c.
XXXVI. Si anima quæ peccat ipsa morietur, quid est ut in causſa Charmi triginta viri occiſi sunt.
XXXVII. Quid est ut missa mors in Jacob venerit in Israël.
XXXVIII. Si equus & mulus, non habent intellectum, quanto magis terra ? quid ergo est ut dicatur terra benedicere Dominum.
XXXIX. Quid est quod legitur in Salomone, Spes est in tenebris. Melior est canis vivus leone mortuo.
XL. Quid est quod dicit Propheta, Lætare sterilis, quæ non paris, &c.
XLI. An Spiritus qui super aquas ferebatur, Spiritus-sanctus intelligatur.
XLII. Cur Angelus Moysi & in igne & in rubo apparuit.
XLIII. *Cùm Abraham prohibitus sit filium suum immolare, cur Iephte filiam immolare non prohibetur.*
XLIV. *Adversùm Iudæos.*
XLV. *Quomodo homo ad imaginem Dei factus sit, & an mulier quoque.*
XLVI. *Vtrùm Samuël fuerit de filiis Aaron, & utrùm sacerdos.*
XLVII. *De hoc quod in Isaia legitur : Et apprehendent septem mulieres.*

QUÆSTIONES NOVI TESTAMENTI.

XLVIII. Deus perfectio est : quid ergo opus fuit Christo ut nasceretur.
XLIX. Cur Salvator baptizatus sit.
L. Si ideo Salvator baptizatus est ut exemplo esset, quare non ita & in circumcisione.
LI. Quomodo intelligatur, Spiritus-sanctus superveniet in te.
LII. Si de Spiritu-sancto natus est Christus, cur dictum est, Sapientia ædificavit sibi domum.
LIII. Quid est ut VIII. Kalend. Januar. Salvator natus dicatur.
LIV. Si ex semine David Christus Filius Dei factus, id est jam natus est, quare cùm baptizatur audit, Filius meus es tu, Ego hodie genui te.
LV. Quid causſæ fuit ut VIII. Kal. April. crucifigi se permitteret Dominus.
LVI. Quare in Matthæo pater Joseph Jacob scribitur, & in Luca, Heli, &c.
LVII. Quid est ut cùm in Malachia scriptum sit, Ecce ego mitto Angelum meum, Marcus dicat in Isaia.
LVIII. Qua ratione negat Johannes Christum se nosse ante baptismum, cùm probet antè eum nosse.
LIX. Si baptismus cælestis mysterium est, cur Nicodemo ait Dominus, Si terrestria dixi vobis, &c.
LX. Si Lex & Prophetæ usque ad Johannem, quare Salvator ad Sacerdotes mittit offerri munera.
LXI. Quid est ut Judæis discipulos accusantibus Dominus David exemplum proferret, per quod viderent simul cum David rei fieri.
LXII. Quid est ut occisis filiis Liæ, Rachel filios suos plangere dicatur.
LXIII. Qua ratione Magi per stellam Christum Regem Judæorum natum intellexerunt.
LXIV. Quomodo probatur, post tres dies & noctes resurrexisse Salvatorem.
LXV. Si uno ore Evangelistæ locuti sunt, cur tres sextâ horâ, & Marcus tertiâ dixerit passum Dominum.
LXVI. Marcus dæmonia dixit cognovisse Dominum, Apostolus verò, Si intellexissent, ait, &c.

26. Quid est ut vir imago Dei sit, &c.
27. Ut quid Joseph adjurat filios Israël, &c.
28. De Elisæo, an id quod durè petiit, &c.
29. An pythonissa Samuël excitaverit.
30. Quid contradicendum his qui mundum æternum dicunt.
31. Quare octavo die circumcidi mandatum est.
32. In Proverbiis ait, Justus sui accusator est, &c.
33. An cum muliere naturâ serpens locutus sit, &c.
34. Legimus apud Salomonem, Dives & pauper, &c.
35. Salomon, Anni, inquit, impiorum minuentur, &c.
36. Apud Salomonem, Deus mortem non fecit, &c.
37. *Cur Deus dixit, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia sunt caro ; & erunt anni illorum centum viginti.*
38. *Quid contineat benedictio Iacob, quam dedit.*
39. Cur Angelus Moysi & in igne & in rubo apparuit.
40. *Non fuit aliud signũ, quod fieret à Moyse palã Pharaoni, nisi serpens.*
41. *Quid est quod in Psalmo, Homines, inquit, & jumenta salvos facies. Et ad Ionam, Non parcam, ait, civitati, in qua habitant centum viginti millia hominum & pecora multa, &c.*
42. *Si Adam factus à Deo & animatus Spiritum-sanctum accepit.* *
43. Si anima quæ peccat ipsa morietur, quid est ut in causſa Charmi triginta sex viri occiſi sunt.
44. Quid est ut missa mors in Jacob, venerit in Israël.
45. *In sole, inquit, posuit tabernaculum suum, id est corpus suum in quo habitavit Christus, qui à Pilato flagellis cæsus est : quomodo ergo dicitur in Psal. de Christo, Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*
46. *Cur Adam in mundo positus mandatum accepit.*
47. *Vetus Lex Deum jurasse allegat, Salvator autem jurare prohibuit : quomodo non destruxit vetera.*
48. *Cur in Lege citâ ipse Aaron dictum est ut pro peccatis suis holocausta offerret, cùm dicat David, Pro delictis holocaustum non postulasti, &c.*
49. *Cur Salomon Spiritû sapientiæ habuit, cùm vitâ mundam non habuit.*
50. *In Tobia, Opera Dei revelare & confiteri honorificum est : Salomon autem opus Dei faciens, Nulli, ait, dixeris.*
51. *Vt quid circumcisio & præcepta data sunt populo, quæ priùs non erant, neque nunc in auctoritate habentur.*
52. Quid est ut dicatur terra benedicere Dominum, &c.
53. Quid est quod legitur in Salomone, Spes est in tenebris, &c.
54. *In Sapientia, Qui creavit, inquit, orbem ex materia invisa. Et contrà quia ex nihilo facti sumus.*
55. Quid est quod dicit Propheta, Lætare sterilis, quæ non paris, &c.
56. An Spiritus, qui super aquas ferebatur, Spiritus sanctus intelligatur.

* Hæc diversa est à CXXIIII. quæst. Mss. 1. generis.

CAPITULA DE NOVO TESTAMENTO.

1. Deus perfectio est : quid ergo opus fuit Christo ut nasceretur.
2. Si unus Deus est, cur in tribus spes salutis, & quare priùs non est Trinitas prædicata.
3. *Cur facta & dicta Dominica quatuor libris, & à quatuor Evangelistis scripta.*
4. *Quis ordo quatuor Evangeliorum.*
5. *Quare Matthæus scribit : Liber generationis Iesu Christi Filij David ; cùm prior sit Abraham.*
6. *Quid est ut generationes in tres partes divideret Matthæus.*
7. *Quare cùm* XLII. *sint generationes, Evangelista* XLII. *numerasse videtur.*
8. Quid est ut cùm consteret à David ad transmigrationem Babylonis XVIII. esse generationes, Evangelista XIV. dicat.
9. Cur Salvator baptizatus sit.
10. Si ideo Salvator baptizatus est ut exemplo esset, quare non ita & in circumcisione.
11. Si ex semine David Christus Filius Dei factus, id est jam natus est, quare cùm baptizatur audit : Filius meus es tu, Ego hodie genui te.
12. Si de Spiritu-sancto natus est Christus, cur dictum est, Sapientia ædificavit sibi domum.
13. Quomodo intelligatur, Spiritus-sanctus superveniet in te.
14. Quid est ut VIII. Kalend. Januar. Salvator natus dicatur.
15. Quid causſæ fuit ut VIII. Kalend. April. crucifigi se permitteret Dominus.
16. Quare in Matthæo pater Joseph Jacob scribitur, & in Luca Heli, &c.
17. *Vt quid Salvator* XL. *diebus jejunavit & postea esurivit.*
18. *Cur baptismus Iohannis cessavit.*
19. *Quare Lex usque ad Johannem, cùm Apostolus dicat Legi nos subjectos esse debere.*
20. Si prædicante Johanne Lex cessavit, quomodo Salvator, Non veni, ait, solvere Legem, &c.
21. Si Lex & Prophetæ usque ad Johannem, quare Salvator ad sacerdotes mittit, &c.
22. *Quomodo non evacuata Lex est, quando sabbatum solutum est.*
23. *Cur Salvator discipulos suos filios tonitrui appellavit.*
24. Cur Nicodemo ait Dominus, Si terrena dixi vobis, &c.
25. Quid est ut Judæis discipulos accusantibus Dominus David exemplum proferret, &c.
26. Qua ratione Magi per stellam Christum regem Judæorum natum intellexerunt
27. Quid est ut occisis filiis Liæ, Rachel filios suos plangere dicatur.
28. *Cur post baptismum accessit ad Salvatorem tentator, dicens, Si Filius Dei es, &c.*
29. *Cur Salvator tentatori non aliter, quàm exemplis Legis restitit.*
30. Quid est ut cùm in Malachia scriptum sit, Ecce ego mitto Angelum meum : Marcus dicat in Isaia.
31. Qua ratione negat Johannes Christum se nosse ante baptismum, cùm probet antè eum nosse.
32. *Quomodo Deum nemo vidit unquam, cùm Filius dicat videri Patrem cùm ipse videtur.*

LXVII. Quid est ut in cruce Dominus dicat, Pater ignosce illis: non enim sciunt, &c. Si enim nesciunt, quid ignoscitur.

LXVIII. Orandum pro inimicis docemur, quare animæ occisorum vindicari se petant.

LIX. Si prædicante Johanne Lex cessavit, quomodo Salvator, Non veni, ait, solvere Legem, sed adimplere.

LXX. *Dominus certè inimicos nos esse vult diabolo, quare ergo, Esto, inquit, consentiens adversario.*

LXXI. Jacob appellatus est homo videns Deum; quomodo, Deum nemo vidit umquam.

LXXII. Quid est quod dicitur in Apocalypsi, Vade & accipe librum, & devora illum, &c.

LXXIII. Quid est quod dicit Simeon ad Mariam matrem Domini, Positus est hic in ruinam, &c.

LXXIV. Quid sibi vult ut Isaias dicat de Christo, Qui peccatum non fecit: & Apostolus, Pro nobis peccatum fecit.

LXXV. Cur Salvator pro se tantùm & pro Petro didrachma solvit.

LXXVI. In Evangelio Lex, ait, per Moysen data est; gratia & veritas per Christum. An antea veritas non erat. Ergo nec Lex.

LXXVII. Quid est quod dicitur in Marco, Intrans in domum neminem voluit scire, & non potuit latêre.

LXXVIII. *Legitur in Iohanne quòd cùm negaret se Iesus adscendisse ad diem festum, adscendit tamen.*

LXXIX. Si proprio arbitrio vivimus, quare Salvator dixit, Nemo venit ad me nisi Pater adtraxerit eum.

LXXX. Certè aut Filius Dei quisque est aut diaboli, quid ergo nascimur requirendum est.

LXXXI. Apostolus ait, Nos naturâ Judæi: de Judæis ergo nasci Judæos ostendit, non de proselytis, &c.

LXXXII. Pagani elementis subjecti sunt, quare ergo dicat Apostolus, Eramus sub elementis, &c.

LXXXIII. Si per Christum salus & vera cognitio, cur non antè venit, &c.

LXXXIV. Quare Lunæ cursum in ratione Paschæ custodientes, reprehendimus Paganos, quia dies lunares & motum custodiant.

LXXXV. Quid est ut cùm à David usque ad transmigrationem Babylonis septem-decim sint generationes; Evangelista dicat quatuor-decim.

LXXXVI. Quid est quod probet matrem Domini esse de tribu David.

LXXXVII. Si unus est Deus, cur in tribus spes salutis est.

LXXXVIII. *Si major gratia in novo est Testamento, cur in veteri sedens videtur Dominus & stans in novo.*

LXXXIX. Quomodo accipiendum quod Salvator dicit de Spiritu-sancto, quod veniens arguet mundum, &c.

XC. Si satanas diabolus est, quare dicit Judæis, De patre diabolo nati estis, &c.

XCI. Adversùs Photinum qui dicit Christum ante Mariam non esse.

XCII. Quomodo intelligatur quod dicit Dominus, Pacem meam do vobis, &c.

XCII. An Apostoli Spiritum-sanctum habuerunt præsente Domino in carne.

XCIV. Si Judas Scariothes ante Passionem Domini crepuit pendens.

XCV. Unde orta sit observatio Pentecostes.

XCVI. Si Pascha transitus interpretetur.

XCVII. Adversùs Arium.

XCVIII. Si satanas diabolus est, quare Salvator dicit Judæis, De patre diabolo estis.

XCIX. Quid sit, Tentatio vos non adprehendat nisi humana.

C. *De eo quod legitur in Evangelio Matthæi, Confiteor tibi Pater, &c.*

CI. *De jactantia Romanorum Levitarum.*

CII. *Contra Novatianos, qui pœnitentiam salutarem negant.*

CIII. *Cùm constet Deum in Levitico de sacrificiis offerendis mandasse, cur alibi negat & respuit.*

CIV. *Vt quid Dominus gladium parari jussit, & post prohibuit percutere.*

CV. *Quomodo Prophetia quadret cum Evangelio de obscuratione solis, &c.*

CVI. *Quomodo intelligenda sunt quæ leguntur in Genesi de opere sex dierum.*

CVII. *De ordine diei & noctis, utra sit prior.*

CVIII. *De lingua hebraïca, unde nomen accepit.*

CIX. *De Melchisedech, quomodo Abrahamo benedixerit, &c.*

CX. *De Psalmo primo.*

CXI. *De Psalmo vigesimo-tertio.*

CXII. *De Psalmo quinquagesimo.*

CXIII. *Cur Filius Dei missus sit, & non alius.*

CXIV. *Adversùs paganos.*

CXV. *De fato.*

CXVI. *De Paschate unde dictum sit, & quomodo mystiè celebretur per sanguinem.*

CXVII. *De Abrahamo & ejus fide.*

CXVIII. *De Iob.*

33. *Cur Salvator mulieri alienigenæ, id est Chananææ, initio misericordiam denegabat, non item Centurioni alienigenæ, &c.*

34. Quomodo probatur post tres dies & noctes resurrexisse Salvatorem.

35. Cur tres Evangelistæ sextâ horâ, & Marcus tertiâ dixerit passum Dominum.

36. Quid est ut in Cruce Dominus dicat, Pater ignosce illis, &c.

37. Marcus dæmonia cognovisse dixit Dominum: Apostolus verò de principibus sæculi, Si cognovissent ait, &c.

38. Orandum pro inimicis docemur: quare animæ occisorum vindicari se petant.

39. *Quid est, Propter quod donavit illi nomen, &c. cùm imperfectus videatur, qui per opera sua augetur.*

40. In Evangelio, Lex, ait, per Moysen data est, gratia & veritas per Christum. An antea veritas non erat, &c.

41. Quid est quod legitur in Marco, Intrans in domum voluit neminem scire, & non potuit latêre.

42. *Cur Iohannes ad Dominū, Tu es qui venturus es, an aliū exspectamus.*

43. *Quid est ut Salvator alios verbo, cæcū autem facto luto de sputo curaret.*

44. *Quid est ut Lazarum resuscitaturus fleret; aut locum ubi positus erat, quasi ignarus quæreret.*

45. *Quid est, ut Herodem mortuum legamus; infra autem, & post multos annos Herodem Iohannem occidisse.*

46. Quid est quod probet matrem Domini esse de tribu David.

47. Si arbitrio proprio vivimus, cur Salvator dixit, Nemo venit ad me nisi Pater adtraxerit eum.

48. *Cur Apostolus omnibus omnia se factum dicit, quod factum videtur adulatoris & hypocritæ.*

49. Quid est quod dicitur in Apocalypsi, Vade & accipe librum & devora, &c.

50. *Quid est ut Apostolus factum Salvatorem dicat ex semine David.*

51. *Quid est quod dicit Apostolus ad Galat. Estote sicut ego, quia ego sicut vos?*

52. *Quomodo liberi sumus arbitrij ac voluntatis, cùm dicat Apostolus, Caro concupiscit adversùs Spiritum, & Spiritus adversùs carnem, ut non quæ vultis ea faciatis.*

53. *Qua ratione sapientia carnis inimica est Deo, &c.*

54. Quid est quod dicit Simeon ad Mariam matrem Domini, Positus est hic in ruinam, &c.

55. *Quid est quod Iohannes dicit ad Christum, Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? an dubitans dixerit.*

56. Quid sibi vult ut Isaias dicat de Christo, Qui peccatum non fecit; & Apostolus, Qui pro nobis peccatum fecit.

57. *Quid est quod Apostolus dicit Galatis, Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vocavit vos in gratiam in aliud Evangelium, quod non est aliud, &c.*

58. *Quare Apostolus dicit, Omne peccatum quod fecerit homo extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat: cùm peccare in corpus suum videantur, qui sibi vim inferunt.*

59. Cur Salvator pro se tantùm & pro Petro didrachma solvit.

60. *Cur Apostolus Paulus reprehendat Petrum quod circumcisionem daret, cùm & ipse Timotheum circumcidit.*

61. *Quem Spiritum Apostolus salvandum asserit cùm dicit, tradi hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut Spiritus, &c.*

62. *Quare Salvator orat & ait, Ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato: cùm tempus persecutionis hujus differri non possit.*

63. Certè aut Filius Dei quisque est, aut diaboli: quid ergo nascimur requirendum est.

64. Apostolus ait, Nos naturâ Judæi. De Judæis ergo nasci Judæos ostendit, non de proselytis, &c.

65. *Quid est quod Apostolus dicat, Nemo potest dicere Dominum Deum nisi in Spiritu-sancto, cùm Photinus Marcion, Manichæus, meretrices & spurci dicant.*

66. *Si in Lege nemo justificatur, ut quid maledictus est, qui non implevit Legem.*

67. *Si in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, quomodo de die & hora judicij dicit se nescire.*

68. Pagani elementis subjecti sunt, quare ergo dicat Apostolus, Eramus sub elementis, &c.

69. *Salvator ait, Qui non reliquerit omnia, &c. non potest meus esse discipulus: cùm ex Evangelio discipulus Iesu fuerit Ioseph ab Arimathia homo dives, &c.*

70. *Quid est ut Salvator dicat Mariæ, Noli me tangere, &c. cùm legatur ab aliis mulieribus tactus.*

71. *Quid est, Qui ante me fuerunt, fures sunt, &c. quod videtur Prophetæ pulsare.*

72. *Apostolus dicit Christum pro omnibus mortuum esse: at ipse Dominus ait se dare animam suam redemtionem pro multis.*

73. *Quid est us David, Euge, in malo accipis, Salvator in bono ponit.*

74. Quid sit, Tentatio vos non apprehendat nisi humana.

75. *Quomodo Lex sancta & justa & bona, siquidem irum operatur.*

76. *Si dura mandata propter diffidentiam acceperant Iudæi, quid est ut eorum posteri iisdem adstringerentur.*

77. *Salvator dicit, Non pro mundo rogo: quid ergo Iohannes ait, eum advocatum esse pro universo mundo.*

78. *Quomodo regni Christi non erit finis, cùm Apostolus dicat, Cùm tradiderit regnum Deo & Patri.*

79. Si per Christum salus & vera cognitio, cur non antè venit, &c.

80. *Cur Apostolus ad Galatas ait, Deus unus est: quasi unus Deus negarent.*

81. *Cùm Salvator dixerit, Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis: quid est ut inveniatur versùs Ierusalem.*

82. *Quomodo Apostolus contristandum verat, cùm ipse contristandum se se Epaphroditus obiisset, declarat.*

83. *Apostoli alios sibi oblatos sanarunt, quid est ut propriis infirmis medelam non dederint.*

84. Unde origo Pentecostes.

CXIX. *De Tobia.*

CXX. *De jejunio.*

CXXI. *De Paschate, quàm laudabilis & gloriosa sit sollemnitas.*

CXXII. *De eo quod legitur apud Evangelium, In principio erat Verbum.*

CXXIII. *Vtrùm Adam Spiritum-sanctum habuerit.*

CXXIV. *Quomodo idem opus differt secundùm personas sive in laudem sive in condemnationem.*

CXXV. *Contrà Eusebium, utrùm Spiritus-sanctus scivit mysterium nativitatis Dominicæ.*

CXXVI. *De eo qui fidem percepit, quid plus habeat ad gratiam consequendam.*

CXXVII. *De Adam & Eva.*

85. Jacob appellatus est homo videns Deum: quomodo Deum nemo vidit umquam.

86. Quare lunæ cursum in ratione Paschæ custodientes, reprehendimus Paganos, quia lunares dies custodiant.

87. Quid est quod Salvator dicit de Spiritu-sancto, quòd veniens arguet mundum, &c.

88. Si satanas diabolus est, quare dicit Judæis, De patre diabolo estis.

89. Quomodo intelligitur quod dicit Dominus, Pacem meã do vobis.

90. An Apostoli Spiritum-sanctum habuerunt præsente Domino in carne.

91. Si Pascha transitus interpretetur.

92. *De æternitate Filij.*

93. Adversus Photinum, &c.

94. Adversus Arium.

95. *De Spiritu-sancto.* *

* *Sic Elenchus collectionis præfixus in Mss. qui tamen hujus 95. quæstionis loco exhibent Hieronymi dialogum adversùs Luciferianos.*

QUÆSTIONES VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Ex Veteri Testamento.

QUÆSTIO I.

QUID est Deus? Hoc est quod nulla adtingit opinio. Plus est enim quàm quidquid dici poterit aut cogitari. Sed dicamus aliquid, quod licèt impar sit, tamen ex aliqua conveniat ratione his quæ Deo digna videntur. Nam unaquæque natura pro capacitate sui suspicatur de Deo, ut quantum natura distat à natura, tantum differt sententia à sententia in judicando quid sit Deus. Quia enim supra omnia est, necesse est ut omnium mentes excedat. Homines enim quantum possunt aciem mentis extendere, adspiciunt quid Deus sit, opinione non definitione. Angeli autem qui superiores hominibus sunt, quia plus de Deo aliquid sentiunt, non est dubium: Archangeli verò eo ipso amplius: Cherubim autem & Seraphim, quæ potentiæ juxta Deum esse dicuntur, majora de Deo *Psalm.* 11. 27. sentiunt, non tamen comprehendunt penitus quid Deus sit. Quia nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium quis novit nisi Pater. Igitur Deus est, sicut hominibus videtur, spiritus natura simplex, lux inaccessibilis, invisibilis, inæstimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, æternus, immortalis omnimodo, à quo omnia initium conlecuta sunt, venerandus, diligendus, metuendus, extra quem nihil est, immo in quo sunt omnia quæque sunt sursum & deorsum, summa & ima, omnipotens, omnitenens, verè in omnibus dives, quia nihil est quod ejus non sit: bonus, justus, misericors. Bonus, quia fecit exsistere quæ non erant. Justus, quia quæcumque fecit ut proficerent, proprio libertatis arbitrio dimissa sunt: quia tamen non tam perfecta sunt ut labi non possint, semina his legis indite decrevit naturaliter; addens auxilium manifestatæ legis, ut auctoritas ejus perfecta esset hominibus. Misericors verò, quia peccantibus non facilè reddit, sed sustinet ut conversis ignoscat. Est & severus, ut terrore quæ ab eo bene condita sunt conserventur, ne negligentia pareret vitæ præcipitium Et ne quod admirabilius est prætermittamus, tanta est ejus clementia, ut contumelias passus ab his quos fecit sufferat, & prior voceat eos ad pacem. Numquid non majoris virtutis hoc est, quàm condidisse creaturam? In quo si permaneret nimia bonitas ejus, obesset creaturæ. Unde aliquando diligi, aliquando timeri se vult, ne aberrantes ab eo depereant. Hinc est unde ne patientia ejus non utique ad damnum ipsius, sed ad nostrum omnino contemnenda putaretur, ait, *Tacui: numquid semper taceo?* Iraque Deus bonus, & omnia *Isa.* 42. 14. quæ fecit bona sunt. Unde ergo malum? Nihil est malum nisi prævaricatio boni, dum aut inconcessa præsumuntur, aut concessa inordinatè fiunt: ut alibi mandatum, alibi peccatum fiat: ut quando quod in uxore concessum est, fit in meretrice, & quod Deo offerendum erat, offertur diabolo: & cùm quis non tollit suum, sed alienum; & cùm prævaricator occidi debeat, occidiur innocens. Nulla igitur natura probatur malum. Voluntas autem est accidens naturæ, concepta ex caussis, quæ malè moventur, dum excedit modum, ut illa gerat quæ naturæ suæ non sunt. Caussæ autem prævaricationis oriuntur ex sensibus, quando aliquid malè videmus aut audimus. Quem errorem hæc res facit, quia homo non est Deus, qui solus errare non potest. Natura igitur hominum proprio arbitrio remissa & dimissa est, ut possit facere quod vult: ut si bonum naturæ suæ exercitio melioret, honorabilior sit: si autem infirmet vigorem suum, contumeliâ dignus habeatur hujusmodi. Facit enim quod contra se sit. Non est minimum quod concessum est homini, ut cùm recta sequitur, gaudeat in sese per id quod opere suo videt se meliorem: aut certè imputet sibi, qui cùm potuit non dedit operam ut melioraret se bonis. Si autem homo potestatis suæ non esset, subjectus fuerat necessitati, ut neque boni operis haberet gloriam, neque mali pœnam, sed fuisset unum ex pecoribus. Quoniam ergo ad utrumque facti sumus possibiles, ut per negligentiam delinquamus, si quod bene audire & videre debemus, malè, id est, extra [a] normam & rationem audiamus; per vigilantiam autem naturæ bonum custodiamus: & cauti esse semper non possumus, quia, sicut dixi, ad utrumque facti sumus possibiles; si peccamus, non jam condemnamur, nisi iterum delinquamus, jam quasi proditores. Qui enim semel peccaverit, reparare se debet ne denuo peccet, ne par sit ei qui se vicerat, ut iterum si non peccet, jam

[a] MSS. naturam.

A superior habeatur. Quia semel elisus bis triumphabit. Hæc justitia est, ut quia colluctatio est in mundo, qui proposuit ad peccandum est, in non peccando coronetur. Nihil ergo in Dei opere malum est. At si à quibusdam mala quædam dicantur, ut venenum, aut tenebræ, quia corpora nostra vim veneni ferre non possunt: malum dicant etiam ignem aut aquam, & ferrum vel plumbum, quia multum ab auro distat, malum dicatur. Ad comparationem enim lucis tenebras condemnant, cùm sciant pro loco suo necessarias esse, sicut plumbum aut ferrum. Nam utique requiem dant post laborem. Igitur omnis qui colluctatur in mundo, sic eniti debet, ne in re aspera victus abjiciatur, & fiat reus, vix aut tardè se reparans, & fortè inter hæc proveniat exitus, & exeat hinc cum peccato. Qui enim omni virtute renititur, si elisus fortè fuerit, quasi vir cadit, nec succenset ei quisquam, sed hortatu quodam animum ejus reparat. Videt enim eum propositum habuisse vincendi, & speratæ posse proficere ad victoriam, quem non sine fatigatione sui hostis elisit. Qui enim facilè vincitur, non habet animum resistendi: nec vincitur, sed consentit. Hic acerbiùs peccat. Hujusmodi [b] vix ad veniam admittendus est, qui votum habet delinquendi. Qui enim id meditatur ne peccet, etiam si peccaverit, non asperè peccat. Diligentioribus enim aliquando minora peccata subrepunt. Quanto autem minora sunt, tanto subtiliora. Et dum contemnuntur non vitantur. Majora enim longè apparent. Ac per hoc qui in majoribus peccat, voluntatis ejus est crimen. Sanè quoniam superiùs peccata ex sensibus ortum capere diximus, dum contra legis imperium vel rationem, aliquid adspicimus aut audimus, id est, si solem videntes adorandum eum putemus propter pulcritudinem ejus, tunc malè videmus: quia ad injuriam pertinet Creatoris communis, ut quod illi soli debitum est, deputetur creaturæ: Quippe cùm ab eo prohibitum sit per Legem. Aut cùm corpora bene composita & decora videmus, aut aliquid proximi, si concupiscamus, & aliter ea adspiciamus, quàm mandat lex: tunc facimus peccatum quod vocatur malum. Sed fortè dicatur, Nihil igitur formosum debuit fieri, ne nos peccaremus, ut tutela nostra ex aliorum deformitate constaret? Quod si esset, nec ferrum esset, ne de eo fierent homicidia. Neque lucerna in usu esset, ne fures lumine ejus ad effringendum uterentur, ut quod magnopere omnibus utile est, deesset propter quorumdam vaniloquia. Cùm constet nos semper omnia adspicere, nec tamen semper omnia concupiscere: quia non illorum vitium, sed nostrum est cùm sumus negligentes, quod constat ex intervallo creari, quia non sumus quod Deus est. Sic autem malè audimus, si audiemus idola deos esse, consentiamus, aut si turpia cantantibus, autrem accommodemus. Tunc autem bene audimus, si audientes de Deo quòd unus sit, oblectemur. Si quis autem contra legem aliquid audiens assentiar, peccat: & hoc erit malè audire.

QUÆSTIO I. 8

CUR Deus mundum fecerit? Fecit quia est opifex, aut negetur si non est. Sed esse, ipsa opera manifestant. Fecit ergo ut esset quod ante non erat, quia sine dubio melius est esse, quàm non esse. Si dicatur, Numquid inane fuit aliquid ubi faceret, aut quid priùs erat ubi fecit? Hoc Vas electionis paucis absolvit. Ait enim eum de Deo esset sermo, *In ipso vivimus & movemur, & sumus*: hoc est, omnia in Deo, quia ubique est, & ante omnia solus ac æternus, invisibilis omni creaturæ. Et ne mysterium prætermisisse videamur, aut potiùs ignorasse cur mundus factus sit, dicimus diaboli apostasiam multos angelos, id est, spiritales potentias secum in prævaricationem traxisse, dum voluit sibi regnum impia præsumtione defendere: quod Propheta Isaias significat, dicens, *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris*: id est, qui cete- *Isa.* 14. 12. ris lucidior apparebas? Erat enim quasi princeps multorum, inter quos clarior erat, & cum quorum societate ad impium descendit certamen. Videns enim infra se multas spiritales potentias, quippe cùm in paradiso Dei præstantior esset cognitione mysterij cælestis, ipsa elatione inflatus, voluit dici Deus: hac scilicet ratione, qua etiam in præsenti vita exemplum ejus quosdam imitatos videmus, qui contemplatione aggregatorum circa se militum elati, satellitibus in hac re fomitem conspirationis præbentibus, imperium sibi vindicare voluerunt: hinc est unde Deus ut ejus præsumtionem non potestate, sed

[b] MSS. negeneris, nec.

ratione destrueret, materiam condidit, quæ esset rerum confusio, ex qua faceret mundum. Distincta enim, quæ simul confusa erant, hunc præstiterunt quem videmus ornatum. Discretis enim ab invicem substantiis, facta compaginatione mundus vocatur: quia unaquæque res ab altera segregata ad mundum apparuit: ut hîc homo positus, creatus ex supernis & infernis, id est, ex cælestibus & terrenis, unius Dei dominium, non tantùm voce, sed & imagine, qua unus ab uno Deo factus est, ex quo ceteri oriuntur, ostenderet. Ideo enim unus unum fecit, ut doceret ab uno omnia esse, ac per hoc unum esse Deum, ut superior creatura ad confusionem suam in homine disceret, qui de terra conditus est, veritatem. Ex eo diabolus inimicus exstitit hominis. Prævidit enim quia ad accusationem ejus factus est homo: unde subtilitate sua id egit, ut in eamdem illum prævaricationem in quam ipse ruit, induceret, ut accusatorem suum participem suæ damnationis efficeret. Ex transgressione enim deitatem illi spopondit, ad quam ipse dum affectaret, ab ea dejectus est. Et quia omnis natura à crimine libera est, ex accidenti sumit nomina. Antè enim res, posteà significatio: ac per hoc satanas & diabolus ex actu ejus composita sunt nomina, ut sit non naturæ ejus, sed voluntatis significatio. Itaque ut propositum Dei, quod in caussa creati hominis decrevit, maneret, & factum diaboli, per quod hominem circumvenit, ad cumulum ejus reatus proficeret, Christus de sacris sedibus etiam ad terras venire dignatus est; ut & hominem à transgressionis sententia liberaret, & diaboli futuram perditionem, ne quis factum ejus imitaretur, ostenderet. Propterea dixit Johannes apostolus, *Ideo venit Filius Dei, ut solveret opera diaboli:* qui si naturâ malus esset, pœnam ei promittere, aut dementis erat, aut iniqui. Quis enim arguat eum, quem videt non aliter aliquid facere, quàm natura ejus admittit? Si igni potest succenseri, quia urit, aut aquæ quia infrigidat, cùm non utique voluntate hoc faciat, sed naturâ? Unde etiam diabolus si naturâ malus esset, voluntatem non haberet. Nec enim posset discernere, sed uno atque eodem modo omnibus se quasi cæcus [a] ingereret. Porrò autem judicio quodam hoc agit: nam suam voluntatem facientibus parcit, à quibusdam neophytis dissimulat, ad Dei auxilium confugere volentibus offendicula & impedimenta opponit: servis Dei insidias tendit, & promtioribus circa ejus obsequia magis infestus est. Unde manifestum est, voluntatem ejus esse in crimine. Quamobrem Petrus apostolus ait, *Sobrij estote & vigilate; quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret.* Gentiles non quærit, Judæos non quærit, malæ vitæ & conversationis non quærit: sed quærit Dei servos & Christi famulos, quos sibi scit inimicos; quia factum ejus & præsumtionem ejus condemnant. Denique Lege data, plus exarsit invidiâ adversùs eos qui sub Lege erant, sciens Legis documenta unum Deum tradere, & bonam conversationem hominibus. Igitur si hoc naturaliter putatur facere, reus constitui non potest: quia hoc facit quod naturæ suæ est, & potest; & non facit quod non potest, quia naturæ suæ non est. Itaque neque laudandus, neque condemnandus est. Laudandus non est, quia obsunt quæ agit: condemnandus autem non est, quia non voluntate hæc facit, sed impulsu naturæ. Nam aliquos scimus subitò dementes factos, fuste, ferro, lapidibus, morsibus, multis nocuisse, quosdam etiam occidisse: captos autem industriâ & judicibus oblatos, minimè reos factos, eò quòd non voluntate, sed impellente vi nescio qua hæc gesserint nescientes. Quomodo enim reus constituitur, qui nescit quid fecerit? Ita & diabolus si bonum nescit, quare condemnandus censetur, qui non facit quod nescit? Immo si posset fieri laudandus erat, quia facit quod non novit. Nos autem jure rei constituimur, quia [b] illud non facimus quod scimus debere nos facere, vel quia illud facimus quod scimus debere nos non facere. Sed quia per omnem Scripturam reum diabolum constitui videmus, & propterea gehennam illi paratam legimus, legibus illum damnandum scimus: quia cùm sciret & posset facere bonum, fecit malum. Nec enim Deus qui justus est, damnaret eum, quia bonum non fecerat, quod nescierat; sed quia malum fecerat quod sciverat. Manifestatum itaque puto, nullam naturam debere dici malum: quia omne malum, sicut claruit, ex voluntate fit, quæ per sensus accidit naturæ.

QUÆSTIO III.

Quid opus erat per Moysen postea, & non antè, exordium mundi & ordinem creaturæ exponere?

Priùs describi non debuit, quia adhuc ex hac caussa error tantus non erat in hominibus. At ubi jam error creverat generi humano, ita ut etiam filij Israël contra hanc expositionem in Ægypto tradi audirent à philosophis Ægyptiorum, à quibus etiam Moyses fuerat instructus omnem peritiam Ægyptiacam, quæ [c] Apim quemdam mundum istum asserit per malos angelos condidisse: hunc quoque principem mundi videri, id est, satanam. Quam sententiam Marcion secutus ruit, in mortem. Nam & Manichæi ab eodem [d] satana hominem dicunt factum, non mundum istum, stultiores ceteris. Cùm enim mundum constet hominis caussâ fabricatum, illi à Deo dicunt mundum factum, licèt de alieno: hominem verò ab adversario creatum, ut in domo alterius alter posuerit Dominum. Oportuit ergo Moysen, ut errorem istum proderet & auferret, manifestare mundi & hominis fabricati Deum esse auctorem. Accepta enim auctoritate per signa & prodigia quæ fecit, docuit sine dubio id verum esse quod testibus signis tradebat. Quis enim non crederet ei, cujus tanta signa in rebus gestis exsisterent? Denique hinc est, unde qui contra disciplinam hanc sentiunt, errare noscuntur, quia nudis verbis assertionem suam allegare nituntur. Itaque ut nihil Deo coæternum esse doceret, ordinem ipsum creatarum rerum exponit, ut dum minora priùs facta memorat, postea autem majora, nihil horum infectum habeatur: quia quæ tempore minora sunt, virtute majora sunt: ut si illa præscribere de tempore se putent, ipsa infirmitate qua posterioribus subjecta sunt, convincantur: aut si hæc de virtute præsumendo [e] primatum sibi vendicent, posteritate ipsa humilientur, ut nihil horum non initio subjectum videatur. Antè quidem cælum factum est & terra; deinde lux, quæ in officio [f] diei est: pòst firmamentum quod appellatum est cælum, & congregationes aquarum quas appellavit maria, ut appareret terra in qua possit habitari. Terram autem

Mundus quare vocetur. — *Satanas & diabolus unde dicitur.* — *1. Johan. 3. 8.* — a MSS. Colb. & Germ. immergeret. — *1. Pet. 5. 8.* — b MSS. aliud facimus quã scimus debere nos facere. Sed quia, &c. — c MS. Germ. Saclam. Colbert. Salam. — d MSS. Ger. & Colbert. Saclam. — e MSS. primatus. — f MSS. dies.

quam post cælum factam dicit, non terram solam vult intelligi, sed materiam significavit, id est, omnia inferna quæ in mundi omnem speciem profecerunt. Cælum autem non hoc carnale, sed illud supernum quod spiritale est, in principio factum contendit: ut cùm cælum primò dicit factum, deinde terram; in cælo omnia invisibilia, & in terra omnia visibilia creata à Deo significaret. Totius enim naturæ summa & ima comprehendit, ut quidquid medium est, proculdubiò etiam factum credatur. Luminaria verò quæ ad gubernandum mundum instituit, quarto die asserit facta, ut quanto majora sunt virtute, tanto inferiora sint tempore. Hominem autem sexto die constituit, ut in domum jam factam habitatorem introduceret. Et valde sublimior est homo, quem utique sexto die factum declaratum est: quem idcirco sublimiorem dixi, quia interior ejus natura invisibilis est, & intellectu capax: seu fortitudine major est sol, & lumine potior luna est, quàm terra. Hinc est quod quibusdam displicet dictum, *Et vidit lucem, quia bona est:* ut quia omnia à malo facta dicebantur, & bona credi non poterant, Moyses ut bona quæ facta sunt probaret, ipsi Deo placita quæ fecit ostendit, ut cui displicerent, reum faceret. Nam quomodo possit nescire lucem qui dixit, *Fiat lux, & facta est lux?* Aut quis facit quod nescit? Facta autem lux placuit ei qui se fecit. Quis opifex in opere suo non lætetur? Sic dictum est, *Vidit Deus lucem quia bona est.* Et non desunt qui dicant, quòd mala est. Quid si sine testimonio esset relictum? Igitur descripta mundi fabrica, è primi hominis origine traducem tenuit generis Seth, qui redditus est pro Abel, & per ordinem venit ad Abraham patrem Judæorum: ut ostenderet Abraham huic Deo credidisse, qui opifex mundi est, & ipsum Legem dedisse, in qua futurus Christus promissus est, qui liberaret genus humanum de dominio diaboli. Ex his [g] rationabilis probatur fides nostra. Testimonium enim huic dat origo descripta, quia ab initio genus est Christianorum. Ex Seth enim filio Adæ venitur ad Enoch, ab Enoch ad Noë, ex Noë ad Abraham, ab Abraham descenditur ad David, à David ad Mariam, ex Maria de Spiritu-sancto nascitur Christus. Retrò ergo omnes quotquot fidem habuerunt unius Dei, quam Salvator prædicavit, jure Christiani dicendi sunt. Ab initio enim Salvator venturus promissus est. Unde Johannes in Apocalypsi ait, *Agnus qui occisus est à constitutione mundi.* Itaque semper Christiani fuerunt. Ii enim omnes, quos suprà dixi, à primo homine creato in mundo, per quos tradux tenditur ad Salvatorem, hujus Dei fidem habuerunt, de quo Christus locutus est dicens: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* * Potest dici è contrario, Si antè & illi Christiani fuerunt, quæ notitia per Christum? Hunc intelligentiæ profectum adventus contulit Christi, quia prædicatio unius Dei ostendit mysterium, & quid cuique personæ competat, demonstravit, & ad explendam Legis justitiam, addidit quæ reservata erant.

QUÆSTIO IV.

Quare Deus Legem non in primordio dedit?

Primùm Lex formata in litteris dari non debuit, quia in natura ipsa quodammodo inserta est, & Creatoris notitia ex traduce non latebat. Nam quis nesciat quid bonæ vitæ conveniat: aut ignoret, quia quod sibi fieri non vult, alij minimè debeat facere? * At ubi naturalis lex evanuit, oppressa consuetudine delinquendi, tunc oportuit Legem manifestari, ut in Judæis omnes homines audirent. Non quòd penitus obliterata esset, sed quia maxima ejus auctoritate carebant, Idololatriæ studebatur. Timor Dei in terris non erat. Fornicatio operabatur. Circa rem proximi avida erat concupiscentia. Danda ergo Lex erat, * ut & quæ sciebantur auctoritatem haberent, & quæ latere cœperant, manifestarentur. Nam invenimus ante Moysen non solùm non latuisse, sed etiam vindicata esse peccata. Quamobrem & justi fuisse reperiuntur multi, qui scientes Deum vindicem, timebant peccare. Quod cùm cœpisset jam negligi, legem naturalem revelari oportuit, ut scirent cuncti aperta ratione Deum requisiturum actus humanos. Quamvis per diluvium vindicatum legatur, & in Sodomam & Gomorrham: sed hæc vetustatis oblivio texerat. Unde per Moysen * terroris caussâ ad disciplinam corrigendam, & fidem in Deum reformandam, commmemorata sunt. Quare & Apostolus, *Iustis, ait, Lex non est posita, sed injustis, idola colentibus, fornicatoribus,* & talia. Nunc videamus an conveniat iis, qui Dei judicium audientes rident futurum: si proderit, an oberit: si veritate munitur, an caret ratione. Lex quidem data est mundo, sed videmus eam circa multos cessare. Non ergo justum videtur, ut qui hîc peccant per potentiam, securi sint. Alij legibus illudunt, pauperes deprimuntur, justis accusatio componitur, bene agentes opprobrio sunt, pij indigent, mali florent, iniqui & corruptores in honore sunt, avari & raptores locupletantur, judex venalis est. Nonne iniquum videtur si conditor rerum non hæc requirat: ut qui hîc injustè oppressi sunt, releventur; & qui bene vivendo indiguerunt, remunerentur; & qui propter justitiam opprobrio erant, honorentur: illi autem qui per potentiam leges contemserunt, aut tergiversatione illuserunt, iniquitatem sectantes, sic gloriosi in his, ut ipsi justitiæ insultare videantur, ut humiliati & confusi tormentis subjiciantur in conspectu eorum, in quorum malis & despectione gaudebant, ut & ipsi de pœna illorum læti Deo gratias referant, apud quem solum personarum acceptio cessat?

QUÆSTIO V.

Ut * quid Abel sacrificium acceptatum est, & Caïn refutatum?

Ex verbis hoc ipsius lectionis potest colligi, quia non est litterarum arte velata historia. Nam Abel prudentem & devotum in eo ipso sermo indicat Scripturæ, Caïn verò negligentem & improvidum, ac per hoc minùs devotum. Abel ergo de placidis potiora elegit quæ Domino offerret creatori, ut de iis utique quæ creaverat, præcipua illi offerret, ut per hoc & dicationem suam & meritum ejus probaret, ut & propriam reverentiam, & Deum auctorem ostenderet. Hoc Caïn velut rusticus præsentare nequivit. Totum enim animum terræ inserens, mentis oculos ad cælum levare non potuit, ut quid Creatore dignum esset, adspiceret, qualiacumque enim Deo obtulit munera. Quæ caussa etiam in Judæis obliquæ mentis deprehenditur. Sæpe enim reprehensi sunt, cùm munera sua improvidè Dei altari

Gen. 1. 4. — g MS. Germ. rationibus. — *Apoc. 13. 8.* — *Johan. 17. 3.* — * Reliq. desunt in Mss. 2. generis. — Confer. Alcuini, q. 14. in Gen. sim. — * Alcuini verba. — * Alcuin. — *Gen. 7. 11. & 19. 24.* — * Alcuin. — *1. Tim. 1. 9.* — *Rom. 2. 11.* — *Gen. 4. 3.* — * Alcuin. q. 15. in Gen.

offerrent, quæ nec hominibus digna viderentur, dicente Domino, *Cæcas & luscas offertis mihi, non hæc suscipiam de manibus vestris. Offer ea præposito aut duci tuo, si acceperit ea.* Cùm constet apud omnes, personæ sublimi maxima offerri debere munera. Ideoque Caïn munera repudiata sunt, dicente ei Domino, *Quid contristatus es, & ut quid concidit vultus tuus? Nonne si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccasti? Quiesce. Apud te conversio ejus, & tu dominaberis ejus.* Vides ergo quia divisio incurrit peccatum, dum non æstimans quid dignum Deo esset, potiora reservavit suis usibus. Itaque non quia obtulit reprehensus est, sed quia indigna obtulit. Neque ex eo damnatus est, sed quia factum noluit emendare commonitus. *Ad te enim,* ait, *conversio ejus, & tu ejus dominaberis:* hoc est, me non accipiente, ad tuum dominium conversum est munus à te oblatum, ut de cetero scires quid faceres. Hinc invidiâ exarsit ut occideret fratrem, ut ab injusto occideretur, qui justitiam primus ostenderat, & exemplum malum daretur hominibus. Sic enim æmulatione zeli cæcatus est, ut non solùm gratias non ageret, eo quòd reus factus non fuerat, sed & didicerat quomodo hoc emendaret: verùm etiam adderet aliud gravius, per quod damnari mereretur. Talis est caussa improvidi ac fratricidæ Caïn, qualis & illius nequam servi, cui cùm ignotum esset à Domino, ingratus effectus exiens suffocabat conservum suum, ut & de præterito ignoto sibi facinore, & de impietate in conservum suum admissa inexcusabilis damnaretur. Et tamen ad præsens non est damnatus Caïn, sed confusus & reus sub terrore dimissus est super terram, ut si pæniteret ignosceretur ei. Denique timens ne aliquis eum pro hoc facto occideret, ait ad Dominum, *Major caussa est mea, [a] relinqui me; si ejicis me hodie à facie tua, & à facie terræ abscondam me, & ero gemens & tremens super terram. Et erit, omnis qui invenerit me, occidet me.* Territus itaque Caïn verbis justi judicis, timet despici à Domino, ita ut & à conspectu hominum confugere se debere putet: certus, quia qui irato Deo vivit, etiam ab homine possit occidi. Sed quid ei respondet Dominus? *Non sic,* inquit: hoc est, non ad hoc te remisi cùm non merearis vivere, ut ab aliquo occidaris, sed ut gemas & tremas, quasi qui primus malum exemplum dederis super terram, dum laboribus tuis non respondet fructus ex humo. *Itaque omnis qui occiderit,* inquit, *Caïn, septem vindictas exsolvet.* Hæc sententia ostendit jure damnandum Caïn. Quando enim vidit legem datam sub tali comminatione, ne quis imitaretur factum ejus, plus cœpit timere, sciens quid mali admiserat. Septem ergo vindictas promittit, si quis ad hoc facinus adspirasset, ut videns ex hoc opere Caïn reum factum, & cùm adhuc legis manifestatio non erat, sciret se septemplici pœna multari si hoc non vitaret: ut legis notitia sex plagas adderet suprà quàm meruerat Caïn, ut cum plaga Caïn septem numerarentur vindictæ. Hoc etiam numero remunerandi sunt qui relictis omnibus Dominum sequuntur, & in futuro vitam æternam habebunt. *Hoc est signum quod posuit Dominus in Cain, ne occideret eum omnis qui invenisset eum.* In parricida enim posita lex est, ut si quis homicidium fecisset, quia omne parricidium homicidium est, septies reus esset, quàm fuerat Caïn, ut hac severitate perterriti ceteri, ab hoc se facinore cohiberent.

QUÆSTIO VI.

Si Lamech occidit Caïn, sicut putatur?

Frustra hoc putant, qui arbitrantur quòd Lamech dixerit de Caïn, *Occidi virum in livore meo, & juvenem in vulnere meo.* Jam enim in quinta generatione natus erat Lamech à Caïn, id est, de Mathusalem abnepote Caïn. Hoc autem idcirco commemorat Lamech, ut ostenderet acriùs adstringendum eum qui sub manifestata lege peccaverit. Ac per hoc si post Caïn in imitatorem ejus septies vindicatum est, quanto ampliùs in eum vindicandum est, quem nec factum Caïn & correptio, nec pòst in eum lata sententia terruit, ut à tam impio & crudeli facinore voluntatem averteret? Post Caïn ergo Lamech hoc homicidium perpetravit, qui sine dubio juxta ea quæ suprà dicta sunt, septem vindictas exsolvit: & quid post Lamech ei qui hoc secutus fuisset esset futurum, ostendit dicens, *De Lamech autem septuagies septies.* Ut quia malum opus pænitentia non subsequitur, septuaginta-septem plagarum ictibus feriatur. Unde & Salvator etiam septuagies septies peccanti, converso tamen remitti præcepit. Sed ne putetur alius ante Lamech homicidium post Caïn fecisse, quia dixit, *De Cain vindicatum est,* quasi jam factum. Lamech autem de se quomodo diceret quia vindicatum in eum erat, cùm adhuc recens esset homicidium quod confessus fuerat se fecisse? Cùm constet omne factum sententiam secum habere. Quando enim alia spes non est, prætterquam quod expleto operi dignum scitur, futurum pro facto habetur. Denique dictum est Adæ & Evæ, *Qua die manducaveritis, morte moriemini:* & utique non statim mortui sunt, sed post longum temporis intervallum: sed quia jam spem immortalitatis amiserant, futura mors præsens dicta est, quia hæc cœpit in spe haberi. Igitur cùm Lamech juvenem se occidisse fatetur, & Caïn, sicut claruit, usque ad hoc tempus pervenire non potuit, aut si pervenit, quod impossibile videtur, senior fuit, eum non occidit.

QUÆSTIO VII.

Quæ decem verba in tabulis data sint, aut singulæ tabulæ quæ & quot verba habuerint?

Decem sententias, decem verba appellavit: quia & Salvator sensum verbum significavit, dicens inter cetera ad Judæos, *Interrogo vos & ego unum verbum; respondete mihi, Baptismus Iohannis unde erat, è cælo, an ex hominibus?* Hunc sensum verbum appellavit. Simili modo & in duabus tabulis decem verba scripta dicuntur, quæ decem sensus sunt. Denique dicit, *Non sint tibi dij alij præter me:* primum verbum hoc est: & subjecit secundum, *Non facies tibi ullam similitudinem in cælo sursum, & in terra deorsum, neque in aqua quæ est sub terra.* Deinde adjecit tertium, *Non assumes nomen Dei tui in vanum. Non enim mundabit eum Dominus, qui sumit nomen ejus in vanum:* hoc est, Non in mendacio nomen Dei tui assumes ut perjures per illud. Dehinc quarto loco dicit, *Sabbatum Domini Dei tui servabis, & non facies in illo ullum opus servile.* Hæc quatuor verba ad Deum propriè pertinent, & in prima tabula continentur. Reliqua hæc sunt: Primum verbum est, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Secundum, *Non occides.* Tertium, *Non fornicaberis.* Quartum, *Non furaberis.* Quin-

Malach. 1. 8. — *Gen. 4. 6.* — *Ibid. 7.* — *Matt. 18. 28.* — *Gen. 4. 13.* — a MSS. relinque. — *Gen. 4. 23.* — *Matt. 18. 22.* — *Gen. 4. 24. secd. LXX.* — *Gen. 2. 17.* — *Matt. 21. 24.* — *Exod. 20. 3.*

tum, *Non falsum testimonium dices.* Sextum, *Non concupisces quidquam proximi tui.* Hæc in secunda tabula scripta probat apostolus Paulus, dicens, *Honora patrem & matrem, quod est mandatum primum in promissione.* Quomodo enim esset primum, nisi in secunda tabula ab ipso cœpisset? In promissione autem ideo dicit, quia statim subjecit, *Ut sis longævus super terram, & bene sit tibi.* Hæc est promissio facta iis qui mandata custodiunt. Itaque habes & mandata distincta, & numerum eorum consummatum, & quæ & quot singulis tabulis scripta sunt.

QUÆSTIO VIII.

Ut quid Moyses descendens de monte cum tabulis vultum splendidum habuit & intolerabilem?

Accepta potestate in peccatores cum honorificentia descendit de monte, facie gloriosa. Lex enim contra peccatores data est. Moyses ergo quia non peccaverat, gloriosus apparuit, & in tantum ut à peccatoribus videri non posset. Ostensum enim in eo est, quia peccatores gloriam Dei non merentur adspicere. Post simulacrum enim vituli fusilis, & confractionem tabularum in quibus data Lex fuerat, rursus adscendit Moyses in montem cum tabulis, in quibus accepta Lege cùm descenderet, gloriosa facta est facies ejus, ita ut non possent adspicere filij Israël vultum ejus, neque Aaron, quia & ipse peccaverat. Sed interposito velamine loquebatur ad illos, ut tam diu indigni essent gloriâ Dei, quàm diu in peccatis versarentur. Unde dicit Apostolus, *Cùm conversus fuerit ad Deum, auferetur velamen,* ut dono Dei abluti, digni fierent intendere gloriam Dei. In confractione enim tabularum, quas antè acceperat, Judæorum populum reprobum significavit, eò quòd peccatis studentes, promissione Dei indigni futuri erant. Quod autem reiterata lex est, alter populus futurus significatus est, cui proficeret lex data in monte.

QUÆSTIO IX.

Si omnia Deus bona fecit & valde bona, ut quid dixit ad Noë, *De mundis & immundis induc tecum in arcam,* cùm immundum bonum dici absolutè non possit?

Per id quod multimodam rationem habent verba, faciunt quæstiones. Nam si ad caussam de qua agitur referantur, nulla erit quæstio, quia per ordinem res ipsæ se produnt. Nam aliquando commune dicimus, quod indivisum est; aliquando, quod immundum est. Duobus enim modis appellatur commune. Denique Petrus apostolus, *Commune,* inquit, *& immundum numquam introivit in os meum.* Et apostolus Paulus, *Omne,* inquit, *quod non est ex fide, peccatum est,* & alibi, *Lex,* ait, *non est ex fide,* & tamen non est peccatum. Vides ergo, quia unus atque idem sermo non eadem semper significat. Ideo & cùm dicitur, immundum, considerandum est qua ex caussa dicatur, quia aliquando ad comparationem melioris immundum dicitur, aliquando ad opera sordida refertur, ut malum intelligatur. Nulla igitur substantia malum, quia quæ per substantiam immunda dicuntur, ad comparationem pulcherrimarum rerum immunda sunt. Nam & canis immundus dicitur ad ovem, & plumbum ad comparationem auri immundum est, & corvus ad pavum, & cùm unius corporis membra sint, alia honesta, alia inhonesta vocantur, cùm sciantur mala non esse. Itaque omnia in sua natura bona sunt, quia utilia.

QUÆSTIO X.

Cùm Deus dicat ad Abraham de filiis Israël, quòd quarta progenie exituri essent de potestate Ægyptiorum, cur Lex dicit, *Quinta progenie exierunt filij Israël de terra Ægypti?*

Quantum ad verba pertinet, videtur esse contrarium, si autem sensus requiratur, invenietur esse non dispar. Sic enim Lex loquitur, ut à diligentibus & sedulis possit intelligi, ut ratio veritatis non incuriosis, sed sollicitis se revelet. Nam utique Deus dixit, *Quarta progenie,* & Moyses scripsit, *Quinta progenie:* quamvis utrumque Moyses retulerit, & fallere eum impossibile sit, in quo tanta virtus operata sit: ac per hoc investigandus est sensus, quia non otiosè aliquid aut improvidè divina loquitur Scriptura. Itaque duæ partes sunt, quas singuli memorarunt. Deus enim quatuor generationes significavit, quæ natæ sunt in Ægypto; Moyses autem addens his unam, ex qua hæ ortum acceperunt, cùm intrassent in Ægyptum, *Quinta,* inquit, *generatione exierunt filij Israël.* Generationem enim quæ intravit in Ægyptum, & quatuor quæ illic natæ sunt simul complexus est. Nam ab Abraham usque ad exitum filiorum Israël de Ægypto, generationes sunt octo. Ducentis enim quindecim annis à promissione facta Abrahæ, habitaverunt in Chanaan, & ducentis quindecim in Ægypto. Hi sunt anni quos comprehendit Apostolus ad Galatas, dicens, *Post quadringentos & triginta annos facta est Lex.* Igitur hæ quatuor generationes natæ sunt in Chanaan. In Isaac una, altera in Jacob, tertia in Levi, quarta in Gerson, & Caath, & Merari. Cùm intrassent autem filij Israël in Ægyptum, Caath genuit Amram: hæc est prima generatio facta in Ægypto. Amram autem genuit Aaron & Moysen & Mariam, quæ est secunda generatio facta in Ægypto. Et Aaron genuit Eleazar & fratres ejus, quæ est generatio tertia. Eleazar autem genuit Phinees quarta generatione. Hæ sunt generationes quatuor procreatæ in Ægypto. Unde ait Dominus ad Abraham, *Peregrinum erit semen tuum, & servitio oppriment eos, ego autem liberabo eos, & quarta generatione exient inde.* Vide si non apertum est, quia non aliquid aliud significavit Deus, quàm quod gestum est in Ægypto. Moyses autem ut etiam illam generationem poneret, quæ cum Jacob patre suo intravit in Ægyptum, ex qua istæ quatuor originem habent, dixit, *Quinta progenie exierunt filij Israël de terra Ægypti.*

QUÆSTIO XI.

Si viri justi voluntas bona est, quid est ut Isaac, non Esaü quem voluit, sed Jacob quem noluit benedixit?

Justi hominis, quantum ad conscientiam ejus pertinet, voluntas bona est: quantum autem ad præscientiam, immunis est ab adversis. Deus enim solus est, qui de futuris judicat. Ac per hoc Isaac justus quantum ad præsentem humanitatem, dignum esse majorem filium suum benedicendum magis putabat. Sed Deus qui occultorum cognitor est, minorem benedictionem mereri ostendit, ut in benedictione non hominis ostenderet esse beneficium, sed Dei; quia officij dignitas est, non hominis meritum, quam Dei sequitur benedictio. Denique dictum est à Deo in Numeris ad Moysen & Aaron sacerdotes, *Vos ponite nomen meum super filios Israël, ego Dominus benedicam eos:* ut gratiam traditio per ministerium ordinantis transfundat

Ephes. 6. 2. — *Exod. 34. 29.* — *2. Cor. 3. 16.* — *Gen. 1. 31. & 7. 2.* — *Act. 10. 14.* — *Rom. 14. 23.* — *Gal. 3. 12.* — *Gen. 15. 16.* — *Gal. 3. 17.* — *Gen. 15. 13.* — *Gen. 27. 27.* — Exstat apud Alcuinum q. 228. in Gen. — *Num. 6. 27.*

hominibus, nec voluntas sacerdotis obesse aut prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem sit dignitas ordinis sacerdotalis, hinc advertamus. Dictum est enim de nequissimo Caïpha interfectore Salvatoris inter cetera, *Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset princeps sacerdotum anni illius, prophetavit.* Per quod ostenditur spiritum gratiarum non personam sequi aut digni aut indigni, sed [a] ordinationem traditionis: ut quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus ut officium ministerij exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis.

Johan. 11. 51.
[a] MSS. 2. *generis*, ordine.

QUÆSTIO XII. *Gen.* 17. 10.

QUARE Abraham fidei suæ signum, circumcisionis accepit sacramentum?

Si velis advertere, non incongruum videbis quod putas diversum esse à ratione. * Credens enim se filium habiturum, in quo omnes gentes benedicerentur, & à quo sanctimonium exoriendum erat, illa in parte signum accepit, per quam generatio filiorum & inchoat, & cessat, ut sanctior fit. Sed si aliquibus deformatio videtur, animadvertant Abraham in eo gavisum, & filios ejus hoc testimonio fuisse gloriosos. Nam Achior utique unus ex principibus gentilium videns tantam virtutem esse in Deo Abrahæ, ut Holofernem ducem exercitus Assyriorum, cujus potentiam tota terra tremebat, proprio gladio manu feminæ decollaret, sponte se circumcidit, arbitratus ex eo ipso dignitatem sibi esse quæsitam. Nonne præ se fert, si aliquis pro nomine Christi oculum aut aliquod membrum amiserit? Nonne partem ipsam humanis vultibus ingerit, ut appareat gloriosus? Pro fide enim aliquid ad tempus amittere, lucrum est facere. Ita & Abraham fidei suæ signum accipiens, non deformatus est, sed melioratus. * Spiritaliter verò hoc significavit, quia nebula carnis circumcidi debebat à cordibus hominum per fidem Christi: quia carnalis error obstabat, caliginem præstans humanis cordibus ne cognoscerent Creatorem. Abraham autem, quia & promissus est ex semine ejus futurus Christus, qui hanc caliginem abstergeret, ideo circumcisus est, quia filium credidit se habiturum, qui errorem hunc amputaret. Jam vide si non congruè illa in parte vel tale signum accepit.

* *Alcuin. q.* 174. *in Gen.*
Judith. 13. 27. & 14. 6.
*. *Reliquum deest in MSS.* 2. *generis.*

QUÆSTIO XIII. *Gen.* 19. 25.

SI judicium Dei justum est, quare infantes in Sodomis simul cum parentibus cremati sunt?

Ut nimis impium facinus Sodomitarum possit adverti, peccatum eorum pervenit usque ad necem filiorum ipsorum, ne de origine illorum signum aliquod remaneret: Nonne provisum est illis ne diu viventes exempla sequerentur patrum? * A gehenna enim liberi sunt, in aliena caussa occisi. Parentes enim tam pro se, quàm pro his rei sunt, quia ut eorum opera obliterarentur, omnis progenies ipsorum erasa est. Nam sicut de bonis parentum læti sunt filij, eo quòd commendentur prærogativa illorum: sic & de morte quæ pro malis illorum infertur queri non possunt. Quemadmodum enim participes in lucro sunt, necesse est ut sint & in damno. Similiter & in Ægypto pro noxis patrum plexi sunt filij, sed ut ad emendationem eorum proficeret: ut quia ex aliis caussis Deum credere & venerari, qui in Moyse erat, noluerunt, hac plagâ territi confiterentur cum satisfactione, ne graviùs hunc reatum sentirent. Hæc ergo mors filiorum, crimen est patrum. Quocumque enim modo filij debitum spiritum reddiderunt, futuri accusatores parentum, quia perfidiam suam nec sanguine filiorum vincere potuerunt. Non ergo in futurum, sed ad præsens tempus mala parentum filios invenerunt. * Nec qualecumque beneficium est, gloriosum non esse, nec tamen reum. Nam si quidam cum precibus enituntur in postremis positi, ad fidem veram accedere, ut si non coronam, vel veniam mereantur; quomodo poterant hinc aliquid queri, cum quibus ita actum est, ut neque esset unde ignosci sibi precarentur, neque sublimes haberentur quia minimè laboraverunt? Confer nunc unius momenti cruciatum ad multi temporis pœnam. Arbitrare etiam multos laborare, & quia perseverare non possunt, non solum effectum laboris amittere, sed & pœna multari. Adde etiam, quia difficile de malis nati, & inter nequissimos educati vel conversati, mentem suam temperant ad disciplinam Dei sequendam. Vide ergo si non magis bene actum est cum filiis perditorum.

* *Cautius Alcuinus q.* 183. *in Gen.* Et ut levius cruciētur, vel omnino non in aliena caussa occisi.
* *Apud Alcuinum clarius in q.* 183. *in Gen.* est qualecumque beneficiū, reum non esse qui gloriosus non est.

QUÆSTIO XIV. *Exod.* 20. 5.

QUID est ut Deus, qui justus prædicatur, peccata patrum filiis reddere promiserit in tertiam & quartam progeniem?

Nihil injustè Deum facere aut dicere, qui dubitat, insanus est. Itaque si verba Domini non supprimantur, sed omnia quæ ad camdem quæstionem pertinent, proponantur, lucebit quod obscurum videtur, & pium æstimabitur quod minimè justum putatur. Qui enim verba supprimit quæstionis, aut imperitus est, aut tergiversator, qui calumniæ magis studeat quàm doctrinæ. Porrò autem repromisit, quidem Dominus reddere se peccata patrum filiis, sed qui oderint eum, hoc est, qui in paternis malis versati servierint idolis, sicut & patres illorum. Ille enim inimicus Dei est, qui honorem nominis ejus vindicat creaturæ. Sicut enim justorum filij & ipsi justi nobilitant in se genus justitiæ, dum & patrum & suâ justitiâ sublimantur; ita & nequissimorum, & ipsi filij nequissimi crementum faciunt malitiæ; quia & malorum filij sunt, & nequitiam illorum exemplarunt ad perditionem multorum. Cum terrore ergo locutus videtur Deus: sed verum est, & hoc habet ratio. Quis enim malum & mali hominis filium non duplici genere exsecretur, quomodo bonum & boni filium duplici [b] mercede censet honorandum? Idcirco autem in tertiam & quartam progeniem reddere se promisit, ut si post patrem malum filius non sequatur perfidiam patris, nepos autem avi in malis imitator exsistens, sciat se non immunem futurum à severitate sententiæ: aut si & nepos fortè non avi, sed patris secutus vestigia Testamentum diligat Dei, non ignoret pronepos ad se usque pervenire sententiam, si æmulus sit proavi perfidiæ. Hac legis manifestatione deterreri voluit Deus impios patres, ut agnoscentes quantum mali pareret sectario idololatriæ, vel affectu filiorum revocarentur ad reverentiam Creatoris, aut filij timentes ne incurrerent peccata patrum, Dei legi obtemperarent. Illi autem addentes ad nequitiam, aliter hoc interpretari cœperunt dicentes, *Patres nostri manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt*: ut securi de impunitate, eo quòd filiis ipsorum redderentur peccata, neque spiritus neque carnis

[b] *MSS.* 2. *generis*, merito.
Ezech. 18. 2.

haberent pietatem. Hinc dicitur eis, *Non morietur filius pro patre, neque pater pro filio; sed anima quæ peccavit, ipsa morietur.* Ut addiscerent non impunè sibi futurum, sed sic reddi peccata patrum filiis, ut quia impietatem parentum secuti, mala quæ obliteranda erant, exemplaverint, acerbiùs puniantur. Postquam ostendit Deus quid mali pariat idololatria, addidit statim quæ bona diligentes se sequantur, dicens, *Et faciens misericordiam in millia millium iis, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*: ut bonum patris, non usque ad pronepotem, sed usque ad millia millium reddat. Ut puta si quis ex semine David diligat Deum, quem constat utique priùs ante mille annos fuisse; huic additur misericordia Dei, ut in necessitate duabus suffragantibus caussis, misericordiam accipere mereatur; quia & ipse Dei cultor est, & ex ejus semine est, qui amaverit Deum. Et in hoc clementia Dei laudabilis est, ut odio habentibus se usque in tertiam & quartam reddat progeniem, & non in millia millium: ut si in quintam progeniem tractum fuerit malum, inde iterum caput habere incipiat, ut ex eo numeretur usque ad tertiam & quartam progeniem. Sed dicet quis: Auctori magis amplius reddendum justum videtur, quàm imitatori. In auctorem congruè datur vindicta: filiis autem quòd plus dicit reddi, pœna est patrum. Et si caussam quæras, accessu Legis peccatores plus fiunt rei, sicut Lamech & post Lamech. Quibusdam tamen videtur, sic reddita esse peccata patrum in filios, dum in captivitatem ducti sunt caussâ patrum, & fuerunt ibi usque ad quartam generationem. Quod si verum est, non solùm odio habentibus se reddidit peccata patrum, sed & diligentibus nomen suum: quia & Daniel abductus est, & tres pueri, & Baruch, & Ezechiel, & Esdras ibi natus est. Liquidò ergo apparet illud convenire propositæ quæstioni, quod suprà diximus.

Exod. 20. 6.

QUÆSTIO XV. *Eccl.* 7. 17.

CÙM justum Lex prædicet, & hic verè justus sit, qui plenam habet justitiam, quomodo contrà Salomon, *Noli*, inquit, *esse justus multùm*?

Nimia justitia incurrit peccatum, temperata verò justitia facit perfectos. Non enim sine malitia est, qui multùm est justus: quia peccantibus ad singula si respondeas, non deerit ubi pecces. Denique Dei temperata justitia est. Peccantibus enim aliquando ignoscit, aliquando irascitur; aliquando reddit non quantum digni sunt: suffert enim eos, ut sint qui proficiant. Lex enim quia seipsam mollire non potest, à nobis mitiganda est, ut possit prodesse sub se agentibus. Hic ergo justus non est multùm, qui Dei imitator est.

QUÆSTIO XVI. *Exod.* 4. 24.

QUARE Angelus qui volebat in via Moysen occidere, circumcisione infantis placatus est?

Quod sine consilio Moyses fecerat, apparentia comminantis Angeli emendavit. Denique videns fieri, quod per negligentiam fuerat prætermissum, cessavit ab ira. Idcirco ergo sic infestum Angelum in se vidit Moyses, & paratum ad vindictam, quia viri sublimis culpa, grave peccatum est. Quanto enim persona ejus sublimis est, tanto magis grave delictum ejus. Quod ergo à summo viro, utpote à ductore populi fit, acerbissimum est peccatum. Pergebat itaque ad filios Israël, missus à Deo Abrahæ, & signum justitiæ Abrahæ non ferebat, in quo gloriari sciebat Judæos, ut aut ipse sollicitator diceretur, aut non ab eodem Deo missus, qui Abraham elegerat. In Madian enim habitans filios suos minimè circumcidit: quos aut ducere secum ad Ægyptum non debuit, qui ceteros ibat inde educere, aut certè circumcisos assumere, propter quæ suprà diximus. Sephora ergo uxor Moysi, quod compendio loquitur Scriptura, non ignorans qua caussâ viro suo infestus Angelus videbatur, accipiens petram, circumcidit filium suum, & recessit Angelus. Ea enim ratione, mitigata est ira, qua fuerat accensa. Nam aliquando compendio loquitur Scriptura, qua subintelligi vult ex proposita ratione: sicut & illud, quod Salvator dicit inter cetera ad Judæos, *Quare & vos præteritis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis? Nam Deus dixit, Honora patrem tuum & matrem, & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur: Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri aut matri, omne munus quodcumque fuerit ex me, tibi proderit? & non honorificabit patrem aut matrem suam.* Sine dubio per compendium dixit hoc Salvator, ut subintelligantur sacerdotes Judæorum, dum avaritiæ studerent, Dei Legem sprevisse. Impia enim conspiratione consilium dederunt filiis, ut maledicentes patrem aut matrem, quodcumque offerrent quasi donum Deo, per quod data sententia in maledicos solveretur: unde securi facti filij, contra Dei præceptum contemnebant parentes. Ita & Moyses cùm infestum sibi videret Angelum, intelligens caussam, quid fieri deberet ostendit uxori ut recederet ab eo Angelus, qui eum quærebat occidere. Hoc subintelligitur in hac caussa, sicut & illud quod suprà diximus in sacerdotes.

Matt. 15. 3.
Exod. 20. 12.

QUÆSTIO XVII. *Exod.* 23. 26. *Deut.* 7. 14. *Isa.* 56. 3.

QUID est ut maledictos dicat Lex, qui semen non reliquerint in Israël: per Isaiam autem nihil obesse dicatur spadonibus, quia generare non possunt?

Quoniam aliter quàm dictum erat, intelligi cœperat: idcirco Isaias propheta ostendit postea, quo sensu dictum esset. Cùm enim hoc ex caussa offensi Dei sententiæ loco positum esset, quia deserentes Deum in eo percutiebantur, ne ducentes uxores semen relinquerent, sic hoc arripuit error humanus, ut putarent reos esse apud Deum, si qui aut uxores nollent, aut accipientes, ut assolet, generare non possent: quasi nihil aliud quàm semen [c] quæreret Deus, sicut arguuntur per Malachiam prophetam. Isaias ergo ut consolaretur eos, quos mala intelligentia contristaverat, docuit nihil obesse, si quis aut non posset habere filios, aut nollet, dummodo Legem Dei servaret. Maledictum enim illis competebat, qui cùm possent ac vellent, divino obstante judicio, steriles erant, ne fructum haberent creationis Dei, quem spernebant: ut cùm viderent aut generare se non posse, aut genitos minimè possidere, cognoscerent indignantis Dei iram esse, & conversi satisfacerent. Nam & sancti viri cùm cupidi essent filiorum, & non id obtinerent, æstimabant peccata obstare & dolebant, ignorantes Dei esse providentiam, cui servabantur. Denique ad Dei procurationem, & Anna concepit, & peperit Samuëlem, & Elizabeth Johannem, & uxor Manue Samsonem. Spiritalis enim intelligentia in hac caussa ista est, ut maledicti habeantur qui non reliquerint semen,

[c] *MSS.* 2. *generis*, vetaret.
1. *Reg.* 1. 20. *Luc.* 1. 24. *Judic.* 13. 24.

semen, quod videat Deum, id est, qui non imbuerint aut filium, aut servum, aut proximum, qui Dei timorem doceat super terram.

QUÆSTIO XVIII. 1. *Reg.* 15. 24. & 2. *Reg.* 12. 13.

QUARE Saül peccans petiit orari pro se ut ignosceretur sibi, & impetrare non potuit: David autem peccans postulavit, & veniam consecutus est?

Dei judicium retractari non convenit: nam humana imbecillitas atque imperitia, Dei se debet judicio erudire, in hoc quod non sapit, ut ex sententia Dei intelligat veritatem, & nihil aliud fieri debuisse, quàm quod videt fecisse Deum, quem scit acceptorem personarum non esse. Si enim David precem suscepit, & Saül refutavit, nihil adversum sentiendum est Deum fecisse. Sciens enim qua mente uterque locutus est, ejus petitionem accepit, quem vidit tribulato corde veniam postulare: illum autem despexit, quia animam ejus pænitentiæ non tetigerat dolor. Quia Deus cordis auditor est magis quàm vocis. Hinc dictum est, *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Ideo etiam fallimur, quia simulatio in verbis & vultu circumvenit nos: in corde enim quid sit videre non possumus. Quamobrem Dei judicium sequi nos oportet, qui secundùm cor, in quo uniuscujusque sententia est, examinat singulos. Hoc etiam & Salvatorem fecisse invenimus. Scribam enim se offerentem non suscepit, sedentem autem Levi ad telonium vocavit: quia verba Scribæ non secutum est cor, Levi autem tacens hoc in corde habebat, quod Scriba in verbis: Jesus autem, qui juxta quod scriptum est, sciebat quid esset in homine, Levi elegit. * Præterea David non alium pro se voluit humiliari sicut Saül, sed ipse supplex tribulato corde veniam precabatur.

Act. 10. 34.
1. *Reg.* 16. 7.
Matt. 8. 19. *Matt.* 9. 9. *Matt.* 2. 14. *Luc.* 5. 27. *Johan.* 2. 25.
* *Rliq. deest in MSS.* 2. *generis.*

QUÆSTIO XIX.

QUÆRENDUM est, si Adam factus, corpus immortale habuit, an mortale?

Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret: ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam, aut ad mortem: ut custodiens se à peccato, labore suo gauderet, esse se immortalem; negligens verò factus ipse sibi imputaret, quia cœperat esse mortalis. Quamdiu enim in Creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitæ, ut mori non posset. Nec enim corpus tale erat quod dissolvi impossibile videretur: sed gustus arboris vitæ, corruptionem corporis inhibebat. Denique etiam post peccatum potuit indissolubilis manere, si modo permissum esset illi edere de arbore vitæ. Nam quomodo immortale corpus habebat, quod cibo sustentabatur? Immortalis enim non eget escâ neque potu. Cibus enim vires præstabat, vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem omnem prohibebat. Sic enim homini erat quasi inexpugnabilis murus.

QUÆSTIO XX. *Psal.* 77. 25.

QUID est quod dicitur, *Panem Angelorum manducavit homo*, cùm Angeli non egeant cibo; quippe cùm sint naturâ simplices, & potentiâ spiritali vigentes?

Panis quem Angelorum appellat, manna est. Manna autem interpretatur, *quid est hoc?* Videntes enim filij Israël, quasi semen coriandri cadere super terram candidum, dixerunt ad invicem, *Quid est hoc?* Quod in Hebræa lingua dicitur *man hu?* Hic ergo panis aut cibus, non mundi lege creatus est, commixtione elementorum; sed desuper venit spiritali ratione [a] provisus. Nec quidem in supernis habebatur, quia corporibus alendis ad momentum Dei virtute creatus est. Ideo autem Angelorum panis dictus est, quia ea virtute creatus est, qua angelica natura subsistit & vivit. Sine Deo enim nulla vita est. Per id ergo quòd de cælo venisse dicitur, Angelorum dictus est panis. Ut enim quanta & qualia beneficia Dei circa hominem sunt memoraret, sic locutus est, ut agnoscentes Deo gratias referrent, qui tantâ curâ servos suos gubernat, ut eis hæc in carne adhuc positis, si necesse fuerit, exhibeat, per quæ vivunt Angeli. Dixit Apostolus inter cetera, *Petra autem erat Christus*: ut quia Christi virtute aqua fluxit de petra, petra appellatus sit Christus. Simili modo, & quia manna potestate ejus venit de cælo, manna, id est, panis dicatur: ut quod tunc factum est, ejus rei, quæ nunc in Ecclesia offertur figura fuisse existimetur, ut Christiani populi quos in Angelis significavit Scriptura, panem manducarent homines, id est, Judæi. Et quia major gratia est nunc, quàm fuit in Prophetis, & libertas data per Christum, quia ubi spiritus Domini, ibi libertas; ad comparationem temporum & gratiarum, Christiani Angeli dicti sunt: quorum pane, qui Christus est, satiati sunt Judæi, quos homines dixit. Horum enim magis Christus est, quibus & revelatus est, & qui hoc nomine vocari censentur. Duplici ergo genere potest intelligi suprà dicta quæstio, ut & panis Angelorum cælestium dici possit, & Christianorum secundùm ea quæ dicta sunt.

Exod. 16. 15.
[a] *MSS.* 2. *generis.* pro justis.
1. *Cor.* 10. 4. *Exod.* 17. 6.
2. *Cor.* 3. 17.

QUÆSTIO XXI. *Gen.* 1. 27.

QUID sit ad imaginem & similitudinem Dei fecisse hominem, & an mulier imago Dei sit?

Hoc est ad imaginem Dei factum esse hominem, quia unus unum fecit: ut sicut ab uno Deo sunt omnia, ita & ab uno homine omne genus humanum. Similitudo autem hæc est, ut quemadmodum de Patre est Filius, sic & de viro mulier, ut unius principij auctoritas conservetur. Sed filius ineffabiliter & incomprehensibiliter natus est de Deo Patre: mulier autem corporaliter, sicut legimus, facta est de viro, ut per eam nativitas oriretur. Filius verò Dei ideo natus est, ut per ipsum fieret creatura. In hoc ergo dissimile est. Nam & de Deo Deus natus est, de viro autem femina: quia illic simplicitas est, & non potuit nisi de simplici simplex nasci; spiritus de spiritu, Deus de Deo. Igitur vir imago Dei est. Sic enim scriptum est, *Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* Unde & Apostolus, *Vir quidem*, inquit, *non debet velare caput, cùm sit imago & gloria Dei: Mulier autem*, inquit, *velet caput.* Quare? Quia non est imago Dei. Unde denuo dicit Apostolus, *Mulieri autem docere non permittitur, neque dominari in virum.*

Gen. 2. 21.
Gen. 1. 27. 1. *Cor.* 11. 7.
1. *Tim.* 2. 12.

QUÆSTIO XXII. *Eccli.* 14. 16. *Psal.* 142. 2.

QUID est, ut dicat Salomon, *Justifica animam tuam ante obitum tuum.* Et in Psalmo, *Non justificabitur*, ait, *in conspectu tuo omnis homo vivens?*

Hic justificat animam suam ante mortem, qui spe vitæ futuræ consequitur fidem, ne moriatur impius. Sed Salomon de eo dicit, qui sub Lege vivit, & non conversatur justè. Hujusmodi ergo si corrigat animum ut justitiæ vias ambulet, justificat animam suam ante mortem. Salomon enim propter judicium futurum consilium

dedit, ne quis indiligens circa se in peccatis moriatur. David verò de perfectione justitiæ locutus est, quia nemo justificabitur apud Deum, ut dignus promissione sit, nisi fuerit mortuus cum justitia. Quamdiu enim vivit, futurorum meritum non habet adhuc plenum. Unde dicit Salvator, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Matt. 10. 22. & 24. 13.

QUÆSTIO XXIII.

AN ex traduce sint animæ sicut & corpora?

Inhonestum puto, si dicantur animæ cum corporibus generari, ut anima nascatur ex anima, quod nec animæ ipsi competit: aut si certè singulæ cælestes potestates factæ sunt, & ex ipsis ceteræ natæ sunt, potest ex una Adæ anima credibile videri ceteras nasci. Sed non convenit, quia soli Deo hoc possibile fuit, ut simplex generaret, nec ceteris concederetur. Quod tam mysticum est in caussa Salvatoris, ut non solùm à solis gentilibus vel Judæis, verùm etiam ab ipsis qui Christianos se dicunt, incredibile reputetur. Photiniani enim & Ariani hanc fidem spernunt, nec credunt Deum generasse. Nam si eo tempore quo seminatur corpus, etiam anima generatur ex anima, de Adam costam sublatam legimus, non tamen animam natam ex anima: sed si costa secum habuit animam, jam non nata est, sed detracta in partem. Sed nec hoc scriptum est. Propheta enim Zacharias inter cetera, *Qui plasmavit*, inquit, *animam hominis in eum.* Nec Isaias ab his dissentiens ait, *Sic dicit Dominus Deus qui fecit te, & finxit te in utero.* Si ergo in utero fingitur; jam formato corpori tribuitur. Cùm enim omnia membra implet corporis, figurata dicitur in corpore. Ut sicut aqua cùm sit sine effigie, missa tamen in vas figurata videtur: ita & anima cùm sit natura incorporea & simplex, quasi formatur in corpus, singula membra vivificans. Quod quidem Moyses manifestiùs tradidit dicens, *Si quis percusserit mulierem in utero habentem, & abortiverit: si formatum fuerit, det animam pro anima: si autem informatum fuerit, multetur pecuniâ*: ut probaret non inesse animam ante formam. Itaque si jam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine derivata. Nam si cum semine & anima exsistit ex anima, multæ animæ quotidie pereunt, cùm semen fluxu quodam non proficit nativitati. Sed si propiùs respiciamus, videbimus quid sequi debeamus. Contemplemur facturam Adæ. In Adam enim exemplum datum est, ut ex eo intelligatur, quia jam formatum corpus accepit animam. Nam poterat animam limo terræ admiscere, & sic formare corpus. Sed ratione informabatur, quia primùm oportebat domum compaginari, & sic habitatorem induci. Anima certè quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine fertur. Cùm ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, ubi erit anima? An foris vagatur quamdiu immittatur: cùm ratio tradat sic dari eam ut animet corpus, non ut otiosa vagetur? Sed ex quo detur dicant qui aliud putant, [b] ex mare, an ex femina? Si ex femina, non convenit, quia aliud in exemplo est. Proponunt enim ex viro cum costa datam & animam: quod multis rationibus infirmari docuimus. Unde fortè videatur dari ex femina, maximè propter Salvatorem, quem scimus sine complexu carnis de Spiritu-sancto natum ex femina. Quod si arbitrantur, plus dant feminis: auctoritatem enim viri immutant in feminam. Cùm enim tam corporis quàm animæ originem ex viro dicant, convertunt se ut id quod potius est, ex muliere dicant, id est, animam; quod verò minus, ex masculo, id est, corpus: cùm manifestum sit ordinem exempli à Deo traditi immutari non posse.

Zach. 12. 1.
Isa. 44. 2.
Exod. 21. 22.
[b] *MSS.* 2. *generis*, aliud putant ex mare dari, aliud ex femina.

QUÆSTIO XXIV.

QUID est, ut cùm vir & mulier una sint caro, vir imago Dei sit, & non femina?

Unius substantiæ quidem sunt vir & mulier, & in anima, & in carne: sed gradu major est vir, quia ex eo est femina, sicut dicit Apostolus, *Caput mulieris vir*, Caussa enim majorem fecit virum, non substantia. Nam & in uno corpore majora membra sunt & minora, non naturâ, sed [c] ordinatione.

Eph. 5. 23. 1. *Cor.* 11. 3.
[c] *MSS.* 2. *generis.* ordine.

QUÆSTIO XXV. *Gen.* 50. 24.

UT quid Joseph post prophetiam adjurat filios Israël, ut cùm à Deo liberarentur, cineres ejus de Ægypto transferrent?

Non otiosè istud mandasse Joseph filiis Israël, in absoluto est. Qui enim prophetare potuit, non improvidè locutus esse credendus est. Cùm enim esset in Dei Creatoris devotione propensior; sciens autem ab Ægyptiis se coli caussâ administrationis, qua in magna egestate Ægyptum gubernavit, post exitum suum errorem petivit auferri: certus vanitatem vulgi mortuos magis ut deos venerari quàm vivos, ne ei deferretur debitus Creatori honor. Hic ergo ostendit se liberum fuisse à vana superstitione Ægyptiorum, quando ne ad Dei injuriam proficeret, cineres suos transferri mandavit. Quod quidem & Apostolos invenimus secutos. Paulus enim & Barnabas cùm sacrificari sibi velle vidissent, scientes hoc exosum Deo, sciderunt vestimenta sua dicentes, *Quid facitis, & nos homines sumus vobis similes*: & sic compescuerunt turbas.

Act. 14. 14.

QUÆSTIO XXVI. 4. *Reg.* 2. 10.

REQUIRENDUM de Elisæo, an id quod durè petiisse ab Elia dictus est, consecutus sit?

Cupidus spiritûs Elisæus faciendarum virtutum, illectus exemplo magistri, accepta facultate poscendi quodcumque voluisset, avarus ad bonum, dupliciter spiritum sibi inesse, quàm in magistro erat, postulavit. Cui homo Dei Elias ait, *Durè petiisti.* Aviditate enim non consideravit discipulum non esse super magistrum. Elias tamen sciens illum non ambitione præsentis gloriæ hoc postulasse, respondit, *Attamen si videris me assumi abs te, erit tibi sic.* Sensus hic ponderandus est. Subindignatus autem cùm dixisset, *Durè petiisti*; subjecit, *Si videris me tamen assumi, erit tibi sic.* Neque negasse illi visus fuerat, ostendit sic illi futurum sicut dignum erat, non sicut ipse postulaverat. Multa enim subintelligi vult Scriptura, ut collectus sensus ex verbis, non sit rationi religionis adversus. Nam utique dura petitio, etiam meritum debebat amittere: sed quia cupidus boni sic postulavit, Deus qui scit, quid unicuique dandum sit, bonis privari illum non passus est meritis suis. Videamus itaque si Eliæ meritum admitteret, ut Elisæus duplum donum ejus mereretur accipere. Dictum namque est à Spiritu-sancto per Zachariam, cujus meriti futurus esset Johannes, *Veniet*, inquit, *in spiritu & virtute Eliæ.* Parem ergo Johannem Eliæ ostendit. & Dominus dicit, *Nemo major inter natos mulierum Propheta*

Matt. 10. 24.
Luc. 1. 17. *Matt.* 11. 11.

Johanne Baptista. Non dixit, omnibus major est : sed, *nemo illo major est*; hoc est, æqualem habet, majorem non habet. Elias ergo par illi est, nullo utique minor ; quomodo Elisæus major illo est, cùm Johannes quo nemo major est, par Eliæ sit ? Nam veniens ad aquarum transitum, non accepit honorem ab eis, ut potuisset transire, nisi nominasset Deum Eliæ : ut per hoc dura petitio correpta videretur, dum nonnisi nomine Eliæ auditus est, ne id quod durè petierat, accepisse putaretur, quasi non sufficeret pro temporis merito dispensatio spiritus concessa Eliæ.

4. Reg. 2. 14.

QUÆSTIO XXVII. *1. Reg. 28, 12.*

AN pythonissa Samuëlem excitaverit, & ipse ab ea visus sit, & locutus sit ad Saül quæ historia refert in libro Regnorum ?

Indignum facinus æstimo si secundùm verba historiæ commendetur adsensus. Quomodo enim fieri poterat, ut arte magica adtraheretur vir, & nativitate sanctus, & vitæ operibus justus ? aut si non adtractus est, consensit ? quod utrumque de viro justo credere absurdum est. Si enim invitus adductus est, nullum suffragium habet justitia. Si autem voluntarius, amisit meritum spiritale, quod positus in carne quæsiverat : quod valde absurdum est ; quia qui hinc justus recedit, permanet justus. Porrò autem hoc est præstigium satanæ, quo ut plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingit. Quod Apostolus inter cetera ait, *Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Ut enim errorem faceret, in quo & ipse gloriaretur, in habitu viri justi & nomine se subornavit : ut nihil proficere spem quæ prædicabatur Dei cultoribus mentiretur, quando hinc exeuntes justos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quòd de morte Saül & filiorum ejus non sit mentitus : quasi magnum sit diabolo, ante diem occasum corporis prævidere, cùm signa quædam soleant apparere morituris : quippe à quibus Dei protectio amota videtur. Quanto magis diabolus quem angelica majestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur ; de cujus magnitudine Apostolus ait, *An ignoratis altitudinem satanæ ?* Quid mirum ergo si imminentem propè mortem potuit prævidere, cùm hoc sit unde fallit, & se in Dei potestate vult adorari ? Nam tanta hebetudine demens effectus est Saül, ut ad pythonissam confugeret. Depravatus enim caussâ peccati, ad hæc se contulit quæ damnaverat. Sed si quis propter historiam, & ea quæ verbis expressa sunt putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit, rectè faciet quidem, si tamen minimè istud ad veri rapiat rationem, sed ad visum & intellectum. Saül namque reprobus factus, non poterat bonum intellectum habere. Historicus enim mentem Saül & habitum Samuelis descripsit, ea quæ dicta & visa sunt exprimens : prætermittens si vera an falsa sint. Quid enim ait ? Audiens in quo habitu esset excitatus, *Intellexit*, inquit, *hunc esse Samuelem.* Quid intellexerit retulit, & quia non bene intellexit, contra Scripturam alium adoravit quàm Deum ; & putans Samuelem, adoravit diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet satanas. Hoc enim nititur, ut adoretur quasi Deus. Si enim verè Samuel illi apparuisset, non utique vir justus permisisset se adorari, qui prædicaverat Deum solum esse adorandum. Et quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennæ, *Cras mecum eris ?* His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit improvidus satanas, quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis contra Legem ; & virum peccatis pressum, cùm magna distantia peccatorum & justorum sit, cum Samuele justissimo futurum mentitus est. Verùm potest videri si de Samuelis nomine taceatur, quia Saül cum diabolo futurus erat. Ad eum enim transmigravit, quem adoravit. Semper enim diabolus sub velamine latens, prodit se, dum ea confingit quæ abhorreant à personis, per quas fallere nititur.

2. Cor. 11, 14. Apoc. 2. 24. 2. Cor. 2. 11. 1. Reg. 28. 14.

QUÆSTIO XXVIII.

QUID contradicendum iis sit, qui mundum istum ab æterno naturaliter moveri inquiunt, neque initio, neque abolitioni obnoxium.

Mundum ab æterno constare, & nulli debere subjectionem improbabile & impossibile est, quem videmus tanta diversitate exstare corporum : cùm nihil divinum & æternum possit esse nisi simplex, in quo nulla diversitas videatur, sed sit unitas. Nam & vices ipsas temporum non servat, ut non solùm in temporibus varius sit, aut contrariis constet substantiis, sed & in ipsis vicibus temporum : cùm res æterna diversitatem abhorreat, & sit nec tactu nec visu capienda, utpote incorporalis : hic autem passioni obnoxius est, quia & aqua repugnat igni ; & ignis si ampliùs fuerit, superat aquam ; & terra cùm sit natura arida & frigida, patitur incendium, quasi res corporalis. Itaque inconveniens est mundum æternum dicere, quem cùm videmus passioni subjectum, & per sæcula senectute deficere, credimus & finiri. Quid censetur de homine, qui mundum æternum putat ? Certè homo cœpit in mundo : sine homine ergo cui proficiebat annua fecunditas mundi ? An sine aliqua providentia generabat ? Et quomodo æternus corruptibilia & mortalia generabat, cùm de æterno debeat æternum exsistere ? Et quod visibile est & sentitur & tangitur, qua audaciâ vocatur æternum ? Et quod vicibus temporum ministratur, ita ut ipsa tempora aliquando non servent officia sua, quomodo appellatur æternum ? Æternitas enim non corrumpitur, nec immutatur.

QUÆSTIO XXIX. *Gen. 17. 12.*

QUARE octavo die mandatum est circumcidi ?

Octavo die à nativitate idcirco præceptum est circumcidi, quia juxta numerum & curricula dierum septem, ipse rursum primus invenitur quasi post sabbatum, ut jam non octavus habeatur, sed primus. Quia enim salus futura per Christum in primo die erat prædestinata, qui Dominicus ideo dicitur, quia in eo resurrexit Dominus, qui est post sabbatum, propterea salutis hujus figura in circumcisione data est, ut quasi renovatio futura in circumcisionis lege dignosceretur Et quia per fidem salvari haberent homines, quæ primo die resurrectionis Domini firmata est ; figura hujus rei in circumcisione primo die data est, quæ etiam esset signum fidei Abrahæ. Integra ergo caussa est, quia signum præteritæ fidei primo die signatæ, figura fuit futuræ fidei primo die constabilitæ ?

QUÆSTIO XXX. *Prov. 18, 17.*

IN Proverbiis, *justus*, ait, *accusator est sui in primordio sermonis :* quomodo justus, si peccator ?

Omnis veritas justitia est. Quia ergo confitetur quod est, justus est : veritatem enim loquitur ; peccatores autem vindicantes sua delicta, justificari non possunt. Unde hujusmodi dignè justus dicitur, quia pronuntians peccatum suum, remitti sibi utique postulat, misericordiam Dei implorans. Scit enim dictum in Lege, *Confitere peccata tua, ut justificeris.* Quid est autem in primordio sermonis confiteri, nisi non coactum fateri, sed voluntarium ? Quis enim etiam timens Deum sine peccato est, cùm & in cogitatione admisceantur delicta, & aliquotiens peccemus inviti ? Potest tamen & de eo dici vel sentiri, qui catechumenus dicitur, ut accedens ad fidem justificetur. Cùm enim petit immutari se, sine dubio peccatorem se confitetur ut justificetur.

Isa. 43, 26.

QUÆSTIO XXXI. *Gen. 3. 1.* * *f. astu.*

AN cum muliere, naturâ serpens locutus sit, an * actu dictus serpens diabolus eam seduxerit ?

Quantum ad historiam pertinet, serpens naturâ dictus est, qui sapientior esset ceteris bestiis, quas fecerat Dominus Deus super terram. Denique & sententiam Deus in serpentem dedit. Nam quid mirum si diabolus sapientior erat bestiis, de quo dicit Apostolus inter cetera, *An ignoratis altitudinem satanæ ?* Usque adeo autem naturâ serpens fuit, ut diceretur illi, *Supra pectus & ventrem tuum repes, & terram edes omnibus diebus vitæ tuæ.* Hæc longè sunt à conditione satanæ ; quia neque corporeus est, neque mortalis. Et si propiùs adspiciatur, videbitur sententia data nihil obfuisse serpenti : sed in eo in quo factus est, jussus est permanere. Quia enim minister factus est satanæ ad hominem subjugandum, cui omnia Deus subjecerat : idcirco Deus in ea subjectione, qua omnia homini subjecerat, repressit elationem serpentis ; quia cœperat minister esse superbiæ. Videbatur enim homo factus sub serpente, per quem accepto consilio legem datam contemsit. Quoniam autem serpentes prudentes sunt, confirmat in Evangelio Dominus dicens, *Estote astuti ut serpentes.* Igitur quia claruit verè serpentem locutum esse cum Eva ; illud superest ut discernatur, an potuerit tam prudens esse & astutus, ut dolo falleret eam. Si enim ceteris bestiis prudentior erat, non tamen hominibus : quippe cùm nullum animal rationale sit nisi homo. Itaque serpentem subtilitatem istam composuisse impossibile est : quamvis enim prudens dicatur, sed non ultra naturam suam. Nec enim deliberat aut excogitat, aut consilium capit. Idcirco diabolum fuisse, qui per serpentem mulierem circumvenit, dubium non est. Admiscens enim se serpenti, egit per illum quasi per organum, ut nec mulier occulti diaboli intelligeret dolum, sciens prudentem esse serpentem. Ac per hoc corporaliter data sententia, spiritaliter in satanam cecidit ; quia sententia reum tenet. Non enim ab homine data sententia est, ut innocentem fortè perimeret per errorem aut malevolentiam, sed à Deo qui falli utique non potest, ut sententia ejus eum solum teneat, qui reus est. Quia enim cùm sit invisibilis satanas, dolum corporaliter egit, corporalis videtur data sententia, ut illum spiritaliter teneat, cujus factum elicuit dari sententiam. Nam projectus de sacratissimis cælorum sedibus impudentissimus satanas in terra volutatur gemens semper. Sed fortè dicatur, In qua putas lingua serpens locutus est ad mulierem ? Serpentis utique ore. Si enim hodie non desunt, qui latratum canum intelligant, & luporum ululatum, & barritum elephantorum, & cantum gallorum ; quare non magis rudis adhuc mulier scire potuit & intelligere sibilum serpentum, cùm multos sciamus avium voces discernere ? * Nam & constat diabolum ejus linguâ uti, cujus corpus intraverit : nec aliter falleret mulierem. Ac per hoc serpentis ore locutus est per serpentem.

2. Cor. 2. 11. Apoc. 2. 24. Gen. 3. 14. Matt. 10, 16. * *Reliq. abest à Mss. 2. generis.*

QUÆSTIO XXXII. *Prov. 22, 2.*

LEGIMUS apud Salomonem, *Dives & pauper obviaverunt sibi ; fecit autem ambos Dominus :* quomodo ergo personarum acceptio non est apud Deum ?

Longè absit à fidelium mentibus hæc impietatis assertio. Nam Scriptura ne pauperem contemnendum doceret, & divitem honorificandum, ostendit amborum opificem esse Deum : non utique in paupertate & divitiis, sed in eo quod sunt. Si enim facultatibus ab invicem discrepant, non tamen naturæ substantiâ. Nec enim quia occasiones proventus quosdam faciunt in mundo, aut prosperos in divitiis, aut infaustos in paupertate, idcirco despiciendi sunt quos Deus non humiliavit, aut suspiciendi quibus veritas non dedit testimonium. Contemnendi planè sunt, sed corruptores morum & sacrilegi in Lege Dei : honorandi verò diligentes Deum & disciplinæ cultores. Hi enim divites apud Deum habentur, qui bonæ conversationis sunt : & quanto in mundo contemtibiliores sunt, tanto magis honorificentiores sunt in cœlo. Nam qui beneficium temporis habent in ampliandis facultatibus, si se cognoscant, & Dei intelligant voluntatem, qui terram omnibus dedit, & solem suum cunctis oriri jubet, & pluvias indiscretas effundit, iniquitas autem temporis, aut fortuitæ occasionis, aut indigentia quibusdam abnegat quæ Deus omnibus dedit : ipsi ministrant eis ut perficientes Dei voluntatem, non solùm in mundo, sed & in cælo divites sint, ne pauci temporis divitiæ excludant æternas. Illi verò quos paupertatis caussâ despiciendos putant, si futurum Dei judicium contemplentur, illic semper divites erunt, ubi divites sæculi egebunt, pænitentes se pauperes non fuisse.

Matt. 5. 45.

QUÆSTIO XXXIII. *Prov. 10, 27.*

SALOMON, Anni, inquit, *impiorum minuentur :* quomodo ergo est quòd videamus impios aliquantos longævos ?

Dignum erat quidem omnes impios, non solùm citiùs hac luce carere, verùm etiam nec unius momenti temporis vitâ frui, qui Conditoris sui immemores, vitæ totius auctoritatem imputant creaturæ. Sed Scriptura hos impios alloquitur, qui cùm sub Dei Lege agerent, propensiores in idolis erant. Pejores enim sunt ceteris impiis : scientes enim Deum & contemnentes eum, obtemperant servis. Et quòd de his dictum sit, probat Apostolus dicens, *Scimus autem quoniam quæcumque Lex loquitur, his qui in Lege sunt loquitur.* Gentiles autem non habentur in numero vivorum.

Rom. 3. 19.

QUÆSTIO XXXIV. *Sap. 1. 13. Eccli. 11. 14.*

QUOMODO idem Salomon, *Deus*, inquit *mortem non fecit :* cùm alio loco dicat, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt ?*

Nulli dubium est bona omnia à Deo esse, mala autem quæ dixit, solùm mala sunt, dum vindicatur de nobis. Pœna enim quamvis justè inferatur, patienti tamen mala videtur. Nam & per Prophetam ad peccatores loquitur Deus dicens, *Faciam vobis mala*, id est, pœnis

vos agam. Vita autem & mors sic à Deo est, quia Legem dedit, quæ servantibus se vitam promittit, contemtoribus verò mortem, sed illam quæ secunda dicitur. Dum enim unumquemque adjudicat quid meretur, ab ipso est, sive absolutio ad vitam, sive reatus ad mortem. Non ergo inventor mortis est, sed judex, quia mortis auctor peccatum est. Quomodo ergo Deus poterat facere mortem, qui nescit peccare ? Sed dum peccatis retribuit, ab ipso dicta est esse mors, cùm non ex ipso sit, sed ex hoc qui peccavit. Eadem ratione paupertas & divitiæ à Deo sunt. Quidam enim habentes timorem Dei, luxuriam spernunt, vitam prodigam fugiunt, ab egeno & paupere oculum non avertunt : hujusmodi crementum faciunt bonorum. Scriptum est enim in Proverbiis, *Paupertatem & ignobilitatem aufert disciplina.* At hi qui timorem Dei non habent, solutiùs viventes & egenum despicientes, (sicut scriptum est,) *In inopia erunt*, non solùm negligentes & improvidi circa se, verùm etiam contemtores datæ Legis. Hoc modo fecit Deus pauperes ac divites : quia dum offensio Legis parit egestatem, à Deo fieri dicitur auctore Legis ; & cùm aliqui terrore disciplinam Legis custodiunt, à Deo auctore Legis divites fiunt.

Prov. 13. 18.

QUÆSTIO XXXV. *1. Reg. 26. 16.*

QUA ratione David Saül, postquam Deus ab eo recessit, Christum Domini vocat, & honorem defert ei ?

Non nescius David divinam esse traditionem in officio ordinis regalis, idcirco Saül in eadem adhuc traditione positum honorificat, ne Deo injuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decrevit. Dei enim imaginem habet rex, sicut & episcopus Christi. Quamdiu ergo in ea traditione est, honorandus est, si non propter se, vel propter ordinem. Unde Apostolus, inquit, *Potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est potestas nisi à Deo. Quæ enim sunt, à Deo ordinatæ sunt.* Hinc est ut gentilem in potestate tamen positum honorificemus, licèt ipse indignus sit, qui Dei ordinem tenens gratias agit diabolo. Potestas enim exigit, quia meretur honorem. Nam ideo Pharaoni futuræ famis somnium revelatum est : & Nabuchodonosor aliis secum adsistentibus solus filium Dei vidit in camino ignis, non utique merito suo, qui in idolo se adorari voluit, sed merito ordinis regalis.

Rom 13. 1. Gen. 41. 1. & 26. Dan. 3.

QUÆSTIO XXXVI. *Jos 7. 24.* *a MSS. 2. generis, triginta sex viri. Et veriùs.*

SI anima quæ peccaverit, ipsa morietur, quid est ut Achar filius Charmi peccaverit, & triginta [a] viri occisi sunt in caussa ejus ?

Alio sensu Scriptura locuta est quàm propositum est. Non enim de hac morte quæ communis utique omnibus est, dixit, sed de illa quæ appellatur secunda. Hæc enim peccatores suscipit : illis autem qui in pugna mortui sunt, non peccatum Achar redditum est, sed obfuit illis ne in protectione divina adjuti invalescerent hostibus. Nec enim caussâ Achar infirmati sunt, sed Dei auxilio minimè muniti, ut dum fortiter facere nequeunt, occiderentur. Nam pauci fuerunt contra multos, unde & superati noscuntur. Nulla ergo injustitia in voluntate Dei est : in potestate enim habet, si adjuvare vult, ut si affuerit, misericors sit, si noluerit, justus : nec enim in talibus debitor est, ut teneatur obnoxius. Hinc est quòd Jesus Nave contristatus scidit vestimenta sua, intelligens non sine caussa Deum auxilium suum subtraxisse.

Jos. 7. 6.

Charmi quidem peccavit, & mortuus est lapidibus. Illi autem triginta-sex viri, qui in pugna mortui sunt, non utique pressi à Deo sunt, sed non adjuti. Imbecillitate enim sua, dum fortiter facere nequiverunt, occisi sunt. Charmi ergo caussa hoc præstitit vel obfuit, quia qui adjuvari habuerant, neglecti à Deo sunt. Hinc ergo est quòd Jesus filius Nave contristatus excidit vestimenta sua, quia intellexit Deum adjutorem suum auxilium subtraxisse in hoc loco.

Quæstio eadē ex Mss. 2. generis quæ inter post-vulgatas veter. Test. fuit hactenus 14.

QUÆSTIO XXXVII. *Isay. 9. 8. Sect. LXX. Gen. 32. 28.*

QUID est ut missa mors in Jacob venerit in Israël, cùm Jacob ipse dictus sit Israël ?

Unius populi duo nomina posuit, ut ex nominibus merita eorum possint intelligi. Nam utique qui Israël cognominatus est, priùs Jacob dicebatur. Colluctans enim cum Salvatore, intellexit Deum esse, quem in specie corporis videbat : ideoque appellatus est homo videns Deum. Populum ergo, quem Jacob nuncupat, hoc loco & in hac caussa carnalem significat, quomodo nomina quæ natis à parentibus imponuntur. Sed hi, id est, Judæi, propter mala opera non Israëlitæ dicti sunt, quia vaccis & lucis sacrificabant in Samaria, studio & imperio Jeroboam regis. Ille autem populus, qui in Jerosolymis in templo Domini hostias offerebat per sacerdotes Dei, Israël appellatus est. Samaria ergo propter impietatem suam tradita est captivitati & morti : Jerosolyma autem reservata est, propter quod habuit reges diligentes Deum. At ubi autem & ipsa Jerusalem impietatem secuta est Samariæ, sententia illam comprehendit data in Samariam. Ideo ergo dictum est, *Misit Deus mortem in Iacob*, id est, in populum Samariæ, qui carnaliter conversatus est, sicut suprà diximus, *Et venit in Israël*, hoc est, in populum Jerusalem, quia idololatriam secuta est, imitata Samariam : ut simili modo abduceretur in captivitatem à Nabuchodonosor, sicut & Samaria à Salmanasar rege Assyriorum. Hoc est apertè, sententia data in malos, invenit & bonos, dum desierint esse justi. Missa enim mors in Jacob, sicut suprà ostensum est, pervenit in Israël, non prætermittens Samariam ; sed dum caussa, qua missa est in Samariam, inventa est in Jerusalem, missa illuc venit etiam in eum locum, quo eadem res erat. Quia vindicta caussam sequitur, non discernens personam.

Q. eadem ex Mss. 2. generis inter post-vulgatas vet. Test. 13. * *f. non bona.*

Unius populi duo nomina posuit. Nam utique qui priùs Jacob dicebatur, postea accepit nomen Israël, cùm colluctatus est cum Filio Dei, & vidit eum per intellectum homo videns Deum. Populus ergo, quem Jacob nuncupat, hoc in loco & in hac caussa non videns Deum intelligitur, sed quasi carnalis habetur, propter opera * bona : ut sicut Jacob priusquam videret Deum Christum, non dicebatur Israëlita, & hi dum populus dicuntur Jacob, non videntes Deum designentur. Israël autem populum dicit, qui operibus Dei factus dignus habetur videre Deum. Itaque populus Jacob, quia carnali fretus erat auxilio, desperans de adjutorio Dei (idola enim diligebat) traditur morti, dum excitatur adversùs eos rex Assyriorum. De Samaria autem hoc dictum intelligitur ab Isaia Propheta, quæ priùs malum fecit coram Deo, vaccas instituens quibus sacrificarent, adinveniente nova sacerdotia Jeroboam : mors ergo ad eos missa est. Primi enim ipsi capti sunt, & transmigrati à Salmanasar rege Assyriorum, ut illorum exemplo populus Juda & Benjamin & Levi, quæ duæ tribus remanserunt, & dimidia in Jerusalem Roboam filio Salomonis, quæ in templo Domini per sacerdotes Domini sacrificabant. Hos ergo dicit populum Israël propter tribum Juda & Levi, qui & ipsi cùm exemplo Samariæ territi rectè agere debuerunt, malignè fecerunt idolis servientes : tamen fuerunt aliquanti reges in Jerusalem, qui post excessum Salomonis & filij ejus Roboam, viam secuti sunt David, rectè ambulantes in conspectu Dei. Omnes autem reges Samariæ malignè egerunt in conspectu Domini usque ad transmigrationem suam. Ideoque carnali nomine nuncupati sunt. Et quia Jerusalem eorum impietatem secuta est, traditur etiam ipsa in captivitatem Nabuchodonosor regi Babyloniæ : & hoc est misisse mortem in Jacob, & venisse in Israël. Missa est enim in Samariam, sed dum caussa per quam missa est in Samariam, inventa est in Jerusalem, missa illuc venit etiam in locum in quo eadem res erat. Non enim locum sequitur vindicta, sed caussam.

QUÆSTIO XXXVIII. *Psal. 31. 9.*

SI equus & mulus non habent intellectum, quanto magis terra res sine sensu ? quid ergo est ut dicatur terra benedicere Dominum ?

Non est sic intelligendum ut sonant verba. Opus est enim, quod licèt mutum sit, clamare dicitur laudem Creatoris : hortatur enim adspicientes se, benedicere opificem : sicut & omne vas bene compositum, laudat artificem. Quippe cùm legatur in Psalmis, *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam ?* In omni ergo insensata substantia, non voluntas, quæ utique nulla est, sed opera benedicunt auctorem. Si autem spiritaliter vis hoc accipere, per terram hominem significatum intellige, secundùm dictum Prophetæ, *Memento* enim ait, *Domine, quoniam terra sumus*, quem opera creaturæ in laudem conditoris sui prorumpere exhortantur.

Psal. 29. 10.

Benedicat *terra Dominum*, ait, hoc est, laudet & confiteatur veritatem tuam. Quomodo ergo in Psalmis, *Numquid confitebitur tibi*, inquit, *pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Non est sic intelligendum ut legitur & sonant verba. Neque enim sensum habet terra, ut gratias agat Creatori. Si autem spiritaliter hoc acceperis, terram hominem intellige, secundùm dictum Prophetæ, *Memento Domine, quoniam terra sumus.* Quam operam facti mundi in laudem Creatoris prorumpere exhortatur, ut confessionem veritatis ejus adquirat illis, quæ licèt taceat, clamare dicitur laudem Creatoris, cujus opus est. Hæc ergo caussa est, quòd in creatione terra Deum dicitur benedicere.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis inter post-vulgatas veter. Test. 16. Psal. 102.

QUÆSTIO XXXIX. *Eccl. 9. 4.*

QUID est quod legitur in Salomone, *Spes est*, inquit, *in tenebris : Melior est canis vivus leone mortuo ?*

Tenebræ gentilitatem & ignorantiam significant. Spem ergo majorem in gentili populo esse, quàm in apostata, vult intelligi per id quod subjecit, dicens, *Melior est canis vivus leone mortuo :* quia sicut leo omnibus feris fortior est, ita Christianitas omnibus sectis. Si quis ergo ab hac destiterit, amittit salutem, ita ut deterior gentili sit. Potest enim fieri ut credat gentilis, & adquirat salutem, quam perdidit apostata. At si non credat, adhuc pejor est apostata : quia deterius est amisisse salutem, quàm non habuisse. Canem autem gentilem significatum Salvator ostendit dicens, *Non licet accipere panem filiorum, & mittere canibus.*

Matt. 15. 26.

Tenebræ ignorantiam significant & gentilitatem : quia spes est in gentili potiùs, quàm in apostata. Hunc enim dicit leonem mortuum, hoc est, Christianum apostatam : quoniam quamdiu in fide duravit, leo erat ; at ubi recessit, mortuus dicitur. Canem verò gentilem dixit, de quo spes est, ut credat : quamdiu enim vivit, speratur de illo. Illius autem spes peribit. Nam canem, gentilem significari Salvator ostendit dicens, *Non licet panem accipere filiorum, & mittere canibus.*

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis inter post-vulgatas vet. Test. 19. Matt. 15. 26.

QUÆSTIO XL. *Isa. 54. 1.*

QUID est quod dicit Propheta, *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis : quia multi filij desertæ magis, quàm ejus quæ habet virum ?*

Quoniam filij Jerusalem terrenæ apostataverunt à Deo, non potest huic gaudium adscribi, sed mæror. Ad opprobrium ergo hujus Jerusalem Propheta illam superiorem Jerusalem lætari debere dicit, quam Apostolus matrem nostram appellat : quia sine gemitu & doloribus multo plures filios habet, quàm hæc quæ cùm lacrymis generat carnaliter, Judæos utique : illa autem Christianos per fidem spiritaliter. Quam ideo desertam dicit, quia ipsa est vita, quam deseruit Adam primus, & secutus est mortem. Cùm regenerantur ergo homines, revertuntur ad eam, quam deseruerant, vitam. Hæc vita Christus est, quia ipse dicit, *Ego sum vita.* Est & Deus pater vita, quia ait Dominus, *Sicut habet pater vitam, ita dedit Filio vitam.* Sine dubio & Spiritus-sanctus vita est, dicente Domino, *Quia de meo*, inquit, *accipiet.* De vita utique qui accipit, vita est. Tres ergo sunt una vita. Hæc est vita, per cujus fidem regeneramur. Ipsa est mater nostra, sicut in Genesi legimus, quia ipsa, id est, Vita, est mater omnium vivorum. Qui sunt qui vivunt, nisi qui credunt ?

Gal. 4. 26. Johan. 14. 6. Johan. 5. 26. Johan. 16. 15. Gen. 3. 20.

Duas matres hoc in loco intelligimus, cælestem & terrestrem, id est Jerusalem liberam, de qua dicit Apostolus, *quæ est mater nostra*, & Jerusalem istam quam *servire* dicit *cum filiis suis*, hoc est, Judæis. Propheta enim adventum Domini prædicans, & tempus gratiæ plenum in exsultatione vocis obtestans, Jerusalem cælestem, quæ ideo deserta dicta est, quia inhabitantes filios per fidem generatos non habebat, lætari debere hortatur. Tempus enim venerat, ut haberet filios olim prædictos & multo plures quàm fuerant hujus Jerusalem : quia Christiani supergressi sunt numerum Judæorum. Sterilis ergo dicta est, quia virgo est, quæ non per mixtionem & complexum generat filium, sed per solam fidem spiritaliter. Unde nec parturire dicitur ; quæ enim parturit, dolores patitur. Hæc enim exclamat in lætitiam salutis humanæ. Jerusalem verò terrena ideo virum habuisse dicta est, quia carnaliter generabat. Civitas enim quasi in matrem est significata, sicut & habitatio cælestis illa ad quam vocamur, mater nostra dicitur.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis inter post-vulgatas vet. Test. 15. Gal. 4.

QUÆSTIO XLI. *Gen. 1. 2.*

AN spiritus qui super aquas ferebatur, Spiritus-sanctus intelligatur, quia dictum est, *Spiritus Dei ferebatur super aquas ?*

Si videtur hic errasse in ista sententia, non est accipiendum quòd dixit. Ideo & à quibusdam Spiritus-sanctus esse putatur, quia Dei

spiritus legitur esse. Invalida autem & inanis assertio est : non solùm enim ordo hoc non patitur, & ratio abnuit, sed & verba ipsa infirma probantur ad causſam istam adstruendam. Nam his verbis frequenter aliud invenimus significatum in Lege. Inter cetera autem ait Dominus
Gen. 6. 3. Deus dicens, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia sunt caro.* Et in subjectis, *Sed deleam*, inquit, *omnia, ab homine usque ad pecus.* Propterea quia diluvium facturus erat super terram, nuinquid Spiritus-sanctus potest intelligi ? Nonne de animabus locutus est ? Nam non solùm nostræ animæ spiritus dicuntur, sed & pecorum. Sic enim
Gen. 7. 21. scriptum est, *Et mortua est omnis caro in aqua, in qua erat spiritus vitæ.* Et in Ezechiele Propheta sic dictum est, dum de reformatione
Ezech. 37. 5. hominum promittit Deus dicens, *Hæc dicit Dominus Deus ossibus istis, Extendam super vos cutem, & dabo in vobis spiritum meum, & vivetis.* Numquid de sancto Spiritu locutus est & non de anima ? Omnia quidem cælestia spiritus-sunt, sed differunt ab invicem, &
Johan. 4. 24. Deus spiritus est, sed longè aliter. Omnis itaque spiritus Dei est,
2. Cor. 3. 17. non tamen Deus est, nisi spiritus qui de ipso est. Cujus significatio hæc est ut sanctus dicatur. Nam & homines Filij Dei vocantur, & Christus dicitur Filius Dei, sed intervallum est, quia hic verus est, illi adoptivi. Sic quoque & inter Spiritum Dei diversitas est. Spiritus enim sanctus de Deo est, & consubstantivus ei : reliqui verò spiritus Dei esse dicuntur, sed creatura sunt Sed nec ordinis est ut Spiritus-sanctus ferri super aquas intelligatur. Cùm super aquas spiritalem
1. Cor. 15. 41. creaturam esse tradat ratio, & quæ super te habeat potiorem creaturam alteram, quia creatura à creatura differt in claritate : quidquid enim propè sedem Dei accedit, clariora sunt ministeria. Unde dicit
Tob. 12. 15. Raphaël Angelus inter cetera : *Ego sum*, inquit, *unus ex septem Angelis sanctis, qui adstamus & conversamur ante majestatem Dei.*

Q. ead. ex Mss. 2. generis & inter postvulgatas vet. Test. ordine 2. Si ideo à quibusdam Spiritus-sanctus putatur, quia Dei esse spiritus legitur, invalida & inanis assertio est. Non solùm enim ordo hoc non patitur, & ratio abnuit, sed & verba ipsa infirma probantur ad hanc assertionem adstruendam. His enim verbis aliud dictum significatur frequenter in Lege. Aic autem Dominus Deus, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, propterea quòd sint caro.* Et in subjectis, *Sed deleam*, inquit, *omnia ab homine usque ad pecus.* Hoc utique dicit, quia diluvium inducere habuit super terram. Numquam hic Spiritus-sanctus potest intelligi. De animabus enim dixit. Nam non solùm nostræ animæ spiritus dicuntur, sed & pe-
Gen. 7. 22. corum. Sic enim scriptum est, *Et mortua est omnis caro in aqua, in qua*
Ezech. 37. 6. *erat spiritus vitæ.* Et in Ezechiele Propheta sic dictum est, cùm de reformatione hominum promittit Deus dicens, *Hæc dicit Dominus ossibus istis, Extendam super in vos cutem, & dabo in vos spiritum meum, & vivetis.* Non utique ex eo Spiritus-sanctus debet intelligi, quia dictum est à Domino, *Dabo spiritum meum in vos :* cùm manifestè de anima dixerit Deus. Commune est enim hoc omni spiritui cum sancto Spiritu, ut similiter dicatur omnis spiritus, Dei spiritus. Intelligentia enim hîc necessaria est quæ discernat res unius nominis. Nam Deus utique spiritus dicitur, & anima hominis spiritus dicitur, & ventus similiter, & aër, & anima pecoris, & angeli, & quæcumque acceperunt ut vivant per substantiam propriam. Sed jam per intelligentiam discernis aliter Deum spiritum dici, & aliter creaturam : sicut aliter intelligis Christum dici Filium Dei, & aliter homines vocari filios Dei. Quotienscumque autem spiritum qui propriè de Deo est, vult Scriptura significare, addit dicens, Spiritum-sanctum, ut per hoc non creatura intelligatur, sed quia de Deo est, non aliud esse quàm est Deus credatur. Moyses autem cùm creaturam hylicam, id est confusionem rerum describeret, quæ utique sensu bruta est, super terram & abyssum & tenebras spiritum Dei superferri interlocutus est, ut ex eo spiritu & loco in quo ferebatur, superior creatura, quam spiritalem dicimus, cognoscatur. Nam & ex eo quod superferri illum dixit, creaturam illum significavit, quia omnis creatura Dei fertur virtute à quo accepit ut sit. Nam quis ordo est ut Spiritus-sanctus super aquas ferretur, quem constat utique super omnem esse creaturam ? Si enim Christus in dextera Dei est super omnes cælos, & sit
Coloss. 6. & Spiritus-sanctus, Res enim unius meriti & naturæ simul sint oportet : quamquam ubique Deus esse non negetur, hoc est Trinitatis poreitas, tamen debita honorificentia etiam reservatur, ut super omnem creaturam esse dicatur, ut proprium illi hoc sit. Quare & dicimus, *Pater noster qui es in cælis : & qui lucem habitat inaccessibilem.*

QUÆSTIO XLII. *Exod. 3. 2.* Cur Angelus missus loqui ad Moysen, in igne & in rubo apparuit in monte ?

Deus excelsus est : dignum ergo fuit ut in alto appareret, scilicet in loco qui vicinus est cælo. Et quia ignis semper superiora appetit sursum crescendo ad cælum, in eo debuit cælorum Dominus apparere, qui de humo ad superna contendit. In rubo verò causſa fecit, ut appareret, delictorum. Quia enim peccatorum causſa Legem descende-
Isa. 5. 2. rat dare, spinæ autem in peccatis significantur, quia *sustinui*, inquit, *ut faceret uvam, fecit autem spinas* ; & Lex statim vindicare non venerat, sed priùs ostendere ; ideo ignis rubum non combussit : id est, data Lex non fecit reos de præcrito peccantes. Nam & quia peccata non sunt de natura, sed ex accidenti ; rubi, id est, spinarum materia non habet radicem spinis armatam. Ratione ergo factum est, ut ita Dominus appareret Moysi.

Q. ead. ex Mss. 2. generis inter postvulgatas vet. Test. 7. Natura angelica secundùm se simplex est, cujus substantia superiora appetit, non inferiora. Ideoque Dominus in igne apparuit, cujus natura semper ad superiora tendit, ubi Christus est. In rubo autem idcirco, quia & spinas habet quæ nocent, & facilis est ad combustionem, & tamen ab igne non combustus est. Ignem fac esse Legem, quia peccatoribus ignis est. Rubus autem in peccatis significatur, quia à Salvatore ad comparationem cæterorum rubus mala arbor significata est : Et peccata nihil aliud quàm malitia. Igitur ignis cùm in persona Legis apparuit, non tamen exussit rubum : sicut Lex data præteriti peccati causſa, non utique vindicavit, sed magis abstinuit vim justitiæ suæ, ut postea jam data si contemea fuisset, vindicaret. Hac ergo causſa Dominus in igne & rubo apparuit, quia in rubo ignis Legem significavit.

Cum Abraham filium immolare prohibitus sit, cur Jephte filiæ sacrificium perfolvere non est prohibitus ? QUÆSTIO XLIII.

Multum intervallum est inter causſam Abrahæ, & causſam Jephte. Primò quidem Abraham legitimè natus est, Jephte verò spurius : erat enim filius meretricis. Deinde Abraham conversationis optimæ ; Jephte autem princeps latronum. Abraham vir justus, & in tentatione probatus ; in Jephte autem nullum justitiæ testimonium. Abrahæ itaque præceptum est, ut filium suum Deo offerret, ut ostenderetur hominibus, quantum Deo crederet Abraham, qui nec filium suum jubente eo dubitavit occidere. Qui enim contra mundi spem nasci eum potuit facere de sterili & anicula, non fuit ambiguum, quòd contra mundi rationem posset eum suscitare à mortuis. Hoc facto cumulatus est justitiâ Abraham. Ostendit enim Deus, quia non sanguinem pueri poposcerat, sed ut famulus suus Abraham hoc facto auctior fieret. Diligentes enim se aliquid pati vult, ut justè illos promovere videatur. Nam Jephte homo facinorosus & improvidus, stulta devotione munus Deo promisit dicens, *Quidquid mihi redeunti à cæde occurrerit ante ostia domus meæ, hoc offeram Deo.* Numquid coactus devovit, aut numquid intellexit quomodo deberet votum facere ? Quid enim si canis illi aut asinus occurrisset, quod Dominus offerri prohibuit, aut si filius alienus, aut si uxor, ut in dolore alieno exsultans redderet votum ? Idcirco improvidæ menti quod in alienam perniciem devoverat, in illum ipsum judicio divino retortum est : & usque adeo insensatus fuit Jephte, ut nec postea stultè se devovisse cognosceret, ut error ejus qui ab ipso cœperat, per ipsum emendaretur. Intelligere enim debuit Deum non tali sacrificio delectari, & rogare pro stultitia sua, & aliud offerre quod contra Legem non esset : sed fidelem se præstitit factus parricida, cùm constet fidem stultam non solùm minimè prodesse, sed obesse. In causſa itaque filiæ suæ ipse mactatus est, unde & Deus à tali sacrificio dissimulavit. Si enim hoc prohibuisset, aliud offerre sibi illum voluisse videretur, cùm sciret ut indignum non debere illum offerre. Filia autem ejus lucrum fecit, quia enim innocens in malis patris mortua est, pœnâ caruit inferi, quod diu fortè vivendo adipisci nequisset. Ut autem triumphus victoriæ Jephte prosequeretur, non meritum ejus fecit, neque populi : nec enim legitur supplices illos fuisse Deo, ut daret eis defensorem. Aut numquid ipsum Jephte Dominus misit, aut allocutus est ? Sed quia Allophyli deos suos laudabant, quasi qui subjectos illis fecerant filios Israël, vituperantes Deum Abrahæ, idcirco propter honorem nominis sui Deus vindicavit in Allophylos, si non propter istos vel propter meritum Abrahæ & suum culmen. Aut numquid quia spiritus Domini insiliit in Samsonem mererticantem, dignus dicetur, cùm hoc factum intelligatur ad Allophylorum perniciem ?
Judic. 14. 6. 19. & 15. 14.

Quomodo ostendi posset ex Prophetarum testimonio jam in novo Testamento à gentibus recepto, promissionem quam Deus Abrahæ fecerat, per Christi adventum esse completam ? QUÆSTIO XLIV. *Adversùm Judæos. Hæc deest in Mss. 2. generis.*

Scriptum est in Isaia Propheta, *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* Sed fortè dicant Judæi, Domus Dei, id est, synagoga omnibus patet. Nec renitimur, ita tamen ut sicut semper, circumcisi applicentur ad Legem. Lex enim eorum est qua justi sunt *Isa. 56. 7.* more Abrahæ circumcidi. Nihil ergo novum hoc exemplo Propheræ poterit videri, quia ex quacumque gente quis veniens, non est prohibitus adjungere se Legi ab exordio Judaïsmi Nihil novum à Propheta dictum poterit æstimari, immo superflue, si semper admissi sunt servire gentiles Deo Abrahæ, nec aliquando prohibiti inveniuntur. Et verum est, quia subjicientes se Legi numquam non susceperi probantur. Si igitur hæc ita sunt, superflue videtur admonuisse Propheta, quod semel traditum custoditum est semper. Et an quis tam hebes poterit inveniri, qui dicat tantum Propheram rem superfluam & inanem locutum ? nescio cui hoc eurum sit vel audire & non prohibere. Nam cùm Judæus utique populus propter peccata, quæ in Deum delinquebant, ab idolis suffragia requirentes, à Prophetis sæpe correpti, pœnitentiæ iter ingredi nollent, ut reverterentur ad Deum, ad exprobationem illorum domum suam Deus aperturum se omnibus gentibus ad orandum significavit, ut abdicatis Judæis, alios in loco illorum posiiurum se ostenderet. Nam si semper admisse sunt gentes ad Legem, sicut suprà dictum est, quomodo hoc Propheta dicebat futurum, nisi quia aliud significavit quàm præceptum erat priùs ? Non enim posset dicere de re quæ quotidie fiebat, quia futura erat. Unde manifestum est istud ad necem proficere Judæorum, quibus ostendit Propheta, quòd alij his amoris vocandi essent, ac receperuri donum gratiæ Dei, quod promissum fuerat Judæis. Quid sit autem promissum, Isaias Propheta docet, dicens, *Veniet ex Sion qui eripiet* *Isa. 59. 20.* *& avertet impietatem ab Jacob ; & hoc illis à me testamentum.* Igitur hoc testamentum est abolitio peccatorum. Hoc est Testamentum novum, quod promissum est per Jeremiam dicentem, *Ecce venient dies, dicit* *Jer. 31. 31.* *Dominus, & consummabo domui Israël & domui Juda Testamentum novum, non secundum Testamentum quod disposui patribus illorum in die, qua apprehendi manum illorum, ut educerem illos de terra Ægypti : quia ipsi non permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit* *Exod. 32. 44 & 19.* *Dominus.* Hæc est prævaricatio illorum, quando simulacrum vituli fecerunt, tunc Testamentum ejus corruperunt. Unde & tabulæ in quibus data Lex fuerat, sub monte confractæ sunt, ex eo quòd graviora præcepta meruerunt accipere. Sed quia clemens & misericors Deus est, promisit per Prophetas mutare se Legem, ut aliud Testamentum daret, quod differret ab eo quod dederat priùs : ut non solùm quod gvave erat mutaretur, sed & illa quæ in figura data erant, id est, sabbatum & circumcisio : ut quia diu pressi erant, per omnia relevati supplices Deo gratias agerent. Et quia in prævaricatione paterna durantes animos ab idolis avertere noluerunt, gentes cum residuis qui fidem servaverunt, Testamento frui quod futurum dixerat contestatur : ut duplici modo gravati excruciarentur perfidi Judæi. Et ad tempus enim gravati sunt præceptis, & in futurum congruas pœnas exlolvent, quia neque in veteri, neque in novo Testamento fideles inventi sunt. Novum ergo Testamentum dare se dixit, ut cessaret vetus, quod datum erat Patribus. Ac per hoc qui in hoc

Testamento servit Deo, neque sabbatum, neque neomenias, neque circumcisionem custodit, neque escarum discretiones, sed tantùm Dei habet timorem in fide : quia non ex Lege justificabitur, sed ex fide,
Abac. 2. 4. dicente Abacue Propheta, *Quia justus ex fide vivet* : ut non utique jam multis utatur præceptis ad Deum promerendum, sed paucis :
Isa. 10. 22. Isaia iterum de hoc sensu eadem dicente ; ait enim, *Si fuerit numerus filiorum Israël tamquam arena maris, reliquiæ eorum salvæ fient. Verbum enim consummans & brevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus in universo orbe.* Reliquis qui in fide promissionis perseveraverint, ceteris diffidentibus, breviatum Legis verbum ostendit : hoc est novum Testamentum quod promisit. Quod non aliter Testamentum diceretur, nisi simili modo etiam hoc sanguinis testimonio firmaretur : sicut & Testamentum vetus, ut nomen unum sit utriusque : sed in veteri multa, in novo autem pauca sunt præ-
Gen. 17. 4. 5. cepta, sicut promisit. Ut quia Abraham patrem multarum gentium futurum diceret, eodem modo justificaretur & filij, sicut fuerat justificatus & pater : ut ecssantibus quæ post fidem Abrahæ cœperant, suscipientes fidem per quam justificatus est idem Abraham, filij essent Abrahæ, sicut dictum est à Domino. Quod quidem nec mirum nec inauditum est, ut sine cura sabbati & circumcisione & reliquis hujusmodi mandatis justificentur homines. Nec enim per hoc placuit Deo Enoch, ut transferretur, neque Noë hoc servando in
Gen. 5. 24. Gen. 6. 8. Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. diluvio solus inventus est justus, neque ipse Abraham postquam circumcisus est, justificatus est : *Credidit*, inquit, *Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Tunc circumcisus est, ut signum esset in eo, quia credidit cùm senior esset, filium se habiturum. Non ergo circumcisio commendat Abraham, sed fides. Ideoque credentibus sufficit fides ad justificationem, ut filij sint Abrahæ in fide, non in circumcisione, quia his non est opus circumcisione. Non enim hoc creditur, quod credidit Abraham. Judæi autem idcirco jussi sunt circumcidi, ut fidei Abrahæ signum haberent, non suæ fidei, sed ut filij ejus secundùm carnem scirentur : si autem credant, erunt filij ejus & in justificatione. Quid enim prodest dici filium potentis eum qui impotens sit, nisi quia magis obest ? Dedecus est enim, inclyti & gloriosi filium esse sine honore. Nam in tantum circumcisio carnis
Jer. 4. 4. nullius meriti est, ut vindicaturum se dicat Deus per Jeremiam prophetam in omnes circumcisos præputio, si non fuerint circumcisi corde. Illis autem non indignatur, qui circumcisi corde præputiati sunt carne, quia nemo sine cordis circumcisione placuit Deo. Quicumque ergo circumcisi sunt carne, genus significant Abrahæ juxta carnem : nam qui circumcisi sunt corde, significant genus Dei secundùm fidem, quia circumcisi omni mundano errore Deum profitentur parentem. Quid ergo prodest carnis circumcisio, si cùm fides defuerit in Judæo, ad meritum Abrahæ pervenire non poterit ? Aut quid obest præputium, cùm nemo nisi qui æmulus fuerit fidei Abrahæ, pervenit ad justitiam ejus ? Superfluè igitur gloriantur de carnis circumcisione, cùm videant illam apud Deum meritum non habere. Et si, sicut est ostensum, melius est fidem habere, quàm circumcisionem, meliores sunt gentiles Judæis, quia isti fidem habent, Judæi circumcisionem. Et quos putas magis agnoscat filios Abraham, qui juxta carnem similes illi sunt, an qui in fide ? Sed Abrahæ fides testimonium perhibet. Ac per hoc non in carne, sed in fide gloriatur. Ideoque ista sunt in filios suscepit, quos videt imitatores esse gloriæ suæ. Quomodo enim illos poterit appellare filios, à quibus videt abhorrere unde placuit Deo & justificatus est ? Non ergo filios suos, sed inimicos poterit judicare. Invidi enim ejus videntur spernentes fidem, per quam glorificatus est. Nec mirum si Judæi diffidentes deprehendentur minimè suscipientes novum Testamentum, cùm sciamus illos nec in veteri fuisse fideles. Semper enim contra Deum rebelles & contumeliosi fuerunt, unde talia præcepta acceperunt, per quæ cervices illorum, quæ inflexibiles erant, premerentur. Numquam enim bona de Deo sperare voluerunt, cujus tanta beneficia & virtutes tam mirandas agnoverant. Hinc est unde inter cetera
Ezech. 20. 23. dicit Ezechiel propheta, *Levavi manum meam in deserto inter eos, ut dispergerentur inter gentes, & disseminarentur in regionibus, eo quòd justificationes meas non fecerunt, & præcepta mea repulerunt.* Et in subjectis, *Ego dedi illis præcepta non bona, & justificationes meas, in quibus non vivent in eis.* Ostendit qua causſa data sint illis præcepta tanta & tam aspera, ut quia ingrati tantis bonis exsiterunt, dictante justitiâ, præcepeis severioribus premerentur. Idcirco non bona ea dixit, cùm justa sint : quia non illis ad justificationem proficiebant, sed ad exitium : & pœna Judæ dignè illata, patienti tamen bona non est. Post hæc tamen, quia pius est Deus, novum Testamentum daturum se promisit, in quo abbreviatio facta Legis justificaret credentes, sicut justificatus est Abraham : ut ecssantibus neomeniis & sabbato & circumcisione & ceteris præceptis, non quæ naturalis legis sunt, id est, homicidium, adulterium, & talia, ita justificarentur sicut Abraham. Renovata enim fide Abrahæ, omnia voluit ecssare, ut tale tempus esset, quale fuerat quando credidit Abraham. Sed fortè dicant Judæi, Si ea quæ à Moyse data sunt, ecssare dicta sunt per abbreviationem Legis, numquid circumcisio à Moyse data est ut ecsset ? Ac per hoc signum patris nostri habemus, quia sumus filij Abrahæ, quod propter testimonium generis ecssare non debet. Tempore quidem suo servanda fuit circumcisio, id est, antequam novum Testamentum daretur, quod promissum erat. At ubi Dei gratiâ præstante, onera Legis ecssare jussa sunt, quid opus est circumcidi ? Idcirco autem nova Lex data est, id est spiritalis, ut ecssarent carnalia, & suscipientes eam signum ejus acciperent : ut sicut in veteri Testamento Abrahæ signum habuerunt, ex quo cœpit Testamentum vetus, ita & in novo signum habeant Salvatoris, qui novi Testamenti constituior est. Quemadmodum enim ex Abraham Hebræi dicti sunt, sic & ex Christo Christiani dicuntur. Quicumque ergo adhuc Hebræi dicuntur, novum Testamentum quod promisit Deus, non receperunt, beneficium & misericordiam Dei in irrirum deducentes : qui populum suum jam non hominis nomine volens censeri, sub Filij sui nomine constituere illos dignatus est. Qua igitur audaciâ dicunt Judæi, non nostra nos lege uti, sed sua, cùm dicat David, *Confitebor tibi in gen-*
Psal. 17. 50. & 56. 10. *tibus* : & iterum, *Epulamini gentes cum populo ejus ?* Et ad Jeremiam

propheram dicit Dominus, *Priusquam te formarem in utero, novi te :* *Jerem. 1. 5.* *& antequam exires de vulva, sanctificavi te ; & prophetam in gentibus posui te.* Judaïsmus certè proprias habet significationes : aut enim populus iste in Jacob significatur, aut in Samaria, aut in Jerusalem, aut in Judæa, aut in Israël. De gentibus autem apertum est, quia aliter illos significat quàm sunt Judæi. Noster ergo propheta est Jeremias. Quamvis enim in omnibus Prophetis gentes participes doni sui ostenderit Deus, ad Jeremiam tamen specialiter dicit, quia nobis illum dedit Prophetam. Hic enim novum Testamentum futurum significavit, quod plus gentibus proficeret quàm Judæis, quòd nunc declaratum videtur. Cùm enim in universa terra novi Testamenti fit prædicatio ; tam rarò & difficilè Judæus fidelis invenitur, ut omnes Ecclesiæ novi Testamenti gentium nominentur, sicut dictum erat in Osee pro-
Osee 2. 24. pheta, *Vocabo non plebem meam, plebem meam ; & non dilectam, dilectam.*
Repulsis ergo Judæis, convocat gentes eâ misericordiâ & gratiâ, qua vacare dignatus est & Abraham, nec enim Abraham non vocatus cognovit Dominum : itaque qui dignatus est Abraham, idem ipse dignatus est gentes. Cui ergo dicunt, Nostra est Lex ; cùm manifestum sit, donum Dei omnium esse volentium ? Cesset itaque ista usurpationis temeritas, quia gratia Dei communis est omnibus. Quo namque pudore negant Christum nostrum in Lege promissum, cùm videant omnia signa in eo, quæ Lex futura prædixerat ? Quia & secundùm Abrahæ *Gen. 22. 18.* promissionem omnes gentes justificantur, in eum credentes : & secundùm Isaiam propheram de virgine natus est in Bethlehem ex tri-
Isa. 7. 14. Mich. 5. 2. bu Juda, sicut fuit promissum ex semine David : & juxta quod Jere-
Jer. 31. 31. mias propheravit, novum Testamentum, quod Deus tunc promiserat futurum, prædicavit : & post omnia signa virtutum ostensa, humiliavit se, secundùm dicta Prophetarum & omnia quæ prædicta sunt, passus, tertia die resurrexit, quemadmodum scriptum est in
Dan. 9. 24. Propheta. Et si tempus promissionis requitur, sicut in Daniele Propheta ostensum est, invenient impletum tempore quo natus & passus est Christus : quia à tempore primi anni Darij regis Persarum usque ad nativitatem & passionem Domini & excidium Jerusalem, quod factum est per Vespasianum imperij Romani principem, impletæ sunt hebdomadæ septuaginta, quæ sunt anni quadringenti nonaginta, qui computus per regna & per successores imperij manifestus est. Quo-
Cap. 8. modo etiam à Tertulliano computatum inveniur in libro quem scripsit adversùs Judæos, quod ne ad injuriam ejus proficeret, quia rectè computavit, præterm isimus. Et quis ambigat de hoc numero, cùm trecenti circiter anni nunc super hunc numerum inveniantur ? Impudentis ergo est post tantum superadditum numerum adventui Salvatoris, dicere, Non venit. Sub Apostolis enim, aut tempore quo agebat Dominus inter homines, se poterat occultare malitia contradicens veritati, ut cùm omnia signa promissi Christi videret in Salvatore, de tempore tamen ambigere se diceret, ut perfidiam suam celaret. Pòst autem, cùm super promissum numerum supercrescere multi anni cœperunt, quæ impudentia est negare venisse, quod etiam & signis & temporibus adimplerum scitur ? Nam quando aliquid plenum est, & non superabundat, potest contentiosus aliquis dicere, non esse plenum ; sed superabundantiâ claudiiur os contentioso : ita & Judæi tempore Salvatoris potuerunt dicere (licèt per fallaciam) non bene computatum à Dario tempore usque ad Dominum Christum, ut ipse dicatur esse qui promissus est. Fallimur enim in annis & in mensibus & in diebus Imperatorum, & ad liquidum non colligimus. Ubi autem creverint tempora super numerum præscriptum annorum promissi Christi, nulla potest præcendi excusatio, ut non ipse esse Christus dicatur, qui venit, nisi (quod absit) mentitus dicatur esse qui promisit. Quando enim tempus promissionis emensum est, & negatur venisse qui promissus est, quid aliud quàm mendaci arguitur qui promisit ? Sed veracem esse qui promisit, signa omnia docent, quæ prædicta in Christo sunt, & reperta in Christo noscuntur. Judæi autem, dum emendare erubescunt, non cogitant futurum judicium. Nihil enim pejus est, quàm si neget quis verum esse quod intelligit non esse mendacium.

QUÆSTIO XLV. *Hæc deest in Mss. 2. generis. Gen. 1. 26. Gen. 11. 7.* Quomodo homo ad imaginem Dei factus sit, & utrùm ad dominationem, & an mulier quoque ?

Faciamus, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hoc quibusdam ex alia parte lectionis intelligendum esse videtur ; ex hac videlicet, in qua legimus dixisse Deum, *Venite, descendamus, & confundamus linguas eorum*, Quin quantum in superficie videtur, simile est : unius enim vox est, plurali numero loquentis : sed discrepat sensu, quia & dissimilis ratio est. Illic enim de creando homine dicit, quem ad imaginem & similitudinem suam Deus vult creari. Illud autem quod dicit, *Venite, descendamus, & confundamus linguas eorum*, ad hoc pertinet, ne se intelligerent homines : unde ad Angelos potest videri locutus Deus, quasi Imperator ad exercitum. Communiter enim dicit, quia factunus erat per illos, utpote Creator illorum : ac per hoc, *Confundamus*, inquit, *linguas eorum.* Nam cùm dicit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, non potest dici Angelis locutus : quia non potest dici una esse imago Dei & Angelorum, sicut Imperatoris & Comitum. Quia quorum imago est una, non potest dissimilis esse dignitas vel natura. Denique adjecit, *Et fecit*, inquit, *Deus hominem ; ad imaginem Dei fecit eum* : ut Deus dixerit, & Deus fecerit ; non alter Deus aut differens, sed idem Deus. Quod enim unus ad unum dixit, non aliam naturam significavit, sed personam. Cùm enim Deus unus sit, tres tamen personæ sunt ; & ideo unus est Deus, quia sive in Filio, sive in Spiritu-sancto Dei unius substantia est : quia non potest non hoc esse, quod de ipsa est, quod ipse est. Dei ergo Patris persona est dicentis, *Faciamus* : Filij verò facientis hominem ad imaginem Dei ; sive ad Patris, sive ad suam, nihil interest, quia utriusque una imago est. Fecit autem Filius per Spiritum-sanctum. Sicut enim Pater per Filium dicitur facere, ita & Filius per Spiritum-sanctum, ipso dicente, quia *ego in Spiritu Dei ejicio* *Matt. 12. 28.* *dæmonia.* Igitur una trium imago est, quia sive Pater, sive Filius, sive Spiritus-sanctus, unus est Deus. Ac per hoc unus factus est homo ad unius Dei imaginem. In eo autem imago Dei est homo, ut sicut unus est Deus in cælis, ex quo omnia subsistunt spiritalia : ita unus esset in terris homo, ex quo ceteri haberent carnalem originem. Aliquibus

tamen videtur, quia in dominatione Dei imago est factus homo; & quia dicit, *Et dominetur piscium maris, & volatilium cæli, & totius terræ*: cùm non solùm viro, sed & mulieri ista cernantur subjecta, quam constat Dei imaginem non habere. Quod quidem duplici modo caret ratione: per hoc enim neque ad Filium dixisse Deus asseritur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, sed ad dominationes cælestes, quas Apostolus commemorat, si imaginem Dei homo in dominatione habet: & mulieri datur, ut & ipsa imago Dei sit, quod absurdum est. Quomodo enim potest de muliere dici, quia imago Dei est, quam constat dominio viri subjectam, & nullam auctoritatem habere? Nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dicere, neque judicare: quanto magis non potest imperare?

QUÆSTIO XLVI. *Hæc deest in MSS. 2. generis.*

UTRÙM Samuel fuerit de filiis Aaron, & utrùm sacerdos fuisse existimandus sit?

Sunt quidam inter nos, qui partim negotiis sæcularibus occupati, partim minùs studiosi circa Scripturas sacras, errorem patiuntur, putantes Samuelem sacerdotem fuisse, id est, ex Aaron habere originem: ex cujus progenie constituit Dominus Deus nasci, non fieri sacerdotes. Nec alicui præter filios ejus concessum est, ut poneret in altare incensum. Ex quibus aliqui plus errantes, negant quidem Samuelem de genere fuisse Aaron; hoc est, non illum dicunt natum sacerdotem, & nihilo minùs sacerdotio illum asserunt functum. Quibus priùs respondendum est. Pejus enim est negare Samuelem natum fuisse sacerdotem, & tamen asserere illum functum esse sacerdotio, quàm dicere sacerdotem illum fuisse ex filiis Aaron. Hîc enim ignorantia est, illic stultitia. Cùm enim didicerint, qui illum putant natum sacerdotem, ex filiis Aaron non esse, manifestum habebunt non illum fuisse sacerdotem: ignari quia non licuit agere alicui sacerdotium, nisi ei qui esset ex semine Aaron. *Num. 16. 31.* Compertum enim habent: manifestum est enim, quòd Chore cùm non esset ex filiis Aaron, & voluisset super altare imponere incensum, hiatu terræ absumtus est cum sociis suis. *4. Reg. 15. 5.* Et Ozias Rex, cùm non utique esset ex semine Aaron, sed ex tribu Juda, *2. Paral. 26. 21.* & præsumsisset agere sacerdotium, stans ante altare, percussus leprâ in fronte est, & sic exspiravit. Illi autem, qui dicunt Samuelem non natum esse sacerdotem, & nihilominus egisse illum asserunt sacerdotium, satis stultum est quod dicunt: & stulto suadere quod bonum est, laboris est maximi. Quanta enim hebetudine ducuntur, ut sole apparente super terram, dicant, quia nox est. Cùm enim legant, & non uno loco legant, hoc à Deo esse decretum, ut nemo auderet sacerdotium agere præter Aaron & filios ejus, obstinata mente contendunt, sacerdotem fuisse Samuelem: non enim intelligunt, quia si natus sacerdos non est Samuel, & sacerdotium egit, præsumtor dicitur: quia hoc Deus statuit, ut nascerentur, non fierent sacerdotes. Et de Samuele hoc sentire puto tutum non esse. Quomodo enim posset fieri, ut vir laudabilis & Dei testimonio commendatus hoc ageret, quod inconcessum sciebat? Cujus etiam præsumtionis vindictam pro certo habebat semel & iterum factam. Neque enim Dei judicio potuit ad hoc adspirare, quem immutabilem sciebat: à quo, si fortè hoc audisset, tentari se potiùs credidisset, sciendo Deum nullo modo sententiam suam posse rescindere. Posset enim magis sub Dei apparentia & nomine id agi secum credere, ut circumveniretur à parte adversa, quàm judicium suum Deum posse mutare. Denique cùm Balaam prohibitus fuisset à Deo, ne iret ad Balach, & postea iterum requisisset, an iret, indignatus ei *Num. 22. 19.* Deus, ex ore asinæ corripuit eum: quia prohibentem Angelum videns asina, cœptum iter implere nolebat. Balaam verò, prohibente Deo ne iret, iterum interrogans, an ire illum vellet, sic de Deo quasi de homine judicavit, qui per id quod impræscius est, varius & mutabilis est. Sed Balaam nullo divino testimonio commendatur: erat enim hariolus. Samuel autem vir Deo carus, & judiciorum ejus sciens fixam esse sententiam, quomodo aliud fieri debere crederet, quàm sciebat à Deo esse constitutum? Sed Heli, inquiunt, mortuo, & filiis ejus sacerdotibus, Samuel cœpit agere sacerdotium. Quod nec lectio docet, nec ratio admittit. Hoc enim dicentes, nullum putant tunc fuisse, qui ageret sacerdotium, ut his tribus mortuis, nisi Samuel populi munera obtulisset, sacerdotium agi desiisset. Quæ asseveratio est Dei inimica. His enim Deus improvidus judicatur quasi nescius, cùm id statuit, quod permanere non possit. Ut quid enim nulli alij quàm filiis Aaron sacerdotium agere usque in sæculum statuit, hoc est, usque ad tempora adventus Christi, si hoc deficere sciebat? Si autem nescivit, quod absit, improvidus fuit: & ideo fieri potuit, ut nec Samuel fuerit illis deficientibus sacerdos. Si autem providus & præscius Deus est, permansit quod statuit: & si permansit quod statuit, Samuel non egit sacerdotium, qui Dei non erat sacerdos. In veteri enim Lege nasci decrevit Deus sacerdotes in nova verò fieri Dominus jussit sacerdotes. Eligant nunc unum è duobus, aut natum probent Samuelem sacerdotem, aut factum. Sed consentiunt non illum natum esse sacerdotem; quia sciunt illum non esse ex filiis Aaron. Si ergo natus non est sacerdos Samuel, factus autem non legitur, nec probatur, quia nec statuerat Deus fieri Sacerdotes; in absoluto est, Samuelem minimè fuisse sacerdotem. Sed contradictores clausis oculis, si sacerdos, inquiunt, non fuit, vicem tamen egit sacerdotis; quoniam legitur Deo sacrificium obtulisse. Quis audeat negare quod scriptum probatur? *1. Reg. 7. 9. 10.* Obtulit enim Deo sacrificium Samuel, sed non inde vicem sacerdotis egisse cognoscitur. Ipse enim semper dicitur offerre, cujus oblationes sunt, quas super altare imponit sacerdos, & Saül obtulit hoc utique genere, id est, per sacerdotem, sicut & nunc offertur: & David obtulit, & Salomon obtulit, & ceteri similiter obtulerunt, numquid omnes vicem sacerdotis egerunt? Quamvis enim proprio sacerdos fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cujus nomine agit sacerdos. Ipsi enim imputatur, cujus munera offeruntur. Et qui non fuit sacerdos, quomodo vicem agere poterat sacerdotis? Numquid diaconus potest vicem gerere sacerdotis? Præfectus etenim potest agere vicem præfecti, & prætor prætoris: non tamen privatus potest agere vicem potestatis alicujus: quanto magis sacerdotis vicem agere non potest, qui non est sacerdos? Quo enim consilio ad hoc adspirare au-

A deat, quod sibi scit non liceret? Nam si sacerdos alicubi desit, potest alterius loci sacerdos rogatus venire, & vicem ejus agere: non tamen propheta, quamvis sanctæ vitæ sit, agere potest quod scit sibi minimè esse concessum. Aliud enim est bene vivere, & aliud potestatem alicujus officij accipere. Sicut enim qui sacerdos est, non ex eo vitam suam commendatam putare debet: ita & qui sanctæ conversationis & vitæ est, non jam ex eo sibi sacerdotium vindicare debebit. Quamvis enim bonum sit sacerdotium, tamen malum erit ei, cui concessum non est, & præsumit. Nam si respiciamus quod scriptum est de sancto Samuele, videbimus quale testimonium det ei Scriptura, dicens, *Et innotuit*, inquit, *omni populo, quoniam fidelis est Samuel propheta Domino.* *1. Reg. 3. 20.* Et in Psalmo, *Fiant*, inquit, *Moyses & Aaron in sacerdotes ejus, & Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.* *Psal. 98. 6.* Quis non advertat ex hac distinctione divisas esse personas dignitatum caussâ, B ut Moyses & Aaron sacerdotalem dignitatem adepti noscantur, Samuel verò inter prophetas Deo dignus exstitisse habeatur, qui precibus Deum invocabant ad protegendum populum suum, sicut legitur? *1. Reg. 7. 9.* In tantum autem sacerdotes minimè defuisse probantur, ut revocata arca ab Allophylis, bajulis Levitis, viri Bethsamis obtulerint Deo sacrificia absente Samuele, Rege autem facto Saüle, Achimaas erat pronepos Heli sacerdotis, qui portabat Ephoth. Sed hinc, inquiunt, videtur sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat Ephoth. Quasi non hodie diaconi Dalmaticis induantur sicut Episcopi. Ephoth autem etiam David legimus fuisse indutum, & *2. Reg. 6. 14.* duplicem Ephoth. Samuel autem adhuc puerulus, succinctus erat *1. Reg. 2. 18.* Ephoth: numquid puerulus potuit Deo munera populi offerre? Vides ergo, quia Ephoth unum quidem nomen est, sed non unam rem semper significat. Sacerdotes enim portabant, non vestiebantur C Ephoth: Reges verò & Levita Samuel induebantur Ephoth. Aliquando ergo vestis, aliquando quasi [a] armariolum, quod portabant, sacerdotes ad interrogandum Dominum, significatur Ephoth. Quantum apparet, probatum est Samuelem non sacerdotem, sed Prophetam fuisse: nunc his respondemus, qui ignorantes quia Samuel non est de filiis Aaron sacerdotis, æstimant illum sacerdotem fuisse, nec enim fas erat, ut de origine Aaron descendens, sacerdos non esset. Quos primùm volo cognoscere, quia si sacerdos erat Samuel, sine dubio & Helcana pater ejus sacerdos fuit: congruum quoque fuerat & filios ejus sacerdotes fuisse: quos, quia sacerdotes non erant, judices illos constituit filiis Israël, sicuti & idem ipse erat Samuel. Sic enim legimus, quia *judicavit filios Israël.* Helcana autem pater Samuelis, propter quod sacerdos non erat, *Adscendebat*, inquit, *ex diebus in dies de civitate sua Ramathaïm* *1. Reg. 1. 3.* D *adorare & sacrificare Deo omnipotenti Sabaoth: & ibi erat Heli & duo filij ejus, Ophni & Phinees sacerdotes Domini.* Quid tam apertum, quia veniebat Helcana offerre munera sua ante Dominum per sacerdotes tempore competenti, secundùm quod statuerat Moyses, ut tribus temporibus anni offerrent munera & decimas suas, ubi fuisset arca Domini & sacerdotes? Quippe cùm & duas uxores habuerit tempore uno, quod illicitum est sacerdotibus. Erat enim Helcana ex Levitis, sicut generationum ordo se continet in libro Paralipomenon. *1. Paralip. 6.* Adhuc enim Levitæ non erant habentes ordinem constitutum ministerij circa sacerdotes & arcam Domini. David enim in regno suo disposuit vices sacerdotibus & Levitis, ut à viginti annis & supra, in Lege autem à viginti-quinque annis & supra, inciperent exhibere servitia Dominicis cermoniis: ut essent de filiis Aaron, id est de Phinees & Thamar traduce classes sacerdotum viginti-quatuor, E quæ vices suas agerent certis temporibus. Levitæ autem constituti sunt, qui essent tabernaculi janitores, & qui bajuli arcæ Domini, & qui excubias observarent, & qui vasorum essent custodes, & qui promiscuas susciperent oblationes. Et viginti-quatuor classes institutæ sunt cantantium & citharizantium & musicorum ceterorum, ita ut etiam hi, id est, omnes Levitæ haberent temporum vices: quia necesse erat eos & otium habere, ut & domorum suarum agerent curam. Et non solùm hæc proficiunt ad caussam suprà dictam, quoniam Samuel non fuit de filiis Aaron; sed & illud quod dicit mater ejus ad Dominum, quia *si mihi*, inquit, *dederis filium, commodo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ.* *1. Reg. 1. 11.* Non hoc diceret, si natus esset sacerdos, oportebat enim illum servire altari: sed quia Levita erat, & adhuc Lex Levitis non erat posita; sed unusquisque pro voluntate sua agebat, ita ut oberrantes illicita præsumerent. Jonatha enim F filius filij Moysi, cùm inter Levitas deputatus esset, sacerdotium agere præsumsit tribui Dan. Ac per hoc legimus in libro judicum, *Quia unusquisque*, inquit, *placita, sibi faciebat, eo quòd non esset rex in Israël.* *Judic. 17. 6.* Idcirco vovit Anna dicens, *Commodo eum Domino*: ne cum ceteris oberraret. Et ut pleniùs quæstio discuti possit, etiam illud tractemus, quod dictum est de Helcana, quia *veniebat ex diebus in dies offerre munera sua, & decimas*: quomodo decimas offerebat, qui nihil possidebat? Levitæ enim non acceperunt agros; quia de decimis, quæ à plebe dantur, victum quærebant. Sed potest fieri, & sic datur intelligi, quia potuit habere possessionem uxoris suæ, aut emtam: quia de aliis tribubus accipiebant uxores, non solùm hi, sed & ceteri; ita ut & sacerdotes acciperent de aliis tribubus uxores. Nam Joiade sacerdos magnus uxorem duxit de tribu Juda filiam regis Joram. *2. Paral. 22. 11.*

QUÆSTIO XLVII. *Hæc deest in MSS. 2. generis.*

QUOMODO hoc quod in Isaia dicitur, *Et apprehendent septem* G *mulieres, &c.* septem Ecclesiæ Catholicæ significentur? *Isa. 4. 1.*

Et apprehendent, inquit, *septem mulieres unum hominem, dicentes, Panem nostrum manducabimus, & vestimentis nostris operiemur: veruntamen invocetur super nos nomen tuum, aufer opprobrium nostrum.* In absoluto est, per septem mulieres septem Ecclesias esse significatas: quamvis enim una sit, sed septiformis dicitur, ut corpus unum septemplici numero constet membrorum: non solùm enim nos, sed & superni cives Ecclesiæ membra sunt, cujus caput Christus est. *Ephes. 5. 23.* Sive igitur una, sive septem dicantur Ecclesiæ, non discrepat. Una enim dicitur, quia unum habet caput, quod est Christus: septem autem ideo, quia sicut membra diversa sunt, ita & potentiæ spiritales, inter quas & nos deputamur, diversæ sunt virtutes, propter quod & [b] aëriæ dicuntur. Idcirco enim diversæ sunt, ut non

a *MS. Colbert.* armilliolum.

b *MSS. Colbert.* egeno.

omnia singulæ possint, sed simul omnes corpus sint Christi: quia ipse est caput corporis Ecclesiæ, *Col. 1. 18.* ex quo totum corpus subsistit, id est ex quo omnia in cælis & in terra habent originem. In hac ergo quæ in terris est Ecclesia, omnium Ecclesiarum facta est mentio: quia cùm huic sacramentum Creatoris prædicatur, etiam cælestibus hujusmodi intimatur doctrina. Inferioribus enim cùm insinuatur, necesse est ut audiant & superni. Unde Apostolus, *Mihi*, inquit, *minimo omnium sanctorum data est hæc gratia, inter gentes evangelizare incomprehensibiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispositio ministerij absconditi à sæculis in Deo, qui universa creavit, ut innotesceret principibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Per hanc ergo Ecclesiam superni docentur, quia *Psal. 84. 12.* *Veritas*, ait, *de terra orta est.* Ut enim mentio superiorum fiat, hîc septem Ecclesiæ nuncupantur in una plebe, quas septem Ecclesias supplices Propheta inducit Salvatori facto homini. Intellexerunt enim ad hoc natum esse Christum, ut auferret opprobrium, primùm quidem sub Lege sua agentium, deinde ceterorum. Habebant autem in memoria, scriptum esse, *Veniet ex Sion qui eripiat & avertat impietatem ab Jacob.* Hæ ergo septem Ecclesiæ apprehenderunt hominem unum, id est, natum Christum, dicentes, *Panem nostrum manducabimus, & vestimentis nostris operiemur. Veruntamen invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Quid est hoc quod precantur? Si enim pane proprio utuntur, & vestimentis suis induuntur, id est, & vivunt, & nudæ non sunt, quid eis deest? Si enim panis ad vitam significatur, & vestitus ad Dei [a] indutionem; quia qui sine Deo est, nudus dicitur: unde Apostolus, *Qui in Christo*, ait, *baptizati estis, Christum induistis.* *Gal. 3. 27.* Et iterum, *Si exspoliati*, inquit, *non nudi inveniamur*, *2. Cor. 5. 3.* quid est quod poscunt ut auferatur ab eis opprobrium: nisi quia hîc populus significatur in septem Ecclesiarum numero, qui sub Lege agens Christum exspectabat promissum ad abolenda peccata? Ideo dicunt? *Panem nostrum manducabimus*, hoc est, verbis Legis quæ unum tradunt Deum, *Deut. 8. 3. Matt. 4. 4.* pascemur: quia non in pane tantùm vivit homo, sed in omni verbo

A Dei. *Et vestimentis nostris operiemur*, id est, Creatoris nostri nomine censebimur: quia hoc unusquisque indutus dicitur, quod & est & profitetur. Denique senatores vel officiales ex vestibus intelliguntur quid sint. Sed quia hæc satis non faciunt ad Deum promerendum, hoc etiam statuit, ut per sacramentum cognitionis unius Dei, heres esset homo regni cælorum. Per fidem enim peccatis ablutus, & à morte secunda (quæ ex sententia data in Adam, homines apud inferos detinebat) alienus, nullo detinente, pergit in paradisum Dei Patris, in quo dixit latroni Dominus, quòd secum esset futurus. *Luc. 23. 43.* Quamvis enim populus supradictus, qui per septem Ecclesias significatus est, sub Dei Lege esset, & devotione [b] tam proprij, quàm paterni delicti, *Quia omnes*, inquit, *peccaverunt, & egent gloria Dei*; *Rom. 3. 23.* idcirco orant suprà memoratæ Ecclesiæ, ut auferatur opprobrium earum invocatione nominis Christi: quia qui signum ejus habent quo vicit mortem, ab inimico teneri non possunt. Et non B solùm istæ Ecclesiæ Christi nomen super se invocari precantur, sed & supernæ spiritales in cælestibus degentes. Quamquam enim spiritales sint & cælestes potentiæ, opprobrio tamen subjacent, si à Creatore suo fuerint alienæ, & nec membra erunt corporis, quæ caput suum non cognoscentes oberrant. Et quia aliud non est quàm explanavimus, in subjectis propheta testatur dicens, *In illa autem die illuminabit Deus in consilio super terram.* *Isa. 4. 2. Sec. LXX.* Et adjecit, *Quoniam abluet Dominus*, inquit, *sordes filiorum & filiarum, & sanguinem purgabit de medio eorum.* Quid tam evidens, quàm in illo die, id est quo promissum Dei adimpletum est, & fidei sacramentum declaratum est, hominibus, illuminati sunt, ut per Creatoris cognitionem purificati, qui rei fuerant mortis, fierent æternæ vitæ heredes? Promiscuè igitur Propheta locutus est, ut omnes dono Dei indigere significaret, ut sive peccatores, sive justi, Dei misericordiam exspectasse noscerentur: peccatores propter delicta propria, ut de faucibus C mortis eriperentur: justi verò paterno absoluti peccato, deletâ sententiâ datâ in Adam, per quam cuncti tenebantur à morte, libertate accepta Dei regnum intrarent, facti jam non servi, sed Filij Dei.

a *MS. Colbert.* devotionem.

b *MS. Colb.* & devotione à mundi ipsius origine induebatur tunc purificatione tā proprij, &c.

QUÆSTIONES EX NOVO TESTAMENTO.

QUÆSTIO XLVIII.

DEUS certè perfectio est & nullius egens, quid ergo opus fuit Christo Salvatori ut nasceretur de Deo, & filium haberet Deus per quem omnia faceret?

Cùm ea quæ non erant Deus voluisset exsistere, & majestatis suæ minimè hoc condignum opus sciret, priùs de se, cùm sit natura simplex & incorporeus, Filium generavit, [a] qui nihil ab eo distaret, ut magnitudini suæ congruus responderet effectus. Quid enim ultrà posset facere, quàm ut ex se alterum qui perfectus est, generaret? Hoc ergo perfectum opus est, quo nihil possit aliud videri præstantius. [[b] Cetera enim omnia minora sunt: quanto enim excellentior his omnibus Christus est, tanto magis creatio illorum inferior est generatione ejus. Est & aliud:] Deus enim, ex quo sunt omnia, volens condere creaturam, Verbum priùs quod in mysterio apud se habebat, generavit, hoc est fecit exsistere. E Quod Verbum idcirco Filium nuncupavit, ut ostenderet de se illum exstitisse, & esse sibi consubstantivum: ut lex, qua filij de parentibus sunt, hoc credibile faceret, per quod manifestaret creaturæ mysterium, quod latuit in eo ex æterno.

a *In MSS. 2. gen. additur,* in quo ipse videretur.

b *Hæc exstt. in MSS. 2. gen. postque verbum* generavit, *sic q. terminatur,* per quem faceret quæ facta sunt, ut ostenderet creaturæ mysterium, quod latuit in illo ex æternis, sicut dicit Apostolus.

QUÆSTIO XLIX. *Luc. 2. 11. Matt. 3. 14.*

CUR Salvator cùm sanctus natus sit, & Christus Dominus in ipsa nativitate appellatus, baptizatus est, cùm baptisma purificationis caussâ sit, & peccati?

Verum & manifestum est, Salvatorem non eguisse baptismo; quia Christus non factus, sed natus est, dicente Angelo pastoribus, *Ecce natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Denique sciens Johannes sanctitatem ejus, prohibuit eum à baptismo: Salvator verò institit fieri oportere, non utique propter peccatum suum; sed propter implendam justitiam. Dignum enim erat, ut ipse exemplo esset futuris filiis Dei, qui per baptismum filios Dei fieri docebat: F & qui credentibus Spiritum-sanctum à Deo dari promittebat; debuit istud in semetipso visibiliter demonstrare, quo comperto credentes invisibiliter se posse Spiritum-sanctum habere sperarent. Nam Salvator utique, cùm de Spiritu-sancto nasceretur, purificatum corpus habuit. Unctio enim carni ejus spiritaliter in utero virginis data est. Spiritus enim sanctus purificavit quod de Maria virgine in corpus Salvatoris profecit: & hæc est unctio carnis corporis Salvatoris. Quare & natus Christus est appellatus. Quod enim per olei unctionem præstabat Deus ministerio prophetarum iis, qui in reges unguebantur, hoc præstitit Spiritus-sanctus homini Christo, addita expiatione. Quia anteriores Christi solam potestatem imperij accipiebant per unctionem: Salvator autem & potestatem accepit homo natus, & purificatus est natus. Incongruum enim erat, ut Dei Filius in corpore peccatis subdito nasceretur. G Hominis ergo caussam suscipiens, & per regenerationem filios Dei fieri docens, baptizari debuit, ut in se hoc ostenderet ratum. Facilè enim probatum habetur & suadetur quod dicitur, si à magistro fieri videatur: sic utique & virtutum insignia oportuit fieri, ut jam Filius Dei apparens, per mysterium regenerationis medelam daret corporis passionibus, ut exemplo esset futuris fratribus, quia per regenerationem accipit unusquisque potestatem virtutis.

QUÆSTIO L.

Si ideo Salvator baptizatus est, ut exemplo esset; quare circumcisus, ceteros prohibuit circumcidi?

Circumcisio præteriti temporis mandatum est, quam usque ad Christum oportuit habere auctoritatem, ut tamdiu curreret, quamdiu D Christus nasceretur promissus Abrahæ, ut de cetero cessaret circumcisio promissione impleta. In figura enim Christi Isaac promissus est. Dixit enim ei Deus, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: *Gen. 22. 18.* quod est Christus. Fides enim, quam Abraham acceperat, restaurata à Christo est, ut in semine Abrahæ, quod est Christus, omnes gentes benedicerentur, sicut promissum fuerat Abrahæ. Circumcisio itaque signum fuit promissi Filij Dei, id est Christi, quo nato cessare oportuit signum promissionis: ita tamen ut ipse promissus adveniens signum patris acciperet, ut sciretur is esse, qui promissus fuerat omnes gentes justificare per fidem in circumcisione cordis. Quia enim patri Abrahæ carnaliter nascentis filij signaculum circumcisionis corporale fuit; ita & eorum, qui spiritaliter nascuntur, spiritale signum est circumcisio cordis: ideoque rectè post Christum non adhuc oportuit carnaliter circumcidi.

E Circumcisio usque ad Christum indulta est, Abraham autem circumcisionem in Christo promisso accepit, ut tamdiu circumcisio curreret, quamdiu Christus nasceretur promissus Abrahæ, qui omnes gentes justificaret per fidem, sicut fuerat justificatus Abraham. Ideo debuit circumcidi, ut ipse probaretur esse qui promissus Abrahæ esset: ita ut de cetero circumcisio cessaret, impleta promissione. Baptismus autem non debuit cessare, quia forma renascibilitatis est à Christo cœpta; non priùs data, & usque ad Christum consummata, sed à tempore Christi incipiens & cursum suum tenens usque ad consummationem mundi.

Quæst. eadem ex MSS. 2 generis, inter post vulgatas ex novo Test. ordine 22.

QUÆSTIO LI. *Luc. 1. 34.*

QUOMODO intelligatur, quod dicenti Mariæ ad Angelum, *Et unde hoc sciam, quia virum non cognosco?* Respondit Gabriel Angelus, *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

F Ambigenti Mariæ de conceptu, possibilitatem Angelus prædicat, dicens, *Spiritus sanctus superveniet in te*, hoc est, Ne dubites, quia virum nescis: quod enim dixi, quia concipies, Spiritus-sanctus superveniens in te, operabitur ut concipias sine viro. *Et virtus Altissimi*, inquit, *obumbrabit tibi.* Altissimi virtus sine dubio Christus est: hoc enim ad ipsius personam pertinet. Superveniens ergo Spiritus-sanctus in Virginem, sanctificavit eam opere suo efficiens corpus sanctum ex ea, in quo virtus quæ dicitur Dei Filius, nasceretur. Cujus obumbratio in Virginem hæc est, ut de immensitate divinitatis aliquid esset in utero Virginis, quantum posset capere natura humana, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur, * virtus Dei esset; quæ Dei virtus, necnon & Deus. Nihil enim de Deo est, quod non dicatur Deus. Nam hoc corporeum est, ut sit in carne aliquid & caro dici non possit, ut pili, & ossa, & nervi & cetera.

* *f.* diceretur virtutis Dei, essetque.

G Ambigenti Mariæ de conceptu, &c. Virtus Altissimi sine dubio Christus est. Ad ipsius enim personam pertinet dictum hoc signum enim Filij Dei, hoc est cùm dicitur, Virtus Dei. Juxta divinitatem verò & Pater virtus est, & sanctus Spiritus virtus est, & trium horum una virtus, quia una substantia est. Spiritus-sanctus ergo carnem ex virgine fecit Salvatori: virtus Altissimi autem, id est Christus, obumbravit eam veniens in carnem factam à Spiritu, ut in corpore & anima lateret Filij virtus. Latère autem ejus, est ad tempus non intelligi. Obumbratio autem quid penitus intelligatur, considerandum est. Vis autem hujus verbi si exprimatur, obumbratio virtutis Dei, impetitio aliqua intelligitur, ut dum obumbratur corpus,

Quæst. eadem ex MSS. 2 generis, inter post-vulgatas ex novo Test. ordine 38.

aliquid sumere ex Dei virtute dignoscitur. Hoc autem aliquid totum est, quia non potest partiri divinitas. Sequitur itaque, *Propterea & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod enim de Spiritu-sancto natum est, in se habens obumbrationem virtutis Dei, quæ est Filius Dei, sine dubio sanctum natum est, id est corpus Filij Dei. Sancti enim corpus sanctum est. Sanctus ergo Filius Dei in sancto corpore natus est. Sic etenim de carne Christi dixit David, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: ut in corpore sancto ipse significetur.

QUÆSTIO LII.

Prov. 9. 1.

Si de Spiritu-sancto natus est Christus, id est effectu ejus ex Maria caro factus, cur dictum est, *Sapientia*, quæ utique Christus est, *ædificavit sibi domum?*

Quæstio ista gemina ratione potest intelligi, Primùm enim domus Christi Ecclesia est, quam ædificavit sibi sanguine suo. Deinde etiam potest & corpus ejus dici domus ipsius, sicut dicitur & templum ejus. Si enim propter habitationem dicitur templum Dei, non absurdè dicetur & domus, sicut legimus in Lege. Sed si effectu Spiritus-sancti factum est corpus, & domum posse dici arbitramur, quare ad personam Christi relatum est, quæritur. Factum Filij, factum Patris est, quia utriusque una virtus est. Simili modo etiam factum Spiritus-sancti, factum Filij Dei est, propter naturæ & voluntatis unitatem. Sive enim Pater faciat, sive Filius, sive Spiritus-sanctus, Trinitas est quæ operatur: & quidquid Tres fecerint, Dei unius est operatio.

Quæst. eadem ex MSS. 2. generis.

Factum Filij, Factum Patris est; quia una virtus Patris & Filij est. Sic factum Spiritus-sancti, factum Christi est; quia de ipsius accepit. Secundùm personam ergo effectu Spiritus-sancti Christus caro factus est, id est homo natus: secundùm divinitatem autem Christus operatus est in Virgine, ut fieret caro. Quia Spiritus-sancti & Christi una divinitas est; ac per hoc opus Spiritus-sancti, opus Christi est.

QUÆSTIO LIII.

Si omnia ratione facta sunt, quid est ut octavo Kalendas Januarias Salvator natus esse dicatur?

Nemo sic poterit hebetari, ut neget omnia facere Deum cum ratione. Ideo ergo Christus descendens de sacris sedibus ad salutem mundo tribuendam, ut etiam mundum ipsum & tempora à se instituta doceret tunc nasci homo voluit, ad diminutionem humani generis augmentandam in Deum, quando ex magna diminutione lux quæ dies est, crementum incipit accipere: ut tempus nativitatis ejus ratione congruat doctrinæ divinæ, quæ ex umbra mortis homines cœpit multiplicare ad vitam.

QUÆSTIO LIV.

Psal. 2. 7.

Si ex semine David Christus Filius Dei factus est secundùm carnem, hoc est, natus jam Filius Dei est in utroque, quia sanctus natus est, quomodo ergo postquam baptizatus est, dictum ei à Domino Deo est, *Tu es filius meus, ego hodie genui te?*

Christus Dei Filius ex æterno est secundùm spiritum sanctitatis: juxta carnem verò ex semine David natus est Filius Dei, ut in utroque non factus Dei Filius habeatur, sed natus. Illud autem quod in baptismo audit, mysterij, non sua caussa est: Nam hoc omnibus audit, qui baptizantur. Ipse autem demonstratur tantummodo, ut ex hoc appareat in homine virtutibus Deus: ceteri verò firmantur, quia ex hoc incipiunt esse Filij Dei, cùm sanctum accipiunt Spiritum. Quamvis enim sanctum natum sit corpus Domini, non tamen sacramento regenerationis firmatus fuerat homo Christus esse Filius Dei, nisi Spiritum-sanctum accepisset, juxta decretum renascibilitatis donum. Nam & Judæi Filij Dei dicti sunt in devotione, non in sacramento quod nunc operatur, ut accepta remissione peccatorum superveniente sancto Spiritu dicantur Filij Dei. Salvator ergo & natus est secundùm carnem Filius Dei, & pòst in mysterio firmatus. Nec enim poterat quod de sancto Spiritu natum est, non de Deo nasci: sed ut propositum mysterij impleretur, superveniente spiritu non diminutum est, sed auctum.

Quæst. eadem ex MSS. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. ordine 45.

Christus Filius Dei secundùm spiritum ex æterno est, juxta carnem autem Dei Filius ex semine David est ex nativitate. Non per baptismum factus, quia de Spiritu-sancto natus purificatum corpus habuit. In baptismo autem ideo audit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ut ostenderet per mysterium baptismatis filios Dei fieri. Denique Spiritu descendente & manente in se, audit hæc verba: quia ante acceptum Spiritum-sanctum non sunt Filij Dei. Audit ergo non sibi, sed nobis, ut in illo disceremus quomodo Filij Dei esse possemus. Non enim sibi baptizatus est, sed nobis, quomodo alio loco ipse Dominus ait, *Non propter me venit hæc vox, sed propter vos, ut credatis*: ita & hoc factum est, ut forma nobis fieret.

Johan. 12. 30.

QUÆSTIO LV.

Quid caussæ fuit ut illo tempore crucifigi se permitteret Dominus, quo octavo Kalendas Aprilis Pascha acturi erant Judæi?

Omnia propriis locis & temporibus egit Salvator. Ut enim omnia se voluntate Patris rectè condidisse doceret, tunc voluit passione sua mundum redimere & reformare, quando eum & creaverat, id est in æquinoctio, unde mundus initium cœpit, & dies super noctem increscere. In regno itaque agens Romano, nonnisi octavo Kalendas Aprilis pati debuit, quando æquinoctium habent Romani. Tunc enim utique primùm hæc pars mundi illuminata est, & ex eo dies cœpit crementum accipere. Ideoque & passione Salvatoris tunc à tenebris ad lucem perducta est. Nulla itaque vituperatio auctoris poterit videri, quando lapsam creaturam tunc reformavit quando & fecerat. Nec enim reprehendi poterit rei lapsæ initium creationis, cùm ad id redeat instauratio. Eadem [a] enim die voluit esse renovationis gaudium, quo fuerat & dedicationis.

[a] In MSS. 2. gen. ita concluditur: Ergo mysteriũ hoc continet, ut salus mundo tunc redderetur, quando eam acceperat.

QUÆSTIO LVI.

Matt. 1. 16. Luc. 3. 23.

Quare in Matthæo pater Joseph Jacob scribitur, & in Luca Heli, ut aut duos patres habere imperitè descriptus sit, aut certè qui verè pater ejus sit nesciatur?

Non est ambiguum patrem Joseph Jacob fuisse. Ordo enim à David per Salomonem tramitem suum tenens, recto cursu pervenit ad Jacob, cujus filius est Joseph: Heli autem filius Mathat, à David per Nathan filium ejusdem David, ordinem tenet, usque ad tempus quo [b] Salvator advenit. Unde singuli Evangelistæ à David singulorum fratrum generationum ordinem prosecuti, quasi furcam fecerunt, ut Matthæus à David per Salomonem descenderet ad Joseph: Lucas verò ab Heli, qui tempore fuit Salvatoris, adscendit per traducem Nathan filij David: & utriusque, id est, Heli & Joseph junxit tribum, ostendens unius generis esse utrumque; ut cùm Heli sociat Joseph, non discrepare eos in generatione, sed fratres ostendat: ac per hoc non solùm ipsius Joseph filium esse Salvatorem, sed & Heli. Ipsa enim ratione, qua ipsius Joseph filius dicitur Salvator, ipsa est & Heli filius, & ceterorum omnium, qui de eadem tribu sunt. Hinc est quod dicit Apostolus, *Quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem.* Divino etenim nutu permotus Lucas est, ut ab Heli per traducem Nathan adscenderet ad David, & per Tharam patrem ejus adscenderet ad Sem filium Noë, & adhuc super diluvium perveniret ad Seth filium Adæ, qui redditus est pro Abel: & eadem ratione faceret filium Adæ Salvatorem, qua dicebatur filius esse Joseph & Heli. Super Adam autem transcendens, adsignaret ante omnem carnem Christum Filium Dei esse. Illud quod quibusdam videtur, quia Heli acceperat uxorem Jacob, quomodo Lex mandavit, ut si quis mortuus fuisset sine filiis, acciperet frater aut propinquus uxorem ejus, & resuscitaret semen fratris sui; & ita factum, ut Heli generaret Joseph Jacob, cujus uxorem acceperat; & per hoc jungi generationem, ut non immeritò Joseph patrem habere Heli dicatur: hoc nec probabile est, nec ad ullam rem proficit. Illud autem quod suprà dictum est, & per generationem jungit duos fratres filios unius, & Christum ostendit Filium Dei esse ante omnem generationem. Evangelista enim cùm referret, dicens, *Et ipse Jesus erat incipiens ferè annorum triginta, filius sicut putabatur Joseph, qui fuit Heli*, id est Jesus filius æstimabatur Joseph: & non solùm Joseph erat filius, sed & Heli. Non quia Joseph filium dicit Heli, sed eodem genere, quo Joseph vocabatur filius esse Jesus, ita erat etiam filius Heli, propter quod fratrum filij erant Joseph & Heli, id est Salomonis & Nathan filiorum David, ut per David adscendens ad Abraham & Noë & Seth, & ad ipsum Adam, & super Adam, doceat esse Christum Filium Dei. Cùm enim dicit, *Qui fuit filius Seth, qui fuit filius Adæ, qui fuit Filius Dei*; Christum utique ita dicit Adæ filium, sicut dicebatur filius Joseph. Ait enim Maria ad eum, *Fili quid fecisti nobis sic? Etenim ego & pater tuus mœsti & tristes quærebamus te.* Super Adam autem junxit Christum Patri Deo, ut qui horum, id est ab Adam usque ad Joseph & Heli filius dicebatur, ante istos omnes Dei verus Filius intelligeretur, ad confusionem Photini, qui Christum nonnisi ex Maria, nec antè fuisse contendit. * Quorum enim non erat, filius dicebatur; & Dei, cujus Filius verus erat, negabatur. Si enim, quod improbabile est, & ad nullam rem proficit, Joseph Heli filius dicatur, secundùm quod suprà diximus, non dixisse videbitur de Christo, quia fuit Filius Dei, sed de Adam. Per ordinem enim singulorum filiorum patres subjiciendo, venit ad Enos, cujus patrem dicit Seth: patrem autem Seth dicit Adam, Adæ verò patrem dicit Deum: & nescio quæ utilitas sit sic asseverare. Si autem per ordinem, sicut diximus, singuli patres Christi dicantur, sicut & filius dicebatur Joseph, quia dictum est, *Quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem*; ipso ordine legitur filius esse Seth, & filius Adæ. Et super hos omnes adsignatur filius Dei, ut ante ipsos dicatur esse, quorum filius nuncupatur.

Nathan filius David.

[b] MSS. 2. generis, ad tempus quo fuit Joseph. Hi enim duo filij id est Joseph & Heli duorum fratrum, Salomonis & Nathan, singuli ex singulis fratribus per ordinẽ generationũ suarũ pervenerunt ad tẽpus quo Salvator advenit.

Rom. 9. 5. — Deut. 25. 5. — Luc. 3. 23. — Luc. 2. 48. — Rom. 9. 5.

* Reliquum deest in MSS. 2. generis.

QUÆSTIO LVII.

Malac. 3. 1. Marc. 1. 2.

Quid est hoc ut cùm in Malachia propheta scriptum sit, *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparet viam tuam ante te*; Marcus hoc evangelista in Isaia propheta scriptum adserit?

Non potuit latêre Marcum, quid scriberet: nec enim expers erat lectionis, qui ab infantia divinis litteris imbutus & exercitatus erat in Lege, maximè cùm Apostolos sit secutus. Sciens autem omnia ad auctorem referenda dicta, hæc ad Isaiam revocavit, qui sensum istum prior intimaverat dicens, *Vox clamantis in deserto: parate viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri.* Denique post verba Malachiæ statim subjecit Evangelista dicens, *Vox clamantis in deserto*; ut jungeret verba utriusque prophetæ ad unum sensum pertinentia sub prioris prophetæ persona.

Isa. 40. 3.

QUÆSTIO LVIII.

Johan. 1. 31. & 33. Matt. 3. 14.

Qua ratione negat se Johannes Christum scisse ante baptismum, cùm venienti ei ad baptismum dicat, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me*: quomodo ignorabat eum quem prohibuit, humilians se ei?

Tanta sanctitate præditus est etiam ab ipsis cunabulis Johannes, ut nec falli nec fallere credatur, nec Dominum suum qui eum in utero per Spiritum-sanctum illuminaverat nescire: ac per hoc verum est, quia & descendente in eum Spiritu agnovit eum, & priusquam ad baptismum veniret, non ignoravit eum. Sciebat enim eum, sed an ipse esset, qui donum Dei olim Patribus repromissum ministraturus esset, nesciebat? hoc est, quod tunc se didicisse profitetur, cùm vidit in eum Spiritum descendisse. Sic enim se à Deo instructum dicit Johannes, *Super quem*, ait, *videris Spiritum descendentem & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu-sancto.* Hoc etiam Apostolus contestatur: *Dico enim*, inquit, *Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum.* Hoc est in quo nesciebat Dominum Johannes: quamvis enim magnificentiam ejus non ignoraret, hoc tamen latuit eum, quia per ipsum fides Abrahæ implenda erat.

Johan. 1. 33. — Rom. 15. 8.

QUÆSTIO LIX.

Johan. 3. 12.

Si baptisma cæleste mysterium est, cur Nicodemo cùm de baptismo dubitanti loquitur Dominus, *Si terrestria*, inquit, *dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis?*

Qui baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritalis: nec donum cæleste poterit consequi, qui se non per aquam, sed per fidem immutari non credat. Aqua enim cernitur, sed qui non videtur Spiritus operatur, ut fides in eo sit. Quia sicut sordes corporeas aqua, ita Spiritus animam abluit à peccatis: ut quomodo visibilia visibilibus, ita & spiritalibus prosit Spiritus: ac per hoc spiritalis ratio vertitur in baptismo. Plus enim est ibi quod auditur, quàm quod videtur. Cùm hinc ergo Nicodemus carnali instructus ratione dubitaret, Salvator ut eum ad fidem adtraheret exemplo usus est congruo, ut ad rem invisibilem firmandam visibile daret exemplum,

exemplum, quod solo auditu consistit, non visu, & non negatur: & est tamen terrenum, quia mundi rem operatur. Ait ergo Dominus ad Nicodemum suadendo illi, *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat vel quò eat. Sic est omnis qui renascitur ex aqua & Spiritu-sancto*: ut quomodo vox venientis spiritus, id est, venti, auditur quidem, non autem videtur, sicut dictum est; sic & ratio baptismi auditur quòd dicatur; tamen quomodo per Spiritum fit non videtur: auditur tamen, cùm quid futurum est ab eo qui verba insinuat, prædicatur, ut fieri credatur quod auditur, non tamen ratio facti reddatur. Cùm autem nec per exemplum Nicodemus duceretur ad fidem, tunc audivit à Salvatore, *Si terrestria*, inquit, *dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Ista verba terrena dixit, quæ ad exemplum protulit: hoc est, si per rationem terrenam, inquit, exempli dati, spiritus, id est, venti, non creditis posse fieri, quia quomodo fiat, non videtur; quomodo fieri poterat, ut si darem cælestia exempla, quæ utique nescitis, crederetis? Potest enim homini suaderi quod nescit, per id quod scit; ut puta Deus dicit de Christo, quòd Filius ejus sit verus, quod quomodo sit, comprehendi non potest: per id autem quod scimus secundùm carnem quomodo sint filij, credimus ideo Deum dixisse, Christus Filius meus est verus, ut de semetipso illum esse significaret. Hoc modo & Salvatorem quod nec verbis nec animo explicari potest, per id quod sensibile est & auribus auditur, voluit commendare; hoc est per exemplum spiritus qui est ventus, quem & sensibilitas capit & auris audit, sed unde veniat nescit, factum Spiritus-sancti, quod capi non potest, voluit facere credibile. Sed & in Actibus Apostolorum eodem modo legitur: *Et factus est*, inquit, *subitò de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus validi, & replevit totam domum, &c.* Ecce apertè exemplo venti Spiritum-sanctum insinuat ita de cælo advenisse, & sonuisse, quemadmodum validus ventus super terram. Nam & Jeremias ventum spiritum vocat dicens, *Ventus spirat in omni regione.* Qui propterea quod in hoc mundo est, & per diversa circumfertur loca, unde veniat, vel quò eat, nescimus. Spiritus autem sanctus de cælo venit, sicut legimus, ut credentes illuminet. Quomodo ergo quibusdam videtur de Spiritu-sancto Salvatorem dixisse, *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, vel quò eat?* cùm constet exempli caussâ locutum hoc Salvatorem. Denique subjecit, *Sic est*, inquit, *omnis qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto.* Quid tam apertum, quia spiritum ventum significavit? Sed ideo putant non ventum significatum, quia ait, *Ubi vult spirat*: quasi non omnis creatura, lege sibi positâ, remissa sit arbitrio proprio. Et nos enim imus, & facimus quod volumus, agentes sub lege, quare & rationem præstabimus. Aut possibile putatur, & nec stultum videtur, ut effectum volens sancti Spiritus insinuare, illum ipsum daret exemplum. Igitur omni genere quæstionem solutam arbitror.

Johan. 3. 8. — Act. 2. 2. — Johan. 3. 8.

Quæst. eadem ex MSS. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 16.

Quod dixit, *Si terrestria dixi vobis, & non creditis*, non pertinet ad baptismum; quia baptismum nostrum scimus esse spiritale, quamvis per aquam celebretur: sed ratio illic vertitur cælestis. Nec enim aqua purificat, sed invisibiliter & incomprehensibiliter Deus. Pertinet verò ad imitationem dati exempli, id est, ad id quod dixit, *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, vel quò eat.* Per hoc enim exemplum ad fidem Nicodemum voluit informare, ut crederet renasci hominem per aquam & Spiritum, non tamen posse capi quomodo fiat: fit enim spiritaliter. Sic enim spiritus, hoc est venti vocem audis, quæ est sonus, sed nescis unde veniat, vel quò eat: sic & eum qui renascitur, quomodo immutetur nescis, tamen quia fit sentis, quia immutationem ipsam sentis. Si enim ventus ubi vult spirat, quanto magis Spiritus qui de Deo est, quem vult sanctificat? Ideo autem dixit, *Ubi vult spirat*; quia omnis creatura quamvis sub Lege agatur, proprio tamen dimissa est arbitrio. Si quis autem spiritum istum, Spiritum-sanctum putat intelligi, non stat: quippe cùm exempli caussâ spiritum istum posuerit, per quem quod dixerat renasci per aquam & spiritum hominem oportere, & à Nicodemo non credebatur, suaderet. Nam utique aliud est exemplum, & aliud quod firmatur exemplo. Si ergo in exemplum datus est, non est Spiritus-sanctus mundanus, qui dicitur ventus. Volens enim rationem spiritalem suadere, non credenti Nicodemo, exemplum spiritus dedit, ut per ipsum ratio & operatio sancti Spiritus crederetur. Spiritus tamen sanctus scimus, quia de cælo venit, ut se infundat credentibus, sicut factum legimus inter initia Apostolis, & sonum tunc vocem appellatum. Ita enim dictum est, *Et subitò factus est de cælo sonus tamquam advenientis spiritus validi.* Hunc sonum in subjectis vocem appellat. Exemplo enim spiritus, id est venti, Spiritus-sancti opera ostendit, ut dictum Salvatoris maneret. Quid enim aliud est cùm dicit, *Et factus est de cælo sonus tamquam advenientis spiritus validi?* Sic utique dixit Spiritum-sanctum descendisse & sonuisse sicut ventus validus. Hunc ergo spiritum ad exemplum dedit. Denique ait, *Sic est omnis qui renascitur.* Et hic unde veniat nescimus: Spiritus autem sanctus de cælo venit.

Act. 2. 2.

QUÆSTIO LX.

Matt. 8. 4. Marc. 1. 44. Luc. 5. 14.

Si Lex & Prophetæ usque ad Johannem, quomodo Salvator ad sacerdotes mittit offerri munera pro emundatione lepræ?

Hoc quidem non fuit temporis, sed ad condemnationem factum est Judæorum: ut cùm veritatis culmen meliorati temporis non intelligerent ad lucrum salutis suæ factum, inclinaret se veritas ad accusationem eorum. Cùm enim velut Legis inimicum haberent Salvatorem, quia misericordiæ caussâ ab onere illos Legis volebat liberare, sicut prædictum erat ab Jeremia propheta: ait enim inter cetera, *Et dabo illis Testamentum novum, non quale dedi patribus eorum.* tunc Salvator, ne inimicus, sicut putabant, appareret, nova prædicans, eum qui mundatus fuerat à lepra, ad sacerdotes misit offerre munera pro emundatione sua, sicut præceperat Moyses. Et ut ad accusationem eorum hoc proficere testaretur, *In testimonium*, inquit, *illis*: ut in judicio hæc res contra illos testis esset, qui Salvatorem inimicum Legis dicebant. Hoc secutus est & apostolus Paulus: cùm enim prædicaret jam non oportere circumcidi, ipse Timotheum circumcidit propter scandalum Judæorum: maluit enim rem superfluam facere, quàm tumultum excitari à falsis fratribus: quod quidem errori profecit Judæorum. Satis enim eis factum est ad horam, per quod in perpetuum errarent.

Jer. 31. 32. — Levit. 14. 2. — Act. 16. 3.

Quæst. eadem ex MSS. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 28.

Hoc secutus est apostolus Paulus. Cùm enim prædicaret jam non oportere circumcidi quemquam, ipse Timotheum circumcidit, propter scandalum Judæorum. Maluit enim rem superfluam facere, quàm imperitos ex quibus aliqui possent salvari, scandalo esse. Dominus autem propè similiter, ut Judæis, quod de illo opinabantur, auferret, (dicebant enim hunc inimicum traditionis Judaïcæ) tunc jussit ut leprosus offerret munera pro emundatione sua, sicut præceptum erat à Moyse: & subjecit, *In testimonium illis*: ut hæc res testis esset contra illos, quia Salvator non erat Legis inimicus. Factum itaque est quod jam cessare debuerat. Sed quia solent superflua jam non nocere, ideo factum est ut prodesset illis utique, qui malè opinabantur, ut satis sibi facerent, quia Salvator non erat Legis inimicus.

QUÆSTIO LXI.

Matt. 12. 1. 1. Reg. 21. 4.

Quid est ut Judæis Discipulos accusantibus, eo quòd sabbatum violarent, spicas manibus confricantes & comedentes, Salvator exemplum David proferret, quia manducavit panes, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus? per quod non videntur excusari, sed simul cum David rei fieri: quippe cùm nec sabbatis fecerit hoc David.

Salvator hypocrisim Judæorum multis vult exemplis arguere, majora ostendens admissa in Lege, & nullum ausum fuisse accusare: ut non solùm semel & iterum sabbatum in Lege violatum monstraret, verùm etiam sacerdotalem panem ipso sacerdote concedente præsumtum illicitè: & quod majus est, à sublimi auctoritate Legis suæ viris. Primus enim Jesu Nave divino præcepto sabbatum non servavit, quo facto, muri Jericho ultro ceciderunt. Quantum profuit sabbatum non custodisse, sed fidem? Et Machabæi, cùm priùs cæsi fuissent, sabbatis dimicaverunt, & de hostibus triumphaverunt. Et sacerdotes ut Dominicis cerimoniis inservirent, in templo sabbatum contemnebant. David autem jam unctus in regem, postquam Dei virtute interfectum armis exspoliavit Allophylum, in itinere positus, necessitatem famis passus, à sacerdote panem accepit, quem non illi licebat manducare: sed excepta necessitate non licebat; licitum autem erat, si necessitas exegisset. Denique sacerdos videns necessitatem, non negavit; & David à Deo electus, sine cunctatione accepit: talis caussa est & sabbati, quare & circumcidi in sabbato non prohibetur. Hæc enim quæ periculosa non sunt, sic servanda mandata sunt, ut non obsit, si ex necessitate fuerint admissa: quia non ad salutem, sed ad reverentiam mandata sunt. Illud autem quod omnino non licet, semper non licet, nec aliqua necessitate mitigatur, ut admissum non obsit. Est enim semper illicitum, quod legibus quia criminosum est, prohibetur. Superiora autem illa, quæ diximus aliquando licere, talia sunt, qualia jejunia legitima, quæ in necessitate soluta, non faciunt reos, si stomachi fuerit caussa aut infirmitas febrium. Hæc igitur scientes, dolosè Judæi Discipulos accusabant, quasi sabbatum violarent, sicut suprà dictum est. Salvator autem noluit illis de tempore impletæ Legis præjudicare, ne plus ad insaniam prosilirent; sed de præterito, unde sabbatum vindicandum magis putabant, calumniosos illos ostendit: & non solùm in sabbati caussa, sed etiam in sacerdotali pane confusi sunt, sicut suprà ostensum est.

Jos. 6. 20. — 1. Mach. 2. 38. & 41. — 1. Reg. 21. 1.

Quæst. eadem ex MSS. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. ordine 23.

Noluit Salvator de tempore impleti sabbati præjudicare Judæis. Apertè enim audire quod verum est, non illos dignos judicavit, utpote infideles: sed de eo illos voluit convincere, quod sibi præsumebant, id est de tempore quo adhuc sabbatum robur suum tenere videbatur, cùm accusarent Discipulos cur sabbatis spicas vellerent, & confricantes manibus manducarent, & jam sabbati servandi tempus esset impletum. Prætermisso hoc ostendit illis, etiam tunc quando sabbati adhuc lex manebat, necessitatis caussâ sabbatum fuisse violatum: quod enim non licebat, fecit David; & quod prohibitum erat fecit Jesus Nave, quando muros Jericho septem diebus armatos jussit circumire: & quod interdictum erat Machabæi gesserunt, sabbatis se defendentes, *Et in templo*, inquit, *sacerdotes sabbatum violant, & sine crimine sunt.* Per hæc ergo ostendit, malevolentiâ magis quàm errore accusari Discipulos à Judæis; quando hæc omnia scientes à volentibus sabbatis gesta, & à sanctis quidem, accusabant innocentes. Sic enim mandatum est sabbatum custodiri, ut si necessitas tamen esset, reus non fieret qui sabbatum violasset. Ideo sabbatis circumcidi non est prohibitum, quia necessitas erat ut fieret. Unde & Discipuli esurientes spicas vellebant, quod non licebat secundùm præteritum tempus, sed necessitate famis factum est licitum: sicut & David fecit quod non licebat cùm esuriret, & sciens famem hoc excusare. Talis hæc caussa est, qualis hodie in jejuniis legitimis. Numquid si quis æger jejunium corruperit, reus constituitur? Non utique, quia non est periculum. Hoc enim aliquando licet, sicut sabbatum apud veteres. Quod enim semper non licet, non habet excusationem necessitatis.

QUÆSTIO LXII.

Matt. 2. 18.

Quid est ut occisis filiis Liæ, qui erant ex tribu Juda, Rachel filios suos plangere dicatur?

Quantum ad historiam pertinet, Rachel filij sunt tribus Benjamin. Porrò olim pro maleficiis propriis, operibus scilicet Sodomitarum, & stupro quod in concubinam viri Levitæ gesserant, à reliquis tribubus exstincti & erasi sunt. Quamobrem consolationem recipere velle negatur, sciens nullam spem eorum qui periisse noscuntur. Filij autem Liæ in primævis annis, in Salvatoris caussa occisi sunt. Unde eorum caussam planctui non vult adscribi; quia & innocentes occisi sunt, & propter Deum, à quo sine dubio mercedis gratiâ æternâ vitâ donati sunt. Quapropter planctum Rachel filiis dicit competere, qui & in præsenti & in futuro erasi sunt. Illi autem carnaliter plancti, spiritaliter consolati sunt. Filij autem Rachel carnaliter conversati, flammis spiritalibus consumentur. Idcirco autem Liæ filiis occisis adimpletum planctum Rachelis Evangelista testatur, quia tunc [a] plangere filios suos cœpit, quando filios sororis suæ in tali caussa vidit occisos, ut æternæ vitæ heredes exsisterent. Cui enim aliquid adversum advenit, ex felicitate alterius, infausta sua miseriùs luget.

Judic. 19. — Matt. 2. 18.

[a] MSS. 2. generis, plus plangere.

QUÆSTIO LXIII.

Matt. 2. 2.

Qua ratione Magi Chaldæi per stellæ apparentiam Christum regem Judæorum natum intellexerunt, cùm stellâ indice temporalis rex soleat designari.

Hi magi Chaldæi non malevolentiâ astrorum cursum, sed rerum curiositate speculabantur. Sicut enim datur intelligi, traditionem Balaam sequebantur : qui cùm accersitus esset à Balach ad maledicendum populum Dei, divino nutu benedicere cœpit. Ex hujus ergo relatione compertum habebant, futurum Dei providentiâ ex Jacob qui regnaret. Hinc enim, quod non est occultum, prophetavit dicens, *Orietur stella ex Jacob*, &c. Istam ergo traditionem Magi secuti, videntes stellam extra ordinem mundi, hanc esse intellexerunt quam Balaam futuram indicem regis Judæorum prophetaverat. Quod quidem factum contra inimicos religionis est. Inde enim testimonium accepit unde solet improbari. Astrologi enim inimici sunt veritatis.

Num. 23. 20.

Num. 24.17.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 39.

Hi Magi Chaldæi non malevolentiâ, &c. *Orietur stella ex Jacob, & exsurget homo de Israël, & confringet duces Moab, & prædabitur omnes filios Seth, & erit Edom hereditas ejus*, &c. Hæc ergo prophetia est Balaam, non quia fuit propheta, sed Deus causſam populi sui egit per illum, non voluntarium sed invitum : sicut prophetasse inveniuntur missi à Saül ad David capiendum, & sicut ipse Saül cùm dictum est, *Numquid & Saül inter Prophetas ?* Hinc enim probare voluit Deus quanta sit majestas Dei Judæorum, qui cùm maledicere venerat, convertit, ut bonum illi videretur benedicere populum Dei. Nec enim maledictum ejus poterat timere, cujus cor habebat in potestate. Hunc ergo Prophetam hanc intimasse collegis suis datur intelligi, qui cùm curiosi sunt circa astra, videntes stellam incognitam, & nimia claritate fulgentem, ita ut solem luce superaret, (videbatur enim per diem) conferentes inter se, animadverterunt hanc esse stellam quam futuram dixerat Balaam.

B

QUÆSTIO LXIV.

QUOMODO probatur post tres dies & noctes resurrexisse Salvatorem ex mortuis ?

Exod. 24. 18.

In hac causſa si numerum dierum ac noctium per ordinem requiris, effectum intelligentiæ non habebis. Quia & Moyses quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunavit, & tamen non integer numerus invenitur : quando enim per diem adscendit, & per diem descendit, omnem utique numerum non implevit : sed quia ubi dies est computatur nox, & ubi nox est computatur & dies, ut à parte totum, quadraginta dies & quadraginta noctes dicuntur. Ita est quod

Matt. 12.40.

dixit Salvator, *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ.* Et quia tres noctes sunt, tres accipiantur & dies. Est enim nox ne novum aut contra rationem fortè videatur, ut cùm nox ex die pendeat : nam ante lucem factam, ex qua appellatus est dies, quàm vesperum quod sequitur nox institutum, minimè dubitatur, quòd passio Dominica à nocte sumere asseveratur initium, non absurdum est. Nam sicut lux, id est dies, imago vitæ est ; ita nox similitudo mortis est, id est tenebræ : sicut in Scripturis evidenter ostenduntur filij lucis, & è contra tenebrarum. Nec mirum si cùm ubique dies nocti, & lumen tenebris, hîc solùm quæ sunt sequentia anterioribus præponantur ; vel quod in tali causſa rerum ordo confunditur & mutatur, ut antè signavimus. Nam mortis nox magis, quàm dies esse videtur. Ideo etenim à nocte initium sumitur, quia non aliter principi tenebrarum nisi per noctem potuit subintrari, id est non potuit vinci : & ut aliquatenus Dominus lucis, id est æternæ vitæ, principi tenebrarum sive mortis subjectus esset ad tempus ; quatenus & præteritos & post futuros à morte liberaret. Nam non esset mors penitus evacuata, nec umquam tenebrarum caligo discussa, si Dominum non vidisset subintrantem. Etenim tanta luce secretum mortis, in quo dominabatur, evanuit, nec penitus vinci potest, nisi qui vel per sua vel in suis capitur. Rectè ergo in tali negotio tantunmodo nox obtinet principatum, ita ut amitteret potestatem : & ut Judæi non credentes in perpetua nocte remanerent, nec auctor dies tanti sceleris, immo sacrilegij, sed nox fieret, præcedenti nocti contra rerum seriem subditur dies, sicut Deus & Dominus omnium rerum principi nefariæ mortis, ut omnes à mortis laqueis explicaret. Quod si cui adhuc forte videtur esse contrarium, diligenter advertat ne incipiat illud durius æstimare, quòd Deus se personam induens servi, non dicam hominis, morti dederit. Quid ergo hîc & ordinem quæris, ubi omnia videas esse contraria ? Quæ est enim lux

Johan. 1. 5.

quæ fuit in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt ? Dominus lucis, qui & comprehensus est. Qui enim scit se ad hoc comprehendi ut feriatur, tempus illud in mortem computat. Est & dies sequens qua auditus & crucifixus est. Est & nox quæ cadit in sabbatum, est & ipsum sabbatum. Est etiam vesper post sabbatum, hoc est quod Judæis à Moyse præceptum est in figura, ut vespere intrarent in sabbatum, in quo Dominus resurrexit : qui complectitur diem Dominicum ; quia nox non computatur sine die, neque dies sine nocte. Hac ratione post tres dies & post tres noctes Dominus resurrexit.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 18.

Præterea Salvator omnium quæ in se futura erant, hæc protestatus est, certus ad hoc se à Judæis comprehendi ut occideretur, se quoque impietati illorum non repugnaturum, cùm posset utique eos illudere. Quippe cùm propterea jam detentus, aurem servi principis sacerdotum, quam producto gladio absciderat Petrus apostolus, reddidit : ut se ostenderet non infirmitate humiliatum, sed providentiâ quadam voluntati illorum cessisse ad tempus, ut per hoc regnum inferni destrueret. Improvidus enim diabolus sensibus se Judæorum immersit, ut eos ad necem Salvatoris incenderet, quasi sibi prodesset, si hic qui viam veritatis ostenderet, tolleretur de vita : nesciens futurum adversùm se. Cùm enim peccati causſâ de captivitate hominis triumpharet, inventus ipse reus per id quòd Christum innocentem occidit, ut eum qui peccatum nesciebat, inter peccatores teneret : ita factum est, ut etiam illos quos jure in inferis tenebat, amitteret. Igitur horum præcisis Salvator, noctem qua comprehensus est, simul computavit. Omnis enim detentus, qui se judicis manus non credit evadere, antequam feriatur, jam se mortuum dicit. Adde huic diem quo passus est, & sequentem noctem. Adde & sabbatum & noctem quæ lucescit in diem Dominicum cum ipso die Dominico, & complevisti mysterium verborum Domini. Novissima enim nocte cùm adhuc tenebræ essent, & dies inciperet oriri, inter lucem & tenebras surrexit, ut & nox computetur, & dies, quò possit numerus à Salvatore prædictus integer inveniri.

C

D

QUÆSTIO LXV.

Matt 27.45. *Luc.* 23. 44. *Joan.* 19. 14. *Marc.* 15.25.

SI uno ore & ratione Evangelistæ locuti sunt, quomodo factum est ut tribus dicentibus, id est Matthæo, Luca & Johanne, quia sextâ horâ crucifixus est Dominus, Marcus è diverso tertiâ horâ crucifixum dicat Salvatorem ?

Obscuris vera involvere non est bonum. Nam tres Evangelistæ unum sensum habuerunt, Marcus autem rem quæ ab illis prætermissa fuerat, voluit intimare, sciens necessariam. Nec enim falli posset qui auctorum exempla secutus, ea quæ scripsit magna devotione & industriâ didicit, & nec sine sancto Spiritu fecit. Quid ergo ex hoc ostendere voluit, debet absolvi. Contendum itaque est, quia non à Pilato, sed à Judæis Salvator crucifixus est. Quantum enim ad leges Romanas pertinuit, innocentem pronuntiavit Salvatorem.

B

Johan. 19. 4.

Ait enim Pilatus Judæis, *Ego nullam invenio causſam in eo.* Et dicentibus illis, *Crucifige eum :* respondit, *Quid enim mali fecit ?* Denique persistens & voleus educere eum de manibus eorum calumniam passus est, dicentibus eis, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Sic factum est ut traderet eum judicio illorum. Sententiam ergo non dedit Pilatus, sed Judæi. Denique præmoniti sunt, inquit, à principibus sacerdotum, ut dicerent, *Crucifigatur.* Hanc sententiam tertiâ horâ datam vult intelligi in qua assiduis vocibus perdurantes cum intervallo horarum ferè trium, quibus itum & reditum est ab Herode, crucifixerunt Salvatorem. Omnis enim qui addiciur morti, ex eo jam mortuus computatur, quo sententiam excipit. Manifestavit igitur Marcus, quia non in judicis sententia Salvator crucifixus est.

C

Difficile est enim innocentem probare eum, qui sententiâ judicis punitur. Discordare ergo se passus est in verbo, ut doceret tertiâ horâ cœpum esse, quod sextâ horâ impletum est : non legibus, sed persistente malevolentiâ Judæorum.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 21.

Obscuris vera involvere non est bonum. Nam tres Evangelistas verum dixisse ipsa concordia obtestatur. Marcum autem sensum nescio quem occultum voluisse prodere, res ipsa declarat. Nec enim falli posset, qui auctorum exempla secutus, ea quæ scripsit, magna devotione & industriâ didicit. Quid ergo ex hoc dicto prodere voluit, sollerti vigilantiâ investigandum est. Nec enim otiosè à tribus Evangelistis discordare se passus in verbis est. Animadvertamus ne verum dicant, qui sententiam datam tertiâ horâ dixerunt, ac per hoc tertiâ horâ crucifixum Salvatorem, quamvis illud probare non valuerunt. Sensum enim fortè sciunt, sed quarenus defendant, ignorant. Ideoque Pilati personâ interim sequestratâ videamus, unde sententia data in Salvatorem accepit exordium, & tunc apparebit an posſit verum videri quod dicimus. Constat itaque principes Judæorum prænonusse Judæos ut Barrabam latronem peterent sibi in die festo dimitti, Jesum verò crucifigere debere. Contra quod Pilatus cùm diu resisteret, volens dimittere Salvatorem, frequenter intrans & exiens ad Judæos, dicebat nullam se in eo causſam mortis videre. Illi autem insistentes dicebant, *Crucifigatur.* Hinc moræ ortæ sunt, & cùm illuditur à militibus, & producitur, & veste purpurea induitur, & fit ei corona de spinis, & adoratur, & conspuitur, & flagellatur, & palmis verberatur, propterea sextâ horâ in crucem positus est. Ad Pilatum autem adductus est : tunc exivit ad eos Pilatus foras, quoniam ipsi non introierunt prætorium ; & allocutus est eos, & audivit falsas accusationes eorum, & misit illum ad Herodem, & regressus est, & iterum interrogavit Jesum, & ipse è contra respondit ei, & postea iterum exivit ad Judæos & collocutus dicebat, nullam causſam mortis esse in Salvatore. Interea perventum est ad horam tertiam per has moras. Tunc Judæi volenti Pilato dimittere eum dixerunt, *Crucifigatur.* Contra quos Pilatus diu resistens, cùm non potuisset obtinere, tradidit Jesum sententiæ illorum horâ ferè sextâ. Sic enim scriptum est, *Tunc tradidit eum voluntatibus illorum.* Idcoque dictum est rectè sententiam tertiâ horâ datam ; quia non à Pilato data est, sed à Judæis. Pilatus autem invitus consensisse videtur : propter invidiam enim maximè dicentium, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Quid ergo Marcus voluens purgare hoc, secutus est, videamus ? Ostendere voluit Salvatorem non judicis sententiâ occisum, quia difficilè qui judicis sententiam excipit, non justè occisus videtur.

D

QUÆSTIO LXVI.

Marc. 1. 34. 1. *Cor.* 2. 8.

QUOMODO Marcus Evangelista dæmonia cognovisse ait & professa esse Jesum, è contra autem Apostolus, principes & potestates hujus sæculi neger cognovisse divinitatem Domini Jesu. Dicit enim inter cetera Marcus, *Sciebant eum ipsum esse.* Apostolus verò, *Quem nemo*, inquit, *principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent.* Si dæmonia sciebant, quomodo principes ignorabant ?

E

Act. 3. 17.

Quibusdam videtur principes hujus sæculi, majores Judæorum significasse, quasi juxta illud quod Petrus apostolus dicit, *Scitis enim*, inquit, *fratres, quia per ignorantiam gessistis hoc malum, sicut & principes vestri.* Ergo Judæorum erant principes, non tamen hujus sæculi principes erant, Unde ait, *vestri*, non sæculi : quippe cùm dixerint regem se habere Cæsarem, sub cujus fuerant redacti potestate. Sunt autem isti hi principes, quos alio loco significavit Apostolus dicens, *Non est nobis*

Ephes. 6. 12.

colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs principes & potestates hujus mundi, adversùs tenebrarum harum rectores. Rectè ergo quæritur. Si enim isti non cognoverunt Jesum, quomodo poterat fieri ut dæmonia agnoscerent eum ? Sed aliud est quod cognovisse in Christo dæmones dicit, & aliud quod hujus sæculi principes negat cognovisse. Nam dæmonia sciebant ipsum quidem esse, sed qui per Legem fuerat promissus. Omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura esse Prophetæ, ut quod ex semine David de virgine venturus esset redemtor Israël : mysterium autem divinitatis ejus ignorabant, sicut & principes eorum. Denique quærit, quamvis captiosè, diabolus à Salvatore dicens, *Si tu es Filius Dei*, &c. Videns enim

Matt. 4. 3.

aliquando divinam virturem, aliquando hominis infirmitatem, ambigens quid verum esset, torquebatur. Concordant ergo Scripturæ

F

G

secundùm ea quæ relevata sunt. Impossibile est enim discordare unius spiritus viros.

A

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 48. * *Act.* 3. 17.

Quibusdam videtur principes & potestates hujus sæculi Judæorum majores & principes dixisse, qui juxta Petri apostoli dicta ignoraverunt quid mali fecerunt. Ait enim, * *Scio fratres quia per ignorantiam gessistis hoc malum, sicut & principes vestri.* Judæorum principes hi fuerunt, non tamen hujus sæculi principes dici potuerunt : quippe cùm in potestate redacti fuerant Romanorum, profitentes se non habere regem nisi Cæsarem. Hi autem sunt principes isti, quos alio loco significat Apostolus, dicens, *Non est nobis colluctatio adversùs carnem, sed adversùs hujus mundi principes, & tenebrarum harum rectores.* Si ergo hi sunt principes qui nescientes Dominum majestatis Christum esse, crucifixerunt, quomodo à dæmonibus potuit sciri ? Non illum aliter sciebant dæmones, quàm sciebant principes hujus sæculi. Sciebant enim ipsum esse qui promissus erat in Lege per signa prophetæ, non tamen mysterium ejus, quo Filius Dei erat ex æterno, sciebant, neque sacramentum incarnationis.

B

QUÆSTIO LXVII.

Luc. 23. 34. *Gen.* 20. 4.

QUID est quod in cruce positus Salvator ait, *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt :* si enim nesciunt quid est quod ignoscitur, maximè cùm dicat rex Abimelech ad Deum, *Numquid gentem ignorantem perdes ?*

Non omnis ignorans immunis à pœna est : ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui à quo discere non invenit. Istis autem hoc ignosci petit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt. Hujusmodi non licet ignorare. Accipiens ergo veniam, si convertantur.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas de utroque Test. 4.

Non omnis ignorans immunis à pœna est. Hic enim qui potuit discere, & non dedit operam, reum se fecit. Erat enim ut disceret, & à quo disceret : sed negligentior luxuriâ aut malevolentiâ factus inexcusabilis est à crimine. Unde dicit Salvator, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Ille autem qui non suo vitio ignorat, ideo enim ignorat quia non fuit à quo disceret, nec rumore comperit doctrinæ opinionem, omni genere immunis à condemnatione est. Ideo his si convertantur, Dominus veniam postulat à Patre, qui cùm prædicaretur veritas, ut eam addiscerent operam non dederunt, sed per ignorantiam auctorem ejus occiderunt. Unde Petrus apostolus in Actibus ait, *Convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

C

QUÆSTIO LXVIII.

Matt. 5. 44. *Apoc.* 6. 10. *Gen.* 4. 10.

CUM utique orandum pro inimicis Dominus docuerit, quid est quod in Apocalypsi contra hos animæ occisorum ulcisci se petant, à Deo postulantes vindictam ?

Sic enim animæ occisorum clamant vindicari se postulantes, sicut sanguis Abel clamavit de terra. Causſæ ergo sunt quæ clamare dicuntur, cùm loqui non possint. Sanguis enim effusus quid aliud quàm vindicari se postulat, clamans non voce, sed ratione ? Nam & opus opificem laudare dicitur per hoc ipsum quod videntem se oblectat. Non enim tam impatientes sunt sancti, ut urgeant jam fieri quod sciunt tempore præfinito futurum, quod nec anticipari potest, nec differri. Sed hoc dicto ostendere voluit, vindicaturum Deum sanguinem sanctorum suorum : ne quia tam patiens nunc videtur, inultum putaretur impium bellum, quod contra sanctos gerit : ut & terrorem incutiens persequentibus Dei servos, & exhortaretur pro se patientes. Relevatur enim anima patientis quando vindicari se audit à potente. Præ-se enim spem fert, si mortem suam audiat judici displicere : tunc enim pro certo habet innocentem se esse. Et Deus quidem misericors & patiens est, sed moderatè.

D

E

Exspectat enim ut impij credant, & peccatores se emendent : si quo minùs, plectentur, quia Dei longam patientiam contemserunt. Cujus rei exemplum etiam tempore misericordiæ præcidatæ ostendit, ne non patiens, sed insensibilis, & quem neque dolor alicujus, neque pietas commoveret, videretur. Hinc est unde ait per

Isa. 42. 14. *Luc.* 18. 7.

Propheram, *Tacui, numquid semper tacebo ?* Et Dominus, *Numquid non faciet*, inquit, *Deus vindictam servorum suorum clamantium ad se die ac nocte ?* Sic utique clamant, sicut suprà diximus. Si quis ergo Christianus ad tempus vindicet, non acerbè, neque cum sanguine, non peccat : melius tamen fecerit, si dimiserit judici Deo.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 12.

Apocalypsis cùm futura mala & tribulationes diffidentiæ & malæ vitæ causſa Deo vindice testaretur, exemplare etiam pœnarum uniuscujusque peccati oculata fide demonstrans, ut nihil impietatis & crudelitatis inultum remanere probaret, animas occisorum die ac nocte dicit vindicari se postulare : quod quidem non est contrarium : quia Deus utique qui hanc Legem dedit, vindicare se in diem judicij repromisit, ut hoc præceptum ad præsens dedisse videatur, quod excusat occisorum animas, si illic jam posiii diem ultionis depoſeunt. Et tamen, ut veriùs dicam, causſam clamare intelligendum est. Ipsa enim non tacet, sed semper vindictam flagitat : sicut dicit Deus ad Caïn, *Sanguis fratris tui clamat ad me*

Gen. 4. 10.

de terra. Quid est hoc, nisi quia causſa facinoris clamat, vindicari desideranis ? Si enim dicimus, propter opus, Laudat terra Dominum, cùm utique neque vocem habeat, & careat intellectu : sic propter opera mala clamare dicitur sanguis. Nam utique non tam impatientes erant, neque tam imperiti, ut ante diem posiurum judicij vindicari se peterent, ne postulatent fieri quod sciebant non effici ante tempus definitum. Et Salvator similiter, *Non faciet*, inquit, *Deus vindictam electorum suorum clamantium die ac nocte ?*

F

G

QUÆSTIO LXIX.

Matt. 5. 17. a *Sic Cod. Colbert. At Mss. 2. gen.* cessavit. *Editi*, prophetia est.

SI jam prædicante Johanne, aut Salvatore, Lex cessavit, quomodo Salvator ait, *Non veni solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere :* Si enim [a] prohibita est, quomodo non soluta est, quæ agendi amisit auctoritatem ?

Omnia quæ de Christo dicta sunt, adimpleta sunt : & ipse Dominus sic adimplevit Legem & Prophetas, cùm omnia quæcumque de se scripta sunt, fecit, nec dissolvit aliquid, sed confirmavit. Lex enim & Propheræ usque ad ipsum. Propheræ enim de ipso locuti sunt, ideo ultra illum quæ ab his de hoc, id est, de Christo dicta sunt, tendi non possunt ; neque post ipsum aliquid hujusmodi Prophetæ reperiri potuerunt : quia neque habent de quo dicant, & de quo dicebatur jam venit. Omnia etenim suis voluminibus complexi sunt, & incarnationem, & conversationem, & passionem, & resurrectionem, & divinitatis manifestationem, & futurum ejus judicium revelaverunt : ac per hoc cessaverunt Propheræ impleto opere dispensationis. Lex autem duplici modo cessavit ; nec quidem tota : nam & id quod cessavit potuit permanere, si serveiur conditio. Aliud enim cessavit in sententia, aliud in ipsa Lege. Prædicante Johanne baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, cessavit sententia Legis, quæ reos tenebat peccatores : cessaverunt etiam onera Legis, quæ ad duritiam cordis Judæi sueiant data in escis, neomeniis, sabbatis, & cetetis. Misericordiâ enim advenieute, cessavit vindicta. Sed onera Legis in perpetuum cessaverunt. Sententia verò his cessat & aboletur, qui permansere in beneficio consecuto. His autem qui redeunt ad hominem veterem, refricatur Legis auctoritas, quia immemores beneficiorum redeunt sub sententiam Legis. Circumcisio verò & sabbatum usque ad illud tempus valuit, quo novæ Legis prædicaretur mandatum. Sic enim data sunt, ut adveniente lege hîdei cessarent. Unde dicit Apostolus, *Finis Legis Christus.* Nam & Daniel hoc significat, cùm & de

Rom. 10. 4. *Dan.* 9. 24.

adventu Domini & temporibus hebdomadum propheiat, quia & chrisma & judicium & sacrificium & ipsa civitas cessatura erant. Spiritali enim advenieute lege, necesse erat cessare carnalia. Tunc enim ex parte corporis serviebatur Deo, nunc ex parte animæ : priдem visibiliter, modò invisibiliter : tunc in carne, nunc in animo. Quia Deo utique qui spiritus est, in spiritu serviendum est. Non ergo soluta Lex est, quia cessavit, sed successum illi est impleto tempore. Nec enim administratio ejus accusatur aut judicium, si peccatoribus indulgentia datur : cùm hinc magis rectè data & justa probetur, quia quibus dominabatur, peccatores fuisse non negantur, quia *justis*, inquit, *Lex non est posita.* Non ergo quia misericordia præferenda est, contemnenda putetur justitia : cujus reverentia si non esset, ipsa misericordia fructum non haberet. Nisi enim hanc servaverint post acceptam misericordiam, nihil illis prodesit indulgentia. Nam dixit Lex, *Non facies tibi idolum, neque*

Johan. 4. 24. *Exod.* 20. 4.

adoraveris quæ in cælo sursum sunt, & quæ in terra deorsum : & Non pejerabis : & Honora patrem & matrem : & Non occides : Negre formicaberis : Neque furtum facies : Non dices falsum testimonium : Neque concupisces quidquam proximi tui. Numquid hæc cessâle dicenda sunt ? Absit. Sine his enim quis poterit vel in hac vita idoneus judicari ? Ac per hoc cetera cessaverunt quæ supra diximus, neomeniæ, sabbata, lex cesarum, sacrificia, circumcisio, &c. Hinc est unde dicit Apostolus inter alia, *Principes non sunt timori operi bono, sed malo.*

Rom. 13. 3.

Vis autem non timere potestatem, fac bonum, & habebis laudem ex illa. Hæc servata bonos faciunt, non tamen perfectos. Unde Salvator, *Nisi abundaverit*, inquit, *justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Addens enim istis potiora Salvator, non solvit utique Legem, sed adimplevit. Sensus enim Legis ad salutem hominis pertinet, ut puta, oculum pro oculo, dentem pro dente : ut timens ne patereiur quod alij facere prohibitus est, cohiberet se à nequitia. Salvator autem superiorem in hunc sensum addens justitiam, *Ego autem*, inquit, *dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexiram maxillam tuam, præbe illi & sinistram* ; ut dum vicem non reddit malo, perfectus sit. Reddere enim vicem justitia est, sed non plena : si verò dissimulet ab injuria, plena justitia est & abundans. Retribuere enim gaudere ad tempus est, remittere autem in futurum præstat lætiiam. Sic ergo adimplevit Legem Salvator, dum quos illa justitiam docuit, hic justiores effecit, quod illa non potuit. Quainobrem gaudium Legis est, quia discipuli ejus peritiores effecti sunt. Destruxisset planè Legem, si impunè peccare docuisset. Porrò autem suspendit sententiam, ut hîc qui malè facit, habeat spatium pœnitendi : si quò minùs, redit in illum sententia cumulata, quia non cognovit ad hoc se remissum ut emendaret se.

Mat. 5. 38. *Levit.* 24. 20.

Mat. 5. 39. *Luc.* 6. 29.

E

Propheiarum dicta de Salvatoris adventu, impleta sunt cùm venit ; quandc enim quod prædictum est, factum est, impletum videtur : Lex autem, quam ad tempus datam diximus, cùm tempore, quod transgredi prohibita est ; quia quod impletur, cessat. Auctoritatem cum amisisset, & destructa videretur, si non juxta prædictum tempus cessasset. Nam si alicui in potestate constituto successor datur, numquid destructus dicetur ? Destructa planè esset Lex si tempore quo viguit accusaretur. Et non dixit, impleste se Legem aut Prophetas : sed *adimplere.* Adimplere autem non aliud significat quàm plenè addere. Quid est autem addere Prophetis, nisi culturam Dei sub Trinitatis nomine ordinare ? Quamvis enim Prophetæ in Dei nomine docuerunt & corripuerunt populum ; hoc tamen mysterium in abscondito erat. Legem autem hoc est adimplesse, manentibus præteritis nova addere, ut puta, *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis, Oculum pro oculo, dentem pro dente ; Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis percusserit te in maxillam tuam dexteram, præbe illi & sinistram.* Hoc fuit adimplere. Non enim destruxit illam, sed potiora addidit, non ut peccare videretur qui vindicat, sed ut melior sit qui non retribuit. Nec aliud ergo voluit, quàm quod Lex in sensu haber, sed voluntatem ejus perficit. Ut enim

G

Lex hominem justitiam doceret, & per hanc salvum faceret, mandavit ut si quis oculum tolleret alicui, oculum amitteret : & ut hoc timore territi homines non facerent quod sibi fieri nolebant, & per hoc salutem haberent. Sed quoniam fragile genus est hominum, & ad peccandum proclive, ideo incurrit ut patiatur quod sibi fieri non vult. Immutatis ergo Salvator verbis docuit quod saluti prodesset, ut sensum Legis adimpleret, ut quia timore Legis salvi esse nequiverunt, per patientiam victi emendarentur, sese corrigentes. Hoc præceptum datum est, ut non insolentes viverent patientiâ bonorum, dum non illis retribuunt condigna, ut si voluerint corrigi, boni ex hoc profectum habeant, illi verò geminam pœnam. Non ergo justitia destructa est, quam videmus eriam per Apostolos operatam : quia & Petrus Apostolus in Anania & Sapphira hanc servavit. Et vas electionis non repudiavit, sed usus est, dum &

Act. 5. 1. *Act.* 13. 11.

Elymam magum resistentem viæ Domini, exœcavit. Est etiam aliud quo implera Lex est. Dicit enim Dominus, *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tibi, & odio habebis inimicum tibi*; hæc justitia est : Dominus autem, *Ego autem*, inquit, *dico vobis, Diligite inimicos vestros.* Addit utique, quod est adimplevit, quia non destruxit vetera, sed ut perfectos faceret, potiora mandavit. Inimicos enim, hoc est malos, quia retributione, quæ justitiâ dictante fit, emendare & corrigere non potuit, per amorem illos & obsequium salvos fieri voluit, quod & Lex in sensibus habebat. Lex enim sic voluit inimicitiam tollere, ut per retributionem territi homines desinerent esse inimici : & quoniam audaciâ suâ homines, timorem Legis & naturæ spreverunt, crescentes in malum ; per humilitatem Salvator inimicitiam voluit vinci, ut vel sic homines flecterentur ad bonum, dum viderent non sibi reddi inimicitiam ; permanentes autem gravius tractandos fore, quia nec humiliatæ ejus, cujus vicissitudinem experiri debuerant, victi sunt. Non ergo justitia in vindicta oblitterata est, sed suspensa ad utrumque ; quia cessavit circa eum qui sese cognovit : si quo minùs, plecteret contumacem.

QUÆSTIO LXX. *Matt. 5. 25. Hoc deest in Mss. 2 generis.*

Dominus certè inimicos nos diabolo fieri præcepit : quid ergo est ut in Evangelio dicat, *Esto consentiens adversario tuo citò?* Quis est hominis advertarius, nisi diabolus?

Nulli dubium est diabolum esse hominis inimicum, maximè fidelis. Vehementiora enim tela sua contra Dei servos exacuit. Sicut ergo iste bonorum inimicus est, ita & lex malis adversa est. Quis enim contemnenti se non adversetur ? Dominus ergo peccatorem adjuvat, ut consequatur mandatis quæ illum inobedientem condemnant, ut subjiciat se voluntati eorum, & fiat ex inimico amicus. Quia & contemtor legis inimicus est ejus : voluntati enim ejus resistit. Itaque horratur Dominus peccatorem, ut bene agendo reconciliet sibi legem, ne in die judicij accuset eum apud judicem, & condemnatus pœnas det spretæ legis : Omni etenim, inquit, qui malè vult agere, disciplina Dominica inimica videtur : cui nisi consentiverit, mittetur in gehennam, diabolo, qui verè inimicus humani generis est, præparatam.

QUÆSTIO LXXI. *Gen. 12. 30. Exod. 13. 21. Isa. 6. 5. 1. Johan. 4. 12.*

Jacob appellatus est homo videns Deum, & Moyses vidit Deum facie ad faciem : necnon & Isaias, *Vidi*, ait, *Deum sabaoth oculis meis* : contra autem Johannes Evangelista, *Deum*, inquit, *nemo vidit unquam*; hoc, quantum videtur, contrarium est.

Quantum ad fidem veri pertinet, Deum omnino nemo vidit unquam, neque Patrem, neque Filium. Quod enim visus dicitur, ad intelligentiam refertur, visus est enim vestut in imagine. Veluti nos cùm imperatores nesciamus, videmus eos in figura, non in veritate : ita & Deus visus est, ut intelligeretur Deus esse qui apparebat, per rationem, non per substantiam ; quia in natura sua Deus videri non potest. Et ut verius propositæ quæstionis secreta pandamus, sensum Evangelistæ explicare niramur. Johannes enim occultum aliquid prodere volut, quod scivit ad salutarem doctrinam pertinere : idcirco, *Deum*, inquit, *nemo vidit unquam, nisi unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Animadvertamus sensum Evangelistæ : ut enim verum esse, quia nemo vidit Deum unquam, ostenderet, Filium hoc enarrasse docet : quem falli utique impossibile est, quia in sinu Patris est. Sinus autem Patris quid est, nisi affectus in caritate veri Patris per naturæ unitatem in Filium ? Quamobrem nemo vidit Deum, nisi unicus Filius : hoc Johannes apostolus Filium Dei audivit dicentem inter alia, *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Ut ergo ad condemnationem proficeret Judæorum, qui Christum Dei Filium audire nolebant vel credere, ostendit Evangelista hunc esse Christum qui Patribus apparuisset * in Deum : illum autem qui Pater est, numquam videri nisi à Filio. Quando enim Deum Patrem negat visum, & Deum apparuisse Patribus profitetur, manifestare se vult Dei Filius, quia ipse semper in Deum visus à Patribus est. Unde inter cetera dicit Judæis de Patre, *Neque vocem ejus audistis aliquando, neque figuram ejus vidistis.* Ecce non est contrarium, & visum & invisum esse Deum.

* *Abest in Deum à Mss. 2. generis.*

Johan. 5. 37.

QUÆSTIO LXXII. *Apoc. 10. 8.*

Quando legitur in Apocalypsi Johannis, *Vade*, inquit, *& accipe librum de manu Angeli, & devora illum, & amaricabit ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulcis sicut mel* : quis iste liber est, qui amarum facit ventrem cùm sit dulcis ?

Omnia divina voluminа amara sunt, sed perfidis atque carnalibus. Idololatris enim insuave est, cùm audiunt unum Deum prædicari in Christo. Et Photinus simul pertimescit horrore correptus. Erubescit etiam Sabellius audiens Patrem esse qui Filius dici non possit, quia ab ipso sunt omnia : Filium autem idcirco Filium appellari, quia non utique Pater ipse est, sed de Patre, nec à quo, sed per quem sunt omnia. Confutatur & Arius, cùm legit Christum verum esse Filium Dei : sine dubio enim verus dici non posset, nisi propriè esset de Deo. Convincitur & Marcion, addiscens quia

Johan. 1. 14. Verbum caro factum est, qui putat Christo carnem negandam. Arguitur etiam improbus Manichæus, videns scriptum ab Evangelista, quia Salvator non solùm præsentiâ sui, nuptiarum vota decoravit ; verùm etiam poculis honestavit, qui nuptiarum aditus intercludit & promiscuè convenire hortatur. Hæc continentur in libro, quem accepit Apostolus devorandum. Hic liber Evangelium est quod secundùm Johannem intitulatur, quod non solùm malè sentientibus amarum est, verùm etiam indisciplinatis, qui nolunt corripi ut in pejus proficiant. Ista revelatio eo tempore facta est, quo Apostolus Johannes in insula erat Pathmos, relegatus à Domitiano Imperatore fidei causâ. Tunc fuit in spiritu, ut posset videre cælestia, & dum hæc ei ostenduntur, quæ futura sunt causâ impietatis & stupri & ceterorum, datus est illi liber qui dulcis quidem erat in ore, sed amarum faceret ventrem : ut ex his qui videntur unius [a] corpus esse hominis, iftis dulcis esset qui propter quod integræ professionis sunt in ore significari sunt : hoc enim dulce in ore est, quod unum est ; illis autem qui hæretica pravitate carnaliter vivunt vel sentiunt, propter quod in ventre significari sunt, amarus. Accusabit enim eos in die judicij Dei. Post revelationem ergo Evangelium justus est scribere, propter hæc quæ suprà diximus. Et Ezechieli prophetæ similiter dictum est, ut acciperet librum qui esset dulcis in ore ejus, quando perfidiam populi missus est increpare.

Ezechiel. 3. 1.

Frequenter, qui compendium quærit, solet errare. Quid est ut non omnia ad causam dicta proponas, sed aliqua reprimas, ut obscurior fiat sensus ? Nam dictum est Johanni, *Vade, & accipe librum, qui est in manu Angeli, & devora illum ; & erit in ore tuo dulcis tamquam mel, sed amaricabit ventrem tuum.* Et ait, *Oportet*, inquit, *te prophetare iterum populis & gentibus multis.* Quantum ergo ad veri pertinet rationem, post exsilium Evangelium scripsisse probatur. In exsilio enim positus in insula Pathmos, in quam fuerat à Domitiano Imperatore relegatus, vidit revelationem, sicut dicit, in die Dominico : post, sicut dixi, scripsit Evangelium, quod hæreticis amarum est, quos in ventre significavit. Sunt enim carnales, quia malè intelligant Christum. *In ore autem tuo*, quod dicit, *erit dulcis tamquam mel* : quasi omnium Christianorum unum facit corpus, ut singuli membra sint alter alterius, ita ut in ore, quod utique capitis pars est, honorabiliores & fideliores significet, quibus veritas quæ de Christo est, dulcis est. In ventre hæreticos significat, quia carnales sunt. Veritas enim quæ Christum verum Deum loquitur, his amara est. Totum enim Evangelium Johannis contra hæreticos est. Contra Photinum enim, qui Christum ante Mariam esse negat, probat de cœlis descendisse Salvatorem. Contra Arium autem, ostendit Christum initium non habere : quia in initio erat Deus Christus Filius Dei apud Deum Patrem, & quia nihil sine illo factum est, ipsum non posse dici facturam. Si enim factura erat, factum esset aliquid sine illo : sed quia nihil sine illo erat, semper fuit. Sabellium autem qui unionem accipit Patrem & Filium, ut unus singularis duobus nominibus nuncupetur, sic confutat ut dicat,

Johan. 14. 28. *Si me diligeretis, gauderetis utique, quia vado ad Patrem ; quia Pater major me est* : ubi manifestavit duorum personas, quando Filius Patrem majorem appellat. Nec enim singularis ipse sibi major est. Necnon convincit & Marcionem qui carnem Christi denegat. Dixit enim, *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Hoc

Johan. 1. 14. sentit etiam Manichæum arguit, qui Christum in carne venisse nescit, & nuptiarum aditus intercludit, ignarus Salvatorem nuptiarum convivium remunerasse. Simili modo & prophetæ Ezechieli

Ezech. 3. 1. dictum est ab Angelo ut acciperet volumen, & devoraret illud, & dulce esset in ore ejus, ventrem autem ejus repleret. Hoc dictum est Propheræ, cùm missus est arguere populum persidum & indisciplinatum, qui similiter in ventre significati sunt, quia erant carnales.

Isa. 66. 5. Sec. LXX. Ex his sunt quos Scriptura in Isaia propheta, licèt mali sint, fratres appellat. Dicit enim, *Vos qui timetis Deum, dicite illis qui vos oderunt, nec audierunt præcepta mea, Fratres nostri estis.*

QUÆSTIO LXXIII. *Luc. 2. 34.*

Quid est quod Simeon dicit ad Mariam matrem Domini inter cetera, *Hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël : & tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes ?*

Simeon vir sanctus, & divinis oraculis commendarus, per Spiritum-sanctum locutus quid futurum esset hominibus ex causa Christi, ut ruina his esset, qui cùm sibi viderentur stare per observantiam & peririam Legis, diffidentiâ tamen operum Christi caderent, dissoluti à promissione Patrum : illis autem qui nullius propè dignitatis essent in Lege, credentibus verò in Christum, resurrectio in Israël.

[[b] Ut digni Deo fierent qui priùs indigni & inutiles erant, & reprobarentur qui aliquid esse putabantur.] Hoc est quod alio loco dicit Dominus, *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Denique non Legis Doctores, non Pharisæi, non Scribæ secuti sunt Christum ; sed piscatores homines imperiti & rusticani. Hine est unde dicit Dominus, *Pater gratias ago tibi, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Quod autem adjecit, dicens, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes* ; hoc utique significavit, quia etiam Maria, per quam gestum est mysterium incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitaret, ita tamen ut resurrectionis honore & virtute Domini firmaretur. Omnes enim stupore oduam in morte Domini dubitarunt. Non tamen in dubitatione permanserunt. Sic enim animam pertransit gladius, si dubitatio non permaneat in cogitatione, sed pellatur superveniente reformante se pristina virtute. [[c] Quis enim non ambigeret videns eum, qui se Filium Dei dicebat sic humiliarum, ut usque ad mortem descenderet ? Et quia, ut dixi, omnis ambiguitas in resurrectione Domini recessura erat, perransire dixit gladium, non supercadere, aut contingere transeuntem membrum aliquod. Ut sicut gladius missus perransiens juxta hominem, timorem facit, & tamen non percutit : ita & dubitatio mœstitiam faceret, non tamen occideret : quia non sedit in anima, sed perransiit, quasi per umbram contingens corda discipulorum. Denique Cleophas & [d] alius discipulus Emaüs euntes, in via tristes, dixerunt inter cetera ipsi Domino, nescientes quia Dominus est, *Nos putabamus, quia ipse erat qui incipiebat liberare Israël.* Dubitaverunt, sed statim agnito Domino, transivit dubitatio.] Sicut dictum est & de Joseph, quia *ferrum pertransivit animam ejus.* In carcere enim innocens diu positus, de Dei judicio circa se quod dubitaverit, non est mirum : sed quia plus de Deo sperabat, non permansit in ambiguitate. In eo enim quis judicatur, in quo propensior est. Apocalypsis Johannis hoc sancit. Dicit enim, *Dubiis & infidelibus pars erit in stagno ignis & sulphuris.* Ideo qui non permanet in dubitatione, eripitur à morte : [e] hoc est mortem evadere ; quia dubitare de Deo, vel de Christo, mors est. Ac per hoc qui desinit dubitare, evadit mortem.

[b] *Hæc desiunt in Mss. 2. generis.*

Johan. 9. 39.

Matt. 11. 25.

Luc. 2. 35.

[c] *Hæc desunt in Mss. 2. generis.*

[d] *MS. Colbert.* Cleophas & Amatis euntes.

[e] *Reliq. desit in Mss. 2. generis.*

QUÆSTIO LXXIV.

Quid sibi vult ut Isaias propheta dicat de Christo, *Qui peccatum non fecit* : contra autem Apostolus, *Eum qui peccatum*, inquit, *nesciebat, pro nobis peccatum fecit ?*

Isa. 53. 9. 2. Cor. 5. 21.

Quantum ad sensum pertinet, quæstiones diversæ sunt, sed verba similia, ex parte quidem similia, ex parte verò discrepantia : fecit enim, & non fecit contrarium est : nesciebat & non fecit, simile est.

Propheta

Propheta ergo ex persona Christi locutus est, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus : Apostolus verò loquitur de persona Dei Patris, qui eum, id est Christum qui peccatum nesciebat, pro nobis peccatum fecit. Quod duplici modo intelligendum est. Primùm enim fecit illum peccatum, dum incarnari illum voluit, ut quem sors non tangebat, de peccatrice carne corpus acciperet, per quod dicitur factus peccatum. Deinde dum offert eum pro peccatis, fecit illum peccatum. Hostia enim in Lege pro peccatis oblata, peccatum nuncupabatur. Non ergo Christus peccatum fecit, sicut dicit Propheta ; sed à Patre ipse peccatum factus est, sicut ostensum est. Offerre autem Christum pro nobis quid est, nisi dare potestatem volentibus eum occidere ? Quod idcirco concessum est, quia profuturum erat, ut esset causa deiccendi ad inferos, ut spoliaret tartarum animabus. Superabundans enim & inauditum peccatum est, occidisse eum qui non solùm nullo genere peccaverat, sed & multis vitam donaverat. Hoc peccato reus factus diabolus, contradicendi audaciam perdidit. Nam simile aliud ad Galatas in Epistola legitur : inter cetera enim, *Factus*, inquit, *pro nobis maledictum.* A quo factus, nisi à Patre ? Judicio enim Dei crux Christi maledictum est Judæorum : peccatum enim illorum exclamat mors Salvatoris. Crucifigi ergo se permisit, ut passio ejus proficeret nobis, ut hinc cum signo ejus excuntes, à secunda morte minimè teneremur. Metuit enim mors etiam servos ejus à quo victa est.

Gal. 3. 13.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 40.

Quantum ad propositum pertinet, non solùm verba discrepant, sed & personæ diversæ sunt. Fecit enim, & non fecit, contrarium est. Sed quia non ab hoc factum intelligitur, qui fecisse negatus est, contrarium dici non potest. Prophetæ enim dictum ad personam pertinet Christi, Apostoli verò ad personam Patris. Deus enim Pater reconciliavit sibi mundum per Christum ; & ita factum est, ut eum, id est Christum faceret peccatum. Hoc est enim fecisse eum peccatum, dare illum in utero virginali, ut nasceretur homo, ex parte carnis factus peccatum, quia caro peccati est, hic utique quem sors & conditio non tangebat hominem procreare. Ad hoc igitur natus est, ut hostia pro peccatoribus offerretur. Peccatum ergo factus dicitur, quia secundùm Legem hostia quæ pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur. Similis locus est alius Apostoli ad Galatas dicentis de Salvatore, *Factus pro nobis maledictum*, ipse sensus est, Factus est pro nobis peccatum sive maledictum nostrâ causâ à Deo Patre, qui permisit illum à Judæis occidi, ut incredulitatis suæ causâ abdicarentur à nobis in locum illorum inductis, sicut dicit Salvator,

Gal. 3. 13.

Matt. 21. 43. *Tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.* Nam omne quod permittit Deus, facere dicitur : quia si non permittat, non fit. Unde dicit Dominus ad Pilatum, *Non haberes potestatem in me, nisi data esset tibi desuper.* Non ergo immittens, sed

Johan. 19. 11. permittens dare dicitur potestatem, ut dum mala mens voluntatis suæ accipit potestatem, sit rea : sicut Judæi qui occidentes Salvatorem, fecerunt illum maledictum suum, Dei judicio. Crux enim Salvatoris maledictum est Judæorum. Non enim sicut hostia quæ pro peccatis offerebatur, abluebat offerentem ; sed contrà oblatus Salvator macula & peccatum sit offerentium : justificatio autem illorum qui dissentiunt, ut gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu. Oblatio enim Judæorum profecit gentibus non diffidentibus à fide Jesu Christi.

QUÆSTIO LXXV. *Matt. 17. 26.*

Cur Salvator pro se tantùm & Petro didrachmam solvit, non etiam pro ceteris Apostolis : quippe cùm omnes cum relictis facultatibus omnibus subsecuti sint, pro omnibus solvere debuisse videtur ?

[a] *Absunt hæc à Mss. Colbertino.*

Didrachma capitum exactio intelligitur, non prædiorum, [a] [quod nunc pannosum aurum appellatur, quia & pauperes exiguntur :] nec enim Salvator aliquid possidebat in mundo, cùm sit dominus mundi. Mortuus enim allenis impendiis sepelitur : & nos à qaibus mundus extraneus est, facultates augere cupimus, ut morientes mundum à nobis invasum, non tantum voce, sed & litteris conrestemur, ut professione nostra ab eo cujus mundus est, condemnemur.

Luc. 14. 26. Hinc Dominus, *Qui non*, inquit, *reliquerit omnia, & secutus me fuerit, non potest meus esse discipulus.* [b] Quicumque ergo sic habet facultates suas, ut spem in illis non habeat, paratus autem sit pro fide illas abjicere, viam ambulat qua itur ad Christum Dominum nostrum.] Didrachma ergo ab his exigenda erat, qui aliquid negotij gerebant, aut artibus operam dabant. Salvator autem, quia nihil horum curabat, neque Discipuli ejus, exigendus utique non erat : sed quia inimicus diabolus semper in insidiis erat, occasionem quærens si posset inclinare Salvatorem, exactorum didrachmæ animos occupavit, ut ejus faccrent voluntatem ; ut accedentes ad Petrum, qui primus inter Apostolos erat, solvi debere ab eorum magistro dicerent didrachmam, qui ab his oneribus liberi erant. Nihil enim agebant in mundo quod esset mundi : ut quia non erat unde solveret, aut his scandalo esset, aut certè humilitate fustrargij quærereter à quo solveretur. Tunc Dominus ut improvidum diabolum adversùs semetipsum semper machinari ostenderet, ad mare ire Petrum Apostolum jubet, [c] & capti piscis os aperire, & illic invenire nummum exactioni debitum ; quo soluto, non solùm scandalum non esset exactoribus, neque incitarentur requisito auxilio ad solvendum, verùm etiam signum virtutis maximæ demonstrarer, per quod captos à diabolo ad se traheret, ut argumento & astutiâ suâ diabolus torqueretur. Dicunt ergo exactores didrachmæ ad Petrum apostolum, *Magister vester non solvit didrachmam, &c.* Quo

Matt. 17. 23. dicto, magistrum ut pro omnibus Discipulis solveret, convenerunt. Salvator autem cùm pro se & Petro dari jubet, pro omnibus exsolvisse videtur : quia sicut in Salvatore erant omnes causâ magisterij, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim [d] constituit esse caput eorum, ut pastor esset gregis Dominici. Nam inter cetera dicit Discipulis, *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Et Petro dicit, *Ecce satanas expostulavit, ut vos ventilet sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quid ambigitur ? Pro

Matt. 16. 41. Luc. 22. 31. Petro rogabat, & pro Jacobo & Johanne non rogabat, ut ceteros

[b] *Hæc desunt in Mss. 2. generis.*

[c] *MSS. 2. generis addunt,* quasi cui curâ domus delegaverat.

[d] *MSS. 2. generis,* post se reliquit pastorem.

taceam ? Manifestum est in Petro omnes contineri : rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus aut corripitur, aut laudatur. Quia & alio loco dicit, *Ego pro his rogo quos mihi dedisti Pater, & volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum.*

Johan. 17. 9, 24.

Johannes in Evangelio, *Lex*, ait, *per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est* : ergo gratia & veritas ante non fuit. Quomodo ergo Lex à Deo data dicitur, in qua veritas non fuit ?

QUÆSTIO LXXVI. *Johan. 1. 17.*

Non sic passim prætereundum est, sed considerandum est quid sit, *Lex per Moysen data est.* Per Moysen enim Lex data manifesta habet præcepta, sed scripsit, & historiam, quæ & ipsa Lex appellatur. Et videamus quid in præceptis ejus, non erit verum : sortè quod dicit, *Non occides, Non fornicaberis, Non furtum facies ?*

Exod. 20. 13.

Talia sunt & cetera. Nam historia ejus, quia ante adventum Christi veritas non erat, hoc manifestum est. Etenim quæ sub velamine erant, quid significarent, incertum erat. Cùm autem per Christum manifestaretur, cujus persona sit quæ dicit in Genesi, *Faciamus hominem ad imaginem & ad similitudinem nostram*, & quis est qui fecit, & quis fuerit qui in rubo à Patriarchis visus fuit, & qui in petra operatus sit, quæ dedit aquas in deserto ; quia *petra*, inquit, *erat Christus* : sic fuit veritas per Christum, quando ea quæ latebant, aut in dubium venicbant, quid significarent à Christo ostensum est. Nam inter cetera Dominus ait, *De me scripsit Moyses.* Hoc

Gen 1. 26. Exod. 3. 2. Exod. 17. 6. 1. Cor. 10. 4.

Johan. 5. 46.

priùs latuit : error enim erat. Putabatur enim Deus Pater, qui erat Filius : & qui æstimabatur Angelus, cognitus est esse Dei Filius. Et promissio facta fuerat Abrahæ, quæ quamdiu non reddebatur, in ambiguo erat, cùm autem veniente Christo reddita est, facta est veritas : quando & quod promissum est reddium est, & cæpit sciri quod erat promissum. Promittentis enim fides tunc vera probatur, cùm exsolvit promissum.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 30.

Videndum est quid sit, *Lex per Moysen data est.* Per Moysen autem Lex data, manifesta habet præcepta, & quid illic non erit verum ? *Non occides, Non fornicaberis ?* talia & cetera sunt. Sed scripsit & historiam in qua usque ad adventum Salvatoris quæ esset veritas manifestata non erat. Cùm ergo per Christum manifestatur, cujus persona dicat, *Faciamus* ; & quæ sit quæ faciat ; & quis fuerit qui in rubo aut Patriarchis visus sit, & qui in petram, cùm aquam ipse produxit, operatus sit, quia *petra*, inquit, *erat Christus.* Fit ergo veritas per Christum, dum ea quæ in dubium veniebant, quid significent intelliguntur. Itaque Lex per Moysen data reos constituit peccatores : Gratia autem promissa in Lege adveniens, donatis peccatis peccatores morte privavit. Ordo ergo fuit primùm Legem dare, postea verò misericordiam, quæ tunc sit gratia, dum donat peccata. Antè enim promissio erat, quæ postea fit gratia.

Isa. 59. 20. Sec. LXX.

Veniet enim, inquit, *ex Sion qui eripiat & avertat impietatem ab Jacob.* Hæc promissio per Christum, facta est gratia, dum donat gratis peccata. Quomodo autem donaret peccata, si non priùs Legem daret, per quam reis factis veniam largiretur ? Nam non daret nisi quod sibi debebatur. Deberi autem non poterat, nisi Lex præcederet.

QUÆSTIO LXXVII. *Marc. 7. 17.*

Quid est quod inter cetera dicit Marcus Evangelista de Christo, *Intrans in domum voluit neminem scire, & non potuit latere* : si ergo voluit & non potuit, infirmata voluntas ejus videtur ?

Impossibile prorsus est ut Salvatoris voluntas non impleatur, nec potest velle quod scit fieri non debere : idcirco quod factum est, hoc voluisse dicendus est. Nam voluntas ejus numquam extra naturam ejus est. Sicut ergo natura ejus in reprehensionem non cadit, ita nec voluntas. Nam quod proponitur, factum legitur in finibus Tyri : tunc intravit in domum, & neminem voluit scire. Nunc requiritur quomodo vel quare neminem voluit scire. Animadvertendum est enim, quia istud in finibus gestum est gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat. Denique mittens Discipulos suos præcepit, dicens, *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne introieritis ; sed ite potius ad oves quæ perierunt domus Israël.* Idcirco noluit se prodi, quòd esset in domo : requiri autem se non noluit, sed libenter accepit. Quamvis enim tempus non esset prædicandi gentilibus, ultrò tamen venientes ad fidem non suscipere, invidiæ erat. Sic factum est, ut dum Salvator à Discipulis proditus non esset, ab aliis tamen qui cum ingredientem domum videranr, proditus sit : & cæpit sciri quòd esset in domo, ut intrarent ad illum qui vellent consequi beneficia. A suis ergo noluit prædicari, quòd esset in domo. Requiri enim se voluit ; & ita factum est. Non enim latuit ab aliis demonstratus quòd esset in domo. Denique mulier Chananæa audiens de illo, intravit ad eum deprecans ut expelleret dæmonium à filia ejus : quæ nisi priùs subjecisset se Deo Judæorum, beneficium consecuta non esset. Implera ergo voluntas Salvatoris est secundùm quæ explanavimus : ea enim quæ compendio brevitatis studens Evangelista complexus est, discutientes invenimus quod latebat.

Matt. 15. 22.

Hoc quod per compendium propositum est, ut plus sensum posset occulere, in finibus factum legitur Tyri : quia cùm Salvator pervenisset in fines Tyri, intravit in domum. Et quia non adhuc gentibus prædicare oportebat, jussit neminem alicui nuntiare adventum suum : hoc est, *neminem voluit scire* : & subauditur, à suis noluit nuntiari alicui quia erat in domo. Requiri autem se noluit, quia tempus offerendi gentibus gratiam non erat. Denique veniens mulier, comperto ab aliis qui viderant illum intrasse in domum, orabat expelli dæmonium à filia sua. Salvator autem scions non esse tempus dandi ultro gratiam gentibus, ait, *Sine, nati priùs saturentur. Non enim licet accipere panem filiorum, & mittere canibus.* Tunc mulier consensit Salvatoris verbis, & accepit beneficium quod volebat. Consentiendo enim junxit se Deo Judæorum. Hæc ergo causâ noluit per suos sciri quòd esset in domo : & ita factum est ut voluit.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 25.

Matt. 15. 26.

QUÆSTIO LXXVIII.

Legitur in Evangelio Johannis, quòd cum negasset se Salvator adscendere ad diem festum, adscendit : hoc inconstantiis esse videtur.

Hæc deest in Mss. 2. generis, Johan. 7. 8. & 14.

Semper breviata propositione sensum occultas. Nam hoc quod in quæstionem vocas tunc factum est, quando in Galilæa positus propter tumultum Judæorum, fratribus suis adhuc non credentibus sibi, compellebatur adscendere in Judæam, quia futurus erat dies festus Judæorum, ut seditionem paterentur. Ipse autem respondit eis, dicens, *Vos adscendite ad diem festum istum, quia mundus vos non odit: me autem odit, quia arguo opera ejus. Ego non adscendo ad diem festum hunc, quia tempus meum nondum impletum est.* Tunc fratres ejus adscenderunt ad diem festum, ipse vero mansit in Galilæa. Pòst autem & ipse adscendit ad diem festum. Quid videtur contrarium, quando non tunc adscendit quando negavit, sed adscendit postea; & adscendit non quasi ad diem festum, sed quasi ad litem? Illi enim omnes læti adscenderunt, quasi ad perfruendas delicias dici festi. Cernum est ergo, quia non adscendit ad dien festum. Salvatoris autem ille fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum. Denique dicit, *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Hic dies festus ejus est, in quo vicit mortem.

Johan. 13. 31.

QUÆSTIO LXXIX. *Johan. 6. 44. Rom. 9. 16.*

Si proprio abitrio vivimus, quare Salvator dixit, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Et consentiens his Apostolus, *Neque volentis, inquit, neque currentis, sed miserentis Dei est:* & *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Quomodo voluntatis arbitrium liberum est, quando alterius nutu aut ad bonum ducitur, aut ad malum?

Aliter caussa se habet quàm proposita est. Non enim hic quæstionis hujus sensus est quem obtendis. Nam nullo genere ex his liberi arbitrij poterit caussa turbari: quia si penitus sensum dictorum advertas, scies hinc magis arbitrij liberi firmari sententiam. Hæc enim contra malevolos Judæos prolata sunt. Cùm enim dolo simulationis orræ ex invidia, Joseph patrem proprium & filios ejus fratres asserentes Salvatoris, ne Dei esse Filius crederetur, tunc Salvator ait, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, adtraxerit eum.* Quomodo autem Pater adtrahebat ad Filium, nisi per opera quæ faciebat per illum? Sic enim dicit, *Pater manens in me, ipse operatur:* ut opera hæc adtraherent ad fidem Christi. Virtutes enim quas faciebat Salvator, ipse suadebant Deum esse Patrem Christi: ut qui alium patrem habere illum diceret, non adtraheretur à Deo ad Christum. Ideo ergo Deus operabatur per Christum, ut verbis ejus fides commodaretur, quibus dicebat se Filium Dei. Hæc est adtractio, non violentiæ, sed testimonium Dei in Christo, cui qui credidit, adtractus dicitur ab eo ad Christum. Nemo enim Salvatori credit, nisi qui Patrem illius proprium dicit Deum. Nam Apostolus non ut arbitrium pulsaret hæc fatus est, quæ in quæstionem redegisti: sed ut judicium Dei retractari prohiberet, hæc dixit, justum prædicans Deum; scit enim cujus debeat misereri. Cordis enim inspector providet postulantis mentem ea mercatur accipere. Denique dicit per Prophetam, *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Nam simulatoris animum justum est ut obduret. Qui enim non per errorem, verum vocat falsum, sed per malevolentiam, ut intelligens bonum, fingat se nescire quod bonum est, ut convertat illud in malum, hoc utique debet illi præstari ut verè non intelligat bonum, ne salvetur, quod non vult. Nec enim justum est, ut invitus salvetur, qui non per ignorantiam salutem spernit, sed per malitiam vel invidiam. His igitur confirmatur magis liberum arbitrium quàm destruitur, ut unicuique pro voto suo respondeatur.

Pelagiani-smi. Johan 14. 10.

Isa. 29. 13.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 62. Sapit Pelag. hæresim. Iohan. 6. 42. Johan. 14.

Nullo genere ex his arbitrij caussa poterit turbari. Si enim dicta ad caussam referas qua dicta sunt, scies hinc magis arbitrij liberi firmari sententiam. Cùm enim Judæi studio malevolentiæ suæ de Salvatore dicerent, *Nonne hic est filius Joseph, cujus nos novimus Patrem? Quomodo ergo hic dicit, quia de cælo descendi?* Ad hoc respondit Jesus, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, adtraxerit eum.* Nunc videndum est quomodo trahit Pater. Ipsius Salvatoris verbum sumatur, dicit enim, *Opera quæ facio, Pater facit. Credite quia ego in Patre, & Pater in me.* Si ergo in Filio Pater operatur, opera autem sunt quæ invitant ad fidem; rectè dixit, quia *nemo venit ad me, nisi quem Pater traxerit.* Trahit autem, cùm operatur per Filium. Nam qui sibi vult credi, quomodo tollit liberi arbitrij voluntatem? Et qui incredulum arguit, qua ratione trahit invitum? Ad Judæos utique hoc protulit, qui alium Patrem illius quàm qui sunt dicebant. Nemo enim Salvatori credit, nisi qui Patrem illius dicit Deum. Apostolus quoque non ut arbitrium pulsaret, hæc fatus est, quæ nunc proposita sunt; sed ut ostenderet Dei esse justum judicium, qui falli non potest in danda aut non danda misericordia. Est enim qui postulat, & non meretur accipere: alius verò petit, & meretur accipere. Hic enim non solis verbis, sed operibus obsecrat: ille solâ linguâ; hic & corde contribulato: talis enim potest impetrare. Denique quid dictum in Lege est? *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem illorum longè est à me.* Si ergo duo petant, unus autem ex his accipiat, debet sciri hunc sic postulasse ut dignus esset accipere: quia Deus qui justus est, non dat nisi cui dandum scit. Vides ergo non arbitrium negatum, sed firmatum. Nam si una mente, una operatione duos audieris postulasse, & unum ex his exauditum, alterum despectum; rectè & arbitrium non esse, & Deum acceptorem personatum putares.

Isa. 29. 13.

QUÆSTIO LXXX. *Sapit Pelagianam hæresim.*

Certe aut Filius Dei quisque est aut diaboli: semper ergo filius est; sed aliquando Dei, aliquando verò diaboli: quid ergo nascimur requirendum est.

Dominus cùm filij Israël sæpè delinquerent educti de Ægypto, iratus sententiam dedit, dicens, nullum illorum intraturum in terram promissionis excepto Caleph & Josue filio Nave, qui priùs Aufes dicebatur. Eos autem qui nati fuerant in deserto, ipsos dixit intraturos, eo quòd nescirent bonum aut malum. Nescire autem bonum aut malum, simplicitas quædam est naturalis, quæ neque ad malum erudita est. Hæc est ignorantia sine malitia. Sine sensu enim nascimur: sed natura nostra hoc bonum habet, quòd capax est ediscere veritatem. Filius autem diaboli est, qui natus malis rebus imbuitur, ut his studeat quæ inimica sunt Creatori, multos asserens deos, & his immolandum quasi mundi rectoribus. Hic si respiscat, & juxta naturam suam sentiat, ad Creatorem se conferens, Filius Dei erit. Ac per hoc neque Filij Dei sunt qui nascuntur, neque filij diaboli. Quid enim dicit Salvator Judæis? *Vos de patre diabolo estis, & concupiscentias patris vestri vultis facere.* Videsne ergo operibus & professione filios creari diaboli: hos autem esse filios Dei, qui confitentes proprium esse Deum Patrem Christi, rectè versantur. Sic enim Deus instituit genus nostrum, ut sine sensu nascamur, possibiliatem tamen habeamus discendi, sive bona, sive mala; ut ipsi nobis aut mala acquiramus, aut bona: ut lætemur in nobis cùm rectè agentes remuneramur, aut ipsi nobis imputemus, si prava sequentes condemnemur.

Johan. 8. 44.

Quæst eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 61. Sapit Pelag. hæresim.

Dominus cùm filij Israël sæpè delinquerent educti de Ægypto, iratus, nullum illorum in terram promissionis intrare permisit, excepto Caleph & Jesu Nave. Filios autem eorum qui nati fuerant in deserto, ipsos dixit intraturos, eo quòd nescirent bonum aut malum. Nescire autem bonum vel malum, simplicitas quædam est naturalis, quæ neque ad bonum neque ad malum erudita est: hoc est, ignorantia sine malitia. Sine sensu enim nascimur, sed nostra natura capax est ediscere veritatem. Filius autem diaboli est, qui natus malis rebus imbutus, iis studet quæ adversùs Creatorem sunt, dicens multos esse deos, & iis sacrificandum quasi mundi rectoribus. Hic si respiscat, ad naturalem regressus justitiam, recipiens fidem Christi, erit Filius Dei: ac per hoc neque Filij Dei sunt qui nascuntur, neque diaboli. Quid enim dicit Salvator Judæis? *Vos de patre diabolo nati estis, & concupiscentias patris vestri vultis facere.* Vides ergo operibus & professione filios diaboli procreari. Sic enim Deus instituit genus nostrum ut sine sensu nati, possimus tamen eruditi ad utrumque, ut sive ad bonum, sive ad malum ipsi nobis quodammodo simus auctores, ut lætemur in nobis cùm rectè agentes remuneramur, aut nobis imputemus si prava sequentes pœnis subjiciamur: ideo judicio nostro nos dimisit, ut neque queramur de malis, neque frustra, sicut & Dei filios per fidem fieri, de nobis gaudeamus si coronemur. Deus conditor & auctor substantiæ nostræ voluit aliquid nos proprium nostrum habere, ut non indignè gloriemur de fide, quam habemus in Deo. Qui enim potestatis suæ non est, quidquid habuerit alienum est, ut ne gloriari possit de bonis, nec reus constitui de malis.

Johan. 8. 44.

QUÆSTIO LXXXI. *Gal. 2. 15.*

Apostolus ait, *Nos naturâ Judæi*: de Judæis ergo nasci Judæos ostendit: non de Proselytis dico, quos constat fieri Judæos. Denique qui in eremo nati sunt, non sunt circumcisi, & tamen Judæi erant. Non ergo circumcisio Judæum facit; sed nativitas sub Dei Creatoris devotione progenita. Si ergo de Judæis Judæi nascuntur, quare non etiam de Christianis Christiani: nam & de paganis pagani nascuntur?

Non omne quod nascitur, hoc est unde nascitur. Nam & autum de terra nascitur, & non tamen terra est; & gemmæ & alia multa: & de ligno esca nascitur, & de ovo pullus. De paganis autem ut pagani nascantur hæc facit caussa: quia enim omnis paganus in ignorantia est, & qui nascitur ex eo sine sensu est, ambo ignorantes sunt. Sed hoc interest inter utrumque, quia qui generat, sine dubio blasphemus est, ac per hoc filius diaboli est: natus autem infans nescit blasphemare, sicut nescit benedicere; paganus tamen est, quia sine sensu est. De Judæo autem idcirco Judæus nascitur, quia sub Creatoris devotione generatur. Sicut dixit Adam de Cain, *Procreavi hominem per Deum.* Sicut enim pagani indevoti Creatori, dæmoniis gratias agunt in omnibus quæ agunt: ita & Judæi Deo Creatori supplices, laudant eum in omni actu suo, in eo despiciendi quia non cognoscunt Christum, per quem sunt omnia. Hoc etiam modo de Judæo Judæus nascitur. Non enim sicut quibusdam videtur, quia circumcisio facit Judæum. Circumcisio enim signum Judaïsmi est, non Judaïsmus: quia non Abrahæ circumcisio justitia est, sed signum justitiæ, ut nati ex Abraham signum haberent, per quod probarentur filij esse Abrahæ. Quippe cùm ex Juda Machabæo hoc nomine sint appellati, ut non solùm ex Juda, sed & ceteri ex omnibus filiis Jacob Judæi vocarentur, propterea quòd Judas dux fuerit eis. Ideòque nati Judæi signum accipiunt, ut qui sunt intelligantur. De Christiano autem ideo non nascitur Christianus, quia ipse qui generat, non natus, sed factus est Christianus. Quamobrem & iste qui nascitur, fieri oportet ut sit. Nec enim per substantiam nascitur, sed per fidem quæ jam nata accedit. Ignorantia enim eum carne nascitur, fides autem postea spiritali ratione inseritur. Sed dicitur è contra, Si factus utique est qui generat, hoc jam debet generare quod ipse est, ut accepta dignitas traducem faceret. Nam senatores generant senatores. Sed senatorum dignitas non habet apud Deum meritum. Neque ipsa natura, hoc est substantia consequitur beneficium, sed in sola fama & sermone dignitas vertitur. Ac per hoc currit quidem sermo per traducem carnis, sed nihil aliud præstat quàm opinionem dignitatis: sicut & hi qui consules sunt, aut statuis honestantur, gaudent in vano. Christiani autem cùm sunt, ipsi naturæ accedit dignitas, ut essentia ipsa hominis æternum habeat incorruptibilitatis beneficium, ut non opinio sola, sed & res sit in effectu apud Deum. Tale est ut istud, si quis disertus pauper in laude sit & egeat pane, aut reliquis necessariis. Hæc enim vera laus est, si sic illi proficiat quæstus dignitas, ut nullius egeat; dum hoc naturæ ejus præstatur, ut per se ipsa vivat, & bene vivat nullo requisito suffragio: hoc est, verè divitem fieri & gloriosum.

Gen. 4. 1.

Johan. 1. 3.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 56.

Non omne quod nascitur, hoc est quod unde nascitur. Nam & aurum, &c. Paganus tamen est, quia sine sensu est, neque suum habens meritum, neque alterius. De Judæo autem idcirco Judæus nascitur, &c. Sed dicitur è contra, Si factus utique est qui generat, hoc debet generare quod ipse est, ut jam accepta dignitas traducem faciat: sicut & in Judæis, quia Abraham de Pagano Dei cultor factus est, & ex eo origo Judæorum; sicut & facti senatores, jam

senatores generant. Sed senatorum dignitas non apud Deum meritum habet, neque ipsa natura, id est substantia consequitur beneficium, sed in sola fama & sermone dignitas vertitur; ac per hoc currit sermo per traducem carnis, nihil aliud præstans quàm opinionem mundanæ dignitatis. Quare autem de Judæo Judæus nascitur, jam dictum est: Christianus autem cùm boni dignitas naturæ ipsi accedit, ut substantia hominis qua constat beneficium consequatur, ut non opinio sola, sed & res sit in effectu apud Deum. Denique accepta remissione peccatorum, purificatur totus homo, ita ut & filius à Deo adopterur. Quamobrem omnes natos renasci oporret, quia misericordia Dei singulis donat gratiam. Nec enim alter alteri potest remissionem accipere. Anima enim quæ nascitur in corpore, vel cum corpore, subdita morti invenræ ab Adam, nisi signum acceperit evictæ mortis, tartarum inferni non evadit. Unusquisque enim sibi accepit beneficium, non & ei qui nondum est. Si enim factus Christianus immortalis jam esset, rectè natus de illo hoc esset quod & genitor. Nam qui sunt Christiani, signum accipiunt, ne à morte secunda teneantur: non tamen mortem præsentem, quam Adam invenit, evadunt. Infantes autem properera baptizantur, cùm sint innocentes, ut anima rudis nata in corpore, signum habeat mortis evictæ, ne possit ab ea teneri. Hoc signum Abraham non habuit, neque Propheræ, quia tempus illos non invenit: reservatum est autem Filio Dei, qui veniens vinceret mortem, & hanc gratiam credentibus largiretur. Hinc est unde Dominus ait

Johan. 8. 56.

Judæis, *Abraham pater vester cupivit ut videret diem meum, & vidit, & gavisus est.* Sciens enim Abraham Christum ad liberationem humani generis repromissum, semper enim necesse erat ortum ejus in inferis positos exspectare, quem ubi in spiritu natum esse vidit, gavisus est, certus quòd in brevi de inferno ereptus induceretur in cælos. Quomodo ergo de Christianis nasci deberent Christiani, quando qui non crediderit, aut non fuerit baptizatus, non erit Christianus?

QUÆSTIO LXXXII. *Gal. 4. 3.*

Paganos elementis esse subjectos nulli dubium est: quid est ergo quod Apostolus dicit, *Eramus & nos sub elementis hujus mundi servientes.* Si itaque & Judæi elementis erant servientes, quid differebant à paganis?

Manifestum est adjectione, aut diminutione, sive immutatione unius syllabæ sensum perverti. Idcirco paganos elementa colere omnibus cognitum est: Judæos autem non elementis, sed sub elementis Deo serviísse, propter neomenias, & sabbata, & circumcisionem, & cetera talia; hæc enim carnalia sunt. Quidquid enim visibile est, carnale est, & de elementis est. Sed quia ex præcepto Dei erat, Deo serviebatur; ut ex visibilibus ad invisibilia veniretur, & ex hac caussa profectus fieret ad majora capienda, ut in his meditati digni fierent promissis spiritalibus. Ex ea igitur parte, quam supra dixi, sub elementis serviebant Judæi: ex alia parte Legem habebant spiritalem, quæ & peccare prohiber, & exhortatur ad dilectionem Domini Dei, qui venturus eis fuerat promissus ad remittenda peccata.

Quæst eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 59.

Pagani non sub elementis serviunt, sed ipsis elementis. Colunt enim astra, solem, lunam & sidera; hæc in firmamento: in inferioribus autem terram, aquam: in mari verò Neptunum: in inferis autem Pluronem, apertè creaturam mundanam colunt, præterito Creatore. Nam Judæi hoc modo sub elementis, Deo tamen serviebant, qui hæc ipsa mandata dederat. Observant enim neomenias, sabbata, pecorum sacrificia. Initio mensis septimi tubâ canere, quinto-decimo autem die mensis septimi medullas palmarum & ramos ligni spissos, & ramos salicis circumferre, & in casis septem diebus habitare. Hæc ergo observantes, rectè sub elementis dicuntur serviísse: hæc enim ex elementis sunt. Christiani autem non sub elementis, sed supra elementa Deo serviunt, ad Jerusalem cælestem properantes, in spiritu Deum adorant, non in visibilibus & mundanis, sed in animo Dei culturam habentes, invisibili invisibiliter servientes, sicut dicit Dominus in Evangelio,

Johan. 4. 23.

Veniet hora, in qua veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Hæc ergo veritas est, spiritu Deo servire, animo magis quàm corpore: ut quia Deus spiritus est, spiritaliter excolatur. Ex hac parte Judæos sub elementis subjectos dicit fuisse, qua suprà memoravi: ex alia autem parte, Legis spiritalem fuisse rationem, qua & peccare prohibuit, & diligendum ex omni corde Dominum mandavit, & spem habere in Christo. Sed Apostolis prædicantibus hæc, magis defendebant quæ carnaliter data fuerant. Hæc Apostolus memorat ut obfuscet Judæos, qui obtrectantes Legis spiritalis, visibilibus erant subjecti: & ut hæc verè ad comparationem Legis fidei infirma ostenderet, etiam interpositâ personâ hoc denotat, qui utique eorum æmulus fuerat vehementer. Cognito autem Christo, hæc contemni æstimavit, quia multùm differt gratia Dei per Christum à Lege factorum.

QUÆSTIO LXXXIII.

Si per Christum salus, & vera & perfecta cognitio, cur non antè venit, ut & anteriores nostri qui in ignorantia fuerunt, addiscerent veritatem? Denique post adventum Christi multi salvati sunt, magis quàm priùs. Unde & si antè venisset, multo plures salvati fuissent. Si ergo ita est, reprehensibile videtur.

Nulli misericordiam facienti calumniam fieri oportet. In potestate enim datus est, quando vel quantum velit misereri. Exhortandus est enim hujusmodi & precibus provocandus, non contentione à bono opere revocandus. Fortè non contradiceretur, si pro hac misericordia vices illi aliqua redderetur. An quis medicum arguet qui medicamenta sua & officium suum gratis impendet: aut accusabitur tarditas ejus ab eis, à quibus non est requisitus? Hæc quidem diximus secundùm rationem, sed Salvatoris bonitas ista non curat propter imbecillitarem humanam: suam enim sequitur naturam ad faciendam misericordiam. Idcirco tunc venit quando debuit venire, voluntatis suæ rationem secutus, non meritorum nostrorum. Nam si merita perpendas, venire non debuit. Venit ergo quando & subveniri debere scivit, & gratum futurum beneficium. Si autem ei cui necessitas imminet antè subveniatur, erit quidem gratum; non tamen valde poterit scire quid sibi præstitum est: si autem in ipsa necessitate posito auxilium feras, sciet quale beneficium consecutus sit. De tribulatione enim ereptus, majores gratias referet: quomodo si esurienti offeras panem; si autem offeras cùm non esurit, non utique tam gratum erit. Idcirco rectè factum est, ut non antè veniret Dominus. Primùm enim dimisit genus hominum uti voluntate sua, non sine testimonio sui, quia ex ipsa mundi fabrica per annua munera, quæ elementorum ministerio humanis usibus exhiberi decrevit, intelligi & timeri divinitatem suam voluit. Quippe cùm etiam ex traduce primi hominis, deinde Enoch & Noë notitia ejus esset in terris. Sed cùm languore quodam humani generis obsolescere cœpisset cognitio Dei inter homines, & mores immutarentur, eligere dignatus est Abraham, in quo forma esset renovatæ notitiæ Dei & morum. Et cùm adhuc reverentia tegnior esset, postea per Moysen Legem litteris dedit, quæ neque obsolescere, & magis meram incuteret. Major enim timor est, ubi auctoris is manifesta est. Et quia accepram Legem gentes spreverunt, non se subjicientes ei, neque ij qui acceperunt servaverunt eam, motus Dominus misericordiâ, misit Filium suum, qui se pro illis offerens, mortem destruens, data omnibus remissione peccatorum, Deo Patri illos justificatos offerret. Non enim posset defendi ad inferos, nisi per mortem. Nec ordo enim nec ratio poscebat, eum qui mortuus non fuisset, intrare januas tartari. Nonne si quis vult in terra sua barbaros decipere, immutat se in habitu illorum, ut puterur unus ex his, & sic explorat quomodo illos subvertat? Ita factum est & de diabolo: quoniam malo more hominem subverterat, ut in morte non remaneret, inventum est remedium, quomodo quos malè tenebat amitteret, & subintraretur ei: & quem putabat se velut hominem occidisse, reperiret illum apud inferos Deum. Quo facto, reus inventus omnes quos tenebat amisit, & de cetero aperta est ad cælum via. Ecce quantum profuit adventus Salvatotis, ut scientes homines de quo periculo sunt erepti sine cessatione Deo gratias agant, ut etiam si usus exegerit sanguinem pro illo fundentes, nec sic se illi vicem reddere posse intelligant. Quam gratum ergo & pretiosum beneficium existimant, quod nec morte compensari putant? Sed fortè contrà dicatur: Si multi ante Legem, & post Legem peccaris pressi totos se carni dederunt: sine dubio fuerunt aliqui, qui Creatori Deo devoti à vitiis se infrænarent. Age numquid hi expuncti à vitâ non in infernum descenderunt. Si autem antè, post mortem Adæ Christus venisset, liberato Adam, qui peccato proprio tenebatur, à morte, ceteris ad cælum iter fecerit, eredenetibus, ut quia hîc bene vixerant, grati Creatori & restauratori defuncti reciperentur in cælum. Damnum ergo est, quia non antè venit Christus. Damnum esse manifestum est. Sed quære an justum, an injustum sit. Solent enim damna justa esse. Numquid fur reprehensus, cùm in quadruplum, juxta legem, damnatur, non damnum patitur? Sed justum est, ac per hoc justum quod hominum genus passum est, justè provenit, ideo & permissum est. Quare & Salvator inter ipsa primordia venire non debuit. Cùm enim diabolus superbiret, &

a MS. Coll. expuncti.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 58.

homo à Deo factus positus est illi inimicus, ut auxiliis Dei munitus, quia impar erat viribus, resisteret illi accepto mandato unius Dei imaginem in terris ad errorem auferendum, per id quòd unus ab uno factus, ex quo ceteri, demonstraret. Diabolus autem solita subtilitate simulavit se ignorare quid præceptum fuisset à Deo, & invenit Evam instabilem, pòst autem promittens illis, quòd si interdictum degustassent, futuri essent dij, circumvenit eos. Sic diabolus devicto homine triumphavit, hic victus genus suum vendidit peccato. Non ergo justum erat victori statim auferre violenter spolia: quia quod facit Deus, justè fecit: Præterea cùm acerbè peccaverit homo, assentiens enim fieri se Deum, idololatriam admisit, hoc est in Deum peccavit: ideoque non illi statim debuit subveniri, qui nec pænituit. Pòst autem justis multa mala intulit Satanas, Job, Joseph, Jeremiæ, Isaiæ, Zachariæ, & ceteris Prophetis, & justis. Idcirco commissus est Christus à Deo Patre suo qui illum vinceret, & se manifestaret, regnum ejus auferens ratione, non potestate; quamquam omnia possit Deus: sed illud facit quod congruit rationi, ut irreprehensibilis perseveret.

QUÆSTIO LXXXIV.

Quare lunæ cursum in ratione Paschæ custodientes, Paganos reprehendimus, quia dies lunares & motum custodiunt?

Absit à Christianis ut sidera venerari dicantur, quibus indulta est spiritalis cultura, ut despicientes quæ videntur, iis quæ invisibilia & supercælestia sunt, copulentur, & hæc omnia transcendant futuri cum Angelis Dei. Nam & siderum cultores aut cum ipsis erunt, aut infra ipsa. Quomodo enim fieri potest, ut aliquis super hæc sit quæ colit? Pagani itaque non computum lunæ observant; sed lunam ipsam velut deam venerantur. Et effectus curriculorum ejus apprehendisse se arbitrantes, quid certis diebus agendum, quidve cavendum sit, decernunt, imperio ejus quasi vitam & conversationem suam ordine quodam subjicientes: quos, quia extra Dei ordinationem hæc ausi sunt usurpare, falli frequenter deprehendimus. Hæc enim luminaria in signa temporum Deus constituit. Unde & nos numerum lunæ custodimus, non illam ipsam excolimus, ut à quarta-decima luna, quæ nobis secundùm Legem prima est, rationem Paschæ observemus. Omnia enim plena Deus instituit: ideoque à quarta-decima usque ad vigesimam-primam his septem diebus Pascha nobis celebrare concessum est, ut de his septem aliqui dies à parasceve usque ad resurrectionem Domini concludantur: ut neque tertia-decima in passione sit, neque quarta-decima in resurrectione, aut quinta-decima; ne ante primam secundùm nos lunam, passio Christi sit, neque resurrectio ejus non primo die quo cœptus mundus est. Omnia enim mundi tempora unius hebdomadæ curriculis numerantur; quia his Deus mundi membra & ornamenta composuit. Sex enim diebus mundum aptavit, & septimâ cessavit, quam sabbatum appellavit. His enim septem diebus totius mundi ratio & numerus continetur. Semper enim in se redeuntes, multiplicant numerum temporum. Post sabbatum enim à primo die repetit semper usque ad diem septimum, id est sabbatum: ut resurrectio Domini primo die inchoati mundi facta discatur; qui dies Dominicus dicitur. Ipsum enim fecit Dominus unum cum vespere, & in septenarium numerum evolutus incipit iterum, ut sit post hebdomadam primus. Quod ita decretum ab initio est propter sacramentum incarnationis Domini, & passionis, & resurrectionis. In corpore enim Domini totus propè mundus resurrexit, & instauratus est. Absolutum est non nos lunam colere, sed numerum qui per lunæ cursum institutus est custodire. Diabolus autem qui est satanas, ut fallaciæ suæ auctoritatem aliquam possit adhibere, & mendacia sua commentitia veritate colorare, primo mense quo sacramenta Dominica scit celebranda, quia non mediocris potentiæ est, Paganis quæ observarent instituit mysteria, ut animas eorum duabus ex caussis in errore detineret: ut quia prævenit veritatem fallacia, melius quiddam fallacia videretur, quasi antiquitate præjudicans veritati. Et quia in primo mense, in quo æquinoctium habent Romani, * sicut & nos, ea ipsa observatio ab his custoditur, ita ut etiam per sanguinem dicant expiationem fieri, sicut & nos per crucem: hac versutiâ paganos detinet in errore, ut putent veritatem nostram imitationem potiùs videri quàm veritatem, quasi per æmulationem superstitione quadam inventam. Nec enim verum potest, inquiunt, æstimari quod postea est inventum. Sed quia apud nos pro certo veritas est, & ab initio hæc est, virtutum atque prodigiorum signa perhibent testimonium, ut teste virtute, diaboli improbitas innotescat. Quoniam enim sola est quæ facilè suadeat, hæc contra versutiam & præventum diaboli posita est, ut simulationem ejus revelet. Nemo enim etiam inimicorum negare audeat illic esse veritatem, ubi virtus apparet.

** Loquitur perinde ac si alibi quàm Romæ scribat: non ergo idem ipse est auctor quæstionis* CXV. *apud Romam scriptæ.*

QUÆSTIO LXXXV. [*Matt.* 1. 17.]

Quid est ut cùm constet à David usque ad transmigrationem Babylonis decem & septem esse generationes, Evangelista quatuordecim dicat, prætermissis Ochozia, qui post Joram est filium Josaphat, & Joas filio Ochoziæ, & Amasia filio Joas?

Nihil Evangelistam quàm sensum Legis secutum credibile videri debet. Ideoque non immeritò hi ab Evangelista sublati sunt de numero ceterorum. Sic enim horum continuavit impietas, ut malignum eorum nullum intervallum haberet. A Joram autem cœptum malignum sic perambulavit usque ad Oziam filium Amasiæ, ut nullius lateris esset suffragium, quo ex parte merito patris aliquis horum remaneret in numero regum. Nam Joram malignè agens merito Josaphat præmissus in numero est; & Ozias merito Joathan reservatus in numero est. Illorum autem trium continuata malignitas in Deum est. Salomon quoque merito patris remissus in regno est; & Roboam filius Salomonis malignè agens merito Asa relictus est in numero regum. Illi autem tres in medio malorum conclusi sunt malignè agentes, ideo erasi sunt. Pejus enim à perditione generis exemplum est, quando se jugiter malignitas pandit. * Et ut propriè dicam, propterea quòd ex traduce eorum non est Joseph, prætermissi sunt. Ab Abraham enim horum generationem secutus est Evangelista, ex quibus originem trahit Joseph, cui desponsata est Maria, quæ genuit Christum.

** Reliquum deest in MSS. 2. generis.*

QUÆSTIO LXXXVI. [*Luc.* 1. 27.]

Quid est quod probet Mariam matrem Domini ex tribu & semine esse David?

Idonei testis proferemus sermonem. Dicit enim Angelus ad Mariam inter cetera, *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Quomodo diceretur ab idoneo teste pater ejus David, si non esset mater ejus Maria ex semine David?

QUÆSTIO LXXXVII.

Si unus est Deus, cur in tribus spes salutis est, & non in duobus aut quatuor, aut certè in ipso uno; & quare non est ab initio Trinitas prædicata?

Nihil penè novum effectum est: sic enim Trinitas prædicatur, ut unus Deus credatur. Non ergo additum est aliquid, sed sacramentum Dei unius revelatum. Inter ipsa autem primordia manifestari non oportuit; quia priùs prædicandum, & postea id quod prædicatum est revelandum: ut scias Patrem esse, à quo cuncta sunt; Filium verò dici, per quem sunt omnia; Spiritum autem sanctum appellari, per quem omnia, quæ à Patre quidem, sed per Filium sunt, regenerantur ad fidem Dei unius. Hi ergo tres sunt quidem, sed una divinitas. Ratio igitur facit ut tres sint, non plures aut infra. Omnis enim numerus usque ad novem pervenit, quia tres dum invicem in se sunt, faciunt numero novem; quia in uno tres sunt, & tres sunt unum. Qui enim videt unum, videt tres, dum nihil differt alter ab altero. Tres ergo unum, & ter tres unum. Hæc enim in nono numero perfectio est, quantum ad numerum pertinet, quia de uno sunt omnia. Addito enim uno ex quo vel in quo tres qui numerantur novem, fiunt decem vel viginti. Semper tamen usque ad novem venitur, & unus additur, quia novem unum sunt, ut plena perfectio sit unitatis.

Quæst. eadem ex MSS. 2. generis, inter post-vulgatas ex vet. Test. 9.

Unus quidem est Deus, sed non singularis est. Habet ex æternis in mysterio alterum qui sit cum altero. Et quoniam Deus Pater in se habet alterum cum altero, sicut dixi, dignum fuit unum priùs prædicare non manifestato mysterio quod erat in ipso: quoniam caput Filij Pater est, & caput Spiritus-sancti Filius, quia de ipso accepit: & sicut Pater misit Filium, ita & Filius misit Spiritum-sanctum. Postquam autem cognitus est Deus ex quo sunt omnia, tunc scientibus se manifestavit Filium suum, quem ex æterno habuit apud se. Manifestatus autem Filius ostendit Patrem esse qui priùs unus Deus prædicabatur esse. Quo cognito palam fecit esse etiam Spiritum-sanctum, qui tertius sit à Patre, secundus autem à Christo secundùm numeri ordinationem, juxta substantiam autem non esse & non differre alterum ab altero: & hoc ex æternis fuisse in mysterio Dei, qui in Trinitate est adorandus. In eodem enim honore vult recipi quod ex ipso est, in quo recipitur ipse à quo est. Dignum enim est, quia in ipso fuerunt & omnia per Filium facta, & per Spiritum-sanctum illuminata, ut in Trinitate salus prædicetur, servato ordine personarum, unius divinitatis indiscreta adoretur potestas. Ut ergo tres sint non plus aut infrà, ratio facit: quia omnis numerus usque ad tres pervenit. Tres enim quia invicem in se sunt, undique Trinitas annuntiatur, quia in uno tres sunt, & tres unum sunt. Unum qui videt, videt tres, dum nihil differt alterum ab altero. Tres ergo unum, & unum tres. Hæc est Trinitas undique perfecta. Et hæc est Trinitatis intelligentia, quæ tunc perfecta est, si unum dicantur.

QUÆSTIO LXXXVIII.

Hæc deest in MSS. 2. generis.

Si major gratia & manifestior intelligentia in novo est quàm in vetere Testamento, quare Isaias propheta sedentem in throno majestatis vidit Dominum Sabaoth, qui est Christus, juxta interpretationem Johannis evangelistæ: dixit enim inter cetera, *Hæc locutus est Isaias, quando vidit majestatem ejus, & locutus est de eo.* [*Isa.* 6. 1. *Johan.* 12. 41.] In novo autem Stephanus primus martyr stantem se vidisse dicit Jesum à dextris Dei. [*Act.* 7. 55.] Quid est istud ut hîc subjectus videatur post triumphos, & illic quasi Dominus antequam vinceret?

Prout caussa fecit ita & Dominus se ostendit. Prophetæ enim visus est quasi rex corripiens plebem: & hoc se ostendit quod erat, hoc est, sedentem. In pace enim erat caussa divinitatis ejus. Stephano autem ut stans appareret, fecit calumnia Judæorum. In Stephano autem Salvatoris caussa vim patiebatur. Ideo sedente judice Deo, stans apparuit, quasi cui caussam diceret: & quia bona caussa ejus est, ad dexteram judicis erat. Omnis qui caussam dicit, stet necesse est.

QUÆSTIO LXXXIX. [*Johan.* 16. 8.]

Salvator inter cetera dicit de Spiritu-sancto, quòd *veniens*, inquit, *ille arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De justitia verò, quia eo ad Patrem, & jam non videbitis me. De judicio autem, quia princeps hujus mundi judicatus est.* Caussam quidem videtur dixisse arguendi mundi, sed indiget explanatione.

Cùm Salvatori non crederent Judæi, neque mundanæ potestates; quia non solùm hominibus se manifestari voluit, sed & principibus & potestatibus in cælestibus, sicut docet Apostolus in Epistola ad Ephesios [*Ephes.* 3. 10.]; post passionem suam vera se locutum Spiritum-sanctum probaturum ostendit. Et hoc est arguere mundum, ostendere illi vera esse quæ credere noluit. Credere enim noluit à Deo venisse Salvatorem. Salvator autem servatâ justitiâ non trepidavit reverti ad eum qui se miserat: & per id quod regressus est, probavit se inde venisse. Quia *nemo*, inquit, *adscendit ad Deum, nisi qui descendit à Deo.* [*Johan.* 3. 13.] Videntes ergo potestates adscendere eum, confusæ sunt, videntes verum esse quod velut falsum spreverant. Itaque ista justitia arguit eos, qua justum probatum est, quia regressus est unde venerat. Sic autem arguit eos de peccato, quia non solùm credere ei noluerunt, sed & occiderunt eum. De judicio verò sic eos corripuit, dum ostendit principem mundi reum factum & comprehensum ab eo, cujus fidei non communicarunt. Videntes enim animas de inferis ire in cælos, cognoverunt adjudicatum esse principem hujus mundi, ut reus factus in caussa Salvatoris, quæ tenebat jure amitteret. Hæc quidem adscendente Salvatore visa sunt: sed superveniente in discipulos Spiritu-sancto, palam aperteque manifestata sunt. Vera enim correptio tunc fuit, quando post passionem resurrectionemque ad testimonium Salvatoris publicè à perfidis

videbantur

videbantur resurgentes mortui, claudi currentes, leprosi mundati, paralytici confirmati, cæci adspicere, surdi audire, muti eloqui, dæmoniaci purgari, infirmi recuperata sanitate gratias agere. Hoc modo Spiritus-sanctus arguit mundum; quia in nomine Salvatoris, qui reprobatus est à mundo, omnium curationum virtutes operatus est.

QUÆSTIO XC. [*Johan.* 8. 44.]

Si diabolus ipse est satanas, quid est ut inter cetera dicat ad Judæos Salvator, *Vos de patre diabolo estis, & concupiscentias patris vestri vultis facere. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit; quia veritas non est in eo: cùm loquitur mendacium, ex suis propriis loquitur; quia mendax est sicut & pater ejus.*

Diabolus non speciale nomen est, sed commune cum ceteris. In quocumque enim opera diaboli fuerint inventa, sine dubio diabolus appellandus est. Operis enim nomen est, non naturæ. Itaque hoc in loco patrem Judæorum Caïn significat, cujus imitatores volentes esse Judæi, Salvatorem peremerunt. Hinc dicit eum, quia se parricidio maculavit, & reum fecit mortis, in veritate non stetisse. Ab ipso enim forma data est fratricidij. Istum ipsum dicit, *cùm loquitur mendacium, de suis propriis loqui*, ut ostenderet unumquemque nonnisi propria voluntate peccare. Sed quia imitator diaboli est, adjecit, *Quia mendax est, sicut & pater ejus.* Hic enim ut primum hominem morte condemnaret, simulavit se nescisse quid præceptum fuisset ei à Deo. Sic & Caïn interrogatus finxit se nescire ubi esset frater suus Abel, quem occiderat. [*Gen.* 4. 9.] Hoc ergo in loco diabolum Caïn esse dixit: patrem autem ejus diabolum, cujus opera secutus est. Diaboli enim filius, diabolus est. Sed diabolus ille qui est satanas, patrem in malitia sua nullum habet. Ipse enim sibi in malo auctor est. Prior enim ipse peccavit, ac per hoc quicumque imitati illum fuerint, filij ejus dicentur, & ille pater eorum. Etenim nos in fide patrem Abraham habemus, quia prior ipse credidit Deo: ac per hoc nomine ejus censemur. Fideles enim dicimur sicut & ille.

QUÆSTIO XCI.

Quærendum quomodo contradicendum sit argumentis Photini dicentis Christum ante Mariam non esse.

A Johanne priùs quæramus Baptista, quem ipse Salvator testem suum esse professus est. Ait enim inter cetera de Domino, [*Johan.* 3. 31.] *Qui de sursum venit, super omnes est: qui autem de terra est, de terra loquitur. Qui verò de cælo venit, quod vidit & audivit, testificatur: & testimonium ejus nemo accipit.* Ecce Johannes omnes secum pariter ad comparationem Domini terrestres appellat: quia illum de cælis testatur venisse, ceteros verò omnes de terra esse, hoc est, de inferioribus. Et ipse Dominus inter cetera eadem loquitur, dicens, *Non enim descendi de cælo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris.* [*Johan.* 6. 38.] Et iterum Dominus inter alia hoc sensu loquitur dicens, [*Johan.* 16, 26.] *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem. Ipse enim Pater diligit vos, quia vos me diligitis & creditis quia à Deo exivi. Exivi enim à Patre, & veni in hunc mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Tunc videntes Discipuli manifestè illum esse locutum, dicunt ei, *Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc scimus quoniam scis omnia, & non opus tibi est ut quis te interroget: in hoc credimus quoniam à Deo exiisti.* Hæc interpretatione non indigent. Quippe cùm ista summa sit religionis nostræ, ut Christum ante carnem in cælis cum Deo fuisse credamus, ut Filium apud Patrem. Nam si propter justam conversationem & cælestem doctrinam de cælo & à Deo se dixit exiisse, & venisse in mundum, eadem debuerant dicere de se omnes Prophetæ & Apostoli. Et quia dixit, *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem;* hoc fortè dicatur significasse, quia doctrina quæ venerat à Deo, relicto mundo ad Deum est regressa. Aliud enim quod dicant non habent. Si enim de cælo venisse, & à Deo exiisse, & venisse in hunc mundum, ad virtutis & doctrinæ pertinet caussam, non ad Salvatoris personam, cùm dicit, *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem;* illò utique redit unde venerat: sed videmus post abscessum Domini, & virtutem fuisse in mundo & doctrinam. Vides ergo non de virtute dictum esse à Domino & doctrina, sed specialiter de se Dominum locutum. Quod si virtutis quæ in Christo operata est, dicis esse verba; hæc ipsa virtus Deum Patrem suum appellat. Ecce incurris quod times: quia si virtus Dei Filius Dei est, ipsa utique virtus Dei est, de qua dicit Apostolus, *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam:* [1. *Cor.* 1. 24.] hæc exivit à Deo, & iterum ad eum regressa est. Itaque hæc ipsa virtus quæ Christus est, in Spiritu Dei dæmonia se testatur ejicere; [*Matt.* 12. 28.] qui Spiritus per Apostolos operatus est, ut scias Spiritum-sanctum per quem Dominus operatus est, post abscessum Domini hîc in mundo per Apostolos operatum: ut pleniùs appareat Dominum de sua persona locutum, quia relicto mundo regressus est ad Deum. Aut si putas virtutem hanc non esse Christum; duæ erunt virtutes & duo Filij Dei; & ubi est illud quod legitur, [*Johan.* 1. 18.] *Unigenitus Filius Dei, qui est in sinu Patris?* Et iterum, [*Johan.* 3. 16.] *Sic enim*, inquit, *dilexit Deus mundum hunc, ut Filium suum unicum daret pro eo.* Animadvertis jam virtutem Dei, quæ corporaliter operata est in mundo, ipsam unam esse quæ & Dei virtus dicatur & Filius. Et videamus quid crediderint, aut cui, Apostoli audientes à Domino, [*Johan.* 16. 28.] *Ecce iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem:* responderunt enim, *Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia nosti omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget. In hoc credimus, quoniam à Deo exiisti.* Nunc videamus si de virtutibus ambigerent Discipuli, utrùm à Deo exissent, cùm vidissent Lazarum jam fœtidum quarta die resuscitatum, [*Johan.* 11. 44.] cæco à nativitate oculos reformatos, [*Johan.* 9. 1.] tactu fimbriæ mulierem à profluvio liberatam, [*Matt.* 9. 20.] aquæ naturam mutatam in vinum. [*Johan.* 2. 9.] At de persona Domini nemo planè dubitavit, vel de virtutibus: quippe cùm dicerent illum, alij esse Eliam, alij Jeremiam, aut unum ex Prophetis. [*Matt.* 16. 14.] Nam cùm lapidare vellent illum Judæi, respondit eis Jesus, [*Johan.* 10. 32.] *Multa opera bona ostendi vobis à Patre meo; propter quod eorum opus lapidatis me?* Dixerunt ei Judæi, *Nos de bono opere non te lapidamus, sed propter blasphemiam: & quia cùm sis homo, facis te Deum.* Si ergo Judæi quòd Dei opera essent non ambigebant, Apostoli ambigebant?

Quoniam ergo omnis dubitatio de Salvatoris persona erat: (res enim inaudita, & quæ in sensum humanum non rueret, stuporem hominibus faciebat, cùm audiebant dicentem illum se à Deo exiisse, & proprium sibi Patrem esse Deum:) idcirco Discipuli satis sibi esse factum confitentes manifestatione verborum Domini, dixerunt ad eum, *Nunc scimus quoniam nosti omnia, & non est opus ut quis te interroget. In hoc credimus, quoniam à Deo exiisti.* Si enim non verè à Deo exivit, fides Apostolorum exinanitur: sed non potest, quia à Salvatore probata est. Respondit enim eis, *Modò creditis;* id est, tanta signa videntes non credebatis. Itaque probatum est Apostolis Christum à Deo exiisse & venisse, ut per hanc exitionem Filium istum Dei credere non esset ambiguum. Si enim nemo vidit Deum nisi qui est à Deo, hic vidit Deum: [*Johan.* 6. 46.] & si nemo novit Patrem nisi Filius, [*Matt.* 11. 27.] hoc est verè apud Deum Patrem fuisse, & ab eo exisse, & venisse. Nemo enim alius poterat à Deo exire, nisi hic qui in principio erat apud Deum; [*Johan.* 1. 1.] quia & nec quisquam alius sciebat, aut viderat Deum. Ideo non incredibile nobis est, verum Filium hunc Dei credere. Sicut dicit Johannes in Epistola prima, [1. *Johan.* 5. 20.] *Et simus*, inquit, *in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Et Apostolus, *Qui proprio*, inquit, *Filio non pepercit.* [*Rom.* 8. 32.] Et Evangelista, *Quia proprium*, ait, *sibi patrem dicebat Deum.* [*Johan.* 5. 18.] Si verus ergo Filius Dei est Christus, quomodo homo tantùm est? Verus enim Filius non diceretur, nisi propriè ab eo esset genitus. Aut dicat Photinus, quare verus Filius Dei creditur, si non est verus? Aut quid opus erat hunc credere Filium Dei, si unus esset de ceteris sanctis, qui Filij Dei digni sunt appellari? Aut numquid aliqua indignitas in hoc est, per quam Filius Dei sicut ceteri sunt, credi non posset: & idcirco dicitur, ut hic de quo incredulum videtur, credatur Filius esse Dei? Si enim potior ceteris est, quid opus est ut dicatur, Crede Christum Filium Dei esse, si unus esset de ceteris, nisi quia ut aliter de hoc credatur præcipitur quàm de ceteris? Ut quia multi sunt qui Filij Dei sanctitatis caussâ appellantur, hic solus verus Filius Dei credatur, unde & unicus dicitur. Nam quis sanctorum ausus fuerit Filium Dei se dicere, non dicam & ᵃ unicum, nisi Salvator conscius nativitatis suæ à Deo profectæ? Quomodo autem pateretur se adorari, si nesciret se de Deo, cùm scriptum sit, [*Deut.* 6. 13.] *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies?* Quippe cùm Johannem Angelus corripuerit, eo quòd adorare se vellet, dicens ei, [*Apoc.* 19. 10 & 22. 9.] *Ne feceris, quia conservus tuus sum: Deum adora.* Et cùm soli Deo serviendum Scriptura testetur; [*Deut.* 6. 13.] Apostolus tamen, *Qui servit*, inquit, *Christo, placet Deo.* [*Rom.* 14. 18.] Quare? Quia unum sunt Deus & Christus, Pater & Filius. Apostolus se Christi servum fatetur, & dicit Corinthiis, [1. *Cor.* 7. 23.] *Nolite fieri servi hominum.* Et ad Galatas, [*Gal.* 1. 1.] *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem; sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis:* ostendit apertè Christum Deum esse & hominem, ut Apostolatum suum non ab homine esse, sed à Christo, juxta quod Deus est, & à Patre Deo esse demonstraret. Denique in subjectis ait, *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Iesu Christi:* Quid tam apertum? Dei enim doctrinam non per hominem dicit se esse assecutum, sed ab ipso Deo edoctum. Nam nos Dei doctrinam per homines accipimus: vas autem electionis nihil se probat ab Apostolis assecutum, hoc est, ab hominibus. Nam si, quia Dei doctrina est, ideo non per hominem discitur, quam laudem suam testatur Apostolus, si sic didicit sicut ceteri Apostoli? Ut quid dicit, *Neque ego ab homine accepi illud, neque edoctus sum; sed per revelationem Iesu Christi?* Quis ambigat hoc loco Christum Deum significatum? Sed quid mirum, cùm inter cetera dicat ad Romanos, [*Rom.* 9. 5.] *Quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus, benedictus in sæcula.* Quid est, *& ex quibus Christus secundùm carnem?* Non enim hoc diceret, nisi esset & secundùm Deum, ut secundùm carnem ex Patribus, secundùm divinitatem verò ex Deo Christus sit super omnia Deus. Sed fortè ad Patris personam pertinere dicatur? Sed hoc loco nulla est paterni nominis mentio. Ideoque si de Christo dictum negatur, persona cui competat detur. Quare autem Christo non competat, cujus nomini cælestia, terrestria & inferna genu flectunt? [*Phil.* 2. 10.] hoc est, super omnia esse Deum. Præter hæc enim alia nulla sunt. Dicat nunc Photinus, si hæc homini genu flectunt: aut si Deus potentias illas cælestes & sanctos Angelos ut hominem adorent, decrevit. Sed absit, quia Deus nihil stultum decrevit; maximè cùm non liceat, nisi Deum adorari, quanto magis in cælis? Rex enim adoratur in terris quasi vicarius Dei. Christus autem post vicariam impletam dispensationem adoratur in cælis & in terra. Legimus namque, quia *Verbum caro factum est:* [*Johan.* 1. 14.] hoc est, ministro Spiritu-sancto incarnatum esse ex Maria hoc Verbum, in principio apud Deum fuisse, & Deum esse, hoc quoque Filium Dei appellari. Quomodo ergo non ante Mariam est quod in principio erat, & Deus erat? Etiamsi obcæcatus Deum hoc esse negas, Verbum tamen non negas: neque ignoras hoc Verbum Filium Dei appellari, & hoc apud Deum fuisse in principio. Qua ergo ratione post Mariam dicis esse, quod in principio legis fuisse? In Apocalypsi enim legimus de Christo, [*Apoc.* 19. 13.] *Et nomen ejus est, Verbum Dei.* Quod verbum multas habet interpretationes. Nam nihil de Deo est quod non Deus dicatur; sed propter auctoritatem unius Dei, quod de ipso natum est, Verbum appellavit: ut hac ratione ducti, qua scimus verba nostra nonnisi ex nobis esse, Christum de Deo esse crederemus. Nec aliter quidem oportuit dici ut de ipso, & non extra eum crederetur. Nam simili modo & virtus & sapientia Dei vocatur, ut eadem ratione de ipso intelligatur. Si enim dixisset Deus & Deus; non illum de se esse significaverat, sed duos fecerat deos, quod unitati adversum est. Hæc ratio in divinis libris est, ut significatus Deus Christus, modum non excedat Dei unius. Quàm autem illud tuum stultum est, Photine, quo sic distinguis in capite Evangelij Johannis ne Verbum Deus dicatur. Sic enim legis, [*Johan.* 1. 1.] *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc in principio erat apud Deum.* Quid sibi vult hæc distinctio? quem indicat sensum? quam

ᵃ *MS. Colb.* verum.

significat pietatis rationem, nisi solam adversùs Dei Filium inimicitiam? Quæ enim significatio est pronuntiantis, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat? Hæc ergo Legis nostræ sapientia est, ut doceat quia est Deus? Quæ lingua est, quæ gens, quæ terra, quæ secta, quæ neget Deum esse? [Johan. 1, 1.] Et ut quid insinuet dicit, *Et Verbum erat apud Deum*: aut verbum hoc quid vult intelligi, nisi rationem ejus ostendat? Non enim propter Deum Evangelium scribitur, de quo nemo dubitat, sed propter Verbum de quo quæstiones fiunt. Mysterium enim Dei est, quod ideo creditur, quia non est omnibus manifestum. Ideoque Scriptura contendit docere quid sit Verbum, dicens, *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum.* Istud & rationi convenit, & pronuntiatio integra est. Ostendit enim quia Verbum hoc, quod in principio apud Deum erat, & Deus erat, in sacramento mysterij æterni Dei quod ignotum erat à sæculis & generationibus, Deus Verbum apud Deum Patrem fuisse credatur. Et quia carnalibus in dubium venit, qui volunt Scripturam pro sensus sui loqui capacitate, fides posita est, quæ sensum Scripturæ secuta præmium mereatur. Salomoni cùm sapientiam à [3. Reg. 3. 12.] Deo postulasset, responsum à Domino est: *Ecce dedi tibi*, inquit, *cor sapiens & prudens, quale non fuit ante te, & post te non exsurget vir similis tibi.* Quid dicemus? Verum est quod promisit Deus? Immo verum est. Nemo ergo hominum similis erit Salomoni. Et quid [Matt. 12. 42.] videbitur de Christo, qui inter cetera, *Regina*, inquit, *Austri venit ab ultimis terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus Salomone hic?* Nunc elige cui credas Photine, Deo an Christo, Patri an Filio? Si Patri credis, arguis Filium: si Filio credis, accusas Patrem. Si enim homo tantùm est Christus, frustra se præposuit Salomoni contra promissum Dei: si autem intelligitur esse & Deus, dignè se anteposuit Salomoni, & promissum incontaminatum est Dei, quia non exsurrexit homo similis Salomoni. Christus enim idcirco se potiorem ostendit, quia Deus est. O dementiam Photini, qui Christum ante Mariam fateri non vult, quem voce sua audit testantem quòd ante Abraham sit? Cùm enim de tempore agerent cum eo [Johan. 8. 55.] Judæi dicentes, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Respondit eis, *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum.* Non dixit, melior sum: sed ad interrogata respondit, quia antè erat quàm putabant Judæi. Maledictum planè Legis Photinus evadere non potest, quia spem suam habet in Christo, quem [Jer. 17. 5.] tantùm hominem dicit, cùm legat, *Maledictus homo qui spem habet in homine.* Apostolus autem sciens Christum Deum, ideo & in præsenti [1. Cor. 15. 19.] & in futuro spem esse in eo ait, *Si in hac tantùm vita*, inquit, *sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Non ergo homo tantùm est, in quo spem habere docemur; quia vana spes in homine est. Hæc diximus pauca de multis: sufficeret enim, si bonæ mentis esset, Photino hoc solum quod postremum posuimus.

QUÆSTIO XCII.

[Johan. 14. 27.] QUOMODO intelligitur quod dicit Salvator, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: non sicut hic mundus dat, ego do vobis?*

Qui pacem suscipit Salvatoris, inimicitiam contrahet mundi. Nisi enim discordaverit à diabolo, pacem non habebit cum Christo. [Matt. 6, 24.] Nemo enim potest duobus dominis servire. Hic ergo à mundo discordat, qui Legem Dei fideliter servat, Christi pace munitus, omnium adversariorum comprimit tela. Quis enim audeat adversùs eum quem scit regis amicum? Aliter tamen mundus pacem dat, quàm se Salvator dare promisit. Mundus enim aut metu dat pacem, aut prece. Salvator verò cùm sit fortissimus omnium, nullum utique metuens, non rogatus dat pacem. Salvatoris ergo hæc pax est, quæ idcirco datur, ut munimentum sit contra hostes. Pax quidem uno nomine appellatur, sed longo intervallo discernitur, Dei & mundi. Hæc enim fragilis est, illa fortis: hæc carnea, illa spiritalis: hæc terrena, illa cælestis: hæc de necessitate est, illa de voluntate. Christus enim nullius egens pacem offert invalidis & inermibus, Dominus servis, bonus malis, Deus hominibus. Rectè ergo ait, *Non sicut hic mundus dat, ego do vobis*: hoc enim dicens, intelligi voluit clementiam bonæ voluntatis suæ. Cùm enim omnis idcirco det pacem ut proficiat sibi: hic, id est Salvator ad hoc dat, ut prosit non sibi, sed eis quibus dat. Aliter ergo mundus dat pacem, quàm dedit Salvator. Et mundi pax non docet bonam vitam, non suadet ad patientiam, non provocat ad justitiam, non hortatur ad misericordiam, non promittit æternam vitam. Quicumque enim acceperit pacem Christi, alienus erit à vitiis hujus mundi, quæ militant adversùs animam.

QUÆSTIO XCIII.

QUÆRENDUM an Spiritum-sanctum habuerint Apostoli tempore illo, quo fuerunt in terra cum Domino: quia inter multa [Iohan. 7. 39.] dicit Evangelista, *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum fuerat honorificatus.* [Iohan. 14. 15.] Et alio in loco, *Si diligitis me*, ait, *præcepta mea servate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt nec cognoscit eum: vos videtis eum & cognoscitis; quia apud vos manet, & vobiscum est.* Quid est hoc? Negat datum Spiritum ante passionem: rogaturum autem se promittit Patrem, ut mittat eum. Item subjecit, quia *cum ipsis erat, & manebat apud eos.* Post resurrectionem autem legitur insufflasse & dixisse [Iohan. 20. 22.] eis, *Accipite Spiritum-sanctum.* In Pentecoste autem descendisse le[Act. 2, 1.]gitur Spiritus-sanctus in Apostolos. Tantas video in hac caussa perturbationes, ut quid tenendum sit nesciam.

In his omnibus quæ proposita sunt, non una est caussa. Breviter enim singularum caussarum significatæ sunt formæ; quia unus quidem est Spiritus, sed dona habet multa. Cùm ergo legitur Spiritus-sanctus, intelligi debet & ejus officium, in quo sit significatus. Nam quia & cum eis erat, & venturus erat, non est falsum: sed si non istud ad personam trahas, sed ad naturam. Alterum enim se venturum à Patre promisit Christus; ut quia indifferens est eorum divinitas, in præsentia Christi non putetur absens Spiritus-sanctus, & in adventu & in apparentia Spiritus-sancti præsens æstimetur & [Johan. 14. 17.] Christus. Ideo cùm venturum eum promittit, dicit, *Vos videbitis eum, quia apud vos manebit, & vobiscum erit*: ut securi essent

A Apostoli, quia post adscensionem Domini non minorem aut degenerem ad tuitionem habituri essent pastorem aut regem. Nam non est dubium non datum esse credentibus Spiritum, nisi sicut Evangelista testatur, postquam devicta morte resurgens clarificatus est Dominus. Ipsius enim triumphantis Domini verba sunt & dicentis, *Quia Iohannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu-sancto, quem accepturi estis non post multos hos dies*: hoc, tempore quo adscendere ad Patrem disposuit, interfatus videtur. Illud autem quod insufflasse in Discipulos Dominus legitur post dies paucos resurrectionis suæ, & dixisse, *Accipite Spiritum-sanctum*, [Iohan. 20. 22.] Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum-sanctum aguntur, idcirco cùm regula eis & forma traditur hujus disciplinæ, dicitur eis, *Accipite Spiritum-sanctum.* Et quia verè ad jus Ecclesiasticum pertinet, statim B subjecit dicens, *Cujus tenueritis peccata, tenebuntur: & cujus remiseritis, remittentur ei.* Inspiratio ergo hæc, gratia quædam est quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Unde Apostolus dicit ad Timotheum, *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij.* [1. Tim. 4. 14.] Semel ergo fieri oportuit, ut de cetero traditio ista non sine dono Spiritus-sancti esse crederetur. Sicut enim in Salvatore forma data est visibiliter, ut post baptismum Spiritus-sanctus credentibus de cetero invisibiliter dari non ambigeretur: ita & in suprà dicta caussa forma data est in principio, ut ex eo traditioni ecclesiasticæ Spiritus-sanctus infusus credatur. Ut autem Apostoli præsente Domino virtutes facerent, potestas data est, sicut & priùs Prophetis. Trium ergo officiorum formæ doni Spiritus sancti in Apostolis sunt ostensæ. Quarum prima hæc est, quæ ad jus eccle- C siasticum pertinet in regenerandis vel ceteris officiis. Secunda, quæ in Pentecoste data est, quæ est generalis. Non solùm enim in Apostolos, verùm etiam in omnes decidit Spiritus-sanctus credentes. Tertia forma est, quæ solis Apostolis concessa est in signis ac virtutibus faciendis, usque dum fidei semina jacerentur ad crementum. Semina enim fidei sunt virtutes per Apostolos factæ. Ipsi enim antistites positi sunt hujusmodi veritatis, qui per signa & prodigia non irrationabilem esse fidem nostram testarentur. Nulla enim probatio major est veritatis quàm virtus. Hæc est enim quæ omnem terrenam philosophiam accusat, quia semper solis verbis studuit, non habens testimonium virtutis, quæ stabile esse quod verbis adstructum erat, demonstraret. Igitur Spiritus-sanctus generaliter semel datur omnibus credentibus, per quem filij Dei esse probentur, dum manet in eis. In signis verò & prodigiis faciendis non manet in homine, sed D vocatus advenit, aut suggerit necessaria, & recedit. Similiter & in traditione vel ordinatione deforis gratiam præstat, tuitionem etiam deferens devotis fidei.

[Quæst. eadem ex Mss. 2 generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 42.] In his omnibus, quæ proposita sunt, non una est caussa. Breviter enim, &c. Nam non est dubium credentibus non datum esse Spiritum, nisi postquam devicta morte clarificatus est Dominus. Ante adscensum enim Dominus formam discipulis dedit, quomodo accipere deberent baptizati Spiritum-sanctum, quod nunc ab Episcopis custoditur. Trium ergo officiorum formæ doni Spiritus-sancti in Apostolos datæ sunt. Prima est quæ generalis est, quæ in Pentecoste data est; non solùm enim in Apostolos, verùm etiam in omnes cecidit Spiritus-sanctus credentes, ut loquerentur magnalia Dei linguis diversis unius gentis homines. Secunda forma specialis est. Non enim pertinet ad omnes credentes, sed ad Episcopos tantùm, ut baptizatis E per manus impositionem dent Spiritum-sanctum: quæ inter Episcopos potest dici generalis. Tertia forma est, quæ solis Apostolis est concessa, in signis ac miraculis faciendis ad fidei incrementum. Semina enim sunt fidei virtutes per Apostolos factæ. Itaque per ordinem officiorum Spiritus-sanctus Apostolis datus est, ut primùm decideret in eos sicut & in ceteros credentes in Pentecoste. Deinde quasi primi sacerdotes ut Episcopi manus imponentes credentibus darent Spiritum-sanctum. Nam prodigia ut fierent per Apostolos, temporis gratia est, non personarum: sed beatificati sunt, quia eos tempus invenit, quo Dominus donum suum effudit super terram, ut potestatem acciperent ad exemplum credentium, per Spiritum-sanctum faciendarum virtutum. Ut autem præsente Domino missi dæmonia pellerent, & virtutes ceteras facerent, Apostolis potestas data est, ut sine invocatione nominis imperarent dæmoniis, aut ceteris ægro- E rum passionibus, & salutis prosequeretur effectus. Hac scilicet rationis potestate, qua usi sunt prophetæ, Elias & Elisæus, in virtutibus faciendis. Denique dicit Salvator discipulis suis, *Amen, amen dico vobis, Si quid petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis: usque modò non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis.* [Iohan. 16. 23.] Quoniam ergo sine invocatione nominis fecerunt virtutes Apostoli, sicut suprà memoravi, non tamen omnino sine nominis potestate. Per id enim quòd ab ipso missi erant, qui dæmonibus & passionibus terrori erat, ipso metu fugabantur dæmonia, & infirmitates curabantur. Itaque nomen Domini tacitè operabatur. Denique Apostolus Petrus dicit Judæis inter cetera, *In nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos abnegastis & crucifixistis, hic adstat sanus coram vobis: nec quidem aliud nomen datum est sub cælo, in quo oporteat salvos fieri.* [Act. 3, 16.]

QUÆSTIO XCIV.

[Hæc deest in Mss. 2. generis.]

QUÆRENDUM est, si Judas Scariotes proditor Domini, ante G passionem Salvatoris laqueo vitam finivit.

Tradito Salvatore, & illucescente parasceve, omnes principes sacerdotum & Scribæ & seniores convenerunt in domum Caïphæ pontificis, quò perducendum sciebant esse Jesum, ut audirent eum. Hoc Matthæus & Marcus Evangelistæ testantur, & nullum ex his ante perfectùm impium opus à domo præsidis abscessisse, quippe cùm omnis instantia eorum & devotio ad agendum Pascha mors esset Salvatoris. Occupatis ergo eis ad necem Domini à manè usque ad horam nonam, quo modo Judas eis retulisse pretium sanguinis, quod acceperat, ante crucem Domini probatur, & dixisse illis in templo, *Peccavi, quòd tradiderim sanguinem justum?* [Matt. 27. 4.] cùm constet utique omnes principes & seniores ante passionem Domini non fuisse in templo. Quippe cùm etiam in cruce posito insultarent ei. Non enim

inde potest probari, quia ante passionem relatum est, cùm sint multa, quæ cùm antè facta probentur, novissima ordinantur: & iterum quando locus admittit, ut quod pòst factum est, antè ponatur. Nam manifestum utique est quinquagesimum Psalmum anteriorem esse quàm tertium. Sic ergo aliquando evenit, ut anticipentur quæ posteriora sunt. Unde & Maria cùm post resurrectionem fratris sui Lazari, ante sex dies Paschæ in cœna unguento pedes Domini unxisse probetur, propter significationem ejus anticipatum est ab Evangelista, [Johan. 11. 2.] dicente inter cetera, *Maria autem erat*, inquit, *quæ unxit Dominum unguento.* Hoc refert antequàm Lazarus moreretur: quod nisi postea factum inveniremus, nesciremus quo tempore factum esset. Sed ne fortè post nonam horam factum sit, ut videns impius & crudelissi[Matt. 27. 51.]mus Judas occisum Salvatorem, & ob hoc velum templi scissum, terram tremuisse, saxa fissa, elementa conterrita, ipso metu correptus doluerit, non nescius justum se tradidisse, in cujus passione sic indignatus sit judex Deus. Sed & post horam nonam occupati erant, sicut æstimo, seniores & principes sacerdotum. Vesperè enim eadem die pascha acturi erant; sabbato autem nummos portare non licebat secundùm Legem: ac per hoc improbabile est apud me, quo die, immo quo tempore laqueo vitam finierit Judas Scariotes.

QUÆSTIO XCV.

UNDE orta sit observatio Pentecostes, vel qua ratione?

Non est ambiguum cuncta religionis nostræ veteri testimonio roborari, & Legis veteris prærogativa signari. Omnia enim præterita Legis veteris, in figura fidei nostræ futuræ gesta & designata noscuntur, ut verum nos tenere non ambigeremus, quando ea quæ nunc & audimus & credimus, ante sæcula prædestinata videmus, non solùm vocibus, verùm etiam signorum virtutibus commendata. Sed nunc illud est, si eodem modo ut designata sunt, à nobis intelligantur, ut dies Pentecostes, unde & qua ratione tractus sit congruè dignoscamus. Scripturæ enim Dominicæ sensus suos sollicitis & devotis aperiunt, negligentibus claudunt. Nec enim par erat, ut res, quæ meritis ac dignis reservatæ sunt, passim ab omnibus viderentur. Pentecostes ergo, qui quinquagesimus à Pascha computatur dies, hanc habet rationem, ut sicut post hebdomadam Dominicus dies primus est, in quo adimpletum est Paschæ mysterium in redemtionem salutis humanæ, quia semper post curricula dierum septem, ad primum reverti necesse est, ut ostendatur ætatem mundi septenario numero consummari, & ad requiem pervenire: ita & post hebdomadas septem, primus dies est Pentecostes. Denique numquam alio die quàm die Dominico Pentecostes est, ut totum quod ad salutem humanam proficit, Dominico die & inchoatum & adimpletum noscatur. Dominico enim die factus est mundus, & post lapsum rursus Dominico die reformatus, cujus reformationis figura data est primùm in circumcisione, in qua futuræ fidei signum fuit. Post hebdomadam enim, qui octavus est, primus est in mysterio. Hæc est enim dies, quam fecit Dominus. Unum cum diem fecit, ex quo ceteri curricula sortirentur. Ac per hoc ipso die resurrexit quem fecit, & secundùm numerum suprà dictæ rationis, ipso die & in monte Sina Legem dedit per famulum suum Moysen: ut sicut agnus figura passionis Domini fuit in sacramento Paschæ, ita & legislatio Evangelicæ prædicationis: quia eodem die, id est Pentecoste, Lex data est, quo & Spiritus-sanctus decidit in discipulos, ut auctoritatem caperent, ac scirent Evangelicum jus prædicare. Quod factum duplici testimonio confirmatur, quia & prædestinatum ostenditur, & manifesta Spiritus-sancti infusione divinum & supercæleste probatur ad Legi nostræ testimonium perhibendum. Cùm enim incognitis sibi imperiti diversis linguis magnalia Dei loquuntur, divinitus se inspiratos ostendunt. Filiis ergo Israël tertio die mensis tertij data est Lex per Moysen, sicut in libro Exodi continetur, [Exod. 19. 16.] qui dies à quarta-decima mensis primi, quo die factum est Pascha in Ægypto, quinquagesimus est, hoc est Pentecoste. Unde factum est, ut ad Le[Act. 2, 1.]gem fidei prædicandam in Pentecoste Spiritus-sanctus descenderet in Apostolos, ut gesta veterum, futurorum imagines haberentur, ad securitatem fidei nostræ: quia falsum videri non potest quod ab initio prædicatum est. Ideo remissionis & reformationis tempus in quin[Psal. 50.]quagesimo Psalmo describitur, ut eadem providentia quinquagesimi diei, quæ & primi est, sciretur. Hinc factum est ut & manna primo [Exod. 16. 14.] die, qui est Dominicus, è cælo daretur populo Judæorum, quod ita esse sex dierum continuatio probat, quibus collegerunt, & septimo die, id est sabbato quieverunt. Manna autem typus est escæ spiritalis, quæ resurrectione Domini veritas facta est in Eucharistiæ mysterio. Omnia itaque gesta sunt, ut ad caussam primæ resurrectionis incolumia revertantur, & non glorietur satanas, sed hebescat, qui hominem falsa spe dejecit, ne in hoc maneret quod factum est per Christum Dominum. * Nunc superest ut probemus, si ita intelligenda sunt quæ diximus, ut suprà memoravimus. Mensis primus quo Pascha quarta-decima die celebratum est in Ægypto, hæc dies quarta feria [Exod. 12. 2.] fuit. Unde & Lex quartâ feriâ data est. Quod hinc datur intelligi, quia quinto-decimo die mensis secundi profectionis filiorum Israël sabbatum videtur fuisse: idcirco non in die grex illis missus est co[Exod. 16. 14.]turnicum, sed vespere. Manè autem manna pluit de cælo, id est die Dominico, qui primus post hebdomadam in repetitione invenitur. Denique sex diebus continuis manna collegerunt, septimo autem die, qui est sabbatum, quieverunt. Ab hoc ergo die usque ad tertij mensis diem tertium quo Lex data est, quære & invenies quartam feriam fuisse quando Lex data est. Sunt enim à quinto-decimo die mensis secundi, quando sabbatum fuit, usque ad tertij mensis tertium diem quo Lex data est, dies decem & novem. Tene ergo hos decem & novem, & redi super quintum-decimum diem secundi mensis, quo sabbatum fuit, qui à primo computatur quartus-decimus; & perveni usque ad diem primum secundi mensis, & habebis alios quatuordecim; quos superjunge ad decem & novem suprà memoratos, & invenies primum diem mensis secundi sabbatum fuisse. Superadde adhuc ad caput primi mensis dies septem & decem, quia primi mensis tredecim dies retrahendi sunt, qui ante Pascha fuerunt: quartadecima enim die primi mensis Pascha factum est. Retractis ergo tredecim, & additis septem & decem, invenies quarta-decima mensis

* Reliquum deest in Mss. 2. generis.

A primi quartam feriam fuisse. Et ne legendi fastidium patiaris, aut quæstionis singula membra curiosè inspicere, do compendium, ut & de numero dierum quot à Pascha usque ad datam Legem sunt, certus sis, & ab ipso faciliùs discas, quotâ feriâ factum est Pascha. Tertio die post secundum mensem Lex data est. Sunt ergo menses duo & dies tres. Retrahe ergo de his tredecim dies qui ante Pascha fuerunt, & reliqui erunt dies quinquaginta. Quoniam autem quartâ feriâ data est Lex, hinc facilè videtur. Manna primâ feriâ datum est, quia continuis sex diebus collegerunt, quæ prima feria sexto-decimo die fuit mensis secundi. Ab hac itaque prima feria usque ad octavum-decimum diem, quo Lex data est, quartam feriam invenies. A feria verò quarta, sive antè, sive retrò computes in quinquagesimum diem, quarta feria est: idcirco quia quartâ feriâ Pascha egerunt in Ægypto Judæi, & quartâ feriâ Legem acceperunt: quintâ autem fe- B riâ profecti sunt de Ægypto. Igitur dedicatio Legis est Pentecoste.

QUÆSTIO XCVI.

QUÆRENDUM si Pascha transitus interpretetur, sicut Græcis videtur.

Apostolus falli non potuit, qui ait, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* [1. Cor. 5. 7.] Quod non suum utique, sed Legis est verbum, dicente Moyse, *Et erit cùm dicent vobis filij vestri, quæ est deservitio hæc? Et dicetis, Immolatio hæc Pascha Domini est.* Quid amplius est necessarium ad testimonium? Lex loquitur; Apostolus probat: hoc superest, ut contradictor abjiciatur ut pervicax. Manifestum est enim transitum post Pascha fuisse. De sanguine enim immolati agni super postes ostij & super limen posuerunt, ut transiens nocte Angelus non percuteret domum, in qua signum sanguinis esset. Sanguis igitur salutem præstitit, non transitus: quia ut transitus non noceret, C obstitit sanguis.

QUÆSTIO XCVII.

QUA ratione responderi possit Arij impietati simpliciter ex Lege?

Si rationi fides commodetur, ipsa nominum ratio Patris & Filij ostendet unitatem. Si quæris, quomodo? Non enim verus Dei Filius diceretur, nisi exstitisset de substantia Dei Patris. Nec enim pateretur veritas & justitia Dei verum dicere Filium, si de ipso non esset. Non est enim verus Dei Filius, si de ipso non est. Sed Scriptura dicit, verus est: ergo de ipso est. Qui enim negat de Deo natum Christum, Scripturæ calumniam facit, quæ ideo illum dicit verum Dei Filium, ut significet de Deo hunc natum. Si enim non est de Deo, & verus Filius Dei dicitur, fallax est Scriptura. Quòd si Scriptura non fallit, qui Christum non fatetur exstitisse de Deo, & Scripturam evacuat, & Christum negat verum Filium Dei. Non enim vo- D luntas verum Filium facit, sed nativitas. Sed potentiæ, inquiunt, Dei hoc subest, ut falsa faciat vera. Immo potentia Dei hæc est, unde & omni laude dignus est, quia verum apud illum verum est, & falsum falsum est. Nam istud mendacis est, ut falsum dicat verum; quod Deo non competit. Nam omnia quidem potest Deus, sed non facit nisi quod conveniat veritati ejus ac justitiæ. Manifestum igitur est idcirco verum dici Filium Dei Christum, ut proprius, id est, de substantia ejus natus intelligatur. Unde inquit Apostolus, *Qui proprio Filio suo non pepercit.* [Rom. 8. 32.] * Et in alia Epistola, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se parem Deo.* [Phil. 2. 6.] Si ergo non rapinam arbitratus est, dicens se parem Deo, verum se Filium Dei demonstravit. Deo enim par esse non poterat, nisi esset de ipso. Pares enim hi sunt, qui aut ambo veri sunt, aut ambo falsi. Nec enim parilitatem recipit cœptum & æternum, aut unitatem. Unum enim se esse dicendo E Christus cum Patre, parem se Deo facit. *Non solùm enim*, inquit, *solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*, [Iohan. 5. 18.] hoc est, parem. Nonne manifestum est æqualitatem hanc de proprietate nativitatis descendere? Proprium enim se, id est verum dicens Dei Filium, æqualem se faciebat Deo. Hinc est unde dicit, *Qui videt me, videt & Patrem meum.* [Iohan. 14. 9.] Per illud enim quòd consubstantivi sunt, qui unum videt, ambos videt. *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*; [Iohan. 5. 26.] hoc est, æqualem sibi genuit Filium Pater: & omnia quæ Patris sunt, Filij sunt: [Johan. 17. 10.] & quæ sunt Filij, Patris sunt: & nemo potest quidquam rapere de [Iohan. 10. 29.] manu Patris, neque de manu Filij. Et subjecit, *Ego & Pater unum* [Ibid. 30.] *sumus. Et verba quæ*, inquit, *loquor vobis, à meipso non loquor: Pater* [Iohan. 14. 10.] *autem manens in me ipse loquitur, & opera quæ facio, ipse facit. Credite mihi, quòd ego in Patre, & Pater in me est, alioquin vel propter opera* F *ipsa credite.* Quia enim generatio à semetipso non est, sed ab eo qui genuit, idcirco quidquid facit, factum dicit Patris: ut per hæc omnia illud firmetur, quia ideo verus dicitur Filius Dei Christus, ut de ipso natus credatur, * ne & substantia ejus extra unius Dei naturam existimaretur. Humilitas ergo ejus maxima exaltatio est. Cùm enim videtur se subjicere dicens, *Verba quæ loquor vobis, à meipso non loquor: Pater enim manens in me, ipse loquitur; & opera quæ ego facio, ipse facit*: [Iohan. 10, 30.] probat se originem à Deo habere, & virtutem ejus se esse ostendit, dum non quod est, à semetipso esse dicit, sed ab ipso. Per hoc enim commendatur Christus, non inclinatur. Qui enim à se loquitur, verus Filius non est. Vides ergo quia Ariani inde malè intelligunt Christum, unde bene intelligendus est; & inde illum improbant & falsum dicunt, unde verus Dei esse Filius approbatur: G nam clarificandum se à Patre postulat, & clarificare se Patrem quem petit promittit, & ubi se humiliare videtur exaltat. Pater enim cùm testimonium dat Filio suo laudem suam testatur: Filius verò cùm prædicat Patrem, gloriam suam manifestat. Magnificentia enim & nobilitas Patris, generositas est veri Filij. Ideo quidquid Patris dicitur esse, est & Filij sine dubio: & quod Filij dicitur esse, est & Patris. Nam qui Spiritus dicitur Dei, idem Spiritus dicitur & Christi. Ecclesia dicitur Dei, dicitur & Christi. Adoratur Deus, adoratur & Christus. Servitur Deo, servitur & Christo. Sancti dicuntur sacerdotes Dei, dicuntur & sacerdotes Christi. Templum civitatis sanctæ dicitur [a] Dei, similiter & Christi. Lumine Dei illustrari dicitur civitas sancta, eodem modo & Christi. Sedes Dei est, nec non & Christi. Judex Deus est, est & Christus: quia Isaias propheta in throno majestatis Christum videt sedentem Dominum Sabaoth, [Isa. 6. 1.] quod Ariani

* In Mss. 2. gen. interponitur hoc loco ea quæ habes post istam quæstionem.

* Reliqua desunt in Mss. 2. generis.

a MS. Colb. Deus, similiter & Christus.

1 Tim. 6. 15. Apoc. 17. 14. & 19. 16. non negant. De Deo Patre legitur, quòd *Rex regum sit & Dominus dominorum*, eadem & de Christo Filio Dei vero. Sic ubique divinitate exæquantur Pater & Filius, ut unius Dei modum non egrediatur numerus personarum. Inter Patrem autem & Filium nihil interest, nisi hoc solum, quia Pater ingenitus est, Filius verò genitus: id est Pater à nullo est, Filius autem de Patre; quod quidem sublime est in Filio. Hinc enim addiscitur nobilitatis ejus æternitas, & quia verus Filius est veri Patris. Unde est enim illud quod legitur in Genesi Gen. 1, 26. dicente Deo, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Itaque si imago eorum & similitudo una est, quomodo non unum sunt & naturâ? In spiritalibus enim ubi utique non sunt figuræ, simile non erit aliquid nisi per substantiam, ut ubi duorum imago una est, quomodo non eorum una erit substantia? Idcirco enim imaginem eorum & similitudinem unam esse legimus, ut eorum unum nihil differre ab altero crederemus: hoc est, verum Dei Filium esse Christum, quia non est dispar à generante nativitas. Denique Judæi intelligentes, quia proprium sibi Patrem dicebat Deum, dicunt ad Pilatum, Johan. 19. 7. *Nos Legem habemus, & secundùm Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Judæi intellexerunt, & Christiani se dicunt non intelligere: qui non credebant, intelligebant; & qui se dicunt credere, faciunt ne intelligant. Vel hoc saltem admitterent, quod propheta Isaias, ut Christum non à semetipso quidem, sed de Deo Deum esse significaret, Isa. 45. 14. inter cetera ait, *Post te sequentur alligati vinculis, & adorabunt te, & in te deprecabuntur; quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus; Deus Israël Salvator.* Quantum ad bonam mentem pertinet, hæc manifesta sunt? His enim & Pater in Filio esse probatur; & Filius Deus ejusdem substantiæ cujus Pater est, significatur. In quo enim Deus est, & præter ipsum Deus non est, & ipse Deus est, quid aliud poterit esse dici, quàm hoc quod est Pater Deus, & nec differre in aliquo? Hoc est enim duos esse unum. In ipso enim Deus est, quia quamvis Deus sit, non tamen ex se Deus est. Est enim à Patre, quia Filius est. Præter ipsum autem non est Deus, quia unicus Patris Filius est. Ipse autem est Deus, quia una atque eadem substantia Dei & Christi est. Nihil igitur ambiguitatis relinquitur, ut Patris & Filij una esse credatur substantia. Verus enim Filius & veri Patris est. Tale enim etiam illud Jeremiæ prophetæ est, dicit enim inter alia, Baruch. 3. 36. *Hic Deus noster, & non æstimabitur alter ad eum. Hic adinvenit omnem viam scientiæ; & dedit eam Jacob puero suo, & Israël dilecto sibi. Post hæc in terris visus est, & inter homines versatus est.* Numquid de degenere potest dici, ad quem alius non potest æstimari; aut alius Deus quàm Pater est, poterit dici, ut Deo proficiat ad injuriam Patris? Si enim æstimari ad eum alter Deus non potest, & absque Deo Patre est; videte an debeat dici id quod sequitur: periculosum est enim. Major enim Patre dicetur. Putantes enim se Deo Patri deferre, si ab eo Filium segregent, derogant ei; ut quem minorem volunt facere, impia obcæcati mente, præponant eum illi cujus auctoritati inclinandum hunc putant. Scriptura autem ut nihil Filium à Patre differre doceret (differret autem si non esset verus) alium nullum dicit æstimandum ad eum; quia nulla alia substantia poterit similis reperiri substantiæ Dei, quæ est & Christi. Aliter siquidem Christum de Deo esse docere non poterat, quàm ut nullum diceret alium æstimandum ad eum. Sciens enim Deo Patri nullo modo dici posse subjectum Filium ejus, ut hinc parem esse ostenderet, *Non æstimabitur*, inquit, *alter ad eum:* quia Patri Deo, quoniam Deus est, æqualis est: verus enim ejus Filius est. Igitur Propheta ait, *Hic est Deus noster*; hoc est, Deus Israël. Si hic est, ipse est Deus unus. De isto Deut. 6. 4. enim dicit Scriptura, *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est*: & certè non est hic Pater, sed est Filius ejus. Vides ergo non præjudicare uni Deo personam Filij, si & ipse unus Deus dicatur: quippe cùm hoc Scriptura testetur. Unde hoc, nisi quia unum sunt Pater & Filius, quia non personis significatur unitas, sed naturâ: aut non substantia duo sunt, sed unum; nec duo divinitate, sed unus Deus: ut sive loquatur Pater, sive loquatur Filius, unus Deus locutus dicatur. Nam si ipse Dominus inter cetera de mare & femina, Matt. 9. 6. *Jam non sunt*, inquit, *duo sed una caro*, quanto magis Pater & Filius non duo dij sunt, sed una substantia? Ut autem duo dicantur Pater & Filius, caussa est nativitatis: ne autem iterum duo dij sint, caussa est unitas divinitatis. Qua tamen hebetudine Christum creatum, id est factum prædicant, cùm legatur nihil Deum si e Christo Johan. 1. 3. fecisse? Si ergo sine illo nihil factum est, non erit ipse factura. Si enim factura est, factum est aliquid sine ipso. Sed absit, quia nihil sine illo. Natus enim de Deo non esse cœpit, sed semper exstitit. Nativitas enim nihil est aliud quàm exitio: exitio autem manifestatio est. Itaque non factus, sed editus est. Ut enim Christus de essentia Dei exiisse vel processisse significaretur, exitio ejus nativitas appellata est: ut quia non dispar est à genitore nativitas, consubstantivus esse Deo Christus non ambigeretur; & mens illa quæ ait, Erat quando non erat, damnaretur. Quia non potest aliquando non fuisse, qui ut apud Deum semper fuisse significaretur, de Deo legitur processisse. Nemo enim de Deo processit ubi non fuit. Solent quippe Ariani sic interpretari de Filio Dei dicentes, Ideo verus Dei Filius Christus dicitur, quia sic illum fecit ut verus sit. Quasi sit aliquid falsum quod faciat Deus. Et illa omnia quæ suprà diximus de unitate Patris & Filij, quid erunt, cùm sic roborata sint & firmata? Si hîc aliter sentiendum putatur, multa poterunt divinis solidata oraculis unius convelli degeneris testimonio. Amputandum est tamen, ne sibi vel de eo ipso blandiatur iniquitas. Igitur sic, inquit, illum fecit ut verus sit, ut voluntas cesserit pro nativitate, & factura pro generatione. Tantum enim dandum est, inquiunt, potentiæ Dei, ut possit facere quæ non sunt, tamquam quæ sunt. Quoniam ergo hac astutiæ calliditate nituntur contra Filium Dei, ex iis ipsis de quibus præsumunt, quia in reliquis sunt convicti, respondendum est eis, ut in tota summa convicti appareant. Propositio enim hæc quantum ad sensum pertinet, nullius momenti est: quantum autem ad verba, caliginem facit ne citò appareat. Sic est enim ac si Ægyptius positus in obscuro; quia caussa mala bono sensu defendi non potest. Ad impietatem ergo defendendam sacrilegis verbis utuntur. Si itaque hæc est potentia Dei, ut verum faceret Christum esse Filium sibi, cùm de se ipso non esset natus; ergo talem illum fecit qualis ipse est, ut hoc præstiterit factura, quod datura erat generatio. Si ergo nihil interesse dicitis inter Deum & Christum, poterit fortè [a] dubitari, quia non hoc malitiosè à vobis asseritur, ut quod in voce dicitur, hoc sit & in sensu: ut quia verus dicitur Filius, verus sentiatur, per id quod unius substantiæ est cum Patre, licèt non per generationem, sed per facturam: quia totum potest Deus, sicut dicitis, ut factum sic sit quasi infectum. Si autem rationis lineam sequentes, non posse dicitis, quod initio continetur, æquale esse & consubstantivum cum eo quod æternum est, revelatis dolum malitiæ vestræ: quia ut sensum verbi eludatis, falsa voce Christum verum esse Filium Dei dicitis, negantes ei quia æqualis est Deo Patri. Non enim verus est si inæqualis. Numquid poterit verus dici Filius, si non verus dicatur & Pater? Si enim verus est Filius, erit verus & Pater: quam veritatem æqualitas probat. Quòd si dispares sunt, neuter eorum verus est. Sed quoniam Scripturarum testimonium irritum fieri non potest, quo Christus verus Dei Filius approbatur, de Deo Patre natus credendus est: quia ut veritas hæc firmaretur, & par Deo & æqualis legitur. At tu qui potentiam Dei inæstimabilem prædicas, ais, Deus generare non potest, quia simplex natura est: per quod etiam ipsi Deo Patri contumeliam facis. Mendacem enim istum dicis, ut Filium quem ille suum & verum asserit, deneges; & tuam hypocrisim detegas, quia falsò potentem Deum prædicas. Si enim potentiam Dei in id quod verum ex falso factum asseris, prædicas, ut quod verè verum est illudas, quanto magis hoc amplecti deberes, si bonæ mentis esses, per quod verum quod dicitur, verum probatur, & testimonium quod Deus Pater de Filio suo dedit, verum firmaretur? Nam Dominus ait, *Apud Deum autem*, inquit, *omnia possibilia*: ut Matt. 19. 26. quidquid hominibus impossibile videtur, Deo possibile sit. Nam si ratio carnis respicitur, nec virgo peperit, nec Jonas in ventre ceti vixit, Jona 2. 2. nec mortui resurgent, nec Deus Filium genuit, quia simplex natura non potest generare, quia nihil sine commixtione generatur in hoc mundo. Hæc omnia aut simul credenda sunt, aut simul refellenda. Si enim ratio mundi tenenda est, in his omnibus debet auctoritatem habere. Quòd si aliqua ratio spiritalium est, carnalis dicendus est, qui mundi ratione infectus, negat aliter quid fieri quàm novit. Aliud iterum adsolent sua tergiversatione proponere. Aiunt enim, utrùm voluntate Pater genuit Filium, an non? ut cùm audiunt utique quòd voluntate, statim ut inimici Dei Filij respondeant, Ergo voluntas ante Filium est; ut ex hoc non æternus appareat, cùm non utique per nativitatem initium acceperit, sed exstiterit. Et tamen si hoc putant, non solùm ante Filium erit voluntas, sed & ante Patrem; quia caussa generationis Pater & Filius est. Infidelitas carnales sensus sequitur in omnibus. Sic enim inducit caussam Dei quasi hominis, ut antè deliberaverit & excogitaverit ut generaret, quasi infirmitati subjectus: cùm in Deo neque generatio sine voluntate fuerit, neque voluntas sine generatione. Ipsa enim voluntas, generatio est. Nam utique commune dictum est, Fecit Deus, fecit homo: sed aliter facit Deus, aliter facit homo: ita & in ceteris caussis. Sic enim de Deo dicendum est, ut dignum est ei. Solent etiam ipsi de Deo Patre aliam facere quæstionem, dicentes, Accessit illi ut generaret, aut ejus naturæ est, ut semper generet? Quod ideo afferunt, ut & Deum mendacem asserant, qui se Christum generasse testatur, & Christum non verum, sed adoptivum faciant. Si enim generavit, inquiunt, semper debet generare: ut quia non semper generat, nec Christum genuisse credatur: quasi mundum negetur fecisse, quia alios non facit. Quæ irreverentia, quæ indisciplinatio est, legem Deo ponere, ut si genuit, aut multos genuerit, aut unum generare non potuerit? nec ipsi Domino credentes, qui se unicum Dei Filium protestatus est.

Post hæc quæ suprà ostensa sunt æqualia Patri & Filio, videamus an in his concordant quæ de Spiritu-sancto scripta sunt, ut Trinitas quam in salutari professione retinemus, non recipiat discrepantiam naturæ, quomodo non habet fidei diversitatem. Quamquam enim salus sine aliquo ex his non sit, una eorum tamen videtur potestas, quæ in se credentibus dat salutem. Quoniam ad testimonium Filij verba Patris protulimus, nunc ad testimonium Spiritus-sancti, verbis utamur Filij, quibus non differre à se Spiritum-sanctum protestatur, ut cùm Filio Pater, & Filius Spiritui-sancto testis est, unius esse naturæ Trinitas intelligatur. Dicit ergo inter cetera Dominus, *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis.* Johan. 14. 16. Cùm alium Paracletum mittendum dicit, se utique Paracletum probat. Nam & legitur in Epistola Johannis; dicit enim, *Habemus advocatum apud Patrem Jesum Christum, qui exorat pro peccatis nostris.* 1. Johan. 2. 1. Et iterum dicit Dominus, *Ego sum veritas.* Johan. 14. 6. Ecce aperta unitas Spiritus-sancti & Filij Dei. Quæ enim de se loquitur Filius, eadem loquitur & de Spiritu-sancto. Nunc subjicienda sunt, quæ in hujusmodi sensum ordinat Scriptura. Legitur in Isaia, quòd Dominum Sabaoth viderit in Isa. 6. 1. throno majestatis sedentem, quem Johannes Evangelista Christum esse intellexit, dicens inter alia, *Hæc dixit Isaias, quando vidit majestatem ejus, & locutus est de eo.* Johan. 12. 41. Hunc Apostolus sanctum dicit esse Spiritum. Ait enim in novissima parte Actuum Apostolorum, Act. 28. 26. *Bene locutus est Spiritus-sanctus ad patres vestros dicens, Aure audietis, & non intelligetis, &c.* Hæc verba à Domino Sabaoth dicta sunt. Hic est unus Deus, qui sive Pater intelligatur, sive Filius, sive Spiritus-sanctus, non est contrarium: quia una eorum divinitas & una potestas est. Nam si in unius præfecti prætorio programmate etiam ceteri præfecti jubere dicuntur, propter auctoritatem unius potestatis: quanto magis in unius Dei imperio, si locutus unus è tribus fuerit, non incongruè dicentur tres locuti? Est enim eorum natura & voluntas una. Solent iterum præjudicare Spiritui-sancto, quòd ideo degener intelligatur, quia in ordine tertius ponitur; cùm tanta simplicitas sit in Scripturis divinis, ut aliquando invenias tertium primum positum. Ut enim caussa se tulerit, sic & ponuntur. Nullius enim

a MS. Colb. putari,

enim injuria est, quia una eorum divinitas est. Denique legimus in Isa. 48. 12. Isaia dicente Domino, *Ego sum primus: & ego in æternum: & manus mea fundavit terram: & dextera mea solidavit cælum.* Et in subjectis, v. 15. *Ego locutus sum, ego vocavi, ego adduxi eum, & prosperum iter ejus feci: accedite ad me, & audite hæc, Non in occulto ab initio locutus sum: cùm fierent, illic eram, & nunc Dominus misit me & Spiritus ejus.* Quem vis esse qui fundavit terram? Ipse enim dicit se missum esse. Numquid Patrem? absit. Filius ergo est qui se missum dicit à Deo & Spiritu-sancto. Ecce paria sunt inter Filium & Spiritum-sanctum. Sicut enim à Patre & Filio missus legitur Spiritus-sanctus; ita & à Deo & Spiritu-sancto missus est Christus. Hoc enim solius Patris peculiare est, ne missus dicatur. Accipe dicta Apostoli, qui alio ordine complectitur Trinitatem: dicit enim inter cetera in 2. Thess. 3. 5. Epistola ad Thessalonicenses secunda, *Dominus dirigat corda vestra in caritate Dei & in patientia Christi.* Quem putas dicit Dominum, nisi Spiritum-sanctum? Et quid mirum? cùm quem in throno majestatis sedentem Isaias viderit, hîc ipsum dicat Spiritum-sanctum Dominum Sabaoth, sicut suprà ostendimus. Et Johannes apostolus Deum intelligi in Spiritu-sancto significat, inter cetera dicens, *In hoc cognovimus quia Deus in nobis manet, de Spiritu-sancto quem dedit nobis.* 1 Johan. 4. 13. Si ergo per Spiritum suum ipse in nobis manet, non ambigitur de Deo esse Spiritum-sanctum. Et nec dubium est, quia quod de 1. Cor. 2. 11. Deo est Deus est. Hinc est unde Apostolus dicit, *Nemo scit quæ sunt in Deo, nisi Spiritus Dei.* Quomodo potest scire quæ in Deo sunt, nisi sit ejusdem divinitatis? Inferior enim natura non potest scire quid sit in potiore: quanto magis creatura quid in Conditore suo esset, scire non poterat? 1. Cor. 12. 1. Et ad Corinthios in Epistola prima, præterito ordine qui in traditione fidei est, à Spiritu-sancto incipit gratiarum & mysteriorum memorare operationes: & subjungit Dominum Jesum; & tertium ponit Deum, quem & in Spiritu-sancto Johan. 14. 10. & in Domino dicit operari: sicut ait & Dominus, *Pater manens in me, ipse operatur.* Per id enim quod de Deo Patre est & Spiritus-sanctus & Christus, operatio eorum opus est Dei. Denique Spiritum-sanctum idem dicit & Dominum, & Dominum idem dicit & Deum, propter unitatem naturæ. Cùm ergo hoc loco idem Deum qui est & Dominus, dicat operari omnia in omnibus, inferiùs sic concludit dicens, 1. Cor. 12. 11. *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult.* Quid tam apertum, tres unius esse operationis? quia operante uno, operari dicuntur tres; quare, nisi quia unius sunt divinitatis? Nam non est ambiguum donum gratiarum propriè Spiritum-sanctum operari. Sed ut Deum & Dominum & Spiritum-sanctum unum esse propter naturæ indifferentiam doceret, opus Spiritus-sancti trium esse opus ostendit. Et ut manifestaret quia solius, quantum ad personam pertinet, Spiritus-sancti opus est, *Hæc autem omnia*, inquit, *operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult.* Ideo prout vult, quia voluntas ejus, voluntas est Dei. Non enim dicit, prout vult Deus, sed prout vult Spiritus. Creatura enim cogit se ut Dei faciat voluntatem: Spiritus autem sanctus naturaliter hoc vult. Ut autem apertè luceat, quia omnia Spiritus-sanctus operatur, dicit Dominus inter cetera, Luc. 11. 20. *Si enim ego in digito Dei ejicio dæmonia, &c.* Digitum Dei appellat Spiritum-sanctum, ut probet illum de Deo esse. Denique Judæos qui eum in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia dicebant, in Spiritum-sanctum blasphemasse testatus est. Moyses quoque quia per Exod. 8. 19. Spiritum-sanctum signa faciebat, confitentur magi dicentes, *Digitus Dei est hic.* Act. 13. 2. Nam in Actibus Apostolorum legimus, *Deservientibus autem eis & jejunantibus Domino, dixit Spiritus-sanctus, Segregate mihi Barnabam & Saulum ad opus, ad quod vocavi eos.* Ecce servitur Domino, & hoc Spiritus-sanctus sibi vindicat. Unde manifestè apparet hunc esse Dominum sicut & Deum Patrem. Et Saulum Christus de Act. 9. 4. cælo vocavit, & misit prædicare: & hoc simili modo sibi vindicat Act. 9. 15. Spiritus-sanctus, dicendo, *ad opus ad quod vocavi eos*: nam nemo ignorat Episcopos Salvatorem Ecclesiis instituisse. Ipse enim priusquam in cælos adscenderet, imponens manum Apostolis ordinavit eos Episcopos. Hoc Apostolus Spiritui-sancto deputat, cùm dicit, Act. 20. 28. *Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus-sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Domini Jesu.* Et inter cetera dicit Petrus ad Ananiam, Act. 5. 3. *Anania, cur replevit satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui-sancto?* Et infrà, *Non es enim*, inquit, *hominibus, sed Deo mentitus.* Apertum est Spiritum-sanctum dictum Deum, cui mentitus Ananias, Deo mentitus dicitur. Quod si Spiritum-sanctum minimè voluisset Deum intelligere, dixisset, Non es mentitus hominibus, sed Spiritui-sancto; ut neque Deum hunc, neque hominem significaret. Et quid mirum? 2. Cor. 6. 16. 1. Cor. 6. 19. 1. Cor. 3. 17. Apostolus enim aliquando templum Dei hominem appellat, aliquando verò templum Spiritus-sancti, propterea quia unum sunt naturâ. Si enim Deus minimè intelligeretur Spiritus-sanctus, qua audaciâ diceret infrà, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Quoniam unus Deus in omnibus Scripturis prædicatur: mysterium autem ejus in Trinitate adoratur. Idcirco sic ait Scriptura, ut sub unius Dei professione, ea quæ de ipso sunt, id est, Filius & Spiritus sanctus ejus, in eodem honore intelligantur, in quo ipse Deus est. Quia ideo sacramentum revelatum est Dei, ut gloria ejus in Trinitate significaretur. Quamobrem non plena auctoritate Deus vocatur quod de Deo est, ne alterum absque eo qui unus est, facere credatur. Sed intellectum dat, ut credamus ea ratione in Trinitate creaturæ salutem consistere, quia una est eorum divinitas. Neque enim possent simul jungi & in ordine poni Creator & creaturæ Dominus & servi, æternitas & quæ sub initio sunt: quippe cùm sine uno eorum salus nulli sit. Ad injuriam enim vocatur omne quod Deus est, sive Filius, sive Spiritus-sanctus, si extra unius Dei honorem deputetur & gloriam. Scripturæ igitur ostendunt Christum Deum, ostendunt Spiritum-sanctum Deum, ut videntes sciant quid sit, quid ostenditur. Tale est si quis gemmam ostendat, non clamans quia gemma est, numquid quia ille non clamat, non erit gemma quæ videtur? Ita & Scripturæ ostendunt per ea quæ suprà tractata sunt, quid credere debeamus, intra unius Dei fidem sensum nostrum concludentes, mysterio Trinitatis.

Si rationi fides accommodetur, &c. Manifestum igitur est idcirco verum dici Filium Dei Christum, ut proprius, id est de substantia ejus natus intelligatur. Unde & Apostolus, *Qui proprio*, inquit, *Filio suo non pepercit.* Nam Patrem & Filium unius esse substantiæ, ipsa nominum ratio docet. Ut enim mysterium, quod ratio humana propter suam infirmitatem non capit, possit sciri, nomina sacris rebus aptata sunt congruè, ut per hæc veritas Patris & Filij possit aliquatenus intelligi. Nihil enim sic Christum Dominum de Deo esse Deum facit adverti, quàm nomen hoc quod dicitur Filius Dei. Et quia malignitas etiam ipsis nominibus perfidiam suam infert, ut aliter quàm ratio ipsa se habet nominis ipsius, caussam interpretetur, addidit, *verus Filius*: ut obstrueret os pravum, & mente perversum. Denique nemo in hæresim ruit, nisi à nominum ratione discedens: simplices verò permanentes in ratione nominum, catholicæ fidei adhæserunt. Ipsa enim simplicitas non aliter hoc advertit imperturbata, quàm traditum est. Accedente autem tergiversatione, dum re bene & simpliciter posita commovent quæstiones, non contenti credere quod sonant verba, indignum putantes si non sibi addant aut demant, de traditione præcipitantur. Sollicitos enim se faciunt, ne Deus aliter debeat credi, quàm tradidit. Ratio autem nominum Patris & Filij inducit ad veritatem unitatis eorum. Nec enim potest discrepare alter ab altero, quorum imago una sacris Scripturis refertur, quod etiam ipse Filius firmat, cùm dicit, *Qui me videt, videt & Patrem.* Johan. 14. 9. Si ergo unum ex iis qui videt, ambos videt, sine dubio Pater & Filius unam habent imaginem: quæ non esset una nisi consubstantivi essent Pater & Filius: quod quidem non est ambiguum circa notitiam humanam. De vero enim Filio quid aliud poterit judicari, quàm ut unitas eorum ipsa nominum proprietate nascentis & generantis firmetur? Quis enim aliud generet quàm ipse est? Si enim Filius tantùm diceretur, & non adjiceretur ad intellectum quia verus est, testante illud apostolo Johanne, qui ait, *Sumus in vero filio Jesu Christo, qui est verus, & vita æterna:* 1. Johan. 5. 20 & Apostolo Paulo similiter prædicante, *Qui proprio*, inquit, *filio suo non pepercit:* posset de nudo nomine Filij dubitari. Nam cùm addat verum hunc esse Filium Dei, qui ab hac voce & sensu recedunt, ipsi sibi propriè inimici sunt. Confingunt enim sibi, & persuasione quadam opinionis perversæ aliud debere credi asserunt, quàm ratio fidei continet, quasi plus dent Deo quàm ipse de se voluit credi. Si enim adjectum non fuisset, vero, posset dubitari. Diceretur enim similis esse Patri, propter hoc quod ait, *Qui me videt, videt & Patrem*: ut sicut lac & gypsum, quantum ad colorem pertinet, simile est; quantum ad naturam, longè dissimile: sic & id quod dictum est, *Qui me videt, videt & Patrem*, possit videri. Sed quia veri Filij Dei verba sunt, non debet aliud ad intellectum admitti, quàm ut ideo hoc videatur dixisse, quia unum sunt naturâ Pater & Filius, hoc est in nullo discrepare alterum ab altero. Nam si Salvator de viro & muliere, propterea quòd una amborum substantia est, ait, *Jam enim non sunt duo, sed una caro:* Matt. 19. 6. quanto magis Pater & Filius non sunt duo dicendi juxta substantiam; ne aut scissa vel divisa, aut certè dispar ac dissimilis eorum substantia dignoscatur? Denique Paulus apostolus unitatem substantiæ eorum firmans dicit, Philip. 2. 6. *Qui non rapinam arbitratus est esse se parem Deo.* Parilitas ergo hæc unde erit, nisi de unitate substantiæ? Hinc ambo unius sunt imaginis. Sic ergo ut Apostolus ait, *Non rapinam arbitratus est esse se parem Deo*, verum se Dei Filium demonstravit. Deo enim par esse non poterat, nisi esset de ipso. Pares enim ij sunt qui aut ambo veri sunt, aut ambo falsi. Nec enim parilitatem recipit, cœptum & æternum, aut unitatem. Unum enim se esse dicendo Christus cum Patre, parem se Deo fecit. *Non solùm enim*, inquit, *solvebat sabbatum, sed & Patrem proprium Deum sibi dicebat, æqualem se faciens Deo*, hoc est Patri. Nonne manifestum est æqualitatem hanc de proprietate nativitatis descendere? Proprium enim se, id est verum dicens Dei Filium, æqualem se faciebat Deo: hoc est unde dicit, *Qui me videt, videt & Patrem*: per id quod consubstantivi sunt, qui unum videt, ambos videt. *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, ita & dedit Filio habere vitam:* hoc est, æqualem, &c. [b]

Quæst. eadem ex MSS. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo Test. 41.

b *Consequuntur per pauca uti in MSS. 1. gen. scilicet usque ad verba*, natus credatur. *Reliqua deinceps in MSS. 2 gen. desunt.*

QUÆSTIONES EX UTROQUE MIXTIM.*

* *Titulus ineptus, ut ex qq.* CI. CII. CXIV. CXV. *&c. patet, nec à nobis repertus in MSS. qui partitionem hîc nullam habent. Sed ex editis hactenus receptus est, ut citetur hæc tertia pars quæstionum sub illo titulo: quapropter nihil hîc mutandum curavimus, in opere præsertim non magni momenti.*

a Sic MSS. & editio Rat. Aliæ verò editiones, *Quomodo in Evangelio Johan. diabolus dicatur habere patrem.*

QUÆSTIO XCVIII.

a *De Evangelio Johannis.*

Johan. 8. 44. AUDISTIS quæ contestetur sacrosanctum Evangelium, dicente Domino ad Judæos, *Vos de patre diabolo nati estis, & desideria patris vestri vultis facere. Illo homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas non est in illo. Cùm loquitur mendacium, ex suis propriis loquitur, quia mendax est, sicut & pater ejus.* Nemo fidelium dubitet diabolum apostasiæ suæ auctorem non habere. Ipse enim totius erroris est princeps: qui videns à Deo factum se non mediocris potentiæ, ausus est præsumere divinitatem, ut quia ceteros vidit inferiores, seipsum præferret ut deum. Denique nomina quibus appellatur diabolus & satanas, ab actu ejus composita sunt, non ex natura. Omne enim malum opere probatur, ut non substantia in crimine sit, sed voluntas

m

conceptâ ex caussis. Dum enim se vidit potiorem ceteris, inflatus est ad exercendam dominationem. Quomodo ergo patrem habere dicitur, qui auctor sceleris ejus habeatur? Aut unde probatur ab initio homicida fuisse? Sed Scriptura illum qui ejus fuerit imitator, nomine ejus appellat; ut quia ab opere nomen accepit, omnis qui malum opus fecerit, non immeritò diabolus nominetur. Salvator ergo hoc loco Caïn diabolum appellavit, quia operum ejus æmulus, dum invidit fratri, homicidium perpetravit, exemplum relinquens crudelitatis parricidij. Sicut & diabolus dum invidit homini facto ad imaginem Dei, malignitatem operis sui cumulavit, typum præbens erroris. Hinc itaque exstitit etiam mendax Caïn, dicente sibi Deo, *Vbi est Abel frater tuus?* (Gen. 4. 9.) Qui patris sui imbutus malitiâ, in mendacium prorumpens, *Nescio*, inquit, ut cui vitam extorserat, ubi esset nescire se simularet, sic furore cæcatus ut Deo sic responderet quasi homini, quem putaret se posse celare. Igitur hujusmodi imitatores facti Judæi, etiam ipsum Dominum occiderunt, Caïn potiùs fratricidam patrem volentes habere quàm Deum, ut totius sanguinis effusi rei fierent. Auctorem enim vitæ perimentes, totius sceleris principes exstiterunt, ita ut huic malo etiam filios suos obligarent dicentes, *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* (Matt. 27. 25.) Ut enim Pilato suadèrent, nihil mali esse quod petebant, in filios suos retorqueri dixerunt, si esset injustum: quia ut furori suo satisfacerent, nec filiis quidem suis parcere voluerunt. Nam quia diabolus non naturâ malus est, hinc faciliùs discitur, quia pœna non promitteretur ei qui non fecerat quod nesciebat. Iniquum est enim punire eum qui non facit aliud, quàm quod suæ est naturæ. Et magis istud malum est, si hoc exigas ab aliquo, quod scias illum non posse. Quamobrem justè plectendus est, quem cùm constet scire ac facere posse bonum, agit malum. Hoc etiam ex verbis Salvatoris poterit adverti: ait enim, sicut suprà memoratum est, *Pater vester homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit.* Igitur si per naturam mendax est, quomodo dicitur in veritate non stetisse? Hic enim in veritate non stat, qui in veritate non permanet. Constat ergo diabolum in veritate fuisse, sed non perseverasse. Denique legimus in Propheta sic dicentem Dominum, *Si stetissent*, inquit, *in substantiâ mea*, (Jer. 23. 22.) id est in lege mea. Et Apostolus ad Galatas, *State*, inquit, *& nolite iterum servitutis jugo cohiberi.* (Gal. 5. 1.) Quid tam apertum? Hîc enim mandat ut de cetero permaneant in mandatis ejus. Quod si diabolus servasset, steterat in substantia & in lege Dei. Fundamentum est enim lex servantibus eam. Quomodo ergo quibusdam videtur, diabolum aut malum à Deo factum, aut propriam habere originem, id est ex nullo ortum, quod utrumque Deo videtur contrarium? Qui enim ad hoc illum dicit factum ut esset malus, imperfectæ putat Deum esse bonitatis; quia perfectè bonus non facit malum. Qui verò originis ejus Deum auctorem esse non credit, ejus dominium Deo abnegat. Per hoc enim, cùm omnia Dei sint, aliquid esse arbitratur quod minimè ad Deum pertineat: quos oportet pœnas perpeti, cùm viderint cuncta à Deo judicari per Christum.

In Mss. 2. generis non exstat hæc jam secunda tractatio ejusdemmet argumenti, de quo suprà est quæstio xc.

QUÆSTIO XCIX. (1. Cor. 10. 13.)

Quid sit illud Apostoli, *Tentatio vos non apprehendat nisi humana?*

Non sine providentia, ut arbitror, magister gentium Apostolus noster, tentatio ut nos apprehendat exoptat, sed ut humana dumtaxat; quia divina tentatio perniciem parit. Hac enim Judæi apprehensi à serpentibus perierunt. Agentes enim sub Dei lege, de providentia ejus dubitabant: ac per hoc ne divina nos, sed humana tentatio apprehendat, hortatur. Hic enim tentari à Deo dicitur, qui sub nomine ejus agens, ab idolis sperat salutem; quia non habet Deum probatum. Omne enim quod probatum non est, tentatur; & quod tentatur, in dubium venit. Ac per hoc divina tentatio mortalis est, humana verò tentatio salutaris est: quia sicut de Deo dubitare perniciosum est, ita de homine desperare propter Dei legem saluberrimum est. Quamobrem providenter Apostolus, *Tentatio*, inquit, *vos non apprehendat nisi humana:* ut propter Dei legem ab hominibus tentati, [a] fortes inveniamur, dubitantibus de nobis hominibus carnalibus, Deo autem probati simus: quia qui probati Deo non sunt, tentantur ut emendentur. Duplex ergo tentatio est: aliquando enim quasi fideles, aliquando quasi diffidentes tentamur; ut fidelium tentatio humana sit. Propter fidem enim ab hominibus tribulamur: tentant enim nos si possint abducere à fide. Propter diffidentiam autem tentantur, ut angustiati pœnitentes redeant in viam; sicut factum est etiam Judæis. Cùm enim diffiderent de providentia Dei, tentati sunt à serpentibus, ut dolore correpti emendarentur. Deus enim sic tentat, ut corrigat hujusmodi homines. Est & alia tentatio, qua tentatus est Abraham, & Job, necnon & Tobias famuli Dei (Gen. 22. 1.): ut Abraham per tribulationem oblati unici & dilectissimi filij uberiorem fructum justitiæ haberet ad æternam gloriam: Job autem amissione totius substantiæ augmentaretur divitiis locupletatus in cœlis & in terra (Job. 1. & 2.): Tobias verò cæcitatem luminum passus sic provectior exstitit (Tob. 2. 11.), ut ad præsens gloriosus fieret receptis oculis, & in futurum servaretur ei claritas perpetua. Quia ad hoc probantur justi, ut proficiant. Ideoque in tentatione robusto animo esse debemus, scientes non ad diminutionem nostram hoc proficere, sed augmentum, si modò æquo animo toleremus per Christum.

a MS. Colb. fortè si.

Quæst. eadem ex Mss. 2. generis, inter post-vulgatas ex novo est. 52. (1. Cor. 10.)

Omnis quæstio ut dilucidari possit, ad originem revocanda est. Apostolus autem cùm de Judæorum perfidia quereretur, & quoniam Deum in solitudine tentaverunt; unde dicit, *Neque tentemus Christum, sicut quidam tentaverunt:* dum ergo hæc memoraret, & quid propter ista mala passi sunt, ad terrorem incutiendum exponeret, ut ipso nos exemplo malitiæ vel tentationis quæ in Domino fit revocaret, (Divina namque tentatio est, si sub lege Dei agens, ex alia parte aut ab idolis auxilium petat, diffidens de Deo,) ideo hoc Apostolus cavendum monet. Ut autem humana tentatio nos teneat, exhortatur: quia humana tentatio est, in Dei caussa desperare de homine, & promtum esse in fide Dei. Tentatio enim hæc diffidentia intelligitur, ut de promissis Dei non diffidant. De humanis, quia in omni errore seductionis humana [b] tentatio est, quæ infesta mundanis rationibus Dei legi obsistit, desperans de promissis ejus. Habes ergo manifestatum quæ sit in Deum tentatio, & quæ est humana tentatio, quam fastidire non debemus, si fidei Dei participes sumus.

b MS. Germ. traditio.

c De Evangelio Matthæi.

c Ita MSS. & Rat. At aliæ edd. Quomodo in Evang. Matt. dictum sit, Confiteor tibi Pater Domine cæli, &c. QUÆST. C. (Matt. 11. 25.) *Hæc quæstio deest in Mss. 2. generis.*

Audistis fratres carissimi quæ contestetur Evangelium dicente Domino, *Confiteor tibi Domine cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Igitur si dictorum sensum inspiciamus, videbimus ea quæ ad exhortationem credentium à Domino dicta sunt, eorum qui propterea quòd mundanam sapientiam spernunt, parvuli videntur sapientibus mundi, qui nullo testimonio commendati sapientes volunt dici. Idcirco indignum visum est Deo his ostendere veritatem: humilibus autem qui nihil de se præsumentes divinæ se voluntati inclinant, æquitate cogente salutaria revelanda sunt. Hic enim prudens Deo est & salutis suæ memor, qui scientiæ suæ anteponit Dei legem, quam utique videt non verborum strepitu fulciri, sed rerum virtutibus. Et sine dubio hic stultus & vanus est, qui huic rei se commendat, quæ nulla munitur prærogativâ signorum. Unde non litteratis sæculi regnum Deus promisit, sed fidelibus; neque scrutatoribus siderum æternitatem pollicetur, sed rectè agentibus; nec dialecticis, qui fraude & minutis quibusdam ratiunculis verum excludere nituntur, gloriam dat, sed bonæ voluntatis hominibus, qui accurati magis vitâ sunt quàm sermone. Istos enim reprobat Deus, qui oratione clari sermonis magis uti volunt quàm bonis actibus. Nam & gloriam Dei in se vult convertere, qui rem Dei verbis exornare se putat. Res enim ipsæ per se placere debent, ut non sermo, sed sensus laudetur. Si enim sensus auctor est litteræ, & verba propter res significandas inventa sunt, cur non magis res ipsæ puro sensu promendæ sunt, ut [d] feliciùs mentem incitent ad salutem? Ideoque piscatores elegit Dominus noster Apostolos, homines simplices & sine litteris, qui sine aliqua versutia fidem servando & bene vivendo, Dei in se ostenderent veritatem. Unde & apostolus Paulus, *Et ego veniens*, inquit, *ad vos fratres, non veni in sublimitate sermonis aut sapientiæ.* (1. Cor. 2. 1.) Et inter cetera, *Quia non*, ait, *in sermone est regnum Dei, sed in virtute:* (1. Cor. 4. 20.) ut quia verba contradictioni obnoxia sunt, Dei legi virtus testis exsisteret, cui omnis cedit sermonum sublimitas. Itaque hæc idcirco præmissa * sunt, fratres carissimi, ut consuleretur simplicioribus, ne fortè indignos se putarent gratiâ Dei, quia minimè sunt litteris forensibus eruditi, cùm magis ad laudem proficiat simplicitas eorum: quoniam quod prudentes mundi non vident superbiâ litterarum, hi credunt, non verbis sed consilio prudentes. Sciunt enim in bonis operibus requiescere Deum, & fidem quærere, non cultum sermonem. Legunt enim dicentem Dominum, *In quo requiescam, nisi in humili & mansueto & tremente verba mea?* (Isa. 66. 2.) Quamobrem ut digni efficiamur ad promissa præmia, ea quæ à Domino jubentur facere debemus, securi quia hos diligit Dominus, qui verba ejus custodiunt. Sic enim dicit discipulis suis, *Si diligitis me, præcepta mea servate:* (Johan. 14. 15.) ut in his Domino servientes regni ejus heredes esse possimus per Jesum Christum Dominum nostrum.

d MS. Colb. faciliùs.

** Quasi pro côcionis exordio.*

e De jactantia Romanorum Levitarum.

e Sic MSS. & Rat. Aliæ verò editiones, Quomodo côtra Levitas Romanos disceptandũ sit, qui côtendunt Levitas sacerdotibus, & diaconos presbyteris coæquare. QUÆSTIO CI. *Quæst. hæc deest in Mss. 2. generis.*

Dum jussis caritatis parere volumus, in vituperationem fortè cademus, qui de re quæ nulli aliquando in dubium venit, scribimus; quia cùm amicitiam offendere nolumus, studium quod ad aliquam rem occultam revelandam proficere debuit, intricamus: quamvis propter nimiam stultitiam cujusdam hoc adseverantis, quod in subjectis pandemus, istud nobis injunxerit caritas memorata, ne cùm nemo diu ad hoc responderet, in pejus proficeret, & diu in vano exercitatus emendari non possit. Hoc enim caritatis studium est, quæ non quærit quæ sua sunt. Quidam igitur qui nomen habet [f] Falcidij, duce stultitia & civitatis Romanæ jactantia, Levitas sacerdotibus, & diaconos presbyteris coæquare contendit: non dicam præferre, quia stultius est, & fortè incredibile videatur, & nos non emendatores, sed calumniatores habeamur. Qua igitur lege quave consuetudine, quonam exemplo hoc adgredi audeat, nullum scire arbitror, ut istos quibus consessus in Ecclesia datus est minimè, iis coæquet qui propter quod antistites Dei sunt, in domo Dei & in honore Christi cum dignitate considunt: quæ audacia est presbyteris ministros ipsorum pares facere? Quæ temeritatis præsumtio, sacerdotibus bajulos tabernaculi & omnium vasorum ejus & lignorum concisores & portitores aquæ conferre? Hoc enim officium fuit Levitarum. Tale est, si præfectis officiales, dominis servi æquentur. Hoc enim scriptum est dicente Domino ad Moysen, *Accipe tribum Levi de medio filiorum Israël, & statue illos ante Aaron sacerdotem, & deservient ei.* (Num. 8. 13.) Quid hoc exemplo apertius, quod etiam nunc in Ecclesia custoditur. Quamquam Romanæ Ecclesiæ diaconi modico inverecundiores videantur, sedendi tamen dignitatem in Ecclesia non præsumunt. Ut autem non omnia ministeria obsequiorum per ordinem agant, multitudo facit clericorum. Nam utique & altare portarent & vasa ejus, & aquam in manus funderent sacerdoti, sicut videmus per omnes Ecclesias, & sicut constitutum est à Domino per Moysen: aut numquid meliores Elisæo sunt, qui aquam fundebat in manus Eliæ? (4. Reg. 3. 11.) Sic autem diaconos adversùs presbyteros defendit, quasi ex presbyteris diaconi, & non ex diaconis presbyteri ordinentur. Sed quia Romanæ Ecclesiæ ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur quàm apud ceteras Ecclesias, propter magnificentiam urbis Romæ, quæ caput esse videtur omnium civitatum. Si itaque sic est, hoc debent & sacerdotibus suis vindicare: quia si ij qui inferiores sunt crescunt propter magnificentiam civitatis, quanto magis qui potiores sublimandi sunt? Quidquid enim officialibus præstatur, augmentum fit potestati: sicut honor servi ad laudem proficit domini. Quamquam apud justum judicem Deum unicuique hic honor maneat, qui decretus est singulis Ecclesiarum officiis, ut qui diaconus est, diaconi honorem per omnes Ecclesias habeat. Non enim qualiscumque honor est, antistiti Dei servire in Ecclesia dumtaxat, ut sacerdos totius honoris Ecclesiastici dignus habeatur. Major

f MS. Colb. Falsi-de-requærunt duce &c.

enim ordo intra se & apud se habet & minorem: presbyter enim & diaconi agit officium & exorcistæ & lectoris. Presbyterum autem intelligi episcopum, probat Paulus Apostolus, quando Timotheum quem ordinavit presbyterum, instruit qualem debeat creare episcopum. (1. Tim. 3. 2.) Quid est enim episcopus, nisi primus presbyter, hoc est summus sacerdos? Denique non aliter quàm compresbyteros hic vocat & consacerdotes suos. Numquid & ministros condiaconos suos dicit episcopus? Non utique, quia multo inferiores sunt. Et turpe est judicem dicere primicerium. Nam in Alexandria & per totam Ægyptum, si desit episcopus, [a] consecrat presbyter. Quanta autem sit dignitas ordinis sacerdotalis, caussa ostendit Caïphæ, qui cùm esset homo pessimus, prophetavit. Quare? *Quia princeps*, inquit, *erat sacerdotum.* (Johan. 11. 49.) Et iterum multum distare inter diaconum & sacerdotem, liber approbat, quem dicimus Actus Apostolorum. Cùm enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti diacono ab Apostolis ordinato, *Miserunt*, inquit, *ad Petrum & Iohannem ut venirent, & iis qui crederent darent Spiritum-sanctum per manus impositionem.* (Act. 8.) Sed inscij credo Scripturarum aut immemores Legis hæc defendunt. Recordari ergo debet qui ista putat asserenda, quid Levitis acciderit cùm taliter saperent. Cùm enim nihil inter sacerdotes & Levitas interesse præsumerent, Deo judice hiatu terræ absorpti sunt Chore & consentientes ei, & ducentos quinquaginta viros torrens ignis simul consumsit (Num. 16. 31.): & Ozias rex cùm opus sacerdotale præsumeret, leprâ perfusus est (4. Reg. 15. 5. 2. Paral. 26. 21.): ut hoc utique exemplo ceteri territi non audeant quod sibi concessum non est præsumere. Nunc enim videmus diaconos temerè quod sacerdotum est agere per convivia, & in oratione id velle, ut respondeatur illis, cùm istud solis liceat sacerdotibus. Diaconi enim ordo est, accipere à sacerdote, & sic dare plebi. Vides quid pariat vana præsumtio? Immemores enim elatione mentis, eo quòd videant Romanæ Ecclesiæ se esse ministros, non considerant quid illis à Deo decretum sit, & quid debeant custodire: sed tollunt hæc de memoria assiduæ stationes domesticæ & officialitas, quæ per suggestiones malas seu bonas nunc plurimum potest. Aut timetur enim ne malè suggerant, aut emuntur ut præstent. Hi sunt qui faciunt eos ordinis sui non considerare rationem. Dum enim per adulationem obsequuntur illis illicitè, præcipites illos faciunt, ut plus sibi putent licere: quippe cùm videant non sic deferri sacerdotibus; ac per hoc anteferri se putant. Sed testimonio, inquit, diaconi fit presbyter: quasi istud ad prærogativam pertineat magnitudinis. Legimus enim ad plebem dixisse Petrum apostolum, *Eligite*, inquit, *ex vobis quos constituamus deservire mysteriis Ecclesiæ.* (Act. 6. 3.) Nolo dicere, *mensis.* Ecce laïcorum testimonio creati sunt diaconi. Et Apostolus eum qui ordinandus dicitur episcopus, etiam testimonium vult habere gentilium; sic enim ait, *Oportet enim hunc & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt.* (1. Tim. 3. 7.) Omnium ergo est testimonium dare, & non tamen omnes hoc honore digni sunt. Judicare enim omnes possunt, & non tamen omnes possunt esse quod judicant. Potest enim pictor judicari bonus, & præferri alteri ab illo qui pingere nesciat; & choraula melior alio choraulâ approbari ab eo, qui alterius est artis: ita & testis potest esse creandi presbyteri qui inferior ordine est. Et iterum, quo inflentur & putent sibi multum deberi, A nobis enim, inquiunt, perducuntur qui ordinandi sunt: ut dum lateri illorum septi sunt, honore digni videantur. Fac verum esse. Quasi officialis enim ab Episcopo mittitur, ut obsequium præbeat ordinando. Nam & Imperator ut Imperator appareat, ordinatur obsequio militari: non tamen melior nec par est exercitus Imperatori. Nam & Aman cùm esset clarus in honore militari, à rege missus est ut Mardochæo in obsequium iret (Ester. 6. 10.), ut quantum dignus esset Mardochæus ex hujusmodi obsequiis nosceretur. Ita & diaconi creandis presbyteris in obsequium mittuntur; ut dignos eos fieri sacerdotes omnes intelligant. Exceptis enim sacerdotibus, quibus obsequium debent, omnibus præponuntur diaconi.

a MS. Colb. consignat.

Diaconi officium.

a Contra Novatianum.

a Sic MSS. & Rat. Aliæ verò edd. Quomodo contra Novatianos côtendendum sit, qui pœnitentiam salutarem negât. QUÆSTIO CII. *Deest in Mss. 2. generis.*

Dicunt Discipuli sui ad Jesum, *Domine, vis ut dicamus, descendat ignis de cælo, & consumat eos, sicut fecit Elias?* Et respondit illis Dominus dicens, *Nescitis cujus spiritus estis. Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Cùm dignum utique esset vindicare in Samaritanos non suscipientes eum; Dominus tamen qui ad misericordiam dandam advenit, sententiam amovit, ut de cetero corrigentes emendarentur. Et propheta Elisæus indignatus pueris qui ei contumeliam faciebant, Deo judice vindicavit in eos (4. Reg. 2. 23.), ut eo loco ab ursis comederentur, ubi silva esse negatur: Dominus autem oblatæ sibi meretrici pepercit (Johan. 8. 10.), ei videlicet quam in adulterio se deprehendisse majores Judæorum dixerunt; ut quia pia prædicatio incœperat, non condemnandum, sed ignoscendum doceret. Nam per Moysen data Lex, quia justitiam habuit ad vindictam, in primordiis suis severitatem exercuit. Quia & in illum qui sabbatis exiit ligna colligere, funebriter vindicavit (Num. 15. 32.); & in filium Ægyptiæ qui blasphemaverat in Deum, similiter ultionem dedit (Levit. 24. 11.); & in caussa fusilis vituli percussit filios Israël (Exod. 32. 27.). Unaquæque ergo Lex inter ipsa primordia sensum suum plenum ostendit, ut vetus Lex, quia ad vindicandum promtior erat, inter initia sua asperior videretur, ut metu incusso diligentes & sollicitos faceret auditores suos. Nova verò propterea quòd pia & ad misericordiam facilis est, primordia sua mitissima & clementissima demonstravit, ut ipsa oblectatione ac dilectione omnes ad indulgentiam provocaret. Postea autem & illa quæ asperior visa est propter fragilitatem humani generis, non solùm rigorem suum mollivit, sed & humanam & piam se præstitit, & hæc quæ clemens visa est aliquando vindicavit. Ananias enim cum Saphira uxore sua divinitus cæsi sunt (Act. 5. 5. & 10.). Et Elimas magus incredulus & Dei Legi repugnans, Domini judicio & virtute cæcatus est (Act. 13. 8.). Et Herodes rex propterea quòd honorem non dedit Deo cæli, ab Angelo Dei percussus scatens vermibus exspiravit (Act. 12. 23.). Ne quia misericordia prædicatur, inultum omnino putarent homines & impunè peccari, timorem posuit, ostendens ad hoc dari veniam delictorum, ut quasi ex mortuis vivificati postea abstinerent se à contrariis, ut id elaboretur, ne quis hinc cum crimine exeat, quia ad judicium venietur. Hæc enim unicuique sententia imputatur, in qua defungitur. Quoniam igitur nova Lex plenitudinem habet misericordiæ, ne contemtui duceretur ab amatoribus peccatorum, in supradictos vindicavit. Vetus verò Lex quamquam ad vindictam data sit, quibusdam tamen ignovit, ne omnino crudelis diceretur: sed in plures vindicavit, quia sensus ejus ad ulciscendum promtus est. Sine dubio ergo major gratia novæ Legis est quàm fuit veteris. Si ergo major gratia est, quomodo negatur hoc præstare posse, quod præstitit illa, quæ minorem gratiam habuit? Erat enim propensior in severitatem. Itaque si ista pænitentibus ignovisse probatur, quî fieri potest, ut ista quæ clemens est, non recipiat pænitentes? Nam & Judæi filij Dei appellati sunt, qui per Moysen in nube & in mari baptizati, apostoli Pauli auctoritate leguntur (1. Cor. 10. 2.). Legem enim accepturi procul dubio purificati noscuntur, ut de cetero acceptæ Legis redderent rationem, ut si quid peccarent per pænitentiam se reformarent, dicente Domino per Isaiam prophetam, *Pænitentiam agite qui erratis, & convertimini.* (Isa. 45. 22.) Sed fortè è contrario dicitur, Pænitentia quidem prædicata est, non tamen remissio. Si ergo pænitentia à Deo prædicata est, fructus erit agentibus pænitentiam. Nec enim supervacuè hoc Dominus commoneret. Porrò autem sciens Dominus conversis dari debere peccatorum remissionem, hoc præcepit: quippe cùm dixerit, *Nolo mortem peccatoris, quantùm ut convertatur & vivat.* (Ezech. 18. 32.) Itaque & est fructus pænitentiæ, sicut claruit, conversis ad Deum. Exclusa est ergo Novatiani impiè composita assertio, qua verborum Domini sensum invertit dicens, *Ait Dominus, Qui me negaverit, & ego negabo ipsum:* (Matt. 10. 33.) ut si aliquis Christianus quacumque ex caussa negaverit, jam redire non possit, aut certè revertens, minimè recipiatur. Et ubi erit demandata pænitentia? Cùm Salvator post datam hanc sententiam negantem Apostolum Petrum non negaverit. Quare? Quia pænitentiâ subsequente erratum suum amarissimè flevit (Matt. 26. 75.), sciens utique conversis ignosci, & reformari eos per pænitentiam. Sed Novatianus fingit agendam pænitentiam. Quia enim apertè non audet negare pænitentiam dandam, adstrictus Lege, subtiliter hanc frustrare contendit. Quando enim dicit, quia qui negaverit, nullo modo veniam habebit, sed negabitur & ipse in conspectu Angelorum Dei, quomodo non cum dolo agendam pænitentiam profitetur? Hinc autem manifestè fraus ejus apparet, cùm subjungit dicens, Quicumque peccaverit in Spiritum-sanctum, non remittetur ei, neque hîc, neque in futurum (Matt. 12. 32.). Quamvis alia caussa sit qua peccatum est in Spiritum-sanctum, & alia negare Dominum Jesum; Novatianus tamen ut huic peccato veniam deneget, unum sensum vult esse, & negantis Dominum, & peccantis in Spiritum-sanctum, ut hac tergiversatione fructum amputet pænitentiæ. Si enim idem est negare Dominum quod peccasse in Spiritum-sanctum, nulla venia speranda est negantibus, neque fructus aliquis pænitentiæ, quia hoc peccatum, neque hîc, neque in futuro remitti Dominica oracula promiserunt. Hinc ergo apparet, Novatianum cum dolo dicere agendam pænitentiam. Ut quid enim pæniteret, si delictum aboleri negatur? Pænitentiæ enim gemitus, fletus & lamentatio hoc adquirit, ut & veniam mereatur & reformationem. Denique David pænitens & confitens peccatum suum & veniam meruit, & ad pristinum statum redditus est (2. Reg. 12. 13.); quia & rex permansit, & postea prophetavit. Quod liquidò probatur: in quinquagesimo enim Psalmo pænituit, & postea persecutionem à filio suo passus prophetavit. Tertius enim Psalmus juxta historiam post quinquagesimum est. Sed fortè regi ignosci oportuit, humilibus autem ignosci non debet? cùm magis potentioribus difficiliùs ignoscendum videatur. Deus enim personam hominis non accipit (Rom. 2. 11.). Quanto enim quis sublimior, tanto magis, licèt leve peccatum ejus, grave est crimen. Sicut enim humilitas in potente sublimis & magnifica est, ita & culpa ejus pro crimine habenda est. Exceptis enim peccatis, quæ constat omnibus esse illicita, non omnia licent potentibus, quæ sunt concessa humilibus. [b] Dignitatis enim homini negotiari deforme est, & popinam ingredi notabile est. Senatoribus quoque fenus infamia est. Si ergo in his levibus inventi notandi sunt, quanto magis rei constituendi sunt, si peccaverint? Per hoc ergo apparet David gravissimè peccasse, & quidem duplici modo: conversus tamen & homicidij & adulterij veniam consecutus est, & quod est amplius, deflens reformatus est. Cùm enim à propheta Nathan argueretur, peccatum celare non ausus est, sed confessus est dicens, *Peccavi Domino.* Tunc respondit Propheta & dixit, *Abstulit Dominus peccatum tuum, & non morieris, quoniam pænituisti.* (2. Reg. 12. 13.) Et quia invenitur postea prophetasse, dubium non est hunc reformatum. Nam & Achab correptus à Propheta propter mortem Nabuthe ibat plorans, & conscidit vestimenta sua, & præcinxit se cilicio (3. Reg. 21. 27.), & factum est verbum Domini in manu servi ejus Eliæ de Achab, & dixit Dominus, *Audisti quoniam motus est Achab à facie mea? non inducam ei mala in diebus ejus.* Et Ninivitis peccata deflentibus, imminente morte reparata est vita (Jona 3. 5.). Ecce quantus profectus est pænitentiæ. Sed fortè dicatur è contra, Concessa quidem est, sed non de crimine idololatriæ: quamvis enim hæc gravia sint, majus est tamen crimen idololatriæ. Rectè tamen explosa est non ex modica parte Novatiani adsertio, qua duo crimina gravia concessa pænitentiæ videntur. Quia si fornicationi ignosci non debet, sicut Novatiano videtur, quanto magis homicidio, aut adulterio? Sed hinc vanitas ejus apparet, quando hæc quæ graviora sunt concessa probantur: quamobrem nunc, an idololatris concedi posse promiserit Deus, requirendum est. Omne enim quod jure hîc concessum non fuerit, nec in futurum poterit concedi. Hîc enim, sicut dixit Dominus, aut ligantur, aut solvuntur peccata (Matt. 16. 19.); in futuro autem nihil aliud erit, nisi remuneratio aut condemnatio. Omnis enim qui hîc jure reprobatur, non poterit eligi, aut dignus in futurum judicari. Audiamus igitur quæ dicat Dominus de idololatris ad Jeremiam prophetam, *Vade, & dic*, inquit, *Revertere ad me commoratio Israël, dicit Dominus, & non firmabo faciem meam in vos; quia misericors ego sum, dicit Dominus, & non irascar vobis in ævum: verumtamen* (Jer. 3. 12.)

b MS. Colb. Dignitoso.

cognosce delictum tuum : impiè egisti, & posuisti vias tuas in alienos subtus omne lignum nemorosum. Ecce quid promittit eis Deus, qui post lapsum ad se convertuntur, ut post apostasiam regressis remittat
Baruc. 4. 26. peccata. Et iterum dicit Deus per Jeremiam, *Delicati mei ambulaverunt vias asperas, ducti sunt ut grex direptus ab inimicis, Constantes estote filij, & proclamate ad Deum, erit vestra in abductione memoria. Nam sicut fuit mens vestra ut erraretis à Deo, duplicabitis decies tantum conversi, quærentes eum. Qui enim induxit in vos mala, inducet in vos æternam jocunditatem cum salute vestra.* O clementia Dei! quemadmodum lapsos provocat ut se erigant, quomodo hortatur ut post errorem idolorum revertantur ad eum! quasi pater benevolus filiis suis jocunditatem perennem promittit salutis, si se corrigant.
Jer. 24. 6. Item apud eumdem inter cetera, *Et restituam illos in terram istam, & reædificabo eos, & non destituam, & replantabo eos, & non evellam :* ut quia comminatus dixerat, *Sacrificans diis, eradicabitur,* ne peccantes in Deum desperarent de se, quasi jam qui sacrificaverant idolis eradicati, replantari non possent, hortatur eos, quia si pæniteant, potenter ad statum suum pristinum reformari. Sententia enim tunc manet,
Jonæ 3. 4. si non emendetur delictum. Denique Ninivitis prædicatum est, quia post triduum everteretur civitas eorum. Quare post triduum, nisi ut aut pæniterent, & auferretur sententia; aut in eo permanen-
Ezec. 18. 32. tes, justiùs deperirent? Hoc est quod dixit per Prophetam, *Nolo mortem morientis, quantùm ut revertatur & vivat.* Ita factum est ut morituris peccatorum caussâ Ninivitis, ignosceretur pænitentiâ subsequente. Ut quid enim centum annis sub Noë arcam invenimus fabrica-
Gen. 6. 3. tam, nisi ut videntes & audientes quid immineret, emendarent se? Neminem enim Deus vult perire. Hinc est unde in Salomone legi-
Eccli. 12. 3. mus, *Quoniam,* inquit, *Altissimus misertus est pænitentibus.* Et iterum,
Sap. 11. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pænitentiam.* Hoc sensu & Dominus dolens super perfidiam
Matt. 23. 37. Judæorum, ait, *Ierusalem, Ierusalem quæ interficis prophetas, & lapidas missos ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti?* Igitur semper Dominus per totam Legem peccatores ad se converti hortatur, nolens opus suum perditioni esse obnoxium; cùm nec alia caussa datæ Legis esset, quàm ut ex errore homines convertantur ad veritatem : ita tamen, ut in novo Testamento auctor Legis clementior videatur, quia tempore quo sacramentum Filij sui Domini nostri manifestare dignatus est, largior & uberior in misericordia esse voluit, ut plus gratiæ prædicante Filio esset quàm fuerat prædicantibus servis. Nec immeritò : sic enim fuit dignum ut majora dona per Filium, quàm per famulos largiretur. Denique ad se conversis credentibus omnia simul peccata concedit, nulla interveniente lamentatione pænitentiæ.
Rom. 11. 29. Unde dicit Paulus Apostolus, *Sine pænitentia enim sunt dona & vocatio Dei.* Pòst autem si peccaverint, per pænitentiam poterunt mereri veniam, ut quia post acceptam gratuitam misericordiam peccaverunt, non jam gratis, sed interveniente gemitu & fletu possint ad indulgentiam pervenire. Impossibile est enim homini ut non peccet.
1. Iohan. 1. 8. Unde Johannes Apostolus, *Si dixerimus,* inquit, *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confitemur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni injustitia.* Sicut David meruit veniam & reformationem, cùm confiteretur peccatum. Certè Christianis loquitur Johannes
1. Iohan. 2. 1. apostolus. Ait enim in subjectis, *Filioli mei, hæc scribo vobis ut non peccetis : & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Hoc dicit, ut si post baptismum peccaverimus, advocatum supplices deprecemur, ut exoret pro nobis Patrem. Si enim apud veteres nostros pænitentia habuit locum, quomodo fieri potest ut hoc tempore locum non habeat, quando major clementia prædicationis est; & qui inimicis misertus est vocando illos ad gratiam, amicis factis non miserebitur cum mercede? (Tribulatio enim cordis, merces est pænitentis.) [a] Quod si esset verum, dolerent homines ex inimicis factos se amicos. Aut qualis æstimandus erat ille, si inimicis non pænitentibus misericordiam daret, amicis verò & pænitentibus non daret? Præterea cùm sciat Dominus diabolum adversùs amicos & servos Dei plus se extollere & sævire : unde dicit Petrus Apostolus, *Vigilate & sobrij estote, quia adversarius vester diabolus fremens sicut leo circumit, quærens quem devoret :* quoniam
1. Petr. 5. 8. ergo novit Dominus adversarium nos habere horrendum & validum, si victi ab eo fuerimus, vult nos ad auxilium suum confugere, dolens elisos nos, ut virtute ejus reparati fortiter repugnemus. Sicut
Matt. 24. 22. enim nisi breviati fuerint dies illi, quos dicit Dominus, nulla fiet salva caro : ita & si negetur hominibus pænitentia, nemo poterit salvus
Prov. 20. 9. fieri. Si enim *nemo,* inquit, *gloriabitur mundum se habere cor :* &
Iob. 14. 4. alibi, *Nemo,* ait, *sine sorde, nec infans unius diei :* quis poterit evadere si pænitentia denegetur? Et ubi est quod dicit Dominus, quia *gau-*
Luc. 15. 7. *dium erit in cælo super uno peccatore pænitentiam agente?* Sed majora crimina, inquit, ignosci non debent, fornicatio & idololatria. Et ubi est dictum dominicum, quo omnia peccata & blasphemias promittit
Matt. 12. 31. remitti hominibus? *Spiritus autem sancti blasphemia non remittetur hominibus?* Omnia penitus peccata dicit posse remitti, excepto uno. Nunc elige Novatiane, de quibus vis dictum; de adhuc non credentibus, aut de jam credentibus? Si de non credentibus, quomodo datur remissio peccatorum; cùm constet omnes antequam credant in Deum peccare & in Spiritum-sanctum? Nam nonnulli gesta dominica magicas artes appellant, opus sancti Spiritus dæmoniis adsignantes. Si autem de credentibus vis dictum, exclusa est assevera-
Ibidem. tio tua, quia omnia peccata remittentur : *& qui dixerit,* inquit, *verbum contra Filium hominis, remittetur ei.* Ergo sive in Deum, sive in Christum peccetur, remittetur hominibus. Omnia enim peccata complexus est, præter in Spiritum-sanctum. Itaque non hoc peccatum vult intelligi, quod peccatur in Deum, hoc esse & in Spiritum-sanctum : si enim hoc esset, non utique istud exciperet. Quoniam ergo aliud peccatum significat, cùm blasphematur in Spiritum-sanctum (ad personam enim pertinet hoc dictum, non ad naturam Spiritus-sancti,) sive jam credentibus per pænitentiam, sive futuris credentibus per baptismum omnia remittentur peccata. Quòd

a Ita MS. Colb. At editi post pænitentis, prosequuntur sic, Si lapsis pænitentibus, qui ante lapsum amici fuerant, non ignosceretur, quod dictum est Novatiani si esset verum, dolerent &c.

A autem in Spiritum-sanctum peccaverunt Judæi, alia caussa est, & quæ ad tempus illud pertinuit. Unde non illis hoc remitti, neque hîc, neque in futurum ostendit. Non enim errore peccaverunt in Spiritum-sanctum, sed malevolentiâ. Scientes enim prudentesque, opera quæ videbant in gestis Salvatoris Dei esse; ut populum à fide ejus averterent, hæc simulabant esse principis dæmoniorum. Hinc est unde dicit eis Dominus, *Vos habetis clavem scientiæ, & nec vos intra-* Luc. 11. 52.
tis, nec alios sinitis intrare. Hæc ergo sententia contra malevolos prolata est, quibus remedium inveniri non potest ut salventur. Nihil est enim hoc crimine gravius : fingit enim falsum esse, quod scit esse verum. Judæi enim qui sub Dei Lege esse videbantur, quibusque facta promissio Christi est, videntes magnalia, & intelligentes hoc esse quod promiserat Deus, invidiâ cæcati sunt ut hoc esse negarent, & non solùm negarent, sed & persequerentur usque ad
B mortem. Non ergo dignum est, istis peccatum hoc umquam debere remitti, qui conscientiâ suâ teste, Deo cui se devotos dicebant, ausi sunt repugnare. Ut autem in Deum vel in Christum peccetur, diversæ sunt caussæ. Aut enim aliquis dum felicitati alterius invidet, dolore humilitatis suæ insurgit in Creatorem : aut aliquid repentinum passus quod sit adversum, in iracundiam excitatus, in parentem injuriosus exsistit. [b] Christi autem incarnatio etiam ad injuriam provocat. Dum enim ignorant homines sacramentum incarnati Christi, blasphemant, indignum ducentes si Filius Dei, qui incorporalis & simplicis naturæ est, hominum more natus dicatur. Blasphemant ergo, quia ignorant mysterium. Quamobrem conversis his porrigenda est manus, quia sic contra verum exstitunt, dum pro vero se facere arbitrantur. Tortus hujusmodi & exungulatus hoc verum esse dicit quod [c] persequebatur. Suprà memorati autem Ju-
C dæi aliud senserunt, & aliud egerunt, qui sine judice & carnifice, conscientiâ suâ teste semper torquentur. Qui enim per errorem inimicus exstitit vero, cùm conversus fuerit, gaudet cognovisse se veritatem : malevolus autem non habet quod emendet; si enim converterit se, incipiet verum dicere quod priùs falsum esse nesciebat. Spiritui autem sancto ut fiat injuria, caussa nulla exstitit : officium enim ejus offensionem non parit, quia in virtute signorum & prodigiorum apparet. Quis enim [d] insibilare contra eum audeat, videns mortuos excitatos? Aut quis irascatur ei, cujus effectu videat currentes paralyticos, cæcos lumen accipere, surdos audire? Aut quomodo non amabit eum, quem videat spiritus immundos ejicere, leprosos mundare, & simul omnes infirmitates curare? Huic Judæi maluerunt injuriam facere, opus ejus dicentes opus esse dæmoniorum, dummodo invidiam atque odium [e] contra Salvatorem exer-
D centes explerent : idcirco neque hîc, neque in futurum, hoc peccatum remitti eis ostendit. Sed Novatianus, majora, inquit, crimina nominatim remitti probentur, id est, idololatria & fornicatio post lavacrum. Idcirco enim in baptismo ait, simul omnia remittuntur peccata, ut de cetero si quid grave commiserint, nullo modo veniam consequantur; quia post acceptum Spiritum-sanctum, quod contra Spiritum-sanctum est, admitti non debet. Quis neget peccari numquam debere, si esset possibile? Porrò autem sciens Deus fragile genus humanum, semper remediis salutaribus prosecutus est eos, ut post peccata haberent quomodo se repararent. Si autem Spiritus datus prohibet peccantibus dari pænitentiam, nulla providentia est in novo Testamento, & meliùs videbitur Veteribus provisum, quibus medicina ista minimè est denegata. Et quomodo major gratia est in novo quàm in veteri? Nam hoc inimici est, qui sciens
E hominibus aliter provideri non posse, ut perveniant ad salutem, quàm interventu pænitentiæ, Spiritum-sanctum det, cui si injuria facta fuerit metu aliquo, aut per aliquem errorem, jam satisfactio locum non habeat reformandi hominem : hoc est occasionem quæsisse perdendi homines, non salvandi. Sed absit, quia Dominus ait, Luc. 9. 56.
Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Nam si nobis peccata, quæ in nos peccamus invicem, si convertamur, septuagies septies remitti à nobis alterutrum præcepit Deus, quanto ma- Matt. 18. [illegible]
gis ipse, si in illum peccetur, ignoscit conversis? Omnem enim peccatorem converti vult. Unde Apostolus fornicariis & immundis remissum probat dicens, *Ne forte veniens lugeam multos ex his, qui* 2. Cor. 12. 21.
antè peccaverunt, & non egerunt pænitentiam super immunditia & fornicatione, quam gesserunt. Probat quosdam egisse pænitentiam, de quibus non dolet, sed gaudet : aliquos autem significat non
F egisse fornicationis suæ pænitentiam, propter quod & lugere se eos dicit, non pertinentes ad vitam, quia non egerunt pænitentiam. Si enim hujusmodi criminis in hac vita semper agenda pænitentia esset, non diceret lugere se eos, quia non egerunt, sed quia non agunt. Sciens autem hîc & incipi, & peragi pænitentiam, ait, quia *non egerunt.* Hoc enim volebat, ut veniens ad eos pacem haberet cum communione eorum. Ecce probatum est, fornicariis post actam pænitentiam communicandum esse. Non enim potest illis communicari quamdiu agunt : tunc autem communicandum est, cùm desinunt agere judicio Ecclesiæ. Nunc superest videre an specialiter idololatris posse remitti probemus. Legimus enim in Apocalypsi beati Johannis apostoli, pænitentiam super idololatria prædicari. Commonentur enim Episcopi, quos Angelos vocat, id est, nuntios, sicut & beatus Paulus apostolus ait, *Sicut Angelum Dei ex-* Gal. 4. 14.
G *cepistis me;* ut peccantibus dent pænitentiam, nec eos patiantur minimè commoneri, qui scandala faciunt in Ecclesia, cùm sint & ipsi de Ecclesia. Dicit ergo, *Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe. Hæc dicit,* Apoc. 2. 12.
qui habet gladium ex utraque parte acutum, Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ : & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam, in diebus, quibus Antipas testis meus fidelissimus occisus est apud vos, ubi satanas habitat : sed habeo adversùs te pauca, quia habes illic tenen- Num. 24. 14.
tes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum sub oculis & 25. 2.
filiorum Israël, manducare delibata, & fornicari : ita & tu habes tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter age pænitentiam. Hanc dicit esse doctrinam Nicolaïtarum quæ fuit & Balaam, id est, idololatriam & fornicationem, de qua jubet agi pænitentiam. Et quia hominibus Ecclesiæ loquitur, ostendit dicens, *Hæc dicit spiritus Ecclesiis.*

Quis

b MS. Colb. Christo autē incarnatio sua injuriam provocat.

c MS. Colb. sequitur.

d MS. Colb. insilire.

e MS. Colb. quod circa Salvatorem exercebant.

Quis autem fructus est pænitentiæ, ita significat, *Vincenti,* inquit, *dabo manducare manna, quod est absconditum;* ut per pænitentiam quasi vincat peccata. Quid est enim pænitere, nisi dolere præterita, & de cetero temperare ab his quæ admiserat? *Et Angelo Thiatyræ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos sicut flammam ignis, & pedes ejus similes æramento Tyrino, Scio opera tua & dilectionem & fidem & ministerium & patientiam & opera tua novissima meliora prioribus. Sed habeo adversùm te, quòd sinis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetam, & docet, & seducit servos meos fornicari, & manducare immolata idolis : & dedi ei tempus ad pænitendum, & noluit agere pænitentiam de fornicatione sua. Ecce mittam illam in lectum; & adulteros ejus cum illa in tribulationem magnam, nisi egerint pænitentiam factorum suorum, & natos ejus occidam morte : & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum qui scrutor renes & corda, & dabo unicuique vestrûm secundùm opera sua. Vobis autem dico, & ceteris qui Thiatyræ estis, qui hanc doctrinam non habetis, & ignoratis altitudinem satanæ, sicut dicunt, non mitto in vos aliud pondus : verùm tenete quod habetis donec veniam. Vincenti autem & servanti opera mea usque in finem, dabo ei potestatem super gentes.* Sub una Epistola data ad Ecclesiam Thiatyram duplicem Novatianæ hæresis confundit & explodit errorem : & pænitentibus enim idololatriæ caussâ fructum promittit, & in una Ecclesia malos non contaminare bonos ostendit, cùm unius utique essent communionis : nec enim extra Ecclesiam positis scribebat dicens, *Qui habet aures,* inquit, *audiat quid dicat Spiritus Ecclesiis.*
Rom. 3. 19. Simili etenim modo Apostolus Paulus, *Scimus enim,* inquit, *quia quæcumque Lex loquitur, his qui sub Lege sunt loquitur.* Et alio loco,
1. Cor. 5. 12. *Quid enim,* inquit, *mihi de his qui foris sunt judicare?* Unius ergo Ecclesiæ homines, partim ad pænitentiam provocat, partim collau-
Apoc. 2. 24. dat dicens, *Vobis autem dico, & ceteris qui Thiatyræ estis, quicumque non habetis doctrinam istam,* id est idololatriæ : *tenete quod habetis*
Matt. 10. 22. *donec veniam,* hoc est, perseverate usque ad finem, quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Similiter & qui perseveraverit in malo, damnabitur. Ac per hoc sicut justitia justi non liberabit eum, in die qua erraverit : sic & iniquitas injusti non nocebit ei, cùm converterit se. Ideo dixit, *Sacrificans diis eradicabitur : si*
Matt. 10. 33. *autem converterit se vitâ vivet.* Sicut est & illud quod ait Dominus,
Psal. 142. 2. *Qui me negaverit, negabo eum.* Si autem converterit se, non poterit negari ab eo, quem confitetur. Hinc est ut diceret in Psalmo, *Non justificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens.* Hæc enim sententia imputatur homini in qua moritur. Nam quia in Ecclesia mali cum bonis futuri essent usque ad judicium Dei, ipse Deus significa-
Matt. 13. 47. vit, dicens, *Simile est regnum cælorum reti misso in mare, quod ex omni genere piscium colligit. Cùm autem venissent ad littus, bonos segregaverunt in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, & segregabunt de regno Dei omnia scandala, & eos qui iniquitatem faciunt.* Hæc caussa significatur etiam
Matt. 22. 12. in illo, qui inter discumbentes inventus est non habens vestimentum nuptiale : quem solum projectum de cœtu ostendit Ecclesiæ, quia crimen indignitatis ejus non polluit ceteros : & quia hæc indignitas ejus designata est, eo quòd vestimentum non habuerit nuptiale, manifestus fuit ceteris. Videbant enim eum inter se aliud esse vesti-
2. Tim. 2. 20. tum. Hinc est unde Paulus Apostolus, *In magna autem,* inquit, *domo, non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.* Istud propter Hymeneum & Philetum posuit, qui cùm essent ex Ecclesia, perversè de resurrectione sentiebant; sicut aliqui de Corinthiorum Ecclesia resurrectionem negabant. Sed hanc domum magnam Novatianus mundum significat intelligendum, non Ecclesiam, ne in una Ecclesia malos cum bonis, mundos cum immundis cogatur adserere. Quod facilè puto convelli. In una enim domo omnes sub uno sunt nomine : quamvis enim moribus diversi sint, uno tamen domini sui nomine censentur in professione. Mundus autem hic diversæ professionis continet homines, ita ut dispares profiteantur se habere & deos & dominos. Vides ergo non hoc potuisse dici de mundo, sed de Ecclesia, in qua sub uno degentes nomine, diversi sunt actu. Quod quidem Novatianum non ignorasse adverto, sed quia abscessionis suæ justas querimonias non habebat, ne apertè erubesceret, argumenta quædam sibi conflavit per malam Legis interpretationem, quibus excusare niteretur & tegere livoris sui invidam voluntatem. Denique respondet ad hæc quæ diximus dicens, Nec ego renuo agendam pænitentiam admissæ idololatriæ, sed ego remittere non audeo; quia crimen hoc ab eo remittendum est, in quem admissum est. Hæc autem cum dolo respondet. Interpretationibus enim suis detegitur, quibus fraus ejus appa-
Matt. 10. 33. ret. Quando enim dicit, scriptum est, *Qui me negaverit, & ego negabo eum,* & mentiri non potest cujus verba sunt; pænitentiam quam agendam dicit, inanem & infructuosam ostendit. Si enim sententia data est, & non fallit qui dedit, quid excruciari compellis hominem lamentationibus & gemitibus, qui hujus rei effectum, aut denegas, aut scire te minimè profiteris? Omnis enim qui consilium alicui dat, ad hoc utique dat, ut quid ex eo proficere possit, prædicet. Sed quia tu Novatiane dolosè hoc profiteris, ad illudendas mentes hominum, agendam pænitentiam dicis. Sciens enim apertè hoc negari non posse, subtiliter facis, quia non voce sed [a] affectu pænitentiam amputas. Omnem certè qui idolis sacrificaverit, in Spiritum-sanctum dicis peccare, cui neque hîc, neque in futurum, peccatum hoc remitti per Legis verba contendis. Quomodo ergo hujus delicti agendam pænitentiam dicis, nisi quia fallis, sicut suprà ostendi? Sed soles alio dolo fraudem hanc velle contegere, dicens
Act. 8. 22. eodem sensu etiam Petrum apostolum dixisse Simoni, *Age pænitentiam ab hac malitia tua, si fortè remittatur tibi.* Sed contuens apostolus Petrus veterem & venenatam malitiam hominis & peramaram, idcirco dubium ei dedit responsum. Quis enim mortalium sic peccavit, ut donum Dei pecuniâ vellet mercari? Malevolentiæ ergo responsum istud datum est, non errori. Hæc est enim quæ remedium non habet, quia nec error est, nec per quam excusetur necessitas, ut possit per fletum ad veniam pervenire. Si in tali itaque caussa aliqui fuerint inventi, hoc audiant quod audivit & Simon.

a MS. Colb. effectu.

A Nam ideo dubiè respondit ei apostolus Petrus dicens, *In felle enim amaritudinis & in obligatione iniquitatis video te esse.* Si ergo in tam gravi caussa, & quæ sine remedio videatur, dubiè responsum est; ambiguum non est, eis qui errore aut necessitate aliqua in Deum peccant posse remitti, si congruam pænitentiam agant. Hoc enim concessum est juri ecclesiastico ab auctore, ut & pænitentiam det, & post pænitentiam recipiat. Et adhuc est aliquid quod reprehendit Novatianus, Cur, inquit, corpus Domini tradunt eis, quos noverunt peccatores? Quasi possint ipsi accusatores esse, qui sunt judices. Si autem accusati fuerint & manifestati, poterunt abjici. Johan. 12. 6.
Nam quis judex accusantis sumat personam? Nam si ipse Dominus Judam passus est, quem sciebat furem esse, & ea quæ mittebantur exportare, nec eum qui accusatus non est, abjecit : hoc exemplo uti oportet, ut eum abjicere non liceat, qui publicè detectus non
B fuerit. Nam nec justo viro competit aliquem accusare. Unde Matthæus, *Joseph cùm esset,* inquit, *homo justus, & nollet eam traducere,* Matt. 1. 19.
voluit eam occultè dimittere. Judas ergo cùm esset inter discipulos, contagione sua non eos maculavit, dissentientes utique à furtis ejus, & Eucharistiam inter eos accipiens non polluit innocentes. Nec Dominus ei quem latronem sciebat, corpus suum denegabat, quia secundùm Apostolum, *Qui indignè sumit, gladium sibi sumit.* Unde 1. Cor. 11. 27.
nec ab oculis ejus se avertit. Peccatores etenim eos polluunt, qui consentiunt malis eorum. Unde dictum est, *Videbas furem, &* Psal. 49. 18.
concurrebas cum eo. Hinc est unde Apostolus plebem Corinthiorum 1. Cor. 5. 1.
arguit, propterea quòd illum qui publicè uxorem patris habebat, non corriperent aut evitarent, ut se emendaret, dicens, *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Cùm enim non esset dux aliquis aut præpositus Ecclesiæ, plebis erat corripere eum, quem
C videbant tam turpiter & obscœnè inter eos conversari. Ac per hoc quasi consentientes eos crimini ejus Apostolus arguit. Nec enim in hac re accusatore opus erat, aut testibus; publicè enim novercam suam loco uxoris habebat. Itaque quantum ad caussam nostram pertinet exposuimus rationem, non alios criminantes, sed nos defendentes. Novatiani autem obtestor conscientiam, qui nos semper accusat, si sanctos scit esse omnes quos secum habet. In tantum autem irascitur nobis, ut & Christianos nos neget; cùm sciat nos ea fide initiatos, de qua ipse præsumit. Christianum certè professio facit & vita. Si ergo vides hominem ea profiteri quæ tu, & non dissimilem esse in vita, quare negas esse eum quod tu es? Certè qui di- 1. Cor. 12. 3.
cit Dominum Jesum, in Spiritu-sancto dicit; verum enim dicit. Omnis enim veritas de Deo est. Cur non assentis vera dicenti, sed negas? fatenti Deum contradicis non ratione, sed furore. Numquid non
D inimicus Dei vidêris, qui vera de eo profitenti resistis? Numquid paganus, audiens aliquem idola dicentem esse deos, negat paganum esse? Cur tu negas Christianum quem audis verba integræ fidei profitentem, cùm legas, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem?* Rom. 10. 10.
At tu ut inimicus, quod per iracundiam non vides, Deo repugnas negans hoc confitentem habere salutem, cùm Dominus dicat, *Quicumque* Luc. 12. 8.
me confessus fuerit, & ego eum. Numquid ait, si Novatianus me fuerit confessus? Sed tu hoc sic adstruis, ut tibi hoc defendere videaris, ut is salvetur qui non Christianus tantùm, sed qui fuerit & Novatianus. Sed si in Christum facta confessio dat salutem, ubicumque apud quoscumque integra fuerit hæc confessio, habet salutem. Itaque si confessionis hujus traditio corrupta est apud nos, aut sensus immutatus, rectè accusas. Si enim hæc manet in nobis, sicut & in te, nos negando & te negare vidêris. Sed fidei ministros accusas : fac verum esse,
E quamvis probare non possis, Qui tamen ab his audierunt, verum est quod audierunt, an falsum? Nec enim si vitiosus verum dixerit, non erit verum, quia à vitioso dictum est; cùm alia caussa sit conversationis, & alia professionis. Nonne persecutor odio Christiani nominis professionem persequitur, non conversationem? Primo in loco sciens hoc proficere religioni, cùm confitemur esse nos Christianos, sacrilegus confitentibus nobis credit quod non vult audire, quia odit. Tu autem cùm ejusdem professionis sis & signaculi, non credis confitentibus nobis quæ ipse confiteris. Si aliter nos renatos scires quàm tu renatus es, rectè non crederes hoc nos esse quod tu es. Ut quid à sacrilego persecutionem patior, si non hoc sum quod tu es? Nam si hoc de me profiterer quod tu de me dicis, persecutionem non paterer. Ac postremum mihi credendum
F est de me, non tibi. Meam enim professionem quærit judex, non tuam de me. Quid ergo me confitentem tu negas, cùm verum sit, in hac caussa non alienum testimonium, sed meam professionem requiri, aut pro me, aut contra me? [b] Nolebam pro nomine torquere te contra me, ut appareret si vera confitentem & tu negares contra me, aut cui crederetur. Dolo enim hoc proponis, ut justam caussam videaris habere schismatis. Nam non ignoras in hac re meam de me testificationem requiri, non alienam; & hoc verum haberi, quod ego fuero confessus, non quod alter negaverit. Manifestum est utique liberos esse eos, qui amore Christi non disquirentes hominum actus, ad fidem ejus consequendam concurrunt : hoc eorum probantes quod sibi utile norunt, id est, ut traditionem fidei, quæ de Christo est, consequantur. Nam qui præter mysterium aliquid aliud in hac re putat homini necessarium, traditioni
G facit injuriam; minus enim sentit de gratia Dei. Quando enim nisi meritum hominis affuerit, negat donum Dei proficere posse devoto sibi, aut potiorem, aut parem facit hominem ipsi traditioni, cùm longè sit meritum hominis ab hoc officio. Sicut de hac eadem re dicit apostolus Paulus, *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus* 1. Cor. 3. 6.
incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quomodo in hac re aliquid de homine sperandum est, cùm verba data sint quæ tradantur? Videamus itaque quid proderit, si boni meriti fuerit, aut quid oberit, si mali fuerit meriti. Accedens verba Dei audire desiderat, quibus fidem commodans, salutem se credit accipere. Quid facit in hac re, si bonæ aut malæ vitæ sit qui verba sollemnia tradit, cùm fides devota quæratur percipientis, ut ea quæ audit toto animo credat? Numquid si malæ vitæ sit qui tradit, impedimentum faciet percipienti,

b MS. Colb. volebam.... torqueri.

ut non credat quæ audit credenda, ut peccatum ejus intret in eor ejus ne credat: aut Deus, qui justus est, despicere habet devorum sibi propter peccatum ejus, quem ipse patitur esse in ordine? Nec homo sic judicat, quem constat falli frequenter, aut esse giatiosum. Si ita esset, & homo causſam suam ageret, nonne diceret Deo: Quis sit iſte cujus causſa me despicis, nescio. Ego ad eum tui causſa accessi, quia tuus dicebatur antiſtes: te quæsivi, te desideravi, tibi credidi, de homine nihil speravi: quare ergo mala ejus mihi obſint, quem nescirem nisi te quæsiſſem? Si bona ejus mihi possent proficere, justum viderer forte, ut & mala ejus obesſent mihi. Sed ſicut bona ejus ſi dubiè credidiſſem, nihil proderant mihi, ita & mala ejus nihil obesſe mihi debent bene credenti. Ego enim verbis ejus fidem dedi, quæ à te data dicuntur, quæque te inſpirant, te loquuntur, de te promittunt: huic de ſe nihil credidi, nec geſtis ejus; ſed fidei, quæ ex te eſt, me copulavi. Secundùm hæc integra eſt cauſſa credentis. Advocatorum enim more accipe antiſtites: numquid ſi malæ vitæ ſit advocatus, contra ſuſceptum ejus pronuntiabitur? Hoc eſt officium advocati, ut ſecundùm juris ordinem, ſuſcepti ſui cauſſam peroret: numquid poterit vita ejus, ſi turpis eſt, obeſſe cauſſæ ſuſcepti? Perſona enim advocati nec obeſſe, nec prodeſſe poterit: qualis enim fuerit cauſſa, ſic & reſpondebitur ei. Sic ſunt & qui volunt Chriſtiani fieri, accedunt ad antiſtitem, dicunt ei vota ſua: ille facit verba juris eccleſiaſtici. Si vera vota ſunt, ſuſcipiuntur à judice: in quo ille aut obeſſe poterit, aut prodeſſe? quippe cùm nec cauſſam ſuſcepti ſui norit. Deo enim judici ſoli cognitum eſt, quis, qua mente accedat. Antiſtitis ergo eſt, delegato ſibi fungi officio; ju dicis autem, aut ſuſcipere, aut renuere cauſſam

Matt. 9. 22. ſuſcepti. Ipſe enim invenitur dixiſſe, *Filia, fides tua te ſalvam fecit.* Vides itaque nullius adjutorio, ſed unumquemque fide ſua ſalvari. Hoc enim Deus decrevit fidei, ut ſi non dubitet, omne quod voluerit, conſequatur. Tu tamen non ut amicus, ſed quaſi inimicus Chriſti, populum ſub tuo nomine congregaſti, ut non ſim Chriſtianus niſi fuerint & Novatiani, cùm Apoſtolus condemnet, ſi quis docet ſe Paulianum, aut alterius alicujus: ſed tu poſtorem te judicans, ſuper Chriſti nomen tuum poſuiſti, quaſi ille non ſufficeret

1. *Cor.* 3. 4. ad tuendam Eccleſiam ſuam.

QUÆSTIO CIII. *Hæc deeſt in Mſſ. 2. gen. Levit.* 7. 1. *Jer.* 7. 21.

QUOMODO in Levitico Dominus ſacrificia & libamina offerenda præcepit, quæ alibi reſpuit: cùm conſtet in Levitico de ſacrificiis offerendis Dominum mandaſſe Patribus, ut offerrent libamina vel ſacrificia, ſive holocauſta. Denique ſic dicit per Jeremiam prophetam, *Hæc dicit Dominus, Holocauſta veſtra congregate cum ſacrificiis veſtris, & manducate carnes, quia non ſum locutus ad patres veſtros, neque mandavi illis quæ die eduxi illos de terra Ægypti.*

De holocauſtis & ſacrificiis, ſi penitus advertas, non eſt de hac re facere quæſtionem: nec mentitum Dominum aut immutatum putes, ut mandaret, & poſtea denegaret. De hujuſmodi enim ſacrificiis & libaminibus ſeu holocauſtis nihil invenitur mandaſſe, de

Duo genera ſacrificiorum. quibus nunc ſe locutum teſtatur. Duo etenim genera ſacrificiorum adverte, unum quod per ſingula genera offerri mandatum eſt, & aliud quod voluntarium dictum eſt. Illud ergo quod per diverſa genera, ſive pro peccatis, ſive pro primogenitis offerri præceptum eſt, quid & quale & quomodo offerendum eſſet, mandatum eſt. Sacrificium autem voluntarium non utique mandatum eſt, quia arbitrio remiſſum eſt, ut ſi aliquis voluiſſet offerre, quod illi viſum fuiſſet,

a *MS. Colb.* offerret: a voluntaria enim erant hæc ſacrificia. Et quia negligenter *votiva.* & improvidè hæc offerebant, non deliberantes, quia qui offerret potentiori, munera electa offerret: idcirco dicitur eis, *Non man-*

Gen. 4. 6. *davi vobis de his: ſed ſi vultis, debetis quæ digna ſunt offerre.* Sic etenim invenitur & Caïn peccaſſe, cùm non conſideret Deo hæc debere offerri, quæ potiora ſunt. Cùm enim ad propitiandum Deum hæc offerre ſe diceret, in eo ipſo provocabant Deum ad indignationem, ut in id quod diceret ſe bene facere, peccarent offerentes Deo ho-

Malac. 1. 8. locauſta indigna. Unde dicit in Malachia propheta, *Si adducatis ad victimam cæcum aut claudum aut ægrum, non eſt bonum. Offer autem ea duci aut præpoſito tuo, ſi ſuſcipiet te, dicit Dominus omnipo-*

Iſai. 1. 11. *tens.* Hinc eſt ut per Iſaiam de eadem re queratur Deus, dicens, *Quo mihi ovis holocauſti tui? Neque in ſacrificiis tuis honoraſti me. Non enim ad hoc te feci, ut laboraves in thure, aut ut mercaveris mihi argento inconſum, nec adipem ſacrificiorum tuorum concupivi: in peccatis autem tuis & iniquitatibus adſtitiſti mihi.* Manifeſtum eſt ita-

F que ortas eſſe querelas: quia cùm voluntaria ſacrificia offerrent, non in his Deum honorabant, offerentes indigna, cùm hæc utique non eſſent neceſſitatis. Si enim mandata fuiſſent, neceſſitate videbantur qualiacumque offerre: quando autem arbitrio ſuo hæc offerebant, talia debebant offerre, ex quibus obſequium in ſe Dei oſtenderent. Sed quia animus illorum cupiditate idolorum errabat, inconſideratè hæc agebant. Igitur duplici genere exprobrantur, quia & iniquè agentes, Deo audebant offerre; & quæ indigna erant, offerebant: cùm iniqui actus non ſacrificiis redimantur, ſed lamen-

Pſal. 50. 18. tatione & miſericordiâ. Unde dicit David cùm peccaſſet, *Si voluiſſes, ſacrificia dediſſem: utique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: & cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Denique dicit Samuël ad Saül, qui cùm contemniſſet

1. *Reg.* 15. 22. præceptum Domini, ſacrificio Deum putabat poſſe placari, *Non*

G *enim*, inquit, *vult Deus ſacrificium magis, quàm audiri vocem ſuam.*

Oſee. 6. 6. Et Scriptura dicit, *Miſericordiam volo plus quàm ſacrificium.* Judæi cùm injuſti eſſent, & immiſericordes, oblationibus propitium Deum fieri arbitrabantur: ſicut & nunc quidam ſpernentes juſtitiam, oblationibus laudari ſe putant. Bona eſt ergo oblatio, ſi ſervetur juſtitia, & non negligatur miſericordia; quia quod nobis petimus, & aliis præſtare debemus.

De Evangelio Lucæ.

QUÆSTIO CIV. *Hæc deeſt in Mſſ. 2. gen. Luc.* 22. 50.

SCIENS Dominus bellum Judæorum adversùs ſe futurum, dixit diſcipulis ſuis ut gladios ſibi pararent: quo facto, cùm cœptum eſſet bellum duce Juda Scariote, videns Petrus apoſtolus inſurgentes hoſtes, protulit gladium, & amputavit auriculam ſervi ſacerdotum.

A Tunc Dominus juſſit Petro, ut reconderet gladium in thecam ſuam. *Omnis enim*, inquit, *qui accipit gladium, gladio peribit.* Ut quid parari juſſit, qui prohibuit percutere, reum etiam mortis deſignans eum, qui percuſſerit gladio, cùm non utique injuſtè vindicatur Apoſtolus percuſſiſſe? Quantum enim pertinet ad Petrum, percuſſit eum quem contra ſe armatum videbat. Reſiſtere enim debuit ingratis ſervis, & ad Dominum necandum armatis. Si ſingula membra inſpicias cauſſæ, cujus vis patefieri rationem, invenies & alia quæ requiras his dictis. Quid enim opus erat, ut hic qui ſpiritali

B fretus erat virtute, gladios juberet parari carnales: & qui prius juſſit in via nec peram ferri, nec pecuniam, nec vitgam; nunc jubereret haberi, quæ priùs prohibuit? Incipiamus ergo cur gladios juſſerit parari, & occidi prohibuerit, explanare. Non ſolùm enim inimicorum, verùm etiam ipſorum diſcipulorum ſuorum cauſſâ, ad ſuperventurum bellum arma procurari præcepit. Nova enim & mirabilis res futura erat, ut is qui nova & inaudita ſigna faciebat, ſic ſubitò humiliaretur, ut & verberibus ſubjiceretur & morti. Ne ergo velut impræſcius hæc pati videretur, & à quo fortè virtus receſſiſſet, hæc omnia ſic prædixit, ut non dubitaret de his, ſed præſcius contra hæc ſe pararet: & quia voluntate humiliatus eſt, non reſiſtere actiùs inimicis juberet, in tantum ſeipſum eſſe fuerat oſtendens, ut jam detentus, aurem quæ abſciſſa fuerat reſtitueret; ut quod gladio operante deciderat, redderet; non quaſi carnalis utique medicus, ſed quaſi corporum conditor opus ſuum truncatum reſinxit. Nec enim poſſunt medici abſciſſa corporis membra reparare. Ut autem Dei virtus in illo non diminuta, ſed ita ut fuerat

Johan. 10. 18. ineſſe videretur, & illud firmaret quod dixerat, *Poteſtatem habeo*

C *ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam:* hæc ergo cauſſâ gladios parari, non tamen occidi juſſit. Nunc illud oſtendere ſupereſt, quare contuens factum apoſtoli Petri, eum qui

Matt. 26. 52. *Luc.* 22. 50. gladio uſus fuerit, gladio dixit perire, cùm non injuſtè percuſſiſſe videatur. Nam ſicut ſignificatur in Luca, ipſo Domino permittente percuſſit, & ſic prohibitus hæc audivit. Ideo etenim permiſſum eſt, ut & vindicare ſe poſſe videretur, ſed nolle; & ut virtus oſtenderetur in eo manere, in quo fuerat, ut in utroque vindicare ſe poſſe non ambigeretur: inimici verò pro certò haberent datam ſibi ab eo poteſtatem, ut hoc faceret. Non enim victus apparebat, ſed tradens ſe voluntati eorum. Quare ergo ſententia data eſt, ut qui gladium accipit, gladio pereat: niſi quod nulli licet, excepto judice, quemquam gladio occidere? Apoſtolo autem Petro utique ad hoc permiſſum eſt, ut dolorem faceret, non quod occideret. Ob hoc enim audivit, ne iterum percuteret. Didicit præterea, quia

D Chriſtianis jam factis occidere non licet. In miſericordia enim poſitis, lege juris mundo credidi uti non licet aſperè. Illud autem *Matt.* 10. 10. quod antè euntibus in via diſcipulis mandaſſe videtur, ut nihil tollerent in via, pacis eſt cauſſa, & gratia virtutum, & affabilitas doctrinæ. Quid enim opus erat tollere aliquid in via, quibus ſignorum cauſſâ omnia offerenda erant? At ubi tempus, quo ſe pati permiſit, advenit, propter quod rixa magis quàm bellum imminebat, armatos jubet eſſe diſcipulos: non ut repugnaret qui pati volebat, ſed, ut dixi, ut præſcium ſe hujus rei, & in poteſtate habere paſſionem ſuam oſtenderet; humiliaret autem ſe humanæ faluris cauſſâ, quod ſuo loco dicetur.

QUOMODO prophetia quadret cum Evangelio, de obſcuratione Solis & quibuſdam aliis. QUÆSTIO CV.

Cùm in primo adventu Domini prædictum ſit, quia contenebraretur Sol in paſſione ejus, eadem horâ qua factum probatur, id eſt, meridie. Sic enim ſcriptum eſt in Amos propheta, *Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & contenebreſcet ſuper terram die lucis.* Illo ergo die à textu hora contenebratus eſt Sol uſque ad horam nonam, & ita completa eſt prophetia ſupradicti Prophetæ. Imago hujus rei, quæ futura eſt in adventu Domini ſecundo, in paſſione Domini eſt oſtenſa; quia in fine, cùm cœperit Dominus advenire ut judicet mundum, ſolventur luminaria ab officio ſuo, dicente Domino, *In illis diebus Sol contenebrabitur, & Luna non dabit lumen ſuum.* Quod quidem & Johel propheta non prætermiſit, ut cùm à multis ſignificatur, ſine dubio impleri credatur. Ita enim dixit, *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, priuſquam veniat dies Domini magnus & manifeſtus.* Hoc quantum apparet, ſecundo adventui magis congruit: tunc enim omnibus apertè manifeſtabitur, ſic dicente Scriptura, *Tunc videbit illum omnis oculus, & plangent ſe ſuper illum omnes tribus terræ, & qui illum crucifixerunt.* Itaque ſi in utroque adventu hoc contingetur, quia Sol contenebrabitur illis diebus, qui dies ille eſt, quo ampliari ſolem & lunam eccinit Scriptura? Ait enim inter cetera Iſaias dicens, *Eritque ſuper omnem montem excelſum, & in omni loco excelſo aqua perambulans in die illa, cùm perierint multi, & cùm ceciderint turres: & erit lumen luna, ut lumen ſolis, & lux ſolis erit ſeptios tantùm in die, cùm ſanabit contritionem populi ſui &* cetera. Qui dies poteſt intelligi, quo promiſit ſe Dominus ſanare contritionem populi ſui? Hunc opinor eſſe diem, quem pater Johannis Zacharias oſtendit dicens, *Benedictus Dominus Iſraël, quia viſitavit & fecit redemtionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui, Sicut locutus eſt per eos ſanctorum Prophetarum ſuorum, qui à ſæculo ſunt. Et liberabit nos de inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos, Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris.* Et Simeon inter cetera. *Hic poſitus eſt*, inquit, *in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël.* Hæc ruina eſt Scribarum & Phariſæorum & principum Judæorum, quos propheta ſignificavit per turres. His ergo per incredulitatem ruentibus, alij ſurrexerunt credendo qui priùs videbantur infirmi, & ægri per negligentiam. Unde Salvator *in judicio*, ait, *ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci ſiant:* ut qui per Legis culturam & peritiam lumina videntur, per incredulitatem cæcarentur: cæci verò, id eſt, imperiti vel publicani viderent, dum crederent. Quorum infirmitates propheta Salvatorem portaturum prædixit. Itaque hoc tempore Salvatoris factum eſt, ſicut legitur in Evangelio, *quia ipſe*

Hæc deeſt in Mſſ. 2. gen. Luc. 21. 25. *& 23.* 45. *Amos* 8. 9.

Matt. 24. 29.

Joheli 2. 31.

Apoc. 1. 7.

Iſa. 30. 25.

Luc. 1. 68.

Johan. 9. 39.

Iſa. 53. 11.

infirmitates noſtras accepit, & vulnera noſtra curavit. Quæ quidem omnia in paſſione Salvatoris conſummata & adimpleta ſunt: ſic enim ſalus humani generis, tam apud ſuperos quàm apud inferos & redemta eſt & ſumata, quia prophetia Zachariæ ſupradicti utrumque comprehendit. Et hîc enim apud ſuperos liberati ſunt à contritione inimicorum, interventu miſericordiæ; & illic apud inferos, cùm erepti ſunt de tartaro. Cuncti enim qui ſperaverunt in promiſſum Chriſtum, exſpectabant adventum ejus, ut devicta morte liberaren-

Luc. 1. 78. sur de inferno. Unde dixit, *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris.* Si quis autem ſalutem hanc & in ſecundo adventu contineri intelligat; in utroque tamen adventu, maximè in ſecundo, *Sol convertetur in tenebras, & luna non dabit fulgorem ſuum:* quomodo ergo augeri ſolem & lunam die, quo viſitabit Dominus populum ſuum, advertemus, quando utroque in tempore, quo cœpta liberatio populi & adimpleta eſt, ſolem & lunam non minui, ſed contenebrari legamus? niſi planè ſolem & lunam ſanctis comparatos intelligamus; ſicut in alio loco legimus ſanctos luminaribus exæquatos, Paulo apoſtolo prædicante, quia inter hos homines ſancti in hoc mundo velut luminaria videantur. Et in Evange-

Matt. 13. 43. lio, *Tunc juſti*, inquit, *fulgebunt ſicut ſol.* Dominus enim opera

Matt. 5. 16. juſta lumen appellat. Sic enim ait, *Luceat lumen veſtrum coram hominibus, ut videntes opera veſtra bona, magnificent Patrem veſtrum, qui eſt in cælis.* Hi ergo, qui omnibus ſuis relictis, Dominum ſequuntur, juſtitiæ & ſanctitatis cauſſâ ſoli & lunæ comparantur

Luc. 18. 29. ſepties honorati, ſicut dicit Dominus, *Nemo eſt qui reliquat domum, aut uxorem, aut filios, aut agros, qui non recipiat ſepties tantum in hoc ſæculo.* Qui ergo ad præſens ſepties honorantur, poteſt intelligi, quia etiam in futuro ſeptem partibus clariores ceteris futuri credantur, ut reſurrectio eorum ſoli comparetur ac lunæ, ceterorum verò ſicut ſtellæ ſint. Claritas ergo ſanctorum, quæ hîc ſepties honoratur, in reſurrectione aliud ſepties conſequitur, ut qui hîc claritatem lunæ habet, in futuro ſolis accipiat claritatem; & qui hîc ſoli comparatur, ſepties tantum futurus credatur accipere. Propheta ergo Iſaias ſolis & lunæ comparatione ſanctorum merita augeri prædixit, nec immeritò. Si enim ipſe Dominus ſol juſtitiæ dictus eſt, ſancti autem ſimiles ei erunt, Johanne apoſtolo dicente,

1. *Johan.* 3. 2. *Cùm enim apparuerit*, inquit, *ſimiles ei erimus*: convenienter ſanctos in ſole eſſe ſignificatos, ſeptem tamen partibus majorem ſolem quàm lunam Propheta ſupradictus oſtendit. Quando enim lunam ſicut lumen ſolis futuram oſtendit, ſolem autem ſeptem tantum;

a Sic MSS. & edit. Rat. Aliæ verò editiones: *Quomodo intelligitur hoc quod habentur in Geneſi, præcipuè de opere ſex dierum.*

ad modum utique ſolis ſepties lunam augeri ſignificat, ut talis ſit tunc luna, qualis nunc eſt ſol: quamvis ſanctorum ratio hîc vertatur, ſub hac tamen cauſſa luminarium ex parte prodidit quantitatem, ut poſt crementum ſolis ac lunæ tantum iterum major ſit, quantum erat ſol; & quantum in præſenti diſtat ſanctus à ſancto, tantum diſtet in futuro poſt remunerationem.

a *De Libro Geneſis.*

QUÆSTIO CVI. *Gen.* 1. 1. *Hæc queſt. deeſt in Mſſ. 2. generis.*

IN principio fecit Deus cælum & terram? Si cœlum in principio fecit, & terram, cœlum autem firmamentum eſt, ſicut in ſubjectis apparet; non eſt verum, quia prior lux facta eſt, & ſic firmamentum: aliud enim cœlum ſignificare non poterat, quia facturam mundi deſcribit Deo operante perfectam. Propterea enim quod diverſis opinionibus homines fallebantur in cauſſa mundi, Moyſes Deo ſe inſpirante oſtendit quæ eſſet ratio mundi. Quibuſdam enim videbatur initium non habere: aliis initium quidem habere, ſed ab Angelis quibuſdam fabricatus eſſe: nonnullis verò factus ſimiliter, ſed à b Sacla quodam, qui eſt & Deus poteſtatis adverſæ. Pauci autem de origine, veritatis traducem ſequentes, Deum opificem ejus aſſerebant. Horum ergo cauſſâ qui diverſitatis falſa opinione trahebantur, coactus eſt Moyſes quæ eſſet cauſſa hujus vera oſtendere; ne filij Iſraël crepti de poteſtate Ægyptiorum, à falſa tamen intelligentia eorum liberati non eſſent. Ipſi enim inter ceteros magis erroris ſtudium ſequebantur: hi enim antiquitus præ ceteris vanæ philoſophiæ operam dabant. Denique Moyſes per id, quod à ſilia Pharaonis adoptatus videbatur, cruditus eſt omni ſapientiâ Ægyptiorum. Quid eſt ergo quod dicit, *In principio fecit Deus cælum & terram?* Si enim firmamentum ſignificat ſecundùm quod ſuprà oſtendimus, videamus quid dicat. Arbitramur, quia Moyſes ut omnem errorem inferioris creaturæ auferret, & impenſarum facti mundi, in principio ſubſtantias ipias, ex quibus mundus conſtat, factas eſſe ſignificavit: quia ſi hoc tacuiſſet, æternæ forè putarentur eſſe ſubſtantiæ Deo jugabiles æſtimatæ: ut qui hujus rei teſtimonium recipit, ambigere non poſſit factum eſſe mundum, quando ſubſtantias, quæ ad impenſas mundi profecerunt, initio ſubjectas fateatur. Igitur *in principio fecit Deus cælum & terram*, id eſt ſupernam & infernam ſubſtantiam. Superna eſt, qua conſtat cælum; inferna autem concretio eſt quædam fœculenta, quæ profecit in aridam quæ dicitur terra, & tenebras. Unde dicit in Iſaia

Iſa. 45. 7. propheta, *Ego Deus, qui feci lucem, & creavi tenebras.* His ergo creatis, fecit ſimul ſubſtantiam; hoc eſt, aquam, tenebras, & terram ante tempora: tempora enim ſub firmamento ſunt. Firmamentum enim, ſicut quibuſdam videtur, glacies eſt aquarum. Et ideo firmamentum dicitur, quia concretis divinitus aquis firmatum eſt, quod ab occulendo vel celando appellatum eſt cælum. Itaque propterea quod aqua majus ſit elementum, prior eſt ſignificata, quia pars ejus proficit in cameram mundi. Terra autem pavimentum: quæ quidem & David à Spiritu-ſancto creata fatetur.

Pſal. 148. 4. Ait enim, *Et aqua quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. Quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt.* Poſt hæc ergo elementa, ante compaginationem mundi, fecit Deus lucem, ut opera ejus in lucem procederent, quæ lux modo diſpoſito, curſum diei explevit. Facta eſt nox juxta diei modum, quæ ſimiliter impleto modo ſpatij, illuminata eſt adventu luminis matutini: & ſic impletus eſt primus dies, cùm cœpit ſecundus; nox enim diei deputata eſt, ut ſimul dicantur unus dies: propterea enim, quòd ſubjectæ ſunt tenebræ lumini, auctoritate carent, nec poſſunt

b *Am. Er. & Lov.* à Spiritu. *Rat.* à Secla. *aliquot Mſſ.* à Sacla *uti etiam ſuprà in q.* 3.

A numerum facere. Triginta etenim dies una luna appellantur, cùm ſecum habeant noctes. Itaque lucis miniſterium, quo ſpatium conſumit ſibi decretum, dies nuncupatur. Tenebrarum autem ſubſtantia antequam illuminetur, nox appellatur. Spatium autem illud, quod inter occaſum & ortum eſt; nox eſt. Non enim tenebræ facunt noctem, ſicut & lux diem; quia tenebræ manent in ſua natura. Lucis autem acceſſus facit diem, & diſceſſus noctem. Non immeritò ergo ſubjecta eſt nox dici. Luce ergo facta, & curſu duodecim horarum impleto, totidemque & noctis ſpatio peracto, æquinoctium fuit in primo die: & exinde cœpit dies increſcere ſuper noctem tribus ſcilicet menſibus, qui ſunt tempus Veris. Ex eo deinde augmento ſuo minuitur dies aliis menſibus tribus, qui ſunt tempus æſtatis. Et iterum fit æquinoctium, ita ut ex eo nox increſcat ſupra diem aliis menſibus tribus, qui ſunt tempus autumni.

B Et incipit iterum nox de magnitudine ſua, qua ſupergreditur diem, minorari uſque ad finem quarti temporis, quod eſt hyems. Et fit æquinoctium primi temporis, quando Deus mundum creavit; qui *Quo die creaverit Deus mundum.* dies intelligitur eſſe undecimus Kalendas Aprilis, quando primus dies Paſchæ eſt, id eſt primus dies primi menſis. In Lege enim mandatum eſt, ut decima die primi menſis veſpere præparaverent ſe ad Paſcha faciendum quarta-decima menſis die, id eſt, ab undecimo. *Levit.* 23. 5. Jam enim veſper decimi dici in undecimum lucet, ut ab undecimo Kalendas Aprilis initium eſſet primi menſis. In principio etenim facta luna fuit quarta-decima, quia omnia plena ſunt facta: adde triduum à decimo veſpere, & hi ſunt tres dies ante luminaria qui fuerunt, ut undecimo Kalendas Aprilis factus ſit mundus; quia numerus lunæ ab undecimo venit ad quartum-decimum, cui Paſchæ primus menſis integer eſt adtributus, ut in Paſcha die ſolC lemni neque extra undecimum Kalend. Aprilis ſit, neque extra lunam quartam-decimam; quia undecimâ mundus factus eſt, quartâ-decimâ autem lunâ majori lumine clarior factus eſt. Inter principium ergo & claritatem, qua illuminatus eſt mundus, Salvator noſter & reſurrexit; quia quartâ-decimâ lunâ paſſus eſt, & primo die reſurrexit, qui ideo Dominicus dicitur, quia ipſum Dominus fecit, qui multiplicatos menſes fecit, & tempora, & annos. Ut autem uno atque eodem modo minimè celebretur, curſus facit lunæ in decrementis & crementis. *Terra autem erat in-* *Gen.* 1. 2. *viſibilis & incompoſita.* Manifeſtum eſt, quia terra, poſtquam facta eſt, inviſibilis erat & incompoſita: regebatur enim aquis, ideo erat inviſibilis: incompoſita autem ideo, quia cùm eſſet fluxa, non *Ibidem.* erat apta ad culturam. *Et tenebræ erant ſuper abyſſum.* Tenebras dicit fuiſſe ſuper abyſſum, id eſt, ſuper immenſam ex omni parte D aquam. *Et ſpiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquam.* Hanc aquam quaſi ſummitatem ſignificat, ſuper quam ſpiritus Dei quia ſuperferebatur, oſtendit, ut tenebras ſuper infinitam profunditatem fuiſſe ſignificet. Spiritum autem Dei ſuper aquas, quia ubi ſpiritus Dei erat, obſcuritas non erat; quantum enim poterat, illuminabat aquam. Abyſſum autem, id eſt immenſam profunditatem illuminare non poterat: hoc eſt, ſuperiores aquas illuminabat, & ſubter erant tenebræ, & ſuper abyſſum. Idcirco autem hunc Dei ſpiritum dicit, non quia ſanctum hunc intelligi vult Spiritum, ſed eum ſuper creaturam hylicam ſpiritaliter vult intelligi; totum autem Dei eſſe ſignificans, Dei hunc, qui ſuper aquas ferebatur, ſpiritum vocat, ut pravam aſſeverationem convellat, qua quidam utuntur, dicentes aliquid eſſe quod non ſit Dei. Nam nec ordinis, nec rationis eſt, ut ſuper aquas Spiritus-ſanctus fuiſſe dicatur, quia ſuper omnem creaturam eſt. Quod enim de Deo eſt, ſuper omnes poteſtates & principatus & ſimiliter ſuper omnes potentias ſpirituales eſt. Non moveat autem mentem aliejus, quia Dei ſpiritus dicitur, cùm conſtat omnia Dei eſſe. Ait enim Deus inter cetera facturus diluvium, *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia ſunt caro.* Et *Gen.* 6. 3. in Ezechiele inter alia, *Hæc dicit Dominus oſſibus iſtis, Extendam* *Ezech.* 37. 5. *ſuper vos cutem, & dabo ſpiritum meum in vos, & vivetis.* Numquid hæc ad officium Spiritus-ſancti pertinent, & non ad animam? Spiritus ergo hic Dei eſt quidem, ſicut cetera, hyſticarum tamen moderator eſt ſubſtantiarum: ipſius enim ordo eſt his præeſſe. Luce ergo facta, & curſu dici moderato, & peracto ſecundo die, fecit firmamentum, id eſt, cælum, ut lux in terra firmamenti moderaretur diem, ut eſſet quaſi lucerna in domo. Hoc inquam firmamentum factum eſt ex ſupradicta aquæ ſubſtantia. Nunc enim compaginatur in ſpecie mundus, ut de confuſione rerum diſceretis ſubſtantiis, ſingulæ partes aptarentur, quæ ad membra mundi proficerent. Subſtantiæ enim quas primùm factas eſſe diximus, impenſæ ſunt mundi. Et ideo mundus dicitur, quia res ab invicem ſeparatæ quæ erant confuſæ, & in ſpecium productæ, mundum fecerunt vocari, cujus in fabricam profecerint. Firmamentum ergo, id eſt, cælum factum eſt in medio aquarum, ut divideret inter aquam quæ erat ſupra firmamentum, & inter aquam quæ erat ſub firmamento; ut Dei virtute in medio aquarum conſiſteret firmamentum, ſub ſe, & intra ſe, & ſi vera & circa ſe habens aquam: ut eſſet ſub ſe, & intra ſe, & foris & intra munitum, ne aquæ ſive interiores ſive exteriores penetrarent concavum ejus, ut eſſet quaſi domus munita atque firmata, ut ſecuri eſſent habitantes in ea. Tertio die juſſit congregari aquam quæ erat ſub cælo, hoc eſt, intra capacitatem firmamenti, in congregationem unam, ut appareret arida, quæ eſt terra, & factum eſt ſic. Exhauſta enim latitudine terræ factum eſt velut alveum, in quo demergererur omnis aqua, quæ erat intra firmamentum, & apparuit arida. Recedente enim aquâ, neceſſe erat appareret terra facta viſibilis, quæ priùs erat inviſibilis. Tunc arida appellata eſt terra, & congregationes aquarum maria. Et juſſit producere terram herbam pabuli, & ligna fructifera ad ſemen ſuper terram. Quarto item die juſſit Deus fieri luminaria in firmamento cœli, ut lucent ſuper terram; luminare majus, in inchoatione diei; & luminare minus, in incohationem noctis, & ſtellas. Hæc ad conceptum & nativitatem & ad nutrimenta pertinent eorum, quæ gignuntur in mundo, & ad ſigna temporum certis curriculis neceſſaria, necnon & ad ornatum totius mundi. Sicut enim ad ornamentum

unum solum de Melchisedech carpsisset, sed reliquos etiã falsitem verbo tetigisset.

Abrahæ dicitur propter solum officium sacerdotij; sed & naturâ anteponitur illi, ut ultra homines intelligatur. Nullo enim modo fieri potest, ut qui tanto amico Dei præponitur, & fideli usque adeo ut amore & timore ejus nec filium suum carissimum dubitaret occidere, homo putetur. Qua enim justitiâ, quibus operibus plus posset mereri, quàm meruit Abraham? Nec enim erat plus quod faceret

1. Reg. 1. 17.

ad commendationem meritorum, quàm fecit Abraham. Primùm enim cùm nesciret Deum, nec signum vidisset, quo ei suaderetur;

Gen. 12. 1.

dicenti sibi Deo, *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, nec distulit, sed statim obedivit, non solùm præsentis Dei, sed & futuri Domini implens voluntatem. Dicit enim Dominus,

Matt. 10. 37.

Quicumque plus fecerit domum, aut parentes, aut fratres, aut cognatos quàm me, non est me dignus. Qualis ergo Abraham, & cujus

Hebr. 13. 2. Gen. 18. 3.

meriti est, qui antè mandata Salvatoris implevit quàm prædicarentur? Apostolus hospitalitatem sectandam magnopere docet: hanc Abraham sic & tam devotè excoluit, ut videatur ab hoc didicisse Apostolus hanc prædicandam. Deinde provectus annis, sic multiplicari credidit semen suum, quod prudentibus mundi stultum videtur, quemadmodum sunt stellæ cæli, ut antequam sententia decerneretur prudentibus sæculi, ab hoc damnati videantur. Postea enim

Abdiæ 1. 8. Isa. 29. 14. 1. Cor. 1. 19. Gen. 17. 17.

dictum est, *Perdam prudentiam prudentum.* Jussu Dei circumciditur, quod non utique sine dolore fit: & non ægrè fert, ut posteris formam daret patientiæ. Ex Sara illi uxore sua jam anicula filius promittitur, & non dubitat: ut futuris ostenderet intantum Dei auctoritati credendum, ut etiamsi quæ irrationabilia videntur, præcipiat aut promittat, non ambigatur: quia magis persona ejus respicienda est quàm verba, ut quod in verbis infirmum aut impossibile videtur, persona ejus confirmet, & faciat videri possibile. Deus est enim qui promittit, de quo credendum est, quia potest quod hominibus impossibile videtur. Quæ enim offensio potest judicari, cùm plus de Deo opinatur, quàm de se sentit humanitas? Propter quod datum

Gen. 22. 3.

sibi à Deo Abraham filium eodem jubente occidere illum non ambigit, nec tempus differt; nec admiratur ad Dei voluntatem, ut filium, quem magnopere beneficij & admirationis dederat gratia, hunc juberet occidi: certus Dei voluntatem non debere ab homine retractari, neque jussionem aut factum Dei sine providentia esse. Quod ut omni devotione festinanter impleret, matri ejus conjugi suæ non indicat, non ignarus fragiliores esse circa filios feminas, & posse huic devotioni lacrymarum miseratione impedimentum afferre: nec non & ipsum puerum latet usque ad horam necis, ut jussioni Dei toto mentis obsequio obediret; non parricidium hoc deputans, sed holocaustum, quod justo judice auctore fiebat. Quæ ergo his majora posset gerere Melchisedech, quibus præcederet Abraham, quem sicut vi-

Exod. 33. 11. Exod. 4. 1.

demus, in nullo constat inobedientem fuisse? Moyses etenim, cui legitur facie ad faciem Dominus esse locutus, missus ad gentem & ad

Jonæ 1. 1.

fratres suos, ire nolebat. Jonas propheta præceptum sibi ut Ninivitis prædicaret irrupit, ut ad alium locum pergeret, quò missus non fuerat. Job planè egregius in omnibus, tamen motus amissione fi-

Job. 1. 20.

liorum, vestimenta scidit sua, & totondit comam capitis sui: Abraham autem nec contristatus legitur de morte carissimi filij, & quem jussus fuerat ipse occidere, nec alicubi Deo sibi jubente legitur trepidasse. Igitur per hæc apparet Melchisedech ultra hominem esse, quia non erat unde melior esset quàm Abraham, nisi sola præcedat illum natura. Natura enim impassibilis, beatitudinem per substantiam habet: humana autem [a] nativitas beatitudinem adquirit per gesta. Quia enim perfectionem divinitatis non habet, per exercitium & colluctationem proficit ut melior fiat, cùm plus vincit quàm vincitur. Si enim sic ageret, quod impossibile est, ut numquam peccaret, melior Deo fieret, Quod absit, * quia natura quæ potest peccare, sicut & non peccare, si semper vinceret, illi naturæ præponenda erat, quæ ideo non peccat, quia impassibilis est. Non enim magnum videretur non peccare, quia non potest: magnificum autem, si cùm posset peccare, non peccaret. Hoc ergo interest inter substantiam Dei & hominis, quia Dei substantia beata semper est securitate invincibilis æternitatis suæ: hominis autem substantialiter beata fit per laborem. Et alia necesse est beatitudo sit impassibilis, alia illius qui tribulationibus conficitur, ut possit aliquando gaudere. Beatitudo enim impassibilis in eo est semper ut beata sit: passibilis autem post magna exitia gaudet evasisse mortem. Contristatur ergo ut possit gaudere, nec perpetuò securus passibilitate naturæ. Impassibilis autem, semper beatus est; quia neque novit tristitiam, neque suspicatur posse se contristari. Nam & natura hominum, quamvis per laborem beatitudinem consequitur, non erit tamen intacta, neque deerunt ei cicatrices. Quomodo enim fieri potest, ut sæpe congressa & aliquoties victa, non sit vulnerata? Impassibilis autem semper intacta, illæsa, inviolabilis manet. Igitur non minimus diceretur Abraham ad Melchisedech, nisi potior esset naturâ Melchisedech quàm Abraham. Nam hæc quæ diximus, ingenij esse fortè videntur. Si au-

Gen. 14. 18. Hebr. 7. 1.

tem Legem respiciamus, plurima adhuc & potiora dicentur. *Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde regum, qui & benedixit eum, primùm quidem interpretatur rex justitiæ, deinde rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, & sine genealogia, neque initium dierum, nec finem vitæ habens: similatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum.* Et ut hæc locis quibus significaverat, commendaret, de eo adjecit, *Videtis*, ait, *quantus sit hic, cui decimas dedit Abraham de primitivis princeps patrum.* Ut enim qua potentiâ & quantâ Melchisedech sit ostendat, laudat Abraham dicens, quia *princeps patrum est*, hoc est, ceteris omnibus melior Abraham, sed minimus ad Melchisedech. Nonne manifestum est hunc hominem non esse, sed meliorem? Quid est enim quod dicit de eo, quia rex pacis est, & rex justitiæ? Propiùs accedite, & videte. De longè enim solem videntes lucernam putatis, & argentum adspicientes, æstimatis stannum. Potest aliquis hominum dici rex pacis atque justitiæ? Pax enim hominibus prædicatur, similiter & justitia: hic autem ideo rex pacis & justitiæ dicitur, ut ab eo justitia & pax originem habere noscatur. Non enim super ipsum esse dici potest, quod ab ipso regitur. Nam homines justitiâ magistrâ

a Sic MSS. & Rat. Aliæ verò edit. necessitas.
* Reliqua in editione Rat. & in Ms. Colbertino desunt.

A & pace erudiuntur ad Deum promerendum. Hæc ergo quæ hominum magistra est, Melchisedech habet regem. Quantum ergo melior est homine Melchisedech, quando gubernatrix hominum sub ipso est, hoc est, regem esse regum. Itaque cùm rex justitiæ & pacis dicitur, auctor eorum esse significatur: ut quomodo Dominus Jesus auctor vitæ est, ita & Melchisedech auctor justitiæ sit & pacis: quia qui per Christum vivunt, hi dispensante justitiâ & pace reguntur. Cordibus enim servorum Dei justitiam infundit & pacem, ad exornandam disciplinam Dominicam. Scriptum legimus in Psalmo octogesimo-quarto, quia *justitia & pax complexæ sunt se, & veritas de terra orta est.* Psal. 84. 11.

Et ut de qua justitia diceret, ostenderet, ait, quia *justitia de cælo prospexit.* Hoc de tempore Salvatoris Scriptura ostendit, quo justitia Dei data est mundo per Christum, in cognitione mysterij Dei unius quod antè promiserat. Justum est enim scire creaturam B veritatem Creatoris sui: quæ justitia manifestata in terris, sublatâ discordiâ quæ de injustitia fuerat generata incogniti Dei, pacificos fecit discordes, dum diversos dudum in una fide constituit. Sic se complexæ sunt justitia & pax & veritas unius. De terra orta est magistra justitia. Incarnatio enim Christi ostendit, quæ esset de ipso Deo veritas cognoscenda. Igitur hæc certè justitia Dei est. Similiter & pax, dicente Apostolo, *Ipse autem Deus pacis conterat satan.* Rom. 16. 20.

Quomodo hoc possit discernere, non adverto, ut cùm Deus pacis, pater sit Domini nostri Jesu Christi, necnon & ipse Christus; dicit enim, *Pacem meam do vobis:* de Melchisedech dicatur, quia rex Iohan. 14. 27.

justitiæ & pacis est; qua ratione secernatur, non intelligo. Puto enim nihil differre, quantum ad rem pertinet, regem pacis à Deo pacis. Quia enim in mundo quisquam Deus dici non debuit, ut uni soli ex quo sunt omnia, reservaretur hoc tantum nomen, regem qui C imaginem ejus haberet instituit, qui excepto Dei nomine omnem potestatem ejus haberet: sed quia terrenus est, hominum rex est, non tamen pacis & justitiæ. Quia etiam ipse ducem habet justitiam, quam non illi licet contemnere. Justitia enim Deus illi est. Res enim Dei est justitia, & qui prævaricatur eam, reus fit Dei judicio. Melchisedech autem sicut datur intelligi, non more hominum rex appellatur: quia sub se habet justitiam, quæ regibus dominatur. Nemo etenim potest habere sub se justitiam, nisi ejus naturæ sit ut peccare non possit. Sub ipso autem esse ideo dicitur, quia ab eo inventa est modo legis, per quam gubernentur qui possunt peccare. Igitur rex justitiæ moderator est verborum à se inventorum, quibus bene beatéque & vivi possit & credi. Diu multúmque laboramus, & adhuc minus de Melchisedech dicimus, nisi revertamur ad Scripturam, quæ & ipsa diu pulsat & clamitat, ut pressos gravi somno exci- D tet ad intellectum, non noctis, sed dici. Dicit ergo, quia *sine patre, sine matre, sine genealogia est Melchisedech.* Et ne aliter intelligeretur quàm dignum est, adjecit, *Nec initium dierum, nec finem vitæ habens.* Per quod ostendit neque natum, neque mortuum esse Melchisedech. Quid ad hæc tam manifesta humana argumentatur subtilitas? Quæ est tam versuta ingenij calliditas, quæ audet resistere manifestis, ut non sensum capiat ex lectione, sed sensum tribuat lectioni? Vis inferre Scripturis Dominicis, ita ut etiam hos inimicos sentiat, qui auctoritati ejus se inclinare videntur. Dicunt enim quidam non ita de Melchisedech debere credi, ut relatum est Scripturis, ac per hoc ad sensum suum Scripturas convertunt. Quibus melius esset apertè non recipere Scripturas, quàm dolosè agere contra illas, ut sub nomine pacis paretur bellum, & sub tegmine amicitiæ lateat hostis. Dicunt ergo non ad generositatem pertinere Melchisedech, sed ad E humilitatem generis ejusdem, quia sine patre & matre legitur fuisse. Hoc enim ideo aiunt sic scriptum esse, ut ostenderetur ex alienigenis fuisse, non ex tribu qua ortus est Abraham, quia genus ejus non invenitur in Lege. Unde & adjecit, inquiunt, *& sine genealogia*, ut intelligeretur penitus origo ejus in Lege descripta non esse, ut ex parentibus qualibuscumque per seipsum vir bonus factus credatur. Porrò autem jam tanta est Scriptura, ut omnia per ordinem digesta caussæ necessaria ponat. Primùm enim dicit *sine patre, sine matre.* Videamus si ceterorum matres significantur in Lege, quæ fuerit uxor Nachor avia Abrahæ, mater Thare, non legitur quæ fuerit mater Abrahæ, ut de ceteris taceam. Numquid hi sine matribus fuisse dicendi sunt? Si dixisset sine patre, sine fuerat color, quia omnium qui fuerunt, patres habentur in Lege. Addit, *& sine genealogia.* Si ideo hæc dixit, ut ostenderet generationem ejus in Lege non esse, suffecerat dixisse, F *sine patre*: quia illius patrem nemo novit. Multo magis iterum ad manifestationem dicit, *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Dic quisquis es violentus, quomodo istud interpretaris? Quid est initium dierum non habere, neque finem vitæ? Suffecerat certè dixisse, generationem ejus in Lege scriptam non esse, ac per hoc origo ejus ex allophylis est credenda. Potest dici translatum hunc sicut Enoch, ideo non mortuum esse. Esto. Quid est initium dierum vitæ non habere? Fortè dicas, quia dies natalis ejus scriptus non est. Cujus enim scriptus est in Lege? & hæc ratio est, ut cujus natalis dies scriptus non est, initium dierum vitæ negetur habere. Potuit ergo & de ceteris idem dici. Et si ut homo translatus fuisset, non tamen sine vitæ erat fine; quia quidquid sub spe mortis est, finem habet. Desine quisquis contentioni studes. Expedit enim veris vinci, quàm vincere vera per falsa. Perdere est enim, non vincere: quia si in ho- G mine perdere videretur veritas, apud Deum tamen vincit, quia ratio ejus invincibilis est. Itaque animus à Lege vinci debet, ut hoc sentiat quod à Lege significatur, non ut ipse Legi sensum det suo arbitrio, ut Legem se violenter Legi exhibeat. Et audi Zorobabel, quia *super omnia*, ait, *vincit veritas.* Jam Melchisedech futurum myste- 3. Esdr. 3. 12.

rium incarnationis & passionis Domini ostendit, dum Abrahæ primùm, quasi patri fidelium tradidit Eucharistiam & corporis & sanguinis Domini, ut præfiguraretur in patre, quæ in filiis futura erat veritas. Qui si homo putatur & sacerdos, eo more quo fuit Aaron, aut nunc sunt ostendatur aut legatur locus habitationis ejus, aut si fuit templum aliquod aut synagoga in qua congregabat populum, & offerebat eorum sacrificia, vel qui populus conveniebat ad illum. Si enim sacerdos in terris erat, sine dubio habuit populum, & ante

Abraham utique, vel tempore ejus erat populus qui serviret Deo. Et quomodo Abraham quasi caput factus est fidei, ut ex eo populus haberet notitiam Dei? Similiter enim si Melchisedech erat, qui doceret unius Dei timorem in terris, frustrà electus est Abraham, ut ex eo plebs Dei nuncuparetur. Poterant enim inter eos esse, qui conveniebant ad Melchisedech. Et ubi est illud quod legitur in can-

Deut. 32. 8.

tico Deuteronomij, quia *cùm divideret*, inquit, *Altissimus gentes, quemadmodum separavit filios Adæ, statuit fines gentium, secundùm numerum Angelorum Dei. Et facta est pars Domini populus ejus Jacob.* Igitur si in mundo plebs non erat Dei, exceptis filiis Abrahæ, qua ratione alia plebs putatur fuisse, quæ ex doctrina descenderat Melchisedech, negante Propheta? Quando enim nominat omnes gentes, quæ in mundo sunt, & non dicit populum Dei esse, nisi filios Abrahæ; quid superest nisi ut exceptis his negetur ceteros Dei habuisse noti-

Psal. 75. 1.

tiam, quia *notus in Judæa Deus?* Melchisedech autem sacerdos Dei B summi, ad benedicendum Abraham apparuit ad præsagium futurorum sanctorum. Quia benedictio danda erat in futurum plebi Dei per antistitem ferè Dei, quem dicimus sacerdotem. Hic ergo Melchisedech præcursor apparuit sacrati futuri Filij Dei, quia præcedit ad obsequium qui ordine sequens. Non ergo admiranda sunt quæ diximus de Melchisedech, quando Scriptura ad confusionem obstrepentium plus addat & dicat. Post omnia enim laude digna, ut confundat malevolos ait, *Similatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum.* Jam vide, de quo malè sentire contendis, & si hunc non vereris, vel Christum metue, cui similis Scripturæ auctoritate refertur. Per ordinem enim paulatim ad naturale ejus meritum venit, ut si quos dicta superiora moverent, quibus rex justitiæ & pacis significatus est, & quia in carne visus neque patrem neque matrem habuit, hoc est C ingenitus apparuit, neque ortum, neque occasum habens; ex iis quæ ultima subjecit, superiora credibilia demonstraret. Quis enim audeat dicere nisi vesanus, hæc omnia quæ sublimia dicta sunt, incongrua esse illi, qui Dei Filio similis designatus est, manens sacerdos in perpetuum? Similis autem Dei Filio non potest esse, nisi sit ejusdem naturæ. Et quid incredibile videtur, si Melchisedech ut homo apparuit, cùm intelligatur tertia esse persona? Si enim Christus qui secunda persona est, frequenter visus est in habitu hominis, quid

Ps. 109. 4.

ambigitur de iis quæ dicta sunt? Legimus etenim in Psalmo, quia *Tu es*, inquit, *sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Hoc nemo nostrûm dubitat ad Christi pertinere personam, quia eodem genere sacerdos est Christus in æternum, quo & Melchisedech. Sed summus sacerdos Christus est, Melchisedech secundus. Nam si homo est Melchisedech, quomodo convenit ut secundùm ordinem D ejus Christus sacerdos sit in æternum? Jam ambo similes esse leguntur, & unius esse dispensationis, quia unius sunt & naturæ. Quoniam autem omni modo unius Dei auctoritas conservanda est, idcirco & tertia persona subjicitur paterno nomini. Christus autem vicarius Patris est & antistes, ac per hoc dicitur & sacerdos. Similiter & Spiritus-sanctus quasi antistes, sacerdos appellatus est excelsi Dei, non summus, sicut nostri in oblatione præsumunt. Quia quamvis unius sit substantiæ Christus & Spiritus-sanctus, uniuscujusque tamen ordo observandus est. Sacerdotes igitur vel legati ideo dicuntur, quia illum in se ostendunt cujus legati sunt: sunt etenim ejus imago. Ac per hoc Christus & Spiritus-sanctus naturaliter habentes Dei imaginem, sacerdotes ejus dicuntur. In ipsis videtur Deus, sicut di-

Johan. 14. 9.

cit Dominus, *Qui me videt, videt & Patrem.* Et si in gestis Dei visus est Dominus, gesta autem Spiritus-sancti sunt opera, signifi- E

Matt. 12. 28.

cante Domino, *Quia ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia*; & in Spiritu-sancto visus est Deus,

De Psalmo primo.

QUÆSTIO CX.
Deest in MSS. 2. generis.
Psal. 1. 1.

BEATUS vir qui in via peccatorum non stetit. Si autem steterit, non jam beatus, sed reus dignus plagis. Ad emendationem enim aliquam videtur habere spem, quia non impius, sed peccator est. Si autem unus fuerit qui *non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*, duplici genere beatus est. Nec enim potest esse beatus, si in consilium peccatorum non eat, & in via peccatorum stet: quia si non perditioni, pœnæ tamen obnoxius est. Dehinc adjecit, *& in cathedra pestilentiæ non sedit.* Hanc dicit beatitudinem esse, quæ his tribus gradibus constat, & triplici ratione munitur, id est, F ut neque in consilium impiorum eatur, neque in via peccatorum stetur, neque in cathedra pestilentiæ sedeatur. Sed cùm duo genera tantùm habeantur impiorum & peccatorum, in comprehensione eorum quæ suprà memorata sunt, hoc tertium cui generi adscribi voluit, quod adjecit, dicens, *& in cathedra pestilentiæ non sedit*; impiorumne, an peccatorum? Sed videamus quid sit in cathedra pestilentiæ sedere, & tunc cui generi hoc adscribat intelligemus. Hanc dicimus cathedram pestilentiæ, quæ extra Dei ordinationem est, ad hoc utique inventa, ut iniqua inde exeant judicia: propterea pestilentiæ cathedra dicta est, quia est corruptio quæ parit mortem, sicut & iniquitas damnationem. Non est ergo à Deo quæ est cathedra mortis. Nam Moyses accepit cathedram vitæ. Ad hoc enim data est, ut auctoritas in ea sit justi judicis vel creatoris Dei. Unde dicit Do-

Matt. 23. 2. Rom. 13. 1. Act. 23. 3.

minus, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Et G Apostolus, Non est, inquit, potestas nisi à Deo: quæ enim sunt à Deo ordinatæ sunt. Unde dicit ad principem plebis, Tu quidem sedes judicans secundùm Legem, & contra Legem jubes me percuti. Quod dixit, secundùm Legem, justam & salutarem cathedræ auctoritatem significavit. Illud autem quod ait, contra Legem jubes me percuti, illum ipsum injustum judicem ostendit, ut in Dei cathedra

Dan. 4. 14.

sedens judicaret injustè. Hinc est unde & Daniel, Dei est, ait, regnum, & cui vult dabit illud. Sicut enim terreni Imperatoris auctoritas sic currit per omnes, ut in omnibus ejus sit reverentia; ita Deus instituit, ut ab ipso rege Dei auctoritas incipiat, & currat per cunctos: quamvis frequenter mundus hoc non intelligat, & aliis se subjiciat in potestate positis quàm debet, tamen institutio est, ut unus sit, qui timeatur. Ubi ergo hæc institutio [a] non est, ibi cathedra pestilentiæ reperitur. Nusquam unius Dei auctoritas abnuitur,

a MS. Colb. institutio est, non ibi.

A nisi apud eos, qui multorum deorum prædicant metum, & reverentiam. Hi ergo sunt qui in cathedra pestilentiæ sedent, quia quod pontifices eorum prædicant, mors est. Hoc enim debent, ut cultores unius Dei quasi stulti & inimici, aut opprobrio sint, aut de hac vita tollantur. Hæc ipsa materia impietatis est, quæ etiam in ceteras partes extenditur, per quas impietatis suæ leges ostendat. Nam jussu Jezabel antistites iniquitatis in cathedra pestilentiæ sederunt, qui 3. Reg. 21. 11.

adversùs innocentem Naboth, cùm judices non essent, prava meditantes, subordinatis falsis testibus, mortis tulerunt sententiam. Unde & in alio Psalmo dicit, Et cum impiis non sedebo. Hoc enim judi- Psal. 25. 5.

cium ejus est, cujus & cathedra pestilentiæ. Itaque si in Dei cathedra sedentes, innocentes opprimant, injustum erit judicium, non cathedra. Ubi enim cathedra pestilentiæ est, non potest judicium non esse iniquum: quamvis quædam sibi applicent veluti velamina, qui- B bus impietatem contegant, ut videntes fallantur. Non potest enim sola impietas proponi, quia non invenit emtorem: & ubi lex diaboli est, si ipse nominetur, horretur. Sed sicut mel veneno admiscetur per quod lateat, ita & legi diaboli quædam justa admiscent, & nomen applicant veritatis: sed uniuscujusque sensus est judicandus, quia ideo aliquando aliquid verum ostendit, ut fallat, ut cùm maligna prædicat, bona putentur. Quoniam cathedram pestilentiæ non esse de Dei ordinatione asseveravimus, etiam eorum qui extra Ecclesiam vel contra Ecclesiam sedes sibi instituerunt, cathedram pestilentiæ dicimus. Qui enim in concessa præsumit, reus est; quanto magis si & corrumpat traditionem ejus, cujus sedem usurpat. Nam & ordinem ab Apostolo Petro cœptum, & usque ad hoc tempus per traducem succedentium episcoporum servatum perturbant, ordinem C sibi sine origine vindicantes, hoc est, corpus sine capite profitentes, unde congruit etiam eorum sedem cathedram pestilentiæ appellare. Nec enim ideo impune erit, quia sub Dei nomine hoc agunt. Constat enim suas illos caussas sub Dei nomine agere. Non enim zelo Dei hoc agunt, sed sibi locum volentes defendere: cùm sciamus Chore & ducentos quinquaginta viros per præsumtionem Deo offerentes, Num. 16. 31. 35.

hiatu terræ absorptos esse, & Oziam regem cùm Deo illicitè obtulisset leprâ in fronte percussum. 4. Reg. 15. 5. 2. Paral. 26. 21.

Quoniam claruit cathedram pestilentiæ ad impietatem supradictam pertinere, reliqua prosequamur. Adjecit enim, *Sed in Lege Domini fuit voluntas ejus.* Psal. 1. 2.

Ejus voluntatem in Lege Domini dicit esse, qui spretis impiis, & desertis peccatoribus abnuens pestilentiæ cathedram, voluntatem suam in Dei Lege statuit. Quamobrem beatum hunc dixit. Et sequitur, *& in Lege ejus meditabitur die & nocte.* Manifestum est, quia liber ab omnibus ille- D cebris, & immunis ab iis quæ Dei Legi adversa sunt, nihil aliud quàm in Dei Lege exercitium facit, sacramentis Filij Dei confirmatus, in die bonis operibus insistit, & nocte orationibus. Hic est enim, de quo dicit in Canticis Canticorum, quia dormit, & cor ejus vigi- Cant. 5. 2.

lat. Unde ait, *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est juxta decursus aquarum.* Psal. 1. 3.

Quis ambigit eum qui in Lege Dei meditatur, spem habere ad præmium capiendum? Quia sicut lignum juxta aquam plantatum sterile esse non potest, ita & qui frequenti usu Legi Dei studet, non potest ejus operis minimè habere effectum. Et adjecit, *quod fructum suum dabit in tempore suo.* Omnis plantatio bene gubernata fructum dat tempore competenti; sic & hic, qui legi Dei obtemperat, fructum habebit tempore præfinito. Tunc enim hujus devotionis mercedem accipiet, cùm cœperit Dominus Jesus Christus sedere ad judicandum vivos & mortuos. De hinc sub- E jecit, *Et folium ejus non defluet.* Manifestum est in arbore cujus folia non decidunt, vitam significasse. Humore enim decurrentis aquæ vegetatum lignum, folia continet sua. Nam & Dominus Jesus, Si Luc. 23. 31.

in humido, ait, ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? In ligno humido vitam significavit & fructum. Sicut lignum ergo auxilio decurrentis aquæ siccitatem non sentit, ita & hic qui Legi Dei studet, accedente tentatione, præsidio Dei tutus non amittit, sed adquirit salutem, dicente Apostolo, Quia per multas tribulationes Act. 14. 21.

oportet nos intrare in regnum Dei. Et sequitur, *Et omnia quæcumque fecerit, prosperabuntur.* Psal. 1. 3.

Apertum est quod dicit, quia qui Legi Dei fidem servat cupidus mandatorum ejus, felix fit in omnibus suis factis: sicut & Joseph, qui propterea quòd timorem Dei præsenti vitæ præposuit, omnia quæ agebat prospera faciebat Deus in manibus ejus. Et subjecit, *Non sic impij, non sic.* Iteratio sermonis, non ali- v. 4.

F ter omnino futurum significat quæ promittit, quia impiis nihil prosperum erit in futuro, sed omnia adversa usque ad interitum eorum. unde ait, *Sed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Eodem modo dicit impios interire, sicut pulverem, quem spiritus projicit à facie terræ ut pereat. Sublatus enim à substantia sua, per aërem dispersus paulatim deperit: ita & impij, ministris Angelis projecti à facie auctoris Dei, sine quo non potest vivi, interibunt. Et sequitur, *Ideo non resurgent impij in judicio.* Dignum est quod di- v. 5.

cit. Ut quid enim in judicio resurgant, qui nullum negotium Dei credi sibi maluerunt cujus redderent rationem? Spernentes enim Dei Legem & negantes, non est unde præstent rationem, ut in judicio interrogati juxta Legem sibi creditam præstent caussas. Arrogantes ergo & rebelles in Deum inventi, ad hoc resurgunt, ut videant verum esse quod credere noluerunt, ut pereant, quia Deum G mendacem judicaverunt. Et adjecit, *neque peccatores in consilio justorum.* In hoc Psalmo, Psalmista trium hominum genera significat, impiorum, peccatorum, & justorum, quo ordine cœptus est error. Sed impij ab his alieni sunt, quia sub Dei decreto, sicut dixi, vivere noluerunt. Peccatores autem sub Dei Lege agentes ante tribunal Christi sistendi sunt, segregati à justis, ut acceptæ Legis præstent rationem [b] mandatorum, in quibus operam non dederunt, ut plus haberent laudis, quàm vituperationis. Justi verò valdè propensiores in exercitio implendæ Legis inventi, remunerandi sunt. Et subjecit, *Quoniam scit Dominus viam justorum.* Hos scire dicitur Deus, qui v. 6.

memores præceptorum ejus bonis operibus insistunt, ut justi habiti coronentur. His autem qui inmemores ejus circa curam animæ negligentes sunt, sic dicet, Recedite à me, nescio vos operarij ini- Luc. 13. 27.

quitatis. Et sequitur, *Et iter impiorum peribit.* Unde Psalmus cœptus Psal. 1. 6.

b MS. Colb. ratione emendandi.

eſt, & terminatus, ut cauſsâ impiorum tractatâ, nulli alij quàm
perditioni docerentur obnoxij. Sicut enim dixi, idcirco dicitur Deus
ſcire viam juſtorum, quia in Lege ejus ambulant : iter autem im-
Prov. 4. 19. piorum, quia extra Legem Dei eſt, peribit : quia omnes viæ im-
piorum tenebroſæ, ſicut dicit Salomon, piorum autem clariſſimæ
duce Chriſto Domino noſtro.

De Pſalmo viceſimo-tertio.

QUÆSTIO CXI. Deeſt in Mſſ. 2. generis.

TITULUS Pſalmi rationem ejus inſinuat. De Chriſti enim
Domini noſtri ſacramento locuturus, Dominicum diem ſignavit, di-
cens, *Huic David prima ſabbati.* Cùm enim dicitur, *Huic David,*
ad eum pertinet, cujus hic David habet imaginem, de quo dicit
Ezech. 37. 24. Propheta, Et puer meus David paſcet illos. Prima autem ſabbati,
prima feria eſt. Poſt ſabbatum enim primus dies Dominicus eſt,
Matt. 28. 1. affirmante Evangelio & dicente, Prima autem ſabbati venit Maria
Magdalene & altera Maria ad ſepulcrum, &c. In Dominico autem
die, Salvatoris ſacramentum ſignificavit. Sed ut per rationem or-
dinis Pſalmus exponeretur, à perſona Dei Patris initium fecit, ut di-
vinitatis ſacramentum non ſine ordine manifeſtaretur hominibus.
Qui enim cauſſam aliquam inſinuare vult, niſi ejus caput & origi-
nem teneat, non poterit proprietatem ejus oſtendere, neque quæ
Pſal. 23. 1. ſit ejus veritas edocere. Itaque ſic orſus eſt Propheta, & ait, *Domini
eſt terra & plenitudo ejus.* Fidem rerum tenuit dicens, *Domini eſt terra
& plenitudo ejus.* Auctoritatem enim veterum ſanctorum ſecutus eſt,
qui terram & ea quæ ſunt in ea ad Dominum Deum pertinere dixe-
runt. Et adjecit, *orbis terrarum & omnes qui habitant in eo.* Ne fortè
minùs aliquid ſignificaſſe putaretur, quia dixerat, *Domini eſt terra &
plenitudo ejus*, ſenſum ſuum aperuit dicens, *orbis terrarum & uni-
verſi qui habitant in eo :* ut doceret omnem omnino terram Domini
eſſe, & quæ ſunt in ea, ut nihil eſſet exceptum quod non ſit Dei.
Sicut putant quidam hæretici, qui ſecundùm dictum apoſtoli Pe-
2. Pet. 2. 10. tri dominium Deo abnegant, quorum ad condemnationem cuncta
Pſal. 23. 2. Dei eſſe, prophetica oracula docuerunt. Et ſequitur, *Ipſe ſuper ma-
ria fundavit eam*, hoc eſt, quod in alio Pſalmo ſignificavit dicens,
Pſal. 135. 6. Terram ſuper aquas tu formaſti : ut fidem teſtimonium ſequeretur,
oſtendit quomodo fecerit. Dum enim confuſio eſſet rerum, &
neque terra, neque aqua propriam haberet ſpeciem, juſſu Dei adunata
eſt terra, & firmata ſuper aquas, ut & terra & aqua haberent origi-
nis ſuæ proprietatem. Unde in regnorum libro vox eſt Dei dicentis,
Pſal. 23. 2. Nonne aquas ego feci ? Et ſubjecit, *& ſuper flumina præparavit
illam.* Sic ſuper flumina præparata eſt, dum intra ſe aquas condi-
tas habet, quæ quaſi per venarum fiſtulas fluitantes præſtant ei den-
ſitatem, ne penitus ſicca fragilis eſſet, & inutilis ad culturam. Radi-
cibus enim naſcentium vitalem præſtant effectum, ſimulque locis
aridis ſiti auxilio ſunt. Et ut profeſſionem ſine bona vita non valde
v. 3. proficere oſtenderet, ait, *Quis adſcendet in montem Domini, aut quis
ſtabit in loco ſancto ejus ?* Proponit qualis debeat eſſe, qui Deum
creatorem profitetur : ne quia puniendos oſtendit, qui, ſicut dixi,
dominium Deo abnegant, ij qui confitentur immunes ſe à pœna
ſcirent non eſſe, ſi rectè minimè verſarentur. Montem ergo Domini
Pſal. 120. 1. dicens, cælum ſignificavit. Unde in alio Pſalmo dicit, Levavi oculos
meos ad montes, unde veniet auxilium mihi. Locus Domini eſt ubi
Joſue 5. 16. apparet. Dicitur autem ad Jeſum Nave, cùm Dominus ei apparuiſſet,
Gen. 28. 17. Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt. Et Jacob ubi Deum vidit, Hæc
Pſal. 23. 4. eſt, ait, domus Dei. Et ſequitur, *Innocens manibus & mundo corde.*
Hunc dicit dignum adſcendere in montem Domini, id eſt, in cælum,
aut ſtare in loco ſancto ejus, ſi quis fuerit innocens operibus, &
mundum cor habeat in cauſſa Dei, id eſt, fidei. Hujuſmodi enim
poteſt in cælum adſcendere, & ſtare in loco ſancto ejus. Defunctus
enim hac vitâ adſcendit in cælum. Deinde dum civitas Jeruſalem in
adventu Domini deſcendit de cælo, dignus erit ſtare ubi judicaturus
eſt Dominus de vivis & mortuis quaſi innocens : impij autem &
peccatores indigni erunt ſtare in loco ſancto judicij Dei, quia re-
ſurgent impij ad perditionem, peccatores ad pœnam. Nam ſi vul-
Exod. 34. 29. tum Moyſi glorificatum deſcendentis de monte filij Iſraël peccati
cauſsâ videre non poterant, quanto magis ipſum gloriæ Dominum
in throno majeſtatis ſuæ ſedentem, conſcientia delictis obnoxia for-
Matt. 7. 27. midabit adſpicere ? Audient enim, Non novi vos operarij iniquita-
Pſal. 23. 4. tis. Et adjecit, *Qui non accepit in vano animam ſuam.* Nunc ipſa
genera peccatorum tangit. Primo enim in loco, hic eſt innocens,
& mundum cor habet, qui à fornicatione idololatriæ immunis eſt.
Ipſa eſt enim vanitas, cui qui ſe inclinat, animam ſuam ſubjugat
corruptioni. Et ſequitur, *Nec juravit proximo ſuo in dolum.* Duas
cauſſas memoravit, quæ ſunt principales, Dei & proximi, quia qui
in his idoneus fuerit, ſine dubio & in ceteris probatus habebitur, di-
Matt. 22. 37. cente Domino, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &
» ex omni virtute tua. Hoc eſt primum mandatum. Et ſecundum eſt ſimi-
» le illi, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus manda-
» tis tota Lex pendet & Prophetæ. Quis ergo ex toto corde Deum dili-
gens Legem ejus non ſervet ? Aut quis habens proximi caritatem,
peccatis ſtudeat ? quippe cùm cauſsâ timoris Dei diligat proximum.
Pſal. 23. 5. Et ſubjecit, *Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam
à Deo ſalutari ſuo.* Nunc quod meritum eſt ejus, qui in cauſſa Dei
& hominis, creatoris & proximi, fidem habuerit & dilectionem,
oſtendit : quia & benedicetur à Domino, ut commendatus appareat,
& in his miſericordiam conſequetur quæ implere non potuit. Nec
enim tam circumſpectus poteſt aliquis eſſe, ut nuſquam erret, ſed
quia in magnis ſollicitus & fidelis inventus eſt, & in minimis miſe-
ricordiam accipiat à Deo ſuo. Qui ideo ſalutaris dicitur, quia non
Ezech. 18. 32. vult morientis mortem, ſed ut convertatur & vivat. Et ſequitur,
Pſal. 23. 6. *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.*
Unam dixit eſſe generationem requirentium Deum, & quærentium
faciem Dei Jacob, quod non eſt otioſum. Quamvis enim utrumque
bonum ſit, duos tamen gradus his dictis ſignificavit. Bonum eſt
requirere Deum, plenum eſt autem bonum quærere faciem Dei
Jacob. Digniores enim ſunt, qui ante faciem judicis ſunt. Horum
ergo meritorum hæc eſt generatio : quia ut ad hoc veniatur, inno-

A centia facit & puritas cordis : ſicut iterum ut ad malum poſſit ve-
niri, præcurrit injuſtitia atque iniquitas. Quia duæ generationes
ſunt : una eſt ex parte iniquitatis, quæ eſt mater Caïn ; altera ex
parte juſtitiæ, quæ eſt mater Abel : hæc in fide conſiſtit & bona
converſatione ; illa in perfidia & obliquis operibus. Iſtæ ſunt duæ
leges, boni & mali, Dei & diaboli ; & quam ſecutus quiſque fuerit,
ejus appellabitur filius. Ac per hoc requirentium Deum generatio
hæc eſt, fides in Deum, & dilectio in proximum, ſicut ſuprà diximus.
Qui enim fidem habet in Deum, ſemper ejus quærit auxilium, nec
hominibus injuſtum ſe præbet, qui Deum vult habere propitium.
Cujus ſignum hoc eſt cùm dicitur, Deus Jacob, quia notus in Judæa Pſal. 75. 2.
Deus. Sed quare ejus faciem quærere dicuntur, cùm audierit Moy-
ſes, quia, Non, inquit, videbitur tibi facies mea ? Si ergo & Moyſes Exod. 33. 20.
faciem Dei quæſivit, & videre non potuit ; fruſtra hi quærere di-
B cuntur, quia meliores Moyſe non ſunt. Sed nemo fruſtra faciem Dei
quærere dicendus eſt ; quia ideo faciem Dei dicuntur quærere, ut
ſciatur, quem quærunt quia digni ſunt & videre. Omnis enim qui
quæritur, tunc cognoſcitur ſi facies ejus videatur. Sed quoniam à mor-
talibus facies Dei videri non poteſt, ſignificatio hæc pro facie eſt, cùm
dicitur, Deus Jacob. *Diapſalma.* Diapſalma hoc in loco perſonæ Pſal. 23. 7. apud LXX.
ſignificat mutationem. Poſt enim illa quæ ad Patris Dei perſonam
pertinent, ſubjungit ea quæ ad Filij Dei pertinent ſacramentum, ut
ordo integer conſervetur Patris & Filij. Nam data eſt Lex per Moy-
ſen, ut quaſi pædagogus eſſet hominibus, erudiens & præparans eos
magiſtrâ juſtitiâ, ut digni fierent ad * expiandum annum Domini & *f. exſpectandum.*
diem retributionis ; ut qui ſub ſpe futuri Chriſti fideles fuiſſent, ſuſ-
ciperent eum, & poſſent Adæ peccatum effugere, de ſuis ſecuri, quia
adventus ejus quem ſperaverunt, daturus eſſet illis miſericordiam de
C iis in quibus ſubreptum eſt illis ut delinquerent. Hoc eſt quod ſu-
periùs memoravit, dicens, *Accipiet miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* v. 5.
Dicit ergo, *Tollite portas principes veſtras.* Hæc vox ſanctorum eſt v. 7.
Angelorum, de quibus dicit in Evangelio, quia acceſſerunt, inquit, Matt. 4. 11.
Angeli & miniſtrabant ei. Hi ergo dicunt ad principes & poteſtates, Epheſ. 6. 12.
adversùs quos nobis colluctationem dicit eſſe Apoſtolus, ut tollant
portas principis ſui, id eſt diaboli qui eſt princeps principum in
errore conſtitutorum, per quas itur in gehennam. Hæ portæ perfidia
eſt & fallacia idololatriæ. Et ſequitur, *Et elevamini portæ æternales.* Pſal. 23. 7.
Fides & ſpes cum caritate portæ ſunt æternales, quia non poteſt
aboleri quod per veritatem prædicatur. Illæ autem portæ, quas dixi
perfidiam eſſe & fallaciam idolorum, temporales ſunt, quia omne
mendacium non permanet. Manifeſtata enim veritate interibit.
Docentur ergo ut tollant portas principis ſui tenebrarum, id eſt,
D ut amoto multorum deorum errore, unius Dei fides introducatur in
Chriſto. Hoc eſt quod ſe Apoſtolus edocere miſſum teſtatur, ut non Epheſ. 3. 9.
ſolùm oſtendat hominibus, ſed principibus & poteſtatibus in cæleſti-
bus myſterium Dei unius in Chriſto. Et ſubjecit, *Et introibit rex* Pſal. 23. 7.
gloriæ. Tollendas dicit fallaces portas diaboli ſubtilitate compoſi-
tas, quæ ſunt præſumtio, per quam Deum ſe exiſtimavit, ut introeat
rex gloriæ, qui eſt Chriſtus Jeſus Dominus noſter. Nullius enim
mentem Dei fides ingreditur, niſi tulerit à ſe errorem diaboli præ-
varicatione inventum. Et principes ſuprà memorati non poſſunt in
unius Dei fidem Chriſtum regem recipere, niſi projecerint à ſe tra-
ditionem, per quam uni Deo importatur calumnia : non ſolùm ter-
rena, ſed & ea quæ in cæleſtibus uſurpata eſt à principe principum
ſatana : quia illic errorem quem inter ſe conſpiraverunt, ut aucto-
re diabolo deos ſe dicerent, etiam hîc in terra diſpoſuerunt, ut hic
E error illius imago ſit. Et ſequitur, *Quis eſt iſte rex gloriæ ?* Ne ſu- v. 8.
pervacuè fortè Chriſtum regem gloriæ dicere putaretur, interro-
gantis ponit perſonam & dicentis, *Quis eſt iſte rex gloriæ ?* Quaſi
admiretur aut doceri ſe velit, an verum eſt & condignum dicere
Chriſtum regem gloriæ. Et ideo reſponderunt ei, *Dominus fortis &
potens, Dominus potens in prælio*, ut hoc ſubjecto non nudis verbis,
ſed cum teſtimonio regem gloriæ Chriſtum addiſceret. Virtus enim
& potentia qua ſubegit & preſſit diabolum cum ſatellitibus ejus, hæc
oſtendit illum regem eſſe gloriæ. Et adjecit, *Tollite portas principes* v. 9.
veſtras, & elevamini portæ æternales ; hoc eſt, quoniam virtutis teſti-
monio, cui contradici nefarium eſt, didiciſtis dignum eſſe Chriſtum
dici regem gloriæ, auferte errorem de mentibus veſtris. Et quod ait,
Introibit rex gloriæ, oſtenditur quia non poſſunt participare cum
F fide Chriſti, niſi ab omni immunditia idololatriæ emundaverint
corda eorum. Niſi enim innovatus fuerit homo, non intrabit Spi-
ritus-ſanctus in eum. Et ſequitur, *Quis eſt iſte rex gloriæ ?* Iteratio v. 10.
iſta confirmationem facit. Omne enim quod novum auditur, non
concipitur corde niſi iteretur. Admirationem autem & ſtuporem fa-
cit, cùm dicitur quod auditum eſt numquam. Et adjecit, *Dominus
virtutum ipſe eſt rex gloriæ.* Eadem repetendo docet ritè dici hunc
regem gloriæ, qui ſit Dominus virtutum. Non immeritò enim rex
gloriæ appellatur qui virtutibus dominatur. Unde Apoſtolus, Si
enim intellexiſſent, ait, numquam Dominum majeſtatis cruci- 1. Cor. 2. 8.
fixiſſent.

De Pſalmo quinquageſimo.

QUÆSTIO CXII. Deeſt in Mſſ. 2. generis.

QUINQUAGESIMUS Pſalmus hîc poſitus eſt, non pro tempo-
G ris ordine, ſed ratione. Titulus enim ejus non numero, ſed rationi
ſubjectus eſt. Quantùm enim ad hiſtoriam pertinet, anterior eſt
quàm tertius. Prius enim à propheta Nathan delicti cauſsâ cor-
reptus eſt, quàm inſurgeret contra illum filius ejus Abſalon, ut eum
vellet & vitâ & regno privare. Hæc ergo cauſſa eſt ut quinquageſi-
mus poneretur, quam conſtat ex Lege deſcendere. Illic enim cautum
eſt quinquageſimum numerum remiſſionem habere. Eſt enim poſt
ſeptem ſeptimanas primus, typum habens Dominici diei : quia ſicut
poſt ſeptem dies, primus dies ipſe eſt qui initio factus eſt, qui ſemper
finitâ ſeptimanâ dies primus eſt ; ita & poſt ſeptem ſeptimanas
quinquageſimus numeratus, in myſterio primus eſt, qui duplici ge-
nere Dominicus dies appellatur : primùm quia initio factus à Domi-
no eſt, qui ſemper in ſe converſus per curricula impletâ ſeptimanâ
primus eſt : deinde quia in eo reſurrexit Dominus, triumphata
morte,

morte, Dominicus etiam dies nuncupatur. Non immeritò ergo in quin-
quageſimo numero, quem in myſterio primum ſignificatum adverti-
mus, remiſſio continetur. Denique Lex quinquageſimo die data eſt.
A profectione enim filiorum Iſraël ex Ægypto, quadrageſimo &
Exod. 19. 10. octavo die ablui jubentur, ut biduo purificati, tertia die parati
eſſent ad Legem accipiendam. Quæ ablutio quid aliud indicat, quàm
remiſſionem factam in quinquageſimo die, ut purificati Legem ac-
ciperent ? Ex quo de cetero præteritis oblitteratis, actus ſui redde-
rent rationem ſecundùm creditam ſibi Legem. Hac etiam ratione
Levit. 25. 10. poſſeſſionem emtam quinquageſimo anno remitti debere præcepit
Lex. Hinc eſt ergo unde & Pſalmus quinquageſimus intitulatus eſt.
In hoc enim rex David remiſſionem poſtulat ſecundùm prædictum
Pſal. 50. 3. ſenſum, unde ait, *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam
tuam.* Sciens rex David graviter ſe peccaſſe, ſic poſtulat dicens,
Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Magna
enim miſericordia tunc eſt, cùm grandia ignoſcit peccata. Et adjecit,
*Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem
meam.* Ut manifeſtaret acerbè ſe deliquiſſe, peccatum ſuum ini-
quitatem appellat, quia iniquitas non leve peccatum eſt ; & qui de-
let iniquitatem, hoc eſt non imputat, miſeratione abundat. Nibil
ergo in cauſſa ſua excuſare nititur, ut non ſolùm animum ſibi judi-
cis mitiget, ſed & faciat condolere. Commovetur enim animus ad
miſericordiam, quando videt reum ſic ſua confiteri peccata, ut oſten-
dat dolere ſibi quia peccavit. Qui enim non dolet, irridere videtur
judicem ; quia ideo precatur, ut evadat iterum poſtea eadem factu-
rus. Et ſequitur poſtea, *Uſquequaque*, inquit, *lava me ab injuſtitia*
v. 4. *mea, & à peccato meo munda me.* Quoniam multam miſerationem
Dei prædicat, penitus ſe mundari precatur, ut nihil maneat delicti
aut injuſtitiæ in eo, unde ſuſpectus ſit. Et ut hoc ipſum obtinere
v. 5. poſſit vel impetrare, adjecit, *Quoniam iniquitatem meam ego
cognoſco, & delictum meum* [a] *coram me eſt ſemper.* Quoniam graviter
ſcit ſe peccaſſe, ſollicitus eſt ne non totum ei remittatur. Conſide-
rans enim magnitudinem peccatorum ſuorum, timet, ſciens gravia
peccata non facilè ignoſci : ac per hoc cum fletibus confitetur, pecca-
tum ſuum ante oculos habens, ut ex omni parte propitium ſibi fa-
ciat judicem. Scit enim ſcriptum eſſe, Dic prior iniquitates tuas,
Iſa. 43. 26. ut juſtificeris. Et ſequitur, *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te*
Pſal. 50. 6. *feci.* Nunc ex alia parte culpæ ſuæ medelam proſpicit, ut ad effe-
ctum poſtulationem deducat. Hac enim proſecutione in prima
cauſſa [b] innocentem ſe dicit : nam qui alteri Deo peccat, inimi-
cus eſt auctoris Dei. In locum enim ejus alterum eligit, cui aucto-
ritatem ejus adſcribat. Unde hic ab hac ſe iniquitate alienum oſten-
dens, *Tibi*, ait, *ſoli peccavi, & malum coram te feci :* hoc eſt, quia
tibi, & nulli alij quem Deum per errorem dicerem, peccavi, mi-
nor mea culpa eſt quàm ceterorum, qui ſunt perditioni obnoxij.
Non enim impius ſum ; ſed peccator, quia non in te, ſed in Legem
tuam peccavi : nec te negavi, ſed te Deum & Dominum confitens,
in hominem peccavi. Ergo quia in illa quæ tua propria cauſſa eſt, reus
non ſum, ignoſce quod in conſervum peccavi. Sic enim peccavi, ut
honorificentiam nominis tui nec negarem, nec alteri darem. Fuit
itaque unde commoveretur ad miſericordiam judex. Cùm enim
multi in illum peccent, quos etiam hortatur ad ſe converti, dum
ij qui non in illum peccant, ex aliis tamen cauſſis veniam poſtulant,
libenter admittit. Semper enim Dominus ad auxilium ſuum vult
confugere ſervos ſuos. Unde adjecit, *Ut juſtificeris in ſermonibus
tuis, & vincas cùm judicaris.* Miſericordiam poſtulans, Deum juſti-
tiam ſuam non immutare precatur, cùm ſoleat media eſſe juſtitia,
ut non peccantibus & peccantibus æqua ſit, id eſt, ut unicuique red-
dat ſecundùm opera ſua : ſed non ignorat quid poſtulet vir innocens
in Dei ſacramento. Sciens enim Deum frequenter in Lege dixiſſe,
quia miſericors, inquit, ſum ego Dominus Deus veſter : inde rogat
Exod. 22. 27. ut hæc fides maneat, & in ſermonibus ſuis Deus juſtificetur, dum in
eo permanet quod locutus eſt, nec peccatis hominum vincitur, ut
non miſereatur. Scientes enim, qui peccant, quæ promiſit Deus bene
viventibus, & quia in eo perdurant, judicant illum mendacem. Non
enim credunt malè vivendo vera eſſe quæ promiſit. Idcirco petit
rex David, ut vincat hoc Deus quod putant homines, & det quæ
promiſit ; ut erubeſcant qui dum non ſervant mandata, judicant
illum non daturum. Et ſequitur, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus*
Pſal. 50. 7. *ſum.* Nunc hoc adjecto cauſſam infirmitatis humani generis memo-
rat, quia facile eſt homini peccare, ut examen circa ſe judicis mi-
tiget. Primæ enim [c] culpæ facit mentionem, ex qua prævaricando
Adam genus humanum obnoxium fecit peccato. Suaſu enim &
fallaciâ inimici iniquitatem concipiendo, omne ſemen ſuum ini-
quitati ſubjecit, ut ex eo omnes per traducem geniti peccato eſſent
obnoxij. Propterea adjecit, *Et in delictis concepit me mater mea :* ut
ab Adam derivatio facta peccati, conceptis & natis impedimento
eſſet ad bonam vitam agendam ; ac per hoc ſupplici non negandam
miſericordiam, quia [d] infeſtum habet hoſtem, qui ei ſuadet ut pec-
cet. Per peccatum enim diabolus ſubjecto ſibi primo homine po-
teſtatem accepit carni ejus ſe immiſcere, & delictorum quadam
ſubtilitate oblectamenta ſuggerere, per quod captum hominem ſpo-
liat vitâ. Quam rem magiſter gentium memorans, Video autem,
inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis
meæ : ut hoc contuens judex, dolenti circumvento porrigat manum.
Et ſequitur, *Ecce enim veritatem dilexiſti.* Quia ergo veritatem dili-
gis, inquit, ſubveni roganti, & quem ſcis vera pectoris ſui impedi-
menta exponere, cuique reo olim motus miſericordiâ ſubvenire de-
creviſti, ut errorem admiſſum in terra, cæleſtis providentia emenda-
Pſal. 50. 8. ret. Propter quod ſubjecit, *Incerta & occulta cordis manifeſtaſti mihi.*
Incerta & occulta cordis hæc ſignificat, quæ Deus ad præſidium
1. Cor. 2. 9. humani generis procuravit, ſicut & Apoſtolus, Quod oculus, in-
quit, non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quæ
præparavit Deus diligentibus ſe. Qui ſunt qui diligunt Deum, niſi
qui Legi ejus conſentiunt, non celando vel excuſando peccata ? Hæc
ergo occulta cordis manifeſta ſunt diligentibus Deum, ut quia do-
lebant ſe delictis circumveniri, [e] ne correpti negarent, ſibi &

[a] Mſ. Colb. contra me.
[b] Editi, nocentem : & infrà, alteri à Deo. Sequimur Mſſ.
[c] MS. Colb. cauſſæ.
[d] MS. Colb. inſertum. Et mox idem vetus codex, Peccatū enim qui eſt diabolus....poteſtatem accepit carni ejus ſe inſerere & delectorum &c. Rom. 7. 23.
[e] MS. Colb. nec correpti negabant.

A origini ſuæ imputantes, in auctorem Deum transferentes quæ pec-
cabant : corda eorum illuminata ſunt ſpiritali coruſco, ut viderent
Dei providentiam in Chriſto, quia venturus erat ad damnandum
peccatum, quod ex prævaricatione Adæ humano generi imperabat.
Hoc ergo orat rex David, ut quod decreverat Deus in futurum,
videns genus humanum laborare, ſibi priùs ſubveniret in eadem
neceſſitate conſtricto, in qua omnibus ſe decreverat ſubventurum :
ut donum quod gratuitum futurum erat, & ante tempus dari non
poterat, huic pro prece & lacrymis concederetur. Quod quomodo fiat,
non tacet dicens, *Adſperges me hyſſopo, & mundabor.* Rectè adſper- Pſal. 50. 9.
ſione hyſſopi petit ſe mundari. De hoc enim filij Iſraël poſtes ſuos Exod. 12. 22.
ſanguine liniverunt, ut tuti præſtarentur à morte : ita & hic adſper-
ſione hyſſopi orat mundari ſe à peccatis, ne tangatur à morte. Et
ſequitur, *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Manifeſtum eſt, Pſal. 50. 9.
B quia factum Dei diſtat à facto hominis : ideo *ſuper nivem*, inquit,
dealbabor, quia quod Deus fecit, multò melius eſt quàm quod fecit
homo. Propterea adſperſione hyſſopi petit ſe mundari, ut ſicut car-
nale corpus aquâ abluitur, ita & per hyſſopi ſignificationem, ſpiri-
tali ratione animarum maculæ abluantur. Adſperſio enim hyſſopi,
luſtratio quædam eſt : ut per id quod viſibile eſt, inviſibiliter emun-
detur. Et ſequitur, *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam.* Du- v. 10.
bium non eſt, quia vox prædicantis remiſſionem, gaudium præſtat
peccatoribus. Quis enim non lætetur, cùm audit dari indulgentiam ?
Cùm enim Deus remittit, & in præſenti & in futuro ſecurus eſt.
Propterea *exſultabunt oſſa humiliata.* Duplici genere ſunt oſſa hu-
miliata, quia & ut peccaret humiliatus eſt, nemo enim peccans
exaltatur ; & ut poſtea ſupplex veniam imploraret. Nam utique
in cilicio & cinere volutatus miſericordiam precabatur, quam ob-
C tinens elevatus eſt mentis exſultatione & corporis refectione. Et
ſubjecit, *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas* v. 11.
dele. Hac formâ remiſſionem poſtulat, ſicut conſtitutum erat in
futurum per fidem Chriſti, ut Salvator qui ei ſpiritaliter eſt pro-
miſſus, ab ipſo inciperet cuncta converſis donare peccata. Cujus
enim non reſpiciuntur peccata, & omnes delentur iniquitates, non
habet unde reus conſtituatur, & inimicorum ejus ora clauduntur.
Qui enim non reſpicit peccata, non illa imputat. Hoc eſt enim
avertere faciem à peccatis alicujus, accuſationem contra eum non
accipere. Et quid eſt hoc, ut cùm de duobus peccatis correptus ſit,
hîc addat de multis ſe accuſando ? Et cùm audierit à Propheta Na-
than, quia ignotum erat ei, quare ſic poſtulat ſedula prece, ut poſſit
ad veniam pervenire, niſi quia non ſuam ſolius cauſſam agit, ſed
ſub [f] accuſatione peccati ſui, totius populi miſerias narrat ? Sibi
D enim reformationem precatur, quia cui ignoſcitur, non eſt ſine
rubore, niſi loco ſuo fuerit redditus, ut dignitas loci ruborem ex-
cuſet : ceteris autem beneficium Dei, quod ad cuncta peccata abluen-
da futurum erat in Chriſto ſignificavit. Et ſequitur, *Cor mundum* v. 12.
crea in me Deus, & ſpiritum juſtum [g] *dedica in viſceribus meis.* Hoc
eſt bona mente miſericordiam deprecari. Non ſolùm autem de præ-
teritis rogat, ſed etiam de futuris ſollicitus eſt, [h] ut peccator in-
tendens odiſſe peccare ne peccet, adjuvetur à Deo per ſpiritum juſti-
tiæ quem orat dedicari in viſceribus ſuis, id eſt, ut novus ad hoc
ponatur in eo, ut cuſtodiat eum à peccatis, ne cogatur facere
quod ſcitur nolle. Cor autem mundum ſic poteſt habere, ſi neque
intus, neque foris delinquat ; hoc eſt, neque in opere, neque in cogi-
tatione. Quod quia propè impoſſibile eſt ut in omnibus ſervetur,
vel in Dei cauſſa ſervandum eſt, quæ principalis eſt ut mundum
cor in ſacramento Dei & Chriſti cuſtodiatur, dum fides eorum in-
E violata ſervatur ; quia & in alio loco dicitur, *Quis gloriabitur mun-* Prov. 20. 9.
dum ſe habere cor, aut immunem eſſe à peccatis ? Denique rex David
mundum cor habuit in cauſſa Dei, quia neque auxilium aliquando
à vanitate quæſivit, quæ eſt idololatria, neque aliud à Deo ſibi
præceptum non implevit. [i] Ideo de ceteris adjecit, *Ne projicias me*
à facie tua, & Spiritum-ſanctum tuum ne auferas à me. Hic ſen- Pſal. 50. 13.
ſus eſt, quem ſuprà memoravi, quia ſecurus de venia, ſollicitus eſt
de reformatione. Cui enim ignoſcitur ſolùm, ſolet à facie Domini
ſecerni. Quamvis enim non in illum vindicetur, in animo tamen
Domini vel judicis facinus ejus deletum non eſt. Ideo orat, ut pe-
nitus peccatum ejus deleatur, & dignus ſit accedere ad faciem Do-
mini, & iterum prophetare ; quod & factum eſt. Hoc eſt enim quod
dicit, *Et Spiritum-ſanctum tuum ne auferas à me.* Hic eſt ſpiritus
F Prophetarum. Et ſequitur, *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, &* v. 14.
Spiritu principali confirma me. Lætitiam dari ſibi poſtulat, quæ pro-
miſſa erat in Chriſto, ut omnibus maculis ablutus & reparatus,
lætus eſſet in ſalute quæſita ; nec amotus, ſed confirmatus in regno
à Spiritu-ſancto. Quem ideo principalem dixit, quia ſuper omnem
creaturam eſt, per quem reges regnant. Et ſubdit, *Docebo iniquos* v. 15.
vias tuas, & impij ad te convertentur. Hoc dicit, ut in eo diſcant
iniqui pietatem Dei, qui confitentes ſibi ſuſcipit peccatores & pro-
movet ; nec impios converſos negligit, ſed hortatur dum aliis miſe-
retur. Et ſequitur, *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.* v. 16.
Hoc dicto oſtendit peccatum ſuum morte dignum, ut Dei miſeri-
cordia quanta ſit, prædicet. Per hoc enim etiam alios provocat con-
fugere ad Dei clementiam. Unde ſubjecit, *Exſultabit lingua mea*
G *juſtitiam tuam Domine.* Gaudere ſe dicit in juſtitia Domini, quia
in eo permanet quod promiſit dicens, Miſericordiam autem meam Pſal. 88. 34.
non movebo ab eis. Lætus ergo David rex & ſecurus in hac parte,
Dei ſui juſtitiam prædicat. Et ſequitur, *Labia mea aperies, & os* Pſal. 50. 17.
meum annuntiabit laudem tuam. Sic labia ejus aperit, dum ſubje-
ctum illum eſſe non ſinit cauſsâ peccati. Liberati enim os patet, pec-
catoris autem clauſum eſt os : pudore enim & metu correptus loqui
non audet ; abſolutus autem & liberatus tripudians prædicat laudem
judicis. Nam & Apoſtolus ſicut ipſe teſtatur, propter quod ab homi-
nibus liber eſſet, Os noſtrum, ait, patet ad vos ô Corinthij. Et ad- 2. Cor. 6. 11.
jecit, *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique.* Hoc de Pſal. 50. 18.
comperto loquitur, ſciens ſanctum Samuël dixiſſe ad Saül regem,
qui cùm peccatum ſuum non dolore mentis, neque lacrymarum mi-
ſeratione, ſed ſacrificij oblatione oblitterari putaret, Non vult,

[f] MS. Colb. occaſione.
[g] Sic MSS. At. edd. innova.
[h] MS. Colb. ne peccator tendēs odiſſe peccare ſe adjuvetur.
[i] MS. Colb. videris de ceteris. Et adjecit.

1. Reg. 15. 22. inquit, Deus sacrificium magis quàm audiri vocem suam ; quia hujusmodi sacrificia damnum possunt facere, non tamen Deum placare. Deus enim sic placatur, si anima peccati sui memor in tri- Psal. 50. 18. bulatione & mærore cordis, defleat quòd peccavit. Et sequitur, *Holocaustis non delectaberis.* Nec delectatur holocaustis Deus, sed in hujusmodi caussis. Ipse enim animus pro se satisfacere debet, non se de foris redimere. Nam ista adjutorium præstare possunt. Animus enim sicut oblectatus est in peccatis, sic tribulari debet in pænitentia, & tunc delectabit Deum delere ejus peccata. Unde subjecit, v. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Ostendit quale sacrificium pro peccatis Deus suscipit : quia non poterit Deum placare, nisi qui lætatus est contra salutem, contribulatus fuerit corde, & sic reparetur ad vitam. Denique omnis inquietus, vel indisciplinatus frequenter incurrit, ut membra corporis lædat, quæ utique non sine dolore possunt sanitatis recipere medicinam : sic & peccatores non possunt peccata sua redimere, nisi dolorem senserit animus qui peccaverit. Hoc enim justum est, ut quia contra rationem gavisus est, secundùm rationem patiatur mærorem. Et sequitur, v. 20. *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion.* Sion dicens Ecclesiam significat, ut [a] perseveratio nostra non improbabilis videatur, cui ut impleat Deus promissum suum, suggerit, sciens se tunc plenam remissionem accepturam, cùm quod decrevit Deus in Christo impleverit ; id est, ut ab omni peccato liberentur sperantes in salute promissa ; quia non solùm à propriis, sed ab Adæ peccato quod per traducem in omnes pervenit, liberabuntur per Christum. Et adjecit, *Et ædificabuntur muri Ierusalem.* Numquid destructi fuerant ? Sed muros Jerusalem dicens, Ecclesiam significat, quæ per fidem in Christo disposita erat construenda. Cujus muri esse sancti Apoc. 21. 12. homines intelliguntur, docente nos Apocalysi Johannis apostoli ; quia & Jerusalem civitas & muri ejus servi Dei sunt intelligendi. Sciens etiam per Christum rex David promissum, quod futurum erat implendum ad liberationem servorum Dei, orat ut impleatur, id est, ut per fidem ædificetur Ecclesia, & liberentur sperantes de hac Psal. 50. 21. fide salutem. Et sequitur, *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta.* Hoc dicit, quia oblationes & holocausta tunc accepta sibi haberet, cùm esset Ecclesia ædificata ; & non passim aut secundùm omnem consuetudinem, sed *sacrificium,* inquit, *justitiæ acceptabis.* Justum est sacrificium, cùm condignum munus offertur : porrò autem nihil est tam justum sacrificium & condignum, nisi Johan. 4. 24. ut nos ipsos offeramus Deo. Quia enim Deus spiritus est, spiritalia illi offerenda sunt sacrificia, ut vivo viva hostia offeratur. Quia enim dixerat, in caussa peccati sacrificiis carnalibus Deum minimè delectari, ostendit futurum, quia spiritaliter Deo offerendum erat, & acceptaret ; quia hæc Deo digna sunt sacrificia : hoc est, in præterito minora fuerunt, quia carnalia ; nunc majora, quia spiri- Psal. 50. 21. talia. Et adjecit, *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Si cessantibus pristinis sacrificiis, spiritalia successura sacrificia significavit, quid est ut diceret, *Tunc imponent super altare tuum vitulos ?* nisi quia per hæc corporalia spiritalia significat ; quippe cùm dixerit, quia carnalibus non delectatur. Vitulos ergo dicens, populum novellum significavit, Christi fide renatum, cujus devotio quotidie super altare Domini delibatur. Qui enim de Ecclesia intelligitur locutus, sacrificia quoque ejus spiritalia significasse debet intelligi.

a MS. Colb. adseveratio.

QUÆSTIO CXIII. Deest in MSS. 2. generis.

Cur Filius Dei missus sit, & non alius ?

Quamquam omne quod facit Deus, rationabiliter & providenter factum credendum sit ; melius tamen puto, si post fidem etiam caussa facti possit adverti, ut quod creditur, non ignoretur. Unde Dominus ait, Johan. 17. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Primùm enim credi debet, sicut à Propheta dictum est, deinde sciri quod creditur : quia jam fidelem & in hac re diligentem adjuvat Spiritus-sanctus, ut cognoscens intelligat fidei rationem. Tunc enim plenum habet gaudium credulitatis suæ, si quod credit intelligat. Hoc est enim fidei robur, Isa. 7. 9. sec. LXX. hoc immobile fundamentum credulitatis, addiscere sacramentum. Ubi enim sola fides est, non est tam mera devotio, & potest aditum habere subreptio. Unde vas electionis ideo laborat, ut credentes fidei suæ rationem ediscant. Cùm enim cognoverint quantus sit, cui se crediderint, & quæ sit ejus potentia ; nullo pacto, nullaque ratione ab ejus spe traduci se patientur. Unde dictum legimus, Psal. 33. 9. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus :* ut datâ operâ cognoscant divinitatis ejus saporem, intelligentes nihil sapientius esse quàm in Christum credere. Quamobrem ipse magister gentium inter cetera ait, Coloss. 2. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* Et iterum, 2. Tim. 1. 12. *Scio,* inquit, *cui credidi, quia potens est depositum meum custodire.* Igitur hic scit fidei suæ rationem, & non dubitat de potentia ejus, qui intelligit omnes thesauros sapientiæ & scientiæ in sacramento nativitatis & passionis & resurrectionis Christi esse absconditos. Manente ergo fide, diu mecum contuli, ut scirem, cur Dominus noster de sacris & de cælestibus sedibus ad terram [b] incarnatus venisset, & non alius, ex iis quos ipse Dominus sanctos Angelos vocat. Incongruum enim videtur personæ ejus hoc opus subiisse, nisi caussa facti noscatur. Denique hoc est quod movet multos. Nam potuit Dei Patris provisio per alteram personam hoc negotium gerere, ut & hominibus in errore constitutis ostenderet veritatem, & diabolum præsumtorem & salutis invidum cum satellitibus ejus comprimeret, & exspoliaret devictum. Quia pervicacia & irreverentia nequissimorum servorum, ministris famulis fuerat compescenda, ut non Dominus omnium rem sibi indignam experiretur. Neque enim tanta vis & potentia est satanæ, ut per alteram potestatem ejusdem conditionis superari minimè potuisset, cùm constet Dei auxilio ipsum etiam ab hominibus vinci. Nam quamvis impar sit, si ex terrenis sumamus exempla, tamen ex aliqua parte convenient rationi. Servum enim contra David regem 2. Reg. 20. 6. rebellantem, Joab conservus ejus missus est persequi & trucidare ; Ibid. 15. 14. & contra Absalon in patrem impium servis injuncta res est : quanto magis ad tyrannidem diaboli vincendam unius de multis sufficerat efficacia ? quippe cùm legamus quia repugnans contra Michaël Archangelum perdurare non potuit, sed projectus in terram est ? Apoc. 12. 7. Hoc ergo mecum sæpe reputans, hoc solum sciebam, quia ideo ipse à Patre missus est, ne ad injuriam ejus pertineret, si opus per eum factum, per alterum [c] reformaretur : sed hoc scire minimum erat. Non enim satisfaciebat ad tam magnam & admirabilem caussam, nisi & aliud comprehenderetur quod proficeret ad arcanum intellectum. Sic factum est, ut animadverterem caussam hoc poposcisse, ut sic veniret qui venit. Ipsum enim ratio tangebat, ut ad eum comprimendum veniret, qui dignitatem ejus & meritum usurpasset. Post Deum enim Patrem diabolus deus dici voluit, quod & nunc usque contendit, cùm utique non illum res contingeret, sed esset hoc Filij Dei, qui post Patrem Deum secundus est, non naturâ, sed ordine. Ad hanc ergo caussam agendam non alium oportuit venire, nisi Christum Dominum nostrum : qui non tantùm ad comprimendum diabolum venit, sed & manifestare seipsum omni creaturæ : ut reprobatâ personâ diaboli, hunc esse cognoscerent, cujus principatum & majestatem præsumserat satanas ; & de cetero cognita veritate relinquerent errorem, pro certo habentes Christum esse Dei Filium, qui solus Deus de Deo sit, & caput sive principium eorum omnium, sive quæ in cælo sunt, sive quæ in terra : quia virtute & potentiâ, qua superavit tyrannum satanam, manifestatus est ipse esse, cujus imperium præsumserat impius diabolus, qui est satanas. Dum enim voluit iniquè Deus dici, ut dominaretur potentiis spiritalibus (unde increpatur à Propheta dicente, *Tu enim,* inquit, *dixisti in corde tuo,* Isa. 14. 14. *Ponam sedem meam in nubibus, & ero similis Altissimo*) multos decepit, quorum conspiratione princeps erroris est factus. Qui in Psalmo commonentur, ut rejicientes mendacium, suscipiant veritatem. Dicitur enim eis, *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Nisi enim tollatur error de mentibus incredulorum, non poterunt suscipere fidem unius Dei in Christo. Hoc enim edocentur, ut sublatis portis per quas itur ad mortem, [d] secundùm perfidiam à diabolo cœptam, suscipiant fidei sacramenta per quæ itur ad vitam. Ista sunt enim quæ significat in æternalibus portis ; quia veritas fidei æternitas est : perfidia autem temporalis est, quia mendacium adinventio diaboli est. Diabolus enim cœptam prævaricationem in cælis, seminavit in terris, multorum deorum suadens culturam, inter quos principatum haberet. Caput enim & principium voluit esse ceterorum, quod non ei debebatur, sed Salvatori. Unde persequitur eum usque ad terram, ut comprimens eum ostendat erroris ejus prævaricationem manifestata in se veritate. Unde dictum est, *Veritas de terra orta est.* Psal. 84. 12. Projectus enim de cælis, confugit ad terras, ut meditatam divinitatem in supernis, expleret in inferioribus. Unde dicit Apostolus, *Ita ut in* 2. Thess. 2. 4. *templo Dei sedeat, ostendens sese quasi sit Deus.* Quoquo enim modo desiderium suum implere vult & damnari : furore enim plenus minus putat esse damnari, quàm non explere aviditatem erroris.

b MS. Colb. incarnandus.

c MS. Colb. reformaret.

d MS. Colb. ad mortem secũdam, quæ sunt perfidia à diabolo cœpta.

Adversùs Paganos.

QUÆSTIO CXIV. Deest in MSS. 2. generis.

Qua ratione Pagani adversùs nos audeant congredi, aut fidem nostram impugnare, se autem putent absolutos esse non video. Quippe cùm nulla habeant assertionum suarum documenta, superstitionis suæ magis dicam quàm religionis. Nam quæ cauta non habent, proferunt, ut ipsi potiùs novarum rerum auctores & defensores habeantur. Primo enim in loco deos se asserunt colere : quorum nulla insignia, nulla dant testimonia. Illos enim deos appellant, qui se ausi non sunt hoc nomine nuncupare, ut homines auctores deorum habeantur, cùm Deus auctor debeat esse hominibus : ac per hoc vana & inanis assertio est. Quidquid enim sine Deo est, stabile esse non potest. Manifesta enim esse quæ dico, probant libri eorum, in quibus nihil divinum, nihil Deo jubente legitur constitutum ; sed singulos viros propter quasdam caussas diversa asserunt instituisse numinum sacrificia, ut ij qui nullius meriti videntur, ea ipsa quæ statuerant dignè statuisse probarentur. Quando ergo quos deos appellant, nihil horum mandasse leguntur ; qua auctoritate hi faciunt, aut accepto ferri putant, quod non probant mandatum ; cùm si etiam mandatum probaretur, examinandum priùs fuerat, si dignum esset aut debitum his obedire, quorum nulla signa, aut prodigia, ad commendationem divinitatis in rebus gestis exsisterent ? Sed solent ab his exclusi ad elementa confugere, dicentes hæc se colere, quorum gubernaculis regitur vita humana. A quibus, ut suprà, requirimus si mandatum est aut jussum à Deo, quem etiam ipsi magnum & summum fatentur, & negligunt eum. Si enim fieri debet, ab illo mandari oportuit, qui auctor eorum dicitur. Si autem ab illo non est mandatum, præsumtio est, & ad pœnam proficiet, non ad præmium ; quia ad contumeliam pertinet Conditoris, ut contemto Domino colantur servi, & spreto imperatore adorentur comites. Quomodo istud impunitum erit, quod etiam in hac vita vindicari, & quidem acerbiùs, videamus ? Sed si fortè ab ipsis elementis dicant mandatum, ostendant alicubi præceptum, legant aliquando aliquid illa locura. Quod si non ostendunt, qua pœnâ digni sunt, qui auctores præsumtæ & confictæ religionis deteguntur ? Libera sunt ex hac impietate elementa. Ipsa enim luminaria mundi accusabunt illos apud judicem Deum, quia in hac consilij vanitate minimè se auctores ostendunt. Similiter & illi quos cùm constet homines fuisse, deos nuncupant, cùm cœperint pro peccatis suis cruciari, in hac parte minimè se reos esse defendent, in hos crimen hoc retorquentes, quibus cùm hoc non mandassent, ut deos illos colere cœperunt. Igitur quo pudore fidem nostram reprehendant aut irridendam putent, quorum legem virtutum testimoniis fultam, necnon & ipsius Domini ac Dei nostri relegunt vocem dicentis, *Ego sum Deus, & non est alius præter me ?* Isa. 45. Quod si nudis verbis diceret, non erat ei credendum, ne similes paganis videremur, qui nulla deorum suorum signa majestatis videntes, colere eos cœperunt ; & quod pejus est, inhonesta. Turpia enim illic aguntur, quæ pudoris est revelare, & prudentes se appellant, quia de lege sua sicut à Samardaco illuduntur. Porrò autem Deus noster teste virtute coli se mandavit : & ut nihil suspicionis relinqueret, legem ipsam

honestam & sanctam, ut & Deo dignum est, tradidit. Nos verò qui stulti à paganis dicimur, Deo nostro non credidissemus, nisi nobis satisfecisset etiam testimoniis virtutum ; nec legem ejus suscepissemus, si non illam puram & ipsa professione dignam cognovissemus. Hinc est unde nihil apud nos in tenebris vel occultè geritur. Omne enim quod honestum scitur, publicari non timetur : illud autem quod turpe est & inhonestum, prohibente pudore non potest publicari. Quamobrem pagani mysteria sua in tenebris celebrant, vel in eo prudentes. Erubescunt enim palàm illudi : [a] piacula enim quæ illic vice legis aguntur, nolunt manifestare, ne qui prudentes se dicunt, hebetes his videantur quos stultos appellant. Sed ne fortè hinc illis stulti videamur, quia lex nostra castitatem, misericordiam, pietatem, continentiam prædicat : apud illos enim hæc stulta sunt, quia omnis bonus malo malus est, & prudens stulto insensatus est. Nam intantum castitatem exsecrantur, ut etiam cinædis delectentur, magisterio eorum subjecti, qui nisi tales fuerint, idonei non erunt ipsi, si dicendum est, religioni. Propterea enim abscinduntur, & habitum immutant, ut de viris quasi feminæ fiant, & contra naturam subjecti muliebria patiantur, & tunc demum apti & digni sint ministri superstitionis illorum. Numquid accusari potest hujusmodi, quem lex facit talem ? Ideo enim amisso viri & actu & habitu in mulierem transformatur, ut licenter muliebria patiatur. Quæ ergo putantur esse mysteria, ubi de honesto inhonestum fit, & de incorrupto corruptum, cùm hic sit verè cultus religionis, qui de turpibus honestos facit, de indisciplinatis modestos ? Quomodo cultores ejus æmuli possunt esse bonæ vitæ, quando mysteria legis eorum sine cinædis celebrari non possunt ? Si ergo lex eorum his delectatur, peccator erit & stultus quisquis non fuerit talis. Ideoque stultos nos appellant. Colentes enim hæc turpia, prudentes ab his judicantur ; evitantes autem & fugientes, stulti. Quod quidem callidè & astutè ab ipsis videtur aptatum. Idcirco enim legi suæ applicant nomen prudentiæ, ut contegant reprehensibilia ejus ; quia ubi prudentia, reprehensio nulla est. Nostram autem legem stultam dicunt, ut prohibeant ab ea. Sed sublatis nominibus prudentiæ & stultitiæ, & submotâ omni invidiâ, quam parit defensio ambarum partium, ipsæ leges inter se confligant, ut appareat ubi sit prudentia, & ubi stultitia. Sed præsente signo crucis obmutescit paganitas. Et si adest, quam vocant stultitiam, prudentia illa, sacra illorum respondere non audent. Reprimuntur enim exta illorum, & occultantur ob reverentiam Christianæ majestatis. Magna res est, ut illa quam vocant prudentiam, metuat illam quam appellant stultitiam. Conferamus nunc tenorem legum. Pagani deos deasque colere se etiam litteris profitentur : & verum est quod dicunt, quia & masculos colunt & feminas. Janus enim & Saturnus, Jovis & Mercurius, & Apollo & ceteri, item Minerva, & Isis, & Fruxilla, & Venus, & Flora meretrix cum ceteris, dij deæque sunt, sicut historiæ tam Græcorum quàm Romanorum testantur. Christiani autem utpote pauperes, quos stultos vocant, unum Deum colunt in mysterio, ex quo sunt omnia : nec aliquid quod ab eo conditum est venerantur. Ipsum enim solum sufficere sibi & abundare sciunt ad salutem, non ignorantes, quia si gloriam & nomen ejus aliis deputaverint, offendant eum ; quia nullus imperator permittit ut cum nomine ejus tribuni & comites adorentur. Conferantur nunc leges, ut videatur ubi sit prudentia, qui Creatorem colit, an qui creaturam ; qui Dominum, an qui servos ? Potest fieri in aliqua domo ut præter unum alius dominus appelletur, ut pagani litteris forensibus instructi, qui sibi prudentes videntur, in uno mundo ab uno Deo condito multos deos deasque venerantur ? Procuratores enim & [b] auctores mundi deos & Dei nomine nuncupant, cùm improvidi detegantur. Illud autem adserere quod perniciem pariat, improvidi est & stulti. Quoniam necesse est Deum injuriam suam vindicare in eos, qui conservis suis Domini Dei nomen & gloriam impertierunt. Dehinc considerentur præcepta. Lex nostra, quos stultos vocant, antistites & ministros idoneos, sine crimine, sanctos & irreprehensibiles præcipit ordinari : è contrà autem paganorum traditio antistites & ministros idoneos sibi esse non posse, nisi ex viris transfigurentur in feminas, ut licenter & publicè muliebria patiantur, & discussis in aqua inhonestè crinibus mollem quassatámque vocem & turpem emittant. Quod si publicè facerent, ab omni populo lapidarentur. Et Cynocephalus ille, qui [c] mutabundus per omnia se circumfert loca, quærens membra adulteri Osiris viri Isidis. Ecce quibus ministris sive magistris pagani prudentiæ sibi nomen adsciscunt, cùm non solùm non prudentiæ sit, sed & criminis. Obscæna enim & probrosa diligere funestum est. Illud autem quale est quod in [*] spelæo velatis oculis illuduntur ? Ne enim horreant turpiter dehonestari se, oculi illis velantur : alij autem sicut ales alas percutiunt, vocem coracis imitantes ; alteri verò leonum more fremunt ; alij autem ligatis manibus intestinis pullinis, projiciuntur super foveas aquâ plenas, accedente quodam cum gladio, & inrumpente intestina suprà dicta, qui se liberatorem appellet. Sunt & cetera inhonestiora. Ecce quantis modis turpiter illuduntur, qui se sapientes appellant. Sed quia hæc in tenebris patiuntur, putant posse nesciri. Ista enim omnia, quæ à malis & turpibus inventa & ordinata sunt in occulto, sancta fides Christiana prodidit & detexit. Prædicata enim fide, considerantes qui audiebant, quid boni & sanctitatis publicè promitteretur, contulerunt se ad fidem, occulta illa inhonesta & turpia relinquentes, & quomodo per ignorantiam illusi sint confitentes. Tunc enim jam pridem omnes propè in hoc vertebantur errore, & idcirco sibi prudentes videbantur, quia qui reprehenderet non erat. Nam quamquam omnes errarent sub uno fallacis nomine idololatriæ, unusquisque tamen juxta mores suos & conversationem ordinavit culturam, ut unus error diversitatem haberet ex turpitudine & conversatione auctorum. Denique sacra, quæ Liberi vocant, inhonesta & vanissima sunt, & plena furoris. Difficilè enim impurus non iracundus est : denique ubique cum Priapo depictus invenitur, cum quo inhonestè vivebat. Hoc modo sunt & cetera sacra eorum : sed ut posteri his inventionibus caperentur, subtilitate & astutiâ factum est satanæ : quamquam non sine illius consilio ista inventa sunt ; inventis tamen singulis, adspersit quædam præstigia, per quæ illiceret homines ad errorem. Et sic factum est, ut per traducem antiquitatis commendaretur fallacia, & excusaretur turpis inventio. Per consuetudinem enim cœpit non turpe videri, quod turpe erat. Nam cùm dehonestantur aliqui ; primò erubescunt, postea blandiente consuetudine, recedit pudor mutata fronte, præcipuè si multos videant tales. Nam quæstus turpitudinis tunc est, quando ij qui nobiles dicuntur, dehonestari videntur : facilè enim imitatores invenit honestata nobilitas. Si ergo jam porrò pridem propter hoc prudentes sibi videbantur, quia cui fœda inventio hæc displiceret, non erat ; nunc quia Dei misericordiâ illustratum est genus humanum, & declaratum crimen esse quod pro lege credebatur, stultum autem quod putabatur prudentiâ inventum ; vel ab hac appellatione cessare deberent, permanere nolentes in detecto crimine, cognoscentes nomen sapientiæ à se alienum esse. Sed ut addant ad cumulum confessionis suæ stultitiam, in stultitia deprehensi vocant fatuos, à quibus convincuntur. Sed fidem nostram & posteritatem accusant ; in præceptis autem non negant nihil posse reprehendi. Qui fidem nostram accusant, non magis contra nos, quàm contra auctorem nostrum suscipiunt. Nos enim stultos, qui quasi rei fatuæ fidem dederimus : illum autem mendacem & circumventorem, necnon & malitiosum pronuntiant, qui fidem traderet per quam deciperemur. Credentes ergo priùs non nos stultè credidisse probemus ; deinde caussam acturi auctoris. Cùm in errore degeremus, in quo nunc manent pagani nullis virtutum signis adtracti, sed nudis verbis quæ sacra vocant percepimus, prodesse putantes, non quod divinitas commendaverat, sed quod vetus consuetudo tradiderat : in qua (quod non latet) diversis illusi vanitatibus, nullam spem salutis cognovimus. Quid enim poterat prodesse res ab hominibus inventa ? Ut autem ad fidem Dei accederemus, & Filium ejus incarnatum & crucifixum crederemus, non verbis suasum est nobis, sed rebus. Vidimus enim mortuos suscitatos, leprosos mundatos, cæco nato oculos restitutos, dæmonia ejecta, & simul omnes infirmitates curatas. Nunc quando stulti fuimus judicetur, cùm nudis verbis credidimus, aut cùm rebus ? Sine dubio enim res ante verba sunt ; quippe cùm ad res significandas inventa sint. Si ergo traditioni humanæ, nulla suadente virtute, quæ ad illudendas mentes hominum inventa est, fidem dedimus, quanto magis huic, quam divinam & deificam omnia signa quæ Deum invocant, contestantur ? Nonne dignè stulti judicaremur, si virtutibus non crederemus, qui sermonibus credideramus ? Nonne rationabiliter improvidi & inconsulti notaremur, si advocantem spem non sequeremur, qui desperationi fueramus obnoxij. Sed aiunt è contra, stultum est quod creditur. Non enim rationi subsistit, Deum habere Filium ; neque emortua & dissoluta corpora rursus reparari posse ad vitam. Omnes philosophi & sectarum inventores diversis disputationibus invicem se confoderunt, nullus ad alterum transiens ; quia unusquisque in quo imbutus fuerat, permanebat. Per id enim quod verba contradictioni obnoxia sunt, nullus alterum superabat. Non enim erat unde se quis victorem ostenderet, sed invicem contradictionibus se fatigantes, minimè alter alteri persuadebat. Hinc factum est, ut Dei providentia, cujus sensus investigari non potest, prædicationi suæ virtutem adjungeret, ut veritas prædicationis virtutis testimonio probaretur ; ut qui verbis contradicere parati erant, videntes virtutem contradicere non auderent. Quæ enim major poterit esse testificatio veritatis, quàm est operatio virtutis ? Si quis autem opera virtutum deneget accusans Scripturas, quomodo poterit stultam fidem nostram dicere denegans Scripturas ? Ubi enim scriptum est de Christo, quòd Filius Dei credendus est ; eodem loco virtus testis invenitur. Et si cui absurdum videtur legenti Christum Dei Filium crucifixum, revolvat, & inveniet resurrexisse eum à mortuis, & intelligat non otiosè eum mortuum esse, neque invitum, qui potuit resurgere, sed esse mysterium. Quicumque ergo est ille, aut tacebit de cruce ; quia si dixerit stultam crucem, non poterit stultam dicere resurrectionem, excusat enim resurrectio crucem ; aut si locutus fuerit de cruce, non poterit negare providentiam esse in ea, quam videt testimonio resurrectionis firmari, aut utrumque enim accipitur, aut utrumque refellitur, ut qui non defendat, nec audeat accusare. Quare autem crucifigi se permiserit, cognatis mysterium reservandum est. Mortem autem hanc in tantum commendavit, ut clarificari se per eam testatus sit. Nam ait, *Potestatem habeo ponendi animam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Johan. 10. 18. Non ergo coactus est mori ; quia potestatem habuit & mori & resurgere. Hanc qui abnuit, non poterit dicere violenter illi mortem illatam. Si enim istam negat, nec mortuum illum poterit asseverare, quia hæc illic continetur, ubi morti traditus legitur. Nemo enim ex superioribus postrema, aut ex postremis superiora condemnat ; quia contrarium non est quod unius corporis est. De mortuis autem quòd resurgant, dolo dicunt stultum credere. Vident enim exempla quibus credibile judicetur. Omnia enim semina usibus necessaria, nisi resoluta fuerint, renasci rursus non poterunt. Si hoc in mundo hominum caussâ Deus decrevit, cur illorum ipsorum corporibus si hoc præstaturus credatur, stultum putatur ? Nisi quia ipsi stulti sunt, qui Deo non dant, quam potest mundus virtutem ; cùm gestarum nunc usque appareat umbra, quia jam tempus non est faciendarum virtutum. Initio enim fieri oportuit, ut semen fidei per hanc crementum faceret. Tamen & modò dæmonia nominatâ cruce Christi terrentur ; & si impensiùs fiat, fugantur ; & dij paganorum formidine & metu nominatæ crucis responsa dare non possunt. Si opprobrium est mors Christi, quare terrori est ? Res enim quæ ex crimine venit, non timeri debet, sed contemni. Quis enim timeat hominem pro crimine suo occisum ? At si innocens fuerit, timeri tamen non potest, sed doleri. Itaque nisi sentirent dæmonia ; vel dij Paganorum, sacramentum esse crucem Christi, nominatâ eâ non terrerentur ; & ut expressiùs dicam, nisi rei essent, non timerent. Hi etenim omnes, qui ex parte diaboli sunt, consenserunt in mortem Christi. Unde cuncta dæmonia sive dij gentium, nominatâ cruce

a MS. Colb. turpia.

b MS. Colb. & actores.

c MS. Colb. natabundus.

* Id est, spelunca.

Christi, terrore concutiuntur. Omnis enim qui in alicujus innocentis morte reus est, cùm nomen ejus fuerit memoratum, timor apprehendit cor ejus. Recordatione enim habitâ delicti reum se videt. Quanto magis dæmonia, vel dij gentium, qui rei sunt necis Domini & Salvatoris mundi? Sed pagani antiquitatis caussâ verum se tenere contendunt; quia quod anterius est, inquiunt, falsum esse non potest. Quasi antiquitas aut vetus consuetudo præjudicet veritati. Possent enim homicidæ, aut molles, aut adulteri, vel ceteri criminosi per hoc illicita sua defendere, quia antiqua sunt, & ab ipso mundi initio cœpta; cùm hinc magis intelligere deberent errorem suum; quia quod reprehensibile & turpe est, malè cœptum probatur; quod autem honestum & sanctum est, dignè colitur: nec posse turpe & reprehensibile ante factum esse honestum & irreprehensibile. Et ad extremum, paganorum traditio ab homine inventa negari non potest: quia autem nostra Lex à Deo data est, evidens res est. In monte enim apparuit majestas Dei ad dandam Legem hominibus. Et ut huic fides possit haberi, præmisit signa multa & prodigia facta in Ægypto, quod hodie quoque libri testantur à Ptolomæo reconditi in bibliotheca Alexandrina. Sic ergo Legem dignatus est dare, ut nemo ambigeret Deum esse qui tradidit. Palàm enim & manifestè visa est omnibus majestas Dei, tanto fulgore & terrore, ut etiam præter eum nemo alius Deus crederetur, & quod jubebat omni observatione dignum haberetur. Et ut omnia deificæ rationi conveniant, inspiciatur tradita Lex, si quid in ipsa injustum, si quid inhonestum, si quid ridiculosum. Sic oportuit Deum innotescere; non ut in angulo per imposturam appareret, qui claudi non potest; neque in speculo, ubi aliud est quàm cernitur operante illecebrosâ fallaciâ: neque ea servanda [a] traderet, quæ propterea quòd inhonesta essent, in tenebris gererentur. Cùm enim unius Dei notitia oblitterata esset in mundo consuetudine delinquendi, quia mendacium velamen præstiterat veritati, clemens & misericors Deus, nolens opus suum perditioni obnoxium fieri, visitare dignatus est genus humanum. Non sic apparens sicut hi qui falsò dij appellari voluerunt; sed sicut est veritas Dei, ita se manifestavit, ut errorem adimeret, qui falsorum deorum prædicatione mundi sensum corruperat. Denique supra sexcenta millia hominum egressa de Ægypto, videntes & cognoscentes Dominum hunc esse supra omnes ex apparentia ineffabilis gloriæ, proximare ad eum timuerunt, sed longè curvato genu eum adoraverunt. Postea prosequentibus aliis signis [b] quàm quæ fecerat in Ægypto, in omnibus mirabilibus manifestatus est unus esse Deus. Hæc omnibus propè innotuerunt linguis, hæc vicinis gentibus terrori fuerunt. Quid tale in diis gentium? Cui genti, cui populo gloriam suam ostenderunt? Quæ signa aut virtutes ad divinitatis suæ testimonium fecerunt? Ubi vel quando locuti probantur? Sed irrationale vulgus aut apparentes umbras, aut dæmonia, aut simulacra mortuorum, ut deos colere cœperunt: quæ res in consuetudinem vetustatis deducta, arbitratur rationis sibi veritatem posse defendi; cùm veritatis ratio non ex consuetudine, quæ est ex vetustate, sed ex Deo sit, qui non vetustate Deus probatur, sed æternitate. Quamobrem fides non cœpta res, sed sine initio est. In Deum enim credere, nostrum incipere est. Nam quod creditur, æternum est. Quomodo ergo anteriores se putant pagani, quando quod colunt, post Deum est? Numquid non opus post opificem est? pagani colunt opera, nos opificem: illi creaturam, nos Creatorem. Certè Deus fecit mundum, facto notitiam suam non ostendit? Aut fecit hominem, & noluit se ab eo coli quem fecit? Sed absurdum est. Factus ergo homo cœpit venerari suum conditorem; quia dignum est, & caussa hoc exegit. Quod cùm per desidiam hominum obsolevisset, reparavit istud Deus in Abraham, ut cognitio Dei quæ fuerat in Adam, inciperet rursum in Abraham: ut ab eo geniti, sub ejus cognitione educarentur, & per traducem non deficeret, neque deesset qui coleret Deum; advocatis etiam exteræ gentis hominibus ad istam Dei cognitionem. Qui ergo cognovit, sub initio est: qui autem cognoscitur, supra initium est. Qua igitur ratione pagani legem suam antè dicunt fuisse quàm nostram? Si mundus ante Deum est, quod absit, sic poterit & paganitas anteponi Christianitati. Nemo miretur de nomine Christianitatis. Est enim colere unum Deum in mysterio Trinitatis. Quod si nomen Christi putatur ex chrismate, nominis tamen ratio ante chrisma est. Apud majores enim nostros, qui in reges ungebantur, Christi vocabantur, habentes imaginem Christi venturi, qui natus de Deo Patre in regem non immeritò Christus appellatur: quia quod istis chrisma, illi dedit nativitas: quem quamdiu ignorant Pagani, reprobant; cùm autem cognoverint, diligentiùs excolunt, gaudentes quia de malo transierunt ad bonum. Qui enim in re tam frivola & inepta pertinaces fuerunt, quanto fortiores & vehementiores erunt cognitâ veritate? Qualis ergo Christus noster est, qui cùm nescitur, oditur; cùm cognoscitur, amatur? Nam omnis malus cùm nescitur, amatur, cognitus oditur. Quanti retrò oderunt Christum, qui nunc amant, quique dolent odisse se, quod nescierunt? Imprudentis enim est odisse quem nescias, quia probandum est, an odio digna sit res. Denique qui hodie adversantur, crastino defendent, pœnitentiam agentes, tardè se cognovisse quod verum est. Quòd si odio digna res esset, aut aliquid haberet fallaciæ, quotidie ex Christianis fierent Pagani. Porrò autem, quoniam hæc veritas est, quotidie omni horâ sine intermissione deserentes Jovem, inter quos sophistæ & nobiles mundi, qui eum Deum confessi erant, confugiunt ad Christum; cui est honor & gloria in sæculorum sæcula.

a Sic MS. Colb. At editi, celaret.

Exod. 20, 18.

b Editi hic interponunt, tam illis quæ fecit in deserto. Redundat & abest à Mss. Colb.

De fato.

QUÆSTIO CXV. *Deest in Mss. 2. generis.*

NIHIL tam contrarium Christiano, quàm si arti Matheseos adhibeat curam. Hæc enim inimica dignoscitur Dei Legi. Si enim nascuntur qui mali sint, & è contra qui boni sint; frustra Lex data dicitur: & non solùm hoc, sed & injustus habebitur Legislator. Qui enim Lege data cogit homines contra id quod nati sunt facere, sciens non posse mutari naturam, ad hoc utique Legem videtur dedisse, ut haberet occasionem qua crudelitatem suam de nece hominis A satiaret. Ut quid enim prohibet, quod scit averti non posse? Aut quemadmodum damnat hominem, qui non fecit quod facere non potuit? Si autem injustum videtur, ut est, quia istud de Deo sentire nefarium est; rectè & salutari ratione Legem dedit, sciens posse hominem continere se ab eo quod prohibet Lex. Ergo quia justè Legem dedit, non est utique iniquus cùm vindicat. Itaque si Legi Dei fides commodanda est, quia justè probatur data; ars Matheseos evitanda & fugienda est. Hanc enim astutia & subtilitas invenit diaboli. Quia enim apertè repugnare non audet auctori, tergiversatione id agit, ut & Deo injuriam faciat, & hominem Legi inimicum constituens, morte multet secunda. Qui ergo Dei auctoritati cedit, & factum ejus retractari nefarium ducit, Legi ab illo datæ obtemperat, die noctuque studiis ejus insistens, nec aliquid aduersum respicit, non dubitans, quia potens est homo præcepta ejus servare. Nam hi qui pec- B care gestiunt, occasionem quærunt quomodo peccata sua à se faciant aliena, ut dum naturæ quasi imputanda peccata sint, immunis esse à pœna videatur peccator. Hoc propositum horum est, qui desperatione promissæ futuræ vitæ, præsenti desiderant frui voluptate. At hi qui freti fiduciâ fidei, spem futurorum exspectant, hoc implere contendunt, quod in primordio renascibilitatis polliciti sunt, ut abrenuntiarent pompis & voluptatibus satanæ. Quanta ergo subtilitate usus est satanas, ut promtiorem hominem ad peccandum faceret, per quod invidiæ suæ expleret nequitiam? Dum enim audit sic se natum esse ut peccet, & Deum non ignorat esse justissimum, credit se impunè peccare; quia qui justus est judex, non damnat eum qui imperante naturâ peccavit. Nec quidem ejus peccatum dicendum est, quod alius egit per illum. Sic deceptus est homo: peccatis enim pressus, factus est morti obnoxius. Igitur tollit omne hominis bo- C num, qui tollit & malum. Si enim peccator non habet pœnam, nec justus coronam. Ut quid laudantur boni, & reprehenduntur mali? Si enim hujus naturæ est ut peccare non possit, quid laudas in illo quod non est ejus? Et ut quid condemnas in peccatore delictum, cùm scias non ejus esse quod peccat? Quid nisi injustus erit qui bonum laudat, & malum accusat? Sed fortè dicatur è contra, Bonam naturam in homine laudo, & malam condemno: quia & vinum bonum laudatur, cùm per naturam bonum sit; & malum recusatur, cùm illud æquè naturâ hoc præstet. Si ita esset, nihil erat reprehensionis caussa, ut sic laudaretur justus, nec coronâ dignus judicaretur: neque ita accusaretur injustus, ut pœnâ dignus diceretur. Porrò autem & in præsenti & in futuro justos remunerari scimus & legimus, & injustos pœnis subditos concremari: quod injustum utique videretur, si iste qui naturæ suæ rem gesserat, igne D ultore pœnas pateretur; aut alius qui æquè naturæ suæ rem exsequitur, præmiis afficeretur. Si autem laudandus est bonus, quia quod naturæ suæ erat fecit; laudari debet & malus, quia & ipse similiter quod naturæ suæ erat, gessit, ut unusquisque permanens in eo quod factus est, laudetur. Quia si in quo factus est manens vituperabilis habetur, auctorem tangit vituperatio, qui talem nasci fecit qui displiceret. Quòd si jure remunerandus est justus, & condemnandus injustus, jam non naturæ respondetur, sed voluntati: quia natura libera est, voluntas autem in caussa est, quæ sensibus accessus patitur & recessus; ut injustus videns coronari justum, se autem damnari, sibi imputet, qui contra Legem sensibus credens malum fecit, cùm potuit facere bonum. Numquid poterit accusari sol, quia urit, aut aqua, quia infrigidat? Aut numquid remuneranda est aqua, quia siti affectos homines recreat, vel præmiis affi- E cietur sol, quia reficit homines calore suo post frigus? Quod enim naturæ suæ est, faciunt: unde nec damnantur, nec laudantur; aliud enim facere nesciunt. Sed quoniam non ita est ut æstimant stellarum speculatores, ratio actuum probat. Non enim inveniri potest, qui bene faciat semper, aut malè. Tunc enim videretur sic natus ut bene ageret, si irreprehensibilis permaneret; & ita dignè æstimaretur ut esset malus, si in eo duraret ut malè faceret semper: at cùm & illum, quem bonum putas natum, aliquoties videas malè agere; & hunc, quem malum natum dicis, nonnumquam cernas facere bonum, quomodo hoc verum probas, ut malus malus sit, & bonus bonus, nisi quia hoc magis certissimum est, quia ubi animum quis dederit, in eo proficit? Nam & caussæ sunt, quæ generant peccata, ut aut invidiâ quis litiget, aut inimicus exsistat. Illa autem quæ à Lege prohiben- F tur, non palam neque manifestè, sed occultè admittunt. Quare, nisi quia reverentur Legem? Sin verò ita ut adserunt, ad hoc nati essent ut malè facerent, non quærerent latibula, neque aliquam Legi reverentiam exhiberent; sed passim ea facerent, quæ cogeret natura. Sed cùm videas procurari peccatis, & excogitari ut possint latenter admitti; & loca enim & personas & tempora eligunt, ut mali propositi impleant voluntatem; simili modo etiam boni judicio quodam & bona opera sua discernunt, ut pro tempore & caussâ alicujus bonum suum distribuant: quod utique non jam naturæ imputandum est, sed quæ in natura est voluntati. Si autem naturale esset, cessaret judicium. Nam si rem pleniùs discutiamus, qui nunc justi sunt, injustos illos priùs fuisse ostendemus: datâ autem operâ immutati sunt. Ipse etenim Abraham per fidem justificatus legitur. Antè ergo non fuit, quippe cùm patre suo duce idola coluisse in- G telligatur. Et Zachæus utique, cui post vulgarem vitam testimonium perhibet Dominus. Et vas electionis, qui istud etiam fatetur, dicens, *Eramus & nos naturâ filij iræ, sicut & ceteri:* quia cedit voluntas pro natura. Ex voluntate enim quis judicatur, non ex natura. Sine dubio & omnes martyres & justi facti sunt boni; quia non fideles nati, sed renati sunt. Et quantos scimus turpis vitæ fuisse, & prodigos cultores luxuriæ, qui nunc continentes & sancti sunt? Accedente enim timore Dei, vincuntur vitia, quæ priùs dominabantur. Quantum autem possit timor Legis, hinc advertamus. Ante Juliani edictum, mulieres viros suos dimittere nequibant. Accepta autem potestate, cœperunt facere quod priùs facere non poterant: cœperunt enim quotidie viros suos licenter dimittere. Ubi latuit fatum tantis temporibus? Timore credo Legis occultabat se. Illud autem quomodo subintravit, quod tradidit Moyses? Dormientibus credo

Jac. 2, 23. Rom. 4. 3. Luc. 19. 9.

Ephes. 2.

fatis.

fatis. Tanta enim tradita sunt illis servanda, & talia qualia nulla gens habet præcepta. Et ne hoc aliquis ad plagam cœli referendum putet, in omnem propè orbem dispersi mandata Legis suæ custodiunt. Hæc præcepta contra fata sunt. Non enim fortè fuerunt tribus millibus annis & suprà à constitutione mundi: postea autem data, permanent usque in finem. Quod ergo tot millibus annis non fuit, quomodo cœpit? Stellarum enim cursus à constitutione mundi est. Et quid illud est, cùm tanta multitudo Judæorum sit per totum mundum, nemo immutetur ex his ut fiat gentilis, cùm videamus ex Paganis, licèt raro, fieri Judæos? Ecce quantum pertinet ad ritum Judæorum, exclusum est fatum; quia & extra fatum esse cœperunt, & in eo permanent. Quid videtur de Sodoma & Gomorra, quorum qualis fuerit exitus, vindicta obtutibus adjacet? Sic fuit ut omnes spurcitiæ infamiâ adspersi, divino igne consumerentur. In cataclysmo omnes unius fati fuerunt, ut omnes una morte & eodem tempore cuncti perirent, exceptâ domo Noë. Et omnis exercitus Pharaonis uno decreto [a] natus dicetur, ut ineptus error Matheseos vindicetur, quia demersi sunt in rubro mari cum suo rege. Et alia quanta exempla sunt quæ prætermittimus, quia ad satisfactionem sufficiunt duo exempla; quanto magis tot mysteria? Nam & cunctæ gentes diversa habent instituta. Et quod alibi licet, hîc non licet: & iterum, quod hîc licet, alibi non licet. Hîc * enim in urbe Roma & finibus ejus, quæ sacratissima appellatur, licet mulieribus viros suos dimittere, cùm cautum sit in Lege divina, ut ne viri quidem hac potestate uterentur, exceptâ fornicationis caussâ. Ecce in hac re meliores sunt Barbari. Quod & hîc servari posse non impossibile est, quia priùs servatum docetur. Mutatum est ergo fatum, quia cœpit licere quod antè prohibitum erat. Et eunuchos in regno Romano fieri non licet, apud alios licet: quia autem & hîc possent fieri, in absoluto est; nam factum licèt occultè probatur; si autem cessaret timor, publicè fieret. Metus ergo prohibet fatum, vincitur enim, si quod vult facere non facit. Et Persæ mulierum more inaures habent, quod hîc inhonestum & illicitum est: quia autem & hîc fieri possit, adtestantur antistites matris, quæ appellatur magna: & revera magna fuit, sed meretrix: sed in eo distat, quia isti cinædi sunt, illi viri. Et quid dicemus? In omni orbe terrarum hi soli hoc fato nascuntur, ut abscisi in mulieres transformentur, ut toto mundo isti pauculi inveniantur; quos constat minis circumveniri, & promissis præmiis ad hunc dolorem & dedecus cogi: si autem ad hoc nati essent, non cogerentur. Persæ licitum habent cum filiabus suis convenire, quod & hîc fieri posse ostenditur per id, quod à quibusdam factum probatur. Sed quia vindicta intervenit, metu correpti sunt, ne facerent quod potest fieri, sed non licet. Omne enim quod prohibetur, ideo prohibetur, ne, quia potest fieri, fiat: si autem fati esset, non posset fieri, neque prohiberetur. Nam si non esset fati & prohiberetur, posse fieri quod fati non est significaretur. Et quæ prudentia est prohibere quod non potest fieri; ac si aliquis prohibeat, ne quis de urbe Romana transvolet in Hispaniam, aut ne quis humeris montem transferat? Illa autem quæ possunt fieri cùm non debeant, prohibentur. Mos Maurorum est, ut inaures etiam in naribus habeant feminæ: numquid fati est? Si fati esset, huc translati sic manerent; quia si fatum est, unusquisque secum habet fatum suum: sed quia non est fati, omnes inde venientes, hîc immutantur, videntes turpe istic videri quod illic decorum putatur. Certè apud omnes gentes numerus, numerus est; terra, terra est; & aqua, aqua est; & aër, aër est; & ignis, ignis est. Numquid potest alicubi reperiri terra quæ non arida sit, aut aër qui palpabilis sit, aut aqua quæ non fluxa & frigida sit, vel ignis qui frigidus sit? Sic ubique Jupiter, Jupiter est; & Saturnus, Saturnus est; & Venus, Venus est. Eodem modo & cetera signa. Ars enim ista unâ ratione tractatur ubique: sed quia apud omnes gentes instituta manent, non fatorum ratione, quæ ubique una est, sicut tractant, sed hominum excogitatione. Quidquid enim alicui qui primus putatus est apud suos, quod ratione dignum visum est & aptum decori, statuit quibus præerat. Inde unaquaque regio vel gens propria habet quæ servet. Sicut Solon & Lycurgus multa statuerunt, quæ à Græcis legis more servarentur, quæ paulatim deficiente regno eorum oblitterata sunt. Nam regibus Judæorum mulæ placuerunt ad sessum; Romanorum autem non mulæ, sed equi; Garamantum autem, qui supra Tripolim Afrorum sunt, regibus tauri placuerunt ad sessum: Persarum verò reges vehiculis feruntur; nam veteres reges Persarum, nec videbantur à populis: & reges Madian camelis delectantur ad sessum, ita ut & colla eorum aureis exornentur torquibus: & per Africam asinis magis volunt insidere quàm equis. Cùm omnia ubique sint, non tamen omnia omnibus gratiosa sunt; quia unusquisque eligit quod magis apud illum habeat gratiam. Nam & nobis ipsis diversa voluntas est, & in vestibus, & in cibis, & in cetero usu, & in ipsa sententia. Quod ne fati dicant, qui multorum diversa asserunt fata, hæc res probat, quia frequenter mutatur nobis voluntas. Quod enim diu amavimus, postea displicet; & diligere incipimus quod priùs libenter non habebamus, & facta consuetudine immutati manemus. Ordinem autem si dicunt esse fatorum, ut sit quid quibus efficiant temporibus per intervalla recurrentia pristina, ut puta quod hodie faciunt, iterum faciant post tempus: non enim in uno dicuntur manere. Nam per disciplinam & consuetudinem vincuntur. Mulieribus etenim Romanorum multis temporibus vini usus incognitus fuit. Disciplina enim factâ consuetudine confirmavit sensum suum, ut retineret quod prodesse didicerat. Numquid illis temporibus hæc fata fuerunt, & postea mortua sunt, ut cessaret res bene inventa? Sed non fata hæc, sed disciplina invenerat. At ubi recessum est à consuetudine, periit disciplina. Et veteres Romanorum tantæ continentiæ fuerunt, ut etiam oblata munera refutarent, bonam famam divitias arbitrantes, & virtutem voluptatibus præponentes: & his fatis successum est, aut obierunt; sed non fati fuit, sed disciplinæ, quæ etiam ipsius fati pædagogus est. Quomodo enim potest fati esse, quod neque antè tempus habuit, neque nunc habet? Et quidem nescio, ut quid tantam invidiam fato faciant, ut in omnibus

Gen. 19. 24.

Gen. 7. 11.

Exod. 14. 24.

a Sic MS. Colb. At editi, damnatus dicitur.

* Romæ hæc scribuntur: cùm alio in loco scripta sit quæst. 84. Matt. 5. 32.

A gestis ipsum dicant auctorem, cùm sit & non sit. Ubi enim disciplina est, non est; & ubi consuetudo est, non est; & ubi casus est, non est: ubi autem videtur esse, timore legis vincitur; & libido enim metu compescitur, & quæstus pecuniæ propter Deum promerendum repudiatur. In hac ergo parte negari non potest, quia non potest non esse quod vincitur: & tamen rectè potest dici & in eo ipso non esse, quia caret auctoritate quod vincitur. Itaque Dei Legem qui sequitur, & consuetudinem tenet bonæ vitæ, huic cedunt omnia, quæ dicuntur fata. Tantum enim potest consuetudo, ut etiam bestias mitiget. Nam malè vivere volentes, ipsi sibi fata constituunt. Per luxuriam enim & voluptatem fit intemperantia & inquietudo, quæ parit incontinentiam & iracundiam. Et scientes istud pœnâ dignum, ut immunes se faciant, pudorem passi fatis adscribunt, cùm de hac re cogitantibus adjutorium faciant dæmones; quia & hoc statuunt, ut B malè cogitantibus tribuant effectum: istos fata appellant, non intelligentes quia sunt hominis inimici. Nam si per sensus non subintrarent peccata ad animam, sed de intus nascerentur, rectè omne quod delinquitur, fatorum esse videretur: cùm autem videant, per visum & auditum & per reliquos sensus nasci concupiscentiam peccatorum, (adjuvantibus inimicis qui suggesserunt faciendum quod contrarium est; & non putatur quamdiu fiat: dulce enim videtur cùm fit, aut antequam fiat; perfectum autem apparet esse amarum,) quid fatis imputant? Quia autem potest vinci, hinc advertimus. Cogitantibus etenim nobis & de aliqua re sollicitis, silent inimici, & conquiescit libido: non enim possunt suggerere occupatis nobis. Numquid aliquis ad aliquam rem alicui dedito aliud suggerit? Non facit, sciens aut se non audiri, aut aporiari quasi importunè suggerentem. Ita & inimici quos constat esse dæmones; ij sunt enim dij C Paganorum, qui si viderint divinis rebus nos occupatos, non se ingerunt ad contraria suggerenda, sed in insidiis sunt quærentes occasionem qua se ingerant. Munimenta ergo sunt animorum meditatio assidua Legis Dei & operatio: quia si otiosos nos viderint à rebus divinis, excitantur ad sollicitandos nos. Ipsi enim sunt, qui per carnem & sanguinem seminant concupiscentias. Quamvis enim habeat caro proprium motum originis suæ, quia non est [b] otiosa carnalis nativitas; tamen in hac re accedit ad necem hominum adjutorium dæmonum. Diversa enim sunt dæmonia, & disparem habentia voluntatem. Quædam enim sunt, quæ cùm perturbant animos, elidunt corpora: quædam verò admiscentia se sanguini, generant animis desideria: alia autem cordi hominis se copulantia, suggerunt cum blanditiis contraria: nonnulla autem sunt, quæ sola corpora obligant infirmitatibus; sicut & illam filiam Abrahæ, quam Dominus D curavit. Hæc omnia ignorantes Pagani, fatum appellant; cùm diversæ sint caussæ, & ista ab inimicis procurentur, ut quacumque ex caussa irritetur homo, & subjiciatur passionibus. Sed fatum bonum appellant, cùm bene temperata sunt corpora, aut affabilitate commendantur, habentia gratiam quamdam: malum autem fatum esse, si plus caloris habeant, aut humoris; aut si quis non sit adspersus gratiâ, sed magis ad detrimenta paratus, quos infortunatos vocant. Fac vera esse. Videmus enim hæc etiam in animalibus, ut plus habeant caloris: sed animalia non sunt rationalia sicut homo, ut possint adhibitâ curâ corpus suum temperare. Ideo enim imperator est corporis animus, ut gubernet illud retinaculis Legis divinæ. Ea enim quæ sive impulsu carnis, sive ab inimico suggeruntur, non esse utilia, Lex ostendit divina. Quam ideo adjutorio dedit Deus, ut dictantem inimicum mala, quasi bona respicientes Legis præcepta, E illum intelligamus esse seductorem, quia aliud suadet quàm docet Lex. Sic ergo frenatur corpus, ut quia fervet, minùs illi detur, & à deliciis retineatur. Sicut enim corpus febricitans si accipit escam aut potum, increscit illi calor: ita & hujusmodi corpora quæ sanguinis fervore uruntur, vehementiùs exardescent, nisi fuerint gubernata. Igni enim si deest esca, sopitur. Animi est ducere corpus. Si autem dimiserit illud ut eat quò vult, præcipitabit ipsum, sicut equus furiosus negligentem sessorem. Et quia corporis fervor plus exardescit, agentibus inimicis ad deceptionem animæ; quia non corpus desiderat, sed calore suo generat animæ desideria; [c] Dei nostri adsistentia imploranda est ad tutelam, ut prohibeat eos: quia *non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs principes & potestates:* quibus amotis, facile erit carnis & sanguinis motum comprimere. Exstinguitur enim incendium, si desit materia per F quam urat. Illis autem eveniunt quæ à Mathematicis dicuntur; qui credunt futurum quod dicunt. Illud enim agitur subtilitate dæmoniorum, ut ea efficiant, quæ antistites illorum dixerint futura, ne falsi detecti credantur. Circa eos verò qui responsis illorum non commodant fidem, non prævalet effectus eorum: quia neque ipsi tam intenti sunt, ut satisfaciant eis qui illis non credunt; neque patitur Deus facere illos per quod seducantur fidentes de Deo, & non credentes diabolo. Omnia enim sic Deus instituit, ut secundùm uniuscujusque fidem eveniat, ut arbitrium liberum maneat voluntatis: ac per hoc qui Deo credit ac auxilium ejus confugiens, nihil ei poterit prævalere: certus est enim in potestate ejus esse quæ fecit, & non audere contra eum quem videt Deum communem habere propitium. Certè fecit Deus mundum, & solem & stellas creavit, constituens eis cursus quibus gubernatur genus humanum: numquid non habet po- G testatem imperare illis, ut aliquando aliud faciant, quàm decretum habent? Sic enim ea condidit, ut voluntati subjaceant, tunc demum cursus decretos exsequantur, si aliud minimè fuerit præceptum: ut si rogatus ab iis fuerit quibus ministrant, per id quod aut importunæ sint pluviæ, aut nimia siccitate steriles fructus appareant, jubeat temperari tempus: aut si fortè, ut assolet, irato Deo vivant homines, dum per luxuriam & vanitatem oberrantes non faciunt quod placet Deo, diutissimè suspensa pluvia, ut factum legimus sub Elia & Elisæo, famem excitet super terram, satisfactione placatus annuat ut imbres irrigent aridam. Eodem enim modo ratio mundi est, ut imperium sæculare. Quomodo enim quidam pressi à rectoribus provinciarum, ad auxilium Imperatorum recurrunt ut erigantur: ita & homines si adversa sibi viderint tempora, supplices

b Sic MS. Colb. At editi, occisa.

Dæmonia diversa.

Luc. 13. 11.

c MS. Colb. Dei nostri ducio.

Ephes. 6. 12.

3. Reg. 18. 43.

se præbeant Deo, in cujus potestate sunt omnia. Sed hoc Mathematicis non videtur. Aliud enim inquiunt fieri non posse, quàm ut sidera decretas sibi impleant caussas: & neque revocari, neque ad aliud impelli possunt, sed semel statuta servant officia. Hæc Mathematicorum asseveratio est, ut dicant fata immutari non posse, neque precibus aliquid impetrari: quia semel Deum dicunt statuisse totius mundi rationem, & ministris sideribus tradidisse, quæ neque retrò neque antè fieri possunt. Hic est error Mathematicorum, quo & Deum pulsant. Per hanc enim asseverationem negant aliquid posse fieri extra ordinem mundi, ut omnia quæ in mundo à Deo facta leguntur, si à mundi lege discordant, negent credenda: illa autem asseverant quæ juxta mundi statuta facta dicuntur, ut neque virgo peperisse dicatur, neque virga Aaron floruisse & fructum adtulisse, neque Sara anus peperisse.

Num. 17. 8. Gen. 21. 2.

Hæc enim mundi ratio non habet, quia extra mundi ordinem à Deo facta leguntur. Et quid mirum, si auctor mundi fecit quod non potest mundus? Sed transgressus videretur, aiunt, rationem quam statuit, si aliter ipse fecisse dicatur, quàm mundo decrevit. Age verò, mundo legem statuit faciendi, aut generandi: numquid sibi? Et humilitas ejus erat, si sic faceret, sicut ab eo conditus est mundus? Et unde ab eo factum intelligeretur, si mundi lege fecisset quod fecit? Ut autem intelligeretur à Deo factum, non à mundo, alio ordine factum est. Certè soli decrevit, ut incessabiliter impleat statuta spatia, nec habeat licentiam standi: numquid qui hanc legem ei statuit, non ipsi licebit statuere illum? Certè judicibus statutum est, ne liceat in reum datam sententiam revocare: numquid & ipse Imperator sub hac erit lege? Nam ipsi soli licet revocare sententiam, & reum mortis absolvere, & ipsi ignoscere: quanto magis Deo licere debet, quod mundo concedi non debuit, quia Creatoris sui est famulus? Denique mundus per legem sibi traditam, occidere potest, vivificare non potest; per intemperantiam cæcum creare potest, oculos illi reformare non potest; imbecillem & ægrum facere potest, curare illum non potest: hoc enim sibi Deus reservavit, unde appareat eum Dominum omnium esse. Ad subruendum enim fatum pertinet, quia mortui surrexerunt; cæco nato oculi reformati sunt, ægri & paralytici confirmati sunt, & cetera quæ facta sunt alia, ut confugientibus ad Deum, si quid fati esse potest, impedimentum adferre non possit. Dicit enim Johannes apostolus, *Major est*, inquit, *qui in nobis est, quàm qui in hoc mundo.*

1. Johan. 4. 4.

Rogatus enim Deus, etiam quæ statuit amovet. Nam utique statuit in peccatores vindicandum, & tamen deprecantibus ignoscit; quia ipsi soli licet ligare & solvere. Unde cùm Soli statio concessa non sit, sub Jesu Nave jussus est stare, & obedivit ejus imperio, contra id quod sibi in ratione mundi fuerat præceptum.

Jos. 10. 13.

Sub Ezechia autem ampliùs factum legitur: quia ut Ezechias, quod sibi promissum erat, verum esse non dubitaret, signum tale accepit, quod novum esset, & humanis auribus inauditum.

4. Reg. 20. 11.

Non enim sicut priùs soli jussum est, ut staret, sed ut reverteretur retrò: quod videns Ezechias certum haberet, eum posse sibi quindecim annos addere ad vitam, qui de hora nona fecerat sextam. Et quia contra Mathematicos est quod Ezechiæ concessum est, negant enim posse addi ad vitam; signum iterum in hac re quod contra Mathematicos esset, accipit. Impossibile enim asserunt aliud astra facere quàm habet constitutum. Certè fati esse dicunt, servum habere, aut non habere. Esto. Ab initio mundi hæc fata ubi fuerunt? Usque ad diluvium enim & infrà multa serie annorum transactâ, non fuit hæc conditio servitutis. Aut numquid ex Nini regis temporibus hæc fata cœperunt, qui primus dicitur finitimis bella inferre cœpisse, & captos facere servituti obnoxios? Vides ergo postea hoc esse inventum, & non esse fati, sed actus dæmonum: quia si fati esset, ab initio mundi fuisset. Ipsa enim sunt sidera, quæ facta sunt in initio, & nunc manet cursus eorum. Et antea vita hominum agrestis erat, nec divitiis studebatur: quomodo nunc astrologi per astra dicunt divites & pauperes fieri? Numquid mutata sunt astra? At versutia & præstigium est Satanæ, ut ea per stellas dicat fieri, quæ angelis suis ministris operatur. Accedente enim tempore quo interitus ei appropinquat, majora adinvenit per quæ peccetur. Ecce scimus laborasse fame Italiam, & Africam, & Siciliam, & Sardiniam: dicant Mathematici, si omnes hi unum fatum habuerunt, cùm inter centum ne quidem duorum fata sibi convenire posse dicantur. Erubescant, & taceant; & Deo supplices manus tendant, in cujus potestate sunt omnia. Sed in hoc fortè subreptum est fatis? Quid dicamus esse de Pannonia, quæ sic erasa est, ut remedium habere non possit? O infirmitas eorum! quia fide pendula Christianos sese profitentur. Dum enim de promissis dubitant, nec de iis quæ facta sunt, cogitant. Si enim ea quæ à Prophetis & Apostolis gesta sunt, considerarent, numquam fabulas Mathematicorum admitterent. Scirent enim omnia in Dei esse potestate, nec terrerentur quando bonis mala accidunt; quia in futuro judicio remunerabuntur, memores Apostoli dicentis, *Quia per tribulationes*, inquit, *oportet nos intrare in regnum Dei.*

Act. 14. 21.

Contentus enim, & Dei sui exspectans judicium, remuneratus etiam vindicabitur. Si enim in præsenti vindicari desiderat, aut omni aviditate præsentibus frui copiis, dubitat de promissa vita; ac per hoc in futuro inter perfidos deputatus pœnâ dignus habebitur. Mundum enim Deus propter exercitium fecit, & omnibus copiis honestavit, duas caussas proponens, præsentem & futuram, cælestem & terrenam, ut ad probationem esset homini: ut qui spretâ futurâ vitâ præsentem eligeret, carni deputaretur; qui verò præsenti futuram anteponeret, spiritalibus dignus haberetur; & qui injustè pressus potentiâ injustorum, querelas Deo deponeret vel [a] resignaret, in futuro judicio relevatus spiritali gloriâ honoraretur. Unde nullus sanctorum in mundo gloriosus apparuit, neque præsentes dilexit delicias. Hinc Apostolus, *Habentes*, inquit, *victum & vestitum, his contenti simus.*

1. Tim. 6. 8.

Sed qui est Christianus, etiam dolet, si felix videatur in sæculo, cùm Christianorum dignitas & felicitas non in terris promissa sit, sed in cælis. Quomodo Christianum se dicit, qui non illic gloriari vult ubi promissum est, sed hîc ubi prohibitum est? Si enim expediret præsentibus frui, non utique hæc contemnentibus cælestia promitterentur. Qua ergo spe Christiani Mathematicis aures commodant, cùm audiant Johannem apostolum clamantem & dicentem, *Nolite diligere hunc mundum, neque ea quæ in hoc mundo sunt?*

1. Johan. 2. 15.

Itaque si hæc sunt fidei vel Legis nostræ præcepta, ne mundus diligatur, neque ea quæ in mundo sunt; quid est ut quidam nostrûm querantur contristati de aliorum felicitate quæ est in mundo, quæ apud Deum fortè infelicitas est; cùm magis gaudere deberent, quia non illis mundus præstat per quæ obligati teneantur humanis rebus obnoxij? Felicitas enim ista, securitatis facultate accepta, divinorum caret sollicitudine. Indiligens enim sit necesse est circa divina oracula, qui omnibus necessariis refertus, unde sit sollicitus, non habet. Alia enim sollicitudine incipere solent laborare hujusmodi, ut amplificentur in sæculo, quod sine peccato non potest fieri. Si propiùs autem adspiciatur, videbitur inimicus magis illorum esse mundus, quos beatos dicitur facere. Vix enim aliquis illorum cælestia cogitat. Gaudendum ergo Christianis est, dum rectè conversantes premuntur in hoc sæculo. Hic enim vincit sæculum, qui contentus quomodo illi evenerit in hoc sæculo, Deo gratias agit, à quo si qua hîc denegata videntur temporalia, reddi speret æterna. Ut quid enim Deus futurum judicium statuit, nisi ut qui injustè deprimuntur ad tempus, vitâ æternâ donentur, depressis iis qui per potentiam contemnentes, aut non credentes futurum Dei judicium, impunitatem esse scelerum arbitrati sunt? Sed fatorum assertores negant futurum judicium. Si enim nascuntur qui boni sint, & è contra qui mali sint; quid laudas aut accusas, quando neque bonus congressus laboravit ut vinceret, neque malus negligens fuit ut perderet? Quid enim inter privatos fabulas venditant? Nam judicibus oblati peccatores, numquam ausi sunt crimina sua fatis excusare: sed semetipsos reos confitentes, jure se sententiam excipere non negant. Itaque legis auctoritas rationem calcat fatorum, ita ut ne nominari quidem possint, cùm se commoverit lex. Quomodo autem evasuros se in perpetuum credunt, qui nequiter versati legis divinæ severitatem studio quodam ad tempus fugiunt, non cogitantes auctorem legis hinc dissimulare non posse? Nam hîc imago legis est, illic veritas: & qui illudit imaginem, veritatem illudere non potest. Numquid est aliquis locus sine Deo, aut aliquis manus ejus effugiat? Putant autem blandientes sibi, quia qui hîc evadit, jam securus sit. Et quomodo hoc justum æstimant, ut aliis punitis in talibus caussis isti evadant? Certè Deus mundum constituit, & qua lege uteretur, ostendit. Diligens enim opus suum ostendit ei viam, qua itur ad vitam, ordinans quibus ducibus uteretur: quia est & via quæ ducit ad mortem. Numquid non ergo requirere debet, si ij quos ministros regni sui posuit, eo jure quo constituit populum ejus gubernarunt; aut si populus edictum ejus suscepit, aut administri fideles inventi laude digni sint, aut infideles pœnis subditi? Similiter & populus lege servata laudatur, aut contemta damnatur. Hoc jus suum, hoc caussa exposcit. Quomodo ergo quibusdam displicet futurum judicium credere? Sed hoc Mathematicorum invenit amentia. Quomodo enim possunt futurum accipere judicium, qui præsenti repugnant; quia judicium in nativitate esse contendunt? Et quia [b] nativitati imputatur præmium, desipiunt ipsi qui cum quodam judicio naturali bonos & malos non fieri, sed asserunt nasci, peccantibus retribuunt, nec patiuntur inulta esse peccata. Virgis enim malos & vinculis intus corripiunt, quos foris inemendabiles asserunt natos. An quis prudentum corripit, quos scit emendari non posse? quod quidem aut stulti esset, aut iniqui. Sed ne hoc ipsum fato dicant fieri; qui sub fato est, non facit quod vult, ut & ipsi naturale habeant ut vindicent in eos, quos sciunt inconvertibiles manere naturaliter; & verè quia sic dicendum est, ut quidquid fati esse dicitur, stultitiæ deputetur. Quàm enim stultum est, ut cùm dicant aliquem malum natum, nec illum bonum probent quem asserunt bonum natum? Quomodo enim potest bonus judicari, qui rem iniquam facere deprehenditur? Quid enim tam iniquum, quàm ut iniquus credatur, qui negatur aliud potuisse facere quàm fecit? Et si omnia sub fato sunt, quomodo lex subintravit quæ non sinat fieri quod fati est? Si enim tollatur lex, passim publicè illicita fient, nec potentes poterunt ferri, nec erit libertas; quia & qui nunc non cogitat malum, sublato timore incipiet malus esse. Denique legimus legem malorum caussâ datam. Sed & hoc ipsum fati fortè fuit, ut lex daretur? Et qua ratione fata subsistunt, si generant à quo destruantur? Quidquid fati est, contradicit lex fieri debere. Carent ergo ratione, si contraria sibi generant. Et iniqua sunt quia nasci faciunt homines ad damnationem: & si iniqua sunt, auctoritatem habere non debent; quia omne iniquum punitioni obnoxium est. Aut ne fortè legem nihil prodesse dicant, quia qui sic natus est ut malus sit, per legem non potest immutari; quod si est, lex superfluè data est: & quomodo fata rem superfluam fecerunt nasci? quia nihil [c] sine fato. Itaque fata & pro se & contra se faciunt: quod si ita est, stare non potest quod per inconstantiam rationis non tenet firmitatem. Sed ne propter hoc legem fata esse voluerunt, ut quos malos fata faciunt nasci, à lege damnentur, ut conveniat fatis ex lege adhibere punitionem? Ad hoc quid erit quod dicatur, nisi quia & leges & fata proprio judicio condemnari merentur, si pari injustitiâ hoc elaborant, ut occidantur qui non sponte, sed fatis agentibus mala fecerunt? Ad hoc lex contradicit, quia fata propriâ professione damnanda sunt. Non enim negant eos qui mali sunt, fati esse quod mali sunt. Lex autem usque adeo adversa est ipsis fatis, ut neget malos fati esse quod mali sunt, sed voluntatis illorum: quamobrem [d] illos puniendos ritè constituit. Nihil ergo legi & fatis commune est, quando à lege negatur quod à fatis asseritur. Qua autem ratione nati dicentur, qui Mathematicos urbe Româ prohibuerunt? quod diu servatum non ignoratur, & certè pagani fuerunt. Quomodo fato fiunt, quæ contra fatum sunt? Sed si est fatum, non facit contra se. Isti non habent fatum, qui faciunt contra fatum; & si hi non habent fatum, non est fatum. Sed est, inquiunt, fatum unicuique præstans qua morte moriatur. Quod si ita est, non est accusandus homicida. Nam & duplici genere

a MS. Colb. reservaret.

b MS. Colb. Et quia veritas computatur præmij resurgit, ipsi qui quædam judicio &c.

c Sic MS. Colb. At editi, nihil prodesset fato.

d MS. Colb. reos illos ritè constituit.

se defender, quia & ipse fatis agentibus hoc fecit, & ille agentibus fatis occisus est. Sed inter hæc lex pulsatur, quia punit oblatum homicidam. Simili quoque modo nascitur qui adulter sit, & quæ adultera, & cui fiat adulterium. Quòd si & hoc sic se habet; etiam nunc lex tangitur, quæ punit adulteros: quòd si verè fati esset, etiam ille puniendus erat, qui tale habet fatum, ut adulterium patiatur. Et ipse enim particeps invenitur, quia fatum ejus admisit ut fieret adulterium. Æquum ergo erat, ut aut simul condemnarentur, aut simul absolverentur. Inter hæc injusta lex videtur. Ideo si à Deo sunt fata, lex non erit Dei; quia hoc non solùm Deo, sed nec prudenti convenit, id damnare quod fecit. Sed quoniam nemo umquam contra legem ausus est dicere, vel à Deo hanc esse negare, fata à Deo dici esse non poterunt, quia ista Deus punit per legem. Quando enim damnatur quod fit impellentibus fatis, sine dubio fata damnantur. Sed animæ, aiunt, malæ ad hoc nascuntur ut malè faciant. Esto. Sed non deberent malæ fato nasci, ut innocentes ab his possent occidi. Si enim illæ malæ animæ essent, nasci non deberent, sed puniri, ne occiderent innocentes. Sed non animæ, quas malas fingunt, innocentes occidunt; sed fata, quæ sic faciunt nasci homines, ut occidantur. Ac per hoc non animæ, sed iniqua sunt fata: & si iniqua sunt, à Deo non sunt: ergo à diabolo sunt: & si à diabolo sunt, simul damnanda sunt cum illo. Et quoniam discernere dicuntur singulis, quomodo moriantur, aut ferro, aut laqueo, aut præcipitio, aut naufragio, vel aliter, multis modis eadem præstant. Nemo enim potest solus ab omnium fatis discrepare. Quod si quis inventus fuerit discrepare, jam non est fati, sed eventûs. Et si in unius morte eventus est, erit & in multorum; & jam non erit fati. Anxagoras in pilam conjectus jussu regis contusus exspiravit, quod non contigit ulli hominum. Et Sisaræ regi Allophylorum mulier palum in tempora fixit, & ita reddidit spiritum. Hoc modo nemo est mortuus.

Judic. 4. 21.

Et antea cruci homines figebantur, quod postea edicto prohibitum manet. Si fati erat, quomodo desiit? Quando enim quod fati est prohibetur & non fit, vincitur fatum. Aut si non erat fati, non fato homines crucifigebantur, sed judicio legis. Et ita est ut non fato homines damnentur, sed convicti à malis suis operibus. Apud [a] Thuscos natus dicitur quidam tam formosus facie, quàm nemo umquam fuit: & quia vir bonus erat, ne cui in suspicionem veniret, quia etiam honestarum mulierum oculos illiciebat, faciem sibi septem plagis vulneravit, ut pulcritudinem quæ ab omnibus desiderabatur, damnaret. Ecce quomodo si fata sunt, superata sunt. Sed fortè dicatur, Naturæ fuit ut formosus nasceretur, fati verò, ut facies ejus vulneraretur. Quod si ita est, jam non nascitur fatum, sed accidens caussa est. Et si accidens est, non erit fati, sed consilij, aut fortè eventus, quantum ad reliquas pertinet partes. Nam quid aliud est vincere fatum, nisi immutare naturam? Quod si adeo utique esset, nec immutari posset, nec vinci. Legitur namque cautum in quodam juris libello, aliquando mulierem quinque peperisse: quomodo surreptum est fatis, ut huic soli hoc natura decreverit, quod non erat fati? Quod si fati fuisset, aliquantæ hac sorte oneratæ fuissent. Et cùm quidam ad peregrina loca proficisceretur, uxorem suam amico quem fidelem sciret, commendavit, non utique puero, sed maturæ ætatis. Qui ut diligentior custos ejus esset, abscidit se ille, ut cum ea sine cujusquam suspicione cautè dormiret. Quid putamus, fati fuisse, an consilij? Sed quomodo fati fuerit quod contrarium est? Qui vincit enim quod natum in eo est, hic exinanit fatum. Et in studiis certè fatorum vertitur caussa, ut sciat quis aliquid, aut non possit comprehendere. Omnes ergo senatores unum habent fatum; nullus enim senatorum sine litteris est: & gentes quæ sine litteris sunt, unum habent, & omnes servi unius sunt fati; nemo enim servorum est senator. Sed si quod nascitur dicitur fatum, quidquid accesserit, extra fatum erit. Aut si quod accidit, ex fato venit, quare per laborem venit? Tunc enim diceretur fati, si invito homini eveniret. Quod enim [b] evenit sine providentia, fatorum dicitur: quod verò excogitatur, & diu pensatur, & exercitiis mediis adquiritur, cur fati esse dicitur? Eunuchus aliquis natus est, alij fiunt, ubi erit fatum? In illo credo qui natus est: qui fiunt, quid dicendum de his est? Diversum est enim nasci & fieri. Aut si hi fato facti eunuchi sunt, ille contra fatum natus est eunuchus. Et quare tam rarò eunuchus nascitur, ut incredibile videatur? Quædam mulier fuit in urbe Roma, quam constat undecim maritos habuisse; & alius vir qui [c] duodecim habuit uxores; quæ fata sunt quæ his hæc decreverunt? Nam tempore Imperatoris Constantini manifestum est, puellam in parte Campaniæ immutatam in masculum, & Romam perductam: quæ hoc fata fecerunt? Alia ut opinor quæ vos nescitis. O si de hoc nomine taceretis, & aliqua eventui & casibus remitteretis, quædam providentiæ concederetis. Nam tantum potest virtus & industria animorum, ut non solùm naturæ resistat, verùm & seipsam emendet aut inemendet, quia habet judicium sui. Traduntur enim mulieres Scytharum, quæ Amazones dictæ sunt, cùm viri earum occupati bello longinquo diu abessent, propter sobolem se miscuisse servis, & omnem marem natum necavisse relictis feminis, ita ut nulla lanificio operam daret, sed ab ineunte ætate palæstrâ & armis imbuerentur. Harum tanta virtus in rebus gerendis fuit, ut per multam seriem annorum regnantes, nonnullas gentes subigerent, Asiamque omnem sub tributo ponerent. Quid ad hoc poterit dici? numquid hæc fati fuerunt, quæ per tot annos sic gesta sunt, ut omnia quæ fati putantur esse, exinanirent? Primùm, ut contra naturam mulieres spretis viris regnarent: deinde, quòd servis mixtæ sunt propriis: tertiò, ut omnes nati masculi necarentur, feminæ vivificarentur. Tanta eas prosperitas est secuta, ut sine viris regnum cœptum magnis copiis, magnis temporibus propagarent. Certè hoc factum à constitutione mundi numquam factum est, nisi in Scythia tantùm: ne fortè dicerent, quia cùm mundus innovatur post annos mille quadringentos sexaginta, sic hæc veniunt: quippe cùm mundus jam sexto millesimo anno agitur, quamdiu quod imitatus quis fuerit, facit. Nam Crassus Agelastus dictus est, quia semel traditur in vita risisse. Cur Junius, Brutus est cognominatus? quia sagaci consilio stultum se simulavit, ne à superbo rege propter pecuniæ suæ magnitudinem occideretur? Tempore Constantini morionem se xxx. annis finxit quidam, qui [d] Samatius vocabatur, ut Imperatorem, sicut ipse postea dixit, à tædiis suis avocaret. Ubi est ratio fatorum, quando unusquisque quod vult facit? exclusa est. Illud autem quale est, quod fatorum assertores supplicationibus sunt devoti, cùm sint his adversæ? Nam & annos suos his commendant, & de nuptiis, & de profectione quærunt, & de emtionibus, & de dignitatibus. Quod si fati est, quid oras, quid supplicas, quod etiam te invito futurum est? Sed quæro, inquit, an debeam emere. Ergo non in fato consistit, quod tunc facere debere te dicis, si didiceris expedire. Nam si fati est, frustrà quæris, quod velis nolis, quæras non quæras, facturus es. Quòd autem nec apud eos ipsos fixa est ista asseveratio, idcirco incerta tentant, ne aliud verum inveniant quàm tractant. Sed prudentiores qui inter eos videntur, non propter fata, inquiunt, supplicamus, cùm ea minimè immutari sciamus, sed horum caussâ quæ juxta fata sunt, ne faciant nobis aliquid adversum. Age verò, si nescio quis bonum fatum habeat, & juxta se sit aliquid quod videatur contrarium, quid poterit esse, cùm fatum bonum immutari negetur, sicut & malum? Certè hoc quod juxta fatum est, ne noceat supplicatur; nocebit enim nisi fuerit suplicatum: quomodo ergo illud fatum immutari negatur, quando hoc quod vicinum est, timetur? nec enim timeretur, nisi illud immutari posse crederetur. Sed quia in eo magis caussa consistit, ne fatum mutari dicatis, sine dubio, sine caussa supplicatis. Videte autem ne hoc fati sit quod supplicatis, quia sine malo solet esse quidquid fato adsignatis. Certè non mala res est supplicare: cur ergo non fati esse dicatur? Si ergo fati erit quod supplicat, cujus erit supplicare, & non impetrare? quia si fati erat, impetrare deberet quod supplicat. Si autem fati est supplicare & non impetrare, stultum est fatum; quia supplicare facit hominem, quem scit non impetrare. Quòd si nescit an possit impetrare, quod illum facit supplicare; improvidum erit fatum, & carens ratione: quia omnis ignorantia insipientia est insipientia verò stultitia est. In hanc partem cadit omnis tractatus paganorum. Viderint pagani, qui circumfusa caligine non vident lumen. Antiquo enim errore circumventi, veritati quæ priùs latebat, aures accommodare detrectant. Quid de quibusdam Christianis dicemus, qui in Salvatore, ceu solo nomine mutati, pristini erroris vindicant vanitatem, in tantum hebetati, ut ipsum Deum sub fato egisse contendant, dicentes, Ipse dixit, *Nondum venit hora mea:* ut hora hæc non voluntatis, sed fatalis conditionis fuisset necessitas, cùm ille voluntatis suæ horam significaverit, qua se [e] tradi permiserit.

Johan. 2. 4.

Denique ait, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Johan. 10. 18.

Cessat ergo fatalis necessitas, ubi potestas est voluntatis. Et quomodo Salvator appellatur à nobis, si fati sunt quæ agimus, vel accidunt nobis? Quia ideo Salvator dicitur, quoniam ostendit nobis viam salutis: itaque si ab hoc ostensa est, non fati fuit quia priùs latuit. Et quod fati esse dicitur, ex improviso evenire contendunt. Hoc enim fidei meritum est, quæ non potest dici ex fato, quia quod creditur, aliis sæculis auditum non fuit. Fata enim hoc dicunt præstare, quod in conversatione hominum vertitur. Hoc autem qua ratione præstare posse dicuntur, quod ignorare deprehenduntur? Hinc est unde Apostolus ait, *Quem nemo principum hujus sæculi cognovit.*

1. Cor. 2. 8.

Hi sunt principes & potestates, malos angelos sub se habentes, qui sub nomine fatorum voluptates suas efficiunt, prout eis libitum fuerit, sicut & adsolent malefici confiteri. Sunt enim quos diligunt, alios non amant, quosdam oderunt. Et unicuique hoc suggerit unusquisque quod diligit; quia & ipsi diversas habent voluptates, aliis libidinem diversi stupri, aliis munera, aliis voluptatem, aliis petulantiam, aliis iram, quibusdam avaritiam, aliis lucra, aliis damna procurant, aliis charisma, aliis odia, necnon & impedimenta. Et aliquando certis temporibus satiati quiescunt in otio: aliquando verò ratione, aliquando occupatæ menti non se ingerunt; quia non dominantur, sed subrepunt opportunitatem quærentes qua capiant. Igitur voluntatis arbitrium liberum est, sed dum quodam desiderio negligentes circa nos ipsos efficimur, sollicitantes suadent nobis adversa: maximè si cogitare nos aliquid quod Legis divinæ non est invenerint, veniunt in eo ipso adjuvantes ut impleamus quod prohibet Lex. Nam si timor Dei in animo sit, nec caro, nec sanguis, nec principes, nec potestates prævalent, quia Dei adminiculis sic eos persequuntur, ut non cum labore vincantur. Si autem potestatis nostræ non essemus, quomodo diceret Dominus, *Petite, & dabitur vobis? Omnis enim qui petit, accipiet.*

Matt. 7. 7.

Si ergo qui vult petere, accipiet, jam non est illud quod solet dici, Non quæ volumus, sed quæ data sunt habemus: quia voluntas à Salvatore incitatur ut petat, & accipiat quod petierit. Fati autem hoc esse dicunt, ut sive petat, sive non petat, fato tamen quod aut malum aut bonum est, consequatur. Dominus autem hoc excludens, ait, *Filia, fides tua salvam te fecit.*

Matt. 9. 22.

Non jam fati sit, quando fides percipit beneficium. Et iterum, *Si credis*, ait, *omnia possibilia sunt credenti:*

Marc. 9. 22.

in voluntate utique posuit meritum; quia fidei bonum est, non naturæ. Fides autem res accedens est, quæ excitat ad exercitium voluntatem: ut quia in natura non est, voluntas quæ in natura est, suscepta fide, meritum ei collocet apud Deum. Ita enim est natura hominum sicut lapis, qui cùm ignem non habet in substantia, habet tamen in potentia, ut opere creet, quod non videtur habere, quia non exsistit, sed quasi in semine, ita est in potentia, ut per exercitium generetur, & si defuerit exercitium non fit; quia & semen nisi exerceatur, non generat, sed ipsum solum manet. Accessio ergo facit ut generet. Ita & homo fidem non habet in natura, sed semen fidei habet, quod nisi fuerit provocatum & excitatum, fructum non dabit, id est, fidem non habebit. Mathematicorum enim [f] fatis credentes, fidei semen exterminant, quod & Creatori & justitiæ ejus testimonium perhibet. Opus enim opificem cognoscit, & æquo jure amoreque & facto testatur. Fugiendum omnibus modis ab hac arte monemus. Curiosi etenim ejus, inimici Dei sunt, & sine sollicitudine numquam sunt: semper enim suspensi exspectant, quod minimè certum sciunt. Nos autem qui de Deo

a MS. Colb. Etruscos. Vide Valer. Max. lib. 4. c. 5.

b MS. Colb. imminet.

c MS. Colb. undecim.

d MS. Colb. Samsucius.

e MS. Colb. pati.

f MS. Colb. fabulis.

a Ita MSS. & Rat. Aliæ edd. addũt, ũde Pascha dictũ sit, & quomodo per sãguinẽ mysticè celebretur.

omnia prospera credimus, & si qua adversa exstiterint, ejus nutu comprimi, suppliciter vivamus securi de ejus protectione; nec tamen nescij, quia & si quid adversum bene nobis agentibus evenerit, toleratum proficiet ad coronam.

De ratione Paschæ. [a]

QUÆSTIO CXVI. *Deest in MSS. 2. generis.*
Exod. 12. 11.
b MS. Colb. Immolatio.
c MS. Colb. mysterium sacrum.
d MS. Colb. ut in justitia opere suo destructa.

PASCHA, dilectissimi fratres, à passione appellatum est, sicut docet nos traditionis hujus præfiguratio, quæ perfecta est in Ægypto per famulum Dei Moysen, dicente Scripturâ, [b] *Immolationis Pascha hoc Domini est.* Quæ ergo ratio est ut [c] mysticum sacramentum per sanguinem sit celebratum, & reparatio vitæ per mortem; ut cùm mors augmentum facere se putaret, accepto sanguine Salvatoris minorata deflueret; & cùm virtute operatam se hoc existimaret, infirmata rueret? Morti enim mors per opus ejus divina procuratione inventa est: ut quia semper mala vult, cederetur illi ad tempus, ut [d] injustitiæ suæ opere destructa, regnum sibi ablatum queri non posset. Quamvis enim omnia possit Deus, nihil tamen facit quod sit rationi absurdum. Justitiam enim quam exigit, hanc & facit, non præsumens de potestate. Magna est ergo providentia erga genus humanum, ut justitiam servans, sic ea quæ justè decreta erant, solveret, & hominem à morte erueret: quamquam non immeritò teneretur. Sed quia invidiâ deceptus fuerat diaboli, justum fuit huic subveniri. Dei enim sententiâ tenebatur, sed hæc operatus fuerat Satanas. Unde sicut justum visum est hunc eruere, ita & injustum erat per potentiam hoc facere, neglectâ justitiâ. Victus enim homo suadente diabolo, ut misericordiam acciperet, quasi accusator diabolus contradicebat. Unde id actum est, ut iste qui in peccato hominis gloriabatur, peccans deprehenderetur, ut tunc demum reus factus, contradicere non auderet. Sic factum est, ut Dei Filius homo nasceretur, & justitiam prædicans diabolum incitaret, propter quod homines à vitiis ejus prohiberet: ita ut & occideret eum qui peccatum nesciebat. Tunc peccasse, & graviùs quidem quàm homo quem accusabat, inventus est. Cùm enim ex Dei decreto propter peccatum hominem sibi vindicaret, quia qui peccat, ex parte diaboli est; inventus est plus peccasse, cùm eum qui non peccaverat interfecit, ut sibi usurparet. Per mortem ergo morti interitus subintravit; ut sanguis recuperaretur, sanguis effusus est: quia, ut dixi, mortis auctor, qui est diabolus, quoniam peccasse in morte Salvatoris inventus est, sanguinem ejus cum omnium nostrûm amisit: quia sicut per unum Adam peccantem, omnes in morte tenebat; ita per unum non peccantem omnes amisit. Ergo sanguis Salvatoris fusus injustè, hoc [e] præmium consecutus est, ut originis suæ sanguinem cum triumpho recuperans ad pristinum statum revocaret melioratâ substantiâ. Victa enim mors, ei qui illam vicerat, non potuit contradicere. Beatum itaque Paschæ mysterium, quod per sanguinem nos redemit, morte per mortem devictâ, sicut solet venenum veneno superari.

e MS. Colb. præmij nomine.
f Addũt quædã editiones, & ejus fide, qua meruit fidelium pater appellari.

De Abraham. [f]

QUÆSTIO CXVII. *Deest in MSS. 2. generis.*
g MS. Colb. in specie.
Johan. 8. 56.
Gen. 15. 5.
Rom. 4. 3.
1. *Cor.* 1. 25.

HUJUS patriarchæ fides tam præcipua & admirabilis fuit, ut ceteri omnes justi patrem hunc credulitatis Dei judicio fateantur; nec sit aliquis Deo dignus & carus, nisi ejus filius fuerit appellatus. Prærogativa enim honoris ejus ac meriti fides est, quam cùm rebus incredibilibus dare non ambigit, inter cetera etiam Salvatorem videre dignus exstitit in [g] spe tunc futuræ Incarnationis, dicente & probante Domino ad Judæos, *Abraham pater vester cupivit ut videret diem meum, & vidit, & gavisus est.* Qui enim merito fidei pater factus est, dignum fuit ut futurorum filiorum suorum spem prævideret, quæ propitio & provido Deo hereditatis gratia ab humano & pio patre in filios obsequentes redundaret. Videamus nunc quid credidit fides hæc, ut ad tantum honorem & gloriam divino judicio perveniret. Fidem laudavimus, sed quid credidit, nondum diximus. Educens etenim hunc Dominus ostendit ei stellas cæli, & dixit, *Si potes numerare eas? Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Non magnum esset credidisse Deo, nisi quia quod credidit, mundus non credendum & stultum judicat; quia istud in spe rerum naturæ non est. Unde Abraham unus è mundo quia hoc credidit, segregatus à mundanis, justificatus est. Hoc ergo credidisse perfidia mundanæ sapientiæ magnum facit, contra cujus spem hoc credidisse, maximi meriti est. Desperatio enim mundanorum, meritum est & spes Christianorum. Bonorum enim præmium, caussa facit malorum: fortior namque & plenior fides est, cùm se incredibilibus magis committit. Homo enim jam aridus & de uxore anicula semen se credidit habiturum, quod præ copia numerari non posset: non hoc magis respiciens quod ostensum est, sed illum qui ostendit, mentiri posse non æstimans. Ideoque deputatum ei est ad justitiam. Nam rem absurdam, & quæ impossibilis scitur, hebetis est credere, nisi persona sit quæ credi istud suadet. Unde Abraham & admirabilis fidei est, & cordis periti, dum & illud credit quod incredibile est, & huic se committit cui non credere & stultum est & periculosum. Fidem enim nostram hoc probat rationabilem, quia non de alio quàm de Deo credit, posse ipsum quod promittit. Hoc ergo fidei propugnaculum est, hic triumphus. Quod perspicientes quidam mundi sapientes, quia rerum natura hoc non potest, stultum aiunt credere. Ignorantes quia secundùm Apostolum, *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Justè enim stultos nos judicarent si hoc de rerum natura crederemus, quod probatur non posse. Porrò autem ea quæ rerum natura non potest, nos Deum credimus posse facturum si promiserit. Quæ in hac re potest stultitia deprehendi? Si autem indignum Deo est opus, quod posse creditur; rectè fides hebetudini comparatur: quòd si dignum est, per id quod creaturæ impossibile est, cur non laudanda fides est, quæ tantum dat Creatori, quantum creatura posse negatur? Magnus ergo & admirabilis Abraham, qui contra mundi sententiam Deo credere non dubitavit, quia facere potest quod promittit. Naturâ Chaldæus, magister credulitatis apparuit: quamvis astrologiæ peritus, Deum tamen præposuit humano consilio, dignum æstimans si hoc credatur de Deo, quod quomodo fiat, investigari non possit. Infirmitatem enim suam Dei potentiâ confirmavit, quia ad majestatis suæ unicam magnitudinem protestandam, facere disponeret quæ impossibilia & inaudita sunt mundo, quo facto ostenderet se Dominum creaturæ, & creatura subjiceret se ei; cujus opus ceteris omnibus impossibile videretur; quorum incredulitate plus sublimatur fidelissimus Abraham. Fides enim ejus, incredulorum pœna est: incredulorum perfidia, gloria ejus est. Nam fidelium est pater, & infidelium est judex. Hujus enim exemplo & boni æternâ vitâ donantur, & [h] mali æterna dabuntur supplicia. Illo enim tempore quo mundus adhuc scientiâ parvulus erat, nec signis ac prodigiis quæ ad fidem adtraherent illustratus, Deo contra scientiam suam fidem non denegavit. Sanctus igitur Abraham exemplum generi humano datus est fidelissimus. In ipso enim præfiguratæ sunt omnes gentes ad salutem venire per fidem; cujus ut superabundans incrementum fidei nosceretur, tentatur, ac jubetur filium suum Deo immolare; quod factum non erat umquam. (Et nec rei novitate turbatur, nec disputat an fieri deberet, Deo jubente parricidium, qui homicidium ne fieret comminatus est. Sic de Dei voluntate intrepidus & securus, non cunctatur providum esse quod jubet Deus.) & hunc filium quem duo senes ex promissione susceperant, præmium fidei, meritorum indicem, & in quo omnis spes ex promissione futuri seminis habebatur. Quod ut omni devotione impleret, matri ejus non indicavit, ne quod dicationi ejus impedimentum afferret, sciens circa affectum filiorum procliviores in amore esse matres; ideoque celavit eam, non ambigens impleri debere quod jubet Deus, ut hoc exemplo doceremur, omni curâ Dei facere mandata. Si enim fidelissimus Abraham in re tam gravi & aspera obediens invenitur; quanto magis nos, quibus illa præcipiuntur quæ possunt portari? O fides Deo dicata, & spes in Domino firma, quæ tam cara & suavis est, ut parentum ac filiorum affectibus præponatur, dicente Scripturâ, *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Patriarcha autem noster fidelissimus Abraham quia Propheta erat, scivit quid sequi deberet. Ideo secundùm quod Dominus nunc dixit, tunc ille fecit, ut filio quamvis carissimo Deum in dilectione præferret dicente Domino, *Si quis diligit patrem & matrem, aut filios supra me, non est me dignus.* Unde Patriarcha ut Domino præ ceteris dignus exsisteret, etiam occidere filium non recusavit.

h MS. Colb. & mali æterna dabũt supplicia.
Psal. 33. 8.
Matt. 10. 37.

De Job.

QUÆSTIO CXVIII. *Deest in MSS. 2. generis.*
i Editi, servã MSS. semina.
Job. 1. 8.
Job. 2. 5.
k In editis deest, Job: quod restituitur ex MS. Colb.

MAGNA dilectio est, fratres dilectissimi, omnipotentis Dei erga genus humanum; quæ intellecta quidem perducit ad regna cælestia; non intellecta autem deducit ad inferos. Deus enim beneficium suum gratum vult esse & fructiferum, ut & nobis proficiat, & illum misereri delectet. Igitur quoniam bonus est, & omnes homines salvos vult fieri, exemplum nobis justitiæ in Job famulo suo demonstravit, sicut præsens lectio testatur, quod secuti & malo carere & ad bonum venire poterimus, & non solùm à pœna liberari, sed & remunerari. Quàm ergo admirabilis est sanctissimus Job, qui ante Legem litteris editam, in operibus suis exemplar Legis ostendit, nulla in hac caussa alicujus documenta addiscens, sed naturâ ipsâ duce, cui Deus justitiæ [i] semina naturaliter inesse decrevit. Creatori reverentiam pia devotione servavit? Quanta ergo laude dignus est, & quibus verbis facta ejus debeant extolli, cui non ante Legem, neque post Legem parem possumus invenire? Quamvis enim quis posset gesta ejus imitari, non tamen cum eo conferendus est, neque ei similis jure dicetur. Non enim suum esset quòd talis exstitisset, quia exemplum secutus est alienum. Sanctus autem Job cùm nihil tale vidisset, neque in voluminibus lectitasset, talem se præstitit, ut nullius aliquid in se collatum haberet, sed ipse ceteris conferret, formam præbens mirabilium gestorum ad Deum promerendum. Quare & Domini testimonio commendatur dicentis, *Animadvertisti ad puerum meum Job? Non est enim similis ei quisquam in terris verus Dei cultor.* Quis tantum potuit promereri, cui tale testimonium Dominus perhiberet, nisi hic qui non imitator invenitur, sed auctor eorum quæ gessit? Unde & verus Dei cultor asseritur. Nulla enim potest simulatio commentitiæ veritatis in eo videri, qui ante se non habet talem. Omnis enim qui fingit, hoc fingit, quod cernitur imitari. Et his tamen omnibus potiora sunt quæ dicuntur. In his enim laudibus nulla probamenta tribulationum fuerunt, sed propositum Deo dicatum in exercitio & observationibus constitutum: quod quia ad coronam meritorum tentatori non visum est plenum, petiit ut permitteretur ei diversis tentationibus probare ejus justitiam; ut in multis constrictus alicubi hæreret, & posset modum excedere. Quia ad hoc solent peccantibus diversæ pœnæ inferri, ut quia nemo omnia potest ferre tormenta, aliquid illorum eliciat ei veritatis confessionem. Itaque permissum est tentatori omnia ejus exterminare, & perdere, usque ad mortem filiorum: ut si damnum ferret boum, ovium non ferret: aut si & ovium ferret, camelorum amissionem non ferret, neque servorum aut totius substantiæ: aut si quia grandis animi erat & satis meræ devotionis, his omnibus non vinceretur, certè vel affectu caritatis, cogente frangeretur morte simul omnium filiorum. Sed quia ante Legem editam, Legem in corde suo scriptam habebat, nulla damna, neque orbitates minorem illum in Dei devotione fecerunt, ut formam daret ad Deum ex toto corde super omnia diligendum. Quantâ ergo dignus est gloriâ, qui ante Legem Legem servavit, ut Lex quæ futura erat, quomodo custodienda erat, demonstraret, non in verbis, sed auctor in factis? Et quia tentator irreverens est, nec hæc gloria satis ei visa est ad probationem viri justi, nisi aliud adversùs eum machinaretur, quod sciret ab homine ferri non posse: petiit iterum, ut illum ipsum sævo vulnere percuteret à capite usque ad pedum ungues. Et cùm hoc permissum esset, quia fides ei haberi non debet, præceptum est ei, ut animam ejus servaret propter arbitrium, & ne quid violenter auderet in eum, quem rationis jure superare non poterat. Accepta igitur potestate, recrudescente in se crudelitatis sævitiâ, percussit virum justum plagâ magnâ nimis, ut nihil esset in corpore quod immune esset à vulnere, quod nemo hominum tolerare posset, nisi solus [k] Job, qui vincere potuit satanam. Et cùm nec sic nequitia diaboli aliquod murmur contra Deum viro

justo

justo eliceret, memor pristinæ calliditatis suæ, qua decepit Adam, sategit si posset & istum per mulierem decipere; quia faciliùs quis decipitur per domesticum. Et in his omnibus nihil proficiens, immo detrimentum faciens impudentissimus satanas, non solùm immobilem invenit Dei servum, sed etiam magistrum. In ipsa enim necessitate positus, non tantùm in Dei timore duravit, verùm etiam uxorem contraria suggerentem increpans, docuit, omnia quæ Deo permittente accidunt, fortiter toleranda: quod ad duplicem pœnam pertinet improvidi satanæ, quia nec suasit quod voluit, & cùm huic invidit, alios fecit discere quod nec hunc scire volebat. Quantum enim prosit tentatio Dei servis, & obsit diabolo, hac lectione pleniùs edocemur. Cùm enim putat se nocere eis, promovet eos; & cùm unum persequitur, multos ad virtutem provocat. Videntes enim auxiliis Dei hunc protegi, multi imitatores ejus exsistunt. Lucrum ergo volens facere, perdidit. Semper enim furor ejus damnosus est ei. Nam cùm persequitur justos ne munerentur, digniores eos facit: & cùm zelatur sanctum Job, duplicavit ei meritum in cælo & in terra; quia & hic auctus est, & in cælis cum Salvatore receptus; ut ista omnia ad sanctorum proficiant gloriam, ad diaboli verò pœnam.

De Tobia.

QUÆSTIO CXIX. *Deest in MSS. 2. generis.*
Psal. 36. 25.
Rom. 2. 11.
2. *Cor.* 12. 9. &c.
Tob. 1. 2. &c.
Luc. 21. 2.
Act. 5. 41.
a MS. Colb. curam ejus agi. Deus.

TANTA providentia est Domini Dei circa nos, ut errare nos nolens, & Legem & exempla bonorum operum daret, quibus modesta & tranquilla agi possit vita cum Dei timore. Qui enim auctor vitæ est, non vult utique opus suum morti esse obnoxium. Quamvis natura ipsa legis non expers sit: tamen quia Dominus bonus & misericors est, ut major notitia eorum esset quæ sequenda, & illorum quæ vitanda sunt, litteris & exemplis ostendit, sicut præsens lectio testatur. Dei ergo famulus sanctus Tobias post Legem exemplum nobis datus est, ut quæ legimus, quomodo fiant, sciamus: & si tentationes advenerint, à Dei timore non recedamus, neque auxilium aliunde quàm ab eo speremus, memores scriptum esse, *Pusillus fui, etenim senui, & numquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Numquam ergo decipi potest, qui tota mente sperat in Deum. Licèt ad tempus tribulationes ortæ fuerint per insidias satanæ, exempla nos docent sanctorum virorum, non hæc à Deo permitti, nisi ad incrementum meritorum nostrorum: quia si æquo animo fuerint bajulatæ, hic nobis dabitur consolatio cum effectu, & in futuro vita æterna cum gloria. Deus enim noster quia justus est, & personarum acceptio apud illum non est, tentari nos permittit, quia nos diligit, ut post laborem possit nobis præmia dare amplissima. Denique Apostolo, ut tentationes ab eo cessarent, deprecanti, Dominus ait, *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* Hinc subsecutus ait, *Cùm infirmor, tunc fortior sum*: & *Gaudeo*, inquit, *in tribulationibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Quàm ergo laudabilis sit sanctus Tobias, scripturâ docemur; cujus devotionem nec captivitas minuit, nec oculorum amissio quo minùs Deum benediceret, persuasit, neque exhausta substantia à via justitiæ & veritatis avertit. Necessitas enim probat justum; & in egestate æquitatem servare, vera ac perfecta justitia est. Unde enim quorumdam devotio minuitur, inde augmentum fecit laude dignus Tobias. *Inopia enim*, inquit, *humiliat virum; & qui humiliatur, non potest servare justitiam.* Sancti autem Tobiæ erectus ad Deum animus, nec captivitate fractus est, nec inopiâ humiliatus: quia & contra interdictum, occisorum corpora sepulturæ mandabat, & de Dei largitione securus, de ipso exiguo misericors erat, sciens hanc magis placere Deo misericordiam quæ de exiguo fit; sicut & vidua illa fecit, quam Dominus in Evangelio collaudavit. Hic enim verè fidelis est, hic non dubitat de promissis Dei, qui de parvo largitur. Spe ergo futurorum animum suum consolans, Deo dicatus Tobias in tentatione robustus & fortis inventus est, ostendens in necessitate plus in Dei timore vigilandum; quia si necessitas ad Dei auxilium non impellit, quanto magis securitas? Certi ergo sancti viri, quòd Deus judicium sibi eorum omnium, quæ in hoc mundo fiunt, exceperit, tribulationes & damna & reliqua exitia vel contumelias, non tantùm non ægrè tulerunt, sed & gratanter acceperunt: sicut & nostri Apostoli, qui cæsi gavisi sunt, quia digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati. Indicia enim meritorum futurorum exitia sunt, quæ injustè fiunt fidelibus, sive in tribulationibus sive in contumeliis. Itaque in tantum Deo placuit justus Tobias, ut duplici genere meritorum suorum consequeretur mercedem: & in præsenti enim quod amiserat ministro Angelo recuperavit lumen, ac ditatus est etiam copiis quæ ad præsentem pertinent vitam; & in futuro heres regni cælorum est factus: ut in hoc doceremur, quia qui toto corde Dei Legi obtemperat, nec de promissis dubitat, & in hoc sæculo [a] copias ejus sæpe auget Deus, & in futuro donat illum vitâ æternâ. Est etiam aliud quod nos invitat ad divina obsequia. Sanctus enim Tobias non solùm justitiæ suæ merita consecutus est: quia accedit ad cumulum gloriæ ejus, etiam ex eorum bonis qui imitatores ejus exsistunt. In imitatoribus enim exempla laudantur. Quod nobis quoque poterit provenire, si sic vixerimus, ut dignum sit & nos imitatores habere.

De Jejunio.

QUÆSTIO CXX. *Deest in MSS. 2. generis.*
Tit. 1. 9.
b MS. Colb. fecerit.
Psal. 1. 2.

CONGRUUM est, fratres carissimi, devotissimè Dei sacerdotem & præpositum plebis Christi, exhortari populum sub cura sua positum in doctrina sana, sicut mandat Apostolus, ut opus fidei, pro temporis observatione, omni curâ diligentiâque, alacri & devoto animo faciamus. Jejunia etenim, quæ nunc imminente die festo Paschæ celebranda sunt, quid proficiant, quamvis non lateat, taceri tamen non debet. Incitatur enim devotio, quando ea quæ licèt non ignorentur, recensentur tamen. Tale enim est ingenium naturæ nostræ, ut torpescat, si usus destiterit lectionis. Quia sicut ferrum, nisi usum [b] fuerit, æruginem generat: ita & anima nisi frequentiùs divinis exerceatur lectionibus nascentur illi peccata. Hinc est unde in Psalmo hunc dicit beatum, qui die noctuque Legem Domini

meditatur. Denique quamvis notâ sint divina eloquia, tamen cùm fuerint sacris voluminibus memorata, sic illa devotum pectus suscipit quasi nova. Excitatur enim desiderium animæ erga opera salutaria. Unde Apostolus ad Timotheum inter cetera, *Ut resuscites*, inquit, *gratiam Dei quæ est in te.* Igitur necessaria sunt nobis jejunia, sicut in vulneribus medicina. Medelam enim conferunt vitæ perpetuæ; ita tamen ut duarum rerum testimonio commendentur, id est, oratione & misericordiâ. Jejunia ergo intemperantiam corporis mitigant, motus adversos reprimunt; pressuram animæ auferunt, sicut ait Dominus, *Nolite dediti esse in esca & crapula, ne graventur corda vestra.* Cùm enim anima ab esu & potu nimio fuerit liberata, tunc se meliùs recognoscit. Sicut enim in speculo sordido non se talem homo adspicit qualis est; ita & si escâ & crapulâ fuerit gravatus, alterum se sentit quàm est. Tunc exsuscitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria. Unde Apostolus, *Nolite*, ait, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Quod si temperatum fuerit corpus interposito jejunio, cognitione sui receptâ anima intelligit qua devotione obsequi debeat Redemtori. Magna ergo ex parte jejunia sunt necessaria. Sub Hester etenim regina cùm Judaïcus populus in periculo positus esset, jejuniis suffragantibus liberatus est. Et Ninivitæ cùm eversionis suæ præscriptum diem à Propheta audissent, jejunio indicto evadere meruerunt. Et justi ac Prophetæ nostri, quando à Deo aliquid impetrare volebant, jejunio se humiliabant, dicente David, *In jejunio humiliabam animam meam.* Nam & Salvator, cui opus non erat, ut nobis exemplum daret, jejunavit. Itaque nulli dubium est, prodesse jejunia: sic etenim ostendit se homo velle impetrare quod postulat, cùm se affligit jejunio. Unde dictum est, *Bona est oratio cum jejunio.* Ut accepta ergo possit esse oratio, [c] consortium vult secum habere jejunij. Et quia nihil horum sine pietate firmum est, adjecit, *& eleemosyna cum justitia*: ut eleemosyna servatâ justitiâ, commendet orationem cum jejunio. Denique orationem & jejunium Cornelij misericordia commendavit. Ipse enim abundans copiis, jejunabat; sed & non habentes pascebat, ut illorum saturitas, jejunium ejus faceret acceptabile. Nonnullis ergo indiget, & nonnullis carere debet jejunium, ut possit mereri quod postulat.

2. *Tim.* 1. 6.
Luc. 21. 34.
Ephes. 5. 18.
Hester. 4. 16.
Jona 3. 7.
Psal. 34. 13.
Matt. 4. 2.
Tob. 12. 8.
c MS. Colb. solatium vult eã habere jejunij.
d Sic MSS. & editio Rat. Aliæ autẽ edd. De Paschate, quàm laudabilis & gloriosa sit solemnitas.

[d] *Laus & gloria Paschæ.*

QUÆSTIO CXXI. *Deest in MSS. 2. generis.*
e MS. Colb. consota.

O sanctum & salutarem diem Paschæ, & omni laude prædicandum, quo mors devicta est, diabolo regnum ablatum, sacramentum Dei manifestatum, decretum quod adversùm nos erat, evacuatum; tartari januæ confractæ, vincti soluti, clausi remissi, cæci illuminati, imperiti scientiâ donati, impij facti misericordes, iniquis & injustis peccatorum data remissio, inimicorum reconciliatio, erroris emendatio, veritatis declaratio; Deo filij ex perditis adquisiti, superbia depressa, humilitas exaltata; pauperes ditati, divites exhausti; montes deplanati, valles repletæ, colles prostrati; impudentia calcata, verecundia [e] comta, animabus ad cælum data facultas, libertas reddita, disrupta ac resoluta captivitas: torpuerunt tenebræ, confusa est malitia, purificatus squallor; satanas dejectus; inanitus infernus: Dominus noster Jesus Christus verus Dei Filius approbatus, caro ad confusionem prudentium mundi in cælos sublata, cælestia, terrestria & inferna unus Dei & Domini demonstrata. Itaque, fratres carissimi, hunc diem festum colere & venerari debemus, devoti Deo cum modestia vitæ & animæ lætitia, turpia & inhonesta vitantes, ut ad fructum Paschæ venire mereamur per Christum Dominum nostrum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum.

De Principio.

QUÆSTIO CXXII.
Johan. 1. 1.
Gen. 1. 1.
1. *Johan.* 1. 1.
Deest in MSS. 2. generis.
Apoc. 19. 13.
f MS. Colb. post quem.

IN *principio erat Verbum.* Quid est in principio? Quoniam legimus & in veteribus libris, *In principio fecit Deus cælum & terram.* Et in epistola ejus, cujus Evangelium est, de cujus principio aliquid conamur edicere, eodem sensu significatum est: ait enim, *Quod erat ab initio.* Epistola ergo & Evangelium unum habent sensum. Aliud enim est quod in veteri ait, *In principio fecit Deus cælum & terram*, & aliud cùm dicit, *In principio erat Verbum*; & *Quod erat ab initio.* In principio enim esse, & ab initio esse, unum significat, quia ab initio quod erat, non cœpit esse. Quod enim incipit esse, ab initio non erat: & ideo subjicitur initio, id est, ut inter cetera in ordine primus sit, quia ipse initio factus, alios cœpit post se habere, qui post illum sunt facti. Sicut legimus, quia *in principio fecit Deus cælum & terram*: non dixit, in principio erat cælum & terra; quia cùm non essent, & disponeret Deus facere mundum, in principio, hoc est inter cetera quæ ad mundi fabricam proficerent, primùm fecit Deus cælum & terram; quia principium initium est inchoantis aliquid, quod sit primum in ordine. Illud autem quod dicitur, quia *in principio erat*, id est, Verbum, ante inchoationem creaturæ supernæ & infernæ significatur fuisse; ut non utique inter hæc, quæ creata sunt, priùs factum intelligeretur; quia in principio erat cùm Deus disponeret facere creaturam. Ergo si in principio erat, id est, ante omnia erat, semper erat. Ideoque & Verbum erat. Ubi? *Apud Deum*, inquit, ut non indignè initio subjectum minimè æstimaretur, quod semper erat apud Deum. Convenit enim, ut quod ante omnia apud Deum erat, nulli subjiciatur initio. Unde adjecit, *Et Deus erat Verbum.* Nunc ostendit apertè, quia quæ suprà dicta sunt, congruunt Verbo; quia *Deus est*, inquit, *Verbum*: & de Deo aliter non oportet sentiri, quam ut semper dicatur fuisse. Si enim cœpit esse, creatura est; si creatura est, Deus non est. Quidquid enim est, aut Deus est, aut creatura est: ac per hoc Dei nomen non competit creaturæ. Sed quia non cœpit esse (erat enim,) dignè dicitur Deus. Apud Deum autem ideo dicitur semper fuisse, quia non ex se, sed ex Deo Deus est. Quamobrem & nomen ejus dicitur Verbum Dei, sicut fides ejusdem Evangelistæ in revelatione sua demonstrat. Ait enim inter cetera: *Et nomen ejus est Verbum Dei.* Ut enim non ipse ex quo sunt omnia significaretur, sed [f] per quem sunt omnia, id est non Pater, sed Filius, Verbum Dei appellatus est: ut quia Deus sine Verbo esse non potest, hic qui Verbum Dei dicitur, semper apud Deum fuisse credatur: & quia Verbum

non est extra eum cujus Verbum est, hoc Verbum quod apud Deum erat, non aliunde, sed de Deo esse significatum intelligatur: & quia de Deo est, non absurdè Deus dicatur. Itaque non duos deos facit, Deum fuisse apud Deum. Si enim essent duo, diversi essent naturâ, nec unius voluntatis. Si enim nos homines cùm unius sumus naturæ? diversæ tamen sumus voluntatis, quanto magis [a] ubi diversæ & naturæ: & nec Deus apud Deum esse diceretur. Deus enim qui apud Deum erat & est, non ex se habet quod Deus est: si quo minùs, nec apud Deum Deus esse diceretur, neque Dei Verbum Deus Verbum appellaretur: sed quia quod de Deo est, non aliud significat esse quàm Deus est, Verbum Dei Deus est nuncupatus, ut quia Verbum Dei dicitur, ad alterum Deum non referatur. Quod autem Deus vocatur, ideo fit, ne ad injuriam Dei proficeret, si quod de Deo erat, Deus minimè diceretur. Igitur & unitas Dei servata est, & debita honorificentia reddita; quando non in propria gloria recepeus est hic qui de Deo Deus est, sed in ejus de quo Deus est. Propterea de Verbo incipit loqui Evangelium priùs quàm loquatur de Deo Patre; quia quæstiones non de Deo fiunt, sed de Verbo Dei. Nemo enim dubitat de Deo, sed de eo qui est de Deo Deus. Omnis enim lingua cœlestium & terrestrium fatetur unum Deum, sed in sacramento unius Dei turbatur. Trepidat enim audiens Deum dici Verbum Dei: corporalibus enim modis pulsatur, quia verbum hominis homo dici non potest: cùm utique Deus natura sit simplex, non membris compositus, neque qui intus habeat & foris, neque antè & pòst, aut summum & imum; sed si potest dici, totus per omnia idem, nusquam varius vel absimilis: una autem claritas ejus est immensa. Nam si iguis non habet anteriora & posteriora, aut intus & foris, quanto magis Creator ejus? Itaque quia omne quod Deus est, totum unum est, non discrepat cùm quid de Deo est, dicitur Deus. Ex parte ergo humano exemplo, & ex parte non humano, Dei Filius qui est Verbum Dei, Deus est. Ea enim ratione qua filij hominum homines sunt, Dei Filius Deus est; sed quia ex commixtione filij hominum homines sunt, non hoc exemplo Filius Dei Deus est; quia ex simplici Deo simpliciter natus est. Et quemadmodum verbum nostrum ex nobis est, hoc exemplo intelligitur Verbum Dei esse de eo: sed quia verbum nostrum non est hoc quod nos sumus, non hac ratione Verbum Dei de Deo est; quia Verbum Dei res est, non sonus qui deperit. Nec enim quia communia vocabula nobis & Deo sunt, una ratio erit nobis & Deo in rerum effectu. Nam legimus, *In principio fecit Deus cælum & terram.* Quomodo fecit? Numquid sicut nos manu [b] facimus opera? Et in subjectis, *Et dixit*, inquit, *Deus, Fiat lux, & facta est lux.* Cui putamus locutum esse Deum? Quia non utique homini locutus est, sed ei qui posset facere, qui etiam hominem facturus erat, sicut & fecit. Sed quomodo locutus est? numquid sicut nos loquimur organo corporali? absit. Vides ergo quòd vocabula quidem nobis & Deo communia sunt, sed diserepant in effectu: aliter enim Deus facit quàm facimus nos; & loqui dicitur, sed non more nostro. Sic & Verbum Dei non tale verbum est, sicut nostrum, quod postquam fit, non est; illud autem manet, quia tale Verbum est, quod & audit, & loquitur, & operatur. Non solùm autem Verbum Dei est, sed & virtus & sapientia Dei, hic est Filius Dei: qui quantum ad effectum pertinet, Filius dicitur Dei; quantum autem ad locutionem, qua nos alloquitur Deus per ipsum, Verbum dicitur Dei; quantum verò ad sapientiam, qua nos Deus per ipsum docet sacramentum suum, sapientia dicitur Dei; quantum autem ad operationem, qua per ipsum omnia fecit & facit Deus, virtus dicitur Dei. Hæc nulli alij possent competere nisi Filio Dei. Propterea enim quòd ex Deo Deus est, omnia Dei habere dicitur. Nascendo enim omnia consecutus est Dei. Nec enim conveniens erat degener dici Verbum Dei, & virtutem & sapientiam Dei: hoc est enim Deus Verbum, virtus & sapientia. Christus autem quia totus de toto est Deo Deus; & sapientia dicitur Dei, & virtus, & Verbum: hoc est, Deum esse de Deo, & apud Deum. Propter quod ait, *Hoc erat in principio apud Deum.* Ad evincendas enim incredulorum mentes coacta Scriptura erupit, ut ostenderet Christum esse Deum, cùm omni loco propter unitatem Dei, intelligi vult Christum esse Deum. Nunc autem aperta voce dixit eum esse Deum, & semper fuisse apud Deum, sacramentum patefacicus Dei, ne Deus omnino solitarius putaretur, declaravit non propterea unum dici Deum, ut solitarius æstimetur, sed hèc [c] duo vel tres, ex uno tamen, non præjudicare unitati; quia quod de uno est, ad illud ipsum refertur, quia unus est, quamvis omnia dicantur ex Deo. Sed aliud est quod propriè exstitit de Deo, & aliud quod nutu de foris creatum est Dei: hoc est, aliud est quod de substantia ejus processit, & aliud quod cùm nullo modo esset, voluntate ejus creatum est. Quia quod de substantia Dei processit, numquam fuit [d] post ejus substantiam: quod verò creatum est, tunc cœpit esse substantia cùm creatum est: ac per hoc initium non habet Trinitas sola. Declaratio igitur mysterij merita fidei minoravit: quia quanto occultius est quod creditur, tanto magis propensior credentis est merces, & minor pœna diffidentis. Declaratio autem mysterii sicut minora fecit [e] merita credentibus, ita majores excitavit diffidentibus pœnas. Manifestior enim lex plus facit reum. Nam sufficerat testimonium Salvatoris, quo sibi proprium Patrem dixerat Deum. Quis enim credentium dubitaret nihil à Patre differre in substantia Filium? Sed quia hæreticorum perversitas infidelitatis commentis fidei jura pulsare cœperat, aliter accipiendo Filium Dei quàm prædicatur, additum est, ad faciendam manifestationem, hunc ante omnia apud Deum fuisse & Deum esse; ut declareret quod filij veri ratio mysticè contineba-: per quod divina clementia humanæ infirmitati providisse videtur, ut aperiret quod clausum potioris fidei meritis reservaverat: unde adjecit, dicens, *Omnia per ipsum facta sunt*, ut si quis ex superioribus in aliquo ambigeret, quia angusta est inrelligentia hominum ad divinas res capiendas, ex his capax fieret, cùm audit, *Omnia per ipsum facta sunt*: ut non utique facturam ipsum putaret, quia omnia per ipsum audit facta à Deo; si autem & ipse esset factura, non omnia per ipsum facta à Deo dixisset: nec enim ipse per se fiebat. Quod ut adhuc absolutius

a *Sic MSS. At edita*, ubi diversitas nō est naturæ, neque voluntatis, Deus apud Deū dicetur.

Gen. 1. 1.

b MS. *Colb.* facimus manu, opere.

Johan. 1. 3.

traderet, adjecit, *Et sine ipso*, inquit, *factum est nihil*: hoc dicens, exclusit omnem controversiam & argumenta terrena. Quamvis non desint qui diffidant; tamen quando sine ipso nihil factum ostendit, nullo modo illum facturam esse suspicari debere edocuit. Quomodo enim dici potest ipse esse factura, cùm nihil dicatur Deus sine ipso fecisse? Si enim fecit, mentitur Scriptura. Sed absit. Fidelis enim est Scriptura, quæ ut errorem amputet, quantâ potest utitur manifestatione ad salutem hominum redimendam. Denique subjecit, *Quod factum est in ipso vita est: in ipso*, id est in Verbo, quod factum est, vitam esse significat. Sicut & ipse Dominus ait, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Non quia Verbum sine vita erat, & postea aut data aut facta est in illo vita; sed ipsum Verbum vitam vult intelligi esse. Si de Patre Deo potest dici, quòd aliud ipse est, & aliud in se habet; ita etiam de Filio ejus: quia sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso. Humana enim eloquia non sunt idonea ad res explicandas divinas. Ideo vitiosium videtur quod dicitur, ut cùm factura non sit Dei Filius, in ipso dicatur factum [f] quod est. Et si dixisset, quod genitum est in ipso, etiam sic vitiosum videbatur. Sed ut [g] substantivam generationem ejus ostenderet, opus in ea factum quali uti potuit sermone, per quod exsisteret, demonstravit, quia generatio ejus vitam in se habet. Nos enim vivimus quidem, sed non possumus aliis dare vitam: quippe cùm nec in potestate nostra sit eadem vita. Ille autem ideo dicitur vitam in se habere, quia potens est vivificare, & creare quæ vult ut sit & vivant. Ad hoc enim natus dicitur, ut omnia possit facere quæ facit Pater; quia sic habet vitam in se, sicut habet & Pater. Hoc enim est, omnia per ipsum & in ipso fecisse, sic eum genuisse, ut haberet in se vitam, per quam omnia possit facere: non quia ipse aliud est quàm vita, sed dum hoc potest vita ejus, ut & vivat, & alia possit creare quæ vivant, vitam dicitur habere in semetipso. Nos enim vivimus, sed non habemus sic in nobis vitam ipsam, ut etiam aliis demus vitam. Quem sensum & apostolus Paulus memorat inter cetera dicens, *Qui est imago invisibilis Dei primogenitus ante omnem creaturam: quoniam in ipso condita sunt omnia in cælo & in terra; visibilia & invisibilia, sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Conveniunt autem Evangelia in hoc duorum Apostolorum Johannis & Pauli: eadem enim dicunt, quia Filius Dei ante omnem creaturam genitus est, ut crearet potentias spirituales, & mundum, & quæ in eo sunt visibilia. Quod enim dixit Johannes, quia *quod factum est, in ipso vita est*, hoc idem significavit & Paulus dicens, quia *in ipso condita sunt omnia in cælis & in terra.* Et in subjectis, *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Per ipsum* creavit, quia in substantia idem Deus est, hoc est Pater in Filio. *In ipso* verò, quoniam sic generavit Filium, ut haberet potentiam faciendi omnia visibilia & invisibilia. Hoc fuit fecisse [h] in illo vitam, ut & viveret, & vitam aliis præstaret vivendi, intelligendi, agendi, & ceteris animantibus secundùm quod voluit, quasi imago Dei. Dum enim imago dicitur Dei, ad utrumque referur; quia & per expressam nacivitatem, plenam habet in se similitudinem Patris, & potest quidquid potest & Pater, ut verum sit Patrem videri in Filio, qui est imago invisibilis Dei. Numquid quia Patrem invisibilem dixit, Filium visibilem fecit, cùm hoc utique sit Filius per naturam quod & Pater? Et cum creatura cælestis sit invisibilis, quanto magis Creator ejus? Sed hoc significavit quod in cælis est, non quod in terra; quia quamvis Filius invisibilis sit, illic tamen, id est, in cælestibus videtur ab Apostolis vel ceteris talibus, de quibus dixit, *Pater volo ut ubi ego sum, & isti sint mecum, & videant claritatem meam.* Et alibi, *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: hoc est, Patrem in Filio, Deum imagine; quod est Deum in Deo. Sicut corporalis rei corpus imago est, ita & Dei Deus imago est: quia exemplum Pater, Filius verò exemplum de exemplo, quod communicat Spiritui-sancto: *quia de meo*, inquit, *accipiet.* Ideoque in Filio videtur Deus quasi in sua imagine. Sicut enim nemo dignus inventus est aperire librum, & signacula ejus, nisi Verbum Dei; ita & Deum Patrem nemo videre dignus est, neque naturâ, neque meritis, nisi verus Filius ejus. Nihil crenim medium est, quod obstet inter Patrem & Filium, ipso nobis teste qui ait, *Neque enim Patrem vidit quisquam, nisi qui est à Deo, hic vidit Deum.* Sed si in Filio videtur Pater, quare nemo dignus dicitur videre Deum; cùm videatur in Filio, quia nihil differt à Patre Filius? Nihil planè differt in substantia, quia verus Filius est; differt autem in [i] causalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio est: & in substantia minor non est filius, auctoritate tamen major est Pater, ipso Domino testante & dicente, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Quem etiam modum custodiens apostolus Paulus, *Deus*, inquit, *Deus Pater, ex quo omnia & nos in ipso*; *& unus Dominus Jesus, per quem omnia, & nos per ipsum*: ut primus gradus sit, ex quo sunt omnia; secundus, per quem omnia; tertius, in quo omnia. Et quia nullus ex his degener est, in unitate Dei significati sunt, dicente Apostolo, *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum.*

UTRUM Adam Spiritum-sanctum habuerit? QUÆSTIO CXXIII.

Comperi quoſdam ex fratribus nostris, non plenè discussisse Scripturas; sed simplicitate animi adseverare, quòd Adam factus, sanctum accepit Spiritum, quem peccans amisit, sicut nunc datur credentibus. Hac ducti ratione, qua solet adseverari à plurimis, quia per fidem instauratus est homo, ita ut ad pristinum redditus statum, hoc omne acciperet, quod inter initia Adam fuerat consecutus; & quia perfectus homo factus diecbatur, qui si non habuit, inquiunt, Spiritum-sanctum, imperfectus fuit. Ego autem non solùm hominem, sed & cuncta quæ fecit Deus, quæ non possunt dici, accepisse Spiritum-sanctum, dico perfecta. Omnia enim genera animalium in suo perfecta sunt, ut impleant id ad quod sunt facta: ita & homo in suo genere perfectus est, ut potens sit discernere mala à bonis, prava à rectis. Est enim animal intelligibile, perfectum ad id ad quod factum est. Capax est enim dicendi, excogitandi & faciendi, ut quæ

f MS. *Colb. emittit*, quod est.

g *Sic MS. Colb. At edd.* substantiam generationis.

h MS. *Colb.* in causa vel gradu.

Johan. 14. 28.

1. *Cor.* 8. 6.

Johan. 7. 39.

Rom. 11. 36.

virtute non potest, impleat sensu. Et quomodo ausi sunt dicere, hominem perfectum nescì debere & totum scire, quem videnr nihil ultra nosse quàm hìc discat? Quod enim hìc non discit, nescit. Denique quoniam hìc non discit, qualis sit, nescit: qui se ergo nescit qualis sit, quomodo omnia novit, cùm minus sit se nosse, quàm cetera? Sed quia de ceteris discit, de se autem non discit, de aliis novit, de se nescit, neque qualis sit, neque an ante corpus an post corpus sit. Nam si sic perfectus factus esset ut nullius egeret, non fuerat homo, sed Deus; neque circumventus prævaricasset. Spiritum autem sanctum habere, ultra naturam & perfectionem hominis est, ut possit quæ Dei sunt. *Num.* 22. 28. Numquid non, quia asina locuta est ad Balaam, ultra perfectionem ejus est? Accepit enim ut posset quod naturæ suæ non erat, sed nostræ. Itaque quia præstantior est homo ceteris animalibus, idcirco illa imperfecta dicenda sunt? aut quia sancti Angeli non sunt quod est Deus, imperfecti sunt? vel quia luminaria & stellæ imperfectiores sunt superuis Angelis, vel quia nubila velamine suo obtegurant solem & lunam, minùs perfecta sunt? Et quia membra inviecm egent, (non enim possunt pedes quod possunt manus,) imperfecta dicentur? absit. Omnia enim pro locis & gradibus suis suma & perfecta sunt, ut impleant id ad quod facta sunt. Igitur omnia perfecta sunt, quia & Creator eorum perfectus est: sed ad comparationem ejus imperfecta sunt. Deus enim per omnia perfectus est, quasi fons & origo omnium. Nam quæ facta sunt, perfecta quidem sunt, sed ad id quod facta sunt, ut in alia parte non sint perfecta; quia alter alterius eget: ut in eo quo non eget, perfectum sit, non in quo eget: ideoque perfecta & imperfecta sunt omnia. Manus indigere pedibus; quia nisi ambulaverint pedes, otiosæ erunt manus. Iterum pedes indigent manibus, calecare enim se non possunt, neque curare. Cùm ergo corpus perfectum sit membris, vuiare tamen non potest, neque ferre tantum quantum potest burdo. Cùmque hi perfecti sint, gubernare tamen se nesciunt, nec adhibere sibi possunt medicinam. *Psal.* 31. 9. Unde dictum est, *Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus.* Et aqua & ignis cùm repugnent invicem, in suo genere perfecta sunt; implent enim id ad quod facta sunt. Coquit enim ignis, & consumit; purgat & calefacit: aqua verò abluit, refrigerat, irrigat, fitientes recreat. Itaque cùm omnia in suo genere perfecta sint, sine homine tamen nihil possunt, neque homo quamvis perfectior sit, sine his. Hinc Apostolus imperfectos & perfectos nos dicit. Ad comparationem enim infidelium nos perfecti sumus, quia Deum cognoscimus: sed quia quæ promissa sunt, minùs scimus quàm debemus, quia in hac vita non tantum possumus comprehendere, quantum est quod creditur, imperfecti sumus. Igitur quoniam putant perfectionem Adæ instaurari credentibus, videamus si hæc instauratio nihil ultra doni habeat divini quàm fuerat consecutus Adam. Factus enim Adam positus est in paradiso, ut operaretur ibi, & custodiret: hoc est, ut coleret terram, & custodiret præcepta Dei, per quæ scìret sic se dominium cunctorum accepisse, ut ipse tamen sub lege viveret Creatoris, ne dominatio extolleret eum, & instatus superbiâ immemor fieret sui Conditoris. Positus ergo est, ut cibis sustentaretur vita ejus: per Christum autem hoc concessum est, ut resurgentes non egeant cibo vel potu; quia quod mortale est hominis, convertitur in vitam. Factus est Adam ut habitaret in terra; fides autem largiri dignata est, ut in cœlis sit habitatio nostra. 1. *Cor.* 15. 45. Scriptura ipsa testatur, quia *factus est*, inquit, *primus homo Adam in animam viventem, secundus autem homo in spiritum vivificantem. Primus autem homo de terra terrenus, secundus autem homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes.* Quid tam apertum quàm quòd Adam non habuit Spiritum-sanctum? Factus est enim in animam viventem; per Christum autem in spiritum vivificantem, ut homo in aliquo similis sit Creatori, [a] quem credit. Quia enim mysterium fidei, quod ad salutem datum est, trinum est, trinus sit, corpore, animâ, & Spiritu-sancto, per quem dicimur filij Dei; quod minimè Adam probatur vocatus, terrenus enim factus est. Filij autem Dei non carnaliter, sed spiritaliter nati, cœlestes dicuntur esse. Ecce absolutum est, donum Dei multo plus gratiæ concessisse homini tempore Salvatoris, quàm acceperat Adam: quia non solùm est instauratus, sed & melioratus: in eo instauratus, quia peccatis ablutus est; in ceteris melioratus. Hoc enim & justitia & ratio exigebat, ut tunc uberior esset clementia Dei in dandis beneficiis, quando mysterium divinitatis suæ innotescere voluit creaturæ: ut cognoscentes, quod incognitum fuit à sæculis & generationibus, Dei unius sacramentum in Trinitate consistere, pro ipsa novitatis quasi dedicatione peccatis abluti insuper justificentur, & adoptati à Deo Spiritum-sanctum accipiant, per quem signum adoptionis habere videantur. Adoptio enim à Deo signum habere debet Dei Patris, ut non immeritò filij Dei appellentur. Hoc donum etiam per Prophetas promissum est, ut tunc daretur, quando mysterium Dei declarari deberet in triumpho devicta morte, ut sciret creatura Patrem & Filium & Spiritum-sanctum unum esse Deum. Unde Evangelista, *Spiritus*, inquit, *nondum erat datus, quia Jesus non erat clarificatus.* Clarificatio enim hæc est, cùm per virtutem suam cognoscitur esse quod testificatus est de se, quia clarificatio hoc donum dedit, quod per Johelem prophetam fuerat promissum. *Johelis* 2. 28, Ait enim Deus, *In novissimis diebus effundam de Spiritu meo super* *Tit.* 3. 4. *omnem carnem, &c.* Et Apostolus inter alia, *Cùm autem benignitas*, inquit, *& humanitas apparuit Salvatoris Dei nostri, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis, per Spiritum-sanctum, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum; ut justificati gratiâ ipsius heredes efficeremur secundùm spem vitæ æternæ.* Confirmavit Apostolus quod per Johelem prophetam fuerat promissum, quia hoc postquam clarificatus est Jesus, implevit Deus, ut Spiritum-sanctum effunderet in illos, qui credunt in Christum: & hoc est heredem fieri vitæ æternæ, Spiritum-sanctum accipere; ut quia Spiritus æternus est, æternam habeat vitam qui accipit eum: pignus est enim immortalitatis. Qui enim accipit eum, & maner in ejus dilectione, transactâ hac vitâ pergit in cœlos ad eum cujus

a MS. *Colb.* & sic quod credit.

Unum opus differre secundùm personas in laudem sive condemnationem.

UNA est misericordia in divite & paupere, sed aliter imputatur diviti, aliter pauperi: quia plus laudanda est in paupere quàm in divite. Pauper enim de exiguitate sua largiri non timuit, sperans à Deo sibi rerribui & in præsenti & in futuro. Credit enim Scripturæ dicenti, quia *qui tribuit pauperibus, non egebit.* Unde & [b] paupercula illa divitibus multa mittentibus sola meruit à Deo collaudari, quia de penuria sua largiri non timuit. Divites verò securi de divitiis suis largiuntur, pauper autem securus de Domino. Benè igitur faciunt divites dum largiuntur egenis, sed multo melìùs pauperes. Ac per hoc alia remuneratio pauperis & alia divitis. Dives enim si hoc non fecerit, vapulabit: à paupere enim non exigitur tantum. Ideoque laudabilis est pauper misericors. Furtum in paupere & divite unum peccatum est, sed divitem plus facit reum: quia pauper per inopiam facit furtum, dives autem cùm abundet non contentus suo, tollit aliena; & quod pejus est, solet pauperes exspoliare: ac per hoc differt pœna utriusque. Et justitia pauperis, & divitis una est; sed laudabilis est in paupere magis. In egeitate enim servare justitiam, magnifica res est. Dives autem ideo servare videtur justitiam, quia alienus est ab inopia. Ergo uterque justus est, sed majus est in necessitate servare justitiam. Superbia una est, sed plus damnanda in paupere est quàm in divite: quia dives copiâ elatus est, pauper autem in egestate superbus, quod ad infamiam pertinet, ac per hoc plus reus est pauper. Humilitas una est, sed magis laudanda in divite est. Quid enim magnum est si pauper humilis videatur, quem ipsa inopia humilem facit? Magnificum autem si hìc qui dignitate & copiis commendatur, incliner se, non sibi vindicans quæ mereri se novit. Ergo in omnibus humilitas bona est, sed multo magis in divite. Doctrinæ & studij una est causla, sed laudabilior in divite est. Pauper enim cùm nullâ p rogativâ commendaretur, operam dedit ut haberet unde posset requiri: Dives autem cùm esset unde commendaretur, adhibito labore auxit se, ut duplici genere necessarius esset; non enim avocatus copiis retraxit animum, quo minùs per se floreret. Et ideo hìc magis laude dignus est quàm pauper, qui si studiis operam minimè dedisset, per omnia remanserat vilis. Illum ergo voluntas, hunc necessitas fecit studij cupidum. Libido in paupere & divite eadem est, sed damnabilior in paupere quàm in divite est. Pauperem enim egestas revocare debet à cupiditate luxuria: cogitare enim debet, quia unde hoc impleat non habet, & dum hoc festinat adimplere, alia multa mala admittat necesse est, quibus fortè nec ad præsens evadat: aut certè hoc ipsum quod habet insumens, mendicus remanebit cum nota. Divitem autem deliciarum copiæ lacessunt ad voluptatem libidinis: præterea quia divites securi sunt de impunitate, sciuntes venalia esse judicia, & nec redargui se ab aliquo. Quis enim dignitate fultum virum & divitem arguere audeat? Unde magis accenduntur, ut & violenter hoc agant. Non solùm enim minimè reprehenduntur, sed in magno honore sunt, & gloriari possunt,

QUÆSTIO CXXIV. *Deest in Mss. 2. generis. Prov.* 18. 17. *Luc.* 21. 2.

b MS. *Colb.* paupera.

quia tales ſunt. Quòd ſi uterque, id eſt, pauper & dives pudicus ſit, multùm differt pudicitia divitis à pudicitia pauperis. Pauperem enim poteſt humilitas revocare, ne quod vult poſſit implere, aut timor legum: dives autem cùm multis ſuffragantibus cauſſis ad voluptatem poſſit allici, laudabilis eſt, ſi avertat hinc animum. Aliâ ergo remuneratione dignus eſt dives pudicus, & aliâ pauper pudicus. Quòd ſi rex ſit pudicus, multum eſt glorioſum, ut omnia in poteſtate habens non contingat, quòd ſcit impunè à ſe poſſe fieri. Hic verè Deum timet, hic verè præcepta ejus cuſtodit, qui in poteſtate habens leges, futurum Dei judicium contemplatur. Itaque grandis res eſt, ut qui in præſenti non habet quem timeat, vincat quod delectat; cùm delectatio tantum poſſit, ut non ſolùm futura, ſed & præſentia minimè vereatur. Unde multùm merentur quicumque hanc ſuperant, ſed plus ij qui in præſenti legibus & hominibus dominantur. Ceteri enim & homines & leges verentur: quare & propoſitum cuſtodiunt. Ne enim apud homines erubeſcant, ſervant quod diu tenuerunt; & ne condemnentur, à prohibitis ſe abſtinent: hic autem qui dominatione nec leges timet, nec homines erubeſcit, magnæ gloriæ eſt ſi ſe abſtinet.

Adversùs Euſebium.

QUÆSTIO CXXV. *Deeſt in MſS. 2. generis.*

MEMINI me in quodam libello Euſebij quondam egregij in reliquis viri legiſſe, quia nec Spiritus-ſanctus ſciat myſterium nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti; & admiror tantæ doctrinæ virum hanc maculam Spiritui-ſancto inflixiſſe. Hoc enim dicens degenerem illum ſignificavit. Neque enim poteſt dici de Deo eſſe, ſi neſcit quæ Dei ſunt: quia inferior natura quid in potiore ſit, neſcit. Sin verò ſubſtantiæ eſt ejuſdem & divinitatis, quomodo poteſt neſcire quæ ſua ſunt? Denique Filius Dei, quia, *Ego*, inquit, *& Pater unum ſumus*, propter unitatem ſubſtantiæ, non immeritò adjecit, dicens, *Omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt: & quæ mea ſunt, Patris ſunt.* Quamobrem ſi Spiritus-ſanctus ejuſdem divinitatis eſt, qua ratione ſegregatur, ne ſit ejuſdem ſcientiæ, cùm ejuſdem non negetur eſſe ſubſtantiæ? Quod plus eſt [a] conceſſit, quod minus eſt renuens. Creatura enim diſcit, & incipit aliquanta ſcire de auctore ſuo, & erunt ei quæ didicerit cum auctore ſuo communia: ſubſtantia autem vel divinitas non poteſt Deo eſſe & creaturæ communis. Nam Dei ſubſtantia non habet quod diſcat, quia nihil eſt quod ignoret: ſubſtantia verò hominum non habet in natura ut ſciat, ſed ut diſcat. Itaque naturæ hominum accidit ſcientia: non tamen immutatur ſubſtantia; quia hominis natura dehabet ſcientiam: ſic enim condita eſt, ut per exercitium adquirat ſcientiam. Igitur major eſt ſubſtantia quàm ſcientia; quia non ſcientia adquirit ſubſtantiam, ſed ſubſtantia ſcientiam: & ſubſtantia eſt ſine ſcientia, non tamen ſcientia poteſt eſſe ſine ſubſtantia. In Deo autem ſicut eſt ſubſtantia; ita & ſcientia: ſubſtantia enim quæ nihil habet quod diſcat, ipſa ſubſtantia eſt ſibi ſcientia. Quamobrem omnia in Deo ſubſtantiva dicuntur. Subſtantia enim cui nihil deeſt, omnia ſubſtantialiter habet; quia nihil ei acceſſit poſt ſtudium. Quomodo ergo dici poteſt de Spiritu-ſancto, quia neſcit nativitatem Filij Dei, ſi conſubſtantivus eſt ei? Numquid poteſt una eademque ſubſtantia, & ſcire, & neſcire? Certè Filius Dei myſterium nativitatis ſuæ non didicit, ſcit enim ſubſtantialiter, non per doctrinam: qua ergo ratione Spiritus-ſanctus dicitur neſcire, cùm ſimiliter ipſe nihil habeat quod diſcat, quia omnia novit per ſubſtantiam? Sicut enim Dei Filius, ita & Spiritus-ſanctus Dei ſubſtantia eſt, dicente Domino, *Omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt.* per quod ſignificavit ſubſtantiam Dei Patris ſuam eſſe ſubſtantiam. Et Spiritum-ſanctum à Patre dicit procedere, & de ſuo accipere. *Et ideo*, inquit, *dixi, de meo accipiet, quia omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt.* Si à Patre procedit, & de Filio accipit, quomodo Filij neſciat nativitatem; quando ſubſtantia ejus ſubſtantia Filij eſt? Omnia enim quæ Patris ſunt, Filij ſunt. Sine dubio ergo Patris ſubſtantia & in Spiritu-ſancto eſt. Adjecit enim Filius, dicens, *Et omnia quæ mea ſunt, Patris ſunt.* Quid ergo ambigitur de Spiritu-ſancto, an ejuſdem divinitatis ſit, cùm ſit ejuſdem ſubſtantiæ? Nam ſicut de ſe dixit Dominus, quia à Deo proceſſit, ita & de Spiritu-ſancto teſtatur. Et ne hoc aliter poſſit interpretari, *A Patre*, inquit, *procedit*, & *de meo accipiet*: ut à Patre procedere, hoc ſit de Chriſto accipere. Cùm enim dicitur de Filio Dei accipere, non ambigitur etiam ipſe eſſe de Deo, ut in ſancto Spiritu Patris eſſe ſubſtantia & divinitas non ambigatur. Itaque qui hunc dicit neſcire Filij Dei nativitatem, ipſi derogat cujus dicitur accepiſſe. Nec enim aliud accipit, quàm ipſe eſt de quo accipit: quia accepiſſe de Chriſto, de Deo proceſſiſſe ſignificavit: ideoque non poteſt neſcire, quod hic ſcit de cujus accepit; neque ignorare dicendus eſt Dominum, quia à Deo proceſſit. Certè Filius Dei, quia de Patre eſt Deo, ſcit omnia Dei: quare ergo Spiritus-ſanctus negetur ſcire quæcumque Chriſti ſunt, cùm de eo acceperit? Itaque ſi ſcit Filius Dei quæ in Deo ſunt, dubium non eſt etiam Spiritum-ſanctum non ignorare quæ in Filio Dei ſunt: & per id quod novit quæ ſunt in Filio, non neſcire dicendus eſt quæ in Deo ſunt. De eo enim de quo accipit, Dei habet notitiam. Et quid laboramus, cùm teſtis ſit in hac re Apoſtolus, dicens, *Nemo ſcit quæ ſunt in Deo, niſi Spiritus Dei?* Ecce in quo diu ſudavimus, Apoſtolo adjuvante implevimus. Et numquid præjudicavit Filio Dei, quia neminem dixit ſcire quæ in Deo ſunt, niſi Spiritum Dei? abſit. Sic nec præjudicavit Spiritui-ſancto Filius, cùm dixit, *Nemo novit Patrem, niſi Filius.* Neminem enim dixit ſcire quæ in Deo ſunt, præter eum qui de Deo eſt: quia omne quod de Deo eſt, novit Deum, & quæ in Deo ſunt. Natura enim Dei, ipſa ſe novit: quam cùm intelligis eſſe etiam in Spiritu-ſancto, per id quod à Patre proceſſit, & de Filio accipit, tutum non eſt iſtum dicere neſcire Patrem Deum, cujus naturam agnoſcis in eo: & tamen Salvator ſic dixit, neminem ſcire Deum Patrem niſi Filium, ut reſervaret alij perſonæ hujus cognitionem: ſtatim enim ſubjecit, dicens, *Et cui voluerit Filius revelare.* Cui putas vult revelare Filius? Nulli enim carior eſſe poteſt quàm Spiritui ſuo: quia *ſi quis*, inquit, *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Quomodo ergo putas

A revelatum Deum Patrem à Filio Spiritui-ſancto, niſi quomodo ipſe Dominus ait, *de meo accipiet?* Creaturæ enim revelari non poteſt Pater Deus; quia Dei naturam ferre non poteſt, niſi fuerit ejuſdem ſubſtantiæ: lucem etenim habitat inacceſſibilem creaturæ dumtaxat. Sed quibuſdam videtur ideo rectè dici neſcire myſterium nativitatis Filij Dei Spiritus-ſanctus, quia omnia dicitur ſcrutari, & qui ſcrutatur, inquiunt, neſcit utique. Quod ex alio loco debet intelligi, Dei enim verba ſunt inter cetera dicentis, *Ego Deus qui ſcrutor renes & corda.* & in Pſalmo, *Scrutans*, ait, *corda & renes Deus.* & Apoſtolus, *Qui ſcrutatur*, inquit, *corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundùm Dei voluntatem poſtulat pro ſanctis.* His exemplis cùm ſcrutari dicitur Dei Spiritus, non ignorare ſignificatur. Etiam alta Dei dicitur ſcrutari: & quæ ſunt alta Dei, quæ dicitur pervidere? Scrutari enim occulta ſignificat penetrare, ut per id nihil eſſe B occultum ei credatur. Alta enim Dei myſteria interiora ſunt Dei, quæ ſcrutari à creatura non poſſunt. Nam & ſecundùm Dei voluntatem pro ſanctis legitur poſtulare, quod ſancti utique neſciunt, dicente Apoſtolo. *Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus.* Ergo alta Dei ſcire, & voluntatem Dei non ignorare, unum ſignificat. Quid enim tam altum myſterium, quàm voluntas eſt Dei, quod cognitum eſt Spiritui-ſancto, ceteris verò incognitum eſt omnibus? Contuendum etenim eſt, quomodo dictum ſit, quia *nemo ſcit quid ſit in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in eo eſt*: ſpiritum animam ſignificavit; quia nemo ſcit quid ſit in animo hominis, niſi animus ejus qui eſt ſpiritus. Sic & in Deo nemo ſcit quæ ſunt Dei, niſi Spiritus Dei, hoc eſt, ipſe Deus. Qui enim [b] de Deo eſt, non aliud intelligitur eſſe quàm Deus eſt. Ideo Spiritus Dei ſcit quid in Deo eſt, quia de Deo eſt. Nam ſi cogitationes hominum nemo novit niſi Deus; C quanto magis Dei ſecreta & voluntatem nullus poteſt cognoſcere niſi ſit de Deo, hoc eſt idem ipſe Deus? Ipſe eſt enim ſibi ſoli cognitus. Nam utique in Deo non ſunt cogitationes. Nec enim tractat apud ſe quid faciat, aut quid non faciat, deliberans an expediat; quia omnia quæ in Deo ſunt ſine dubitatione ſunt non per accidentiam, ſed per ſubſtantiam; nec per ſtudium, ſed per naturam; quia non [c] immutatur. Ac per hoc non aliter novit Spiritus-ſanctus myſteria Dei, niſi per ſubſtantiam: una enim ſubſtantia unum habet ſenſum & voluntatem. De Deo loquitur, qui ſemper unus & immutabilis eſt, ſive in Filio, ſive in Spiritu-ſancto. Quod enim vult Pater, hoc vult & Filius; & quod vult Filius, eadem vult & Spiritus-ſanctus. Quamobrem aliquando dicitur Spiritus Dei, aliquando Spiritus Chriſti: *Qui à Deo*, inquit, *procedit*, & *de meo accipiet.* Hinc eſt unde Johannes Apoſtolus ait, *Ex hoc ſcimus, quia Deus in nobis ma-* D *net, de Spiritu ſuo, quem dedit in nobis.* Ergo ſi Spiritu Dei in nobis manente, manere dicitur in nobis Deus, Deus ſignificatur eſſe Spiritus Dei. Denique, hoc eſt ſignum credentium, quòd ſint filij Dei, ut cùm hunc accipiunt, Dei ſe filios audeant appellare. Niſi enim ſignum deitatis habuerint, Dei filij dici non poterunt. Quamquam aliquis verus Dei filius non eſt, ut ſit totus de toto, ſicut & Chriſtus. Per adoptionem autem fiunt filij Dei, ut accipientes Spiritum Chriſti per ipſum filij Dei dicantur, per id quod de Deo eſt quem in ſe habent Spiritum. In filiis enim, quamvis adoptativi ſint, patris tamen ex aliqua parte debet videri ſubſtantia. In mundo enim quia res imperfectæ ſunt, adoptati ab hominibus filij nullum pignus, ſed ſolum nomen accipiunt. Deus autem quia perfectus eſt, plus facit, ut adoptatis Spiritum ſuum det, per quem aliquam veritatem adoptati ab eo videantur habere; quia vocabula ſine rebus inania E ſunt. Apoſtolus noſter hanc aſſertionem noſtram adjuvat, dicens, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus?* Quid tamen ſibi vult, quòd cùm alibi dicat, ſcrutabilia eſſe alta Dei, id eſt ſecreta, hoc in loco deneget, dicens inſcrutabilia eſſe? Sed in hoc loco de creatura dixit, quia inſcrutabilia ſunt ei ſecreta vel judicia Dei: Spiritui autem ſancto, eo quòd omnia Dei noverit, ſcrutabilia dixit eſſe cuncta quæ in Deo ſunt: ut quod creaturæ incognitum eſt, Dei Spiritum aſſerat non ignorare. Dei ergo natura negari non poteſt, quæ cognitum habet quod à creatura non poteſt comprehendi. Qui degenerem dicunt Spiritum-ſanctum Dei, pulſant propoſitum, qui totius creaturæ ſalutem in Trinitatis divinitate conſiſtere declaravit: quia ſi conſubſtantivus non eſt Deo & Chriſto, ineptum eſt ponere iſtum F in numero Patris & Filij, ut ſine hoc neque ſalus alicui ſit, neque dignitas. Si enim non eſt ejuſdem divinitatis, aut ſtultè, aut [d] gratis effectum eſt, quod abſit. Quis enim prudentium deneget Creatorem cum creatura connumerari non poſſe, neque æternum cum eo qui ſub initio ſit comparari, neque Dominum cum ſervo æquari, neque potentem cum impotente conferri, neque ſcium cum inſcio deputari? Sed jam ceſſet calumnia. Tertius enim ordine eſt, non naturâ; gradu, non divinitate; perſonâ, non ignorantiâ. Sicut enim Filius Dei ſecundus à Patre eſt, & divinitate minor non eſt: ita & Spiritus-ſanctus ſequens à Filio eſt, non impar, ſed æqualis divinitate ſubſtantiæ. Denique quæ legimus de Filio Dei, eadem legimus & de Spiritu-ſancto, ipſo nobis teſtante. Ait enim, *Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Alium cùm dixit, ſe paracletum ſignificavit. Quod Johannes declarat, dicens, quia Filius G Dei *poſtulat pro peccatis noſtris.* Et Paulus Apoſtolus *Ipſe*, inquit, *Spiritus Dei poſtulat pro nobis.* Ecce Scriptura ambos advocatos eſſe oſtendit. Et cùm veritatis illum dixit Spiritum, nihil illum à ſe differre oſtendit, quia dixit, *Ego ſum veritas.* Miſſum ſe à Patre dixit, & ipſe mittere ſe Spiritum-ſanctum promiſit. Si ipſe à mittente impar non eſt, neque à mittente impar ab illo Spiritus-ſanctus eſt. Neque enim quia tres ſunt ſinguli, alter alterius membra ſunt, ut diverſa poſſint. Una eſt enim trium potentia, ut nihil deſit ſingulis. Hic finis ſit. Jam enim in libello adversùs Arianam impietatem digeſto, reliqua pleniùs tractata ſunt, quæ Trinitatis complexa ſunt indiſcretam unitatem.

De eo qui fidem Chriſti percepit. [e]

QUÆSTIO CXXVI.

SCRIPTUM eſt, *Quia juſto nihil proderit juſtitia ejus, in qua die*

Iohan. 10. 30. — Iohan. 16. 15. — a MS. Colb. concedis, & quod minus eſt retines. — Johan. 15. 26. & 16. 14. — 1. Cor. 2. 11. — Matt. 11. 27. — Rom. 8. 9.

1. Tim. 6. 16. — 1. Cor. 2. 10. — Jer. 17. 10. — Pſal. 7. 10. — Rom. 8. 27. — Rom. 8. 26. — 1. Cor. 2. 11. — b Editi, in Deo: at MS. Colb. de Deo. — c MS. Colb. non immutantur. — 1. Iohan. 3. 24. — Rom. 11. 33. — d MS. Colb. gratioſè factum. — Johan. 14. 16. — 1. Johan. 2. 2. — Rom. 8. 26. — Johan. 14. 6. — e Quidam editi addunt, quid præeminētiæ ſeu prærogativæ habeat ad gratiā cōſequendam plus quàm infideles.

die erraverit: & quia injuſto nihil oberit injuſtitia ſua, cùm ſe converterit. Et Dominus in Evangelio, *Qui non crediderit*, inquit, *jam judicatus eſt*: ut per hoc eum qui crediderit, non judicio ſubjectum ad ſententiam excipiendam ſignificaret, ſed fidei merito laude dignum futurum. Ergo cognitio Dei hanc habet prærogativam, ut peccatorum conſequatur remiſſam. Credens enim Dei eſſe Filium Jeſum, dignus exſiſtit ab omnibus liberari peccatis. Diu enim errore devius, cùm per diverſa ignorantiæ fluctibus jactaretur, illuminatus veritatis coruſcationem nanctus eſt, in qua poſt nimias tempeſtates requieſcat ſecurus: cui congruit, ut poſt cognitionem temperet ſe ab iis, quæ jam pridem in ignorantia poſitus agebat. Quid enim prodeſt cognitio, ſi manet priſtina converſatio? Hinc etenim quis videtur cognoviſſe Deum, ſi vitam mutet, & converſationem ſuam corrigat. Cognitus enim Deus timeri debet, quia judicaturus prædicatur, ut & fideles juſtitiæ ſuæ percipiant fructum, & impij, id eſt increduli perfidiæ ſuæ congruas pœnas exſolvant. Convenit enim juſtos in futuro gaudere, ubi regnabit Chriſtus cum ſuis: ut ſicut in ſæculo ſunt opprobrio, & injuriis ſubjacent, in quo princeps eſt diabolus; ita & in regno Chriſti glorioſi appareant, propter quem contemtibiles judicati ſunt à mundanis: injuſtos autem quia falsò florere videntur, per mendacium repugnantes veritati, in pœna tribulari; ut qui per fucum glorioſi viſi ſunt, per verum deſpecti & humiliati nimis appareant. Tunc enim juſti ſe crediſſe gaudebunt, cùm perfidos viderint cruciari: & nec pænitebit perfidos non crediſſe niſi viderint gloriam eorum & ſuam pœnam, quos quia crediderunt ſtultos, & contemtibiles arbitrati ſunt. Ergo ex eo quòd profitetur ſe quis Chriſtianum eſſe, id ſtudere debet ne peccet, & armare ſe contra vitia. Et quia impoſſibile eſt ſemper vincere, ſi victus fuerit, dolere ne iterum vincatur: quia qui ſe dolet victum, reparat ſe. Qui ergo repugnat, habet unde ſe excuſet, ſi victus fuerit. Oſtendit enim ſe votum habuiſſe vincendi, ſed minimè prævaluiſſe. De hoc ſpes eſt, quia poteſt ſe reparare, ut aſſidua meditatione in congreſſione peritior & fortior inveniatur. Nam qui ad hoc ſurgit, ut peccet, inexcuſabilis effectus pergravem habet cauſſam. Pejus eſt enim ſub Dei vivere profeſſione, & voluntatem habere peccandi, quàm ſi ignoret quis Deum & turpiter & contaminatè verſetur. Hic enim neſcit quem timere debeat, ille ſciens contemnit. Credentes ergo accipiunt remiſſionem peccatorum, non tamen glorioſi erunt, niſi poſt acceptam fidem vixerint ſub Dei timore, ut colluctati contra hoſtes Chriſtiani nominis victoriam faciant, ut poſſint præmium mereri dum plus vincunt quàm vincuntur. Nam qui intelligit Deum, & non accedit ad fidem ejus ne vivat Chriſtianus, ſed in fine vult fidem accipere, ut moriatur Chriſtianus, aut erubeſcit Chriſtianus vivere, aut peccatis operam dat, quæ arbitratur poſſe ſibi remitti cùm crediderit; iſtum puto non bonam cauſſam habere: quia ut quamdiu in ſæculo eſt, peccet, non vult fieri, nec vivere Chriſtianus, aut confunditur fieri Chriſtianus. Qualem ſperat Deum, cui cùm militare erubeſcit, vult ab eo ſtipendium accipere? hujuſmodi irriſor eſt. Sciens enim ſe jam non tempus habere ut peccet, morte imminente, tunc vult fieri Chriſtianus; ut quia jam non poteſt peccare, credere ſe dicat in Chriſtum, qui exſecratur peccari, ut non jam nolit peccare, ſed non poſſit præveniente morte. Iſtis debet legi, quia *Deus non irridetur.* Nam & ſolent hujuſmodi talia dare mandata, ut jam defectis & alienis, tantùm anhelantibus detur fides, timentes ne evadant, & confundantur quia facti ſunt Chriſtiani. Quibus recitanda ſunt Evangelij verba. [a] *Qui*, inquit Dominus, *erubuerit me confiteri in hac generatione, & filius hominis confundet eum, cùm venerit in regno Patris ſui.* Sed fortè dicant, Scientes fragile eſſe genus humanum, idcirco in fine vitæ volumus fidem accipere, ne jam peccemus. Sed fides ſic accipi debet, ut ſciatur quid accipitur. Tunc enim beneficium ejus habebit, ſi cognoſcat, & profiteatur eam. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Ac per hoc, qui jam neſcit ubi ſit, quomodo poteſt dici accipere? Ille enim accepit, qui profitetur ſe accepiſſe, ſciens quia accepit. Si enim credunt, quia datur credentibus remiſſio peccatorum, ſcire debent quia hic credit, qui corde ſuo teſte credit. Quia Deus, qui promiſit, cordis inſpector eſt: ipſum enim ſuſcipit, quem corde videt credere. Itaque cujus cor verba fidei non advertit, quomodo beneficium ejus habebit? Ergo hic poteſt videri non temere fieri Chriſtianus accepta fide qui id agere cernitur, ne facilè peccet. Nam qui peccare feſtinat, idcirco non vult accipere fidem, ne cogatur bene vivere, quod videtur nolle; ſed in morte vult conſequi, impunitatem ſperans, & remiſſionem præteritorum malorum, ut & de præteritis ſecurus ſit, & de futuro; quia jam utique non poterit peccare moriturus. Sed hoc non bono fit conſilio, neque mundâ conſcientiâ, ut tunc velit accipere fidem, quando jam non poſſit, non nolit peccare. His convenit dictum illud, *Faciamus mala, ut veniant bona*, hoc eſt modò peccemus, & in noviſſimo credamus, & remittetur nobis. Ideoque ſubjecit, *quorum damnatio juſta eſt.* Non eſt enim dignum, ut his detur remiſſio peccatorum, qui jam ſcientes Deum qui nolit quemquam peccare, & odio habeat peccatores, peccare geſtiunt; nolentes advertere, donum Dei his proficere, qui ignorantes Deum ſic peccant, ut neſciant judicaturum Deum. Qui autem audivit & tractavit apud ſe, & votum habet peccandi, non ut vincatur aliquâ cogente cauſsâ, ſed velit peccare, durum eſt ignoſci ei. Nam duæ cauſſæ ſunt, quæ habent peccatorum remiſſam. Una doni, alia pænitentiæ, ut qui poſt donum peccaverit, per pænitentiam reformetur. Quia enim in accepta gratia non permanſit, ut in libertate duraret, ſed iterum ſe ſubjecit peccato, lamentatione & gemitu impetrat oblitterari peccatum: ſciens enim prudenſque peccavit: non quòd aliquis ignoret peccatum, ſed qui neſcit Deum judicaturum, impunè putat futurum quod peccat. Ac per hoc gentilis ſi cœperit infirmari, & in ipſa vitæ deſperatione tractet apud ſe de fide & ſpe promiſſa, integram habet cauſſam, ut huic credenti remittantur peccata, nec teneatur in inferis, ſignum ferens ſecum evictæ mortis ac ſpoliatæ, licèt non habeat dignitatem vel remunerationem. Quia debet aliquid intereſſe inter eum,

A qui provocatus amore ſui Domini contra hoſtes ejus dimicare non timuit, armans ſe continentiâ & obſervatione omnium vitiorum, ut poſſit reſiſtere malo, ſemper ſollicitus quomodo imperium Domini ſui defendat: & inter eum qui cum inimicis Domini ſui conveniens, & eis adſiſtens, in fine vitæ ad Dominum ſuum regreſſus eſt, non ut regnum Domini ſui vindicaret, ſed ut ſibi ſoli prodeſſet eſſe civis antequam miles. Ille enim qui vivere vult Chriſtianus, ut poſt mortem remuneretur, ſcit quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Ac per hoc ſuſceptâ armaturâ fidei non dubitat congredi contra principes & poteſtates, ut in ſæculo exſiſtens victor, poſt ſæculum coronetur. Dignum eſt enim, ut qui inter perfidos & rebelles Domini ſui regnum ad præſens * teſtatur, hujus rei in futuro conſequatur mercedem: ut videntes inimici Dei teſtem Chriſti propter confeſſio- B nis ſuæ veritatem ſublimem apparere in regno Dei, doleant confuſi falſum ſe æſtimaſſe quod verum eſſe declaratum eſt: necnon & hi qui tardè crediderunt, non in vita, ſed in morte confitentes Deum, videntes quanta eorum gloria eſt, qui ſub armatura Chriſti militantes bella imperatoris ſui devotè & fideliter geſſerunt, pæniteant non ſe vixiſſe, ſed mortuos eſſe Chriſtianos. Poteſt enim videri minimè idoneus mori Chriſtianus, qui votum non habuit vivere Chriſtianus, fortè enim jam moriturus, idcirco voluit dici Chriſtianus, quia jam tempus peccandi non erat; Ne fortè, inquit, verum ſit quod creditur, volo fieri Chriſtianus, nihil amittens, ſi falſum eſt quod creditur: & quia jam in morte [b] non voluntas peccandi, ſed peccatum fieri deſinit, tentat ſi prodeſſe poterit fides poſt mortem, cùm hoc utique fuerat utile, ut hîc vitia & peccata emendarentur, ubi fuerunt admiſſa. Tunc enim aliquis condemnaſſe ſe præterita pro- C bat, quando fidei lineam ſequens, converſationem & vitam videtur mutare. Si enim priùs ideo peccabat, quia neſciebat Deum, cùm cognoſcit eum, ultrà non debet peccare, ne fruſtra ſit cognoviſſe illum. Debet enim aliquis perfectus eſſe ex cognitione Dei. Chriſtianus enim ante profeſſionem debet intelligere operibus magis ſe probandum quàm nomine. Nam propterea mandata data ſunt ceteris legibus [c] potiora, & ad ſanctitatem pertinentia, ut ex his Dei cultura appareat: ſi quo minus, audient, *Quid me vocatis, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Per quod tunc ſignificavit prodeſſe, Dominum vocari Dominum, ſi mandata ejus ſerventur: irriſor enim videtur, qui Dominum vocat eum, cujus præcepta contemnit. Huic verba Legis recitanda ſunt, quæ dicunt, quia *Deus non irridetur.* Itaque verbis ſuis condemnabitur, quia Dominum vocat, quem minimè ſe timere operibus ſuis oſtendit.

D *De peccato Adæ & Evæ.* [d]

QUÆSTIO CXXVII. *Deeſt in MſS. 2. generis.*

NULLI dubium arbitror, mundum iſtum hominis cauſsâ eſſe fabricatum: qui cùm diverſis conſtet ſubſtantiis, unus eſt tamen multis membris aptatus, ut ex his invicem mutuis operibus, quæ neceſſaria homini futura erant, gignerentur. Domus enim facta eſt homini cum annona, ita ut ſingula eorum ſecundùm genus fierent ſuper terram, id eſt, ut facta [e] hanc haberent inſitam potentiam in propagine uniuſcujuſque generis eorum, quæ crearentur in terris. Origines enim inſtitutæ ſunt, quarum ſemen proficeret ad procreationem multiplicandorum generum ſuper terram. Unde Scriptura teſtatur, *Et benedixit illa Deus, dicens, Creſcite, & multiplicamini ſuper terram.* Simili modo etiam hominum genus benedictum eſt: quem ſenſum contuemur in Lege. Cernimus enim ſcriptum eſſe, *Crevit populus,* E *& multiplicatus eſt in Ægypto.* Qua benedictione enim benedicta ſunt, quæ ad utilitatem creata ſunt hominis, ea benedictione & homo eſt benedictus, ut ſimiliter ex mare & femina propago generis humani creſceret & multiplicaretur ſuper terram: & ut ſicut per culturam melioranda erant ſemina, ita & hominum genus adhibitâ curâ id ſtuderet, ut Creatoris cognitione percepta vitam ſuam frenaret ad promerendum eum, ut ſimul omnia proficerent ad laudem & gloriam Creatoris. Et quoniam non aliud hæc dicta ſignificant, res ipſæ teſtantur. Omnia enim quæ facta ſunt, Dei nutu multiplicata & meliorata ſuper terram. Nec enim aliter poſſet accidere, quàm Dei voluntas & benedictio decrevit ſeminibus. Quomodo ergo dici poteſt malè fieri, aut non licere quod ex Dei benedictione & ipſo favente augmentum facit? Cujus rei traditio & in ſynagoga manſit, & nunc in Eccleſia celebratur, ut Dei creatura ſub Dei benedictione jungatur. F Non utique per præſumtionem, quia ab ipſo auctore data eſt forma. Sed ſi ceſſare debere putatur, tunc ceſſare debebit, quando ceſſatura & illa ſunt, quæ ſimiliter benedicta ſunt ut multiplicarentur: quia ſi generatio hominum ceſſat, ad quam utilitatem naſcuntur, quæ benedicta ſunt ſuper terram? Non poteſt enim mundus ex parte agere, & ex parte ceſſare. Aut totus enim operatur, aut totus pauſat in otio. Numquid utile corpus eſt, cujus quædam membra vigent, quædam torpeſcunt? Quod ergo à Domino benedictum eſt, cur ſordidum & contaminatum opus à quibuſdam aſſeritur, niſi quia ipſi Deo manus quodammodo infertur? Non enim hoc reprehenderent, niſi de Deo hujus operi auctore malè ſentirent. Quia enim apertè Deo detrahere verentur, per opus tamen ab eo inventum accuſant eum. Quando enim diſplicet opus, reprehenditur auctor. Si hujuſmodi homines legerent, aut potiùs acciperent Scripturas, memores G eſſent Balaam, dicentis, *Quid maledicam quem benedicit Deus?* Fruſtra enim accuſatur, qui à judice laudatur: immo ipſe ſui accuſator eſt, qui reum dicit, quem leges defendunt. Quis ergo tu es qui damnari cenſes quod à Deo benedictum legis, niſi aut Deum hunc negas eſſe, aut Scripturam falſam accuſas? Sunt enim qui quaſi nova accipientes, vetera repudianda putant. Sed non diſcrepant ab his nova, per Chriſtum præcepta populis intimata. Ipſe enim rogatus ad nuptias ire non dedignatus eſt: & non ſolùm præſentiâ ſui illuſtravit eas, verùm etiam contulit quod deerat ad lætitiam. Scriptum eſt enim, *quia vinum lætificat cor hominis.* Et ut hoc ſecundùm Dei Patris ſui voluntatem feciſſe ſe demonſtraret, Judæis interrogantibus, an liceat homini dimittere uxorem ſuam, reſpondit inter cetera, dicens, *Quoniam ab initio fecit Deus maſculum & feminam, & dixit,*

Ezech. 18. — Johan. 3. 18. — Gal. 6. 7. — Matt. 10. 33. Marc. 8. 38. Luc. 9. 26. & 12. 8. — a MS. Colb. Qui enim me erubeſcit, inquit, & mea verba in hac &c. — Rom. 10. 10. — Rom. 3. 8.

Rom. 8. 18. — f. tutatur. — b Sic MS. Colb. At editi, non eſt voluptas. — c MS. Colb. puriora. — Luc. 6. 46. — Gal. 6. 7. — d Quidã editi addunt, de eorum conditione & donis gratuitis. — e Sic Colb. MS. editi verò, hinc haberēt infinitam. — Gen. 1. 22. 28. — Act. 7. 17. — Num. 23. 8. — Johan. 2. 1. — Pſal. 103. 15. Eccli. 40. 20. — Matt. 19. 4. Marc. 10. 7.

A *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Hinc est unde rogatus ad nuptias iit libenter, ne factum Dei & Patris sui infirmare videretur. Magis autem Legis veteris & novæ doctrinam concordare ostendens, nuptias non solùm non prohibuit, sed & interesse dignatus est, testimonium eis tribuens, quoniam Deus auctor earum est: & quod à Deo junctum est, neque prohiberi, neque separari debere salutari præcepto monstravit. Et quia nativitas prodest, cùm jam relinqueret mundum, matrem suam Johanni discipulo suo commendavit. Quamobrem & nos per omnia Legis veteris & novæ mandata servantes, parentes honorare docemur: quod nisi fecerimus, maledictum nos incursuros cautum est Lege. Itaque quænam est hæc præsumtio, aut ex qua lege descendit, nuptiarum aditus intercludere, quando tam nova quàm vetus Lex per omnia istis favere videatur? Sed illud est quod legimus, quia *quod extra est, à malo est.* Unde Apostolus hujusmodi homines cauteriatam dicit habere conscientiam, qui prohibentes nubere, & à cibis quos Deus ad percipiendum creavit, abstinendum docent. Hoc enim in hypocrisi, inimicitiarum caussâ facere denotantur, ut Legem à Deo traditam criminentur. Alij ideo studentes præceptis salutaribus obvias manus tendunt, ut pravæ doctrinæ mandata commendent: ac per hoc cauteriatam habere dicuntur conscientiam. Corrupta enim mente aliud scientes, aliud profitentur. Sicut & Judæi, qui non ignorantes gesta Salvatoris opera esse Spiritus-sancti, invidentes dicebant, quia *in Beelzebub ejicit dæmonia*: ut populum à fide ejus averterent. Talis est etiam suprà memoratorum versutia, quia ut sanctitatis & castimoniæ amatores esse se simulent, nuptias esse dicunt damnandas, ut per hoc commendentur, & populum à veritate avertant: & ut abstinentiæ se studere fingant, temperandum à cibis tradunt, ut per hoc se alienos à mundo ad cælestia regna festinare ostendant, per quod mentes hominum illicientes, deinceps illicita doceant licere, & licita quasi inconcessa damnare. Hæc sunt præstigia satanæ, ut caussas invertat, quasi novum insinuans aliquid, excludat veritatem, in qua nihil novum est, quia totum æternum. Quis non advertat sensum istum ab adversariis esse aptatum? Quis enim audeat Dei inventum reprobare, & quod numquam alicui obfuit, nisi adversario veritatis? Qui ut impuritatem suam tegat, sanctimoniam prædicat, quam non amat, ut dum ex eo se quasi bonæ voluntatis ostendet, illicita suadeat quasi licita. Commendat enim se ut promtiùs fallat, ac per hoc captis imprudentibus suggerat, per quæ plus eos faciat peccatores: quia ut caussæ suæ aliquam conferat medicinam, granditer suadet homines peccare, magnum ex eo quærens solatium, dum criminis sui socios multos ostendit, levem pœnam æstimans, ac si minùs gravis sit, si secum multos videat in gehenna. [a] Cæci homines, dum vincuntur vitiis, aut per infirmitatem, aut per ignorantiam sese defendunt, non vindicando hæc quæ contraria decipit concupiscentia. Aut quæ obstat caligo ut non quod verum est, videatur? Nam solent litteræ aliud videri significare, dum aut non bene pronuntiantur, aut impropriè distinguuntur. Cùm autem legitur, Fecit Deus: &, Benedixit quod fecit: quis hinc disputet? quis dubitet? quis quod benedictum est, maledictum putet, nisi alio spiritu animetur? Quod quidem si hominis vox esse diceretur, fortè aliqua fallacia crederetur: Deus dicitur loqui, & dubitas? Deus benedixit, & reprobas? Sed fortè sub Dei nomine Moyses errorem induxit? Satis tibi faciant signa & prodigia per Moysen facta in Ægypto; suadeant tibi mirabilia quæ in rubro mari gesta sunt ad liberationem filiorum Israël. Audi magos confitentes, quia *digitus Dei est hic.* Consenti Apostolo dicenti, *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de potu spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Et unde hoc Apostolus locutus est? Præstò est Scriptura, in qua legimus Christum Dominum nostrum dicentem Judæis, *Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi; quia de me scripsit Moyses.* Quis huic concordiæ fidem deneget? Quis audeat dicere, quod unum est discrepare? Quis tam malæ mentis est, ut individuam caritatem contendat videri inimicitiam? Ecce habes & verborum testimonia, & exempla virtutum, quæ animum tuum subjugent veritati, ut non aliud putes verum quàm quod Ecclesiæ Catholicæ continent libri. Quoniam igitur probatum est eumdem Deum fuisse in veteri Testamento, qui nunc noster est, & hunc multis virtutum indiciis verum esse, in tantum ejus auctoritas debet præferri, ut etiam id quod asperum, & fortè absurdum à nobis æstimatur, accepto ferri debeat, & aliter sentiri quàm à nobis putatur, si Dei judicio commendetur; quia magis Deo credere debemus quàm nobis. Infirmitas enim nostra & imperitia, utilia solet judicare quæ nociva sunt, & æstimare falsa pro veris: quod de Deo vel suspicari nefas est. Non est enim natura, quæ possit falli: quanto magis de conjugiis dubitari non debet, Deo dicente, *Quod Deus conjunxit, homo non separet?* Est enim res aperta & simplex. Certè omnis homo gaudet, cùm fuerit Dei dignationem adeptus, & meliorari se credit, dum sacramentum Creatoris addiscit, quod utique non assequeretur, nisi natus. Cur ergo plangit quod gaudet, & quod gloriatur se didicisse, condemnat? Si enim gaudet quia didicit, non autem didicisset, nisi natus fuisset; sine dubio bonum est nasci, quia fructus nativitatis, cognitio est veritatis. Si autem malum est nasci, non erit bona cognitio. Cui enim rei proderit cognitio, si damnatur nativitas? Quia si non expedit nasci, nec debet, inane est ut discat damnandus. Sed quia nemo tam hebes est, ut neget cognitionem Dei prodesse hominibus, & bona & utilis est. Per ipsam enim melioratur nativitas, ut meliorata nativitas plus mereatur quàm fuerat collatum Adæ: quia in cælo, non in terra regnabunt credentes, in paradiso Dei Patris, non in quo Adam corporaliter jussus fuerat operari. Nam si encænia celebrabantur Jerosolymis, id est, dedicationis templi Dei agebatur festivitas; quanto magis ipsius hominis

Johan. 19. 26. — Deut. 5. 16. — Matt. 15. 4. — Matt. 5. 37. — 1. Tim. 4. 2. — Matt. 12. 24. — Luc. 11. 15. — Exod. 8. 19. — 1. Cor. 10. 1. — Johan. 5. 46. — Matt. 19. 6. — Marc. 10. 9.

a MS. *Colb.* viderint in peccatis nec ceteris homines: *& paulò post,* defendet non vindicanda hîc.

A celebrandus natalis est, qui magis templum Dei est; cujus etiam, ad agendum Deo gratias, manibus templum est fabricatum. Melius est enim templum, corpus nostrum: quia hoc Dei opere, illud verò humano labore constructum est; & hoc sub spe æternitatis est, illud perditionis. Itaque qui Deo instituente natum se novit, ut ei gratias agat, cognitum habens mysterium ejus, debet in natali suo gaudere, videns profectum esse nativitatis suæ. Verè autem illi nasci non debuerunt, qui Creatorem suum relinquentes, gloriam ejus aliis deputant: horum enim nativitas proficit ad pœnam: sed non nativitas crimen incurrit, sed voluntas. Sed quis es tu, qui nuptias prohibes? Fortè Marcion, quia corpus non à Deo fabricatum putas, sed à diabolo: animam verò errore quodam lapsum passam, ut ad tenebrarum partes, in quibus nunc mundus est, veniret, contendis. Quomodo ergo posset hinc liberari, si prohiberetur generari? Natus **B** enim cognovisti casum tuum, & datâ operâ id egisti ut remeares ad [b] patriam sedem, redditus sorti tuæ. Denique gratias agere te dicis Christo, per quem hanc cognitionem assecutum te gratularis. Age verò, si natus non esses, cessaret cognitio, nec prosequeretur liberatio. Itaque si gaudes animam liberari, fave nativitati: nam si nativitati resistis, inimicus es animarum. Aut si Manichæus es, qui nuptias quasi contrarias renuis, quæro à te, si corpora minimè gignerentur, quomodo anima hinc, quam fusam in tenebrarum partem & hærentem hylicis rebus asseris, eriperetur? Nascendo enim liberari eam in libris vestris scriptum habetis, ut à luna susceptæ animæ & exeuntes de corporibus soli tradantur, quem Deum vestrarum asseritis animarum. Nam gaudetis, cùm Manichæi vocamini. Per hoc enim nomen liberationem vestram flagitatis: quod utique nesciretis, nisi nati essetis. Longè itaque apparet per hypocrisim **C** vos nuptias condemnare. Sanctimoniam enim profitentes, latenter immunditiæ studetis, quod non solùm privatum, sed etiam edictis proditum est Imperatorum. Audi nunc catholice, [c] & ex Evangelio disce, prodesse hominis nativitatem. Cùm Simeon enim vir justus vellet exire de sæculo, sufficere sibi putans Creatoris sine mysterij ejus cognitione notitiam, non permissum est ei nisi incrementum faceret in Dei perceptione, ut plenam haberet fidei suæ mercedem. Denique natum Salvatorem accipiens in manibus benedixit Deum, & dixit, *Domine, nunc dimittis servum tuum secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Manifestè ostensum est Dei beneficium esse in hominis nativitate, quando viro justo de morte cogitanti responsum est, quòd non antè moreretur, quàm Christum Domini vidisset: intantum enim proficiebat in vita, ut dignus fieret etiam in præsenti videre, quem liberatorem sperabat post **D** mortem. Qui ergo reservatus in vita non permissus est mori, nisi spei suæ fructum vidisset, ut securus esset, quia de vita ad vitam transiret; quomodo potest dici non huic profuisse nativitas? Si enim malum est quod nascimur, non paradisus promitteretur, non vita æterna, non regnum cælorum, sed pœna & gehennæ perditio: ut timeret alterum generare, qui se sciret natum ad perditionem; ut ille qui se illicitè natum sciret, non affectaret generare. Sed fortè dicatur, Regnum quidem cælorum promissum est, sed fidelibus & bene agentibus. Rectè. Vides itaque non ideo reos fieri homines, quia nati sunt, sed quia malè conversati sunt. Neque enim non natis promissum est regnum cælorum, ut nativitati imputent, quibus non dabitur: promissum est autem natis bene agentibus, ut neque nativitas prosit malè agenti, neque obesse possit bene agenti. A fidelibus enim & bene **E** agentibus melioratur nativitas: ab infidelibus autem & malè agentibus deterioratur. Sic enim est nativitas, quasi arbor quæ inseritur: quia si bono surculo inseritur, melior fiet & bona dicetur; si verò malo surculo inseratur, deterior erit, & non bona, sed mala vocabitur. Ita & nativitati si bona accedat doctrina, bonos faciet fructus; si autem mala, malos faciet fructus. Itaque sicut necessaria est arbor, ut sit ubi inseratur; ita etiam necessaria est nativitas, ut sit ubi proficiatur. Sed respondetur è contra, Si utilis est nativitas, cur renascimur? Non renasceremur nisi utilis esset nativitas. Renasci enim renovari est, & qui renovantur, instaurantur. Non ergo accusat renascibilitas nativitatem, sed reformat: & quod reformatur, bene ab initio institutum probatur. Igitur quod renascimur, consilio mutamur, corporis expiatione percepta, ut reddamur ad pristinum statum Adæ. Animæ autem peccato maculatum est corpus, quo reparato & meliorato per fidem, consilio abluitur: ut sicut per con**F**temtum Dei fuerat pollutum, ita per obedientiam abluatur, ut effugiat sententiam datam Adæ, & possit resurgere. Itaque si ab anima cœpit peccatum, [d] cur natura corporis accusatur, cùm in caussa peccati Adæ non fuerit desiderium corporale, sed spe deitatis illecta anima transgressa sit Dei præceptum, ut corpus suum subjugaret peccato, & nascerentur homines sub peccato? Quod quidem nihil obest homini, si tamen legi Dei obediat, nisi quòd moritur: cui rei benevolentia Dei promisit mercedem, [e] ut quoniam in Creatoris devotione fideles inveniuntur per prævaricationem autem Adæ corruptioni subjecti sunt & morti, pro hac re accipiant à judice Deo ultrà quàm fuerat concessum Adæ, ut in futuro & gloriosi sint, & æternam habeant vitam, & adoptati filij Dei vocentur; ut lucrum sit, quia nati sunt. Ex hoc jam revertar ad reliquam partem lectionis. Cùm positus esset **G** homo in paradiso, hæc accepit mandata, *Ex omni, inquit, ligno quod est in paradiso ad escam, edes. De ligno autem unde dignoscitur bonum & malum, non edetis ex eo.* Omnia ligna quæ commemorat, fructus sunt ad esum creaturarum. Denique uno nomine ligna dicuntur, sed varia intelliguntur in fructibus. Omnia tamen ligna sunt, & edendi unum est genus, quamvis diversa sunt quæ edantur. Cùm enim multa fructuum ligna creasset homini ad edendum, sicut dixi, de uno ligno edi prohibuit: ut reverentiam Creatoris ex aliqua parte haberent, qui omnia in potestate acceperant, dum una reservata est arbor, cujus licentiam non haberent, ut memores essent conditionis legis. Quomodo autem ex sententia peccati genus intelligebatur? Et homicidæ enim & malefico & adultero & infami congruit hæc sententia. Achar quoque filius Charmi cùm peccasset, consumi cum omnibus suis adjudicatus est. Quomodo ergo potest hæc

b MS. *Colb.* patricam.

c *MS. Colb.* Evangelio teste prodesse.

Luc. 2. 29.

d *Sic MS. Colb. At editi,* cur non à corpore accusatur.

e *Sic MS. Colb. At editi,* ut qui in Creat. dev. fid. inveniantur salventur. Per prævaricationem autem quia Adæ *&c.* suscipiet à judice *&c.*

Josue 7. 1.

A sententia peccati genus intelligi? Grande delictum fuisse potest cognosci, non tamen genus delicti intelligi. Scimus enim alios hac damnatos sententiâ, cùm sciantur aliter deliquisse. Et [a] Amorrhæi & Sodomitæ cum omnibus suis periisse noscuntur. Ita enim fit, ut & unius peccati rei diversâ feriantur sententiâ, & diversi criminis peccatores uno atque eodem genere puniantur. Quamobrem Adæ & Evæ non ex data sententia peccati genus potest intelligi. Quamvis enim unum eorum peccatum sit, sed secundùm personam suam vir & mulier sententiam acceperunt: necnon & serpens, ut non solùm in eo quòd facti sunt, non manerent, verùm etiam adderetur eis labor ad pœnam. Cùm enim omnia pecora & animantia homini fuissent, sicut legimus, subjecta, serpens contra hanc constitutionem erexit se, & dolo & fallaciâ circumventum hominem sibi subjecit. Sine du**B**bio enim qui aliquem capit, infrà se eum facit. Propter quod serpens ne astutiæ suæ effectum haberet, sententiâ Dei revocatur, & reprimitur ultra quàm fuerat factus, ne supra hominem esset, ut calliditate sua non solùm ad nihil se profecisse doleat, sed & deteriorasse. Cùm enim prudentior legatur fuisse ceteris bestiis, postquam decepit hominem, maledictus factus est ab omnibus bestiis terræ. Post sententiam datam in hominem, datam in feminam, datam in serpentem, sequitur ut & mulier quam sibi sociaverat ad contemnendam Dei legem, excipiat sententiam. Ait ei, *Replens replebo ærumnas tuas & gemitum tuum: in tristitia paries filios, & ad virum tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur.* Nemo quod reprehendit, ipse confirmat. Si ideo concessi sunt filij, quia usurpaverat coitum, ergo plus **C** usurpatio præstitit. Sed quia dixit, *In tristitia paries filios:* si inde putas generationem sumsisse principium, ubi erat quod dictum est, *Crescite & multiplicamini?* Intelligite ergo hoc ad pœnam tantùm additum, ut cùm per lætitiam sibi fuerat antè concessum, tristitia subderetur ad pœnam: & ut deterior & multiplicata pœna mulierem semper urgeret, additur conversio ad virum, ut esset unde ei dolor iterum innovaretur. Si coitum Dominus damnabat, cur in subjectis addebat, *Et ad virum conversio tua?* Nemo quod damnat, hoc pro pœna constituit; cùm utique pœna sit damnationi contraria, nec umquam ex uno, sed contra proveniat. Quod si in uno essent, damnationem nemo metueret. Deinde aliquis in hoc [b] addiceret, ex quo **D** in legem commissum videret. Hoc est confirmasse, non punisse peccatum, si ideo conversio feminæ ad virum, & ex eo quòd colit, & non quod verum est, conversio simpliciter antè concessa cum ultima servitute, propter pœnam eidem credatur imposita, quoniam per mulierem concessam subjectus factus fuerat vir. Et sine dubio superior videbatur, cujus consilio usus putavit prodesse quod suasit, ut factum Dei subtilitate serpentis destrui videretur: instauratur per sententiam Dei institutam, ut revertatur mulier ad conditionis subjectionem humiliata viro, sicut fuerat constitutum: & additum ei quod additur ad pœnam, cùm audit, *Replens replebo mærores tuos, & gemitum tuum: in tristitia paries filios, & ad virum tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur.* Numquid fuerat aliter decretum, quàm ut mulier dominio viri esset subjecta? Hinc ergo appa**E**ret mulierem revocatam esse ad id quod fuerat cum additamento. Unde ait, *Replens replebo mærores tuos & gemitum tuum.* Quod replet, in eo quod minus est, addit, non in eo quod non est, videtur operari. Hac ergo sententiâ quæ antè processerat, *Crescite & multiplicamini,* non incipit ad creandum, sed ad creaturæ, quæ fuerat concessa, perniciem. Mulieri ad pariendum filios dolor additur, difficultas imponitur, non procreationis nova forma componitur: nam si ex hoc rectè generatio speratur, magis intelligi potest arbitrio serpentis generationem exstitisse, quàm Domini: & est verè, ut ait ille, *Progenies viperarum.* Si quis autem se existimat ita natum, quid mereatur, advertat, ut propter peccatum amplificaretur ei dolor partu, ut quæ modicum doloris habitura erat, filiorum cresceret ei caussa delicti: quia & cum gemitu & mærore pariuntur, nati au**F**tem sine tristitia non habentur. Nunc tertiò promitur in virum sententia talis, *Quoniam audisti, inquit, vocem mulieris tuæ, & edisti de ligno, de quo præceperam tibi ne ederes ex eo, maledicta terra in operibus tuis, & in mæroribus tuis edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi.* Et hinc idem Adam ad hoc revocatur, ad quod fuerat factus, sed cum decremento. Antè enim positus erat, ut operaretur terram simpliciter, ut sequeretur eum laboris effectus: at ubi autem sprevit præceptum Dei, melius sibi procurari credens consilio serpentis quàm fecerat Deus, ad institutum pristinum revocatur cum laboris dispendio: ut terra ei secundùm laborem minimè responderet, maledicta non sibi, sed operibus ejus: ut ostenderetur propositum Dei subverti non posse, neque melius

a MS. *Colb.* Et Aman.

Gen. 1. 26. — Gen. 3. 16.

b *Editi,* addisceret. *MS. Colb.* addiceret.

Gen. 1. 22. 28. — Matt. 3. 7. — Gen. 3. 17.

A posse quemquam providere quàm Deum. Nemo enim potest alterius opus plus diligere, quàm ipse qui fecit, dicente Apostolo, quia *nemo,* inquit, *carnem suam odio habet, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* Videamus nunc sequentia Legis, an concordent cum initiis ejus. Abraham cùm placuisset Deo, inter cetera quæ ad remunerationem fidei ejus pertinent, cùm senior esset, unum filium generare dignus est judicatus. Quomodo ergo accusari potest, quod pro merito concessum videtur, ut qui ipsius Dei voluntatem fecerat, Deus voluntatem ejus impleret: quæ minimè fuisset impleta, nisi innoxia esset: nec Deus impleret quod malè vel imperitè posci videbat, maximè ab eo qui sibi placeret: hoc enim nec homini convenit. Et Anna cùm sterilis esset, & Deum diligeret, **B** petiit ut haberet filium, & accepit: quod si contrarium esset, moneri potuit ab eo, quem diligebat, ne rem postularet adversam. Et natus ex ea sanctissimus Samuël, filios genuit, non tamen justitiæ suæ merita minuit. Prima enim ætate sua semper auctus est, ut in senectute pronensiori Dei testimonio commendaretur. Et Zacharias sacerdos, vir justus, in senectute sua Dei nutu genuit filium: quo nondum nato, meruit prophetare. Qua ergo ratione accusatur, quod minimè obesse probatur? Et quis neget bonum debere dici, quod neminem lædit? Et ut hoc loco aliquid de Apostolis dicatur, quod ad robur pertinet caussæ, certè sanctus Johannes castimoniæ fuit custos: condiscipulus autem ejus, id est, sanctus Petrus, uxorem habuisse cognoscitur: & primatum ut acciperet inter Apostolos, non **C** ei obstitit generatio filiorum. Quomodo ergo condemnandum putatur, quod non impedit meritum? Hinc Apostolus eum, qui uxorem habeat, si in ceteris servet mandata, sacerdotem fieri posse ac debere ostendit. Quod si illicitum esset, non poterat utique peccatorem dicere debere fieri sacerdotem. Et quid tam apertum? Ejusdem enim Apostoli vox est dicentis, *De virginibus autem imperium Domini non habeo.* Cùm enim Corinthij exagitarentur ab hæreticis, qui in hypocrisi nuptias damnandas docebant, consuluerunt Apostolum litteris, an liceret nubere, an uxorem remittere. Tunc præcepit Apostolus, non debere uxorem à viro recedere: cùm habuerit occasionem dicendi, si scisset sic docendum, non licere nubere; quomodo quod sibi non sit traditum, docere se non posse ostendit. Quis autem discipulorum doceret, quod à magistro traditum non est? Vel **D** quis non audiat prædicantem: *Volo adolescentulas nubere, filios procreare?* Sed fortè dicatur: Si licet, & bonum est nubere, cur sacerdotibus non licet uxores habere? id est, ut ordinatis jam non liceat convenire? Quis nesciat unumquodque suam legem habere? Est enim quod omnino generaliter omnibus non liceat: est item quod aliis licet, & aliis non licet: & est quod aliquando licet, & aliquando non licet. Fornicari omnibus semper non licet: negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari: facto jam non licet. Et Christiano cum uxore sua convenire aliquando licet, aliquando verò non licet. Propter dies enim processionis aliquando non licet convenire: quia etiam à licitis abstinendum est, ut faciliùs impetrari possit quod po**E**stulatur. Unde Apostolus, ex consensu ait abstinendum ad tempus, ut vacetur orationi. Nam secundùm Legem in jejunio cædi & jurgari non licet, postea licet: quia major reverentia debetur Dei caussis. Numquid omne, quod ante ceteros licet, ante Imperatorem licet? Quanto magis in Dei caussis? Ac per hoc antistitem ejus puriorem ceteris esse oportet: ipsius enim personam habere videtur, est enim vicarius ejus: ut quod ceteris licet, illi non liceat: quia necesse habeat quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tinguere. Et non solùm huic concubitus non licet, verùm etiam ministro ejus: quia ipse mundior debet esse, quia sancta sunt quæ ministrat. Nam sicut ad comparationem lucernæ tenebræ non tantùm obscuræ, sed etiam sordidæ sunt: ad comparationem autem stellarum lucerna **F** caligo est, ad solis verò comparationem stellæ nebulosæ sunt; ad Dei autem claritatem sol nox est: ita & quæ ad nos licita & munda sunt, ad Dei autem dignitatem quasi illicita & immunda sunt: quamquam enim bona sunt, Dei tamen personæ non competunt. Numquid non tunica mediocris hominis, quamvis munda, Imperatori tamen sordida & illicita est? similiter & Saxonicia senatori? Ac per hoc antistites Dei puriores esse debent quàm ceteri, quia & Christi habent personam, & ministros Dei mundiores esse oportet. Nemo enim Imperatori ministrat non accuratus: igitur vestimentis claris & mundis induti ministrant: Deus autem quia naturâ clarissimus est, ministros ejus naturâ magis quàm vestibus mundos esse oportet: cui laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Ephes. 5. 29. — Gen. 18. 10. — 1. Reg. 1. 2. — Luc. 1. 5. — 1. Cor. 7. 25. — 1. Tim. 5. 14.

De matrimonio sacerdotum.

1. Cor. 7. 5.

IN QUÆSTIONES
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI POST-VULGATAS.
ADMONITIO.

Habes præfixum superiori Libro Elenchum duplicem; unum quo illa præcedentium centum-viginti-septem Quæstionum exhibetur collectio, quæ ab Augustino Ratisponensi, ab Johanne Amerbachio & à Desiderio Erasmo fuit primùm vulgata: alterum, qui collectionem non tantùm disparem Quæstionum ordine, sed etiam earum numero auctiorem longè repræsentat. Hujus porrò alterius collectionis exemplar cùm è Victorina Bibliotheca adeptus fuisset Jacobus Haemer, curavit ut subsequentes hîc Quæstiones, quas videlicet aut nondum vulgatas, aut certè aliis verbis tractatas esse animadvertebat, prodirent in lucem. Fecit verò ipse tres earum classes, quarum prima in editis inscribitur Quæstionum ex veteri Testamento pars secunda; *aliæ similiter* Quæstionum *sive* ex novo Testamento, *sive* ex utroque mixtim, pars secunda *dici solent: cùm*

tamen Victorinus codex aliique inspecti à nobis Mss. in una & altera classe Quæstiones omnes, nec aliâ quàm in excuso superiùs Elencho cernitur, ratione & ordine digestas complectantur. Nihil nos in constituta per Haemereum, perque posteriores editiones jam confirmata distributione mutandum duximus: nisi quòd aliquot inde Quæstiones transferre visum est in superiorem librum collectionis primo-vulgatæ; ut quæ de eodem argumento agunt, juxta se collocatis, quid inter illas intercedat varietatis primo conspectu deprehendas; tum etiam utra collectio in Mss. antiquior & sincerior sit, vel potiùs an utraque interpolatoris inepti manum referat, dijudicare possis. Ceterùm de subsequenti opere idem quod de priore sentiri volunt Lovanienses Theologi: quod varia, inquiunt, contineat & Augustino indigna, & à veritate aliena.

QUÆSTIONUM
EX VETERI TESTAMENTO.
PARS SECUNDA.

Adversùm eos qui negant ad Deum aliquid pertinere.

QUÆSTIO I. *Deest in Mss. 1. generis.*

MULTIS, quos sæcularis ista caligo cæcavit, plurimum displicemus, si solliciti Dei præcepta servemus, si occasiones delinquendi fugiamus, si bona omnia salutari studio implere conemur, si illecebrarum, vitiorumque blandimenta seductoria negligamus, si nullâ nos sæculari dulcedine capi patiamur, si sponte pro Dei nomine cruciatus pœnasque subeamus, si mortem ipsam virtute spiritus contemnamus. Illis nimirum quibus omne quod geritur, sensus iste mortalis nec laude nec vituperatione dignum esse persuasit. Nolunt enim ad Deum horum aliquid pertinere. Nonnulli adeo scelera sua criminaque defendere cupientes, Nihil, inquiunt, prodest, bene an malè vivas. Neque enim ista nunc Deo cura est, ut te diversa pro instituto proprio morboque gerentem sollicitè festinet adspicere, & fœdis aliquando tuis actibus oculos permiscere. Vana sunt omnia, quæ ut libitum fuerit celebrantur: is qui ad Deum pertinet, secretus est & remotus ab istis rebus humanis, & ideo nec irascitur, nec movetur, nulla illi humanarum rerum, nulla nostri actus est contemplatio, totus rotati sæculi cursus, & quædam mundani orbis inexplicabilis volutatio, ita correptum rapit & projicit, ut stultus credatur, quisquis se ad curam Dei revocare posse putaret. Nec Martyrum quidem probandus est animus, qui Deum suum, quem misericordem esse pronuntiant, effusione sui sanguinis æstimant delectari. Nihil illi carum in nobis, nihil est odiosum; nulla mortis nostræ conditione, nulla sanitatis integritate lætatur; nec quid ubi geratur scire desiderat, non quòd impossibile sit majestati divinæ omnium ferè quæ gesta sunt vel geruntur habere notitiam, sed quòd scire nolit miserias hominum vanitatesque mundanas. Sic denique scriptum est, *Vanitas* [a] *vanitantium universa vanitas.* Quorum sententia desperatione firmata, ut divini sensus auctoritate dissolvitur, sic ipsorum sacro sermone vulgari, qui maximus habetur in usu, convincitur expugnata. Nam cùm inter negotia diversorumque contractus fides perfidiaque contendunt, ut testis divinitas adhibetur, quæ aliquando quid agamus scire negatur. Testis est, inquiunt, Deus. Deus videat, Deus judicet, Deus faciat, Deus reddat. Et cùm ad necessitatem jurisjurandi venitur, & jurantis animus metuit ne sibi aliquid obveniat pejeranti; & jusjurandum exigit, & reddi ei posse confidit, qui sibi malè juravit. Et cùm sanitas exoptata & bona valetudo fuerit consecuta, divinitati gratiæ referuntur. Et cùm aliqua decidente materiâ casus proximus illæsus evaserit, Deus bonus dicitur præstitisse. Et cùm adverso ventorum flatu commoti æquoris fluctus insurgunt, & navis undique cæsa quassatur, navigantium turbæ ad cælum manus extendunt, Deum voce supplici deprecantur, & exaudiri se & liberari posse confidunt. Unde hæc si Deo nulla nostri est cura, si quid agamus ignorat? Inanis est igitur ista persuasio. Omnia Deo sunt cognita. Nullus sibi de impunitate commissorum scelerum blandiatur. Bonæ vitæ maximus fructus est, malæ perpetua pœna & æterni cruciatus. Igitur nobis qui Deum omnia nosse credimus, qui devotè ad martyrium festinamus, inæstimabilis fructus, perpetua vita præstabitur: impiis verò, qui Deum scelera sua, criminumque nescire docuerunt arcana, ignis flamma consumens, incendiumque semper indeficiens ministrabitur.

[a] *Editi*, vanitatum: & paulò pòst: Dei jussus auctoritate. *At Mss.* vanitantium: & divini sensus auctoritate. *Eccle.* 1. 2.

QUÆSTIO 2. *Habetur suprà inter primo-vulgatas, juxta q.* XLI.

AN Spiritus qui super aquas ferebatur, Spiritus-sanctus intelligatur: quia dictum est, Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Si ideo à quibusdam Spiritus-sanctus putatur, quia Dei esse spiritus legitur, &c.

QUÆSTIO 3. *Gen.* 2. 7. *Idem argumentum tractatur in Mss. 1. generis, q.* CXXIII *sed alia prorsus ratione.*

SI Adam factus à Deo & animatus, Spiritum-sanctum accepit: quia scriptum est, Inspiravit Deus in faciem ejus spiritum vitæ.

Non erat ordinis ut acciperet Spiritum-sanctum; quia hoc in posterum reservatum est à Deo, ut in novissimis diebus cùm mysterium unius Dei manifestatum est, daretur credentibus. A principio quidem prædicata est Trinitas, sed quasi sub velamine erat intelligentia ejus. Dei enim Patris primùm persona sine cunctatione & figura prædicata & manifestata est, quia ab ipso sunt omnia. Filij autem ejus, Domini nostri Jesu Christi & Spiritus-sancti personæ non tacebantur, sed neque manifestabantur. Denique de Domino fit à perfidis quæstio, & de Spiritu-sancto. Quidam enim dementes Spiritum-sanctum ipsum Patrem dicunt, sicut & Sabellius ipsum dicit Patrem quem & Filium. De Dei autem Patris persona nemo dubitat. Cùm ergo Trinitatis sit manifestatio, tunc demum Spiritus-sanctus datur credentibus, ut & persona ejus manifesta sit, & accipientes illum, signum habeant, quia filij sunt Dei, per id quod Spiritum Dei, qui de Deo utique est, habent in se. Perfectionis enim significatio hæc est, cùm scitur & Pater esse & Filius & Spiritus-sanctus. Hæc perfectio hoc tribuit donum. Adveniens enim Filius Dei, & hæc adaperiens ac manifestans, plus aliquid debuit dare, & dignum fuit tribuere perfectionem hanc credentibus; quia nec in Filio, nec in Patre solo perfectio est vel salus, sed in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Unde dicit Johannes Evangelista, *quia de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia: quia Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est.* Apertum est, adveniente Salvatore plenitudinem factam veritatis. Quæ enim latebant, & quod promissum est dum revelatur, & manifestatur, plenitudo fit veritatis: tunc credentes accepto Spiritu-sancto fiunt Filij Dei. Nam inspiratio quæ dicitur facta à Deo in Adam, animæ traditio est: Spiritus enim frequenter pro anima ponitur, dicente Evangelio inter cetera, *Et reversus est, inquit, spiritus ejus ad illam.* Et in Psalmo, *Spiritum*, ait, *contribulatum, & cor contritum Deus non spernit.* Frequenter tamen aliqui codices non sic habent, quia *inspiravit* Deus, sed, *insufflavit Deus in faciem ejus spiritum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Non quia dixit, *spiritum vitæ*, ideo Spiritum-sanctum significavit. Nam & de animalibus ita ait, *In quibus erat spiritus vitæ.* Spiritus vitæ dicitur, quia animat corpora ad vitam.

Johan. 1. 16. *Luc.* 8. 55. *Psal.* 50. 19. *Gen.* 7. 22.

QUÆSTIO 4. *Deest in Mss. 1. generis.*

CUR Adam in mundo positus mandatum vel legem accepit, cùm ipse dominium ceterorum haberet.

Quamvis in mundo dominus positus sit Adam, tamen quia non utique ex se, sed à Deo id accepit, debuit hujus rei significationem ex lege accipere; ut ipse qui Dominus videtur, per legem subjectus ei esset, qui illi hanc dederat potestatem; ut auctoritas creatoris reverentiam illi faceret per legem, ne dominatio tanta extolleret illum, & immemor fieret Dei conditoris sui.

QUÆSTIO 5. *Gen.* 6. 3. *Deest in Mss. 1. generis.*

CUR Deus dicat, Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia sunt caro: anni illorum centum viginti, &c.

Cùm gigantes essent illis diebus super terram, pestiferi & superbi, à magnitudinis statura elati, post desideria carnis euntes, nati apostatæ; tunc cùm displiceret Deo, promisit genus humanum diluvio deleturum, & tempus statuit; ut si quis fortè irâ Dei auditâ & indignatione, super hoc vellet se corrigere, haberet spatium emendandi se. Denique centum annis arca hac ratione videtur fabricata. Ante arcæ autem inchoationem viginti anni fuisse perhibentur. Sed narratio istud quod post quàm de numero annorum Noë dixit, subjecit, obscurare videtur. Nam hæc sententia antequam quingentorum annorum esset Noë, dignoscitur lata. Quid enim dicit? *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis:* propterea & subjecit, *Quia malitia increvit super terram,* [c] *delebo hominem à facie terræ usque ad pecus:* quod utique diluvio facto impletum est. Nam & post diluvium multis annis homines vixisse meminimus: & Aaron frater Moysi centum viginti-tres annos vixisse memoratur. Ipse autem Moyses ut centum & viginti annos transire non posset, fecit quòd Deum in contradictione aquæ non clarificavit. Nam intraturus erat in terram promissionis, si non obstetisset peccatum. Videtur enim hoc quibusdam dictum ad tempus Moysi pertinere, cùm inveniatur Joiada sacerdos centum-triginta annos vixisse.

Gen. 6. 3. [c] *MS.* deleam. *Num.* 33. 38. *Num.* 27. 14. 2. *Paral.* 24. 15.

QUÆSTIO 6. *Gen.* 48. *Deest in Mss. 1. generis.*

QUID continet benedictio Jacob, quam dedit filiis suis?

Non solùm ex præsentibus caussis futura uniuscujusque tribus prædixit, sed & de futuris futura, quorum adhuc umbra non erat, in populo Judaïco significavit. Quales enim futuræ essent singulæ tribus moribus, fide, disciplinâ, luxuriâ, petulantiâ, contemtu fidei, ut cum de uno erant, & tamen unum non servarent, ostendit. Aliqui enim profecerunt in melius, alij deterioraverunt, alij permanserunt: ut per hoc non sibi prærogativam generis vindicarent, cùm ab eo ipso prædictum esset, quosdam ex his, qui utique ex ejus essent origine, reprobos futuros, immo multos perituros, ita ut alij significarentur subintrare, qui ad eorum dedecus & damnationem insererentur in naturam, ex qua illi exciderunt. Promiscuum ergo populum in omnibus tribubus futurum declaravit: qua varietate tam boni sed pauci, quàm mali sed multi intelligerentur. Et quamvis sceptrum dederit filio suo Joseph ad tempus, Judam tamen præfecit omnibus. Non quod omnes ex Juda idonei essent futuri, sed quia Salvator, qui verè rex est, ex ea tribu oriundus erat secundùm carnem.

QUÆSTIO 7. *Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q.* XLII.

CUR Angelus missus loqui ad Moysen in igne & rubo apparuit.

Natura Angelica secundùm se simplex est, cujus substantia superiora appetit, &c.

NON

QUÆSTIO 8. *Exod.* 7. 10. *Deest in Mss. 1. generis.*

NON fuit aliud signum quod fieret à Moyse palàm Pharaoni, nisi serpens?

Qui hoc reprehensibile putat, dicat quid aliud fieri debuit. Nam utique serpentem fecit, qui & terrorem incuteret, non tamen obesset, per id quod stupore quodam ad nocendum tardior est. Si enim leonem fecisset, aut ursum, aut aliud tale, quomodo evaderent qui aderant? Nec enim occidere voluit quemquam, sed solùm timorem ponere, & ostendere virtutem; ut quia prima prævaricatio per serpentem cœpit, similiter & recordatio cognitionis Dei & morum emendatio serpentis signo proveniret, ut quomodo peccatum est, sic & emendaretur: sicut & per mulierem peccatum factum, per mulierem sublatum est, Mariam matrem scilicet Domini, ex qua Christus natus damnavit peccatum. Eva virgo adhuc prævaricavit, sicut & Maria virgo erat. Hoc ergo modo ad statum pristinum revocata sunt, quæ perierant: quia & regnum per ligni gustum amissum erat, & iterum per lignum quæsitum est. *Dominus* enim, ait, *regnavit à ligno.* Simili modo & mundus in quo factus est, in eo & reformandus est id est in principio mensis primi, quod est Pascha. Nulla ergo mala erit natura nisi sola prævaricatio; quando peccatum per id emendatum est, per quod & admissum est.

Psal. 95.

QUÆSTIO 9. *Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q.* LXXXVII.

SI unus Deus est, cur in tribus spes salutis est, & non in duobus, aut quatuor, aut certè in uno; & quare priùs non est Trinitas prædicata?

Unus quidem est Deus, sed non singularis est, &c.

QUÆST. 10. *Deest in Mss. 1. generis. Gen.* 17. 10. & 11.

UT quid circumcisio & præcepta data sunt populo, quæ priùs non erant, neque nunc in auctoritate habentur?

Circumcisio signum est fidei Abrahæ, ut cum in filiis ejus hoc signum videretur, scirentur ejus filij esse, qui Deo credens hoc signum acceperit. Præcepta autem sabbatorum, & præteritorum testimonio data sunt, & futurorum quæ haberent figuram. Futuri enim sabbati, quod in æternis dabit requiem, figura est hoc sabbatum quod in hebdomadam impletam factum est. Escarum autem lex non in primordio Legis data est, sed cùm duce perfidiâ, Dei verbis & promissis fidem nollent dare, ad duritiam cordis sui acceperunt præcepta non bona, sicut dicit propheta Jeremias, Id enim actum est, ut cervix eorum premeretur, ad profectum illorum. Superbis enim hominibus & contumacibus, non debuit tota creatura subjici. Postea autem misericordiâ Dei veniente, reddita est libertas edendi. Unde dicit Petrus apostolus, *Quid imponitis jugum super cervicem fratrum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus?*

Exod. 20. *Ezech.* 20. 25. *Act.* 15. 10.

QUÆST. 11. *Deest in Mss. 1. generis.*

SI propter diffidentiam & detractiones dura acceperant Judæi mandata: quid peccaverant filij eorum, ut etiam ipsi, his mandatis adstringerentur?

Patribus data lex est, quæ filiis similibus oneri esset. Nam postea non minùs, sed fortè ampliùs in Deum peccaverunt quàm patres illorum. Præscius enim Deus, filiis magis hanc legem dedit; quia illi omnes in eremo obierunt.

QUÆST. 12. *Psal.* 39. *Psal.* 50. *Deest in Mss. 1. generis.*

CUR in Lege etiam ipsi Aaron dictum est, ut pro peccatis suis holocausta offerret, cùm dicat David, Pro delictis holocaustum non postulasti. & in subjectis, Holocaustis non delectaberis. Quomodo offerri præcepit, quo non delectatur?

Manifestum est holocaustis Deum non delectari, sed pro satisfactione peccati gemitu & dolore cordis veniam posse mereri. Sacrificium autem testimonium peccati voluit esse, ut se peccator per oblationem sacrificij confiteretur peccasse. Remissio autem quomodo obtineretur, ipse alio loco ostendit, dicens, *Frange esurienti panem tuum. Si videris nudum, vesti, & domesticos seminis tui ne despicies:* aut certè *Cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Primùm ergo confitendum delictum monuit; deinde quomodo ignosci possit, ostendit. Nam numquam pro manifesto delicto sacrificium mandavit, sed pro ignoratis; quia etiam cùm nescit homo peccat, & cùm se putat rectè agere, intentione quadam delinquit. Tale peccatum dixit per sacrificium posse purgari.

Isa. 58. *Psal.* 50.

QUÆST. 13. *Habetur inter primo-vulgatas, juxta q.* XXXVII.

QUID est ut missa mors in Iacob, venerit in Israël; cùm Iacob ipse sit Israël?

Unius populi duo nomina posuit. Nam utique qui priùs Jacob dicebatur, &c.

QUÆST. 14. *Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q.* XXXVI.

SI anima quæ peccat ipsa morietur quid est ut Charmi peccante triginta-sex viri occisi videantur caussâ ejus?

Charmi quidem peccavit, & mortuus est lapidibus. Illi autem triginta-sex viri, &c.

QUÆST. 15. *Habetur suprà inter primo-vulgatas, juxta q.* XL.

QUID est quod dicit Propheta, Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij desertæ magis quàm ejus quæ habet virum.

Duas matres hoc in loco intelligimus, cælestem & terrestrem, id est, Jerusalem liberam, &c.

QUÆST. 16. *Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q* XXXVIII.

BENEDICAT terra Dominum, ait, hoc est laudet & confiteatur virtutem tuam: quomodo ergo in Psalmis, Numquid confitebitur tibi, inquit, pulvis, aut annuntiabit virtutem tuam?

Non est sic intelligendum, ut legitur, & sonant verba, &c.

QUÆST. 17. *Psal.* 18. *Psal.* 90. *Deest in Mss. 1. generis.*

IN sole, inquit, posuit tabernaculum suum, id est corpus suum in quo habitavit Christus, qui à Pilato flagellis cæsus est: quomodo ergo dicitur in Psalmo de Christo, Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo? quippe cùm templum corpus suum dixerit.

Et filij hominis, & Dei Filij corpus templum esse intelligitur. Deus tamen, id est, Dei Filius, quamvis in carne venerit, in anima tamen habitavit. Ergo tam anima quàm corpus tabernaculum est Filij Dei, licèt unus sit Deus & homo, Filius Dei, & filius hominis. Ergo ex hac parte flagellum non appropinquasse dicitur tabernaculo ejus, id est, anima ejus, in qua habitat divinitas ejus, immunis fuit à pœna inferni vel principum ejus. Ne quia hic quasi peccator, cùm sit innocens, crucifixus est, & passa est caro, aliquid mæstitiæ apud inferos anima ejus passa putaretur, ostendit Scriptura non potuisse animam ejus turbari apud inferos, quia ad hoc descendit, hoc est pati se permisit, ut confunderet tenebras, & principes earum remitteret hebetes. Unde & ipse Dominus ait, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Permissa est enim, quod naturæ suæ erat, ut tristaretur, trophæum protinus referens, & spolia eorum à quibus contristata fuerat usque ad mortem, post mortem jam in æterno gaudio constituta. Potest & de toto homine intelligi: quia qui peccatum nesciit, à lege flagellari non potuit.

Mat. 26. *Marc.* 14.

QUÆST. 18. 3. *Reg.* 3. 3. *Reg.* 11. *Deest in Mss. 1. generis.*

CUR Salomon spiritum sapientiæ habuit, cùm vitam mundam non habuit: valde enim mulieribus delectabatur, ac per hoc peccabat.

Primùm merito suo accepit spiritum prudentiæ: postea verò quàm mulieribus nimiùm cœpit uti, & per hoc peccare, si habuit spiritum sapientiæ, regni merito habuit: sicut & Nabuchodonosor regni merito in camino Christum vidit.

QUÆST. 19. *Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q.* XXXIX.

IN Salomone, Spes est, inquit, in tenebris, & melior est canis vivus leone mortuo.

Tenebræ ignorantiam significant & gentilitatem: quia spes est in gentili potiùs quàm in apostata, &c.

QUÆST. 20. *Sap.* 2. *Deest in Mss. 1. generis.*

IN Sapientia, Qui creavit, inquit, orbem ex materia invisa: & contrà, quia ex nihilo facti sumus.

Deum simul confusas substantias creasse, Scripturarum sensus declarat, permixtis utique tenebris. Hanc confusionem rerum, id est, aëra, ignem, aquam, terram, tenebras, materiam dixit, invisam, sicut in Genesi legitur, *Terra, autem erat*, inquit, *invisibilis & incomposita.* Ex hac ergo confusione creavit orbem instituto firmamento, ut intra ipsum aquis congregatis in unum habitatio fieret generi humano. Distinctis enim & discretis substantiis, in concavo domum habitabilem fecit.

Gen. 1.

QUÆSTIONUM EX NOVO TESTAMENTO.
PARS SECUNDA.

QUÆSTIO 1. *Deest in Mss. 1 generis. Isa.* 61.

CUR facta & dicta dominica quatuor voluminibus à quatuor scriptoribus sunt in scripturam digesta?

Congruum fuit annum Domini acceptabilem, sicut dicit Propheta à quatuor voluminibus veluti quatuor vicibus contineri. Sicut enim annus quatuor temporibus evolvitur, ita ut invicem sui egeant: ita & gesta & dicta domini quatuor libris definita sunt, ita ut alter alterius indigeat: simul autem plenitudine perfecta sunt. Ut autem à quatuor scriptoribus ordinarentur, hæc fuit caussa, ut quia temporum diversa sunt nomina, Evangeliorum quoque essent diversa vocabula. Et si qua videntur in verbis contraria, sensu tamen non discrepant, per interpretationem aptam caussæ: sicut tempora cùm videantur utique diversa nomine, aëre, & cursu siderum, in effectu tamen eorum quæ gignuntur non discrepant.

QUÆSTIO 2. *Deest in Mss. 1. generis.*

QUONIAM constat quatuor libros ritè conscriptos gestorum & dictorum Domini, sciendum quis ordo eorum sit.

Evangelium ordinatione colligitur magis quàm tempore. Matthæus ergo primus ponendus est, quia ab ipsa promissione sumsit initium, id est ab Abraham, cui facta promissio est incarnationis Domini nostri Jesu Christi. Post hunc Lucas, quia incarnationem hanc quomodo facta est, narrat. Tertius Marcus, qui Evangelium quod prædicatum est à Christo, testatur in Lege promissum. Quartus autem Johannes, quia hunc qui promissus est Abrahæ incarnandus, & à Luca quemadmodum incarnatus est dictum est, & à Marco Evangelium ejus juxta Isaiam propheram prædicatum ostensum est, aperta voce ostendit Deum dicens, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Johan. 1.

QUÆSTIO 3. *Matt.* 1. *Rom.* 9. *Deest in Mss. 1. generis.*

QUARE Matthæus Evangelium Christi describens dicit, Liber generationis Jesu Christi filij David: cùm prior sit Abraham.

Propterea sic cœpit, ut priùs de ipso diceret à promissione incarnationis ejus genealogiam describens, sicut dicit Apostolus, *Quorum patres & ex quibus Christus secundùm carnem.* Ideo dixit, *Liber generationis*: quia ex multis & diversis incarnatio Christi consistit, ut quia ex uno diversi esse cœperunt, de omnibus corpulentiam traheret. De Judæis & Gentibus & de dignis & indignis: quia Ruth Moabitida fuit, & Bersabee ex mœcha facta uxor est; ut omnium carnem ad se trahens, ad unitatem illos genuinam revocaret. Idcirco, *Iesu Christi Filij*, ait, *David*, cùm prior sit Abraham; quia specialiter Christus dicitur filius David, propter regnum: ut sicut Deus de Deo, ita & rex de rege ortum caperet juxta carnem. Sic enim dictum est ad David, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

Psal. 131.

QUÆSTIO 4. *Matt* 1. *Deest in Mss. 1. generis.*

QUID est, ut generationes omnes in tres partes divideret supradictus Matthæus apostolus.

Caussæ faciunt divisiones & tempora. Idcirco ab Abraham usque ad David distinxit. Prima enim pars caussæ ab Abraham usque ad David est; quia Abraham pater fidei est, & David pater regni. Saül enim indignus effectus, seipsum regno privavit. A David verò usque ad transmigrationem alia pars caussæ, in qua regnum amiserunt facti reprobi Judæi. Post transmigrationem autem Babylonis usque ad Christum tertia pars lamentationis & miseriæ, captivitatis & dispersionis illorum: quia quamvis post transmigrationem Babylonis & septuaginta annorum tempus, quando à Cyro dimissi reversi sunt ad sua, numquam tamen caussam vel requiem habuerunt. Neque

enim postea Judæa regnare potuit, sed solliciti semper & pervagantes fuerunt. Nam utique tempore nativitatis Christi captivi fuerunt, dicentes, *Nos non habemus regem nisi Cæsarem.* (Johan. 19.) Hac ergo caussâ Matthæus tres gradus fecit generationis, ut etiam meritorum & caussarum mutationes ostenderet à promissione facta usque ad Christum, anni autem tempora usque ad finem in unam gratiam permanere.

Quæstio 5. Matt. 1. Deest in MSS. 1. generis.

QVARE cùm XLI. *sint generationes, Evangelista* XLII. *numerasse videtur. Ter enim* XIV. *quid faciunt, nisi* XLII.

Secundùm numerum, XLI. generationes numerantur; juxta rationem autem, XLII. probantur. Jechonias autem in transmigratione genitus, id est rex factus, sicut continetur in Paralipomenon, finem fecit secundæ parti: & quia post transmigrationem remansit in regno permittente rege Nabuchodonosor, ab ipso incipit tertia pars, quæ venit usque ad Christum. Ideoque bis computatur, ut & concludat secundam partem, & initiet tertiam Jechonias. Sic enim habet, *Et post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel.* Usque ad istum autem Salathiel regnaverunt qui sunt ex Juda, scilicet quorum ex radice nascitur Joseph. Nam Jechonias primum filium habuit Assur nomine. Sed quoniam Joseph per radicem Salathiel originem trahit, prætermisso Assur Salathiel Jechoniæ patri suo subjunctus est, ut veniretur ad Joseph, cui erat desponsata virgo Maria. Nam & post Josiam Jechonias sequitur. Sed quia per Joachim patrem Jechoniæ venitur ad Joseph, prætermisso eo, id est Joachim, Jechoniam posuit, ut numerum XIV. generationum non egrederetur, & quia post Jechoniam Salathiel & filius ejus per quem oritur Joseph.

Quæstio 6. Eadem est cùm ea quæ inter primo-vulgatas numeratur q. LVI.

QVARE in Matthæo pater Ioseph Iacob scribitur, & in Luca Heli, ut aut duos patres habere imperitè descriptus sit, aut certè qui verè pater sit nesciatur?

Non est ambiguum patrem Joseph Jacob fuisse. Ordo enim à David per Salomonem tramitem suum tenens, recto cursu pervenit ad Jacob, &c.

Quæstio 7. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4. Deest in MSS. 1. generis.

MANIFESTVM quia natus Salvator Dei Filius & Christus appellatus est, cur ergo post baptismum accessit ad eum tentator, dicens, Si Filius Dei es, &c.

Sic natus Salvator ex Virgine est, ut & Christus esset & Filius Dei, non facturâ, sed ortu. Adhuc autem in minori ætate potentiam suam evacuans, hoc est à potestate sua dissimulans, impudentiam diaboli non provocavit. Baptizatus autem descendente in se Spiritu-sancto, cùm apparuisset hominibus testimonio Dei Patris, æmulatione zeli ductus est inimicus ad injuriam, videns hoc factum sibi obesse: intellexit enim ordinationem baptismatis ad salutem hominum procuratam, Ideoque accedit ad Salvatorem hujus rei principem, non ut approbet, sed ut locum inveniat evertendi. Tentatio enim aliquando ad probationem fit, aliquando sub dolo ad subversionem. Arbitratus est enim quasi Salvatori elicuisset secundùm dolum voluntatis suæ responsum, ut regnum suum totum haberet securus, quòd duce Salvatoris doctrinæ subjecto, nemo mortem ejus evaderet.

Quæstio 8. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4. Deest in MSS. 1. generis.

CVR Salvator tentanti se diabolo non aliter quàm exemplis Legis resistit?

Salvator non solùm diabolo tentanti respondit, sed & Judæis per quos crudelitatis suæ impietatem egit in Salvatorem. Præscius enim Judæos se inimicum Legis dicturos, patris eorum impudentiam diaboli, testimoniis Legis compressit, ut patrem in filios, & filios in patrem condemnaret.

Quæstio 9. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4. Eccli. 2. Deest in MSS. 1 generis.

VT quid Salvator post baptismum quadraginta diebus jejunavit, postea esuriit? Qui enim quadraginta diebus jejunavit, potuit jam non esurire.

Scriptum est, *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Ideoque Salvator ut formam nobis daret, jejunavit, ut simili modo nos quoque jejuniis insistentes, omnem motum diaboli contra nos oppositum, Dei auxilio superemus, scientes exemplo Salvatoris tunc magis insidias adversarij cavendas, cùm ad Dei timorem accedimus. Dolet enim quòd recesserimus ab illo: ideo plus sævit adversùm nos. Hoc nobis gessit Salvator, non sibi. Similiter & quòd esuriit, non sua caussa, sed nostra est. Jejuniis enim cùm superatæ fuissent tentationes diaboli, quæ ideo scriptæ non sunt, quia ad profectum doctrinæ non pertinent; postea, id est post quadraginta dies permisit, ut (quod hominis erat) pateretur famem; ut videns diabolus, qui jam fuerat superatus, infirmitatem in eo famis, incitaretur rursùm ad tentandum, videns hominem esse à quo vincebatur. Hoc enim fuit mysterium Salvatoris, ut quia homini victo insultabat & dominabatur, ab homine vinceretur, ut Dei virtus homini victoriam adquireret: & sic magis vilis effectus est satanas, cùm & hominem cernit, & virtutem non hominis intelligit. Mirabatur enim stupore hebetatus; quod mysterium inesset quod se lateret: ut potestas esset accedendi, circumveniendi non esset. Duabus enim ex caussis torquebatur. Videns enim infirmitatem, accedebat, & inveniebat virtutem; ut cernens hominem suspectus esset de Dei virtute. Ad hoc ergo esuriit, ut illuderet astutiam satanæ. Idcirco autem non ampliùs jejunavit, ut concordaret Moysi & Eliæ.

Quæst. 10. Matt. 3. Marc. 1. Matt. 11. Luc. 7. Deest in MSS. 1. generis.

QVID est ut cùm priùs Iohannes Baptista testimonium perhibuerit Salvatori, postea dubitaverit dicens per discipulos, Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?

Qui Johannem putant dubitasse, detrahunt Salvatori. Aut enim illum rectè asserunt dubitasse, aut certè imperitiæ arguunt Salvatorem; quia sicut putant, malè de se sentientem laudavit. Sed quia falli Salvatorem impossibile est, rectè laudatus ab eo Johannes est. Si rectè laudatus est, non dubitavit. Ipso enim tempore, quo misit ad Jesum Johannes de carcere discipulos suos, dicens, *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* tunc Jesus respondit discipulis ejus dicens, *Ite dicite Iohanni quæ videtis & auditis: Cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, claudi ambulant, mortui resurgunt, & beatus ille qui non fuerit scandalizatus in me.* Abeuntibus autem nuntiis Johannis, cœpit Jesus dicere ad turbas de Johanne Baptista, *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento moveri, aut hominem mollibus vestibus indutum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Dico vobis quoniam plus quàm Prophetam. Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparet viam tuam.* Tunc publicani laudaverunt Deum, baptizati baptismo Johannis. Quanta autem laus data Johanni est, ut plus diceretur esse quàm Propheta, & beatum vocat Salvator eum qui non scandalizatur in se: quomodo laudatur Johannes qui dubitando scandalizatus est? Sed non utique dubitavit. Laus enim beatum illum probat, quia non est scandalizatus. Nam & Salvator idcirco ipso tempore in laudem Johannis prorupit, ut ostenderet sensum Johannis esse liberum à discipulorum ejus dubitatione. Johannes enim volens mirantes discipulos suos corroborare in fide Salvatoris, sciens exitum sibi imminere, ea quæ de ipso dicebat, ore ejus voluit confirmari: ideo ut testis verus sit, testimonium potioris implorat, ut eorum concordiâ omnis ambiguitas auferretur. Hoc commentum Johannis est, ut dubios suis quasi verbis mitteret, ut eadem audientes à Salvatore quæ audierant à Johanne, firmarentur, scientes idonei procuratoris & Domini cælestis testimonium in dubium vocari non posse. Idcirco & Salvator quasi Johanni respondit, ut inter Johannem interrogantem & Salvatorem respondentem discerent veritatem.

Quæst. 11. Matt. 2. Matt. 14. Marc. 6. Deest in MSS. 1. generis.

QVID est quod superiùs Herodem mortuum legimus, infrà autem & post multos annos Herodem Iohannem occidisse; cùm superiùs mortuo Herode Iohannes supervixerit?

Herodes rex fuit Judææ: hic habuit filios quatuor, Archelaum, Herodem, Philippum, & Lysaniam: sed mortuo Herode patre eorum, successit Archelaus, quo mortuo, in quatuor partes divisum est regnum suprà dicti Herodis, ita ut Pilatus in partem regni quartam admitteretur; quasi præses, non quasi rex: filij autem Herodis reges dicerentur. Denique mortuo iterum Philippo, accepit uxorem illius Herodes frater ejus, de qua arguebatur à Johanne Baptista, qua caussâ occidit eum Herodes filius suprà-memorati Herodis. Quid enim dicit? *Herodes*, inquit, *tetrarcha*, id est in parte quarta regni positus sui patris Herodis. Quid ergo ambigitur quando significatio adjecti cognominis ostendit alium hunc esse Herodem? Ipse est enim qui & Jacobum occidit gladio, fratrem Johannis, qui postea percussus ab Angelo Dei scatens vermibus exspiravit.

Quæst. 12. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXVIII.

ORANDVM utique pro inimicis docuit Dominus. Quid est ergo ut contrà animæ occisorum ulcisci petant, à Domino postulantes vindictam?

Apocalypsis cùm futura mala & tribulationes diffidentiæ & malæ vitæ caussas Deo vindice testaretur, &c.

Quæst. 13. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXIX.

SI jam prædicante Salvatore vel Iohanne Lex cessavit, quomodo Salvator ait, Non veni solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere? Si enim cessavit, quomodo non soluta est, aut destructa, quæ agendi amisit auctoritatem?

Prophetarum dicta de Salvatoris adventu, impleta sunt cùm venit, &c.

Quæst. 14. Matt. 11. Luc. 7. Deest in MSS. 1. generis.

IOHANNES ad Dominum, Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?

Sub sua persona discipulorum suorum agit caussam. Non enim Johannes dubitabat, qui dixerat, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: sed ut discipulis suis satisfaceret, mittit illos suis verbis, ut Salvatoris ore firmaret, quod ipse de illo docebat: ut post excessum suum sine dubitatione aliqua discipuli sui Christum sequerentur.

Quæst. 15. Matt. 11. Rom. 13. Deest in MSS. 1. generis.

QVARE Lex & Prophetæ usque ad Iohannem, & post rectè cessasse dicuntur? quia jam de quo prophetabant, advenit. Quare Lex usque ad Iohannem, cùm Apostolus dicat, Legi nos subditos debere esse: Quæ autem, inquit, sunt, à Deo ordinata sunt? *

Legis quidem unum nomen est, sed tripartitam habet intelligentiam. Prima enim pars Legis de Deo est. Sic enim Lex à lectione dicta est, ut de multis quid eligas scias. Inter errores ergo positi acceperunt ut eligant verum, id est reprobato diabolo eligant Deum. Secunda autem Legis pars hæc est, quæ scilicet præceptis continetur, quæ sic incipit, *Honora patrem & matrem.* Tertia verò in neomeniis & in sabbato est, & in escis discernendis ac eligendis, & in circumcisione & in hostiis pecudum offerendis. Hanc itaque Legem dicit usque ad Johannem, non ultrà servandam. Sic enim data est, ut completo tempore cessaret, nec enim fuit ab initio, sed ex caussa data ad tempus est, ut adveniente Salvatore cessaret Lex. Ergo de Deo manet tam Lex præceptorum quàm natura ejus quæ sine dubio est, ab ipso aboleri non potest. Per ipsum enim proficitur ad promissum præmium. Timor enim sollicitudinem parit.

Quæst. 16. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LIX.

CVM Salvator baptismum Iohannis de cælo dicat, cur Nicodemo, cùm de baptismo loquitur, dubitanti ait, Si terrestria dixi vobis & non creditis, &c.

Quod dixit, *Si terrestria dixi vobis, & non creditis*, non pertinet ad baptismum, &c.

Quæst. 17. Matt. 15. Luc. 7. Luc. 17. Deest in MSS. 1. generis.

QVID est ut Salvator mulieri alienigenæ, id est Chananææ inter initia misericordiam denegaret, cùm & Centurioni alienigenæ, & leproso quem ipse Iesus alienigenam dixit, beneficium impertiendæ salutis non negaverit?

Dignum factum Salvatoris ipsa caussa designat. Absurdum enim erat, & ad injuriam promissionis Patrum proficiebat, si mulier quæ Judæorum Deum non confessa fuerat, acciperet beneficium promissum genti confitenti Deum. Inter initium ideo negatum est illi. At ubi autem cervice flexa Salvatoris verbis fidem non negavit, sed confessa est Judæos credentes esse filios, gentes autem canes vel servos, per quod junxit se fidei dominicæ; quia servi dominum indicant, & dominus non est sine servis; unitas facta est subjecti & subjicientis. Hinc est unde meruit consequi quod precata est. Centurio autem qui beneficium à Salvatore incunctanter accepit, olim se Dei rebus infecerat. Denique dicunt majores Judæorum ad Dominum, *Dignus est ut præstes illi, diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificavit nobis.* Leprosum verò alienigenam dixit Dominus, non fide, sed natione. Erat enim Samaritanus, quos constat ex origine esse Babyloniorum. Et hic tamen non sine confessione consecutus est beneficium: quia dictum erat discipulis à Domino, *In viam gentium ne abieritis, & in civitatem Samaritanorum ne introieritis, sed ite potiùs ad oves quæ perierunt domus Israël.* (Matt. 10.) hoc est, ut non priùs prædicaretur Samaritanis & Gentibus quàm Judæis, quorum fuerat promissio hæc. At ubi Judæi cœperunt repudiare fidem Christi, tunc & Samaritanæ se obtulit Salvator, & post crucem Centurioni Cornelio: à Chananæa autem requisitus suscepit eam; quia non erat adhuc tempus, ut offerretur illis salus.

Quæst. 18. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXIV.

QVOMODO probatur quod dixit Salvator, quia post tres dies, & post tres noctes à mortuis resurgeret: cùm utique cœnâ purâ passus, illucescente die Dominico, cùm adhuc tenebræ essent, resurrexerit. Vnde numerus dierum & noctium non convenisse videtur.

Præscius Salvator omnium quæ in se futura erant, hæc protestatus est, &c.

Quæst. 19. Matt. 24. 2. Thess. 2. Act. 17. Deest in MSS. 1. generis.

QVARE Salvator, Orate, ait, Ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato: cùm tempus persecutionis hujus differri non possit, dicente Apostolo, Qui revelabitur in suo tempore. & in Actibus Apostolus inquit, Definiens tempora & terminos habitationis eorum. Et cur hyeme fugam vel sabbato non expedire significat?

Hyeme tuta fuga non est: frigora enim sunt, imbres assidui, ningit, gelat, flumina exeunt; ideoque fugientibus pergrave est. Latere enim in silvis non possunt, neque in montibus, neque in speluncis. Sabbato autem juxta Judæos longiùs à civitate exire non licet, nec altum adscendere, ac per hoc [a] fugi sabbato non potest. Quomodo hæc tempora fugam tutam non faciunt, propter impedimenta suprà-dicta; ita & fuga nostra tuta non erit, si nos obligatos impedimentis carnalibus invenerit prædicta persecutio. Detinent enim homines quasi compedes desideria sæcularia, id est facultates mundanæ, ne edicta diaboli possint effugere. Ideo ergo orandum est, ne tempore quo fugiendum est, hyemis & sabbati in nobis ratio inveniatur, sed ut liberos nos ab his impedimentis Dei præstet auxilium, ut non sit quod nos desiderio sui captos mancipet mundo. Quoniam ergo de novissima persecutione loquebatur Salvator, quæ futura est ab Antichristo, ideo hyemem posuit, quia novissimum tempus est: & sabbatum similiter, quia postremus dies est: ut sicut his temporibus aspera & difficilis fuga est, ita significaret illo tempore tam graves futuras persecutiones & pressuras, ut vix aliquis eas possit effugere.

[a] MS. Germ. fugere sab. nō potes.

Quæst. 20. Matt. 26. & 28. Marc. 14. & 16. Deest in MSS. 1. generis.

SALVATOR cùm se passurum diceret, & post tertium diem resurrecturum, adjecit, Et postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis. & Angelus mulieribus similiter: cùm tamen inveniatur à mulieribus & à discipulis suis in Ierusalem.

Verba Salvatoris retractare infidelis est: sed te video non de verbis Salvatoris dubitare, sed sensum requirere, quare cùm in Jerosolymis post passionem suam visus sit, dixit se in Galilæa ab his videri. In Jerosolyma visus est, sed particulatim ad recreandos animos discipulorum: in Galilæa verò ab omnibus simul. Ergo qui in Jerusalem visuri illum erant per partes, in Galilæam illis constituit, ut simul omnibus appareret, & ad ordinandam disciplinam daret præcepta.

Quæst. 21. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXV.

TRES Evangelistæ sextâ horâ crucifixum dicunt Salvatorem, Marcus verò evangelista tertiâ horâ dicit crucifixum. Sed quidam strenui (industria sua) tertiâ horâ sententiam datam dicunt, ac per hoc tertiâ horâ crucifixum. Datâ enim quis sententiâ jam mortuus habetur. Sed constat post quintam horam in sextam Pilatum sedisse pro tribunali, & sic sententiam dedisse, sicut Iohannes ostendit.

Obscuris vera involvere non est bonum. Nam tres Evangelistas verum dixisse ipsa concordia obtestatur, &c.

Quæst. 22. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. L.

SI ideo Salvator baptizatus est ut exemplo esset, quare circumcisus ceteros prohibuit circumcidi?

Circumcisio usque ad Christum indulta est, Abraham autem circumcisionem in Christo promisso accepit, &c.

Quæst. 23. Habetur suprà inter primo-vulgatas, juxta q. LXI.

IVDÆIS accusantibus discipulos eò quòd facerent contra Legem, sabbati spicas vellendo, Salvator exemplum protulit David, dicens, Nescitis quid fecerit David cùm esuriret, quomodo accepit panes propositionis & manducavit, & dedit his qui secum erant, quod non licebat nisi solis sacerdotibus? Quod exemplum non excusare videtur discipulos, sed possunt tam hi quàm David prævaricatores videri.

Noluit Salvator de tempore impleti sabbati præjudicare Judæos, &c.

Quæst. 24. Marc. 3. Deest in MSS. 1. generis.

CVR Salvator discipulos suos filios tonitrui appellavit, qui plus magis videantur filij Dei dici: tonitrua enim dicuntur collisione nubium fieri?

Quoniam tonitrua terrorem incutiunt, hac caussâ filios tonitrui discipulos appellavit, quasi ejus filij, qui timendus sit. Quamvis enim tonitrua collisione nubium fiant, voluntate tamen Dei fiunt, & sunt terribilia.

Quæst. 25. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXVII.

QVID est ut secundùm Marci evangelistæ relationem, Christi non sit impleta voluntas, Intrans enim, inquit, in domum, voluit neminem scire, & non potuit latère? Si ergo voluit latère & non potuit, infirmata voluntas ejus est.

Hoc quod per compendium propositum est, ut plus sensum posset occulere, &c.

Quæst. 26. Luc. 1. Dan. 7. 1. Cor. 15. Deest in MSS. 1. generis.

IN Evangelio legimus, Angelum dicere ad Mariam matrem Domini, quòd regni ejus, id est Christi, non erit finis. Et Daniel eadem dicit; ait enim, Tunc exsurget regnum in æternum, quod numquam corrumpetur. Contra Apostolus de Domino, Cùm tradiderit, inquit, regnum Deo & Patri. Quomodo regnum æternum habebit, quod traditurus dicitur Deo & Patri?

In caussa Patris & Filij, id est, Dei & Christi, traditio non abolitio intelligitur. Considera enim quomodo Pater tradiderit Filio regnum, ipso hæc Domino protestante, *Omnia enim*, inquit, *mihi tradita sunt à Patre meo.* (Matt. 11.) Si Pater ergo desiit habere cùm tradidit, potest & de Salvatore dici quia cùm tradidit amisit. Nam Filius postquam traditum sibi à Patre regnum dixit, Patrem adhuc præferens ait, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* (Johan. 17.) Secundùm hunc igitur sensum & Filius non amittit regnum cùm tradit, ut hæc vera sint: & Angelus & Daniel non discrepare ab hoc sensu dicantur. Qui horum enim testimonium retractandum putat, perfidiâ plenus est. Sed nunc videamus manentes in hac fide, quid sit tradere Filium Patri regnum: hoc enim est quod inter cetera alio loco dicit Apostolus, *Tunc & ipse subjectus erit ei qui subjecit ei omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* (1. Cor. 15.) Subjectio igitur hæc, ipsa est traditio regni. Itaque hoc loco interpretatio videtur necessaria, ut & subjectus Patri Filius non negetur, & nihilominus æternum regnum habere dicatur. Hoc est regnum Filij, quia in nomine Jesu omnia genua flectuntur, cælestia, terrestria, & inferna. (Philip. 2.) Quod etiam firmat Petrus apostolus, dicens, *Non est aliud nomen datum sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri.* (Act. 4.) Et ipse Dominus discipulis ait, *Vsque modò nihil petistis in nomine meo, petite, & ego faciam.* (Johan. 16.) Sic regnat Filius, cùm omnia in nomine ejus salvantur, & dantur quæ postulantur usque ad finem mundi. Postquam verò omnia Christum fuerint confessa, sive vi, sive voluntate, & substrata potentiæ ejus cui restiterant, mysterium unius Dei cunctis manifestabitur, & omnis gratiarum actio referetur ad Patrem, ex quo sunt omnia; ut cessante prædicatione unus Deus sciatur in mysterio Trinitatis. Cùm enim omnes potestates, omnes principatus & dominationes Christo genu-flexerint, tunc Filius manifestabit non se esse à quo sunt omnia, sed Filium ejus, & illum in se videri. Hæc est subjectio & regni traditio. Ostendens enim Patrem esse à quo sunt omnia, subjecit se illi cùm de eo se dicit esse. Tanta enim majestas & claritas in adventu Filij videtur, ut omnes potentiæ & chori Angelorum hunc singularem putent Deum. Salvator autem cùm se non illum esse dixerit, qui dicitur Pater, sed Filium ejus, regnans tradit regnum Patri. In hac re manifestata est & subjectio, & regni traditio: quia & cùm à Patre se profitetur esse, quidquid habet, Patris confitetur esse, omnem summam referens ad eum.

Quæst. 27. Luc. 14. Marc. 15. Luc. 23. Deest in MSS. 1. generis.

SALVATOR ait, Si quis non reliquerit omnia sua, id est, domum, & agrum, & cetera, non potest meus discipulus esse. Et contrà Evangelista, Venit, inquit, Ioseph ab Arimathia homo dives, qui & ipse discipulus erat Iesu, exspectans regnum Dei. Quid est ut Evangelista profiteatur eum discipulum, quem Salvator negavit? Nam & Zachæus dives erat, & Cornelius Centurio dives, & mulieres quæ illis ministrabant de facultatibus suis.

Hunc sensum paucis absolvit Apostolus, dicens, *Qui habent, quasi non habentes sint: & qui utuntur hoc sæculo, quasi non utantur: & qui emunt, tamquam non possidentes.* Qui ergo hæc sic habet, quasi non habeat, reliquisse videtur. Quando enim non præsumit de his, neque se jactat, sed humiliter incedit, non tantùm habitu, sed & mente, dispensatorem se harum & ministrum intelligens, omnia sua reliquisse videtur. Hoc enim relinqui dicitur, quod à desiderio recedit, & gratiam non habet.

Quæst. 28. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LX.

SI Lex & Prophetæ usque ad Iohannem, quomodo Salvator ad sacerdotes mittit offerri munera pro emundatione.

Hoc secutus est apostolus Paulus. Cùm enim prædicaret jam non oportere circumcidi quemquam, &c.

Quæst. 29. Luc. 16. Deest in MSS. 1. generis.

SI Lex & Prophetæ usque ad Iohannem, ex quo regnum cælorum prædicatum est, ipse est enim inchoator novæ prædicationis, cur baptisma ejus cessavit?

Baptisma Johannis cœptum non cessavit, sed additum est ei quod deerat. Johannes enim tantùm baptizavit, non Spiritum-sanctum credentibus dedit: sicut & ipse de Salvatore dicit, *Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam, ipse autem vos baptizabit in Spiritu-sancto.* (Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3.) Hoc est, quod dicit, Per me remissio peccatorum, non tamen datur Spiritus-sanctus, ut purificati filij dicantur; hoc enim Salvatori reservatum est, utpote Domino, ut Filij Dei non fierent, nisi accepto à Filio Dei Spiritu-sancto. Effectus ergo baptismi Johannis, quod tacitè operabatur sine interrogatione, non tamen sine Salvatoris mentione, ut firmum esset quod agebat, Trinitatis est donum: quod dignatio Salvatoris ostendit, dans formam trium nominum, quæ à primordio sub unius Dei nomine vel persona unum opus & indifferens operata sunt. Interpretatio ergo accessit ad baptismum Johannis cum significatione latentis dudum mysterij: accessit & amplius donum, ut baptizati accepto Spiritu-sancto sint Filij Dei. Amplificatum ergo est, non evacuatum.

Quæst. 30. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXVI.

IN Evangelio Iohannis, Lex, ait, per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Si ergo per Christum veritas facta est, antè non fuit. Si antè non fuit, quomodo à Deo data Lex dicitur, in qua veritas non erat?

Videndum est quid sit, *Lex per Moysen data est.* Per Moysen autem Lex data, manifesta habet præcepta, &c.

Quæst. 31. Johan. 5. Deest in MSS. 1. generis.

SABBATVM certè Lex est vel pars Legis; quomodo ergo non evacuata Lex est, dicente Evangelistâ, Non solùm solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum.

Solvit sanè sabbatum Salvator, sed sine præjudicio dati sabbati. Cùm enim sabbati jam tempus cessaret, Judæi autem sabbatum adhuc manere assererent, Salvator sabbatis operans, & infirmo lectum suum sabbatis portare præcipiens, secundùm sensum Judæorum sabbatum solvebat. Nam juxta veri fidem tale est si dicatur, quòd jam cessaverat, quale est si dicatur de aliquo qui expræfectus dicendus est, & injuriam passus fuerit, quia præfectura injuriam passa est. Non ergo sabbatum solutum est, sed homines qui impudenter sabbati auctoritatem vindicabant, delusi sunt, cùm jam sabbato successisset nova Lex.

Quæst. 32. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXIX.

SI arbitrio proprio vivimus, cur Salvator, Nemo, inquit, venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum? Et non discordans ab his Apostolus, Neque volentis, inquit, neque currentis, sed miserentis est Dei. His utique perturbari videtur arbitrium liberæ voluntatis. Si enim nemo vadit, nisi tractus, non erit illius delictum, qui non vadit quia non est tractus. Et si non qui petit & currit, accipit, sed cui

vult dat Deus, sine culpa erit & crimine qui vult & non obtinet; & ad illum redundat crimen qui petentem spernit.

Nullo genere ex his arbitrij causſa poterit turbari. Etenim dicta ad cauſſam referas qua dicta ſunt, &c.

QUÆST. 33. *Johan. 9. Deeſt in MSS. 1. generis.* *QVID eſt ut cùm Salvator omnes propè verbo curaſſet, caco tamen per lutum de ſputo factum oculos reformarit?*

Hoc Salvator ad confuſionem illorum fecit, qui Creatorem accuſant. Quando enim non aliter vitium accidens corpori emendavit quàm Conditor fecit, auctorem operis hujus commendavit. Per id enim emendavit, quo erat conditum. Omne enim quod fit, ſi lapſum per id quod fuerat factum reformetur, rectum factum probabitur. Si enim Salvator per hoc ſe Deum reſtatur, quia damna & vitia corporis emendavit, quanto magis Deus eſt qui ipſius corporis inventor eſt.

QUÆST. 34. *Johan. 10. Deeſt in MSS. 1. generis.* *QVID eſt quod Salvator ait, Ego ſum janua, qui ante me fuerunt, fures ſunt & latrones, quod dictum videtur Prophetas pulſare.*

Quia nemò vadit ad Deum Patrem, niſi per fidem Chriſti, idcirco ſe januam dicit Salvator regni cælorum. Si ergo januæ verbis utitur, quid opus erat ut de anterioribus diceret, *Quotquot ante me fuerunt:* cùm nulla quæſtio de præteritis verteretur, ſed utique quaſi præſens janua de præſentibus quæreretur? De Judæis enim dicit Salvator, qui non per fidem ſed per juſtitiam Legis in regnum Dei ſe intrare putabant. Ante Salvatorem enim venientes, id eſt ante illum ſtantes, obtrectabant ei contradicentes, ut etiam alios à fide ejus averterent. Unde fures & latrones appellati ſunt. Nam eo tempore hæc dicta ſunt, quo Phariſæi diſceptabant cum illo, qui erat ex cæco illuminatus, cui Salvator oculos reddidit, quos natura negaverat, quem volebant à fide Salvatoris avertere, dicentes, non per hunc poſſe, quia ſabbatum violat, ſed per juſtitiam Legis intrari in regnum Dei. Tunc Salvator, *Ego ſum*, inquit, *janua, per me ſi quis introibit, paſcua inveniet: ſi quis autem aliunde intrare voluerit, ille fur eſt & latro.* Quomodo hoc ad perſonam pertinet Prophetarum? Numquid Prophetæ contra Chriſti doctrinam per juſtitiam Legis ſine fide Deum promereri poſſe dicebant, qui Chriſtum in carne venturum ſcierunt? Hoc ergo de præſentibus dixit, ut quicumque ante ipſum fuerunt, adſtantes vel ſedentes, fures intelligantur & latrones. Sevocantes enim illum, qui fuerat cæcus, volebant eum à fide Salvatoris avertere, dicentes, *Da honorem Deo, nos ſcimus quia hic homo peccator eſt.* Quos ille arguit, dicens, *A ſeculo numquam fuit auditum, quòd aperuerit quis oculos cæci nati: niſi hic eſſet à Deo, non poterat facere quidquam.* De hoc ergo, quia perſeveravit in fide; & de illis qui dixerunt, *Hæc verba non ſunt demonium habentis, numquid poteſt demonium cæcorum oculos aperire;* dixit Salvator, *Sed non audierunt eos oves:* illos utique quos fures & latrones appellavit. Nam quomodo non audierunt Prophetas oves, cùm conſtet Scripturis omnes bonos obediſſe Prophetis, & malos pſeudo-prophetis?

QUÆST. 35. *Johan. 11. Deeſt in MSS. 1. generis.* *QVID eſt ut admirabilem & incognitam virtutem facturus, Lazarum ſcilicet à mortuis reſuſcitaturus, fleret, aut locum ubi poſitus erat quaſi ignarus quæreret?*

Salvator Deus & homo eſt; ac per hoc duas vices egit ſemper, ut quia hominis affectus habet ploret; ſed quia & Deus erat, hunc quem flevit reſuſcitavit. A minimis ergo ſemper ad majora venitur, ut quia homo cernebatur, hoc reprobaret eſſe quod videbatur; Deum autem ſe operibus aſſerebat.

QUÆST. 36. *Johan. 17. 1. Johan. 2. Deeſt in MSS. 1. generis.* *CVM Salvator dicat, Ego pro eis rogo, quos mihi dediſti, non pro mundo rogo: Johannes apoſtolus contrà. Habemus, inquit, advocatum apud Patrem, deprecatorem pro peccatis noſtris, & non ſolùm pro noſtris, ſed pro univerſo mundo.* Hoc contrarium videtur.

Quamvis non longè diſcrepet ſenſus, tamen aliud eſt quod dicit *Johan. 17.* Salvator, & aliud quod affirmat apoſtolus Johannes. Nam Salvator rogat pro diſcipulis, ut à mali infeſtatione iſti præſtentur: denique ſic dicit, *Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo.* Apoſtolus autem Johannes aliud genus precationis inducit; *1. Johan. 2.* ait namque, *Habemus advocatum, qui poſtulat pro peccatis noſtris, & totius mundi.* Pro Chriſtianis ergo duplici genere poſtulatur; quia & pro peccatis illorum oratur, & ut tuti à diaboli infeſtatione præſtentur. Pro his autem qui non credunt, hæc ſola deprecatio eſt, ut cùm pro peccatis ſuis & perfidia plecti mererentur, bonitas & patientia exſpectet illos, ſi fortè velint corrigi. Non enim poſtulatur ut ignoſcantur illis peccata diffidentibus, ſed ut dilationem acciſiant longam, ut ſi ſe emendaverint, dimittantur illis delicta. Hoc ergo poſtulat pro illis Salvator, quod diximus.

QUÆST. 37. *Johan. 20. Deeſt in MSS. 1. generis.* *QVID eſt ut Salvator dicat Mariæ volenti ſe tangere cauſſâ gaudij, Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem: cùm legatur à ceteris mulieribus & tactus & adoratus?*

Indignantis verba ſunt dicentis, *Noli me tangere.* Quamvis enim deſideraret Salvatorem, aliis tamen reſurrectionem ejus credentibus, hæc ad monumentum ſtabat plorans, quam jam gaudere oportuerat. Audierat enim à Johanne & Petro apoſtolis reſurrexiſſe Dominum. Sic enim habes, *Et vidit linteamina & ſudarium in unum locum, & credidit: nondum enim ſciebat Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere.* Sed Maria quia non illum videbat reſurrexiſſe, non credebat. Nimius enim amor dubitare illam faciebat. Denique quos diligimus, ſi incommodum patiantur, non eos evadere credimus: quos autem odimus, ſi jam prope mortem ſunt, incredulum nobis eſt. Mariæ ergo, quoniam obſtupuerat & mœrorem patiebatur per amorem, quam oportuerat ſequi diſcipulorum fidem, primùm ſe oſtendit Dominus, ut deſineret à mœrore, non tamen ſine indignatione. Hinc audit, *Noli me tangere,* hoc eſt, carnalem ſenſum quæris, abſtine te, & ſpiritalia ſequere quæ non videntur. *Nondum enim,* inquit, *aſcendi ad Patrem.* Tale eſt hoc, quale illud beati Johannis Baptiſtæ mittentis diſcipulos ſuos ad Jeſum, & dicentis, *Ite dicite, Johannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens, Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus?* Sub ſua perſona, diſcipulorum ſuorum agit cauſſam. Nec enim Johannes dubitabat,

Matth. 11. Luc. 7.

A qui dixerat, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* ſed ut diſcipulis ſuis ſatisfaceret, mittit illos ſuis verbis, ut Salvatoris ore firmaret, quod ipſe de illo docebat, ut poſt exceſſum ſuum ſine dubitatione aliqua diſcipuli ſui Chriſtum ſequerentur. Ira & Salvator in ſe Mariam arguit, dicens, *Nondum aſcendi ad Patrem:* id eſt, adhuc cor tuum humi preſſum eſt, quæ ſi non vides, non credis. Si enim ad Deum cor elevaſſet, reſurrexiſſe Dominum cum diſcipulis credidiſſet. *Johan. 1.*

QUÆST. 38. *Habetur ſup. inter primo-vulgatas, juxta q. LI.* *QVOMODO intelligitur, quòd dicente Mariâ ad Angelum, Et unde hoc ſciam, quia virum non cognovi, reſpondit Gabriel Angelus, Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.*

Ambigenti Mariæ de conceptu, poſſibilitatem Angelus prædicat dicens, &c.

QUÆST. 39. *Habetur ſup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXIII.* *QVA ratione Magi Chaldæi per ſtellam apparentem Chriſtum* B *regem Judæorum natum intellexerunt; cùm ſtellâ indice temporalis rex deſignetur.*

Hi Magi Chaldæi non malevolentiâ aſtrorum curſum, ſed rerum curioſitate ſpeculabantur, &c.

QUÆST. 40. *Habetur ſup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXIV.* *QVID ſibi vult ut Iſaias propheta de Chriſto dicat, Qui peccatum non fecit: contrà autem Apoſtolus, Qui peccatum, inquit, neſciebat, peccatum pro nobis fecit.*

Quantum ad propoſitum pertinet, non ſolùm verba diſcrepant, ſed & perſonæ diverſæ ſunt, &c.

QUÆST. 41. *Habetur ſup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXX.* *CERTE qui Filius Dei non eſt, diaboli eſt: ſemper ergo filius eſt, ſed aliquando Dei, aliquando diaboli. Quid ergo naſcimur requirendum eſt, utrùm Filij Dei, an diaboli, an aliud tertium, ſi poſſit admitti.*

Dominus cùm filij Iſraël ſæpe deliquerint educi de Egypto, C iratus, nullum illorum terram promiſſionis intrare permiſit, &c.

QUÆST. 42. *Habetur ſup. inter primo-vulgatas, juxta q. XCIII.* *QVÆRENDVM an Spiritum-ſanctum habuerint Apoſtoli tempore illo, quo fuerunt cum Domino, &c.*

In his omnibus quæ propoſita ſunt, non una eſt cauſſa. Breviter enim ſingularum cauſſarum ſignificatæ ſunt formæ, &c.

QUÆST. 43. *Habetur ſup. inter primo-vulgatas, juxta q. XCVII.* *QVA ratione reſponderi poſſit Arianæ impietati ſimpliciter ex Lege.*

Si rationi fides accommodetur, ipſa nominum ratio Patris & Filij oſtendet unitatem, &c.

QUÆST. 44. *Rom. 1. Deeſt in MSS. 1. generis.* *CVM Salvatorem natum profiteamur, quid eſt ut Apoſtolus factum cum dicat ex ſemine David: cùm aliud ſit fieri, aliud naſci?*

Quamquam hoc loco poſſit factura nativitatis intelligi. Factura enim à generatione diſtat quidem; ſed in aliis cauſſis non ubi carnis & corporis vertitur ratio. Apoſtolus tamen non ſine cauſſa taliter verbis locutus eſt; quia & in alio loco, *Factum*, inquit, *ex muliere.* *Gal. 4.* Aliquid ergo ſignificavit hoc dicto. Quoniam enim non humano ſemine concreta caro Domini eſt in utero Virginis, & corpus effecta, ſed effectu & virtute ſancti Spiritus; ideo ſic locutus eſt Apoſtolus. Aliud eſt enim ſemine admixto ſanguinem coagulare, & generare, & aliud non permixtione, ſed virtute procreare. Ideo factum [a] potiùs dixit quàm genitum. [a] *MS. Germ.* factum dixit, quia ingenium.

QUÆST. 45. *Habetur ſup. inter primo-vulgatas, juxta q. LIV.* *SI ex ſemine David Chriſtus Dei factus eſt filius ſecundùm carnem, hoc eſt natus jam Filius Dei eſt in utroque, quia ſanctificatus natus eſt: quomodo ergo poſtquam baptizatus eſt, dictum ei à Deo eſt, Tu es filius meus, ego hodie genui te?*

Chriſtus Filius Dei ſecundùm ſpiritum ex æterno eſt, juxta carnem autem Dei Filius ex ſemine David eſt ex nativitate, &c.

QUÆST. 46. *Rom. 7. Rom. 4. Deeſt in MSS. 1. generis.* *APOSTOLVS Legem datam à Moyſe, & ſanctam & juſtam, & bonam, & ſpiritalem appellat. Alibi dicit, Lex enim iram operatur: & ubi non eſt Lex, nec prævaricatio. Sine enim his eſſe, ſecuritas eſt.*

Ipſe dicta conferens, ſatis tibi debueras facere. Nam ſic ſolent dubij facere quæſtiones, ut unius dicta, quæ fas non eſt reprehendere, pugnantia & inimica querantur. Si enim Apoſtolus Legem ſanctam & juſtam & bonam & ſpiritalem vocat, vir omni laude præcipuus, & undique veritate munitus; ſufficeret hoc ad fidem, & de hoc quod videtur in verbis contrarium, ſine obſtinatione & invidentia quærendum erat. Propoſitio enim hæc impunitatem peccandi vult. Nam Apoſtolus utique cùm legem fidei pro temporis merito & gratia præferret apud Romanos, qui ſub fide Chriſti in Legem fuerant inducti. In legem dico, non eam quæ naturalis eſt: nam utique in legem erant Romani, quam de Athenis decemviri miſſi, & poſt F alij duo adtulerunt, quæ in duabus tabulis ſcripta eſt, quæ in Capitolio obrutæ ſunt; ſed eam quæ factorum appellatur, ut circumciderentur, ſabbatum obſervarent & neomenias, diſcernerent eſcas, circa mundanda vaſa eſſent ſolliciti, & cetera quæ continentur in Lege hujuſmodi. Hanc ergo Legem dicit iram operari: propterea enim irato Deo addita ſunt hæc, ut oneri eſſent perfidiæ Judæorum. De tantis enim neceſſe eſt ut aliquid prætereat. Unde Apoſtolus Petrus, *Quid*, inquit, *imponitis jugum ſuper cervicem fratrum, quod nequo patres noſtri, neque nos potuimus portare?* Denique dicit Deus per Jeremiam prophetam, *Dedi illis præcepta non bona.* Poſt enim offenſiones multas & tentationes in Deum & contumelias factas Moyſi & detractiones de Deo, hæc data ſunt, quæ obſervarent, ut premeretur dura cervix eorum, & quocumque ſe converterent, Legem haberent, ut nullum eis eſſet refrigerium. Ut ergo ab hac illos Lege tolleret Apoſtolus, *Vbi*, ait, *non eſt Lex, nec prævaricatio*: ut ſecuri per compendium poſſint Deo ſervire ſpiritaliter. Quia, inquit, Legem Judæorum ſervantes, neceſſe eſt ut prævaricentis. Tanta enim ſunt præcepta, quæ impleri impoſſibile eſt. Nam quomodo de iſta Lege diceret, quæ naturalis eſt? Nam Moyſes ideo ſcripſit, ut auctoritatem illius firmaret, non quia antè non erat, cùm legamus vindicatum eſſe ante Moyſen; ſed ut exponeret Romanis non debere vivere jam ſub Lege, quos ſub Lege agere expediebat. Nec aliter enim poſſent ſervare juſtitiam. Denique dicit ad eos, *Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & Qui contemnunt, ipſi ſibi damnationem adquirunt.* Spiritalem ergo hanc Legem dicit, quam & ſanctam, & juſtam, & bonam oſtendit. Hæc eſt quam naturalem diximus, quæ prohibet peccare: dux eſt enim bonæ vitæ. Huic addita Lex ſibi perfectum hominem facit. Nam quia communi nomine nuncupatur *Rom. 13.*

Lex

Ibid 7. Lex dicitur, contra Legem loqui videtur Apoſtolus. Sed ne hanc ex inanire videretur, ſine qua vita hæc gubernari non poteſt, dicit, *Scimus quia Lex ſpiritalis eſt*: ut illam quam exinanit, Lex ſabbati & circumciſionis & eſcarum & neomeniarum ſciretur. Illa enim idcirco ſpiritalis dicitur, quia omnia [a] punit peccata.

[a] *MSS. Germ.* deponit.

QUÆST. 47. *Rom. 8. Deeſt in MSS. 1. generis.* [a] *Indicat quæſtionem quæ infrà eſt 61.*

Non diſcrepat ſenſu quæſtio hæc à * ſuperiore. Nam carnem dicendo, quid ſignificet, declaratum eſt, unde quæ ſit ejus ſapientia, facilè poſſit dignoſci. Diximus ergo elementa omnia carnem appellari, id eſt viſibilium ſubſtantias: quorum ratio talis eſt, ut nihil æſtiment poſſe fieri ſine commixtione ſpiritali & ſimplici, potentiæ rationem horrentes ac fatuam judicantes. Hi enim qui de ſpiritalibus diffidentes, carnalia ſequuntur, nihil aliud ſapiunt ac putant verum, quàm ratio continet elementotum: ut neque virginem peperiſſe, neque carnis credant reſurrectionem; quia hoc ratio carnis, id eſt elementorum, non recipit. Omnia enim quæ gignuntur in tempore, permixtione operante generantur: & emortua & reſoluta corpora non poſſe rurſus reddi ad vitam, quia unumquodque elementum permixtione diſcreta revertitur in propriam naturam. His modis inſtati, negant futurum vel factum quod credimus: ac per hoc aſſeveratio illorum inimica eſt Deo, dum ſtultum & inane putat quod fecit & facturum ſe promiſit Deus.

QUÆST. 48. *1. Cor 2. 8. Habetur ſup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXX.* *APOSTOLVS dicit de principibus & poteſtatibus hujus ſæculi, quòd ſi cognoviſſent, numquam Dominum majeſtatis crucifixiſſent. E contrà Marcus Evangeliſta de damonibus ait, Sciebant enim ipſum eſſe. Si dæmones ſciebant, quomodo poteſtates ignorabant?*

Quibuſdam videtur principes & poteſtates hujus ſæculi Judæorum majores & principes dixiſſe, &c.

QUÆST. 49. *2. Cor. 5. 5. Deeſt in MSS. 1. generis.* *QVEM ſpiritum Apoſtolus ſalvandum aſſerit, cùm dicit, Tradidi hujuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, &c.*

Interitus carnis eſt, cùm quis voluptatibus & deſideriis carnalibus dediius, gehennam ſibi procurat: interitum enim ex opere carnis adquirit. Ex his enim totus ſit carnalis, quia ſicut ſecundùm Legem vivens totus homo ſpiritalis efficitur, ut etiam caro hoc dicatur quod anima: ira ſi ſecundùm deſiderium mundi & voluptates libidinum vivat, totus homo ſit caro, proficiens in interitum carnis; id eſt, ut ſicut caro, properea quòd fluxa & corruptibilis & mortalis eſt, amiſſâ animâ deformatur carens figura, deſluit in interitum; interit enim cùm vigorem omnium membrorum amittit: ſic & anima de tali corpore deformata eſt, cujus vigore deſpecta erat in pœna cum carne, in qua ſe vitiis maculavit. Ut nullus profectus ſit carni per animam; ſed interitum habeat anima per carnem; quia non corpus gubernavit ſpiritaliter, cùm regina data ſit carni, ſed ipſa a docet opera carnalia. Talem igitur hominem cùm Eccleſia abjecit, ſpiritum habet ſalvum, ſanctum ſcilicet, qui Eccleſiæ curator eſt: quia ſi paſſi fuerint talem inter ſe habere qui uxorem patris polluit libidine, ut Lege eum poſſint compellere, ne contaminet omnes, & Spiritus-ſanctus recedat ab Eccleſia propter pollutum; non habebit ſalvum ſpiritum Eccleſia. Quod enim amittitur, non eſt ſalvum, & in die Domini nudi ab ſpiritu inventi, inter filios Dei computari non poterunt. *Spiritus etenim teſtimonium perhibet quòd ſumus filij Dei.* Hæc Apoſtolus ad plebem loquitur, quia adhuc epiſcopi Eccleſiis non erant locis omnibus ordinati. Ideo plebem jubet hoc facere quod facturus eſſet ſi illic ereatus fuiſſet epiſcopus, ut conſpirantes in unum, ejicerent illum de cœtu ſuo, ne conſentire viderentur operibus ejus. Quia qui non arguit eum quem poteſt, ſed recipit quaſi non errantem, delinquendi illi fomitem præſtat, qua cauſſâ contaminatur & ipſe fugans à ſe Spiritum-ſanctum. Ad *2. Theſſ. 5. 23.* Theſſalonicenſes namque ſimili modo inter cetera dicit, *Integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri ſervetur.* Ipſe idem ſenſus eſt: hoc eſt enim ſalvum eſſe, quod integrum. Nam dicit rex ad Daniel, *Salva-ne ſunt ſigna Danie!* *Dan. 14. 16.* Et ille reſpondit, *Salva, rex*; id eſt, integra: ut nobis ſit integer ſpiritus, cùm non nos deſerit. Quos enim ſpiritus deſerit, jam non erunt integri in cauſſa regenerationis; quia non habent eum, per quem filij Dei vocabantur. Nec hoc eſt contrarium, ſi Spiritum-ſanctum dicamus, nobis peccantibus nos deſerere, & integrum non eſſe. Ideo enim integer non eſt, dum nos deſerit qui dux & rector noſter erat, quia ſi caput noſtrum eſt, & nos membra ejus. Cùm autem adverſum aliquid facimus, non ille nos, ſed nos illum videmur deſerere: & tunc ille videtur integer non eſſe, cùm nos amittit. Hoc enim verum ac manifeſtum eſt, quia non ille ſe à nobis avertit, ſed nos ab illo cùm peccamus. Et ad Coloſſenſes inter cetera ait, *Coloſſ. 2, 19.* *Ex quo omne corpus ſubminiſtratum & productum creſcit in incrementum Domini.* Quod juxta ſonum verborum ſi accipiamus, non convenit. Nec enim Deus aliquid debuit, ut crementum faciat per nos: Sed nos dum revertimur ad auctorem vitæ noſtræ, & confitemur illum, adquirens nos ad ſalutem, crementum facit in nobis divinitas: ideo in eis qui ab eo recedunt, derrimentum eſt. Hoc eſt ergo interitum non eſſe, quod eſt & detrimentum facere.

QUÆST. 50. *Deeſt in MSS. 1. generis. 1. Cor. 6. 18.* *CVM multa peccata in corpus admitti videantur: omnis enim qui ſibi ex quacumque parte corporis vim intulerit, in corpus utique ſuum peccat: eſt enim qui ſe abſcidit, eſt qui laqueo vitam ſuſpirit, eſt qui ferrum in ſe injecit: quare Apoſtolus, Omne, inquit, peccatum quodcumque facerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat?*

Imperitum putas fuiſſe Apoſtolum, aut vim dicti explanari deſideras? Nam Apoſtolus corpus dicens, non ſingularem hominem ſignificavit, ſed ſimul comprehendit & feminam; quia portio viri eſt mulier. Nam omnia ſupra-dicta facinora, quæ violenter in ſe unuſquiſque admittit, non totum maculant corpus, ſingularis enim peccat, ac per hoc ſolus ſit reus. In fornicatione autem totum polluitur corpus; quia conſenſus contaminationis & virum tenet & feminam: ideo grave delictum eſſe fornicationem. Peſſimè enim peccatur, cùm quis facinori ſuo ſocium quærit ad perditionem. Si enim ut bene vivens etiam pro eo præmium accipiet, quem lucrum fecit; & malus non tantùm in ſe, ſed & in illo ſit reus, quem participem voluit habere damnationis: quanto magis qui fornicatur, quem conſtat uno delicto ſeipſum bis quodammodo contaminare? Si enim in carnem, quæ ex ſe eſt peccat, bis utique ſeipſum adulterat. Si quis autem quæſtionem hanc tranſfigurare ſe putat, ut aut ad Eccleſiam, aut ad corpus Chriſti dictum hoc aptet, non ſtabit. Impropriè enim dicetur, & Novatiano erit ſimilis, qui ut cauſſam furoris ſui adſtruat, pronuntiat eum qui fornicatur, non in corpus ſuum peccare, ſed in Chriſti, quia Chriſtiani membra & corpus Chriſti ſunt; ut fornicatio hoc ſit quod ſacrilegium; ut talis in Chriſtum dicatur peccare, ſicut qui negat Chriſtum. Quod quidem infirmum eſt & fragile: quia ex quavis parte hæret in laqueum, & non evadit. Si enim qui fornicatur, in corpus Chriſti peccat, cetera peccata non erunt in Chriſtum admiſſa: ut ſi Chriſtianus fratrem occidat, aut ſacrificet idolis, vel aliud genus peccati admittat; quia omne peccatum extra corpus eſt, excepta fornicatione. Si autem omne peccatum non eſt extra corpus, ſed quodcumque fuerit, in Chriſtum admittitur, qui furatur, aut qui perjurat, & qui mentitur, aut qui percutit fratrem, aut aliud tale admittit, in Chriſtum vel in Spiritum-ſanctum dicitur peccare, quod valde abſurdum eſt: & tamen Apoſtolus Eccleſiæ [b] membra corpus Chriſti appellat, ita ut nos invicem [b] *MS. Germ.* Eccleſiæ membra & corpus Chriſti. *1. Cor. 9.* ſimus membra. Quomodo ergo qui fornicatur, in ſuum corpus peccat, & non magis in Chriſti? quia ſecundùm Eccleſiæ myſterium non noſtrum corpus dicimur, ſed Chriſti; & hoc longè à cauſſa eſt, quia qui fornicatur, ideo in corpus ſuum peccat, quoniam totus Adam contaminatur.

QUÆST. 51. *Deeſt in MSS. 1. generis.* *CVR Apoſtolus omnibus omnia ſe factum dixit: quod factum adulatoris videtur & hypocrita?*

Adulator ille eſt, qui ideo dat conſenſum, ne offendat eum, quem C optat habere propitium. Qui enim propter ſcandalum aliquid facit, quod non quidem periculoſum, ſed ſuperfluum ſit, ſaluti ſtudet ullius, quem ſcandalum pati non vult. Cùm Paulus Apoſtolus circumcidit Timotheum propter Judæos, & purificatus intravit in templum, talem ſe unique præſtitit, ne illi qui amuli erant traditionis paternæ ſcandalum paſſi aut occiderent illum, aut religionem noſtram ſibi inimicam putarent. Minus ergo admittere voluit, ut plus poſſit lucrari. Graviter enim potuerat peccare, ſi non ut Judæum ſe feciſſet in templum ire ad orandum: ſubjecit ergo ſe, ut illis prodeſſet. His autem qui ſole erant, id eſt, Samaritanis, hac ratione conſenſit, qua conſtat illos, libros Moyſi rectè confiteri eſſe à Deo, & circumciſionem & ſabbata à Deo data. Ex his autem oſtendebat illis Chriſtum, quem ſperabant hunc eſſe, quem prædicabat. Sic enim habes D dicente Samaritide ad Dominum, *Scio quia Meſſias venit: cùm ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia.* Juxta ergo hunc ſenſum perſequebatur verba librorum Moyſi, qui dixit, *Quia Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus Deus veſter de fratribus veſtris.* His autem qui ſine Lege erant, ex hac parte aſſenſit, quia mundum dicunt factum à Deo, & hominum genus. Ait enim, *ſicut quidam ex vobis dixerunt, Hujus etenim genus ſumus.* Sic ergo factus eſt omnibus omnia, ut ſaluti eorum proficeret. *Johan. 4. 25. Deut. 18. 15. Act. 17. 28.*

QUÆST. 52. *1. Cor. 10. Habetur ſup. inter primo-vulgatas, juxta q. XCIX.* *QVID eſt quod dicit Apoſtolus, Tentatio vos non apprehendat niſi humana: quaſi optet hanc fieri? Et quæ eſt hæc humana tentatio? Nam per hanc oſtendit eſſe & divinam tentationem. Diſcernenda ergo ſunt, & quæ ſint oſtendit.*

Omnis quæſtio ut diluedari poſſit, ad originem revocanda eſt. Apoſtolus autem cùm de Judæorum perfidia quereretur, &c.

QUÆST. 53. *1. Cor. 12. 3. Deeſt in MSS. 1. generis.* *QVID eſt quod dicit Apoſtolus, Nemo poteſt dicere, Dominus* E *Jeſus, niſi in Spiritu-ſancto? Ergo Photinus, qui negat Chriſtum Deum, poteſt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in Spiritu-ſancto fateri? & Marcion & Manichæus, qui negant Chriſtum in carne venuſſe, hi in Spiritu-ſancto poſſunt dicere Dominum Jeſum Chriſtum; vel meretrices & ſpurcæ: cùm Spiritu-ſanctus non habitet in corpore ſubdito peccatis, & in malevolam animam non intret ſapientia?* *Sap. 1. 4.*

Veritas non eſt perſona probatur, vel improbatur. Quidquid enim bene & verum dicitur, ſine dubio in Spiritu-ſancto dicitur. Non ergo ſi quis in aliis reus eſt, & in hoc illi præleribi debet, quod verum loquitur. Nec illi tamen præferibitur, ſed Chriſto Domino contradicitur. Qui enim negat iſtum verum dicere, Chriſto injuriam facit. Si autem verum dicitur, negeturque quod verum eſt in Spiritu-ſancto dici, quod & Chriſtus admittit: (Nemo enim bonorum vera de ſe dicentem arguit. Nec enim ex revelatione edidicit, quod per traditionem diſcitur:) nemo verum dicens poterit improbari.

QUÆST. 54. *1. Cor. 5. 14. & 15. Matt. 10. 28. Deeſt in MSS. 1. generis.* *APOSTOLVS dicit Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe: ſic enim ait, Ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt. Ipſe verò Dominus ait, Venit filius hominis dare animam ſuam redemtionem pro multis. Hoc modo contrarium.*

Verba quidem diverſa ſunt, ſed unus eſt ſenſus; quomodo iterum verba eadem diverſum habent ſenſum, ut puta, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Et *Lex*, ait, *non eſt ex fide*, nec tamen peccatum eſt. Hos ergo quos multos dixit Salvator, ipſos Apoſtolus omnes ſignificavit. Multi enim ſunt, quia maxima pars ex omni populo & gente credidura eſt Salvatori. Iſtos Apoſtolus credentes omnes nuncupavit. Sic enim inter cetera ait, *Pro omnibus mortuus eſt*, his utique qui crediderunt & creduri ſunt. Eſt etiam & pro ipſis mortuus, qui credere nolunt: ſed dum illi beneficium non recipiunt, nolunt pro ſe mortuum eſſe Chriſtum; ac per hoc non videtur mortuus pro his, quibus nihil profuit, ſed magis obfuit. Pro his autem rité mortuus dicitur, quibus adquiſita victoria eſt, qui intelligentes myſterium, Deo gratias referunt, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Rom. 14. 23. Gal. 3. 12. 2. Cor. 15.*

QUÆST. 55. *Gal. 2. 11. & 14. Deeſt in MSS. 1. generis. Act. 16, 3.* *CVR apoſtolus Paulus Petrum conpoſtolum ſuum reprehendit, quòd timens eos qui erant ex circumciſione, ſubtrahebat ſe à gentilibus; cùm & ipſe timens eos qui erant ex circumciſione, accipiens circumcidit Timotheum, quod fieri prohibebat; & ipſe ergo reprehendendus eſt?*

Incredibile eſt tantum Apoſtolum in eo alterum reprehendiſſe, in quo ſe ſciret ſuccubuiſſe. Hoc à tam magno viro factum, non eſt fas credere; quia iis competit qui carnaliter vivunt. Caret itaque

apostoli Pauli factum reprehensione. Cùm enim prædicaret non circumcidi, volens autem Timotheum secum assumere, qui cùm esset natus matre Judæa, patre autem Græco, & hoc Judæis esset scandalum, ut ex Judæa natum incircumcisum adsumeret, tunc subjectioni se submisit ad horam, & accipiens circumcidit eum. Rem ergo superfluam fecit, permittente eo qui passus est. Quia enim erat ex matre Judæa, eruditus ab infantia in synagoga litteris sacris, id est voluminibus Hebræorum, permisit circumcidi se, ut Judæis scandalum tolleret, quia zelum habebant generis sui. Denique *cùm Titus,* inquit, *esset Græcus, non est compulsus circumcidi.* Timotheum autem, quia de matre Judæa erat, sicut dixi, non sunt passi Judæi adsumi inter doctores incircumcisum. Ad hoc illum adsumsit Apostolus, ut eum Episcopum ordinaret, sicut fecit. Eruditus enim propheticis litteris, ad adserendum Christum idoneus magister inventus est. Apostolus enim Petrus non esset reprehensus, si se [a] more Judæorum à gentilibus segregasset, ne illis scandalo esset. Sed hoc reprehensum est in apostolo Petro, quòd cùm antè Græcis credentibus gentiliter viveret, advenientibus ab Jacobo Judæis, timore subjectus ex gentilibus credentibus judaizare debere docebat. Hinc audit, *Si tu cùm sis Judæus gentiliter vivis, quomodo cogis gentes judaizare?* Dubitari enim fecerat de Evangelica disciplina; quod crimen est, dum quæ ædificaverat, destruebat. Ideo simulationem hanc vocat apostolus Paulus, quem constat si circumcidisset Timotheum, ut non taceret rem se superfluam propter illorum scandalum facere, & ideo se cedere, propter quòd matrem haberet Judæam: nec enim Judæi insisterent, nisi inventa occasione matris Judææ, quia hoc minimè possent improbare gentilibus, nec habere facilè de his scandalum, qui non essent de genere Israël. Non ergo simulatione hoc fecit, sed violentiâ. Supradicta enim caussa simulationem habuit non minimam. Nam multi reprehensi sunt in hac caussa, ita ut aliqui Judæorum & Barnabas consentirent huic simulationi.

a MS. Germ. timore.

QUÆST. 56. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXXI.

APOSTOLUS ait, Nos naturâ Judæi. De Judæis ergo Judæos nasci ostendit. Denique in eremo qui nati sunt, non circumcisi Judæi erant. Non ergo circumcisio Judæum facit, sed nativitas sub Dei creatoris devotione progenita. Si ergo de Judæis Judæi nascuntur, & de paganis pagani nascuntur; etiam de Christianis Christiani nascuntur.

Non omne quod nascitur, hoc est quod unde nascitur. Nam & aurum de terra nascitur, &c.

QUÆST. 57. Gal. 3. 20. Deest in MSS. 1. generis.

QUID opus erat ut Galatas arguens Apostolus hoc interponeret. Galatis enim post Evangelium ad Legem confugientibus inter cetera ait, Mediator autem unius non est, Deus autem unus est: quasi Galatæ unum Deum negarent. Quippe cùm hac ratione inducti in Lege, ut unum Deum & singularem crederent: Christum autem ministrum tantùm ex prædestinatione venisse ad dispensandum donum gratiæ Dei.

Gal. 2. 4. 2. Cor. 11. 26. Ephes. 2. 15.

Manifestum est sic inductos Galatas in Legem fuisse ut & Christum profiterentur, sed non sicut dignum est, sed more Photini; ut quia unum Deum Lex prædicat, contra Legem sit si Christus Deus dicatur. Hoc commentum Judæorum est, qui magnalibus virtutum victi crediderunt post crucem Christi, ita ut profitentes Christum, Legem tamen servarent, quasi non esset omnis spes in Christo ponenda. Hi sunt quos Apostolus falsos fratres appellat. Isti ergo post Apostolorum traditionem, Galatarum sensum corruperant, ita ut Judæos eos facerent sub nomine Salvatoris. Hinc Apostolus Christum dicit venisse arbitrum circumcisionis & præputij, sicut dicit ad Ephesios, *In uno novo homine faciens pacem.* Si ergo arbiter venit Christus, arbiter autem sic facit pacem inter duos, ut novam regulam ponat, auferens ambobus professiones, reconciliat eos, ut ejus sententiam secuti, amittant discordiam pristinam. Judæo enim circumcisionem vindicante, & gentili præputium, discordia fit. Cùm verò hoc ambobus aufertur, fit pax. Si igitur sic se hæc habent, quomodo vos, inquit, Galatæ Judæi facti, Christi arbitrium corrumpitis? Ideo dixit illis, *Evacuati estis à Christo.* Jus enim reconciliationis quod inter eos constituerat spernentes, ad pristinum Judæorum sensum conversi sunt, accusantes tam se quàm reconciliatorem. Omne enim quod displicet, accusatur. Et quoniam hæc res Galatas ad Legem converti coëgerat, ut unum Deum sine mysterio faterentur, quasi Legi esset inimicum, si Christus Deus diceretur; dicit, *Arbiter,* hoc est, *mediator, unius non est,* sed duorum utique: Vos autem conversi ad Legem, arbitrum recusastis, Deus tamen unus est. Quo dicto non sic se Christum Deum prædicare testatur, ut alterum Deum faceret, aut duos profiteretur, sed unum esse Deum, sicut & in Lege dictum est. Quia Christus cùm de Deo Deus prædicatur, non ad alterum proficit Deum: quia quod de Deo est, non se permittit alterum Deum dici. Sive enim Deus, sive quod de Deo est, unus est Deus. Nihil enim utique distat inter Deum, & quod de Deo est. Est enim alter. Ipse enim alter, propter personam, qua Filius nuncupatur: ipse verò idem, propter unitatem substantiæ. Ne reprehensibile videatur quia personam dixi, solent enim hoc quidam abnuere; sed Apostolum sequamur qui ait, *Nam quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.*

2. Cor. 2. 10.

QUÆST. 58. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXXIII.

SI per Christum salus, & vera & perfecta cognitio, cur non antè venit, ut anteriores nostri qui in ignorantia fuerunt addiscerent veritatem? Denique post adventum Christi multi salvi facti sunt magis quàm priùs: unde si antè venisset, multò plures salvati fuissent. Si ergo ita est, reprehensibile videtur.

Si ei cui necessitas imminet, antè subveniatur, erit quidem gratus, non valde tamen poterit scire quid sibi præstitum est, &c.

QUÆST. 59. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXXII.

PAGANOS sub elementis esse nulli dubium est. Quid ergo Apostolus dixit, Eramus & nos sub elementis hujus mundi servientes. Si itaque & Judæi sub elementis erant, quid differunt à Paganis?

Pagani non sub elementis serviunt, sed ipsis elementis. Colunt enim astra, &c.

QUÆST. 60. Gal. 4. 12. Deest in MSS. 1. generis.

QUANDO Apostolus Galatis dicit, quos sic reprehendit & arguit per totam epistolam, Estote sicut & ego, quia ego sicut vos. Si ergo talem se præstitit quales illi erant, superfluum fuit dicere, Estote sicut & ego. An fortè in quibusdam imitator illorum esse cœperat, & in aliquibus vult illos sui similes exsistere?

[b] Quid illorum poterat imitari Apostolus, aut quid illi deerat magistro gentium? Sed hortatur illos ut imitatores ejus sint: & quoniam non est impossibile, sic reprobat, cùm dicit, quia hoc sum quod vos: homines enim estis, sicut & ego; ideo facite quod facio ego. Potest & ad illud referri, ut quoniam omnibus se omnia factum dicit per assensum in quibus à vero non discrepabant, maximè gentiles. Nec enim fuit aliquid eorum, quid jam fieri minimè oportebat, priùs autem rectè factum erat, ut circumcisio, sabbatorum observatio, neomeniarum, escarum. Sed si quid gentium probavit, non cessare jam debere ostendit. Mundum enim dicunt à Deo & hominibus fabricatum: hoc semper stat. Si ergo in his consentiens illis factus est sicut & illi, hortatur illos ut simili modo & hi fiant sicut & ille est, consentientes doctrinæ ejus.

b MS. Germ. Quis illorum poterat imitari Apostolū. 1. Cor. 9. 22.

QUÆST. 61. Gal. 5. 17. Deest in MSS. 1. generis.

QUOMODO liberi sumus arbitrij ac voluntatis, cùm dicat Apostolus, Caro concupiscit adversùs spiritum, spiritus verò adversùs carnem, ut non quæ vultis ea faciatis? Et si caro adversùs spiritum concupiscit, mala est. Spiritus enim bona suggerit?

Carnem non substantiam carnis hoc loco intelligas, sed actus malos & perfidiam significata in carne. Per id enim quòd omnis error ex visibilibus & mundanis, caro autem cognata eorum est, ex elementis enim constat; omnem errorem carnem appellat: non solùm adulteria, fornicationes & luxuriam, opera dicit carnis, sed & idololatriam, & maleficia, & blasphemias, & talia. Numquid caro ad blasphemiam cogit aut idololatriam? Nonne hæc animæ vitia sunt, dum consentit errori? Rectè autem agentibus dicit, quòd non sint in carne, sed in spiritu. Et utique ad hoc in corpore sunt. Qui ergo bene ambulat; nec diffidit de spe fidelium, in carne positus, non esse dicitur in carne: malè autem vivens & blasphemus, in carne dicitur esse, & caro; quia quomodo bene agentes spiritales sunt cum ipsa carne, sic malè viventes carnales sunt cum ipsa anima. Hoc enim nuncupatur quod dicit. Hic itaque error, quem carnem appellat, concupiscit adversùs spiritum, id est suggerit mala contra eumdem spiritum, qui est Lex Dei. Ad duas enim leges inducit, Dei & diaboli. Unde spiritum dicit, propterea quod Lex Dei spiritalis est, contra carnem, hoc est contra vitia repugnare, ut hominem conservet Deo: lex autem diaboli, qui est error, contradicit per oblectamenta luxuriæ, & mundana dulcedine. His ergo repugnantibus medius homo est, qui cùm consentit spiritui, non vult caro: cùm autem manum dat carni, spernit spiritum, id est Legem Dei contemnit. Consentientem ergo carni, spiritus revocat, ne faciat quod vult: assentientem autem spiritui, caro sollicitat, ne faciat quod putat utile. Sed spiritus rectè & providenter contradicit & revocat, ut eripiat hominem à consiliis Satanæ. Caro autem quæ est lex adversa, idcirco sollicitat, & spiritui legis resistit, ut per fallaciam decipiat. Ideo ergo hæc Apostolus publicat, ut ostendat arbitrio humano cui rei voluntatem suam committat, non ut arbitrium libertatis exinaniat, sed docet arbitrium cui rei se conjungat. Si autem non est voluntatis arbitrium, neque lex diaboli quæ est caro, neque lex Dei quæ est spiritus, invicem sibi adversando hominem consiliis sollicitarent. Qui enim sollicitat, suadet: qui autem suadet, non vim infert, sed circumvenit: qui circumvenitur, fallaciis quibusdam voluntas illi mutatur. Si autem non esset liberum arbitrium, nolens homo traheretur ad ea quæ non vult.

QUÆST. 62. Coloss. 2. 3. Matt. 24. 36. Marc. 13. 32. Deest in MSS. 1. generis.

SI in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, quomodo idem Salvator de die & hora futuri judicij dicit se nescire? Si autem sciat, & dicit se nescire, videtur mentiri.

Dictum hoc duplicem continet sensum. In Christo enim omnes thesauros sapientiæ & scientiæ sic dicit absconditos, ut qui habet Christum, pro omni sapientia & scientia [c] illi cedat: ut scire Christum totum sit scire, & omnem sapientiam comprehendisse, sicut dicitur ad Colossenses, *Nemo vos circumveniat per philosophiam & inanem seductionem, secundùm elementa hujus mundi, & non secundùm Christum: quia in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:* Hoc est, nihil indigere ad salutem, eum qui credit in Christum, sed illi hoc abundare; quia plenitudo divinitatis in fide ejus est. Et iterum in eadem Epistola inter cetera ait, *Nemo vos seducat in humiliationem cordis, & in superstitione Angelorum, quæ videt extollens se, frustrà inflatus mente carnis suæ, & non tenens caput ex quo omne corpus subministratum & productum crescit in incrementum Dei.* Si itaque credentes in Christum, caput totius principatus & potestatis venerantur, nullius indigent, sed totum quod ad salutem opus est habent; nihil illis oberit inferiora quæ ad salutem nihil conferunt nescire, quando id quod necessarium est norunt. Hujusmodi ergo totum scire, dicendi sunt, qui hoc sciunt, quod illis proficiat ad salutem. Est etiam illud, quia in Salvatore omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi. Omnia enim sacramenta Paterna ipsi sunt cognita; & omnem creaturam ipse metitur; & nec Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio; & nemo scit quæ sunt in Deo nisi Spiritus Dei, qui est & Christi. Quomodo ergo & diem & horam futuri judicij nescire dicendus est, cujus Spiritus quæ in Deo sunt, novit, de quo dixit quia de ejus accepit? Si ergo qui de ejus accepit novit quæ futura sunt, quomodo non sciet Christus qui misit Spiritum-sanctum? Et potest fieri ut judex nesciat diem futuri judicij? Quippe cùm omnia signa dederit quando speretur. Fortè etiam hos dicatur verè nescire, quibus dicit, *Amen dico vobis quòd nescio vos.* Nec virgines stultas & improvidas dicetur scire, quia dixit etiam, ipsis dicentibus *Domine Domine aperi nobis, Amen dico vobis, quòd nescio vos.* Caussa ergo est, ut dicat se nescire quod scit. Denique sic ait, *Vigilate, quia nescitis qua horâ Dominus vester venturus sit.* Ut ergo sollicitos nos & vigilantes faceret, interrogatus nescire se dixit diem & horam futuri judicij; sed ut nobis prodesset, negavit se scire quod scit. Ignorantibus ergo nobis, quid prosit nobis, scire omnino volumus quod si scierimus, oberit nobis. Christus autem provisor salutis nostræ, ne audiremus quod contra nos esset, dixit se nescire. Numquid si alicui in dolore posito gladium poscenti se ut perimat, qui habet respondeat se non habere, mendacij arguendus erit negans, quod si non neget, sciat contrarium?

c MS. Germ. illum credat. Coloss. 2. 8. Ibid. 18. Matt. 25. 12. Matt. 24. 42.

QUÆST. 63. Philip. 2. 27. Deest in MSS. 1. generis.

QUID est ut cùm Apostoli omnes curas sibi oblatas sanassent, priùs tamen infirmis medelam non dederint. Nam utique Epaphroditus usque ad mortem non ægrotasset, si intercessio Apostoli fuisset audita. Quis enim dubitet orasse hoc sæpe Apostolum, & non impetrasse? Si enim auditus fuisset, statim infirmitas fuisset ademta?

Signa & virtutes idcirco ab Apostolis factæ sunt, ut infidelitas cogeretur ad fidem, ut videntes facta quæ hominibus impossibilia sunt, Dei ex hoc esse prædicationem agnoscerent, & rationem esse in fide, virtute probarent: ut quoniam verbis semper contradicitur, testis virtus posita est, cui cùm verba cedunt, rationem esse in fide significat, quæ verbis exprimi non potest. Inter fideles igitur non jam signa & prodigia sunt necessaria, sed spes firma. Postquam enim discitur vera esse quæ promissa sunt, ad hoc se armat animus, ut spretis præsentibus futuris dignus exsistat, meritum sibi collocans per laborem; hoc Salomone testante, qui ait, *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Quoniam tentationibus proficit homo, hæc data sunt monita. Unde Apostolus, *Per tribulationes*, inquit, *oportet nos intrare in regnum Dei.* Hæ tribulationum tentationes diversis modis accidunt, ut perseverans animus in accepta fide possit coronari. Non solùm enim in fide tentatur homo, sed & in ægritudine, & in damno, & in persecutione, & in morte carorum: ut si in his passionibus ad auxilium dæmoniorum non fuerit abductus, sine sanguinis pretio mereatur martyrium. Non ergo ad dispendium Epaphroditi non impetravit Apostolus quod petiit, sed ad profectum: quia & in sua caussa, cùm postulasset, audivit, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

Eccli. 2. 1. Act. 14. 21. 2. Cor. 12. 9.

QUÆST. 64. 1. Pet. 2. 21. Philip. 2. 8. & 9. Deest in MSS. 1. generis.

PETRUS apostolus dicit, Christus mortuus est pro vobis. Paulus verò apostolus asserit, quia & pro se mortuus est, Factus, inquit, obediens usque ad mortem, propter quod donavit illi Deus nomen, quod est super omne nomen. Quòd si ita est, imperfectus videbitur fuisse, qui per opera sua fecit augmentum.

Filium Dei perfectum natum esse de Deo, nemo fidelium ambigit. Omnia enim divinitatis Paternæ accepit nascendo de Deo Patre. Tunc ergo accepit nomen, quod est super omne nomen, id est ut hoc dicatur quod Pater, Deus. Nam nihil apud eum futurum dicitur: omnia enim ante se habet. Ideo ad hæc omnia creanda & restauranda natus est. Nam utique ordo & ratio hoc habet, ut Paterno nomini omne genu flectatur. Hoc Pater donavit Filio proter ea quæ erat acturus donavit autem quàndo genuit. Sic enim illum genuit, ut in eodem honore esset, quo ipse Pater est.

QUÆST. 65. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXXII.

QUID est quod dictum est Johanni, sicut in Apocalypsi scriptum legitur, Vade, & accipe librum, & devora illum, & amaricabit ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. Quis est hic liber: vel quomodo amarum facit ventrem, cùm sit dulcis.

Frequenter, qui compendium quærit, solet errare. Quid est ut non omnia ad caussam dicta proponas, &c.

QUÆSTIONUM EX UTROQUE MIXTIM.

PARS SECUNDA.

QUÆSTIO 1. Eadem cum ea quæ inter primo-vulgatas est q. XXI.

QUID sit ad imaginem & similitudinem Dei fecisse hominem: & an mulier imago Dei sit?

Hoc est ad imaginem Dei factum esse hominem, quia unus unum fecit, &c.

QUÆSTIO 2. Johan. 6. 46. 1. Tim. 6. 16. Johan. 1. 18. Gen. 32. 30. Isa. 6. 1. Johan. 14. 9. Deest in MSS. 1 generis.

EVANGELIUM testatur, quia nemo vidit Deum: contrà Jacob & Moyses & Isaias adserunt Deum se vidisse. Sed dicit quis, Patrem nemo vidit. Quid ad rem? Si Filius visus est, visus & Pater est: quippe cùm Pater & Filius uterque sit unus Deus, & in substantia, & in imagine, quia duorum una imago est, & sicut ipse dicit, Qui me videt, videt & Patrem. Quomodo ergo nemo vidit Patrem Deum, cùm Filius dicat videri Patrem cùm ipse videtur: quia neque alter Deus. Si ergo alter non est, ipse idem quia unus est, visus est Deus.

Johan. 1. 18.

Quantum ad Evangelistam pertinet, de Patre Deo hoc dixit, quia nemo vidit Deum, nisi Filius unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Credamus Filio, ipse enarravit enim quia nemo nisi ipse vidit Deum. Hoc autem ideo dixit, ut doceret se semper apparuisse Patriarchis & Prophetis. Non ergo hoc ad unum Deum pertinet, sed ad personam Patris, de quo non potest dici aliter quàm Deus Pater. Filius autem sic se visum dicit, ut invisibilis sit tamen in eo ipso cùm videri putatur. Visus enim hic intellectus est; quia non utique oculis visus est, sed mente intellectus: & hoc fuit vidisse, intellexisse, in eo quòd apparuit ibi inesse Deum. Cùm autem dicit Salvator, *Qui me videt, videt & Patrem:* non utique ad oculorum visum hoc retulit, sed mentis, & ut nihil inter Patrem & Filium diversum esse putaretur. Neuter ergo eorum visus est juxta substantiam. Circum apparentia autem solus Filius visus est mente, non carnalibus oculis; quia invisibilis est sicut Pater.

Johan. 14. 9.

QUÆSTIO 3. Gen. 22. 16. Exod. 33. 1. Matt. 5. 34. Deest in MSS. 1. generis.

VETUS Lex Deum jurasse allegat: sic enim dicit, Per memetipsum juravi, dicit Dominus. Salvator autem jurare prohibuit: quomodo non destruxit vetera?

Antequam notitia Dei esset in terris, non aliter oportuit provocare homines ad spem inauditam, quàm jurejurando promissio illis fieret, ab eo utique, quem non, ut dignum erat, sciebant. At ubi autem cœpit sciri, non utique jurare oportuit, quem mentiri fas non esset arbitrari. Ideo ergo Dominus nec servos jam jurare præcepit, sed tales se instituere, ut sermonibus illorum fides habeatur. Sacramentum enim jurisjurandi aut perfidia exegit, aut fallacia inconstantis; ut quia fallere homines solent, timore fortè Dei revereantur: aut certè satis erit, & qui fallitur, quia ex hoc offensam adquirit.

QUÆSTIO 4. Habetur sup. inter primo-vulgatas, juxta q. LXVII.

QUID est quòd in cruce positus Salvator ait, Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. Si nesciunt, quid est quod ignoscitur, maximè cùm dicat Abimelech ad Deum. Numquid ignorantes perdes?

Non omnis ignorans immunis à pœna est. Hic enim qui potuit discere, & non dedit operam, &c.

QUÆSTIO 5. Deut. 27. 26. Gal. 2. 16. Deest in MSS. 1. generis.

SI in Lege nemo justificatur apud Deum, quare scriptum est, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea: si ex fide justificantur homines, & non per Legem, ut quid maledictus est qui non implevit Legem, cùm non proficiat ad justitiam?

Gal. 3. 12.

Lex data per Moysen justitiam habebat quidem, sed terrenam, ut servantes Legem justi essent ad præsens, ut non rei fierent. Justus est enim ex Lege, qui nulli nocet. Unde Apostolus, *Lex*, inquit, *non ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in eis.* Hoc est, faciens Legem non morietur, sed vivit ad presens: Justitia autem quæ ex fide est, justificat homines apud Deum, ut remunerentur in futuro sæculo. Addiderunt enim temporali justitiæ justitiam fidei. Justum est enim nosse ex quo & per quem sumus, ut Patris & Filij & Spiritus-sancti vera confessio ad cælestia regna nos perducat. Nam & veteres qui non solùm Legis præcepta servaverunt, sed & Deum dilexerunt, spem habentes in promissione, justificati sunt apud Deum. Solam enim Legem dicit non justificare homines apud Deum, sicut nec sola fides exceptis bonis operibus commendat apud Deum, sed servatâ justitiâ terrenâ & divinâ, perfectos facit. Hinc dicit Dominus, *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non introibitis in regnum cælorum.*

Matt. 5. 20.

QUÆSTIO 6. Psal. 19. Matt. 25. Deest in MSS. 1. generis.

QUID est ut David dicat, Confundantur & erubescant qui dicunt mihi, euge, euge: Dominus autem, Euge, inquit, serve bone & fidelis, &c. Quod David pro malo accepit, hoc Salvator bonis meritis dignum ostendit.

Non valde istud discrepat à superiore quæstione. Unum enim verbum diversas habet significationes, sicut suprà * memoravi. Obtrectatores enim David, cùm exitiis ejus faverent, gratulabantur malis ejus. Dum enim ille pressuras & angustias pateretur à Saül & filio suo Absalon, illi rectè & bene fieri dicebant. Tale est si aliquis dicat, de eo qui injurias patitur, Bene illi hoc est, gaudere in malis: hoc est dicere, Rectè illi fit, sic enim meretur. Simili modo & Salvator lætus in bonis operibus, meritum hominis pronuntiat, dicens, *Euge serve bone & fidelis.* Exsultat enim, quia servus digniorem se fecit, dicens, Bene, hoc est, Rectè egisti, [a] uti majus meritum collocares. Unum igitur verbum duabus contrariis caussis aptatur. Nam solemus de aliquo dicere, Adjudicatus est. Sed quomodo dicatur, caussa aut subsequens aut præcedens declarat. Aliquando enim ad bonum dicitur, aliquando ad malum: sicut & concupiscentia aliquando ad bonum, aliquando ad malum aptatur.

** In 2. parte qq. ex novo Test. q. 54.*

a Sic MS. Germ. At editi, utinam.

QUÆSTIO 7. Psal. 35. 7. Jonæ 4. 11. 1. Cor. 9. 9. Deest in MSS. 1. generis.

QUID est quod in Psalmo, Homines, inquit, & jumenta salvos facies? Et ad Jonam prophetam, Non parcam, ait, civitati in qua habitant centum-triginta millia hominum, & pecora multa. Contrà autem Apostolus, Numquid, ait, de bobus cura est Deo?

Quantum ad verba pertinet, videtur contrarium: si caussa autem hominis & pecorum inspiciatur, manifestabitur esse non dispar. Omnium curam gerit Deus, quasi omnium opifex: sed non servat pecora propter ipsa, sed propter homines servat pecora, non homines propter pecora. Itaque qui hominum curam gerit, custodit pecora, ut non illi cura sit de bobus, sed de hominibus. Quæ enim spes in pecoribus?

QUÆSTIO 8. Tob. 12. 7. Marc. 8. 26. Marc. 5. 19. Deest in MSS. 1. generis.

IN Tobia, Opera, inquit, Dei revelare & confiteri, honorificum est. Salvator autem opus Dei faciens, Nulli, ait, dixeris.

Non Salvator opus Dei celari debere dixit: nam alio loco, *Vade*, inquit, *& narra quanta tibi fecerit Deus.* Sed illorum testimonium refutavit aliquando, & jactantiam pressit: ne videretur, quod prudentibus absurdum est, ipse sibi, ut seductor, testimonium perhibere.

QUÆSTIO 9. Deest in MSS. 1. generis.

De æternitate Filij.

Quoniam sunt quidam, qui nondum adhùc discussa erroris caligine, nec purgata vel detersa veternosæ vitæ carie, terreno sensu existimantes, dubitant vel de Dei Filio, vel duos unum esse, (perfida enim & contumax natio Judæorum, quibus fons Legis & sacramentorum thesauri [b] patuerunt, non ambigit, sed nefariis pernegat vocibus,) breviter quantum tractus contractior patitur edisseram. Spes enim ignorantibus si velint discere, integra dimittitur; pœna dissimulantibus perpetua destinatur. Deus omnipotens, cùm magnitudine ac bonitate præstantior sit, magnum aliquod & maximè bonum edere ex se atque exhibere debuerat: sed si quid edidisset, quod contra modum excellentiæ suæ foret, aut non potuisse amplius, quod in omnipotentem non cadit; aut noluisse, quod in benignissimum, videretur. Certè in summo Deo grande non fuerat fecisse quod infra se positum vim plenæ summitatis non esset habiturum. Super se ergo nihil erat; nihil est enim quod Deum vincat: infra se parum fuerat; quia minus maximo non congruebat. Simillimum itaque suum Filium creans, edidit ex se quasi alterum se: ac sic illud summum & maximum bonum, quod nobis ex Deo suppetit, per ejus ad nos propaginem redundavit. Quin & hæc simul intelligenda ratio est, Deum qui hunc mundum condidit, ei qui inter cetera pulcritudinis ordinationisque miracula, creandi quoque naturam sufficiendis sui cujuslibet

b Sic MS. Germ. At editi, thesauri hoc monstrare potuerunt.

generis fetibus tribuit, ipsum priùs utique habuisse quod dederit. Nullus enim dat quod ipse non habeat. Qui habuit ergo Filium totis sibi similitudinis partibus congruentem, hoc est, unus unicum, probus probum, bonus benignum, beatus beatum, maximus maximum, sempiternus æternum, habuit utique ante mundum creatæ sobolis principatum, de quo rebus oriundis impertiebatur exemplum, ut gignentium germina suis respondere seminibus cogerentur. Nec sanè aliter sinebat ordo legitimus, quàm ut pater rerum futurus, antè esse deberet pater proprius, hoc est proprij sui fetus. Sed quod editum Filium diximus, non sic est accipiendum tamquam nostri similem habeat ortum, natusque ita sit, ut mortales nasci videmus, cùm prorumpente fetu exsistant quæ antè non fuerant. Illa enim aliunde insitis concepta seminibus, elementorum [a] subjectorum cœtu in generis sui speciem coalescunt: hæc autem divinitus nullo auxilio admixtionis externæ ex se id quod in se ac secum semper habuit, eduxit & protulit. Ut enim si lucem nasci ex sole dicamus, quòd ab eo procedat & profluat, non utique sic dicimus, quasi aliquando sine luce sol aut esse possit, aut fuerit, ut eam tempore aliquo à se [b] posteriorem generaverit, sed ut quod secum semper obtinuit, eam de se scilicet genitam sine cœpti aliqua distinctione à principio, qua semper fulgeat, semper ex se velut munere reparante collustret: sic Dei Filius ab æterno omnino Patri cohærens, hanc quoque ejus similitudinem tenuit, ut nec ortum habeat, nec occasum. Et ut Deus sine origine sempiternus, ita & Filius sempiternus: & ut Deus unus est, simplex, idemque, sic cum Patre permixtus, ut nominibus & affectibus distincti quidem, sed idem sint, in ambobus unus, & uterque in uno inseparabili majestate continuus. Deus itaque Filium non ex materiis discordantibus tractum, sed ex simplici ac singulari naturæ suæ stirpe ac seminario editum, semper in se habitum, nec à se ulla umquam separatione dimissum, ita secum continet & amplectitur, ut nihil in ambobus de illa unitate mutetur.

a MS. Germ. elementorum distâcia in cœtum sui generis specie coalescunt.
b MS. Germ. à se superiore generaverit.

QUÆST. 10. Deest in MSS. 1. generis.

QUID est quod Apostolus dicit Galatis, Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vocavit vos in gratiam, in aliud Evangelium, quod non est aliud. Si aliud certè est, ipsum non est: si ipsum non est, quomodo non aliud est?

Ideo aliud dicit Evangelium, ad quod vocati fuerant, quia non hoc est quod postea sequi cœperant Galatæ. Ab Evangelio enim Christi abducti, in Judaïsmum fuerant adtracti sub nomine Christi, quasi hoc esset sequendum; & aliud quàm quod Apostolus prædicabat, affirmabant. Unde sublegitur, *Sicut vobis suadent*. Pseudo enim Apostoli, cùm circumvenirent gentiles credentes, hoc dicebant à Salvatore traditum, quod ipsi docebant, sicut continetur in Actibus Apostolorum, *quia nisi circumcidamini more Moysi, non poteritis salvi esse*. Hinc Apostolus dolore eversionis illorum commotus, scribit ad eos, dicens, *Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vocavit vos in gratiam, in aliud Evangelium, quod non est aliud*. Miratur ergo, quia post rem levem & minùs gravem, asperitati studerent & oneri: hoc est, ut post fidei simplicitatem circumcidi se, pro clementis permitterent, neomenias colerent & sabbatum, elementis subjecti [c] [ac provocati erant, id est, gratiæ non Legis factorum.] Et ne pseudo apostolis occasionem dedisse videretur, dicentibus aliud esse quod acceperant Galatæ quàm veritatis habet traditio, statim subjecit, *quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi*. Aliud ergo erat, ad quod ab Apostolo vocati erant Evangelium, quàm quod sequi cœperant impulsu Pseudo apostolorum: non tamen aliud erat quàm Christus tradiderat, ut vel per id in errorem se inductos cognoscerent, & solam fidem sequerentur, profitentes Christum Deum, & hunc sufficere ad salutem tribuendam, per quem fuerant remissionem peccatorum adepti, non per Legem: quia sine Lege gratia Dei donat delicta.

Act. 15. 1.
c Hæc absunt à Germ. codice.

QUÆST. 11. Philip. 2. 27. Deest in MSS. 1. generis.

NON esse contristandum de mortuis Paulus Apostolus signat. Nam desperantium est contristari; & ipse, Infirmus, inquit de Epaphrodito, fuit prope mortem, sed Deus misertus est illi: non solùm autem illi, sed & mihi, ne tristitiam super tristitiam haberem. Quomodo contristandum vetat, cùm ipse contristandum se, si mortuus fuisset, declarat.

Aliter se de morte Epaphroditi, si provenisset, contristandum significavit, & aliter prohibet contristandum. Nam hîc propter solatium adjutorij ejus, quo utebatur in Evangelio, si mortuus fuisset, contristandum se dixit. Nos autem sic contristari prohibet, ne obitos quasi exstinctos & perditos lugeamus, desperantes de resurrectione. Aliud est igitur solatium requirere quasi absentis, & aliud dolere interitum jam non futuri. Hîc cessat consolatio, illic excluditur desperatio.

QUÆST. 12. Eadem cũ ea quæ inter primo-vulgatas est q. LXII.

QUID est quia occisis filiis Liæ, qui sunt ex tribu Juda, Rachel filios suos plangere dicatur?

Rachel filij, quantum ad historiam pertinet, olim pro maleficio suo opere Sodomitarum, & spurcitia quam in concubinam hominis levitæ operati sunt, exstincti fuerunt & erasi sunt à reliquis tribubus, &c.

ADMONITIO
DE SUBSEQUENTI EXPOSITIONE IN APOCALYPSIM.

Veterum in Apocalypsim commentarios evolventi tibi occurret magna pars subsequentis expositionis, quæ ex Victorini martyris præsertim (si ad ipsum tamen vulgatus ejus nomine commentarius pertinet) atque ex Primasij & Bedæ verbis consarcinata est. Hanc pro Tichonij opere omnino recipi volebant nonnulli : at certè non habentur hîc quæ Donatista ille suo operi insperserat, multa *videlicet, uti Primasius *scribit* sanæ doctrinæ contraria, ita ut de caussa quæ Catholicos inter & Donatistas vertebatur, secundùm pravitatem cordis sui loca nocendi captaret, Catholicæque Ecclesiæ noxia expositione putaret mordaciter illudendum. *Quin immo adversùs Donatistarum hæresim exponuntur de industria sententiæ quàmplures; & baptismi repetitio, quæ Schismaticis illis in usu erat, passim improbatur, velut in Homilia* VI. *ad Apocal.* 8. *vers. 11.* Hoc, *ait auctor*, in his qui rebaptizantur, manifestè intelligi potest. *Hinc etiam absunt quædam interpretationes à Beda Tichonii nomine relatæ. Ad hæc, Tichonius in Apocalypsi quærens quemadmodum intelligendi sint Angeli Ecclesiarum septem, quibus scribere Iohannes jubetur,* ratiocinatur multipliciter, *inquit Augustinus in lib. 3. de Doctrina Christiana c.* 30. & ad hoc pervenit ut ipsos Angelos intelligamus Ecclesias, copiosissima *utique* disputatione *usus. Sed hæc profectò in re multò brevior pressiorque est subsequentis operis conscriptor, qui nimirum ex aliorum libris, atque ex ipso forsitan Tichonio, à quo præclara quædam mutuati sunt etiam Primasius & Beda, nudas interpretationes decerpere contentus fuerit. Quapropter Lovaniensibus Theologis meritò visum est hoc opus nihil esse præter annotationes alicujus studio collectas, posteaque in Homiliarum formam redactas. Porrò in vetustissimo Abbatiæ S. Petri Carnutensis codice Homilia* XVI. *verbis quibusdam additis dividitur in duas : præterquam quod* 1. *Homilia non idem quod in editis habet exordium, sed aliquantò diversum sub hisce verbis :*

EA quæ in Apocalypsi sancti Johannis continentur, fratres carissimi, aliquibus ex antiquis Patribus hoc visum est, quod aut tota, aut certè maxima pars ex ipsa lectione, diem judicij, vel adventum Antichristi significare videatur. Illi autem qui diligentiùs tractaverunt, quòd ea quæ in ipsâ revelatione continentur, statim post Passionem Domini Salvatoris nostri fuerunt inchoata, & ita sunt usque ad diem judicij consummanda, ut parva portio temporibus Antichristi remanere videatur: & ideo quidquid in ipsa lectione recitari audieritis sive filium hominis, sive stellas, sive Angelos, sive candelabra, sive quatuor animalia, sive aquilam in medio cælo volantem, & reliqua omnia in Christo intelligite, & in Ecclesia fieri, vel in typo ejus prædicta esse cognoscite. In septem Ecclesiis quibus sanctus Johannes Evangelista scripsit in Asia intelligitur una Ecclesia catholica propter septiformem Spiritum gratiæ. Quod autem dicit *testis fidelis*: Christus est, qui testimonium reddidit sub Pontio-Pilato, *Fecit*, inquit, *nos regnum & sacerdotes Deo*. Sacerdotes Deo totam Ecclesiam dicit; sicut ait S. Petrus: Vos, inquit, genus electum, regale sacerdotium. *Et vidi*, inquit, *septem candelabra aurea*. In septem candelabris Ecclesia est. *Et in medio candelabrorum similem filio hominis* id est Christum. Sive autem filius hominis, sive septem candelabra, &c.

Apoc. 1. v. 5. v. 6. 1. Pet. 2. 9. Apoc. 1. v. 12.

EXPOSITIO
IN APOCALYSIM B. JOHANNIS.

[a] HOMILIA I.

a Titulus, Homilia 1. non est in veteri codice Petrensi.
Apoc. 1. v. 1. v. 4.

IN Lectione revelationis beati Johannis Apostoli, fratres carissimi, animadvertimus, & secundùm anagogen hoc Domino largiente explanare curabimus, quia revelatio Jesu Christi nostris auribus panditur, ut arcana cælestia nostris cordibus manifestentur. *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis*, id est manifestare. *Quæ oportet fieri citò significans*: hoc est ostendens. *Servo suo Johanni*: Johannes, Dei gratia interpretatur. *Scribens septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia.* Asia elatio interpretatur, per quam genus humanum figuratur. Istæ septem Ecclesiæ & septem candelabra, hoc sollerter intuendum est, quia septiformis gratia est, quæ data est à Deo per Jesum Christum Dominum nostrum, nobis generi humano, qui credidimus: quia & ipse pollicitus est nobis mittere Spiritum paracletum de cælis, quem & Apostolis misit, qui in Asia esse videbantur, hoc est in elato mundo, ubi & septiformem gratiam septem Ecclesiis nobis per servum suum Johannem donavit. *Gratia vobis & pax multiplicetur à Deo Patre & à Filio hominis*: id est, Christo. Sive autem filius hominis, sive septem candelabra, sive septem stellæ, Ecclesia intelligitur cum capite suo Christo.

Christo. Quod autem ait, *Cinctum inter mamillas zonâ aureâ*: ille qui erat cinctus, Christum Dominum figurabat.* Duas mamillas, duo Testamenta intellige, quæ de pectore Domini Salvatoris tamquam de perenni fonte accipiunt, unde Christianum populum nutriant ad vitam æternam. Zona verò aurea, chorus est, sive multitudo Sanctorum. Sicut enim de cingulo pectus stringitur, ita sanctorum multitudo Christo adhæret, & velut duas mamillas duo Testamenta complectitur, ut ex ipsis velut de sanctis uberibus nutriantur. *Caput*, inquit, *ejus & capilli sicut lana alba & nix*: Capillos albos multitudinem albatorum, id est neophytorum ex baptismo [a] prodeuntium dicit. Lanam dixit, quia oves Christi sunt. Nivem dixit, quia sicut nix de cælo ultrò descendit, ita & gratia baptismi nullis præcedentibus meritis venit. Ipsi enim qui baptizantur, Jerusalem sunt, quæ quotidie ad instar nivis de cælo descendit. Jerusalem, id est Ecclesia ideo de cælo descendere dicitur, quia de cælo est gratia, per quam & à peccatis liberatur, & Christo, id est æterno capiti sponso cælesti conjungitur. Sicut è contrario bestia de abysso adscendere dicitur, id est, populus malus qui ex populo malo nascitur. Nam sicut Jerusalem humiliter descendendo exaltatur, ita bestia, id est populus superbus arroganter adscendendo præcipitatur. *Oculi ejus velut flamma ignis*: In oculis præcepta Dei dicit, sicut scriptum est, Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine: &, Ignitum eloquium tuum. *Et pedes ejus similes aurichalco* [b] *Libani, igniti velut in fornace ignis*: In pedibus ignitis Ecclesia intelligitur; quæ imminente die judicij, nimietate pressurarum probanda, & igne examinanda est. Et quia pes novissima pars est corporis, & pedes ignitos dixit esse, ideo in pedibus Ecclesia novissimi temporis intelligitur multis tribulationibus velut aurum in fornace probanda. Quam rem qui bene considerat, jam nunc ex multitudine iniquitatum fieri videt. Ideo aurichalco signavit, quod ex ære & igne multo ac medicamine perducitur ad auri colorem: sicut Ecclesia per tribulationes & passiones purior redditur. In zona aurea accincta pectori, potest etiam scientia spiritalis ac purus sensus datus Ecclesiæ intelligi. *Gladium verò bis acutum de ore ipsius procedentem*, ipsum Christum esse significat, qui & nunc Evangelij bona, & priùs per Moysen Legis notitiam universo orbi protulit: & de quo David similiter ait, Semel locutus est Deus, duo hæc audivi. Hæc ergo sunt duo Testamenta, quæ pro captu temporis aut nova, aut vetera, gladius bis acutus dicuntur. *Vox ejus tamquam vox aquarum multarum*: Aquæ multæ, populi intelliguntur esse: in voce, prædicatio Apostolorum. Quod autem suprà dixit, *Pedes ejus similes aurichalco, tamquam in fornace conflati*, possunt etiam Apostoli intelligi, qui [c] post passionem prædicaverunt verbum ejus. Per quos enim ambulat prædicatio, meritò pedes nominantur: sicut & Propheta dixit, Quàm pulcri pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona: & illud, Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Quod autem dixit, *Habebat in dextera sua stellas septem*: Ecclesiam intelligi voluit. In dextera enim Christi est spiritalis Ecclesia, cui ad dexteram positæ dicit, Venite benedicti Patris mei. Septem ergo stellæ Ecclesia est. Diximus enim quia Spiritus septiformis virtutis ei datus à Patre, sicut Petrus ad Judæos de Christo ait, Dexterâ igitur Dei exaltatus, acceptum à Patre Spiritum effudit. Septem autem Ecclesias, quas vocat vocabulis suis, non ideo dicit, quia illæ solæ sint Ecclesiæ: sed quod dicit uni, omnibus hoc dicit. Denique sive in Asia, sive in toto orbe, septem Ecclesias omnes esse, & unam esse Catholicam: sicut ad Timotheum ait, Quomodo oportet te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi: & in Isaia, septem mulieres quæ apprehenderunt virum unum, septem Ecclesias significari intelligit, quæ & una est: Virum, Christum intelligimus: Panem mulierum, Spiritum-sanctum qui nutrit in vitam æternam. Et ut vobis ea quæ dicta sunt tenaciùs inculcentur, brevem ex ipsis recapitulationem fieri volumus. Septem ergo Ecclesiæ, quibus sanctus Johannes scribit, intelligitur una Ecclesia Catholica, propter septiformem gratiam. Quod autem dicit, *testis fidelis*, Christus est. Septem candelabra, Ecclesia catholica est. In medio candelabrorum similis filio hominis, Christus est in medio Ecclesiæ. Quod autem ait cinctum super mamillas: mamillæ duo Testamenta intelliguntur, quæ de pectore Christi lac spiritale accipiunt, ut populum Christianum in vitam æternam nutriant. Zona verò aurea, chorus est sive multitudo sanctorum, qui jugiter dum lectioni & orationi insistunt, Christo adhærere probantur. Jam ista caritati vestræ sufficiant. Quod audistis, sancta inter vos collocutione meditamini, donec quod reliquum est, donante Domino audire possitis. Quod ipse præstare dignetur, &c.

v. 14.
a MS. Pet. procedentium.
Psal. 118. 105. Ibid. 140. Apoc. 1. v. 15.
b In editis clibani. Sed legendum esse Libani, patet ex Primasio & ex Autperto.
v. 16. Psal. 61. 12. Apoc. 1. v. 15.
c MS. Belg. per.
Psal. 131. 7. Isa. 52. 7. Apoc. 1. v. 16. Matt. 25. 34. Act. 2. 33. 1. Tim. 3. 7. Isa. 4. 1.

[d] HOMILIA II.

FRATRES carissimi, in candelabro, de quo cùm Apocalypsis legeretur audistis, populus intelligitur. Quod autem ait, *Movebo candelabrum tuum*: hoc est, dispergam populum pro peccatis. *Et pugnabo cum eis in gladio oris mei*: id est, proferam præcepta mea, per quæ arguantur peccata vel crimina sua. Quod verò dixit, *Facies ejus sicut sol lucet in virtute sua*: & de adventu vel præsentia Christi, quia per faciem quisque manifestatur atque cognoscitur; & de Ecclesia potest hoc accipi, cui istam claritatem Christus promisit, de qua dicit, Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum. *Stellam matutinam*: primam resurrectionem dicit, quæ per gratiam baptismi fit. Stella matutina noctem fugat, & lucem annuntiat, id est, peccatum tollit & gratiam tribuit: si tamen acceptâ gratiâ bona opera sequantur. [e] Sicut enim magnam arborem virere & fructum non reddere nihil prodest: sic nihil prodest Christianum dici, & Christiana operá non habere. Et ideo dicit, [f] *Consulo tibi à me emere aurum conflatum*: id est, contende ut pro nomine Christi aliquid patiaris. *Et collyrio inunge oculos tuos*: ut quod libenter per Scripturas cognoscis, opere impleas. *Ostium apertum esse in cælo*, novi Testamenti prædicator vidit Johannes. [[g] Quibus oculis vidit? quantùm ad figuratam ostensionem, non carnis, sed mentis. Quantum verò ad ipsius rei veritatem quæ jam in carne Domino apparente manifestata fuerat, non solùm oculis carnis vidit, verùm etiam manibus contrectavit. Quid verò per ostium designatur in hoc loco, nisi mediator Dei & hominum Christus Jesus? ipso Domino dicente, Ego sum ostium, & reliqua. Jure igitur non clausum, sed apertum intuetur, quia nimirum idem mediator noster nascendo, moriendo cunctis fidelibus innotuit, quia ipse erat redemtor mundi. Quid per cælum, nisi Ecclesia designatur? sicut ipse dicit, Cælum mihi sedes est: vel, Anima justi, sicut Salomon testatur, sedes est sapientiæ. Paulus quoque occurrit dicens Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Constat procul dubio, quòd cælum est electorum Ecclesia, in qua ostium apertum cernitur; quia redemtor noster natus & passus ac resuscitatus ad cælos adscendisse in ea prædicatur & creditur. Quid autem in hac visione positus audierit Johannes, manifestat dicens, *Et vox prima quam audivi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens*,] *Adscende huc*: Quando apertum ostenditur, clausum antea fuisse hominibus manifestatum est. *Solium positum*, est sedes judicantis, super quem vidit similitudinem jaspidis & sardij. Jaspis aquæ colorem habet, & sardius ignis: in his duobus lapidibus duo judicia intelliguntur; unum quod jam per aquam factum est in diluvio, aliud quod erit per ignem in consummatione sæculi. Potest hoc loco & vita servorum Dei intelligi: quia ad similitudinem aquæ & ignis interdum in hac vita omnes sancti habent prospera, interdum patiuntur adversa. [*Et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdini.* [h] Iris itaque Græcâ Latinaque linguâ arcus vocatur, qui in die pluviæ apparere videtur. Et quid per hanc nisi reconciliatio mundi designatur, quæ per incarnati Verbi dispensationem facta cognoscitur? Hoc certè si sollerter inspicitur, effectus ipsius iris indicare videtur. Arcus itaque tunc apparet, cùm radiis solis imbrifera fuerit nubes illustrata. Sole igitur nubem illustrante, iris, id est arcus apparuit: quia videlicet Patris Verbum, quod candor est lucis æternæ ac sol justitiæ humanam suscipiendo illustravit naturam, ipsa humanitatis ejus susceptio, quæ profectò nubes à Propheta vocatur, reconciliatio facta est mundi. Bene autem imbrifera, quia nimium prædicationum eloquiis plena. Congruenter siquidem ad reconciliationem humani generis in novo Testamento arcus figuratim apparuisse describitur: qui in veteri quoque ideo in nubibus à Domino positus intelligitur, ut post inundationem diluvij per eum terris pax reddita cognosceretur; ut scilicet ejus visione pacti sui memor omnipotens Deus, nequaquam ultra aquarum immensitate deleri terram pateretur. Cui videlicet nomini si una in fine additur littera & *irini* dicatur, utique hoc ipsum interpretatio sonare videtur: nam Græco vocabulo εἰρήνη pax appellatur. Et in veteri quidem Testamento Dominus ad Noë ait, Ecce, ego statuam pactum meum vobiscum. Et notandum quàm apta sit figurarum contextio. Quia enim fulgura, voces & tonitrua de throno tamquam de nube procedere in subsequentibus narrantur, convenienter hîc irradiante sole arcus similitudinem, idem thronus reddidisse narratur: qui videlicet arcus, cùm sit diversi coloris, resplendeatque principaliter duobus, id est, aquæ & ignis, ac [i] designetur per diluvium, ac subsequens per ignem: hîc tamen non immeritò visioni smaragdinæ comparatur, ut per eum, sicut diximus, repropitiato mundo divinitas ostendatur. Lapis enim smaragdus viridissimi coloris est: qui videlicet color, sicut præcedenti versiculo jam fatus sum, non inconvenienter naturæ divinitatis aptatur.] *Mare vitreum*, donum baptismi est: quod ideo ante solium esse dicitur, quia ante adventum judicij datur. Quod verò post hæc ait, *Habeo claves mortis & inferni*: hoc ideo dicit, quia qui credit & baptizatur, à morte & ab inferis liberatur: & quia ipsa Ecclesia, sicut habet claves vitæ, ita & inferorum: ipsi enim dictum est, Cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, & cujus retinueritis, retenta sunt. Ubicumque ponit in Apocalypsi Angelum hominis, ipsum hominem significat: sicut & Ecclesiæ & Angeli eorum ibidem non debent intelligi, nisi aut Episcopi aut præpositi Ecclesiarum. In tantum Angelorum nomine Ecclesias catholicas voluit intelligi, ut jubeat Angelos pænitentiam agere. Non enim Angeli, qui in cælo sunt, indigent pænitentiâ; sed homines qui sine peccato esse non possunt. Nam quia etiam Angelus nuntius interpretatur, quicumque aut Episcopus aut presbyter aut etiam laïcus frequenter de Deo loquitur, & quomodo ad vitam æternam perveniatur annuntiat, meritò Angelus Dei dicitur. Et tamen quia sine peccato nemo esse potest, dicitur ei, id est homini, ut pænitentiam agat: quia & revera qui bene considerat, agnoscit quòd non tantùm laïci, sed etiam sacerdotes una die esse non debent sine pænitentia. Quia quomodo nullus dies est in quo homo possit esse sine peccato, sic nullus dies debet esse sine satisfactionis remedio. Septem autem candelabra, [l] & unum candelabrum, septiformem Ecclesiam possumus intelligere: & ideo quæcumque ad septem Ecclesias loqui videtur, ad unam Ecclesiam loquitur toto orbe diffusam; quia in septenario numero omnis plenitudo consistit. Angelos ergo Ecclesiam dicit: in quibus duas partes, id est bonorum & malorum ostendit. Et propterea non solum laudat, sed etiam increpat, ut laus ad bonos, increpatio ad malos dirigatur: sicut Dominus in Evangelio, omne præpositorum corpus unum servum dixit beatum & nequam; quem veniens Dominus ipse dividet. Quomodo fieri potest ut unus servus dividatur, cùm divisus vivere non possit? Sed unum servum dicit totum populum Christianum: qui populus si totus bonus esset, non divideretur. Sed quia non solùm habet bonos, sed etiam habet malos, dividendus est: & boni audituri sunt, Venite benedicti Patris mei percipite regnum; raptores verò & adulteri, qui misericordiam non fecerunt, audituri sunt, Discedite à me maledicti, in ignem æternum. Quod autem in Apocalypsi singulis dicitur Ecclesiis, fratres carissimi, singulis hominibus convenit in una Ecclesia constitutis. *Hæc dicit, qui tenet septem stellas in manu sua*: hoc est, qui vos in manu, id est in potestate habet, & gubernat. *Qui ambulat in medio candelabrorum aureorum*: id est, in medio vestri; quia candelabra illa populum significant Christianum. Quod autem dicit, *Movebo candelabrum tuum de loco suo, si non egeris pænitentiam*: Videte quia non dixit, aufert, sed movet: quia candelabrum significat unum populum Christianum, Et ipsum can-

d Petrensis ms. Incipit Sequentia de expositione Apocalypsis, nec aliter ferè in ceteris.
Apoc. 2. v. 5. v. 16. Apoc. 1. v. 16. Matt. 13. 43. Apoc. 2. v. 28.
e MSS. Non enim magnum est arborem virere, & fructus non reddere. Sic nihil.
Apoc. 3. v. 18.
f MSS. Consule tibi, eme à me.
g Hæc mss. non habent: sunt Ambros. Autperti lib. 3. in Apoc.
Apoc. 4. 1. Iohan. 10. 9. Isa. 66. 1. 1. Cor. 1. 24. Apoc. 4. v. 1. v. 2. v. 3.
h Tota hæc v. 3 expositio abest à MSS. Petrensi & Belgico: adjecta est ex Ambrosij Autperti libro 3. in Apocalypsim.
Isa. 19. 1. Gen. 9. 9.
i Sanius apud Autpertum, designetur per eum vel baptismus aquæ & Spiritus sancti, vel judicium præcedens per diluvium &c.
Apoc. 4. v. 6. Iohan. 20. 23.
l MS. Belgicus. unum ad candelabrum.
Matt. 24. 45. &c. Matt. 24. 25. 34. &c. Apoc. 2. v. 1. v. 5.

delabrum moveri dicit, non auferri : & per hoc intelligitur quòd in una eademque Ecclesia moventur mali, confirmantur boni ; & quòd occulto, sed tamen justo Dei judicio, id quod tollitur malis, [Matt. 13. 12. & 25. 29.] bonis augetur ; ut adimpleatur illud quod scriptum est, Qui habet, dabitur ei, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Quod autem dicit, *Vincenti dabo manducare de ligno vitæ* : id est, de fructu crucis. *Quod est*, inquit, *in paradiso Dei mei.* Paradisum Ecclesiam dicit : omnia enim in ejus figuram facta sunt. [Apoc. 2. v. 7.] Nam quod dicit, *Scio opera tua, & tribulationem, & paupertatem ;* [v. 9.] *sed dives es* : omni Ecclesiæ dicit, quæ spiritu pauper est, & omnia possidet. [v. 10.] Quod autem dicit, *Habebitis pressuram dies decem* : Dies decem, totum tempus posuit, quia denarius numerus perfectus est: in quo populus Christianus, sicut dicit Apostolus, per multas tribulationes intrat in regnum cælorum. [Act. 14. 21.] Nam quod dicit Angelo Pergami Ecclesiæ, [Apoc. 2. v. 13.] *Scio ubi habitas, ubi est introitus satanæ* : omni Ecclesiæ dicit in unius vocabulo, quia ubique habitat satanas per corpus suum. Corpus autem satanæ homines sunt superbi & mali : sicut & corpus Christi humiles & boni. *Vincenti dabo manducare de manna abscondito* : id est, de pane qui de cælo descendit. Cujus figura fuit manna in eremo : quod, sicut ipse Dominus dixit, [Joan. 6. 41.] multi manducantes mortui sunt. Sed & nunc quicumque manducat indignè, [1. Cor. 11. 29.] judicium sibi manducat. Idem panis est etiam lignum vitæ. Possumus & per manna immortalitatem accipere. *Et dabo ei calculum candidum* ; [Apoc. 2. v. 17.] id est, corpus baptismate candidum. *Et super calculum nomen novum scriptum* : id est, notitiam filij hominis. *Quod nemo scit, nisi qui accipit* : scilicet per revelationem : & ideo de Judæis dicitur, Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. [1 Cor. 2. 8.] Quod autem dicit angelo Thyatiræ Ecclesiæ, *Habeo adversùm te, quia permisisti mulieri Jezabel* : dicit præpositis Ecclesiarum, qui luxuriosis & fornicantibus, & aliud quodlibet malum [Apoc. 2. v. 20.] agentibus, severitatem disciplinæ ecclesiasticæ non imponunt. Potest hoc & de hæreticis intelligi, *Quæ dicit se propheten* : id est, Christianam. Modò enim multæ hæreses sibi hoc nomine blandiuntur. [v. 24.] *Nec cognovistis altitudinem satanæ* : id est, non [a] respuistis doctrinam ejus, sicut hæreses. *Non mitto super vos aliud pondus* : id est, super id quod potestis sustinere. *Verùm quod habetis tenete donec veniam. Qui vicit, & qui servat opera mea usque in finem, dabo ei gentes,* [v. 25.] *& pascet eas in virga ferrea, & ut vas figuli comminuentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* In Christo habet Ecclesia hanc potestatem, sicut dicit Apostolus, cum illo omnia nobis donavit. [Rom. 8. 32.] Virgam ferream dicit propter justitiæ rigorem : & de ipsa virga corriguntur boni, confringuntur mali.

[a] Mss. respicitis.

Homilia III.

MODO, fratres carissimi, audivimus beatum Johannem, peccatorem hominem terribiliter increpantem ; & ideo cum ingenti timore consideremus, & cum tremore timeamus quod dictum est, [Apoc. 3. v. 1.] *Novi opera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es.* Non moritur, nisi qui mortale crimen commiserit, secundùm illud quod dictum est, [Ezech. 18. 20.] Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Quod pejus est, multi in corporibus vivis animas mortuas portare noscuntur. [Apoc. 3. v. 2. & v. 7.] *Esto vigilans, & confirma cetera quæ moritura erant. Hæc dicit sanctus & verus qui habet claves David* : id est, regiam potestatem. *Qui aperit, & nemo claudit ; claudit, & nemo aperit* : Manifestum est quòd Christus pulsantibus aperiat, & hypocritis, id est fictis vitæ januam claudat. [v. 8.] *Ecce dedi ante te ostium apertum* : Hoc ideo dictum est, ut nullus dicat, quia ostium quod Deus aperit Ecclesiæ [b] in toto mundo, aliquis possit vel in parte claudere. *Quia modicam habes virtutem* : Laus est Dei, quòd modicæ fidei Ecclesiæ aperiat ostium. [v. 12.] *Et scribam super illud nomen Dei mei* : utique quo Christiani signamur. *Et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cælo* : Novam Jerusalem cælestem, Ecclesiam dicit, quæ à Domino nascitur. Novam autem dixit, propter novitatem nominis [v. 16.] Christiani, & quia ex veteribus novi efficimur. *Neque frigidus es neque fervens* : id est, inutilis es. Potest enim & super divitum sterilium persona accipi, qui habent facultates, & non inde faciunt misericordias. Pauperes non sunt, qui habent facultates : divites [v. 18.] non sunt, qui ex divitiis non operantur. *Consilium tibi do, ut emas tibi aurum* : id est, ut eleemosynas faciendo, & actibus bonis insistendo, ipse efficiaris aurum : id est, à Deo accipias intellectum, & per bonam conversationem merearis martyrium pati. *Et ecce*, inquit, [Apoc. 4. v. 1.] *ostium apertum est in cælo.* Ostium apertum Christum dicit, quia janua est. Cælum Ecclesiam dicit ubi cælestia geruntur : sicut dicit Apostolus, [Ephes. 1. 10.] Instaurare omnia quæ in cælis & quæ in terra sunt : Cælum intelligitur primitiva Ecclesia de Judæis, terra verò ex gentibus. [Apoc. 4. v. 1.] *Adscende huc, & ostendam tibi* : Hoc non in solum Johannem convenit, sed in Ecclesiam vel in omnes credentes. Qui enim viderit ostium apertum in cælo, id est natum, & passum, & resurrexisse Christum crediderit ; adscendit in altitudinem, & videt futura. [[c] Quibus gressibus nisi fidei & credulitatis? Ac si apertè cuilibet electorum diceretur ; Ad cognoscenda Christi & Ecclesiæ sacramenta, fide conscende, credulitate pertinge. Rectè enim à voce prima Johannes invitatur, ut ad ostium cæli cælumque conscendat : quia videlicet unusquisque electorum, ut inoffenso credulitatis pede per Evangelium ad veræ fidei Sacramenta pertingat, veteris instrumenti doctrinâ, quæ novam præcedit, roboratur] [v. 2.] *Et ecce thronus positus erat in cælo*, [v. 3.] id est, in Ecclesia. *Et qui sedebat, similis erat adspectui lapidis jaspidis vel sardii.* Istæ comparationes in Ecclesiam conveniunt. Jaspis aquæ colorem habet, & sardius ignis : per hæc, sicut jam dictum est, duo judicia vult intelligi ; unum per aquam, quod jam factum est per diluvium ; aliud quod futurum est per ignem. [[d] Quid per jaspidem nisi divinitas mediatoris nostri figuratur ?] *In circuitu throni vidi sedes viginti quatuor, & supra sedes viginti quatuor seniores sedentes.* Seniores totam Ecclesiam dicit, sicut [v. 4.] Isaias dicit ; [Isa. 24. 2.] Cùm in medio seniorum suorum fuerit glorificatus. Viginti quatuor autem seniores præpositi & populi sunt. In duodecim, Apostolos & præpositos ; & in aliis duodecim, reliquam Ecclesiam intellige. *Et de sede procedebant fulgura & voces* : [Apoc. 4. v. 5.] De Ecclesia enim procedunt hæretici, quia ex nobis exierunt. Est & alius sensus, ut fulgura & voces prædicatio Ecclesiæ intelligatur. In vocibus verba, in fulgure miracula cognoscuntur. *In conspectu throni mare vitreum* : [v. 6.] Mare vitreum, fontem baptismi, ante thronum dixit, id est, ante judicium. Sed & aliquando animam sanctam intellige thronum, sicut scriptum est, Anima justi sedes est sapientiæ : [Sap. 7.] aliquando Ecclesiam in qua sedem habet Deus, *Et in medio throni quatuor animalia* : [Apoc. 4. v. 6.] id est, in medio Ecclesiæ [e] Evangelistæ. *Plena oculis in priora & retrò* : id est, intus & foris. Oculi, præcepta sunt Dei. *In priora & retrò* : [v. 7.] id est, in præterita & futura conspicientia. In animali primo simili leoni, fortitudo Ecclesiæ ostenditur. In vitulo, passio Christi. In tertio animali, quod est velut homo, humilitas Ecclesiæ significatur : quia nihil sibi blanditur ut superbum sapiat, quamvis adoptionem filiorum teneat. Quartum animal, Ecclesiam dixit : *Similem aquilæ*, id est, volantem & liberam, atque à terra suspensam duabus alis, quasi duorum Testamentorum, sive duorum præceptorum gubernaculis elevatam. Nam & Johannes Evangelista cùm de istis animalibus introspexisset in Christo completum esse quadriforme mysterium, & vidisset hominem nascentem, vitulum patientem, & leonem regnantem, tunc vidit & aquilam ad cælestia remeantem. *Et singula eorum habebant alas senas per circuitum* : [v. 8.] In animalibus ostenduntur viginti-quatuor seniores : nam senæ alæ in quatuor animalibus, viginti & quatuor alæ sunt. Etenim per circuitum throni vidit animalia, ubi se dixerat seniores vidisse. Nam quomodo animal cum sex alis potest simile esse aquilæ, quæ habet duas alas, nisi quia quatuor animalia unum sunt, quæ habent viginti & quatuor alas, in quibus viginti & quatuor seniores intelligimus, qui sunt in Ecclesia quam assimilavit aquilæ ? Et aliter senæ alæ testimonia sunt veteris Testamenti. Sicut enim animal volare non potest, nisi habeat pennas ; sic nec prædicatio novi Testamenti fidem habet, nisi habeat veteris Testamenti prænuntiata testimonia, per quæ tollitur à terra, & volat. Semper enim quod antè dictum est futurum, & postea factum invenitur, fidem facit indubitabilem. Nisi enim quæ prædixerant Prophetæ, in Christo essent consummata, inanis esset prædicatio illorum. Hoc tenet Ecclesia Catholica, & antè prædicta, & postea consummata. Meritò volat, & tollitur à terra unum [f] animal in cælum. *Et requiem non habebant animalia illa* : Ecclesia est, quæ non habet requiem, sed semper laudat Deum. Viginti & quatuor seniores possumus etiam intelligere libros veteris Testamenti, & Patriarchas & Apostolos : fulgura & tonitrua, quæ de solio exire dicuntur, prædicationes & promissiones novi Testamenti. [v. 10.] *Mittentes coronas suas ante thronum* : Hoc ideo, quia quidquid dignitatis habent sancti, totum Deo tribuunt : sicut & illi in Evangelio palmas & flores sternebant [Matt. 21. 8.] sub pedibus ejus, id est, ipsi tribuentes [g] omne quod vicerant. *Quia tu creasti omnia, & ex voluntate tua erant, & creata sunt.* [Apoc. 4. v. 11.] Erant secundùm Deum, à quo cuncta antequam fierent possessa sunt, Creata sunt autem, ut & à nobis viderentur, sicut dicit Moyses ad Ecclesiam, [Deut. 32. 6.] Nonne hic ipse est pater tuus, qui fecit te, & possedit te, & creavit te ? Possedit in præscientia, fecit in Adam, creavit ex Adam.

[b] Mss. Petrens. in totum mundum.

[c] Mss. Petr. & Belg. carent, istis septem versibus qui ex Ambrosii Autperti libro 3 in Apoc. exscripti sunt.

[d] Abest à Mss. estque itidem ex Autperto decerptum.

[e] Mss. Evangelia.

[f] Apud victorinum, vivum animal.

[g] MS. Belg. omnes.

Homilia IV.

ET *vidi supra dexteram sedentis in throno librum scriptum intus & foris* : [Apoc. 5. 1.] Utrumque Testamentum intellige : à foris vetus, ab intus novum quod intra vetus latebat. *Signatum*, inquit, *sigillis septem* : id est, omnium mysteriorum plenitudine obscuratum, quod usque ad passionem & resurrectionem Christi mansit signatum. Nam quomodo testamentum non dicitur, nisi quod faciunt morituri, & signatur usque ad mortem testatoris, & post mortem ipsius aperitur : ita & post Christi mortem omnia mysteria revelantur. *Et vidi angelum fortem clamantem voce magna, Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus ?* [v. 2.] Cur primò signa solvantur, deinde liber aperiatur, certa ratio est, quia Christus tunc aperuit librum, cùm opus paternæ voluntatis aggressus, conceptus & natus est ; tunc ejus signacula solvit, quando pro genere humano occisus est. *Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque sub terra*, [v. 3.] id est, neque angelus, neque in terris vivens, neque mortuus. *Aperire librum, neque videre illum*, id est, contemplari splendorem gratiæ novi Testamenti. *Et ego flebam multùm, quia nemo inventus est dignus aperire librum & videre eum* : [v. 4.] Ecclesia flebat, cujus figuram habuit Johannes, onerata & gravata peccatis, implorans sui redemtionem. *Et ecce unus ex senioribus* : [v. 5.] Unum ex senioribus totum corpus Prophetarum intellige. Prophetæ enim consolabantur Ecclesiam, annuntiantes Christum de tribu Juda radicem David. Quia ipse in nobis vincit omne peccatum, & si quid boni aliquis habet, ab ipso habet. *Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio seniorum agnum stantem quasi occisum* : [v. 6.] Throni, animalia, seniores, & agnus quasi occisus, Ecclesia est cum capite suo, quæ pro Christo moritur, ut cum Christo vivat. Possunt & Martyres in Ecclesia agnus quasi occisus accipi. *Habentem*, inquit, *cornua septem & oculos septem, qui sunt spiritus Dei, missi in omnem terram* : Quòd nemo possit habere Spiritum Dei præter Ecclesiam, hinc manifestè cognoscitur. *Et venit, & accepit de dextra sedentis in throno librum* : [v. 7.] Sedentem in throno, & Patrem accipimus & Filium & Spiritum-sanctum. Accepit ergo agnus de dextra Dei, id est à Filio accepit opus libri perficiendum, ipso dicente, Sicut misit me Pater, [Iohan. 20. 21.] & ego mitto vos: eo quòd ipse in illis perficiat quod donat. *Habentes singuli citharas*, id est, chordas laudum : *Et phialas aureas* : [Apoc. 5. v. 8.] Hæc sunt vasa in domo Domini, in quibus quia thymiama offerri consueverat, ideo orationes sanctorum bene in eis intelligimus. *Et cantabant canticum novum* : [v. 9.] id est Testamentum novum ; cantantes canticum novum, id est professionem suam publicè proferentes. Et verè novum est, Filium Dei hominem fieri, & mori, & resurgere, & in cælum adscendere, remissionem peccatorum hominibus dare.

Cithara enim, id est, chorda in ligno extensa, significat carnem Christi passioni conjunctam. Phiala autem confessionem, & novi sacerdotij propaginem. Resignatio sigillorum adapertio est veteris [v. 11.] Testamenti. *Et vidi & audivi vocem multorum angelorum* : Angelos [v. 12.] homines dicit, qui & filij Dei dicuntur. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere potestatem & divitias & sapientiam, &c.* Non de Deo [Coloss. 2. 3.] dicit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, ut ipse accipiat : sed de homine assumto, & ejus corpore, quod est Ecclesia, vel de Martyribus ejus, qui pro nomine ejus occisi sunt ; quia in capite suo [Rom. 8. 32.] totum accipit Ecclesia, sicut scriptum est, Cum illo nobis omnia donavit. [Matth. 28. 18.] Ipse enim agnus accipit, qui in Evangelio dicit, Data est est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Secundùm humanitatem autem, non secundùm divinitatem accepit. [Apoc. 5. v. 13.] *Omnes*, inquit, *audivi dicentes sedenti in throno*, id est, Patri Filio : *& agno*, id est, Ecclesiæ cum capite suo. *Benedictio & honor & claritas in sæcula* : Cui est honor & gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

Homilia V.

SICUT modò, dum lectio divina legeretur, audistis, ita ait [Apoc. 6. 2.] beatus Johannes, *Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habebat arcum : & data est ei corona, & exiit vincens* : Equus albus Ecclesia est, sessor Christus. Iste equus Domini cum arcu bellico [Zachar. 10. 3.] per Zachariam hoc modo antè promissus est, Visitabit Dominus Deus gregem suum domum Israël, & disponet eum sicut equum speciosum in bello : & ex eo inspiciet, & ex eo disponet, & ex eo arcus in ira, & ex eo exiet omnis insequens. Equum ergo album intelligimus Prophetas & Apostolos. Equitem coronatum habentem arcum, agnoscimus non solùm Christum, sed etiam Spiritum-sanctum. Postea quàm enim Dominus adscendit in cælum, & aperuit universa mysteria ; misit Spiritum-sanctum : cujus verba per prædicatores tamquam sagittæ ad cor hominum pertingerent, & vincerent incredulitatem. Corona autem super caput, promissa per Spiritum-sanctum intelligenda sunt. [Apoc. 6. v. 3.] *Et cùm aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens, Veni & vide. Et* [v. 4.] *exiit equus rufus : & sedenti super eum datum est tollere pacem de terra, & ut invicem occiderent, & datus est ei gladius magnus.* Contra victricem vincentemque Ecclesiam, exiit equus rufus, id est populus sinister & malus, ex sessore suo diabolo sanguinolentus, quamvis legamus secundùm Zachariam equum Domini rufum, sed ille suo sanguine erat, hic alieno. *Cui datus est gladius magnus, ut tolleret pacem de terra*, scilicet suam pacem, hoc est mundanam : nam Ecclesia æternam pacem, quam sibi Christus reliquit, habet. Sicut ergo suprà dictum est, equum album Ecclesiam dicit : sessorem ejus, Christum vel Spiritum-sanctum. *Arcus quem tenebat in manu*, præcepta ejus sunt : quæ per totum mundum velut sagittæ acutæ potentis ad interficienda peccata, & [a] excitanda fidelium corda directæ sunt. Corona in capite ejus, promissio vitæ æternæ est, *Equum rufum*, malum populum ; sessorem ejus, diabolum : quem ideo dixit rufum, eo quòd multorum esset sanguine rubicundus. Quòd autem datus est ei gladius acutus, & tollere pacem de terra, hoc est, quòd diabolo suadente, homines mali jugiter inter se lites & discordias usque ad mortem excitare non cessant. Et in equo [v. 5.] nigro, intelligitur populus sinister, diabolo consentiens. Quòd autem, Stateram habebat in manu, hoc ideo, quia dum se fingunt mali justitiæ libram tenere, sic plerumque decipiunt. Quod dixit, *Vinum & oleum ne læseris* : In vino sanguis Christi, in oleo unctio [v. 6.] chrismatis intelligitur. In tritico vel hordeo, tota Ecclesia sive in magnis sive in minimis, aut certè in præpositis & in populis : & in [v. 8.] equo pallido, homines intelliguntur mali, qui persecutiones excitare non desinunt. Isti tres equi unum sunt, qui exierunt post album & contra album : & sessorem habent diabolum, qui est mors. Tres ergo equi, fames & bella & pestis intelliguntur ; quod etiam Dominus in Evangelio suo prædixit, quæ & jam fiunt, & imminente die judicij ampliùs futura sunt. Quòd autem dixit se vidisse sub ara Dei animas interfectorum, Martyres intelliguntur. Quod [v. 9.] autem dicit, *Terra motus magnus*, persecutio novissima est. Quod [v. 12.] dicit, Solem factum nigrum, & lunam sanguineam, & stellas [v. 13.] cecidisse de cælo : Sol & luna & stellæ, Ecclesia est in toto orbe diffusa. Quòd autem dicit cecidisse : non tota cecidit, sed à parte totum intelligitur. In omni enim persecutione boni perseverant & mali quasi de cælo, id est de Ecclesia cadunt. Denique sequitur, *Sicut ficus mittit grossos suos cùm à vento agitatur* ; sic de Ecclesia cadunt mali, quando per aliquam tribulationem fuerint conturbati. Quòd autem cælum recessit ut liber : Ecclesia est quæ separatur à [v. 14.] malis, & velut liber involutus, continet in se sibi nota divina my- [v. 15.] steria. Quod autem dicit, *Reges terræ fugerunt, & absconderunt se in speluncis terræ* : hoc significat quòd totus mundus in bonis & sanctis refugium habiturus est ad Ecclesiam, ut sub ejus protectione constitutus, pervenire possit ad vitam æternam, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

[a] Mss. exercitanda.

Homilia VI.

ET *vidi alterum angelum adscendentem ab ortu solis.* [Apoc. 7. v. 2.] Alterum angelum eamdem Ecclesiam Catholicam intelligit : ab ortu solis, à passione & resurrectione Domini clamantem quatuor angelis terræ. *Et clamavit voce magna dicens quatuor angelis, quibus data est potestas lædere terram & mare : Ne læseritis terram, neque mare.* [v. 3.] Accipit autem gladium generaliter, sive contrà quos in vita interficit, sive quos inter se pro rebus temporalibus usque ad mortem litigare persuadet. De tertio sigillo dicit, equum nigrum exisse, & qui sedebat super eum habebat in manu sua stateram : [Apoc. 6. v. 5.] *Libram*, inquit, *habebat in manu sua*, id est, examen æquitatis ; quia dum fingit se justitiam tenere, per simulationem lædit. Dum autem in medio animalium, id est in medio Ecclesiæ dicitur. *Ne læseris* : ostenditur quòd spiritales nequitiæ potentiam in servos Dei non habent, nisi à Deo acceperint. *Vinum & oleum ne læseris* : In vino & oleo, unctionem chrismatis & sanguinem Domini, in tritico autem & hordeo Ecclesiam dixit, sive in magnis sive in parvis Christianis, sive in præpositis & populis. De quarto sigillo, [Apoc. 6. v. 8.] *Equus pallidus. Et qui sedebat super eum nomen erat ei mors, & infernus sequebatur eum : & data est ei potestas super quartam partem terræ, interficere gladio, fame & morte & bestiis terræ.* Isti tres equi, unum sunt, qui exierunt post album & contra album : & unum sessorem habent diabolum, qui est mors. Nam equitem diabolum esse & socios ejus, sexto signo manifestat ; cùm prælio ultimo equos dicit congredi. Tres ergo equi, fames & bella & pestes intelliguntur, sicut à Domino in Evangelio prænuntiatur. Equus albus, verbum est prædicationis in orbe terrarum. In equo rufo & sessore ejus bella sunt significata, quæ futura sunt, immo fiunt, cùm jam gens surgat contra gentem. Per equum pallidum & sessorem ejus, pestis magna & mortalitas signatur. *Et infernus sequitur illum*, id est, exspectat devorationem multorum. [v. 9.] *Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi sub ara Dei animas interfectorum.* Aram Dei Ecclesiam dicit, sub cujus oculis Martyres effecti sunt. Et licèt animæ sanctorum in paradiso sint, tamen quia sanguis sanctorum super terram funditur, sub ara clamare dicuntur : sicut illud est, [Gen. 4. 10.] Sanguis fratris tui clamat ad me de terra. [Apoc. 6. 12.] *Et cùm aperuisset sigillum sextum, terræ motus factus est magnus*, id est persecutio novissima. *Et sol factus est niger sicut saccus cilicinus, & luna facta est tota sicut sanguis, & stellæ ceciderunt in terram.* Quod est sol & luna, hoc & stellæ, id est Ecclesia : sed à toto pars intelligitur. Non enim tota Ecclesia, sed qui mali sunt in Ecclesia, ipsi cadunt de cælo. Totam autem dixit, quia in toto orbe terrarum erit novissima persecutio. Et tunc qui justi fuerint, permanebunt in Ecclesia tamquam in cælo : cupidi verò, injusti & adulteri adquiescere habent sacrificare diabolo. Et tunc qui se Christianos esse verbis tantummodo dicebant, tamquam stellæ cadent de cælo, quod est Ecclesia. [v. 13.] *Sicut ficus magno vento agitata mittit grossos suos* : Agitatam arborem, Ecclesiæ comparavit : ventum magnum, persecutioni : grossos, hominibus malis, qui excutiendi sunt & recessuri ab Ecclesia. [v. 14.] *Et cælum recessit ut involutus liber* : Et hoc loco cælum Ecclesiam dicit, quæ à malis recedit, & intra se sibi soli nota mysteria continet, sicut liber involutus, quem iniqui intelligere nec volunt omnino, nec possunt. *Et omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt.* Quod cælum, hoc montes, hoc insulæ significant : id est Ecclesiam facta novissima persecutione omnem de loco suo recessisse, sive in bonis fugiendo persecutionem, sive in malis fidei cedendo. Sed potest in utramque partem convenire ; quia & bona pars movetur de loco suo, fugiens, id est, amittens illud quod habet : sicut illud, [Apoc. 2. 5.] Movebo candelabrum tuum de loco suo. [Apoc. 6. 15.] *Et reges terræ & magistratus* : Reges, potentes homines accipimus. Ex omni enim gradu & conditione convertentur ad Christum. Ceterum qui tunc reges erunt, præter unum persecutorem, *absconderunt se in speluncis & petris montium.* Confugiunt omnes in præsenti sæculo ad fidem Ecclesiæ, & in abscondito mysterio Scripturarum conteguntur. [v. 16.] *Et dicunt, Cadite*, id est tegite nos. *Et abscondite nos*, id est, ut homo vetus à Dei oculis abscondatur. Et aliter, Qui cogitat futurum judicium, convertitur ad montes, id est ad Ecclesiam, ut abscondantur peccata sua per pænitentiam in præsenti tempore, ne in futuro puniantur. [Apoc. 7. v. 3.] *Donec signemus servos Dei nostri in frontibus eorum* : Ecclesiam denuntiat : & dicit malis hominibus, id est sinistræ parti lædenti, *Ne læseris* : Hæc est vox, quæ in medio quatuor [Apoc. 6. 7.] animalium dicit lædenti, *Vinum & oleum ne læseris* : In vino & oleo, omnes qui sunt justi intelliguntur, quos nec diabolus nec mali homines lædere poterunt, nisi quotiens ad eorum probationem permiserit Deus. *Vinum*, inquit, *& oleum ne læseris* : Præcipit Dominus omnem terram suam spiritalem non lædi, quousque omnes signentur. [Apoc. 7. v. 4.] *Et audivi numerum signatorum, centum-quadraginta-quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israël.* Centum-quadraginta-quatuor millia, omnis omnino Ecclesia est. [v. 9.] *Postea vidi, & ecce populus multus, quem dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & populis & linguis* : Non dixit, Post hæc vidi alium populum : sed, vidi populum, id est eumdem quem viderat in mysterio centum-quadraginta-quatuor millium, hunc vidit innumerabilem ex omni tribu & lingua & gente, quia omnes gentes insertæ sunt radici credendo. Dominus in Evangelio totam Ecclesiam tam de Judæis quàm de gentibus, in tribubus Israël duodecim demonstrat, dicens, [Matt. 19. 28.] Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israël. [Apoc. 7. v. 11.] *Amicti stolis albis* : Stolas albas, donum Spiritus-sancti intelligit. *Et omnes angeli stabant à circuitu throni* : Angelos, Ecclesiam dicit ; quia præter ipsam nihil aliud describebat. [v. 13.] *Et respondit mihi unus de senioribus dicens, Isti qui amicti sunt stolis albis, qui sunt ?* [v. 14.] Unus de senioribus qui respondit, officium indicat sacerdotum ; quia Ecclesiam, id est populum in Ecclesia docent, quæ sit remuneratio laboris sanctorum. Dicens, *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni.* Non enim, ut aliqui putant, Martyres soli sunt, sed omnis populus in Ecclesia : quia non in sanguine suo dixit lavisse stolas suas, sed in sanguine agni, id est in gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, sicut scriptum est, [1. Ioan. 1. 7.] Et sanguis Filij ejus mundavit nos. *Et qui sedet in throno, habitat super eos* : [Apoc. 7. v. 15.] Ipsi enim thronus sunt, super quos habitat Deus in sæcula, id est in Ecclesia. [v. 16.] *Neque cadet super eos sol, neque æstus* : Sicut dicit Isaias de Ecclesia, [Isa. 25. 4.] Erit in umbra ab æstu. *Et deducet ad vitæ fontes aquarum.* [Apoc. 7. v. 17.] Omnia hæc etiam in præsenti vita spiritualiter Ecclesiæ eveniunt, cùm dimissis peccatis resurgimus, & vitæ prioris lugubris ac veteris hominis exspoliati, in baptismo Christum induimur, & gaudio sancti Spiritus implemur. [Apoc. 8. v. 1.] *Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo*, id est in Ecclesia. *Quasi media horâ* : In semihora, ostendit initium quietis æternæ. [v. 2.] *Et vidi septem angelos, qui stant in conspectu Dei* : Septem angelos, Ecclesiam dixit, *Qui acceperunt septem tubas*, id est perfectam prædicationem : sicut scriptum est, [Isa. 58. 1.] Exalta sicut tuba vocem tuam. [Apoc. 8. v. 3.] *Et alius angelus venit, & stetit ante altare* : Alium angelum

Rursum tractat verba superiùs explicata, cum otiosa repetitione.

quem dicit, non post illos septem venit, quia ipse est Dominus Jesus Christus. *Habens thuribulum aureum:* quod est corpus sanctum. Ipse enim Dominus factus est thuribulum, ex quo Deus odorem suavitatis accepit; & propitius factus est mundo, quia obtulit seipsum in odorem suavitatis. [Ephes. 5. 2.] *Et accepit angelus thuribulum, & implevit illud ex igne altaris:* [Apoc. 8. v. 5.] Accepit Jesus corpus, id est Ecclesiam; & ad perficiendam Patris voluntatem, implevit illam igne Spiritus-sancti. *Et facta sunt voces & tonitrua & fulgura & terræ motus:* Omnia hæc spiritales sunt Ecclesiæ prædicationes & virtutes. [v. 6.] *Et septem angeli qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tubâ canerent*, [Apoc. 8. v. 7.] id est, Ecclesia præparavit se ad prædicandum. *Et primus Angelus tubâ cecinit, & facta est grando & ignis mixtus sanguine:* Facta est ira Dei, quæ haberet in se multorum necem. *Et missa est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum, & omne fœnum viride combustum est:* Quod est terra, hoc & arbores, hoc fœnum, id est homines. Fœnum autem viride, carnem intellige sanguineam & luxuriosam, secundùm illud, Omnis caro fœnum. [Apoc. 8. v. 8. Isa. 40. 6.] *Et secundus Angelus tubâ cecinit, & velut mons magnus ardens igni missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis:* Ardens mons, diabolus est. Et quod tertia pars terræ vel arborum, hæc tertia pars maris. [a] Et homines habentes animas, impios dixit: ut ostenderet in carne vivos, sed spiritaliter mortuos. *Et tertiam partem navium corruperunt:* Doctrinâ suâ hæretici corruperunt eos, qui illis acquieverunt. [v. 10.] *Et tertius angelus tubâ cecinit, & cecidit de cœlo stella magna ardens velut facula.* De Ecclesia dicit cecidisse homines superbos & impios. Magnam verò stellam dixit; quia personæ majorum, & potestatem vel divitias habentium. [v. 11.] *Et nomen hujus stellæ dicitur absinthium, & facta est tertia pars aquarum in absinthium:* Tertia pars hominum facta est similis stellæ, quæ super illam cecidit. [v. 12.] *Et multi hominum mortui sunt ab aquis, quoniam amaricaverunt aquæ.* Homines mortui sunt ab aquis. Hoc in his qui rebaptizantur, manifestè intelligi potest. [Adversus Donatistas rebaptizantes.] *Et quartus angelus tubâ cecinit, & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ & tertia pars stellarum:* Sol, luna & stellæ, Ecclesia est, cujus tertia pars percussa est: in tertia parte, intelliguntur omnes mali. Percussa est autem, id est suis malis tradita & voluptatibus: ut redundantibus & inolescentibus peccatis, suo tempore revelaretur. [Apoc. 8. v. 13.] *Et vidi & audivi vocem unius aquilæ volantis in medio cæli, & dicentem, Væ, væ, væ habitantibus terram:* Aquilam Ecclesiam intelligit volantem in medio cæli, id est in medio sui discurrentem, & plagas novissimi temporis magna voce prædicantem. Quando enim sacerdos diem judicij annuntiat, aquila in medio cæli volat. Sicut ergo suprà dictum est, alius angelus quem dixit adscendisse ab ortu solis, Ecclesia est, adscendens ab ortu solis, id est à passione vel resurrectione Domini. Quod autem dicit, *Ne læseris terram, neque mare:* [Repetit superiora.] Ecclesia hoc quotidie prædicando malis hominibus clamat. Quod dicit, *Vinum & oleum ne læseris.* In vino & oleo, omnes qui sunt justi in Ecclesia intelliguntur, quos nemo lædere poterit, nisi ad probationem illorum permiserit Deus. Quod autem ait, centum quadraginta-quatuor millia fuisse signatos: tota Ecclesia intelligitur. Unde & in illis, de quibus dixit se vidisse populum multum, quem dinumerare nemo poterat, Ecclesia eadem significata est. Quod autem dixit, amictos esse stolis albis: in stolis donum Spiritus-sancti intelligitur: Angelos stantes circa thronum, Ecclesiam dixit, quia præter illam nihil aliud describebat. Senior qui respondens dixit, *Qui sunt isti, & unde venerunt*, officium indicat sacerdotum, qui populum in Ecclesia docent. Quod autem dixit, *Laverunt stolas*, de tota Ecclesia dixit, non de Martyribus tantùm. Denique non dicit in sanguine suo, sed *in sanguine agni*, quod utique per baptismi sacramentum impletur. *Et qui sedet super thronum, habitat super illos:* Ipsi enim thronus sunt, super quos habitat Deus. *Neque cadet super eos sol, neque ullus æstus: & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Omnia hæc etiam in præsenti sæculo, & his diebus spiritaliter Ecclesiæ eveniunt: dum ita per gratiam Dei defenditur, ut persecutionibus mundi hujus exerceatur potiùs quàm vincatur. Quod dicit in semi-hora silentium factum in cælo: in Ecclesia dicit, & significat initium quietis æternæ. Et septem angelis tubis canentibus: [Apoc. 8. v. 3. 9.] in angelis Ecclesia, in tubis prædicatio Ecclesiæ intelligitur. Alius angelus, quem dixit stetisse ante altare, Christus Dominus est. *Habens thuribulum aureum:* corpus scilicet sanctum, per quod Deus Pater passionis incensum, odorem suavitatis accepit. Quod autem dicit, *Factæ sunt voces, fulgura & tonitrua:* prædicationes sunt Ecclesiæ spiritales. Septem angeli qui se præparaverunt ut canerent, Ecclesia est: in qua per totum mundum contra omnia peccata vel crimina fit prædicatio spiritalis. Quod autem canente primo angelo tertia pars terræ combusta est, significat homines superbos & voluptatibus deditos, quos Deus justo judicio permittit incendio luxuriæ vel cupiditatis exuri. Quod autem, *canente secundo angelo, mons ardens cecidit in mare*, mons ille diabolus, mare mundus iste intelligitur. Tertia pars maris, sicuti jam suprà dictum est, homines iniqui & impij. Quod autem, tertio angelo canente, stella magna cecidit de cælo, homines magni intelliguntur, qui malis moribus & iniquis actibus de Ecclesia tamquam de cælo cadunt. [Apoc. 8. v. 10.] Quod dicit, *Multi hominum mortui sunt ab aquis, quoniam amaricaverunt aquæ*, hoc in his qui rebaptizantur intelligi potest. Quod autem, canente quarto angelo, solis, & lunæ & stellarum tertia pars percussa est, in his Ecclesia intelligitur, in qua quotidie qui mali vel ficti sunt, persuadente diabolo peccatorum vulneribus percutiuntur in anima. Quod autem dicit Aquilam volantem in medio cæli, & clamantem, Væ, væ, væ, Ecclesiam intelligi voluit volantem in medio cæli, id est, in medio sui, & per assiduitatem prædicationis plagas novissimi temporis annuntiantem. Quando enim sacerdos in Ecclesia Dei diem judicij annuntiat, aquila in medio cæli volat. Concedat divina pietas, ut dum & sacerdotes student jugiter prædicare, & populi ea quæ prædicantur fideliter adimplere, simul mereantur ad æterna [b] pervenire, præstante Domino Jesu Christo, Qui vivit, &c.

a Mss. arbores habentium animas dixit: ut.

b Mss. ad æternam beatitudinem.

Homilia VII.

MODO, fratres carissimi, cùm Apocalypsis legeretur, audivimus, quia quinto angelo tuba canente, stella de cælo ceciderit super terram. [Apoc. 9. v. 1.] Una stella corpus est multorum cadentium per peccata. *Et data est ei clavis putei abyssi:* Stella, abyssus, puteus homines sunt. Ergo stella cecidit de cælo, id est populus peccator de Ecclesia. *Et accepit putei abyssi clavem*, id est potestatem cordis sui, ut aperiat cor suum, in quo diabolus deligatus non compescatur ut faciat voluntatem suam, *Et aperuit puteum abyssi*, [v. 2.] id est manifestavit cor suum sine ullo timore vel pudore peccandi. *Et adscendit fumus de puteo*, id est de populo adscendit quod cooperit & obscurat Ecclesiam, ita ut dicatur: *Et obscuratus est sol & aër de fumo putei:* Obscuratum dixit solem, non [b] cecidisse. Peccata enim malorum & superborum hominum, quæ passim committuntur per orbem, obscurant solem, id est Ecclesiam, & sanctis ac justis interdum faciunt obscuritatem: quia tantus est malorum numerus, ut aliquotiens vix inter eos appareant boni. *Sicut*, inquit, *fumus fornacis magnæ,* [v. 3.] *Et ex fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est eis potestas, sicut habent potestatem scorpij terræ*, id est, veneno lædere. [v. 4.] *Et præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omnem arborem, nisi homines.* [v. 5.] *Et datum est eis ne occiderent eos:* Et quia duæ partes sunt in Ecclesia, bonorum scilicet & malorum; una pars sic percutitur ut corrigatur, alia voluptatibus suis relinquitur. Pars bonorum [c] humiliationi traditur ad cognitionem justitiæ Dei, & commemorationem pænitentiæ, sicut scriptum est, Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discerem justificationes tuas. [Psal. 118. 17.] *Datum est eis ne occiderent, sed ut cruciarent: & cruciatus eorum sicut cruciatus scorpij, cùm percutit hominem:* Hoc tunc fit, quando diabolus per vitia vel peccata venena propinat. *Et quærent homines mortem:* [Apoc. 9. v. 6.] Mortem verò requiem dixit. Quærent itaque mortem, sed malis, id est tribulationibus, ut ipsi requiescant, dum mala moriuntur. *Super capita*, inquit, *earum tamquam coronæ similes auro.* [v. 7.] Ecclesia superiùs descripta est in viginti-quatuor senioribus, qui habent coronas aureas: isti autem similes auro, hæreses sunt, quæ imitantur Ecclesiam. *Et habebant capillos, sicut capillos mulierum:* [v. 8.] In capillis mulierum non solùm sexum effeminatum, sed etiam utrumque sexum voluit ostendere. *Et habebant caudas similes scorpiis, & aculei in caudis earum:* [v. 10.] Caudas hæreticorum præpositos dicit, sicut scriptum est, Propheta docens mendacium, hic est cauda: [Isa. 9. 15.] qui sunt pseudoprophetæ, & hi crudelia regum jussa implent. *Habentes super se regem angelum abyssi*, id est, diabolum vel regem sæculi. [Apoc. 9. v. 11.] Abyssus populus est. *Cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè Ἀπολλύων, Latinè perdens.* [v. 12.] *Væ unum abiit, & ecce duo væ veniunt, post hæc. Et sextus angelus tubâ cecinit:* Hinc incipit novissima prædicatio. [v. 13.] *Et audivi unum ex quatuor cornibus angelum altaris aurei, quod est in conspectu Dei, dicentem sexto angelo,* [v. 14.] *qui habebat tubam, Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate:* Altare quod est in conspectu Dei, Ecclesiam vult intelligi, quæ in tempore novissimæ persecutionis audeat crudelissimi regis verba aut jussa contemnere, & ab obtemperantibus discedere. *Solve quatuor angelos in flumine Euphrate:* Flumen Euphratem peccatorem populum dixit, in quo satanas & propria voluntas ligata est. Euphrates autem fluvius est Babylonis, sicut Jeremias in medio Babylonis submittit librum in Euphratem. [Jer. 51. 63.] *Et soluti sunt quatuor angeli*, [Apoc. 9. v. 15.] id est inchoata persecutio est. *Parati in horam & diem & mensem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum:* Hæc sunt quatuor tempora triennij, & pars temporis. *Et numerus*, [v. 16.] inquit, *exercituum bis myriades myriadum, audivi numerum eorum:* Sed * non dixit, quot myriadum. *Ut occiderent tertiam partem hominum:* Hæc est superborum pars tertia, de qua descendit Ecclesia. *Et vidi equos in visione, & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas ac sulfureas:* [v. 17.] Equos homines dicit, sessores verò spiritus nequam, armatos igne, fumo & sulfure. *Et capita equorum erant sicut leonum:* ad sæviendum in persecutione. *Ex ore eorum exit fumus, ignis & sulfur*, id est, blasphemiæ de ore eorum contra Deum egrediuntur. *Caudæ eorum similes serpentibus:* [v. 19.] Caudas præpositos diximus, capita principes mundi. Et in his nocet diabolus, & sine his nocere non potest: aut enim sacrilegi reges malè jubendo, aut sacrilegi sacerdotes malè docendo nocent. *Et vidi*, inquit, *alium angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, &* [Apoc. 10. v. 1.] *iris*, id est arcus, *in capite ejus, & facies ejus erat ut sol:* Amictus nube, Dominus intelligitur amictus Ecclesiâ. Legimus enim sanctos nubes, sicut Isaias dicit, Qui sunt hi, qui ut nubes volant? [Isa. 60. 8.] Indutum itaque nube spiritali, id est sancto corpore Christum intellige. *Et iris super caput ejus*, id est vel judicium quod fit & quod futurum est, vel promissio perseverans. Ecclesiam enim describit in Domino, dicens: *Et facies ejus sicut sol*, id est de resurrectione. Sicut sol enim apparuit, quando à mortuis resurrexit. *Et pedes ejus sicut columnæ ignis:* Pedes Apostolos dicit, per quos in universo mundo doctrina ejus discurrit. Aut certè, quia pes novissima pars corporis est, Ecclesiam dicit post ignem novissimæ persecutionis futuram sanctorum claritatem. *Et posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram*, [Apoc. 10. v. 2.] id est ad prædicandum trans mare, & in universo orbe terrarum. *Et clamavit voce magna, quemadmodum leo rugit*, [v. 3.] id est fortiter prædicavit. *Et cùm clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas*, quæ sunt & septem tubæ. [v. 4.] *Et audivi vocem dicentem de cælo, Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, noli ea scribere:* propter obtundendos, ut non passim omnibus impiis pateant verba Dei. Alio denique loco propter servos suos, *Ne signaveris*, [Apoc. 22. 10.] inquit, *verba prophetiæ hujus.* Et ostendit quibus signari jusserat, & quibus non: *Qui perseveraverit*, inquit, *nocere, noceat; & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* [Ibidem. 11.] Hoc est, Propterea in similitudinibus loquor illis, ut qui justus est, justiora faciat, similiter & sanctus sanctiora. Hoc est, Vestri felices oculi, quoniam vident, & aures, quoniam audiunt. Istis enim non sunt signata verba libri, malis autem signata sunt. *Et juravit angelus ille, quoniam tempus* [Apoc. 10. v. 6. & 7.]

jam

b Mss. occidisse.

c Mss. humiliatione trahitur.

* Sic omnino Tichonius teste Primasio.

jam non erit: sed in diebus septimi angeli, cùm cœperit tubâ canere: [1. Cor. 15. 52.] Septima tuba finis est persecutionis & adventus Domini. Propterea dixit Apostolus in novissima tuba fieri resurrectionem. Quod autem sicut suprà dictum est, quinto angelo tubâ canente iterum stellam dixit cecidisse de cælo: etiam & hæc stella corpus est multarum stellarum de cælo, id est de Ecclesia cadentium: & significat populum superbum & impium. Quod autem, *data est ei clavis abyssi:* dimissus est in potestate cordis sui, ut aperiat cor suum diabolo, & absque ulla reverentia exerceat omne malum. Quod autem, adscendit fumus de puteo, id est, de populo malo: & obscuravit solem & lunam: [Repetit eadem quæ suprà.] obscuratum solem dixit, non occidisse. Hoc ideo, quia peccata malorum & superborum hominum obscurare videntur solem, dum sanctis & justis interdum per multas tribulationes faciunt obscuritatem. Sed lumen eorum exstinguere non possunt, quia illis ad malum consentire non adquiescunt. Quod autem dicit, *Ex fumo putei exisse locustas, & accepisse potestatem lædendi: & datum est eis ne occiderent eos:* hoc ideo, quia duæ partes sunt in Ecclesia, bonorum scilicet & malorum. Una pars sic percutitur ut corrigatur, alia voluptatibus suis relinquitur. Quod autem dixit, *Cruciatus earum, sicut cruciatus scorpij, cùm percutit hominem:* hoc tunc fit, quando diabolus luxuriosis hominibus per vitia & peccata, in modum scorpij venena propinat. *Et super capita earum tamquam coronæ similes auro.* Viginti & quatuor seniores, in quibus Ecclesia descripta est, coronas aureas habebant: isti autem similes auro, hæreses scilicet quæ imitantur Ecclesiam. Quod autem, capillos habebant mulierum: in capillis non solum sexum effeminatum, sed etiam utrumque sexum voluit ostendere. In caudis earum, quæ erant tanquam scorpij, duces vel principes hæreticorum intelliguntur: sicut scriptum est, Propheta docens mendacium hic est cauda. *Habebant super se regem abyssi*, [Isa. 9. 15.] id est diabolum. In abysso populus malus intelligitur, cui diabolus dominatur. Altare, quod dixit esse in conspectu Dei, Ecclesiam vult intelligi, quæ velut aurum purgatum, tempore novissimæ persecutionis audeat crudelissimi regis jussa contemnere, & ab obtemperantibus discedere. Quod autem dicit, quatuor angelos ligatos in flumine Euphrate: flumen Euphrates populum peccatorem significat, in quo satanas & propria voluntas ligata est. Euphrates autem est fluvius Babylonis, quæ interpretatur confusio. Unde ad ipsum fluvium pertinent, quicumque res confusione dignas exercent. Quod autem dicit, se vidisse equos, & qui sedebant super ipsos, habebant loricas igneas & hyacinthinas & sulfureas: equos, superbos homines dicit, & sessorem eorum diabolum & angelos ejus. Quod autem dicit, capita equorum sicut leonum, propter violentam persecutionem malorum hominum dictum est. *Et ex ore eorum exiit ignis, fumus & sulfur*, id est, blasphemiæ de ore eorum contra Deum egrediuntur. In caudis, quæ erant similes serpentibus, sicut jam suprà dictum est, principes & præpositi sunt hæreticorum, per quos lædere consuevit diabolus. Aut enim sacrilegi reges malè jubendo, aut sacrilegi sacerdotes malè [a] docendo nocent. Angelum quem dixit amictum nube, Dominus & Salvator noster est, amictus nube, id est Ecclesiâ: quia de sanctis scriptum est, Qui sunt isti, qui ut nubes volant? [Isa. 60, 8.] Quod autem dixit, *Facies ejus ut sol*, propter resurrectionem Domini dixit. Sicut sol enim apparuit, quando à mortuis resurrexit. In pedibus ejus, qui erant sicut columna ignis, Apostoli figurati sunt, per quos in universo mundo doctrina ejus discurrit. Quod autem, *posuit pedem suum dexterum super mare*, hoc significavit, quòd prædicatio ejus usque trans mare, & in universum mundum itura esset. Quod autem, *velut leo rugiens clamavit*, hoc ideo quia ex potestate fortiter prædicavit. Quod autem dixit, *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua*, [Apoc. 10. 4.] propter obtundendos dictum est, de quibus in Evangelio, Nolite sanctum dare canibus: [Mat. 7. 6.] id est, ut non passim omnibus impiis pateat verbum Dei. Alio denique loco propter servos suos dixit: *Ne signaveris*, inquit, *verba prophetiæ hujus.* [Apoc. 22. 10.] Et ostendit quibus signari jusserit, & quibus non: *Qui perseveraverit*, inquit, *nocere, noceat: & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Ecce quibus signatum est verbum Dei. Propterea in similitudinibus loquor illis, ut qui justus est, justiora faciat, similiter & sanctus sanctiora. Ecce quibus signatum non est. Quam rem oremus ut etiam in nobis implere Dominus pro sua pietate dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat. Amen.

a MS. prædicando.

Homilia VIII.

VOX *de cælo*, [Apoc. 10 v. 8.] imperium est Dei, qui Ecclesiæ cor tangit, & jubet percipere eam, quia [b] Ecclesia aperto libro futuram pacem prædicavit. *Et abij ad angelum, ut daret mihi librum:* Hoc ex persona Johannis Ecclesia dicit, desiderans perdoceri. [v. 9.] *Et tunc dixit mihi, Accipe & comede illum*, id est, tuis visceribus pande, & describe in latitudine cordis. *Et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce ut mel:* id est, cùm perceperis, oblectaberis eloquij divini dulcedine, sed amaritudinem senties cùm prædicare & operari cœperis quod intellexeris: sicut scriptum est, Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. [Psal. 16. 4.] Et aliter, *Erit*, inquit, *in ore tuo dulce ut mel, & in ventre tuo amaritudo:* In ore intelliguntur boni & spiritales Christiani, in ventre carnales & luxuriosi. Inde est quod cùm verbum Dei prædicatur, spiritalibus dulce est: carnalibus verò, quorum secundùm Apostolum Deus venter est, amarum videtur & asperum. [Philip. 3. 19. Apoc. 11. v. 1.] *Et data est mihi arundo virgæ similis, dicens, Surge & metire templum Dei & altare, & adorantes in eo.* Surge, excitatio est Ecclesiæ. Non enim hîc Johannes [c] sedibundus audiebat. *Metire templum, & altare, & adorantes in eo.* Ecclesiam jubet recenseri, & præparari ad ultimum, & adorantes in ea. Sed quia non omnes qui videntur, adorant, ideo dixit, [v. 2.] *Atrium quod est foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud:* Ipsi atrium sunt qui videntur in Ecclesia esse, & foris sunt, sive hæretici, sive malè viventes catholici. *Quoniam datum est gentibus, & civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus:* Qui excludentur, & quibus dabitur, utrique calcabunt eam. [v. 3.] *Et dabo duobus testibus meis*, id est,

b Mss. Ecclesiæ.

c In editis deest, sedibundus. Habetur in mss. Per. & apud Bedam.

duobus Testamentis. *Et prophetabunt diebus mille-ducentis-sexaginta:* Numerum novissimæ persecutionis dixit, & futuræ pacis, & totius temporis à Domini passione: quoniam utrumque tempus totidem dies habet, quod suo in loco dicetur. *Saccis*, id est ciliciis, *amicti.* Quod in ἐξομολογήσει, id est in confessione sint constituti, quia ex sensu humilitatis dixit saccis amictos. Dehinc ostendit qui sunt hi duo testes, dicens, *Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes:* [Apoc. v. 14.] Hi sunt qui stant, non qui stabunt. Duo candelabra Ecclesia est, sed pro numero Testamentorum dixit duo. Sicut quatuor angelos dixit Ecclesiam, cùm sint septem pro numero angelorum terræ: ita ex septem candelabris, si unum vel amplius pro locis nominet, tota Ecclesia est. Nam Zacharias unum candelabrum vidit septiforme, [Zach. 4. 2.] & has duas olivas, id est, Testamenta infundere oleum candelabro, id est Ecclesiæ. Sicut sunt ibidem septem oculi, septiformis gratia Spiritus-sancti, qui sunt in Ecclesia, inspicientes totam terram. *Et si quis vult eos lædere vel occidere, ignis exiet ex ore eorum, & devorabit inimicos eorum:* [Apoc. 11. v. 5.] id est, si quis Ecclesiam vel lædit vel lædere voluerit, precibus oris ejus divino igne aut in præsenti ad correctionem, aut in futuro sæculo ad damnationem consumetur. *Hi habent potestatem claudere cælum nubibus, ne pluat in diebus prophetiæ ipsorum:* Habent, ait; [v. 6.] non, Habebunt. Hoc ideo dicit, quia tempus quod nunc agitur significavit. Sed & spiritaliter cælum clauditur, ne imbrem pluat, id est ne occulto, sed tamen justo judicio Dei super sterilem terram de Ecclesia benedictio descendat. *Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ adscendit de abysso, faciet cum eis prælium.* [v. 7.] Apertè hæc omnia ostendit ante novissimam persecutionem fieri, cùm dicit, *cùm finierint testimonium suum:* utique illud quod præbent usque ad revelationem Christi, *Et vincet eos, & occidet.* [Primasius perhibent.] Vincet, in eis qui succubuerint: occidet, in eis qui confessi Deum fuerint. *Et corpus eorum projicietur in plateis civitatis magnæ:* Duorum dicit unum corpus, aliquando corpora, ut & numerum Testamentorum servaret, & Ecclesiæ unum corpus ostenderet. [d] *In plateis civitatis magnæ*, id est in medio Ecclesiæ. *Et videbunt de populis & tribubus & linguis corpus eorum, per dies tres & dimidium*, id est annos tres & menses sex. Miscet enim tempus, nunc præsens, nunc futurum: sicut & Dominus dicit, Veniet hora, in qua omnis qui occiderit vos, [v. 9.] arbitretur obsequium se præstare Deo. Et nunc est, & veniet. [Johan. 16. 2.] *Et corpora eorum non sinunt poni in monumento:* Votum eorum ad impugnationem dixit: non quò valeant facere ne sit Ecclesia in memoria, sicut & illud, Nec vos intratis, nec alios sinitis intrare: [Mat. 23. 13.] cùm multi introierint etiam illis impugnantibus. Sic ergo non sinunt poni in monumento. *Et inhabitantes terram gaudent super eos,* [Apoc. 11. v. 10.] *& epulantur, & munera invicem mittunt:* Hoc semper factum est, & nunc invicem mittunt, & novissimè gaudebunt & epulabuntur. Quotiens enim justi affliguntur, exsultant injusti, & epulantur. *Quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos:* per plagas, quæ pro contemtu Testamentorum Dei humanum genus affligunt. Denique etiam ipse visus justorum gravat injustos, sicut ipsi dicunt, Gravis est nobis etiam ad videndum. [Sap. 2. 15.] Gaudebunt autem ubicumque, veluti jam nihil habuerint quod impatienter ferant, disturbatis & occisis justis, & eorum hereditate possessa. *Et post dies tres & dimidium spiritus vitæ à Deo intravit in illos:* [Apoc. 11. v. 11.] Jam dictum est de diebus. Huc usque angelus futurum narravit, & inducit factum quod futurum audit. *Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super videntes eos.* [v. 12.] *Et audivi vocem magnam de cælo dicentem, Adscendite huc. Et adscenderunt in cælum in nube.* Hoc est quod Apostolus dixit, Rapiemur in nubibus obviam Christo. [1. Thess. 4. 16.] Ante adventum autem Domini nulli hoc posse contingere scriptum est: Initium Christus, deinde hi qui sunt Christi in adventu ejus. [1. Cor. 15. 23.] Unde excluditur omnis suspicio quorumdam, qui putant hos duos testes duos viros esse, & ante adventum Christi cælum in nubibus adscendisse. Quomodo autem potuerunt habitantes terram de duorum nece gaudere, cùm in una civitate morerentur, & munera invicem mittere, si tres dies sint, qui antequam gaudeant de nece, contristabuntur de resurrectione? Aut quales epulæ aut voluptas esse potest in plateis epulantium, cadaveribus humanis epulis morbum triduano fœtore reddentibus? Unde nos Dominus liberare dignetur. Amen.

d Hîc mss. addunt, quod est illud: Projecisti sermones meos retrò.

Homilia IX.

QUOD audivimus, fratres, in lectione quæ recitata est, quia, *in illa hora factus est terræ motus magnus.* [Apoc. 11. v. 13.] In illo terræ motu persecutio intelligitur, quam diabolus per malos homines exercere consuevit. *Et decima*, inquit, *pars civitatis cecidit, & occisa sunt in terræ motu nomina virorum septem millia:* Et denarius & septenarius perfectus est numerus: quòd si non esset, à parte totum intelligendum erat. Duo sunt enim ædificia in Ecclesia, unum supra petram, aliud supra arenam: quod supra arenam est, dicitur corruisse. *Et ceteri timuerunt, & dederunt claritatem Deo:* Illi dederunt claritatem, qui supra petram ædificati sunt, & cum illis qui supra arenam erant, cadere non potuerunt. Ideo autem dixit, *timuerunt*, quia videns justus peccatoris interitum, plus accenditur in observatione præceptorum, sicut dicitur, Et lavabit manus in sanguine peccatoris. [Psal. 57. 11.] *Et apertum est*, inquit, *templum Dei in cælo*, id est, in Ecclesia incarnationis Christi mysteria patefacta sunt: [Apoc. 11. v. 19.] unde ostenditur Ecclesia cælum esse. *Et visa est arca testamenti ejus in templo ejus:* id est, intellectum est Ecclesiam esse arcam testamenti. *Et facta sunt fulgura & tonitrua & terræ motus:* Hæc omnia sunt virtutes prædicationis & coruscationis & bellorum Ecclesiæ. *Et signum magnum est in cælo visum, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus:* [Apoc. 12. v. 1.] Ecclesiam dicit, partem suam, id est, homines fictos & malos Christianos sub pedibus habere. *Et in capite ejus corona stellarum duodecim:* Istæ duodecim stellæ, duodecim Apostoli intelligi possunt. Sole autem amicta spem resurrectionis significat, propter illud quod scriptum est, Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. [Matth. 13. 43.] *Draco magnus rufus:* diabolus est quærens Ecclesiæ natum [Apoc. 12. v. 3.]

devorare. *Habens*, inquit, *cornua decem & capita septem?* Capita reges sunt, cornua verò regna. In septem enim capitibus omnes re-
v. 4. ges, in decem cornibus omnia regna mundi dicit. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram:* Cauda prophetæ iniqui sunt, id est hæretici, qui stellas cæli per * iteratum baptisma adhærentes sibi dejiciunt in terram: ipsi sunt sub pedibus mulieris. Multi, homines illos esse æstimant, quos sibi consentientes diabolus fecit sodales: multi, angelos, qui cum illo quando cecidit præcipitati sunt. *Parturiens cruciatur ut pariat:* Per omne tempus quotidie parit Ecclesia, in prosperis & in adversis. *Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cùm peperisset filium ejus devora-*
v. 2. v. 4. *ret:* Semper enim in cruciatibus parit Ecclesia Christum per mem-
v. 5. bra, semper & draco quærit devorare nascentem. *Et genuit mulier filium masculum*, id est, Christum. Deinde corpus ejus, id est, Ecclesia, semper generat Christi membra. Masculum autem dixit, vi-
v. 6. ctorem adversus diabolum. *Et mulier fugit in eremum:* Mundum istum non incongruè eremum accipimus, ubi usque in finem Christus Ecclesiam gubernat & pascit: in quo ipsa Ecclesia superbos & impios homines tamquam scorpiones & viperas, & omnem virtu-
v. 7. tem satanæ per Christi adjutorium calcat, & conterit. *Et factum est bellum in cælo*, id est in Ecclesia. *Michaël & Angeli ejus pugnabant cum dracone:* Michaëlem, Christum intellige: & Angelos ejus, sanctos homines. *Et draco pugnavit & angeli ejus*: id est, diabolus & homines voluntati ejus obtemperantes. Nam absit ut credamus diabolum cum angelis suis in cælo ausum esse pugnare, qui in terra unum Job ausus non est tentare, nisi cum à Domino postularet ut
v. 8. læderet. *Et non valuerunt, neque locus eorum inventus est ampliùs in cælo*, id est, in hominibus sanctis, qui credentes, semel expulsum diabolum ejusque satellites ampliùs non recipiunt: sicut Zacharias
v. 9. dixit, ut semel exterminata idola ampliùs non recipiant locum. *Et expulsus est draco magnus, anguis antiquus qui dicitur diabolus & satanas, & angeli ejus cum eo:* Diabolus & spiritus immundi omnes cum suo principe de sanctorum cordibus expulsi sunt in terram, id est, in homines qui terrena sapiunt, & totam spem suam in terra
v. 10. constituunt. *Et audivi vocem magnam de cælo dicentem, Modò facta est salus & virtus & regnum Dei nostri*, id est, Ecclesiæ. Ostendit in quo cælo ista fiant. Apud Deum enim semper fuit & virtus & regnum & potestas Filii ejus: sed in Ecclesia dixit per victoriam factam Christi salutem, quam videntes illi, de quibus Dominus di-
Matt. 13. 17. xit, Multi justi & Prophetæ cupierunt videre quæ videtis, dixerunt, Modò facta est salus Domini nostri. *Quoniam exclusus est ac-*
Apoc. 12. v. 10 *cusator fratrum nostrorum*, &c. Si autem, ut quidam putant, angelorum vox est in cælo superiore, & non sanctorum in Ecclesia, non dicerent, *accusator fratrum nostrorum*, sed accusator noster; nec *accusat*, sed accusabat. Quòd si justos in terra positos appellaverunt angeli fratres suos, non erat gaudium missum esse diabolum in terram, quem molestiorem possint experiri sancti secum in terris positum, quàm si, ut dicitur, adhuc esset in cælo. Sic enim terræ
v. 12. maledicunt dicentes, *Væ tibi terra & mare*, id est, qui cælum non estis. *Quia descendit ad vos diabolus, habens iram magnam, sciens quia breve tempus habet.* Descendit, inquit, ut allegoriam servaret. Ceterum omnes in cælo sunt, id est in Ecclesia, quæ justè cælum dicitur: unde dejectus à sanctis diabolus descendit in suos, qui pro amore terreno terra sunt. Dejici autem de cælo non sic dixit, quòd in hominibus fieret jam cælum factis, sed [a] quòd sint, non quòd fierent. Non enim possunt sancti cælum fieri, nisi diabolo excluso. Non ergo primo nomine, sed secundo appellavit eos cælum, in quibus ultra diaboli locus inventus non est. De quo periculo nos Dominus sub sua protectione liberare dignetur, Qui vivit, &c.

* In Donatistas baptisma iterantes. At longè aliter hunc locum interpretatur Tichonius apud Bedam.

a Petr. codex, sed sint, non quòd fuerint.

Homilia X.

Modò, fratres carissimi, audivimus, quia cùm vidisset draco quòd de sanctis exclusus esset in terram, id est de cælo in peccatores, persecutus est mulierem quæ peperit masculum. Quantò
Apoc. 12. 14. enim diabolus de sanctis dejicitur, tantò magis eos persequitur. *Et datæ sunt mulieri*, id est Ecclesiæ, *duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum suum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis à facie serpentis:* Tempus, & annus intelligitur & centum anni. Duæ alæ magnæ, duo sunt Testamenta Ecclesiæ quæ accepit, quò serpentem evaderet in eremum. *In locum suum* dixit, id est, in hoc mundo, ubi serpentes & scorpiones habitant: quia illi
Matth. 10. 19 dictum est, sicut Dominus dicit, Ecce ego mitto vos sicut oves in
Ezech. 2. 6. medio luporum: & Ezechiel dicit, Fili hominis inter scorpiones tu
Apoc. 12. v. 15. habitas. *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam velut flumen*, id est, violentiam persecutorum. *Et adjuvit terra mulierem, & ape-*
v. 16. *ruit os suum, & absorbuit flumen quod misit draco de ore suo.* Terram sanctam dicit, id est sanctos. Quoties enim persecutiones Ecclesiæ irrogantur, sanctæ terræ precibus, id est omnium sanctorum orationibus aut amoventur, aut temperantur. Nam & Dominus noster Jesus Christus qui interpellat pro nobis, & has persecutiones removet, cùm ipsa terra sedet à dextris virtutis. Item aliter, mulierem volasse in desertum, ipsam Ecclesiam Catholicam intelligit, in qua novissimo tempore sub Elia creditura est synagoga. Alas duas aquilæ magnæ, duos vult intelligi prophetas, scilicet Eliam, & qui cum eo venturus est. Aqua emissa de ore draconis, exercitum persequentium eam significat: absorpta aqua, de persecutoribus factam
v. 17. vindictam. *Et iratus est draco in mulierem, & abiit bellum facere cum reliquis de semine ejus:* Id est, cùm vidisset non posse continuari persecutiones, quas per paganos solebat immitterre, eo quòd ore sanctæ terræ, id est orationibus sanctis removerentur, hæreses
v. 18. concitavit. *Et stetit super arenam maris:* id est, super multitudinem hæreticorum. *Et vidi adscendentem bestiam de mari:* id est, de popu-
Apoc. 13. v. 1. lo malo. *Adscendentem* dixit, hoc est nascentem. Sicut flos in bonam partem de radice Jesse adscendit. Bestiam adscendentem de ma-
v. 2. ri, impios dicit, qui sunt corpus diaboli. *Et bestia quam vidi, similis erat pardo, & pedes ejus sicut ursi, & os ejus sicut os leonis:* Par-

A do propter varietatem gentium similavit, urso propter malitiam & vesaniam, leoni propter virtutem corporis & linguæ superbiam. Et quia temporibus Antichristi cum varietate gentium & populorum regnum illius erit commixtum, pedes tanquam ursi, duces ejus; os ejus, jussio ejus. *Et dedit ei draco virtutem suam:* sicut videmus modò hæreticos esse in hoc sæculo potentes, qui habent virtutem diaboli. Sicut quondam pagani, ita nunc illi vastant Ecclesiam. *Et vi-* v. 3.
di unum ex capitibus ejus quasi occisum in mortem: & plaga mortis ejus curata est: Quod dicit quasi occisum, hæretici sunt, qui simulant se confiteri Christum: & dum non sic credunt ut fides Catholica habet, blasphemant; cùm eum & occisum prædicent, & resurrexisse: quia & ipse satanas transfigurat se in angelum lucis. Et Aliter, Oc- 2. Cor. 11. 14.
ciduntur hæreses per Catholicos, cùm Scripturarum testimoniis opprimuntur; sed illi nihilominus quasi satanæ plaga redivivi pera-
B gunt opera satanæ, & non cessant blasphemare, & ad dogma suum quos possunt adtrahere. *Et mirata est omnis terra secuta bestiam, &* Apoc. 13. v. 3, & 4.
adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ: Utique habent potestatem hæretici, sed præcipuè Ariani. *Et adoraverunt bestiam dicentes, Quis similis bestiæ, aut quis poterit pugnare cum ea?* Hoc ideo quia sibi blandiuntur hæretici, quòd nullus meliùs credat illis, & quòd nullus vincat populum ipsorum qui bestiæ nomine censetur: cui datum est ab ipso diabolo, & à Deo permissum est, ut loquatur magna & blasphemias: sicut dicit Apostolus, Oportet hæreses esse, 1. Cor. 11. 9.
ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. *Et data est ei potestas fa-* Apoc. 13. v. 5.
cere menses quadraginta duos. Tempus novissimæ persecutionis in istis quadraginta duobus mensibus intelligimus. *Deinde aperuit os* v. 6.
suum in blasphemiam ad Deum: Hîc manifestum est illos significari,
C qui de Ecclesia recesserunt Catholica: ut qui antè occultè intra Ecclesiam quasi fidem rectam tenere videbantur, in persecutione aperto ore in Deum proferant blasphemiam. *Et in tabernaculum ejus, & in eos qui in cælo habitant:* id est, in sanctos qui intra Ecclesiam continentur, quæ cælum est nuncupata, quia & ipsi tabernaculum Dei sunt. *Et datum est ei bellum facere cum sanctis, & vincere eos:* A toto v. 7.
partem intelligimus, quæ vinci potest: non enim boni Christiani, sed illi qui mali sunt vincuntur. *Et data est ei potestas super omnem tribum & linguam, & adorabunt eam omnes habitantes terram:* Om- v. 8.
nes dixit, sed in terra habitantes, non in cælo. *Quorum non est scriptum nomen in libro vitæ Agni:* De diabolo dixit vel ejus populo, non est scriptum nomen ejus in libro vitæ. [b] *Signati ab origine mundi:* quia in præsentia Dei Ecclesia antè præordinata est atque signata.
D Quod ipse præstare, &c.

b Pro ἐσφαγμένου occisi, legit ἐσφραγισμένου signati.

Homilia XI.

In lectione quæ modò recitata est, fratres carissimi, audivimus beatum Johannem dicentem, *Et vidi aliam bestiam adscendentem* Apoc. 13 v. 11.
de terra: Quod est mare, hoc terra. *Et habebat cornua duo similia Agni:* id est duo Testamenta ad similitudinem Agni, quod est Ecclesia. *Et loquebatur ut draco:* Hæc est illa quæ sub nomine Christiano agnum præfert, ut draconis venena latenter infundat; hæc est hæretica Ecclesia. Agni enim similitudinem non imitaretur, si apertè loqueretur: nunc Christianitatem fingit, quò securiùs incautos decipiat. Propterea Dominus dicit, Cavete à pseudo-prophetis, &c. Matth. 7. 15.
Et facit terram & eos qui in ea sunt ut adorent bestiam priorem, cujus Apoc. 13. v. 12.
E *curata est plaga mortis ejus: & faciet signa magna, ita ut ignem faciat* v. 13.
descendere de cælo in terram: Et quia cælum Ecclesia est, quid est ignem de cælo descendere, nisi hæreses de Ecclesia cadere? sicut scriptum est, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Ignis enim 1. Johan. 2. 19
de cælo descendit, quando hæretici qui de Ecclesia velut ignis recedunt, ipsam Ecclesiam persequuntur. Bestia ergo cum duobus cornibus, facit ut populus simulacrum bestiæ, id est diaboli adinventionem adoret. *Ut det eis notam super manum eorum dextram, aut su-* Apoc. 13. v. 16.
per frontem eorum: Mysterium enim disputat facinoris. Sancti enim qui sunt in Ecclesia, Christum accipiunt in manu & in fronte: hypocritæ autem bestiam sub Christi nomine. *Si qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt [c] inscriptionem in fronte, aut in manu sua, occidentur.* Non abhorret à fide, ut bestia ipsa impia civitas intelligatur, id est congregatio vel conspiratio omnium impio-
F rum vel superborum, quæ Babylonia dicitur, & interpretatur confusio: & ad ipsam pertinent quicumque res confusione dignas exercere voluerint. Ipse est populus infidelium, contrarius populo fideli & civitati Dei. Imago verò ejus simulatio est, in eis videlicet hominibus, qui velut fidem Catholicam profitentur, & infideliter vivunt: fingunt enim se esse quod non sunt, vocanturque non veraci effigie, sed fallaci imagine Christiani: de quibus Apostolus dicit, Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegan- 2. Tim. 3. 15.
tes: quorum non parva portio in Ecclesia Catholica continetur. Justi autem non adorant bestiam, id est, non consentiunt, non subjiciuntur: neque accipiunt inscriptionem, notam scilicet criminis, in fronte propter professionem, in manu propter operationem. Sic ergo facient: *Ut nemo possit mercari, nisi qui habet nomen aut notam be-* Apoc. 13. v. 17
stiæ, aut numerum nominis ejus. Hic sapientia est. Qui habet intelle- v. 18.
ctum, computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est: id est, fi-
G lii hominis Christi, cujus nomen in hæreticis sibi fecit bestia. Faciamus ergo numerum quem dixit, ut accepto numero inveniamus nomen & notam. *Numerus*, inquit, *ejus est [d] sexcenti sedecim.* Quem faciamus secundum Græcos maximè quia ad Asiam scribit, Et ego, inquit α & ω. Sexcenti & sedecim Græcis literis sic fiant χιϛ'. Quæ notæ solutæ, numerus est: redactæ autem in monogrammum & notam faciunt, & numerum, & nomen. Hoc signum Christi intelligitur, & ipsius ostenditur similitudo, quam in veritate colit Ecclesia. Cui se similem facit hæreticorum adversitas, qui cùm Christum spiritaliter persequantur, tamen de signo crucis Christi gloriari videntur. Hoc ideo, quia dictum est, *Numerus bestiæ numerus hominis est. Et vidi, & ecce Agnus stans in monte Sion, & cum eo centum* Apoc. 14. v. 1.
quadraginta-quatuor-millia, habentia nomen ejus & nomen Patris ejus scriptum in frontibus eorum: Aperuit quæ sit imitatio notæ in

c Mss. Petr. imaginem ejus neque inscriptionem.

d Sic mss. At editi, Sexcenti sexaginta sex.

frontibus, dum & Deum & Christum dicit scriptos in frontibus
v. 2. Ecclesiæ. *Et audivi vocem de cælo sicut aquarum multarum:* id est, centum-quadraginta-quatuor millium. *Et sicut tonitrui magni: & vocem quam audivi sicut citharœdorum citharizantium in citharis*
v. 4. *suis.* Quod autem dixit, *Hi sunt qui se cum mulieribus non coinquinaverunt*, &c. Virgines hoc loco non solùm corpore castos intelligamus, sed maximè omnem Ecclesiam, quæ fidem puram tenet, si-
2. Cor. 11. 2. cut dicit Apostolus, Sponsavi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo: nullâ adulterinâ hæreticorum commixtione pollutam, nec in malè blandis & mortiferis hujus mundi voluptatibus usque ad exitum vitæ suæ absque remedio pœnitentiæ infelici perse-
Apoc. 14. v. 5. verantiâ colligatam. Addit post hoc dicens, *Et in ore ipsorum non est inventum mendacium:* Non dixit, non fuit; sed, *non est inventum*. Qualem enim invenit Dominus cùm hinc evocat, talem & judicat: nam aut per baptismum, aut per pœnitentiam possumus in interiori homine & virgines effici & sine mendacio. Nunc iterum recapitu-
Apoc. 14. v. 6. latio: *Et vidi*, inquit, *alium angelum volantem in medio cæli*, id est, prædicationem in medio Ecclesiæ discurrentem. *Habentem Evangelium æternum: ut evangelizaret habitantibus in terra, dicens: Ti-*
v. 7. *mete Dominum*, &c. Volunt aliqui intelligi angelum volantem in medio cæli Eliam; & alium angelum qui eum sequitur, comitem
v. 8. Eliæ, qui eo tempore prædicabit. *Et alius angelus secutus est*: id est, pacis futuræ prædicatio. *Dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna:* Babylonem civitatem impiam, sicut jam suprà dictum est, diaboli congregationem dicit, id est, populum ipsi consentientem: & omnem concupiscentiam & corruptelam, quam in perniciem sui & humani generis exquirit. Nam sicut Ecclesia civitas Dei est & omnis conversatio cælestis: ita è contrario civitas est diaboli Babylon in
Zach. 12. 3. omni mundo, sicut dicit Dominus, Ecce ponam Jerusalem lapidem conculcabilem in omnibus gentibus. Ecclesia ergo dicit, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna:* Jam quasi perfectum dicit, quod adhuc
Psal. 21. 19. futurum erat: sicut illud, Diviserunt sibi vestimenta mea. *Quia à*
Apoc. 14. v. 8. *vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes:* Omnes gentes, civitas est mundi, id est omnes superbi & impii, sive extra Ecclesiam, sive
v. 14. in Ecclesia constituti. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem filium hominis*, id est Christum. Ecclesiam enim describit in claritate sua præcipuè post persecutionum flammas albentem. *Habentem in capite suo coronam auream:* Ipsi sunt seniores cum coronis aureis. *Et in manu sua falcem acutam:* Ista falx separat catholicos ab hæreticis, sanctos à peccatoribus, sicut dicit Dominus de messoribus. Si autem putandum est quòd ipse specialiter Christus visus est in nube alba messor, quis est vindemiator, nisi idem, sed in suo corpore quod est Ecclesia? Fortè non malè sentitur, si istos tres angelos qui exierunt, triformem intellectum Scripturarum intelligamus, juxta historialem, moralem, & spiritalem: falcem verò
v. 19. discrepationem. *Et misit in torcular iræ Dei magnum:* Non in torcular magnum; sed ipsum misit in torcular, id est superbum quem-
v. 20. que. *Et calcatum est torcular extra civitatem*, id est, extra Ecclesiam. Facta enim dissensione, foris exit omnis homo peccati. Calcatio autem torcularis, retributio est peccatorum. *Et exiit sanguis de torculari usque ad frenos equorum:* Exiet ultio usque ad rectores populorum. Usque enim diabolum & angelos ejus novissimo certamine exiet ultio sanguinis effusi. *Per stadia mille sexcenta*, id est, per omnes quatuor partes mundi. Quaternitas enim est conquaternata, sicut est in quatuor faciebus quadriformibus & totis. Quater enim quadringenti sunt mille sexcenti. [a]

a In Pet. ms. additur, sub cujus protectione nos Dominus liberare dignetur.

Homilia XII.

In lectione quæ recitata est, fratres carissimi, dixit se sanctus Johannes vidisse *aliud signum in cælo magnum & mirabile: ange-*
Apoc. 15. v. 1. *los septem:* id est, Ecclesiam. *Habentes plagas septem novissimas, quoniam in his finita est ira Dei.* Novissimas dixit, quia semper ira Dei percutit populum contumacem septem plagis, id est,
Levit. 26. 24. perfectè: sicut ipse Deus in Levitico frequenter repetit, Et percu-
Apoc. 15. v. 2. tiam vos septies, propter peccata vestra. *Et vidi sicut mare vitreum:* id est fontem baptismi pellucidum. *Mixtum igne*: id est, spiritu vel tentatione. *Et victores bestiæ super mare vitreum:* id est, in baptismo. *Habentes citharas Dei:* id est, corda laudantium Deo dedicata.
v. 3. *Et cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni*, id est, utrumque Testamentum. *Magna & mirabilia opera tua sunt.* Hæc enim in utroque Testamento sunt, quod cantant supradicti. Repetit quod proposuerat dicens, *Post hæc vidi, Et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cælo.* Templum Ecclesiam jam diximus sentiendam; angelum qui exiit de templo & jussit sedenti super nubem, imperium Domini esse, dictum est. Jussionis enim exitus
Luc. 2. 1. est, sicut Evangelista dicit, Exiit Edictum à Cæsare Augusto. *Indu-*
Apoc. 15. v. 6. *ti lino mundo & splendido, & cincti super pectora sua zonas aureas:* Manifestè ostendit in septem angelis Ecclesiam. Sic enim initium descripsit de Christo: Habentem, inquit, zonam auream super
v. 7. ubera. *Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas de ira Dei.* Istæ sunt phialæ, quas cum odore ferunt seniores & animalia, quæ sunt Ecclesia; qui & septem angeli. Et quod sunt odoramenta, hoc ira Dei, hoc & verbum Dei. Sed & hæc omnia dant bonis vitam, malis inferunt mortem: ut est
2. Cor. 2. 16. illud, Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Orationes enim sanctorum, qui est ignis exiens de ore testium ira sunt mundo & impiis. Hoc ideo, quia superbis & impiis non sufficit, quòd eos qui sancti sunt, nec diligunt, nec imitantur, verùm etiam ubicumque potuerint persequuntur. Omnes istæ plagæ spiritales sunt, & in anima fiunt. Nam ipso tempore illæsus erit omnis populus impius ab omni plaga corporis; quia non meretur in præsenti sæculo flagellari, quasi qui acceperit totam sæviendi potestatem: sed spiritaliter, id est, voluntaria & mortalia peccata, quæ
Apoc. 16. v. 3. sunt ulcera in animabus suis, patiuntur omnes impii & superbi. *Secundus fudit phialam suam in mare*, & reliqua. Mare, flumina, fontes aquarum, sol, thronus, bestiæ, fluvius Euphrates, aër, su-

A per quæ angeli fuderunt phialas, terra est & homines: quia omnibus angelis in terram fundere mandatum est. Omnes autem plagæ istæ à contrario intelligendæ sunt: plaga est enim insanabilis, & ira magna, accipere potestatem peccandi, maximè in sanctos, nec corripi: adhuc major ira Dei, & errorum fomenta subministrari injustitiæ. Hæc plaga iræ Dei, hæc vulnera, transpungi & gaudere & placere sibi unumquemque in peccatis. Sic prosperitas malorum, ulcera sunt animarum: & adversitas justorum, æternorum sunt pretia [b] gaudiorum. In tertio verò angelo & aquarum conversione in sanguinem, omnes angelos populorum intellige, id est, v. 4.
[c] infirmiores homines in animo cruentos. *Quartus angelus effudit phialam suam super solem, & usti sunt homines ustione magna:* Hoc futurum est adhuc in igne gehennæ. Nam diabolus in præsenti cùm v. 8.
in anima occidat amatores suos, non solùm non urit in corpore,
B sed quantum permittitur clarificat: quam claritatem & lætitiam Spiritus-sanctus, plagas definivit & dolores. *Et blasphemaverunt* v. 9.
nomen Dei habentis potestatem in his plagis, nec egerunt pœnitentiam: Quia non in corpore, sed in animo percutiuntur plagis istis à Deo: ideo nec Domini recordantur, sed in pejus proficiunt; & propterea blasphemant, persequentes sanctos ejus. *Quintus effudit phialam* v. 10.
suam super sedem bestiæ, & factum est regnum ejus tenebrosum. Thronus bestiæ, Ecclesia ipsius est, id est, congregatio superborum, quæ hujusmodi plagis obcæcatur. *Comedebant linguas suas à doloribus suis*; id est, sibi nocebant blasphemantes ex ira Dei, quia transpuncti gaudia existimabant. *Et pœnitentiam non egerunt*: utique obdura- v. 11.
ti lætitiâ. *Et sextus angelus effudit phialam suam super flumen ma-* v. 12.
gnum illud Euphratem: id est super populum. *Et siccata est aqua ejus*, sicut suprà dixit, aruit messis terræ, id est, ad combustionem pa-
C rata est. *Ut præparetur via eorum qui sunt ab ortu solis*: id est, Christo: his enim perfectis justi proficiscuntur obviam Christo.

b Mss. præmia.

c Mss. interiores.

Homilia XIII.

Sanctus Johannes, fratres carissimi, dum de septem angelorum phialis vel plagis loqueretur, solito more prætermisso septimo angelo recapitulat ab origine breviter dicens, *Et vidi ex ore dra-* Apoc. 16. v. 13.
conis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudo-prophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. Unum spiritum vidit, sed pro numero & [d] portione unius corporis. Draco, id est diabolus: nam & bestia, id est corpus diaboli, & pseudo-propheta, id est præpositi corporis diaboli, unus spiritus est, quasi ranæ. *Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa*: Ranæ namque præter horrorem [e] proprium, etiam
D in loco immundo sunt. Quæ cùm aquarum incolæ & indigenæ videantur, non solùm aquarum refugæ & siccitatis impatientes sunt, sed etiam in ipsis aquis, in aquæ sordibus & cœno volutantur. Sic hypocritæ non in aqua, ut putantur, degunt; sed in sordibus, quas credentes in aqua deponunt. Ranis sunt similes etiam homines, qui in peccatis vel criminibus, quæ alii per pœnitentiam vel baptismum deponunt, volutari non erubescunt. Quando enim aliquis se convertit ad Deum, & pœnitet fuisse superbum, adulterum, ebriosum vel cupidum, qui ista peccata quæ alius confitendo relinquit, imitatur, cogitans apud se & dicens, Facio quod volo, & postea quomodo iste agit pœnitentiam, & ego ago; & subitò dum ei supervenit ultimus dies, perit confessio, & restat damnatio: iste qui talis est, dum alios non ad bonum, sed ad malum vult imitari, in luto, unde alius liberatus est, velut rana involvitur, & volutatur.
E Ranæ ergo significant spiritus dæmoniorum facientes signa. *Qui exeunt ad reges totius orbis congregare eos ad bellum diei magni Domini:* Diem magnum totum tempus dicit à passione Domini. Sed pro locis accipiendus est dies: aliquando diem judicii dicit, aliquando novissimam persecutionem, quæ sub Antichristo futura est, aliquando totum tempus, sicut per Amos prophetam, Væ, inquit, eis qui concupiscunt diem Domini. Et ut quid vobis [f] dies Domini? & reliqua quæ ibi sequuntur. Omnia hæc in hac sunt vita his dies quibus Domini tenebræ sunt: qui concupiscunt diem Domini, id est qui in hoc sæculo delectantur, quibus suave est, qui in eo voluptati & luxuriæ servientes lucra percipiunt, qui existimant quæstum esse religionis, quibus dicitur, Væ vobis qui saturati estis. Non illi quibus dicitur Beati qui lugent. Recapitulat iterum ab eadem persecutione dicens: *Et facta sunt fulgura & tonitrua, & terræ mo-* Amos 5. 18. Luc. 6. 25. Matt. 5. 5.
F *tus factus est magnus, qualis non est factus ex quo homines facti sunt,* Apoc. 16. v. 18
Et facta est illa civitas magna in tres partes. Hæc civitas magna, v. 19.
omnis omnino populus intelligitur qui est sub cælo, qui fiet in tres partes cùm Ecclesia divisa fuerit, ut sint gentiles una pars, hæretici & ficti catholici altera, Ecclesia Catholica tertia. Sequitur enim, & ostendit quæ sint tres partes, dicens: *Civitates gentium ceciderunt,* v. 20.
& Babylon illa magna in mentem venit Deo dare ei poculum vini iræ suæ, & omnis insula fugit, & montes inventi non sunt. Civitates gentium gentes sunt, Babylon abominatio vastationis, montes & insulæ Ecclesia est, in civitatibus gentium omne munimen & spem dicit gentium cecidisse. Non enim [g] diversas habent à Christianis, sed civitates bonæ atque malæ in hominibus describuntur. Tunc ergo Babylon cecidit aut iram Dei bibit cùm potestatem accepit adversùs Jerusalem, quæ est Ecclesia. *Insulæ inventæ non sunt*, id est,
G non sunt superatæ. *Et grando magna quasi talentum descendit de cælo* v. 21.
super homines. Grandinem iram Dei dicit. Omnes plagas istas figuras esse dicit plagarum spiritalium. *Et blasphemaverunt homines Deum ex plaga grandinis, quoniam magna est plaga ejus nimis.* Recapitulat iterum dicens: *Et venit unus ex septem angelis, & dixit* Apoc. 17. 1.
mihi, Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, sedentis super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, id est, omnes v. 2.
terrigenæ. *Et tulit me in eremo in spiritu, & vidi mulierem sedentem* v. 3.
super bestiam. In bestia omnis populus malus intelligitur: in muliere corruptela monstratur: in eremo mulierem sedere dicit, eo quòd in impiis in anima mortuis & à Deo desertis sedeat: in spiritu dixit, quia nonnisi in spiritu videri potest hujusmodi desertio. Pretiosè ornatam dixit, propter ornamenta luxuriæ. Nam bestiam

d Mss. unus, participatione. Al. partitione.

e Mss. proprio etiã loco immundæ sunt.

f Sic vetus cod. Petrensis. At editi, & ut quid vobis diẽ persecutionis? Et facta sunt fulgura & tonitrua &c. omissis sex versibus.

g Mss. divisas.

super quam sedit, sicut jam dictum est, populum esse dicit, quæ sunt aquæ multæ, sicut ipse exponit: *Aquam quam vides, ubi mulier sedet, populi & turbæ sunt, & gentes & linguæ.* Corruptelam dicit sedere super populos in eremo. Meretrix, bestia, eremus unum sunt. Bestia ut jam dictum est, corpus est adversùs Agnum, in quo corpore nunc diabolus, nunc caput velut occisum, quod significat hæreticos, qui velut de morte Christi gloriari videntur, non solus superborum populus accipiendus est: quod totum Babylon est.

v. 15.

Apoc.16.v.13.

Repetit eadē quæ suprà.

In tribus spiritibus, qui ex ore draconis velut ranæ procedebant: in uno intelligitur diabolus, in alio pseudo-prophetæ vel præpositi hæreticorum, in tertio corpus diaboli, id est omnes ficti, superbi, vel impij Christiani, quorum maximus numerus in Ecclesia continetur. Denique qui tales sunt, ad similitudinem ranarum, in omni immunditia & luxuriæ sordibus volutantur. Ranis etiam similes sunt homines, qui in peccatis vel criminibus, quæ alij per pœnitentiam vel baptismum deponunt, volutari non erubescunt, dicentes sibi, Ad præsens impleo voluntates meas; postea, quomodo isti conversi sunt, & ego convertar ad Deum. Et subitò superveniente morte perit confessio, restat damnatio.

v. 14.

Quod dicit, congregandos homines ad diem magnum: diem magnum dicit totum tempus à Domini passione usque ad finem mundi. Iste enim dies quibus suavis est, & qui in eo voluptati & luxuriæ servientes lucra requirunt, in magnam miseriam convertuntur, quia implendum est in eis illud Propheticum, Væ desiderantibus diem Domini.

Amos 5. 18.

Per falsam enim & transitoriam dulcedinem præparant sibi æternam amaritudinem. Potest hoc loco dies magnus intelligi illa desolatio, quando à Tito & Vespasiano obsessa est Jerosolyma, ubi exceptis his qui in captivitatem ducti sunt, [a] quindecies centena millia mortua referuntur. Quod autem dicit, Congregavit illos in loco [b] Hermagedon, omnes inimicos Ecclesiæ intelligi voluit. Denique sequitur, & dicit, Circumdederunt castra sanctorum & civitatem sanctam dilectam: id est, Ecclesiam. Quod autem facta sunt tonitrua, & terræ motus factus est magnus, & facta est civitas magna in tres partes, civitas magna, omnis omnino populus intelligitur, ubi una pars paganorum, alia hæreticorum, tertia Christianorum, in qua sunt etiam hypocritæ. Cùm ex ista tertia parte separati fuerint boni, tunc illi qui sunt in Ecclesia ficti, illis duabus partibus juncti accipiunt judicium Dei: quod etiam in hoc tempore jam ex aliqua parte completur.

a Mss. undecies.

b Mss. Magedon.

Apoc.16.v.16

Apoc.20.v.8.

Apoc.16.v.18. & 19.

v. 21.

Tunc enim Babylon cadit, quando potestatem accipiunt mali, ut persequantur bonos qui sunt Ecclesiæ. Quòd autem grando magna sicut talentum descendit de cælo, in grandine ira Dei intelligitur: quæ etiam antequam dies judicij veniat, super impios & superbos spiritualiter intus in anima mittitur.

Apoc.17.v.3.

Mulierem meretricem, quam vidit in spiritu super bestiam sedentem in eremo. ideo dicit in eremo, quia in impiis, id est in anima mortuis sedeat & à Deo desertis. *In spiritu* dicit, quia non nisi spiritualiter videri potest hujusmodi desertio, quæ intus in anima fit. Meretrix, bestia, eremus unum sunt, quod totum Babylonia intelligitur. Bestia, ut jam dictum est, corpus est impiorum adversùs Agnum: in quo corpore nunc diabolus, nunc caput velut occisum, quod significat perfidiam hæreticorum, qui velut de morte Christi gloriari videntur, cùm tamen Christi Ecclesiam jugiter persequantur. Et quia non solùm hæretici vel pagani, sed etiam Catholici mali, id est superbi & impij eos, quos in Ecclesia mansuetos & humiles viderint, persequuntur, quantum possumus, Dei misericordiam deprecemur, ut & illos de tam malis actibus ad bonum corrigat, & nobis in bonis operibus felicem perseverantiam pro sua pietate concedat, Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit, & regnat, &c.

Homilia XIV.

Apoc.17.v.3.

Modo cùm divina lectio legeretur, fratres carissimi, audivimus beatum Johannem dixisse, *quia viderit mulierem sedentem super bestiam coccineam*, id est peccatricem, cruentam. *Plenam nominibus blasphemiæ:* Ostendit multa nomina esse in bestia, id est in populo impio, uti jam diximus. *Habentem capita septem, & cornua decem:* id est mundi reges & regnum, cum quibus diabolus visus est in cælo. *Et mulier*, id est omnis multitudo superborum, *erat circumdata purpurâ, & cocco, & ornata auro & lapide pretioso:* id est, omnibus illecebris simulatæ veritatis.

v. 4.

Apoc.17. 4.

Quid sit denique intra hanc pulcritudinem, sic exponit, dicens: *Et habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationum & immunditiarum fornicationis ejus.* Aurum immunditiarum hypocrisis est; qui à foris quidem parent hominibus quasi justi, intus autem sunt pleni omni immunditiâ.

Matth.23.28.

Apoc.17.v.5.

Et in fronte ejus nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ. Nulla est superstitio, quæ fronti det signum, nisi hypocrisis. Spiritus autem [c] retulit quid sit scriptum in fronte. Nam quis talem titulum apertè imponat? Mysterium enim dixit esse, quod interpretatus est dicens, *Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum & Martyrum Jesu.* Unum est enim corpus, quod adversatur Ecclesiæ intus ac foris, id est, in Ecclesia ficti Christiani, & extra Ecclesiam hæretici vel pagani. Quod licèt corpus videatur loco separatum, in persecutione tamen Ecclesiæ unitatem spiritus operatur.

c Editi, nō retulit, abest non à Mss.

Luc. 13. 33.

Impossibile est enim Prophetam perire præter Jerusalem interficientem Prophetas, id est, non potest fieri ut Christiani boni sine Christianis malis persecutionem aliquam patiantur. Sic [d] nepotes proavorum consensu, Zachariam lapidasse accusantur, cùm ipsi non fecerint.

d Mss. Petr. pronepotes.

Apoc.17.v.8.

Et bestia fuit & non est, & futura est, & adscensura de abysso, & in perditionem iræ Dei ibit: id est, ex populo nascetur, ut possit dicere: Bestia ex bestia, abyssus ex abysso. Quid est bestia ex bestia, & abyssus ex abysso, nisi populus malus nascens ex populo malo? Hoc fit dum filij mali parentes pessimos imitantur. Et adscendit superstes, & in perditionem vadit, sicut & patres sui, ex quibus adscendit. Et jam nunc sunt, quia aliis morientibus alij succedunt eis. Et sic numquam desunt, seu in paucis seu in multis, seu occultè sive quasi apertè, qui non ab initio semper insidientur Ecclesiæ. Quod autem dicit, mulierem sedentem super bestiam coccineam, peccatricem & cruentam plebem intelligi voluit. Quod autem dicit, circumdatam purpurâ & cocco, & ornatam auro & lapide pretioso, ostendit superborum & impiorum hominum plebem omnibus illecebris simulatæ veritatis repletam.

Repetit eadē quæ suprà.

v. 4.

Quod autem, poculum aureum habebat in manu sua plenum abominationum & immunditiarum fornicationis ejus, hypocritæ & ficti Christiani intelliguntur, qui à foris quidem parent quasi justi, intus autem pleni sunt omni immunditiâ.

Mat.23.28.

Apoc.17.v.5

Quod autem, in fronte habebat scriptum, Babylon mater fornicationum: nulla est superstitio quæ fronti det signum, nisi hypocrisis, id est, fingunt se bonos cùm sint mali.

v. 6.

Quod autem dixit, ebriam esse mulierem sanguine Sanctorum & Martyrum Jesu, unum corpus malorum intelligi voluit, quod semper adversatur Ecclesiæ intus & foris: quia & in Ecclesia sunt ficti Christiani, & extra Ecclesiam hæretici vel pagani. Et licet interdum corpore separentur, uno tamen animo in Ecclesiæ persecutione junguntur.

v. 8.

Quod autem dicit, *Bestia fuit & non est, & futura est, & adscensura de abysso*, hoc intelligitur, quòd ex populo malo nascatur populus malus, ut possit dici, Bestia ex bestia, abyssus ex abysso. Quid est bestia ex bestia, nisi populus malus nascens ex populo malo? Hoc fit dum filij mali parentes pessimos imitantur: ac sic dum aliis morientibus alij succedunt, numquam desunt sive in paucis, sive in multis, seu occultè, seu apertè, qui non ab initio semper insidientur Ecclesiæ. De quorum consortio quia corpore non possumus separari in hoc sæculo, oremus Dei misericordiam, ut sic moribus separemur, ne cum illis æterno supplicio pereamus, sed magis cùm illi audierint, Discedite à me maledicti in ignem æternum: nos audire mereamur Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: præstante Domino nostro Jesu Christo, Amen.

Mat 25.41.

Homilia XV.

Apoc.17.v.12

In lectione quæ recitata est, fratres carissimi, reges illos quos dixit quòd persequuntur Jerusalem, populi mali sunt, qui persequuntur Ecclesiam Dei: qui quasi reges appellantur, quia velut in somnis regnant. Omnis enim malus qui persequitur bonum, velut in somnis hoc facit: quia malorum omnium persecutio non permanebit, sed velut somnium evanescet, sicut Isaïas ait, Erunt velut somnians in somno divitiæ omnium gentium.

Isa. 29. 7.

Apoc.17.v.13

Hi unam sententiam habent: id est uno animo persequuntur bonos. Ideo dicit, *habent*; & non, habebunt: quia persecutio malorum non solùm adveniente die judicij erit, sed etiam in præsenti non desinit. *Et virtutem & majestatem suam diabolo dabunt:* Hoc ideo dicit, quia homines impij, ipsi videntur dare virtutem, quo instigante faciunt mala.

v. 14.

Hi cum Agno pugnant: id est usque in finem, donec sancti regnum omne percipiant, Ecclesiæ adversantur. *Et Agnus vincet eos:* id est utique, quia non permittit illos Deus tentari suprà id quod possunt. Ideo dicit, *Et Agnus vincet eos, quoniam Dominus dominorum est, & rex regum: & qui cum eo, vocati & electi & fideles*, id est, Ecclesia. Propterea autem dixit, *vocati & electi*, quia non omnes vocati sunt & electi: sicut Dominus ait, Multi vocati, pauci autem electi.

Math.20.16.

Apoc.17.v.15 & 16.

Et dixit mihi angelus, Vides aquas ubi mulier sedet, hæ & populus & turbæ sunt, & gentes & linguæ: & decem cornua quæ vidisti, hi odio habent meretricem, id est, mulierem illam. Meretrix est enim vita luxuriosa, quæ rapinis & voluptatibus agitur. Ideo dixit quòd odio habeant meretricem, quia homines luxuriosi, superbi, cupidi & elati, non solùm sanctos persequuntur: sed etiam seipsos odio habent. Et alio modo seipsos odio habent, in quibus impletur quod scriptum est, Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.

Psal. 10. 6.

Apoc. 17. 16.

Et desertam eam facient & nudam: Ipsi enim per iram Dei & justum judicium quo deseruntur ab eo, desertum faciunt mundum: dum ei dediti sunt & injustè utuntur. *Et carnes ejus edent.* Hoc ideo, quia se invicem secundùm Apostolum mordent & comedunt.

Gal. 5. 16.

Apoc.17.v.17.

Et propterea adjecit caussam dicens, *Deus enim dedit in corda eorum facere sententiam ejus:* id est, excitavit plagas, quas mundo jure meritóque irrogare decrevit. *Et dabunt regnum suum bestiæ, usque dum finiantur dicta Dei:* id est, homines mali diabolo obtemperant, donec impleantur Scripturæ, & veniat dies judicij.

v. 18.

Post hæc sequitur, *Mulier quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ:* id est, omnes mali & impij. Sic & de Ecclesia dictum est, Veni, ostendam tibi mulierem Agni: & ostendit mihi civitatem descendentem de cælo.

Apoc.21. 9.

Apoc. 18. v.1. & 2.

Postea vidi alium angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam: & terra illuminata est ad claritatem ejus. Et clamavit in fortitudine, dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est habitaculum dæmoniorum, & custodia omnis avis immundæ & inquinatæ. Numquid unius civitatis ruina potest omnes spiritus immundos capere, aut omnem avem immundam; aut eo tempore quo civitas ipsa ceciderit, totus mundus deseretur spiritibus & avibus immundis, & in unius civitatis ruina habitabunt? Nulla est civitas quæ omnem animam capiat immundam, nisi civitas diaboli, in qua omnis immunditia in hominibus malis, per totum orbem commoratur. Reges quos dixit, quòd persequantur Jerusalem, homines mali sunt, qui persequuntur Ecclesiam Dei: Qui vivit & regnat, &c.

Homilia XVI.

Quotiens Babyloniam nominari auditis, nolite civitatem de lapidibus factam intelligere; quia Babylonia confusio interpretatur: sed homines superbos, raptores, luxuriosos & impios in malis suis perseverantes ipsius nomen significare cognoscite: sicut è contrario quotiens nomen Jerusalem audieritis, quæ visio pacis dicitur, homines sanctos ad Deum pertinentes intelligite. Nam quia Babylonia malorum hominum imaginem gerit, ideo de eis in sequentibus dicit, *Quoniam ex vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ qui cum ea fornicati sunt:* id est, cum invicem. Non enim cum una meretrice omnes reges fornicari possunt,

Apoc.18.v.3.

sed

sed dum se luxuriosi, qui sunt meretricis membra, invicem corrumpunt, cum meretrice, id est luxuriosa conversatione fornicari dicuntur. Post hæc sequitur, dicens, *Et omnes mercatores terræ ex virtute luxuriæ ejus divites facti sunt:* Hoc loco divites peccatis dicit; nam nimietas luxuriæ pauperes potiùs quàm divites facit.

v. 4.

Et audivi, inquit, *aliam vocem de cælo dicentem, Exite de ea populus meus, ne communicetis peccatis ejus: & plagis ejus ne lædamini.* Hoc loco demonstrat Babyloniam in duas partes esse divisam: quia dum adspirante Deo convertuntur mali ad bonum, Babylonia dividitur; & pars illa quæ ab illa discesserit efficitur Jerusalem. Quotidie enim de Babylonia transferuntur ad Jerusalem, & de Jerusalem seducuntur ad Babyloniam, dum & mali convertuntur ad bonum, & qui videbantur in hypocrisi boni, manifestantur publicè mali.

Isa. 52. 11.

Denique bonis ita etiam per Isaiam Scriptura dicit, Exite de medio eorum, & immundum nolite tangere: exite de medio eorum, & separamini qui fertis vasa Domini. Hujus separationis Apostolus meminit, dicens, Firmum enim fundamentum Dei manet, & cognovit Dominus qui sunt ejus, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.

2.Tim. 2. 19.

Apoc. 18.4.

Sap. 4. 7.

Ne communicetis, inquit, *peccatis ejus, & plagis ejus ne lædamini:* Cùm scriptum sit, Quicumque morte occupatus fuerit justus, in refrigerio erit: quomodo particeps delicti esse potest justus, quem cum impio civitatis casus abstulerit? Nisi fortè quando de civitate diaboli, id est de conversatione luxuriosa & impia exeunt boni, si aliquis ex illis remanere & delectari voluptatibus Babyloniæ voluerit: hoc si fecerit, sine dubio plagæ ejus particeps erit. Quod autem totiens dixit, *Exite*, nolite hoc corporaliter, sed spiritaliter intelligere. De medio Babyloniæ exitur, quando conversatio mala deseritur. Nam & in una domo & in una Ecclesia & in una civitate simul sunt Babylonij cum Jerosolymitanis: & tamen quamdiu nec boni consentiunt malis, nec mali convertuntur ad bonos, & in bonis Jerusalem, & in malis Babylonia esse cognoscitur. Simul habitant corpore, sed longè divisi sunt corde; quia malorum conversatio semper in terris est, quia terram diligunt, & omnem spem suam & totam intentionem animi sui in terra constituunt; bonorum verò mens secundùm Apostolum semper in cælis est, quia quæ sursum sunt sapiunt.

Coloss. 3. 2.

Apoc.18.v.4. & 5. &c.

Exite, inquit, *de ea populus meus*, id est, de Babylonia: *ne communicetis peccatis ejus, & plagis ejus ne lædamini. Quoniam adscenderunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Deus iniquitatum ejus. Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate dupla secundùm opera ejus: in quo poculo miscuit, miscete illi duplum: quantum se clarificavit & indeliciavit, tantum date ei cruciatum, & luctum poculum* [a] *suum.* Hæc omnia Christianis bonis, id est Ecclesiæ dicit Deus: de Ecclesia enim exeunt in mundum plagæ visibiles & invisibiles. *Quoniam in corde suo dicit Babylonia*, id est, plebs omnium malorum vel superborum. *Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.*

a Sic Petr. codex: at editi, populo suo.

v. 8.

Propterea in una die venient plagæ ejus mors & luctus & fames; & igne concremabitur: Si una die morietur, & concremabitur, quis super istis lugebit mortuum, aut fames quanta esse potest unius diei? Sed diem dixit breve tempus vitæ præsentis, quo & spiritualiter & carnaliter affliguntur: nam super omnes superbos & voluptatibus deditos, majores plagæ in anima veniunt, quàm in corpore. Tunc enim majori plagâ percutiuntur, quando de suis se iniquitatibus extollentes, ita justo Dei judicio malum agere permittuntur, ut inter filios Dei flagellari non mereantur, sed impleatur in eis illud quod scriptum est, In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia eorum.

Psal. 72. 5.

Apoc.18.v.9.

b MS. Petr. judicavit.

Quoniam fortis Dominus Deus, qui [b] *judicabit eam. Et flebunt & plangent se super eam reges terræ, qui cum ea fornicati sunt:* Qui reges plangent eversam, si eam reges evertent? Sed quod est civitas, hoc & reges, qui eam plangent. Non luxuriæ malum quia cum ea peccant, agendo pœnitentiam plangunt; sed quia prosperitatem sæculi, per quam suis voluptatibus serviebant, perire cognoscunt: vel quia cessare incipiunt in eis ea, quæ per luxuriam antè placebant, luxuriosi invicem consumentur, *tamquam fumus instantis gehennæ, à longè stantes propter metum pœnæ ejus:* longè stantes non corpore, sed animo; dum unusquisque sibi timet, quod alterum per calumnias & per superborum potentiam pati videt.

v. 10.

Apoc. 18. 10.

Dicentes, Væ, væ civitas magna Babylon, civitas fortis, quoniam unâ horâ venit damnatio tua: Spiritus dicit nomen civitatis: verùm illi mundum plangunt, exiguo admodum tempore pœnæ interceptum, omnemque industriam labefactam cessisse.

v. 15. & 16.

c Ms. Petr. pardorum.

Et equorum & rhedarum & [c] *porcorum mercatores qui ditati sunt ab ea, longè stabunt flentes & dicentes, Væ, væ civitas magna:* Ubicumque spiritus ditatos dicit ab ea, peccatorum divitias significat. *Induta byssino, & purpurâ, & cocco, & ornata auro & lapide pretioso ac margaritis:* Numquid civitas induitur bysso aut purpurâ, & non homines? Ipsi itaque se plangunt, dum supradictis spoliantur.

v. 17. & 18.

Et omnis gubernator, & omnis qui navibus navigat, & nautæ, & quotquot mare operantur, à longè steterunt, & clamaverunt videntes fumum ignis: Numquid omnis gubernator & nautæ quotquot operantur mare, adesse potuerunt ut viderent incendium unius civitatis? Sed omnes sæculi amatores & operarios iniquitatis dicit timere sibi, videntes spei suæ ruinam.

Apoc. 19. 19.

Post hæc ait, *Et vidi bestiam & reges terræ & exercitus eorum:* In bestia diabolum significat: in regibus terræ & in exercitu, omnem populum ejus. *Congregatum facere bellum cum sedente super equum* [d], *& cum exercitu ejus*, id est cum Christo & Ecclesia.

d MS. Petr. addit, album

Apoc.20.v.1.

Et vidi alium angelum descendentem de cælo: Dominum Christum dicit in primo adventu. *Habentem clavem abyssi*, id est potestatem populi. Abyssum enim populum malum vult intelligi. *Et catenam magnam in manu sua:* hoc est, potestatem dedit Deus in manu ejus.

v. 2.

Et tenuit draconem, anguem antiquum, qui est diabolus & satanas, [[e] *& ligavit eum annos mille:* primo utique adventu, sicut ipse dicit, Quis potest introire in domum fortis & vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem? Cùm enim excludit diabolum de populo credentium, mittit eum in abyssum, id est in populum malum: quod & invisibiliter ostendit, cùm eos de hominibus ejiciens in porcos, qui in abyssum mergendi erant, ire permittit: quæ res maximè in hæreticis adimpletur.

e Ita vetus cod. Petrensis: at editi detractis sedecim versibus subsequentem Homiliam cum ista confundunt.

Homilia XVII.

Ea quæ de lectione Apocalypsis nunc audivit caritas vestra secundùm vestram consuetudinem animo adtento suscipite. Dixit enim beatus Johannes Ev. se vidisse cælum apertum, *Et ecce equus albus & sessor ejus vocatur fidelis & verus, & oculi ejus ut flamma ignis, & super caput ejus erant diademata multa:* In illo enim est multitudo coronatorum.

Apoc. 19. v. 11. &c.

v. 12.

Habens nomen scriptum, quod nemo scit nisi ipse. Ipse utique & quæ in illo est omnis Ecclesia.

v. 13.

Et circumdatus est veste sparsa sanguine: vestimentum Christi Ecclesia, est quam induit: hæc est passionum sanguine variata. *Et dicitur nomen ejus sermo Dei.*

v. 14.

Exercitus qui sunt] in cælo sequebantur eum in equis albis, id est, Ecclesia in corporibus candidis imitatur eum, sicut suprà dictum est, Hi sunt qui sequuntur Agnum, quocumque ierit. *Induti albo byssino mundo*, quo definivit justa sanctorum facta:

v. 15.

Et ex ore ejus procedit gladius bis acutus: Ipse est de quo defenduntur justi, puniuntur injusti. *Ut in eo percutiat gentes: & ipse reget eas in virga ferrea. Ipse calcat torcular vini indignationis iræ Dei omnipotentis.* Calcat etiam nunc, quando malos permittit facere malum, & dimittit eos in voluptatibus suis: & postea extra civitatem, id est extra Ecclesiam calcabit, cùm eos qui non egerint pœnitentiam, gehennæ ignibus tradet. *Hic habet in vestimento, & super femur suum scriptum nomen, Rex regum & Dominus dominorum.* Hoc est nomen quod nemo superborum cognoscit: quia Ecclesia serviendo, in Christo regnat, & dominatur dominantium, id est, vincit vitia & peccata. Femur autem posteritas est, sicut illud, Non deficiet princeps de femoribus Juda.

Gen. 49. 10.

Et Abraham, ne posteritas ejus alienigenis misceretur, inter se servumque suum, certum testimonium femur adhibet. *Et vidi*, inquit, *angelum stantem in sole*, id est, [f] prædicatorem in Ecclesia.

f Mss. prædicationem.

Apoc.19.v.17.

Et clamavit voce magna dicens omnibus avibus, quæ volant in medio cæli: Aves vel bestias pro loco accipimus bonas & malas, sicut est illud, Benedicent me bestiæ agri: &, Leo de tribu Juda: hoc ergo in loco aves volantes in medio cæli, Ecclesias dicit, quas in unum corpus redigens dixerat aquilam volantem in medio cæli.

Isa. 43. 20.

Apoc. 5. 5.

Apoc.19. 18.

Venite, congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes regum, & carnes tribunorum & fortium, & carnes equorum & sedentium super eos, & carnes omnium liberorum & servorum & pusillorum & magnorum. Omnes enim gentes, quando in Christo credentes Ecclesiæ incorporantur, spiritualiter ab Ecclesia comeduntur.

Apoc. 20. 3.

Et post hæc de diabolo ait, *Et clausit & signavit super eum, ne seducat nationes: usque dum finiantur mille anni:* Isti intelliguntur mille anni, qui ab adventu Domini nostri aguntur. In istis ergo Dominus diabolo interdixit ne seducat nationes, sed quæ in vitam destinatæ sunt, quas antea seducebat, ne Deo reconcilientur. *Post hæc oportet eum solvi modico tempore*, id est tempore Antichristi, cùm revelatus fuerit homo peccati, cùm acceperit totam persequendi potestatem, qualem non accepit ab initio. Mille annos dixit, partem pro toto. Hîc reliquias mille annorum sexti diei, in quo natus est Dominus & passus, intelligi voluit.

Apoc.18.v.19. & 20.

Post hæc ait, *Væ, væ civitas illa magna, in qua ditati sunt omnes illi qui habebant naves in mari; quoniam unâ horâ deserta est. Exsulta cælum super eam, & sancti & Apostoli & Prophetæ:* Numquid sola Babylonia civitas in omni mundo persequitur aut persecuta est Dei servos, ut ipsâ exstinctâ universi vindicentur? In toto enim mundo est Babylonia in malis hominibus, & in toto mundo persequitur bonos.

v. 21.

Et tulit unus angelus lapidem, ut molam magnam, & misit in mare, dicens, Sic impetu dejicietur illa Babylon civitas magna: Ideo Babyloniam velut molam magnam dicit projectam, quia omnes amatores mundi revolutio temporum sicut mola conterit, & in gyro mittit, de quibus scriptum est, In circuitu impii ambulant. Quorum infelix occupatio semper quasi incipit.

Psal. 11. 9.

Apoc. 18. 22.

Et non invenietur ampliùs: & vox citharœdorum & musicorum & tibicinum & fistulatorum non audietur in ea ampliùs: Jocunditatem dicit transire impiorum, & jam non inveniri.

v.23. & 24.

Et adjecit caussam, dicens, *Quoniam mercatores tui erant maximi terræ:* id est, quoniam in vita tua percepisti bona. *Quoniam in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes, & sanguis Prophetarum & Sanctorum inventus est omnium à te occisorum super terram:* Numquid eadem civitas occidit Apostolos, quæ & Prophetas & omnes reliquos Martyres? Sed hæc est civitas omnium superborum, quam Caïn fratris sui sanguine fundavit, & vocavit nomen ejus nomine filij sui Enoch, id est posteritatis: quia omnes mali, in quibus est Babylonia, succedentes sibi, usque ad finem mundi persequuntur Ecclesiam Dei.

Gnesf. 4. 17.

In civitate ergo Caïn funditur omnis sanguis justus à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, id est, populi & sacerdotis, inter templum & altare, id est, inter populum & sacerdotes. Hoc ideo dictum est, quia non solùm populi, sed etiam sacerdotes conspiraverunt in mortem Zachariæ. Inter templum, inquit, & altare: In altari intelliguntur sacerdotes, in templo populi significati sunt: alia enim caussa loci nominandi non fuit. Hæc est civitas quæ interficit Prophetas, & lapidat missos ad se. Hæc est civitas quæ sanguine struitur, sicut scriptum est, Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & parat civitatem in injustitiis.

Matt. 23. 35.

Habacuc. 2. 12.

Apoc.19.v.11. &c.

Rursus tractat eadem quæ suprà.

In equo albo, de quo suprà dictum est, Ecclesiam intellige. In sessore ejus, Christum Dominum recognosce. Quod autem dixit, *Habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse*, ipse utique, & quæ in illo est, omnis Ecclesia. *In veste sanguine sparsa*, Martyres qui sunt in Ecclesia, intelligendi sunt. Quod autem, *exercitus qui est in cælo, sequebatur eum in equis albis*, Ecclesia est in corporibus candidis. In gladio bis acuto, potestas Christi intelligitur, de qua defenduntur justi, puniuntur injusti. *In virga ferrea*, justitia ejus cognoscitur, de qua erudiuntur humiles, superbi tamquam vasa figuli confringuntur. Quod autem dixit, *Ipse calcat torcular vini iræ Dei omnipotentis:* Calcat enim etiam nunc, quando malos permittit ut persequantur bonos, & dimittit eos in volupta-

tibus suis, sed postea retribuet, quando eos qui non egerint pœnitentiam, mittet in gehennam. Angelum stantem in sole, prædicationem in Ecclesia intellige. Ideo enim Ecclesia soli comparatur, Matt. 13. 43. quia de ea scriptum est, Tunc justi fulgebunt sicut sol, in regno Apoc. 19. v. 17 patris eorum. Quod autem, clamavit omnibus avibus, quæ volant in medio cœli, aves illæ Ecclesia intelligitur. Quod autem dictum v. 18. est, *Congregamini ad cœnam magnam, ut manducetis carnes regum & carnes tribunorum*, hoc in Ecclesia fieri in veritate cognoscimus. Nam quando omnes gentes Ecclesiæ incorporantur, spiritaliter comeduntur: & qui devorati à diabolo erant corpus diaboli, suscepti ab Ecclesia membra efficiuntur Christi. Quod autem de Apoc. 20. 3. diabolo dixit, *Et clausit & signavit super eum, ne seducat nationes, usque dum finiantur mille anni*: sicut dictum est, isti mille anni à passione Domini aguntur, in quibus non permittitur diabolo facere 1. Cor. 10. 3. quantum vult; quia non permittit Deus tentari servos suos supra Apoc. 20. 23. id quod possunt sustinere. Quod autem postea modico tempore solvendus est, tempus Antichristi designatur, in quo majorem potestatem sæviendi diabolus accepturus est. Quod autem dicitur, *Væ, væ civitas magna*, Apoc. 18. v. 16 Babylonia intelligitur. Sciendum tamen est, quòd non sola civitas Babylonia persequitur sanctos, ut ipsâ exstinctâ universi vindicentur. In toto enim mundo est Babylonia in malis hominibus, & in toto mundo persequitur bonos. Quod autem lapidem grandem velut molam misit angelus in mare, dicens, v. 21. *Sic* [a] *mittetur Babylonia*: ideo velut molam dicit Babylonem, quia amatores mundi revolutio temporum sicut mola conterit & in gyro mittit. Quod autem dixit, v. 23. *In veneficiis tuis erraverunt omnes gentes, & sanguis Prophetarum inventus est omnium à te occisorum super terram*: Non enim in una civitate occisi sunt Apostoli & Prophetæ aut reliqui Martyres: sed hæc est civitas superborum, quæ in toto mundo persequitur sanctos. Ipsa est civitas, quam Caïn fratris sui Genes. 4. 17. sanguine fundavit, & vocavit nomine filij sui Enoch, id est, posteritatem: quia omnes mali in quibus Babylonia est, succedentes sibi usque ad finem mundi persequuntur Ecclesiam Dei. De quorum persecutione nos Dominus per suam misericordiam liberare dignetur, Qui cum Patre & Spiritu-sancto, &c.

[a] Mss. mergetur.

Homilia * XVIII.

* aliàs XVII.

IN lectione quæ recitata est, fratres carissimi, beatus evangelista Johannes sic ait: Apoc. 19 v. 1. & 2. &c. *Audivi vocem magnam populi multi in cælo dicentium, Halleluia, Salus & claritas & virtus Deo nostro; quoniam vera & justa judicia ejus, quoniam judicavit meretricem illam magnam, quæ corrupit terram fornicatione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus. Et iterum dixerunt Halleluia*: Hæc vox est Ecclesiæ, cùm discessio facta fuerit, & cùm ab ea exierint omnes mali æterno incendio concremandi. *Et fumus eorum adscendit in sæcula sæculorum.* Audite fratres, & expavescite, & pro certo cognoscite, quia Babylonia & meretrix, quorum fumus adscendit in sæcula sæculorum, non intelliguntur nisi homines cupidi, adulteri & superbi. Et ideo si vultis hæc mala evadere, nolite tam gravia peccata committere. *Et fumus*, inquit, *eorum adscendit*: Numquid enim visibilis civitatis exustæ fumus in sæcula sæculorum adscendit, & non hominum in superbia perdurantium? *Adscendit* autem; & non, *adscendet*: semper enim etiam in præsenti sæculo in perditionem vadit. Babylon autem crematur ex parte, sicut Jerusalem in illis sanctis qui de sæculo migrant, transit in paradisum, Luca 16. 19 Domino manifestante in paupere & divite. Apoc. 19. 6. & 7. &c. *Et audivi ut vocem populi multi & ut vocem aquarum multarum, & ut vocem tonitruorum fortium, dicentes, Halleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens: gaudeamus, & exsultemus, & glorificemus nomen ejus; quoniam venerunt nuptiæ Agni, & mulier ejus paravit se*: Mulier Agni Ecclesia est. *Et datum est ei ut operiatur byssino splendido mundo, Byssinum enim justa facta sanctorum sunt*: id est, datum est ei factis suis indui, sicut scriptum est, Psal. 131. 9. Sacerdotes tui induantur justitiâ. *Hi*, inquit, *omnes vixerunt & regnaverunt cum Christo mille* Apoc. 20. v. 4 *annis*: id est, in præsenti sæculo. Et rectè dixit, *omnes & superstites & animæ* [b] *justorum*: id est, & qui adhuc in hoc mundo vivunt, & qui jam de hac vita migraverunt, regnant cum Christo. *Regnaverunt* profectò dixit, sicut, Diviserunt vestimenta mea sibi. Nam dicturus erat, Regnabunt. Ut ostenderet autem quòd in hac vita isti mille anni sunt, ait, *Hæc est resurrectio prima.* v. 5. Ipsa est enim qua resurgimus per baptismum, sicut Apostolus dicit, Colos. 3. 1. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Et iterum, Tamquam ex mortuis viventes. Peccatum enim mors est, sicut dicit Apostolus, Ephes. 2. 1. Cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris. Et sicut prima mors in hac est vita per peccatum, ita & prima resurrectio in hac Apoc 20. v. 6. est vita per remissionem peccatorum. *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima*: id est, qui servaverit quod in baptismo renatus accepit. *In hoc secunda mors potestatem non habet*: id est, æterna tormenta non sentiet. *Sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annos.* Retulit spiritus cùm hæc scriberet, regnaturam Ecclesiam mille annos in hoc sæculo usque ad finem mundi. Manifestum est quòd dubitari non debeat de perpetuo regno, cùm etiam in præsenti sæculo sancti regnent. Bene enim regnare dicuntur, qui cum Dei adjutorio etiam inter ipsas pressuras mundi & se & alios bene regunt. v. 7. *Et cùm finiti fuerint mille anni, solvetur satanas de custodia sua*: Finitos dixit, à toto partem. Nam sic solvetur, ut supersint anni tres & menses sex novissimi certaminis temporibus Antichristi. *Et exiet seducere nationes quæ sunt in quatuor angulis terræ.* A parte totum dicit: nam non omnes seduci possunt. Superbi tantummodo seducuntur & impij: quia veri & humiles Matt 20. 16. Christiani non seducuntur. Multi namque vocati, pauci electi. Apoc. 20. v. 8. *Et adscenderunt diabolus & populus ejus in altitudinem terræ*: id est, in elationem superbiæ. *Et circumdederunt castra sanctorum & dilectorum civitatem*: id est, Ecclesiam. Hoc est, quod suprà dixit collectos in Armagedon. Non enim ex quatuor angulis terræ potuerunt in unam civitatem congregari: sed in ipsis quatuor angulis

[b] Mss Petr. sanctorum.

A unaquæque gens congregabitur in obsidionem sanctæ civitatis, id est, in persecutionem Ecclesiæ. *Et descendit ignis de cælo à Deo*: id v. 9. est de Ecclesia. *Et comedit eos*: Dupliciter hoc loco intelligitur ignis: aut enim per ignem sancti Spiritus credunt in Christum, & spiritualiter comeduntur ab Ecclesia, id est, incorporantur Ecclesiæ; aut peccatorum suorum igne comeduntur, & pereunt. v. 10. *Et diabolus seducens ipsos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta*: Pseudoprophetæ intelliguntur aut hæretici aut ficti Christiani. Ex quo enim passus est Dominus, moritur bestia & pseudoprophetæ, & in ignem mittuntur, usque dum finiantur mille anni ab adventu Domini. *Et punientur die ac nocte in sæcula* v. 12. *sæculorum. Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ uniuscujusque*: Libros apertos Testamenta Dei dicit, secundùm enim B utrumque Testamentum judicabitur Ecclesia. Librum uniuscujusque vitæ, memoriam dicit gestorum nostrorum, non quòd librum habeat commemoratorium occultorum cognitor. *Et judicati sunt mortui ex his ad quæ scripta sunt in libris secundùm opera sua*: id est, ex Testamentis judicati sunt, secundùm quod Dei præcepta aut fecerunt, aut non fecerunt. *Et dedit mare mortuos suos*: eos quos hîc judicij dies inveniet vivos, ipsi sunt mortui maris: quia hoc sæculum v. 13. mare est. *Mors & infernus dederunt mortuos suos*: id est, eos qui in v. 14. sepulcris inveniendi sunt in die judicij. *Mors & infernus missi sunt in stagnum*: Mortem & infernum diabolum dicit & populum ejus. v. 15. *Et si qui non est inventus scriptus in libro vitæ*: & qui voluptatibus suis dimissus, per temporaneam examinationem in hoc sæculo non meruit judicari à Deo dum viveret, *missus est in stagnum ignis*, Apoc. 21. v. 1. & 2. &c. *Et vidi C cælum novum & terram novam. Primum enim cælum & prima terra abierunt, & mare jam non est. Et civitatem sanctam Jerusalem novam vidi, descendentem de cælo à Deo, compositam sicut sponsam, & ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de cælo dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum ipsis, & ipsi erunt populus ejus, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus: & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors nôn erit ampliùs, & luctus non erit.* Hoc totum de gloria Ecclesiæ dixit, qualem habebit post resurrectionem. v. 5. &c. *Et dicit, Scribe, quoniam sermones isti fideles & veri sunt. Et dixit mihi, Ego sum α, & ω, initium & finis: Ego sitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis*, id est cupienti remissionem peccatorum per fontem baptismi. v. 7. &c. *Qui vincit, possidebit hæc, & ero ejus Deus, & ipse erit meus filius. Timidis autem & incredulis, & exsecrabilibus, & homicidis, & veneficis, & idolorum cultoribus, & omnibus mendacibus pars erit in stagno ardente igne & sulphure, quod est mors secunda.* D Quod supra dictum est, Apoc. 19. v. 2. *Judicavit meretricem illam magnam, quæ corrupit terram in fornicatione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus*: Hæc vox est Ecclesiæ, cùm ab ea in die Redit ad superiora. v. 3. judicij exierint omnes mali, æterno incendio concremandi. *Et fumus eorum adscendit in sæcula sæculorum.* Non enim visibilis civitatis fumus adscendit in sæcula sæculorum, sed hominum in superbia perdurantium. Quod autem dicit, *Quia venerunt nuptiæ agni*, v. 7. de Christo intelligitur, & de Ecclesia. Quod verò eam dicit, Ibid. v. 8. opertam bysso, in bysso opera justa sanctorum intelliguntur, quibus justi vestiuntur, secundùm quod dictum est, Psal. 131. 9. Sacerdotes tui induantur justitiâ. Quod autem dicit, eos regnasse mille annos, Apoc. 20. 4. præsens tempus intelligitur, in quo sancti justè regnare dicuntur, quia se ita cum Dei adjutorio regunt, ut à peccatis vinci non possint. Et ut E hoc evidenter ostenderet, secutus ait: Apoc. 20. v. 5. *Hæc est prima resurrectio.* [[c]Prima enim resurrectio, qua à morte peccati ad vitam justitiæ animæ resurgunt, toto nunc tempore agitur: secunda verò qua de terræ pulvere, ad vitam corpoream redeunt, in futurum exspectatur.] Ipsa est enim qua resurgimus per baptismum. Quia sicut prima mors in hac vita est per peccatum, ita & prima resurrectio per remissionem peccatorum. v. 6. *Beatus & sanctus qui habet in resurrectione prima partem*, id est, qui servaverit, quod in baptismo renatus accepit. Quod autem dicit, regnaturam Ecclesiam mille annos, in hoc sæculo intelligitur usque in finem mundi. Unde manifestum est quod dubitari non debeat de perpetuo regno, cùm etiam in præsenti sæculo sancti regnent. Rectè enim regnare dicuntur, qui cum Dei adjutorio, etiam inter ipsas pressuras mundi, & se & alios bene regunt. Quod autem de diabolo dicit, Ibid. v. 7. *quia seducit nationes quæ F sunt in quatuor angulis terræ*, à parte totum intelligitur. Nam soli mali seducuntur, secundùm illud, Matth. 10. 16 Multi vocati, pauci electi. Quod autem dicit, Apoc. 20. 8. quia *diabolus & angeli circumdederunt castra sanctorum, & civitatem dilectorum*. Non enim potuerunt ex quatuor angulis terræ in unam civitatem congregari, sed in ipsis quatuor angulis unaquæque gens congregatur in persecutionem Ecclesiæ. Quod autem dicit, Apoc. 20. 9. *Cecidit ignis de cælo & comedit eos*, dupliciter intelligitur: aut enim per ignem sancti Spiritus spiritualiter comeduntur, dum Ecclesiæ incorporantur; aut si ad Deum converti noluerint, peccatorum suorum igne comeduntur, & pereunt. Quod autem dicit, libros apertos esse, Ibid. v. 12. Testamenta Dei intelligi voluit. Secundùm enim utrumque Testamentum judicabitur Ecclesia. Librum verò vitæ uniuscujusque, memoriam dicit gestorum nostrorum, quia in die judicij nihil latebit, nec ullus poterit abscondere G peccata vel crimina sua. Quod dicit, quia *mare dedit mortuos suos*, eos dicit, quos in hoc mundo vivos invenerit adventus Christi. Ipsi sunt mortui maris, quia hoc sæculum mare est. Quod dicit, *Mors & infernus dederunt mortuos suos*, illi intelliguntur, qui in sepulcris inveniendi sunt in die judicij. *Et mors & infernus missi sunt in stagnum ignis.* Hoc loco mortem & infernum, diabolum & populum ejus intelligi voluit, qui voluptatibus suis dimissus, per temporaneam examinationem non meruit judicari. Post hæc expositâ Ecclesiæ gloriâ adjungit & dicit: Apoc. 21. 6. *Ego sitienti dabo ex fonte vitæ aquæ gratis*, id est, cupienti remissionem peccatorum per fontem baptismi. *Qui vincit, possidebit hæc, & ero ejus Deus, & erit meus filius*; Quod ipse præstare dignetur, qui cum Deo Patre, &c.

[c] Hæc absunt à ms. Belgico.

Homilia * XIX.

* aliàs XVIII.

SICUT modò audivimus, fratres carissimi, locutus est Angelus Apoc. 21. v. 9. Domini ad beatum Johannem dicens: *Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni.* v. 10. *Et abstulit me in spiritu supra montem magnum & altum*: Montem Christum dicit. *Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cælo à Deo*: Hæc est Ecclesia, civitas in monte constituta, sponsa Agni. Ipsa enim civitas tunc in monte est Luc. 15. 5. constituta, quando in humeris pastoris, tamquam ovis ad ovile proprium revocata est. Si enim alia est Ecclesia, alia civitas descendens de cælo, erunt duæ sponsæ, quod omnino fieri non potest. Et hanc enim civitatem sponsam dixit Agni. Unde manifestum est ipsam esse Ecclesiam, Apoc. 21. v. 11. quam sic describit, dicens, *Habentem claritatem Dei. Luminare ejus simile lapidi pretiosissimo.* B Lapis pretiosissimus Christus est. v. 12. *Habentem murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & super portas Angelos duodecim.* Ostendit duodecim portas & duodecim Angelos, Apostolos esse & [a] Prophetas: quoniam, sicut scriptum est, coædificati sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum: Ephes. 2. 20. sicut & Dominus dixit Petro, Matth. 16. 18. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Apoc. 21. v. 13. *Ab Oriente portæ tres, ab Aquilone portæ tres, ab Austro portæ tres, ab Occidente portæ tres*: & quia civitas ista quæ describitur, Ecclesia est toto orbe diffusa, ideo per quatuor partes civitatis ternæ portæ esse dicuntur, quia per totas quatuor partes mundi Trinitatis mysterium in Ecclesia prædicatur. v. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & super ea duodecim nomina Apostolorum Agni.* Quod sunt portæ, hoc fundamenta: quod civitas, hoc murus, hoc supellex. C v. 15. *Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream*: In arundine aurea, homines Ecclesiæ ostendit, fragili quidem carne, sed aurea fide fundatos: sicut dicit Apostolus, 2. Cor. 4. 7. Habentes thesaurum in vasis fictilibus. Apoc. 21. v. 18 *Et supellex muri & civitas aurum mundum, simile vitro mundo*: Ecclesia enim aurea est, quia fides ejus velut aurum splendet; sicut septem candelabra, & ara aurea, & phialæ aureæ; hoc totum Ecclesiam figuravit. Vitrum autem ad puritatem fidei retulit, quia quod foris videtur, hoc est & intus, & nihil est simulatum, sed totum perspicuum in sanctis Ecclesiæ. v. 19. &c. *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso. Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium Chalcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonyx, sextum sardius, septimum Chrysolithus, octavum berillus, nonum topazius, decimum Chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethystus*: D Ideo diversitatem gemmarum, in fundamentis nominare voluit, ut dona diversarum gratiarum, quæ Apostolis data sunt, demonstraret: 1. Cor. 12. 11. sicut de Spiritu-sancto dictum est, Dividens singulis prout vult. Apoc. 21. v. 21. *Et duodecim margaritæ singillatim: & unaquæque porta erat ex una margarita*: Et in istis margaritis, sicut dictum est, Apostolos designavit; qui ideo portæ dicuntur, quia per v. 22. doctrinam suam æternæ vitæ januam pandunt. *Et platea civitatis aurum mundum, ut vitrum perspicuum: & templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templum ejus est & Agnus.* Isa. 60. 19. Hoc ideo, quia in Deo est Ecclesia, & in Ecclesia Deus. Apoc. 21. v. 23. *Civitas non indiget Sole neque Lunâ, ut luceant in ea*: quia non lumine aut elementis mundi regitur Ecclesia, sed Christo æterno Sole deducitur per mundi tenebras. Johan. 8. 12. *Claritas enim Dei illuminavit eam: & lucerna ejus Agnus est*: Johan. 1. 9. ipso dicente, Ego sum lumen mundi: & iterum, E Ego sum lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Apoc. 21. v. 24 &c. *Ambulabunt gentes in lumine ejus*, usque in finem. *Et reges terræ afferent gloriam*: Reges terræ, filios Dei dicit. *Et portæ ejus non claudentur die. Nox enim ibi non est*: usque in æternum. *Et inferent gloriam & honorem gentium*: in Christo utique credentium. *Et non introibit in eam omne immundum, aut faciens abominationem & mendacium, nisi scripti in libro vitæ Agni.* Apoc. 22. v. 1. *Et ostendit mihi flumen aquæ, sicut crystallum, exiens à throno Dei & Agni, in* v. 2. *medio plateæ ejus*: Fontem baptismi ostendit in medio Ecclesiæ, venientem à Deo & Christo. Nam quale decus civitatis esse potest, si flumen per medium plateæ ejus ad impedimentum habitantium descendat? *Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ faciens fructus duodecim per singulos menses, & reddens fructum suum*: F Hoc de cruce Domini dixit. Nullum est lignum quod omni tempore fructificet, nisi crux quam gestant fideles, qui rigantur aquâ Ecclesiastici fluminis, & reddunt fructum perpetuum omni tempore. *Et thronus Dei & Agni in ea erit*: utique à nunc in sæcula. *Et servi ejus servient ei, & videbunt faciem ejus*: Johan. 14. 9. sicut dicit, Qui me vidit, vidit & Patrem: Matth. 5. 8. &, Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. *Et nomen ejus in*

[a] Mss. Patriarchas.

A *frontibus eorum. Et nox non erit ampliùs, & non egebunt lumine lucernæ, & lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit super eos, & regnabunt in sæcula sæculorum*: Apoc. 22. v. 5. &c. Omnia ista à Domini passione cœperunt. *Et dixit mihi Angelus, Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus enim propè est. Qui injustus est, injusta faciat adhuc, & sordidus sordescat adhuc*: Isti sunt propter quos dixerat, Signa quæ locuta sunt septem tonitrua. *Et justus justitiam faciat adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc*: Isti sunt propter quos dixit, Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus. Ac sic Scripturæ divinæ omnibus superbis, & plus mundum quàm Deum amantibus signatæ sunt: humilibus autem & timentibus Deum apertæ sunt. v. 12. &c. *Ecce venio citò, & merces mea mecum, reddere unicuique secundùm opera ejus. Ego sum α & ω, primus & novissimus, initium & finis. Beati qui servant mandata hæc, ut sit potestas eorum super lignum vitæ, & per portas in-* B *trent in civitatem*: Qui enim non servant mandata, non per portas intrant, sed alia parte. In istis signatus est liber, de quibus sequitur & dicit, Apoc. 22. v. 15 &c. *Foris canes & venefici & fornicarij & homicidæ & idolorum cultores, & omnis amans & faciens mendacium. Ego Jesus misi Angelum meum testari vobis hæc in Ecclesiis: Ego sum radix & genus David, stella splendida matutina. Spiritus & sponsa dicunt, Veni*: utique sponsus & sponsa, Christus & Ecclesia. *Qui sitit, veniat, qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*: id est, baptisma. *Testor ergo omnem audientem sermones prophetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad ea, apponat super eum Deus plagas scriptas in hoc libro: & si quis demserit de sermonibus prophetiæ hujus, demet Deus partem ejus à ligno vitæ & ex civitate sancta; scripta in libro.* Hoc dicit qui testificatur hæc propter falsatores sanctarum Scripturarum: non propter eos C qui simpliciter quod sentiunt, dicunt. v. 20. *Etiam venio citò.* Mons altus, in quo sanctus Johannes adscendisse se dixit, [b] spiritus intelligitur. In civiate Jerusalem, quam se ibi vidisse dixit, Ecclesia significata est. Quod in Evangelio ipse Dominus ostendit, quando dixit, Non potest civitas abscondi supra montem posita. Repetit superiora. Quod autem dicit, habere eam lumen simile lapidi pretiosissimo, in illo lapide Christi claritas demonstratur. In duodecim portis & in duodecim Angelis, Apostoli intelliguntur & Patriarchæ, secundùm illud, Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum: Et quia civitas quæ describitur, Ecclesia est toto orbe diffusa, ideo per quatuor partes ejus propter Trinitatis mysterium ternæ portæ esse dicuntur. In arundine aurea, homines Ecclesiæ ostendit, fragili quidem carne, sed aurea fide fundatos, propter illud Apostoli; Habentes thesaurum istum in vasis fictilibus. D Quod dicit civitatem auream, aram auream, & phialas aureas, Ecclesia est propter fidem rectam. In vitro autem puritas fidei ipsius significata est. Quod autem nomina diversarum gemmarum in fundamentis nominare voluit, dona diversarum gratiarum, quæ Apostolis data sunt, demonstravit. In illis autem margaritis Apostolos designavit, qui ideo portæ dicuntur, quia per doctrinam suam æternæ vitæ januam pandunt. Quod autem dicit, Apoc. 21. 22. *quia templum non vidi in ea, quia Dominus omnipotens templum ejus est, & Agnus*, hoc ideo, quia Deus est in Ecclesia, & Ecclesia in Deo. Quod verò dicit, *quia civitas non indiget Sole neque Lunâ*: hoc ideo, quia non visibili sole Ecclesia, sed Christi æterno lumine inter tenebras mundi istius spiritualiter illuminatur, sicut ipse dicit, Ego sum lumen mundi. Reges terræ, filios Dei, id est, Christianos intelligi voluit. In flumine aquæ, sicut E crystallum, fontem baptismi in medio Ecclesiæ venientem à Deo & Christo. Quod autem dixit, Apoc. 22. v. 2. *Lignum juxta fluvium duodecies per singulos menses dare fructum*, crux intelligitur, quæ per totum mundum non solùm omnibus mensibus, sed etiam omnibus diebus, in his qui baptizantur, exhibet fructum Deo. Quod autem dicit, v. 5. *Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum*: Omnia ista à Domini passione cœperunt. Quod verò in superiori parte libri dixit, *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua*: propter eos dixit, de quibus ait: v. 11. *Ut sordidus sordescat adhuc, & qui injustus est, injusta faciat adhuc.* Illud autem quod ait, *Ne signaveris verba prophetiæ*, propter sanctos & justos intelligi voluit. Ac sic Scripturæ divinæ omnibus superbis, & plus mundum quàm Deum amantibus signatæ sunt, humilibus autem & Deum timentibus aper- F tæ. Et quia sic concludit Apocalypsis Johannis Evangelistæ, ut dicat, *Ecce venio citò*: oremus ut secundùm suam promissionem Dominus Jesus Christus ad nos venire, & per suam misericordiam de carcere nos mundi istius liberare, & ad suam beatitudinem pro sua pietate perducere dignetur: Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

[b] Mss. Petr. Christus.

Appendicis Tomi tertij finis.

PRIVILEGE DV ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre à nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, grand Conſeil, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien amé le Superieur general de la Congregation de ſaint Maur, Ordre de ſaint Benoiſt, nous a fait tres-humblement remonſtrer que ſaint Auguſtin eſtant conſideré depuis plus de douze ſiecles entre les Peres de l'Egliſe comme le ſoleil entre les planetes, & ſa doctrine ſuivie tant par les Conciles, que par ceux qui ont depuis eſcrit, ſoit pour combattre les hereſies, reſtablir la diſcipline eccleſiaſtique, ou pour conſerver la pureté des mœurs, pluſieurs grands perſonnages ont porté leurs ſoins pour purger les œuvres de ce ſaint Docteur des fautes que la negligence de ceux qui les ont tranſcrites ou imprimées, y ont fait gliſſer, & entre tous, les Religieux Benedictins ont eſté les plus attachez à en faire exactement les corrections, parce qu'il n'y a point de monaſtere de leur ordre où il ne ſe trouve des ouvrages de ce ſaint, ſi ce n'eſt en ceux qui ont eſté entierement pillez & ruinez. Ce qui a ſervy de motif..... aux Superieurs & Religieux de ladite Congregation de ſaint Maur pour entreprendre une nouvelle edition des œuvres de ſaint Auguſtin..... De ſorte que ladite correction eſtant beaucoup avancée, leſdits Religieux ſe ſont enfin reſolus de la continuer pour le bien de l'Egliſe & l'honneur de la France. Mais craignant que d'autres n'entreprennent de reimprimer leſdites œuvres de ſaint Auguſtin ſur les anciennes copies, comme ils en ſont menacez, ce qui rendroit aprés de grands frais leurs peines inutiles : dautant qu'encore que l'edition pretenduë faite ſur leſdits manuſcrits doive eſtre la plus ample & la plus parfaite qui aye paru juſques à preſent, neanmoins on pourroit rechercher celle qui ſe debiteroit à meilleur compte ; ledit Superieur nous auroit tres-humblement ſupplié luy vouloir accorder nos lettres de privilege à ce neceſſaires. A CES CAUSES, le deſirant favorablement traiter, Nous luy avons permis & permettons par ces preſentes de faire imprimer par tout noſtre Royaume, pays, terres, & ſeigneuries de noſtre obeiſſance, en telle marge, tels caracteres & forme de volumes qu'il jugera à propos, leſdites œuvres de ſaint Auguſtin, par tels Imprimeurs ou Libraires qu'il aura choiſis, & ce durant le temps & eſpace de cinquante ans, à compter du jour qu'elles ſeront achevées d'imprimer pour la premiere fois en vertu des preſentes ; faiſant tres-expreſſes inhibitions & defenſes à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, autres que celles qu'il aura choiſies, de faire imprimer, vendre & debiter en aucun endroit de ce Royaume leſdites œuvres, ſous quelque pretexte que ce ſoit, d'en apporter ou garder aucun exemplaire de ceux qui pourroient avoir eſté contrefaits aux pays eſtrangers, & meſme de reimprimer leſdites œuvres ſur les anciennes copies, nonobſtant le reglement du 27. Fevrier 1665. à ce contraire, auquel nous avons derogé pour ce regard ; Et ce à peine de dix mil livres d'amende payable ſans deport par chacun des contrevenans, applicable un tiers à l'Hoſtel Dieu de noſtre bonne ville de Paris, un tiers audit expoſant, & un tiers au denonciateur, confiſcation des exemplaires, de tous deſpens, dommages & intereſts, meſmes aux peines portées par l'Arreſt du Parlement du 26. Fevrier 1671. donné ſur les concluſions de noſtre Procureur General, & publié en la chambre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs ; à condition auſſi qu'il en ſera mis deux exemplaires en noſtre Bibliotheque publique avant qu'en expoſer aucuns en vente, à peine de nullité des preſentes, du contenu deſquelles Nous vous mandons que vous faſſiez jouyr pleinement & paiſiblement ledit Superieur General expoſant, & tous ceux qui auront droit de luy, ſans permettre qu'il leur ſoit fait aucun trouble ny empeſchement. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin deſdites œuvres copie ou extrait des preſentes, elles ſoient tenues pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy ſoit ajoutée aux copies d'icelles collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires comme à l'original. Mandons au premier Huiſſier ou Sergent ſur ce requis de faire pour l'execution des preſentes tous actes neceſſaires, ſans demander aucune autre permiſſion. Car tel eſt noſtre plaiſir. Nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, & ſans prejudice d'icelles, dont, ſi aucunes interviennent, Nous nous reſervons la connoiſſance & à noſtre Conſeil, l'interdiſant à toutes nos Cours & Juges. nonobſtant auſſi clameur de Haro, chartre Normande, & autres lettres à ce contraires. Donné à ſaint Germain en Laye le vingt-deuxiéme jour de Fevrier l'an de grace mil ſix cens ſoixante-douze, & de noſtre regne le vingt-neuviéme. *Signé* Par le Roy en ſon Conſeil, BERAUD. Et ſeellé du grand ſeau de cire jaune.

Et ledit Superieur General de la Congregation de ſaint Maur de l'ordre de ſaint Benoiſt a cedé & tranſporté au ſieur François Muguet Marchand Libraire Imprimeur ordinaire du Roy & de M. l'Archeveſque de Paris le preſent Privilege, pour en jouyr ou faire jouyr pendant le temps porté par iceluy, ſuivant les conditions & accord faits avec luy ce ſixiéme de Mars mil ſix cens ſoixante dix-ſept.

Signé Fr. VINCENT MARSOLLE.

Regiſtré ſur le livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le treize Mars mil ſix cens ſoixante dix-ſept, ſuivant l'Arreſt du Parlement des 8. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé du Roy du 27. Fevrier 1665.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA